

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA TOMVS IX.


EGO ROGAVI PRO TE
NON DEFICIAT FIDES TUA

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

IN QVA

Authores melioris notæ qui hactenus pro Sancta Romana Sede, tum Theologicè, tum Canonicè ſcripſerunt, ferè omnes continentur.

PROMOVENTE, AESQVE SVPPEDITANTE

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FR. IOANNE THOMA DE ROCCABERTI

Prælato domeſtico aſſiſtente ſacro Solio, ab INNOCENTIO XI. Archiepiſcopo Valentino: olim in eiuſdem Vrbis Vniuerſitate S. Theologiæ Primario Profeſſore, Ordinis Prædicatorum in Prouincia Aragoniæ Prouinciali, poſtmodùm totius Religionis Generali Magiſtro; ſemel, atque iterum Valentini Regni Prorege, & in præſentia Hiſpaniarum Inquiſitore Generali.

SANCTISS.MO IN CHRISTO PATRI

INNOCENTIO XII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIF: MAX:

DICATA.

TOMVS IX.

ROMÆ, M.DC.XCVIII.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Apostolici Palatij.

Sperellus Episc. Interamnen. Vicesg.

CENSVRA
TOMI IX.
BIBLIOTHECÆ PONTIFICIÆ.

DE ordine Reuerendiss. P. Paulini Bernardinij Sac. Palatij Apostolici Magistri reuidi infrascripta Opera: Dominici Iacobatij S. R. E. Cardinalis: Tractatus de Concilio. Fr. Dominici Mariæ Marchesij Ordinis Prædicatorum: Theologia bipartita in Dogmaticam, & Moralem Tomus I. in quo pro parte Dogmatica agitur de Supremo Legislatore, & Capite Ecclesiæ Romano Pontifice. In ijs nihil reperi contrarium Fidei, aut bonis moribus, quare censeo posse permitti, quod imprimantur, vt nonus Tomus Bibliothecæ Pontificiæ. Ita censeo ego infrascriptus. Ex Ædibus S. Mariæ in Porticu in Campitello hac die 20. Decembris 1697.

Franciscus Maria Campionus
Examinat. Synod. in Vrbe.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatij Magister.

A V T H O R E S
Quorum opera in hoc nono Tomo continentur.

Dominici Iacobatij S. R. E. Cardinalis: Tractatus de Concilio.

Fr. Dominici Mariæ Marchesij Ordinis Prædicatorum: Theologia bipartita in Dogmaticam, & Moralem Tomus I. in quo pro parte Dogmatica agitur de Supremo Legislatore, & Capite Ecclesiæ Romano Pontifice.

INDEX CAPITVM

Huius Noni Tomi.

DOMINICI IACOBATIJ S.R.E. CARDINALIS

Tractatus de Concilio, ibique Synopsis. pag.1.

LIBER TERTIVS.

LIBER QVARTVS.

Quando congregandum sit Concilium, ibique breue Summmarium. 60.

LIBER QVINTVS.

De Concilio, Summarium.

LIBER SEXTVS.

De Concilio. An Papa Auctoritatem habeat à Concilijs Generalibus.

LIBER SEPTIMVS.

Papa si promisit Cardinalibus conuocare Concilium, an contra Papam possint indicere Cardinales.

LIBER OCTAVVS.

De Concilio, ibique Summarium. 369

Vtrùm

LIBER NONVS.

De Concilio, ibique Summarium.

LIBER DECIMVS.

FR. DOMINICI MARIÆ MARCHESII,
Ordinis Prædicatorum S. T. Mag. Prouincialis Neapolis.

Theologia bipartita in dogmaticam, & moralem Tomus I. in quo pro parte dogmatica agitur de Supremo Legislatore, & Capite Ecclesiæ Romano Pontifice, ibique Synopsis, & Præfatio. pag. 623.

DISPVTATIO PRIMA.

DISPVTATIO SECVNDA.

beant

DISPVTATIO TERTIA.

De Infallibilitate Iudicij Summi Romani Pontificis. 709.

DISPVTATIO QVARTA.

De electione Summi Pontificis. 763.

DISPVTATIO QVINTA.

De comparatione Papæ ad Concilium. pag. 778

DOMI-

DOMINICI IACOBATII

Tituli S. Clementis S. R. E. Cardinalis.

TRACTATVS DE CONCILIO.

LIBER TERTIVS.

Dominicus Iacobatius Patritius Romanus, Christophori Iacobatij de Faceschis Filius, acerrimi iudicij, & præstantissimi ingenij vir à primis annis discendi ardorem à pietatis studio non secreuit. Tres illi Fratres, sex sorores ex Iacobo fratre nepotes tres hæredes fuere, quorum vnus Christophorus videlicet, vti etiam Hieronymus Verallus ex sorore item Nepos à Paulo III. creati Cardinales claruere. Filia alterius Sororis Martiæ viro Castanei generis nupta Ioannem Baptistam Castaneum genuit Septimum in Pontificatu Maximo Vrbanum. In Cæsarei, & Pontificij iuris Dominicus hic longè processit. Consistorialis aulæ Aduocatus primò anno 1485. ab Innocentio VIII. Deinde Romanæ Rotæ Auditor ab ipsomet Innocentio 1493. renunciatus post non nullos annos, anno scilicet 1498. die 6. Iulij Alexandri VI. Romani Pontificis nutu Auditorum Princeps cùm Dominico Brigantio eiusdem Rotæ Auditore, alijsque viris doctissimis delectus, vt diceret, quodnam pœnitentiæ opus Maranis ex Lusitania profectis resipiscentibus, & scelera vrbis Gubernatori, & Sacri Palatij Magistro Paulo Moniliæ ex animo fatentibus iniungendum esset. Vaticanæ Basilicæ Canonicus anno 1503. promulgatus, Lucerinus mox Episcopus delectus Synodo Lateranensi sub Iulio II. primùm, deinde sub Leone X. interfuit. Romani Gymnasij Prætor, & Pontificis Vicarius in vrbe extitit, quæ duo deindè munera, vti etiam Lucerinam Ecclesiam annuente Leone Andreæ Fratri, viro apprimè docto, & pio, ac linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ peritissimo cessit. Presbyteris deinde Cardinalibus adscriptus titulum primò S. Laurentij in pane, & perna ex Ciaceonio, ex Contelerio verò S. Bartolomæi in Insula, quo relicto illum S. Clementis, posteà S. Appollinaris obtinuit. Dictus est à Iulio Simone Sanctissimus, cùm eximijs animi ornamentis emicaret, religioni addictus, pudicus, iustus, prudens, otij capitalis hostis, studiorum laudabilium amicus, in se valdè frugalis, in pauperes valdè munificus. Fulgebant in eo, amico fœdere seueritas, & hilaritas, grauitas & simplicitas, maiestas & humanitas. Principum animis ferè dominabatur, vnde illi rerum suarum curam apud Pontificem enixè commendabant, eumque Legati sæpissimè adibant. Tanta autem erat humanitate, vt diceret se illum diem perdidisse, quo aliquem sibi beneficio non deuinxisset, & aditum etiam minimæ plebeculæ, & infimæ sortis hominibus patere semper voluerit. Neminem tristem vnquam dimisit, & non eius munificentia vsum. Ita tantas, tantasq; dotes, nobilitatem familiæ, cui tamen primam Ecclesiasticam purpuram inseruit, morum illibatum candorem, maximam eruditionem insigni coro-

nauit modestia. Quare Iulius Simon Dominicum inter doctos Patres nobilissimum, inter nobiles doctissimum, inter vtrosque optimum, inter omnes modestissimum nuncupauit. Qui prandens, cœnansque assidua lectione animum plusquam corpus fouebat, viros doctos adesse gestiebat, proponebat ænigmata, & soluentes prẹmijs afficiebat. Eumdem Stephanus Ioanninensis in sua Medicea Monarchia breui hoc elogio est prosecutus. Dominicus Iacobatius Patritius Romanus, qui ob virtutes eminentissimam laudem, ac scientiæ suæ fulgorem, ob ipsius inquam Auctoritatis, ac doctrinæ perspicuæ decus, & præeminentiam ad Cardineum honorem euectus est. Vir namque Apostolicæ Sanctionis consultissimus, multique iudicij cordatissimus ex duodecim vnus, qui iam Apostolicæ Audientiæ in discernendo iure præficiuntur, qui vsque adeò summis iustitiæ neruis, atque fulturis celebratum illud Audientiæ munus obierat, vt veram nimirum iustitiæ clauam in iure reddendo extorserit, suoque veluti iure præripuerit. Præter Lucerinam Ecclesiam, Massanam, & Grossetanam in Hetruria, & Cassanam in Calabria administrauit, vt Acta Consistorialia indicant. Leo Decimus Roma discedens Dominicum hunc Cardinalem, suum in ea Legatum reliquit. Extat epistola Leonis ad ipsum data. Eumdem Pompeius Columna Cardinalis Pontificijs Infulis exornare curauit in Sacris Comitijs, in quibus renunciatus est Clemens Septimus Romanus Pontifex. Sub quo è vita migrauit Romæ ex monumentis Vaticanis die secunda Iulij anno 1527. ex Ciacconio verò Cabrera, alijsque mense Ianuarij anno 1528. ac sepultus in æde S. Eustachij, vt volunt aliqui, vbi adhuc marmorea Iacobatia insignia in Principe Tribunæ loco conspiciuntur. At meliùs cùm Carolo Carthario dicendum. Dominicum in Ecclesia Sancti Tryphonis conditum fuisse; nam testamentarijs tabulis Dominicum disposuisse scimus, quòd ipsius cadauer in Ecclesia Sancti Tryphonis conderetur, in eodem sepulchro, in quo sui Genitoris ossa collocata iacebant, quare insignia, quæ in æde S. Eustachij extant, non Dominici, sed Christophori Nepotis esse indicari debent. In Basilicæ Vaticanæ tabulario notatum legimus Dominicum hunc Cardinalem sepultum in Ecclesia S. Eusebij. Antiquum illud monumentum hic rescribere placet. Dominicus Iacobatius Romanus à Pio III. per obitum Io: Baptistæ de Glande Canonicus S. Petri factus die 16. Octob. 1503. possessionem est adeptus, & tenuit Canonicatum ann. 13. mensibus 8. diebus 15. à Leone X. ob insignem Iurisprudentiam, & vitæ integritatem ex Episcopo Lucerino, Rotæ Auditore, & Canonico S. Petri, Cardinalis factus Tit. S. Laurentij in Pane, & perna, Andrea, & Christophoro Iacobatijs in eadem Basilica Canonicis, alteri paulò antè Cardinalatum Lucerinam Ecclesiam dimisit, alteri verò Canonicatum S. Petri post adeptum pileum. Obijt sub Clem. VII. ann. 1528. clarissimis doctrinæ suæ relictis monumentis, sepultus in Ecclesia S. Eusebij. Huiusce Dominici meminit Alexander VI. in suo diplomate scripto 6. Idus Octobris anno 1498. quo confirmauit Sacerdotiorum erectionem, his verbis. Ioannes Iacobi Marci ciuis Romanus reliquit bona sua Paulinæ eius natæ, & in euentu, in quo decederet absque filijs legitimis, bona prædicta reliquit, vt fundarentur tres perpetuæ Cappellaniæ, vna in Basilica S. Petri sub inuocatione S. Sebastiani, alia in Basilica S. Ioannis in Laterano sub inuocatione S. Laurentij Martyris, & reliqua in Basilica S. Mariæ Maioris sub inuocatione S. Vincentij, quas tres Cappellanias erexerant Magister Dominicus Iacobatius, & Andreas de Iacobatijs, Executores testamentarij. Scripsit Dominicus De Concilio videlicet, De loco Concilij. Ad quem spectet congregare Concilium. Quando sit congregandum Concilium. Quales debeant esse interfuturi Concilio. An Papa habeat Auctoritatem à Concilijs Generalibus, & an Concilium possit restringere Auctoritatem Papæ. An Cardinales, qui discesserunt à Papa possint congregare Concilium. An Papa possit accusari de hæresi. Ex quibus causis, & quomodo possit Papa deponi. De Appellatione à Papa ad Concilium. Scripsit præterea De Donatione Constantini Imperatoris, & De vtroque gladio in Ecclesia. Ponimus autem non totum tractatum, sed relinquimus initium, de Concilio, & loco Concilij, quòd non ità proximè spectat ad Romanum Pontificem. Celebrant Iacobatium Ciacconius, Andreas Victorellus, & Ferdinandus Vghellus in addit. ad Ciacconium, Aubery in eius vita, Panuinius de Romanis Pontificibus. Felix Contelerius in Elencho. Franciscus Maria Terrigius de Cript. Vatican. Nomencl. Card. Carthesius, Oldoinus, & nouissimè Bibliotheca Romana Prosperi Mandosij S. Stephani Equitis, & meminerunt omnes ferè Bibliothecæ,

& quot-

& quotquot de Concilijs scripserunt veluti flumina ad hoc mare recurrunt. Ante Iacobatium plures erant Auctores de Potestate Papæ, & Concilij plura differentes, post Iacobatium omnes siluere, deperditi sunt libri, vt Claudius de Cantiuncula, & aliorum, & nomina, velut Iordanis in morte mortuum transiens, quamuis non aquas perdidere.

SVMMARIVM.

Congregatio Concilij quod spectet ad Card. arg.

1 *Congregatio cap. vbi aliàs de consuetudine non est ad quem spectet, ad ipsum cap. spectat.*

2 *Cardinales eligunt Papam.*

Cardinales Sede vacante succedunt in iurisdictionalibus.

Item in his, quæ indigent celeritate, & sunt vtilitatis, & necessitatis Ecclesiæ.

3 *Iudicandus non debet præesse his, qui eum iudicaturi sunt.*

4 *Actio & passio eodem respectu non debent multiplicari.*

5 *Papam Concilium congregare debere, quomodo intelligendum.*

6 *Euangelium debet intelligi in sensu, & medulla.*

7 *Concilium magis debet conuocari inspecta causa, quàm persona conuocantis.*

8 *Cardinales post Papam sunt maiores.*

Et sine illis non potest ardua agere.

9 *Inferiores quando, & quo casu suppleant negligentiam superioris.*

10 *Concilium per Imperatores aliquando congregatur rogante Ecclesia, vel postmodum ratificante, vel alijs modis, num. 47.*

11 *Contendentibus duobus de Papatu ad quem spectet congregare Concilium, & quando num. 74. & num. 88.*

12 *Tres Pontifices eodem tempore in Ecclesia.*

Martinus V. Columna Rom. creatur Pontifex.

13 *Papa existens in quasi possessione Papatus exercet iurisdictionalia, alio secum contendente de Papatu.*

Et si nullus sit in quasi possessione Papatus nullus poterit exercere iurisdictionalia.

14 *Contendentibus duobus de Papatu, & ambobus existentibus in quasi possessione nulla pars obediet alteri.*

Et assignatur ratio.

Et quid si vnus fuit à tota Ecclesia receptus, aut duo videntur electi, & num. 91.

15 *Spiritus sanctus descendit inter congregatos in vnum.*

16 *Titulus Concilij.*

17 *Ecclesia quando cœpit congregare Concilia, & plus posse, quàm Imperatores temporales.*

18 *Congregatio Concilij, quòd spectet ad Imperatorem arg.*

19 *Regina interfuit Concilio Chalcedonen.*

20 *Congregatio Concilij, quod etiam ad Reges spectet.*

Nihilominus nihil debent decernere, sed ad iudicium Concilij remittere.

21 *Barbatiæ doctrina in capitulo, quod translationem columna 37. de offic. legat.*

22 *Contendentibus duobus de Papatu, quod electio pertineat ad Imperatorem, non autem ad Collegium Cardinalium.*

23 *Congregatio concilij quod spectet ad Papam arg.*

Inferior non potest vsurpare, quæ ad superiorem spectant.

24 *In generali mandato, etiam in legatum non transferuntur ea, quæ Rom. Pontifici conceduntur.*

Et sic congregare concilium num. 43.

25 *Papa est Caput omnium collegiorum.*

Et à nemine iudicatur, nisi à Deo, nisi à concilio per submissionem tacitam, vel expressam. num. 26.

Et ipse solus sine concilio potest Imperatorem deponere.

26 *Ecclesia militans est fundata adinstar triumphantis.*

27 *Cardinales quod non possint congregare concilium ratio.*

28 *Citatio debet emanare ab eo, qui habet iurisdictionem in eum, qui citatur.*

29 *Cardinales aliquando congregasse concilium non est iure cautum, nec aliàs inuenitur.*

30 *Imperatorem non posse congregare concilium arg.*

31 *Obedientia requirit possessionem non merum ius, ad hoc vt sit talis.*

32 *Cap. Principes 23. quæst. 5. intellectus.*

33 *Congregationem concilij ad Papam spectare multis iuribus probatur. & num. 39. & num. 40.*

Et quando est vnus indubitatus potest, etiam si agatur contra eum de hæresi. num. 48.

34 *Concilium cum Papa non dicitur iudex, sed consultor.*

Et in arduis procedit hoc.

35 *Papa habet congregare concilium etiam contra se.*

Et requiritur eius auctoritas etiamsi necessario congregatur ad corrigendos eius excessus. num. 38.

Et Imperator dat iudicem contra se.

36 *Licèt totus mundus sentiret contra Papam tamen Papæ sententiæ standum est.*

37 *Orbis maior est vrbe quomodo intelligendum. & num. seq.*

41 *§. Hinc etiam 17. distinctione intellectus. & num. 50. & num. 93. & num. 145.*

42 *Cap. nunc autem 21. distinct. intellectus. & num. 51.*

44 *Versus de potestate Papæ, multa continentes.*

45 *Concilium licèt congregetur à non habente potestatem tamen procedunt congregati ex auctoritate habentis congregare.*

46 *Congregare concilium an spectet ad Papam distinctio Auctoris. & num. 58.*

49 *Fel. in cap. super literis, de rescript. declaratur.*

52 *Bartol. in cap. olim, de rescr. declaratur, & num. 73.*

Et

Et

ARTI-

ARTICVLVS I.

Ad quem spectet congregare Concilium.

1 POstquam dictum est supra de vocandis ad Concilium, & ijs, qui possunt ei interesse, quæro consequenter, ad quem spectet congregare Concilium? Et videtur, quod ad Collegium Cardinalium, sicut videmus in electionibus, quod maior pars capituli congregat capitulum, vbi non est, ad quem aliàs de consuetudine spectet, vt Innoc. in cap. 1. de noui operis nun. ibi Io. An. & Ab. & Doct. in cap. cùm nobis, de elec. & in cap. in causis eodem tit. & Abb. in cap. cùm omnes de const. & post Bart. in l. omnes populi, ff. de iust. & iur. Et vbi sunt duæ partes tantùm præsentes tunc ille conuocant aliam partem, & valet quod tunc per vni-
2 uersitatem fit, l. obseruare, C. de decur. li. 10. quod cuiusque vniuersi nomine, l. planè, ff. de tut. & cura. da. ab ijs, l. fi. glos. in cap. licèt de elec. Arch. 63. dis. quantò, cùm si. Imò etiam si est finis termini minor pars congregat, vt dicit Abb. in d. cap. cùm omnes, de quo ibi plene per modernos, & in cap. 1. de maio. & obe. Ad idem facit quod) Cardinales sunt, qui eligunt Papam, vt in cap. in nomine domini, 23. dist. & in cap. licèt, de elect. & in cap. vbi periculum, eodem tit. in 6. & cle. ne Romani, eodem tit. & succedunt Sede vacante in iurisdictionalibus, in ijs, videlicet, quæ sunt vtilitatis Ecclesiæ, & necessitatis, & indigent celeritate, vt dicitur post glos. in cap. 1. de schisma. in 6. per Hostien. in cap. cùm ex eo, de pœnit. & re. & in d. cap. vbi periculum, in §. Ijdem quoque, & plenè
3 etiam in d. cle. ne Romani. Vndè si eligunt, videtur contrarium, quod ad eos spectet disponere ea, quæ sunt electo necessaria, arg. cap. vt præteritæ, de elect. cap. cupientes, §. ad hoc, & §. Si verò, eodem titulo in 6. 65. dist. cap. fi. in glos. Et bona est glos. in proposito, quod succedant in cap. nullus 79. dist. Ad idem facit, quod in Concilio etiam iudicatur de factis Papę & Papa facilè, si ad eum spectaret differret congregare. Facit quod dicitur in cap. nos si incompetenter, 2. quæst. 7. Item non est conueniens, vt à potestate eius, qui iudicandus est dependeat, an iudicetur, vt ff. de eo, quòd certo loco, l. non vtique.
4 Vndè si Papa habet præesse in Concilio per modum authoritatis, præesset, & authoritatem præstaret in facto proprio si iudicandum esset de facto eius, contra no. in l. 1. §. 1. ff. de auth. tut. in cle. si vna de reb. eccl. non alie. Item actio, & passio eodem respectu multiplicarentur, contra id quod dicitur in cap. fi. de insti. & in cap. postulasti, de conces. præben. Facit in simili quod dicitur, quòd in processu super criminalibus habet Episcopus requirere consensum capituli, & tamen si proceditur contra capitulum non habet requirere consensum, cap. irrefragabili in glos. de of. ord. Et alioquin posset Papa omnia dispergere, dissipare, & fidem peruertere, nec ei dici posset cur hoc facis, 83. dist. c. nemo 8.
5 quæst. 1. qualis. Quid enim si nollet congregare, vel non posset, vel si ostenderet se velle congregare, & dispergeret, quia impedimenta occultè interponeret, dubitans de se propter sua demerita, quis diceret Concilium ab alio tunc congregari non posse, nisi qui vellet Ecclesiam ponere in manibus vnius qui fidem Christianam, & statum vniuersalis Ecclesiæ, absque vllo remedio liberè posset funditus perdere? Non sic in folijs intelligenda sunt iura, quæ dicunt Papam Concilium congregare debere, non sic in cortice, sed temperanda sunt in radice rationis, & ex illa regulanda. Non enim in verbis scripturarum est euangelium, sed in sensu non in superficie, sed in medulla, 1. quæst. 1. Marchion. 16. qu. 1.
6 §. 2. 38. dist. sedulò 22. quæst. 5. de ver. sig. intelligentia, cùm si. Et si contrarium diceretur, frustra essent edita iura, quæ permittunt aliquo casu de Papa iudicari 40. dist. si Papa, & d. cap. conuenientibus. Interest enim, vt malè gesta, quæ tendunt in confusionem vniuersalis Ecclesiæ emendentur 23. quæstio 4. non potest, &c. est iniusta. Igitur, vt hoc fieri posset videtur decentius, quòd à Collegio Cardinalium fiat Concilij congregatio, quàm à quibuscumque alijs. Ad idem facit exemplum Apostolorum, qui interdum vocabant seipsos sine capite, vt patet act. 6. cap. in
7 prin. vbi conuocauerunt 12. multitudinem discipulorum. Ad idem est, quod vocationes, quæ fiunt ad Concilium non sunt propriè citationes, sed requisitiones, secundum Inno. Abb. Host. Card. & alios in cap. cùm nobis, de elect. Tales enim requisitiones, siuè denunciationes fiunt per pares, & minores in cap. 1. de sup. negli. præla. cap. ex literis, de consti. de offi. del. cùm causa, & diximus sup. Nec tales requisitiones requirunt solemnitatem peremptorij, vt in cap. si Episcopus in gl. 18. dist. l. fi. C. de iu. fisci li. 10. Arch. in cap. 1. de pœn. lib. 6. in verbo conuocat. Igitur necessitate magna imminente non solùm per Cardinales omnes, sed etiam per minimum de vniuersitate fieri potest vocatio, & congregatio Concilij, & Concilium debet vertere oculũ plus ad causam conuocandi, quàm ad conuocantẽ. Ad idem etiam facit quod data impotẽtia, vel inhabilitate Papę ad congregandũ Conc. potestas deuolui debet ad alios vt in c. si. episcopus de sup.
8 negli. prælat. in 6. Maiores autem post papam non sunt, quàm collegium cardinalium qui papæ assistunt, & sine quibus non potest ardua agere secundùm Ioan. mo. in c. super eo de hære. in 6. & in c. ad apostolicæ de re iudicio eo lib. c. per venerabilem §. si rationibus, qui filij sint legit. Ergo vt euitetur circuitus qui posset allegari, & fieri ratione inhabilitatis, impotentiæ negligentiæ, & quia fortè concilium congregandum est contra eum; ne authorizetur in facto proprio ipse Papa, conuenientius vide-

videtur quod ad ipsos cardinales collegialiter spectet conuocatio quàm ad Papam, potestas enim deuolutionis congregandi, data saltem notoria negligentia superioris videtur quod ad proximiores fieri debeat de censi. Romana, vers. notoria in 6. de offic. ordi. pastoralis, de appel. sollicitudinem §. si vero glor. iu cle. quia contingit de reli. domi. in verbo negligentia. Nec
9 enim est absonum, quod in concernentibus statum Ecclesiæ inferiores suppleant negligentiam superioris, vt in cap. 1. de supplen. negli. præla. & de elec. cap. cùm in cunctis ad fin. Et si sic est quod data inhabilitate, & negligentia Papæ superioris potestas devoluitur ad cardinales, sequitur quod semper collegium cardinalitium habeat facultatem concilium congregandi. Ad idem facit, quod secundùm aliquos in causis electionis papæ & in factis eius, iudices sunt episcopi cardinales cùm ipsi habeant consecrare papam 78. di. per totum. Ad hoc gesta concilij Aphricani c. 15. & Bonifacij cap. 2. §. denique & Nicæni. cap. 3. & 6. Facit. c. in nomine domini 23. dis. Ad idem etiam facit, quod reperitur pluries antiquitùs non solùm congregatum concilium per Card. sed imperatorem 15. d. cap. 1. & c. san. Romana, & 16. di. c. sexta 21. di. c. nunc autem quod non solùm Cardinalibus, sed episcopis se haber cognoscere inferiorem. vt in c. Valentinianus 63. di. & in c. bene quidem 96. dist. de malor & obed. solitæ, & cap. nouit de iudic. Ergo sequitur quod hoc facere debent hodie Card. quia enim olim non erat episc. facultas congregandi plebes; nec ecclesia habebat potentiam compellendi nolentes venire ad concilium nec propter diuersitatem parebant, nec audebant congregari, vt d. cap. 1. 15. dist. &c. sexta 16. dist. propterea implorabatur Imperatorum, & Regum subsidium, & ipsi congregabant, vt patet in prin. Aphricani concilij. Vnde cùm statim ecclesia potuit, hoc correxit: & non per principes
10 sed per se congregat. aliquando per Imperatores ipsa rogante, vel postea ratificante, vt patet 17. dist. per totum, & maximè §. hinc etiam, & in gestis Symmachi cap. 9 vbi extensè ponitur §. hinc etiam Quandoq; cõsultu Imperatoris & præsentia vt patet in principio Chalcedo. concilij, & in gestis antiocheni. concilij, cap. 1. & in gestis Syluetrij papæ cap. 1. Cessante igitur illa necessitate videtur, quod spectet ad car. qui sunt post papam maiores, vt supra dictum est. Item ad idem facit, quod actus conuocationis concilij non videtur esse actus authoritatiuus, sed puri facti, igitur competit eis de iure, qui de facto congregare præsent. Quod patet fieri potest etiam ab inferiori, vt in d. c. cum nobis, & ibi doctr. post Inno. de elect. Ad idem facit, quia sicut vniuersitatem congregari à superiore non est de substantia, cùm ipsamet possit se congregare, vnde si partes duæ, vel tota vniuersitas à casu congregaretur, valeret quod ageretur lib. obseruare C. de decurion. lib. 10. d. l. planè, cum si. ff. quod cuiusque vniuersitatis nomine, sic videtur quod à cardinalibus possit congregari, nec requiratur authoritas, vel consensus superioris, idest papæ. Ad idem etiam facit quia casu quo papa efficeretur hæreticus non dubium, quod tunc ad alium spectat conuocatio generalis concilij, vt patet ex tempore Marcellini papæ, qui cùm idolis thurificasset, illicò in Concilio congregati sunt episcopi, vt discuterent quid agendum, vt in cap. nunc autem 21. dis. Igitur ad quem meliùs quàm ad Cardin. qui sunt pars corporis papæ 6. quæs. 1. §. verùm c. felicis de pæn. in 6. facit cap. per venerabilem qui fil. sint legit & cap. fundaměta de elec. Simile potest poni exemplum de duobus contendentib. de papatu, vt in cap. si duo 69. dis. Similiter in cedente, in
11 furioso, in amente, & similib. Et istam opi. quod ad collegium Card. spectet, quando sunt duo contendentes de papatu, tenuit Hug. in d. c. si duo & refert Barb. in cap. quod translationem in 32. col. de offi. leg. & ibi dicit glo. Hug. fuisse allegatum multum in concilio Pisano, & in Concil. Constantien. Et ibi dicit quod iura volentia deuolui electionem Papæ ad collegium cardinalium, loquuntur quando per mortem papæ vacat papatus, sed secus quando sunt plures contendentes de papatu, qui quærunt scindere tunicam incon. sutilem, quia tunc stamus iuri antiquo quod deuoluebat electionẽ ad concil. vt in cap. si translatus 79. dis. Et sic fecerunt Apost. quando elegerunt Petrum caput suum, vt in cap. 2. 22. dist. & in hoc successerunt episcopi vt in cap. videntes 12. quæst. 1. qui constituunt concil. Et formam ab apost. eis traditam seruare tenentur. Et hanc opi. quod ad Card. & non ad Imperatorem spectet conuocatio ponit notabiliter Bal. in cap. olim de rescrip. & in cap. quia propter de elect. Et eamdem partem tenuerunt multi clarissimi Doct. consulentes in casu, quo fuerunt plures contendentes de papatu tempore concilij Pisani, per quod non fuit sedatum schisma, qui voluerunt quod tunc cardinales potuerint congregare, illud concilium, Sed postea fuit concilium Constantiæ, in quo fuit sedatum schisma, quod ortum habuerarà tempore Vrbani sexti, qui Bartholomæus antea nominabatur & erat Barent. Archiepiscopus, patria, ut aliqui dicunt Neapolitanus, vt alij volunt Pisanus, qui extra collegium propter discordiam Cardinalium assumptus, dicebatur electus per impressionem Romanorum. De quo est illud consilium Bal. in rub. C. si quis aliquem testa. prohi. & de quo idem Bal. postea facit mentionem in cap. quia propter de elect. Et, latè Egid. qui recitat factum in cap. 1. de iniu. in 6. propter, quod schisma ortum habuit. Quia post publicationem Vrbani & postquam fuerat consecratus, & adoratus & electio intimata principibus Christianis aliquot mensibus post, aliqui Cardinales fugientes ad ciuitatem fundensem elegerunt Clementem septimum qui Robertus de Gebenna anteà vocabatur; qui postea transtulit curiam, Auenionem, ad quem aliqui Cardinales de Italia

ad Franciam accesserunt, quod schisma incæpit anno Domini 13. 78. 27. Martij, Clementi adhæsit Rex Franciæ, Hispania, Cathalonia, Scotia, & insula Trinacriæ, cætera pars Christianitatis Vrbano, videlicet rex Bohemiæ & tota Alemania, & Anglia, Hungaria, Italia. Et aliqui Cardinales, qui causabantur factam sibi impressionem adhæserunt Clementi, exceptis tribus, videlicet Cardin. Portuensi. qui dicebatur Florentinus Cardinale prænestino; qui dicebatur Pictauien. & Cardi. Ambianen. Post obitum Vrbani assumptus fuit Bonifacius 9. Petrus Thomacellus nominatus Neapolitan. & post eum Innocentius 6. & post eum Gregorius 12. Angelus Corarius antea cognominatus, Venetus, Cardinalis S. Marci præfati omnes antea creati Cardinales, fuerant à parte Vrbani, post mortem Clementis, ab illa parte assumptus fuit Auenione in pontificem Benedictus 13. Petrus Luna antea vocatus. Et inter hos duos fuit anno 1410. schisma renouatum, interim recedentibus Cardinalibus ab vtraque parte & conuenientibus Pisas, vbi in concilio assumptus est Alexander quintus frater ordinis minorum, & Archiepiscopus Mediolanen. Petrus antea vocatus, qui octauo pontificatus sui mense Bononiæ decessit, cui suffectus fuit Ioannes 23. antea Balthasar Cossa vocatus patria Neapolitanus cuius industria cùm esset Bononiæ legatus concilium Pisanum congregatum est, in quo fuit creatus Alexander eius prædecessor, vt dictum est. Interim autem cùm aliqui essent neutrales & aliqui ab vna obedientia ad aliam se transferrent, sicut Leodienes & Genuenses, passa est nauicula Petri magnam concus-
13 sionem, nam, præsidentibus eodem tempore in ecclesia tribus Pontificibus nonulla enormia commissa sunt, quæ omnia tandem in dicto concilio Constantiensi sedata fuerunt, vbi creatus est Martinus Quintus Oddo de Columna nominatus, vt patet in gestis Concilij Constantien. anno Domini 1417. octaua mensis nouembris, & coronatus, 21. eiusdem, in quo Concilio sessione 30. fuit decretum, vt electio Rom. Pon. quæ in posterum fieret per impressionem nullius esset momenti, & vt non posset etiam metu cessante ratificari, ita tamen vt non liceret Cardinalibus ad alterius electionem procedere, nisi ille per impressionem electus cessisset, vel decessisset, donec per generale Concilium de illius electione fuerit iudicatum. De quibus omnibus etiam plenè commemorat Archi. Floren. in sua summa in 2. parte tit. 4. de superbia cap. 1. vbi loquitur de schismate, vers. sed quid cùm duo. Et idem Archiepi. in eadem summa in 3. par. ti. 24. de Concilijs vniuersalibus versi. de concilijs circa fi. Et idem Archiep. in sua chronica in 3. part. ti. 13. cap. 2. cum pluribus sequentibus. Item si diceremus quod sine Papa non posset congregari concilium, sequeretur perplexitas, nam aut contra Papam, qui est in quasi possessione, papatus obijcitur quod ipse non est verus Papa, vel quod perdidit dignitatem, aut est contentio inter duos concertantes de Papatu. Primò casu ad illum tantùm, qui est in quasi possessione spectat exercere, quæ ad Papam spectant, vt in cap. consultationibus de iur. pat. & patet in d. §. hinc etiam 17. di. 2. q. 4. mandastis iurisdictionalia enim exerceri debent per existentē inquasi possessione vt in cap. cùm olim, de causa pos. & propriæ 3, q. 6. cap. hæc quippe, & ibi gl. in cap. 2. de in integr. resti. cū sim. Sed quod ipse, qui est in possessione papatus congreget non videtur verisimile, quia in Concilio posset succumbere. Secundò casu cùm nullus de contendentibus de papatu est in quasi possessione tunc videtur quod nullus poterit congregare, quia nullus habebit potestatē exercēdi iurisdonalia, quo competunt tantùm existenti in quasi possessione; quamuis alter eorum habeat proprietatem, vt in d. c. cùm olim, &c. cum Ecclesia sutrina, de causa posses. & cap. querelam de elec. & cap. nihil & in capit. dudum. eodem titu. Ad idem est quod dicitur in l. si tibi §. cum possessor. ff. de pactis, cum similibus.

Nec suffragatur si dicatur, quod qui habet proprietatem, poterit propria authoritate recipere possessionem & administrare, vt in cap. in nomine Domini 23. di. & in cap. licèt de elec. quia illud est verum, quando non apparet legitimus contradictor, vt ponunt Doct. in cap. transmissam, de electione. Et si ponatur possessio vacans, licet tunc valeant gesta à proprietario, vt Inno. in d. c. 2. de integ. rest. illud est verum, quando non esset contentio inter duos de proprietate. Facit quod dicitur in d. c. consultationibus, & in cap.
14 ex literis, de iurepat. Si autem vterque erit quasi possessione, tunc nulla pars obediet alteri, quia necesse est, vt vnus sit schismaticus siue apostaticus, & tunc tam ratione excommunicationis quàm defectus iurisditionis non poterit congregare, quia suspensus, vt in c. audiuimus §. 1. 24. q. 1. & in ea Nouatianus 7. q. 1. & in c. Anastasius 19. di. c. si celebrat, de cle. excom. miniit. Et quilisiet dicet alium apostaticum, & ratione communicationis alia pars efficietur schism. quia qui cōmunicat schismaticis, non communicat vnitati 24. quæst. 1. schisma, & in d. c. Anastasius. Et si quodlibet congregaret in parte sua, non esset concilium, vt patet ex eius diffi-
15 nitione nam Spiritus sanctus tantùm descendit inter congregatos in vnum 24. q. 1 loquitur. & d. c. schisma. Et si ambo conuenirent, quilibet vellet authoritatem interponere & malè 7. q. 1. factus est Cornelius. Item priùs determinaretur quis esset Papa, quàm esset verum Concilium ratione dubietatis in capite, & propterea videtur vt cesset omnis perplexitas quod congregatio spectet ad Card. Addo etiam prædictis aliam rationem, quia hodie congregatio Concilij fieri consueuit ex arduis causis, per quas, vel fides, vel status vniuersalis Ecclesiæ turbatur. Hoc autem si contingat in inferioribus Papa, possunt omnes per Papam puniri, & etiam si Cardinalis esset, deponi, iuxta posita in cap. 2.

de

de cle. non resi. & in cap. 1. de schis. in 6. & in c. quod translationem de of. leg. ipse enim Papa superior est omnibus d. c. nouit de iud. & in c. solitæ de maio. & obe. Ipse n. omnes iudicat etiam non recognoscentes superiorem, dicitur in cap. licèt ex suscepto, de foro compe. gl. in cap. ex transmissa, eo ti. Lanfrancus in cap. si duobus, de appel. Vnde ex quo inferiores possunt per Papam puniri, non videtur quoad eos necessariam esse Concilij congregationem, sequitur igitur quod sit principaliùs necessaria contra Papam, & quod si Papa aberrat à fide vel tale quid cōmittit, propter quod debeat Conciliū cōgregari huiusmodi Concilij Congregatio fit ratione potestatis & præeminentiæ siue authoritatis etiam contra Papam, quia Concilium generale vniuersalem Ecclesiam re-
16 præsentat, vnde intitulatur sacrosancta generalis synodus in Spiritusancto legitimè congregata, vniuersalem Eccl. repræsentans, facit cap. maiores 24. q. 1. Quæ non potest errare, quia Christus orauit pro ea ne deficeret, vt in cap. maiores de Bapt. & 24. q. 1. à recta, &c. pudenda. Ergo videtur quod principaliùs necessaria sit eius congregatio contra Papam, qui à nullo alio potest iudicari. Si ergo contra eum, non videtur conueniens quod ab eo fiat congregatio, vt rub. C. ne quis in sua causa, & dictum est supra circa principium alioquin posset sequi quod ad notorium hæreticum spectaret Concilij congregatio & si Papa esset notoriè hæreticus, vel antiquati schismatis fautor, & incorrigibilis, & hæresum fomes, & Concilij congregatio ad eum spectaret, non tam Concilij esset congregatio quàm Christianæ religionis dissipatio. Et posset de facili sequi maius inconueniens, non enim est verisimile, quod congregandum Concilium condescenderet, nisi perspiceret primò se tutum, & sic notoriè hæreticus esset Concilij caput. possetq. esse author multorum malorum, & foret error peior priore quod est contra tex. & gl. in verbo item basilicas 24. q. 3. cum quibus & tex. 1. q. 7. conuenientibus. Ergo vt ista cessent, dicamus, quod Concilij conuocatio, & congregatio spectat ad Cardinales & eorum collegium. Et vltra supra recitatos, istam partem etiam tenuit idem Hugo in cap. si duo 78. dist. secundùm Bal. in d. cap. olim de refer. qui dicit quod glossa Bartholomæi Brixien. est ibi truncata, & est recurrendum ad gl. Hugonis. Et intelligit de Cardinalibus, hoc est de collegio & non de singularibus, quia Cardinalium collegium est Episcopis & Patriarchis maius. Et subiungit, quod imperator non potest conuocare Concilium generale, nec in vrbe, quæ hoc habet iure capitis l. cùm in diuersis ff. de relig. & sumpt. funerum, nec alibi. Sicut nec de iure, nec de facto potest conuocare clerum Romanum, qui est caput cleri totius mundi, argum. l. de quibus ff. de legibus. Nec clerum Ierusalem & Siciliæ, vt in cler. pastoralis de re iudic. Nec clerum Franciæ, quia illud regnum nullo iure subest Imperatori, vt notatur in cap. quod clerici de fo comp. & 63. distin. Adrianus Et idem in in similibus regnis, Dicit tamen quod licèt Imperator non possit congregare concilium, debet nihilominus iuuare statum Ecclesiæ tanquam amicus,
17 frater, patronus, debitorque Ecclesiæ. Et dicit distinguenda tempora, vt concordentur scripturæ, nam primùm quando Ecclesia parum militabat, & parum poterat per se sola. tunc multa priuilegia concessit Imperatoribus, quæ postea sunt sublata, vt in cap. Valentinianus, & in cap. ego Ludouicus 63. distinctione. Et Ecclesia militans plus incœpit posse, quàm imperium temporale, in temporalibus triumphans qui tamen impropriè est triumphus, & tunc incæpit imperium declinare. & diuidi, & Reges ei subtraxerunt obedientiam Et ideo bene dicit quod secundùm nouam Ecclesiam non potest congregare Concilium Imperator, sed collegium Cardinalium, & vbi agitur de exauthoratione Papæ, non requiritur, eius authoritas secundùm Bald. quem de verbo ad verbum refert Andreas Siculus ibi. Et istam opinionem etiam ponit idem Andreas in capitulo quod translationem 32. col. de offic. delegat. vt dixi supra.

18 In contrarium videtur quod immò non ad Cardinales, sed ad Imperatorem spectat ista congregatio, quia videmus quod olim Imperator congregabat Concilium, vt. 15. d. c. 1. & dicit gl. in lib. Concilior. in prin. Aphricani Concilij. Item Constantinus suo iussu, & suis expensis congregauit Concilium, & sedit in medio Concilij imperialibus decoratus in humili cathedra, vt dicit historia tripartita lib. 1. c. fin. & c. 13. & sequ. lib. 10. c. 2. & 3. Item de mandato, & licentia Imperatoris congregatum fuit Concilium Chalcedonen. vt patet in princi-
19 pio eiusdem Concilij, & quod plus est interfuit, ibi Regina, cuius Concilij verba sunt hæc. Sancta, & magna, & venerabilis Synodus, quæ secundùm gratiam Dei decreto pijssimorum Imperatorum congregata est in Chalcedonensi ciuitate metropoli, &c. Et parum post, Dominus noster pijssimum, & fidelissimum Imperatorem erexit ad zelum fidei, quod vndique Sacerdotum pontifices conuocauit. Et in fin. c. dicitur, & loquitur Imperator ex vniuersis enim prouincijs religiosissimi Sacerdotes Chalcedoniam venerunt iuxtà mādata nostra &c. Item alibi in historia tripar. lib. 5. cap. 14. & seqq. conuenerunt in Italiam Episcopi Orientalium non multi, & Occidentalium vltra trecentos, vt præcepto Principis Mediolani Concilium celebraretur. Et de hoc sunt multa iura. Similiter in gestis sextæ Synodi Constantinopolitanæ, præsidente Constantino Constantis filio, & patre Iustiniani Imperatoris tempore Agathonis, anno salutis. 670. legitur, quod suam imperialem sanctionem congregata est, vt sæpiùs, in principio singularium actionum replicatur, maximè primæ, & quintæ, & de hoc etiam sunt plures tex. vt patet in gestis Antiocheni Concilij in cap. 1. in princ. & in gestis Syluerij Papæ. Et sunt plura c. in decr. vt videmus 16. d. habemus

librum cum seqq. Ad idem Tex. in cap. 1. 15. dist. & in cap. 6. in princ. 16. dist. & in c. futuram 12. q. 1. & in c. continua, in §. item Constantinus 11. qu. 1. vbi patet Concilia celebrata præsidente Constantino Imperatore. Similiter de Iustiniano in cap. 6. in §. 5. in Constantinop. 16. distin. Ad idem de Valentiniano Imperatore in cap. nunc autem 21. dist. & 2. qu. 4. mandastis, & in c. Valentinianus 63. dist. Ad idem de Martiano Imperatore in cap. nos ad fidem 96. Ad idem in cap. si duo iuncta suprascriptione, in qua loquitur Honorius Imperator Bonifacio Papæ 76. distin. Ad idem cap. contin. 11. q. 2. vbi Constantinus præfuit Niceno Concilio. Item Carolus Imperator constituit Concilium cum Adriano 93. di. Adrianus el. 2. Ad idem text. in c. Sancta Romana 15. dist. vbi legitur de multis Imperatoribus quibus mediantibus sunt congregata Concilia. Et hoc patet ex gestis in Concilio Chalcedon. vbi Leo Papa cum lachrymis scribit Imperatori, vt congreget Concilium, vt ponit Ant. de But. in suo tract. licèt illam epist. inter gesta non repererim. Item omnes libelli, & petitiones fiebant Imperatori tanquam capiti, vt patet in dict. c. futuram. Item relatis gestis eiusdem Concilij, per literas ipsius Concilij Imperatores Cæsares Flauius Valentinianus, & Martianus ipsa confirmantes, pœnam adiecerunt contrauenientibus statutis in eodem Concilio, vt patet in 16. actione eiusdem Concilij. Et idem Iustinianus in l. nos reddentes C. de summa Trinit. vbi fuit celebratum Concilium sine scitu Papæ, & decretum eius mittitur ad Papam confirmandum. Item

20 videtur quod non solùm ad Imperatorem sed ad Reges, vt dict. §. hinc etiam 17. di. Quo casu ipsi non debent aliquid cognoscere, vel decernere, sed ad iudicium Concilij remittere, vt patet factum in Concilio Chalcedonen. Et propterea Ægidius in d. §. hinc etiam reprehendit Regem Franciæ, qui tempore Schismatis omnia faciebat per se consultis tantùm Episcopis Regni sui, & Dominis temporalibus de genere, & consilio, cum debuisset remittere Concilio generali, & Episcopis ibi existentibus.

21 Et istam opinionem, quòd spectaret ad Imperatorem, & non ad Cardinales, & quod in congregando præferatur Imperator collegio Cardinalium, tenet Barbatius in c. quod translationem, in 32. col. de offic. legal. ea ratione præsertim, quia cum olim ipsis esset onus congregandi, & posteà fuerit statutum quod Papa in posterum congregaret, sequitur quod Papa nolente congregare, spectat ad Imperatores, & non ad Collegium. Vnde sentit quod primò ad Papam, posteà ad Imperatorem, & non ad collegium Cardinalium. Et ad hoc adducit gl. in cap. Principes 32. qu. 5. Et cle. ne Romani, quæ vult quod electio Papæ spectet ad Cardinales, restringit quod loquitur quando tractatur de electione Sede vacante per obitum, alioquin non ad Cardinales, sed ad Concilium, pertinebit,

22 sed de hoc dicam alibi. Sed ex eius dicto colligitur, quod quando est controuersia inter duos de Papatu, tunc Congregatio spectat ad Imperat. & non ad collegium Cardinalium.

23 In contrarium videtur, quod nec ad Cardinales, nec ad Imperatorem pertineat sed ad Papam. Et primò ex carentia potestatis, quia nullus inferior potest vsurpare, quæ tantùm sunt Principi reseruata, vt in cap. quibusdam §. præterea, de ver. sig. leg. vectigalia, & leg. non solent C. noua vecti. instit. non posse cap. huic soli. 17. dist. Istud autem est de reseruatis principi, vt in cap. quod translationem de off. lega. & in cap. sicut vnire de excess. præl. in glos.

24 Intantum vt nec legato conueniat, quia quæ specialiter Rom. Pontif. conceduntur, in generali mandato non transferuntur, vt dicto cap. quod translationem. Ideo nec legatus ea potest, vt in §. porro. 3. dist. notatur in cap. significasti de elect. Secundò facit quod regulariter à superiore Collegij fit congregatio, & à maiore ff. de albo scribendo lib. 1. & de maior. & obedientia cap. 1. per Innoc. & latissimas remissiones ponit Felin. in cap. cùm omnes de constit. Papa autē est caput nō solum collegij Cardinalium, sed omnium collegiorum, vt in cle. ne Rom. & quæ ibi dicuntur, de elect. cap. fundamenta, eodem tit. in 6. cum sim

25 igitur. Item Papa à nemine iudicatur nisi à Deo, vt in cap. futuram 12. qu. 1. nemo 9. qu. 3. & ibi gl. & in cap. facta, & in cap. cuncta per mundum eadem causa, & quæst. Facit tex. in cap. aliorum eadem causa, & qu. vbi dicit. aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, sed sedis istius præsulem suo fine quæstione reseruauit arbitrio. Pro hoc etiam facit tex. in cap. si Papa 40. dist. & tex. in cap. scripturis, & in cap. satis euidenter dist. 96. & d. cap. tunc autem 21. dist. ipse enim pater, sicut Ecclesia mater est omnium 2. qu. 6. ad Romanam. Item ipse solus sine Concilio potest deponere Imperatorem, vt in d. cap. ad Apostolicę de re iud. in 6. Bart. & Bal. in leg. fin. C. de lege & in leg. rescripta C. de precibus Imperatori offeren. 96. dist. si duo, &c. Imperator. Facit quod dicitur in cap. venerabilem de elect. gloss. in cap. alius 16. qu. 6. Vndè Host. in cap. quantò de translat. præl. dicit quod Papæ,

26 & Christi, idem est tribunal. Nam Ecclesia militans fundata est ad instar Ecclesiæ triumphantis, vt in cle. ad nostram de hæret. In illa est vna omnium, & supra omnes potestas, ergo & in ista. Facit quod dicitur in cap. nisi cum pridem de renunciat. Item Concilia omnia dependent ab auctoritate Papæ dist. 21. per totum, & de elect. cap. significasti. Item Papa regulariter in terris non recognoscit Superiorem, vt in cap. licèt de elect. in fin. & in §. patet. 3. q. 1. & 9. qu. 3. per totum. Igitur non iudicatur à Concilio, nisi detur submissio tacita, vel expressa 2. q. 7. nos si incompetenter, Igitur ad hoc, vt saltem tacita detur submissio, exigitur conuocatio per Papam 9. qu. 3. nemo, &c. aliorum, cum sim. Item Papa est omnium christianorum, & Ecclesiæ caput, & pater, & omnes Christiani ad ipsum vt ad caput, & patrem debent habere re-

recursum 17. distin. nec licuit. 9. quæst. 3. cuncta per mundum 24. qu. 1. rogamus, ergo ad eum, vt ad caput spectat Concilij congregatio, alioquin sine eo esset acephalum, & sine capite, vt infra. Vnde videtur dicendum, quod cum requiratur vt Concilia communiter constent ex capite, & membris vt habeant suam formalitatem vt in cap. graue de præbend. & ibi notata, quod patet in Concilijs Synodalibus Episcoporum, & Prouincialibus Archiepiscoporum 18. dist. per totum, vbi Concilium reperiretur congregatum sine auctoritate Papæ, non esset formale, quia esset membrum absque capitis auctoritate, & sic monstrum cap. cum non liceat, cum si. de præscr. eo enim ipso, quod à Synodo generali excluditur caput, seu capitis auctoritas, dissoluitur capitis, & membrorum vnitas, & causatur schisma. Nam in omni congregatione necesse est vnum regulare, & regere secundùm Philosophum in Politicis; ipse autem Papa est caput Concilij, & orbis, vt sup. dictum est, & dicitur in cap. regula, cum duobus sequ. 17. dist. sequitur igitur quod sine eo non potest consistere Concilium, & quod ad eum spectat illius
27 conuocatio. Et per hoc patet quod nullo modo posset spectare congregatio ad Cardinales tantùm, quia non videntur vt collegium posse conuocare, nec consequenter alios actus collegiales facere, & sic nec ad Concilium vocare, nam viderentur in schisma incidere, tanquam ab Apostolica Sede diuisi 23. q. 5. suos, &c. non vos 24. q. 1. loquitur 7. qu. 1. Nouatianus tex. 17. dist. cap. multis. Schismatici autem ab omni actu iudiciario sunt suspensi ipso iure, vt in cap. audiuimus §. finaunt, & in cap. didicimus 24. qu. 1. Et sic non habent ius conuocandi Concilium, quia talis conuocandi Concilium, quia talis conuocatio est quondam citatio, vt dicit gl. in §. hinc etiam 17. dist. quæ est actus iudiciarius cap. fin. de ferijs. cap. quam contra de
28 probatio. Præterea omnis citatio ab illis debet emanare, qui habent præeminentiam siue iurisdictionem, supra illum qui vocat. cle. pastoralis, de re iud. l. extra territorium ff. de iurisd. omnium iudi. c. vt animarum de constit. in 6. ff. de iudic. si quis ex aliena l. 2. ff. si quis in ius vocatus non ierit. cap. super literis, & quod ibi dicitur de rescript. cap. præterea de dilat. cum simil. Hoc autem non est in Cardinalibus, qui non habent iurisdictionem supra Conciliũ generale, nec supra Papam. Facit quod dicitur in d. cle. ne Rom. in §. nos inter cætera de elect. & in cap. vbi periculum, §. ijdem quoque eodem tit. in 6. non enim
29 reperitur iure cautum, nec inuenitur in canonib. vnquam Concil. à Cardinalibus congregatum. Imò text. in dicta cle. probat clarè contrarium, quia irrita quicquid per collegium Cardinalium fit de ijs, quæ spectant ad Papam, sed congregare Concilium est de reseruatis Papę, vt in cap. quod translationem de offic. leg. igitur cum hoc sit exorbitans vt inferior præcipiat, superiori, sufficit non inueniri concessum, vt censeatur prohibitum, de transl. præl. cap. inter corporalia 2. q. 4. consuluisti 30. q. 1. quod si dormierit l. illam C. de collat. Cum igitur solus Papa habeat imperium, & iurisdictionem supra omnes fideles vt d. c. cuncta per mundum 9. q. 4. nullus videtur posse congregare Conciliũ
30 nisi Papa. Nec etiam Imperator, qui non potest ius causarum dicere Romæ, nec in Regnis Ierusalem, Siciliæ, vel Franciæ citare hodie, quia ei non obediunt, nam quo
31 ad obedientiam, inspicitur possessio, & non merum ius C. de summa Trinit. lib. 1. ita dicit Bal. in cap. olim de rescrip. qui ex hoc infert quod Imperator non possit congregare Concilium, nec Clerum Romanum, nec Clerum Regni Ierusalem, & Siciliæ, quia ei non obediunt, nec Clerum Regni Franciæ, quia illud Regnum nullo iure subest ei. Vnde vult Bald. in d. capit. olim, quod Concilium formatum, & essentiatum siuè Canonizatum à iure non potest Imperator facere, nec ei præsidere, sed quandam Congregationem facti, quæ potiùs dicitur conuenticulum. Et dicit quod licèt Ioannes dicat, quando Ecclesiæ potestas deficit Imperatorem supplere, vt 23. qu. 5. princi-
32 pes, est intelligendum supplere idest patrocinari. Sed hoc dicit distinguendo tempora, quia considerato tempore moderno Imperator non habet obedientiam. Sed istud non placet quia etiam secundùm antiqua tempora, quando congregabantur Concilia per imperatores fiebat, vel ad requisitionem Papæ, vel de eius voluntate, vel posteà Papa confirmante; Vide quod dixi supra pro Cardinalibus in fine.

33 Quod autem ista Conciliorum generalium congregatio spectet ad Papam, sunt infinita iura, vt dist. 21. per tot. dist. 18. per totum, maximè in cap. Regula, ibi: [Sine eius auctoritate Concilia fieri non debere, nec vllum ratum est, aut erit vmquam Concilium, quod eius non fuerit auctoritate fulcitum.] Qui textus colligitur ex epistola Iulij Papæ, contra Orientales Episcopos pro Athanasio. Vbi plura de hoc, quod non licuerit eis sine auctoritate Papæ congregare Concilium latissimè scribuntur, & inseruntur decreta Nicæni Concilij. Et textus in cap. Multis dist. 17. vbi ait esse conuenticulum, & conciliabulum, & non Concilium, quod fit sine auctoritate Papæ. Et alijs iuribus sequent. dist. 63. Adrianus elect. 1. & 2. & in cap. Quia sancta, & in cap. In Synodo, & in cap. Valentinianus dist. 66. benè quidem 3. quæst. 6. dudum, & cæt. peregrin. 2. qu. 4. mandastis, & q. 6. ideò & dist. 3. §. porrò, cap. significasti, de elect. de consecr. dist. 3. Ecclesia, & gloss. in cap. quod translationem, de offic. delegat. & in cap. 2. de translat. Præl. cum multis similibus, de excess. Præl. sicut vnire. Vnde Papa præsidet generali Concilio, vt in suprascr. cap. 1. de simon. 2. q. 7. cum Pastoris, in suprascr. 26. qu. 2. si quis dogmata dist. 23. in nomine Domini. Et sine Papa Concilium dicitur corpus acephalum, cap. submittitur dist. 21. gloss. in cap. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. Nec
34 Concilium cum Papa dicitur Iudex, sed Consultor, etiam in arduis, dist. 9. quæst. 3. cun-

cũncta per Mundum. Innoc. in cap. graue, de præbend. Item congregare Concilium est propriè iurisdictionis, vt supra dictum est, & ponit Ægid. Concilio 99. incipit verùm, quia in 4. parte quæst. 19. Ista autem præeminentia clauis iurisdictionis data fuit Petro, & in Petri successoribus, vt in cap. solitæ, de maior. & obedient. notatur in cap. translato, de constitut. & in cap. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. & in Clement. Pastoralis circa fin. eodem tit. Et sunt infinita iura, vt in cap. ità Dominus dist. 19. & in cap. Sacrosancta dist. 22. & in cap. Fundamenta, in princ. de elect. in 6. Facit, quod dico in illo articulo, quam iurisdictionem habeat Concilium, & in illo, vtrùm Papa sit maior Concilio, vt in cap. significasti, de elect. Igitur &c. Quod vide-
35 tur verum etiamsi Concilium esset congregandum contra Papam, vt quia accusaretur de hæresi, quia sicut in facto proprio Imperator dat Iudicem etiam contra se, vt ff. de ijs, quæ in testament. delentur, leg. proximè, & eligit Procuratorem Cæsaris, leg. Nec quicquam, ff. de offic. procon. sic & Papa potest dare contra se Iudicem, de quo latè per Innoc. in cap. ex parte, de verb. significat. Et sic se submittere, vt in cap. Nos si incompetenter dist. 2. quæst. 7. & in capit. mandastis, & in capit. auditum dist. 2. quæst. 4. De qua submissione infrà latiùs dicam. Sic in criminali Episcopus, Diaconus, & Presbyter eligit Iudices, dist. 11. qu. 1. Iudices dist. 15. q. 7. Si autem dist. 3. qu. 6. peregrina. Immò Papa potest esse Iudex in causa propria, cap. cùm venissent, de iudic. & Innocent. & alij in dicto cap. ex parte, de verb. signific. & dicitur in capit. 1. de probat. & in cap. nunc autem dist. 21. ipse enim tamquam superior non videtur, quod debeat ab alijs inferioribus iudicari dist. 21. inferior. Et ideò dicitur, quod nemo primam sedem audeat iudicare. Vnde nec ab Augusto, nec à Regibus, nec à populo Iudex omnium iudicabitur, aliorum enim hominum causas Deus voluit per homines terminari, sed Sedis Apostolicæ Præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio, vt dicitur in dicto cap. nemo, & cap. aliorum dist. 3. q. 3. cum tribus seqq. & supra dictum est. Et sicut dicit ibi gloss. Concilium non iudicabit Papam, & gloss. in cap. mandastis dist. 2. quæst. 3. cùm ipse sit maior ipso Concilio, vt in cap. significasti, de elect. Quinimò etiam
36 si totus Mundus sentiret contra Papam in aliquo negotio, videtur, quod sententiæ Papæ sit standum, vt notatur dist. 24. qu. 1. cap. hæc est fides. Et licèt gloss. in dicto cap. nemo, arguat contra, quia Orbis maior est Vrbe, tamen ibi ad argumentum respondet Ioannes, quòd licèt
37 Orbis maior sit ambitu, non tamen auctoritate. Allegat, quod concludit gloss. in cap. legimus dist. 63. quæ incipit Et ideò, remittens ad ea, quæ notantur dist. 8. qu. 1. in istis, & dist. 24. qu. 9. quodcumque, & dicam latiùs infrà. Posset, & magis accu-
38 ratè responderi, quod argumentum procederet si Papa solùm Vrbi, & non Orbi præesset, sicut præest, vt in cap. cuncta per mundum, & in cap. per principalem dist. 9. qu. 2. Et etiamsi contra Papam necessaria est Congregatio, & ad corrigendos eius excessus non videtur posse congregari sine eius licentia. Et quod ad ipsum spectet, probat text. in dicto §. hinc etiam dist. 17. & in cap. nunc autem dist. 21. iunctis cap. mandastis, & cap. auditum dist. 24. quæst. 4. Immò etiamsi esset schisma, & duo contendentes de Papatu dist. 79. si duo, adhùc videtur idem, & probat ille textus in dicto §. hinc etiam, vbi dicitur ad Symmachum Papam spectare Concilij congregationem, licèt tunc appareret, quod esset schisma, quia quidam Clerici ab eo recesserant, & fecerant schisma, & adhæserant Laurentio, qui cum Symmacho de Papatu contendebat, vt legitur in chronicis, & in gestis Symmachi Papæ cap. 8. Et si dicatur, quod Symmachus iam fuerat à Concilio approbatus, & reprobatus Laurentius, vt habetur in gestis Symmachi cap. 7. & 9. Respondetur, quod post decisionem factum fuit nouum schisma, quia aliqui propter crimina, quæ Symmacho impingebant ab eo recesserunt, & hoc fecerunt antequam lata esset sententia super dictis criminibus, vt in dicto §. hinc etiam in fin. de quo etiam infrà pleniùs dicetur. Vnde
39 in proposito, quod ad Papam spectet congregatio, inquit Isidorus in quodam cap. Canonum, Synodorum verò congregandorum auctoritas Apostolicæ Sedi commissa est, nec vllam Synodum generalem ratam esse credimus, siue legimus, quæ eius non fuerit auctoritate congregata, vel fulcita, hoc auctoritas testatur canonica, hoc historia Ecclesiastica comprobat hoc sancti Patres, confirmant. Ad idem facit, quod eius videtur esse Concilij congregatio, cuius est superioritas, sed huiusmodi est solius Papæ, cui omnes de Ecclesia, & qui in Concilio esse debent subsunt, & obedire tenentur, vt in cap. obedientiam dist. 93. & dist. 24. qu. 1. rogamus; ergo ad eum, qui est superior spectat congregatio. Facit quia similiter & in Synodis Episcoporum, & in prouincialibus spectat ad primum, siue superiorem omnium congregandorum, vt patet plura iura distinct. 17. Ad idem text. in cap. dudum dist. 3. qu. 6. vbi dicitur non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrare. Ad idem facit, quod habetur 1. Machab. 4. vbi inter alia, quæ Simeoni sacerdoti magno totius populi, & omnium sacerdotum consensu attributa sunt, hoc est tamquam singulare Summi Pontificis priuilegium, vt Conuentus non conuocaretur in regione sine ipso. Cùm igitur sacerdotium veteris legis, figura sit Noui Testamenti secundùm Apostolum, ad Papam summum Sacerdotem Noui Testamenti spectat congregatio, secundùm Cardinalem de Turræ-cremata in lib. 3. de potestate Papæ cap. 6. in princ. & versic. 5. vbi allegat similiter 1. Machab. cap. 30. sed corruptè, quia non est cap. 30. Item nec in lib. 1. cap. 4. aliquid dicitur, sed tantùm gloss. 2. Machab. cap. 3. orditur telam Pontificum, vbi ponitur de Simeone summo Sacerdote filio Oniæ, fue-

runtque

runtque plures huius nominis. Et quòd dicit Cardin. Vide quia est 1. Machab. 14. Et vide Alexan. in cap. generalia dist. 17. & eumdem dist. 17. cap. Synodum col. 1. qui allegat, quod Papa habet vniuersalem iurisdictionem dist. 2. qu. 6. cap. qui se scit, gloss. in Clementina ad nostram, de hæret.

40 Item, quòd ad Papam spectet congregare Concilium, patet ex canonibus sacrorum Conciliorum, & in pluribus locis Conciliorum. Vnde Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis in libro de Synodis cap. 18. & refert idem Cardin. inquit, [non mireris, quòd ipsorum Conciliorum auctoritatem Romano Pontifici adscribamus, nam nulla Concilia rata leguntur, quæ Apostolica auctoritate fulcita non fuerint,] vt Damasus Papa in decretis suis cap. 9. asserit, cui Athanasius, & Iulius Papa, Nicænum quoque Concilium, & reliqui Patres adstipulantur. Vide text. in cap. regula distin. 17.

41 Nec obstat §. hinc etiam, vbi fuit auctoritate Regis congregatum Concilium generale, quia respondetur verum esse, quòd non potest congregari Concilium ab alio, quàm à Papa, nisi eo mortuo naturaliter, vel ciuiliter, scilicet in casu hæresis, Papa enim si est hæreticus, desinit esse Papa. Quo casu videtur, quod potest congregari Concilium per Reges, & Principes, & alios Christianos, vt dicto §. hinc etiam. Nam licèt nullus possit Papam arguere, fallit nisi sit hæreticus dist. 40. si Papa. Quo casu videtur, quod Iudex competens sit Concilium generale, vt distinct. 2. quæst. 8. §. item Papa ad eum spectet, clare probant omnia illa iura supra pro Papa allegata, ponit Alexan. & Archidiac. in cap. 1. 17. dist. in cap. mandastis. 2. quæst. 4. & Card. de Turrecr. in dicto cap. 8. & 17. dist. per totum, vbi omnes in hoc concordant. In-

47 tantum, vt aliqui voluerint quod licèt iura loquentia pro Imperatore supra adducta, innuant quòd spectet, ad Imperatorẽ nihilominùs non probant quòd eius authoritate, sed quòd vel mandato Papæ, vel quòd Imperator fuerit præsens, non authoritatiuè, vel si instinctu, & requisitione Imperatoris, quòd hoc fuerit quia Prælati comparuerunt, & interfuerunt quia voluerunt, vel quia Papa ratum habuit. Alioquin non potuisset Imperator cogere Prælatos, vt in cap. vbinam legistis, 96. dis. vel quòd si Imperator congregauit Prælatos, determinata in Concilio posteà ad Papam confirmanda remiserit, vel firmanda, vt patet in exemplo, in l. nos reddentes. C. de sum. tri. Vel quod Imperator ad requisitionem, vel iussum, vel de licentia Papæ, & nomine Papæ congregari fecerit. Vel quòd si aliquando aliter factum est, eius gesta non valuerunt, nisi quantùm Papa approbauit. Vndè ex hoc non potest argui quòd quando est indubitatus Papa, Imperator potuerit contra voluntatem Papæ congregare validè ipso irrequisito. Spectat ergo ad Papam per iura supradicta pro ratione, huius partis Papæ, allegata. Quæ sine

48 dubio procedunt etiam si agatur contra Papam de hæresi, vt in §. hinc etiam 17. dist. & in cap. mandastis, & in cap. auditum. 2. quæst. 4. Et licèt Bald. velit quòd quando est congregandum Concil. contra Papam, quia tractatur de eius exauthoratione, tunc non requiritur eius authoritas, vt dicit ipse in cap. olim. in 4. col. de rescr. & idem Card. Alex. in cap. synodum 17. dist. in 2. col. & hoc quia ipse verisimiliter numquàm congregaret, & idem Ægid. in clem. dudum in 4. no. de sepul. & videtur voluisse Cataldinus in allegationibus pro Eugenio in casu hæresis tantùm pro quo facit quòd quando in aliquo casu requiritur consensus alicuius, si est contra eum agendum, tunc non requiritur eius consensus; vt ponitur de Prælato in cap. edoceri, de rescrip. gloss. 2. quæst. 7. cùm Pastoris l. cum non solùm in gloss. mag. C. de bo. quæ libe. tamen contrarium credo verum, ex quo semel reperitur receptus, & est indubitatus Papa, nisi requisitus malitiosè differret, detrectaret, vel negaret velle congregare, vt infrà dicetur, vel nisi in casu, quo esset factus post, notorius hæreticus, & requisitus, vt congregare nollet, per iura prædicta. Et licèt quando

49 est data potestas Concilio iudicandi de Papa, etiam videatur consequenter data potestas congregandi Concilium sine eo, vt refert, & sequitur Fel. in cap. super literis, de rescr. in 21. col. illud intelligo. verùm quando Papa requisitus nollet, vel differret, seù detrectaret congregare, & sic faceret se alienum. Et hoc per dictum §. hinc etiam, vbi est text. ad hoc 17. dist. & dicto cap. mandastis, & cap. nos si incompetenter, in §. item Symmachus. 2. quæst. 7. Et hoc voluit Ant. de But. in suo tract. de schismat. in 4. charta. & probat ille Text.

50 in §. hinc etiam, hoc modo, quia ibi etiam Symmacho opponebatur hæresis, vt dicit ibi gloss. in verbo immunis, & vult Alex. in dicto cap. si Papa, in fine ante pen. col. & tamen eius authoritate congregatum fuit Concilium, vt patet in text. ibi in synodo congregata authoritate eiusdem Symmachi. Et si dicatur quòd immò ibi tex. probat concilium congregatum authoritate Theodorici regis, vt patet in princ. illius tex. Respondetur quòd potestas Theodorici fuit in faciendo congregari concilium ad iuuandum Papam, quia potestas secularis est constituta pro auxilio spiritualis potestatis, vt cap. cùm ad verum, 96. dist. appellantur enim principes temporales defensores Ecclesiæ, vt in cle. 1, & de iureiur. & in cap. venerabilem de elec. & text. notab. in cap. principes sæculi, & cap. sequenti, 23. quæst. 5. Vndè etiam gloss. ibi in verbo præcepisset, dicit quòd Prælati vocati ad requisitionem regis comparuerunt, non quòd venire tenerentur, sed vt eum ab errore reuocarent. Et de vtroque videlicet de notorio, & de non notorio hæretico, ponit Alex. in cap. nunc autem 21. dist. Et licèt in notorio hæretico videantur Doct. velle quòd absque alia requisitione ipsius congregari possit, tamen cautius est, vt eo requisito congregetur, vt infrà dicetur. Si tamen concilium congregaretur à seipso, tunc posset peti, vt Papa interponeret authoritatem, maximè

maximè quando non constaret quòd esset hæreticus notoriè, vel quando illud quod teneret, & saperet hæresim, non pertinaci-
51 ter assereret. Et ita, vno modo intelligitur text. in cap. nunc autem 21. dist. Et si malitiosè denegaret, tunc ipsi Prælati iam congregati possent procedere. Vide Card. de Turrecrem. in tract. de Concil. cap. 8.& idem etiam dicit Anton. de Butrio. vbi
52 supra. Et si benè consideretur, Bald. in dicto cap. olim, loquitur in casu schismatis, licèt Felinus in cap. super literis, cum simpliciter referat, quod patet ex verbis eius in principio, dum dicit in hac Congregatione, &c. Et illud fuit schisma, in quo Rex Francorum subtraxerat obedientiam, & erant plures Pontifices in Ecclesia Dei. Propterea ipse dicit quod in illo schismate erat primò vtendum verbis, vt in capitulo nouit de iudicijs, secundò herbis, tertiò lapidibus, & vbi non sufficit ingenium, ibi valeat armorum præsidium, & tutela. Et supra dixit, quòd contra malos non est vtendum malua, vel emplastris, sed gladio, ff. de officio præsidis, l. congruit. Et plura ibi dicit de Bonifacio, & Benedicto inter quos erat schisma. Et immedia-
53 tè post dictum suum, quod videlicèt quando agerentur de exauctoratione Papæ non requiritur eius authoritas, subiungit mirabile dictum Hugonis in dicto cap. si duo. 79. dist. videlicèt quòd propter scandalum vitandum vterque posset per Concilium repelli 40. dist. si Papa, & tertius eligi, qui non sit eiusdem scandali prosecutor. Et ideò Bald. loquitur quando non constabat quis esset verus Papa, & sic erat dubium cuius authoritate erat conuocandum Concilium, & ideò non erat requirenda authoritas alicuius ex illis, sed secus videtur in casu, quando est certus Papa qui dicitur hæreticus, & nondum damnatus est. Et patet quod Bald. loquitur in casu, quo dubium est, quis sit verus Papa, cùm ipse dicit, quod schismaticus obstinatus, hæreticus est, & quod qui non habet partem cum Deo, non habet partem cum Ecclesia, propter schisma, quod tunc vigebat. Quod etiam tenet Card. Floren. in d. cap. licèt, in 35. quæst. qui vult, quòd in Papa hæretico debeat requiri, & sollicitari priùs, vt ipse congreget Concilium, & si detrectat, tunc succedunt Cardinales, vel Imperator secundùm ordinem infrà dicendum. Et hanc practicam in hæretico, quòd primò sit requirendus Papa, vt velit congregare Concilium, ponit Card. de Turre Crem. in d. 3. lib. cap. 8.
54 col. 3. est enim speciale in Papa, vt authoretur in facto proprio, vt dicitur in cap. cùm venissent, de iudi. & patet in cap. nunc autem, 21. dist. vbi Marcellinus seipsum iudicauit. Nec obstat quod ibi non dicitur congregatum Concilium authoritate ipsiusmet Marcellini, sed potiùs congregati à seipsis Episcopi, nam hoc fuit quia ibi ipse fuerat notorius idolatra, & sic concordo doctores. Vel est ibi supponendum quod eius authoritate, vel quod si Concilium seipsum congregauit, Marcellinus congregationem ratam habuit quod patet ex verbis illius tex. in quo in seipsum Marcellinus dicit sententiam. Et hoc legitur in gestis Pontificum secundùm Ægidium ibi.
55 Sic est quod iura dicunt quod iudicare Papam, eius relinquitur arbitrio, vt dict. c. nunc autem in fine, vbi relinquitur ipsius Sixti arbitrio iudicium proprium, & in §. ad hæc. 17. dist. Sic est etiam, quod dicitur quod Papa solius Dei arbitrio iudicatur, vt in cap. aliorum 9. quæst. 3. & in cap. facta, cum duobus sequen. Sic & quod ipse in terris Dei vicem tenet, vt in d. cap. fundamenta, de elect. in 6. & in cap. vt nostrum, vt Ecclesiastica beneficia, cum simil. Non enim habet superiorem, ad quem possit haberi recursus, vt in cap. licèt in fine de elect. ipse enim est, qui Petri fidem, & sedem tenet, vt dicit Tex. in cap. hæc est fides, 24. quæst. 1. Item ipse potest dicere quis me iudicat, & excipere, dominus est, qui me iudicat, vt dicit gloss. 79. d. si quis pecunia. Vndè dicit Hostien. in c. quanto de trans l. Prælat. quod Papa, & Christus faciunt idem consistorium, ita quod excepto peccato potest Papa ferè omnia facere, quæ potest Deus, & nisi circa fidem à nemine potest iudicari idem Abb. in d. cap. licèt de elect. Vide Ioan. in cap. ad honorem de autho. & vsu pal. & in cap. olim de resti. spo. Et sicut Deo dici non potest cur ita fa-
56 cis, vt Iob. 11. cap. ita nec, his quæ sunt iuris positiui Papæ potest dici cur hoc facis, 83. dicit. nemo, gloss. in cap. quanto de translat. Præla. ideò authoratur in facto proprio, & ideò seipsum iudicat, sicut supra diximus. Hoc etiam contingit in Imperatore, quod dat iudicem procuratorem suum in causa, propria, vt in cap. ex parte de ver. signifi. & C. si aduer. fis. l. 1. & 2. & in l. nec quicquam ff. de offic. proconsul. Vndè ex quo Papa vult vti sua potestate in congregando Concilium, quantumcunque sit contra eum congregandum, ad eum spectat, vt dicto cap. mandastis, & dict. §. hinc etiam, cum alijs scilicet alleg. Non obstat etiã, quod authorentur in facto proprio, quia vltra iam proximè dicta respondetur etiam, quòd authoritas eius finitur perfecta congregatione in qua nihil agitur de facto eius, post congregationem autem Concilij, confunditur authoritas in Concilio, & remanet forma Concilij. Patet in simili, iudex, enim recusatus non potest iustè cognoscere, & tamen si delegat alteri an recusationem, ille poterit cognoscere au-
57 thoritate recusati. Et per hoc respondetur ad illud, quod actio, & passio in eodem sunt incompossibiles, quia non est verum quod iudicans, & iudicandus reperiantur concurrere, cùm authoritas Papæ congregantis finiatur facta congregatione, & Concilium posteà est cognoscens, de facto ipsius, ex quo congregatur contra ipsum, vt dictum est. Facit quod dicitur in cap. iudex, de off. delect. in 6. & in cap. cum speciali de appel. Et ista fuit ratio Domini Ant. de
58 Butrio in tract. schismatis. Ægidius tamen in Clem. dudum in princ. in vers. quarto nota. de sepul. dicit quod aut habemus vnum indubitatum Papam, & est talis causa de qua ipse iudicare possit, & tunc Concilium generale non potest congregari sine

co,

eo; vt dist.17. per totum; nec congregatum potest aliquid statuere, vel iudicare, sed solùm Romanum Pontificem consulere, & apud eum instare, vt facta per ipsum ratificet, & confirmet, vt in d. Clem. du-
59 dum, aut non est certus, & indubitatus Papa, sed potiùs est dubium, & tunc istum casum Concilium habent iudicare, vt in cap. si duo.79. dist. Vel notorius hæreticus non possessor, nec receptus, vt in cap. si Papa dist.40. Et tunc Concilium poterit sine eo congregari, & cognoscere, & iudicare, quia non est verisimile, quòd Christus ascẽdens in cœlum, casum istum reliquerit indecisum, vt in simili dicit Inn. in cap. ad Apostolicæ, de re iud. in fine in 6. & gloss. in cap. 1. de schisma. in 6. & idem dicit in Papa, quòd dicitur non canonicè electus, vel qui renunciauit, & similibus, in quibus dicitur, quod desijt esse Papa, & in omnibus alijs similibus casibus, alias vt dicit, possent sequi hæreses, & schisma, quibus debet obuiari per vniuersalem Ecclesiam. Et his casibus dicit non esse necessarium, quod Concilium congregetur per ipsum Papam, cùm his casibus Concilium sit supra eum, vt ipse dicit, & sufficit quod alio modo congregetur, etiamsi vnus solus fidelis Catholicus illud Deo iuuante procuraret congregari, argumento cap. si quis presbyterorum de rebus Eccles. non alienis quia licèt coacta congregatio sit actus iurisdictionalis, tamen de voluntaria secus.
60 Vnde dicit non legi, quod ad mandatum Papæ illa quatuor generalia Concilia fuerint, congregata, quæ sunt priora, & tenenda, sicut quatuor Euangelia, vt pluries dictum est, licèt Nuncij Papæ interfuerint in aliquibus eorumdem. Nec obstat 17. dist. per totum, quia quod ibi dicitur, quod generalia Concilia non celebrantur sine auctoritate Papæ, & eius mandato, fallit in casibus præmissis. Et est ratio fallentiæ, vt ipse dicit, necessitas ineuitabilis, cui aliter non potest prouideri, de regul. iuris, quod non est licitum, cum sim. & quia iudicium fertur in inuitum l. inter stipulantem §. 1. de verb. obl. Et eodem modo
61 respondet ad cap. licèt in fin. de electione, quia fallit in Concilio generali in casibus præmissis. Et istam opinionem etiam in vno Papa, de quo dubitatur an sit verus Papa, vt quia tempore electionis erat hæreticus, tenet Ocham in secunda parte sexti libri, in cap. 83. vbi videtur plus velle, quod non solùm in pseudoPapa hæretico, sed etiam in vero Papa hæretico, congregatio Concilij fieri posset sine eius auctoritate. Vnde quantumcumque, quis fuerit in vera possessione Papatus, & verus Papa, si tamen postea inciderit in hæresim, poterit Concilium generale congregari sine eius auctoritate per quoscumque catholi-
62 cos. Dicit tamen quod primò spectabit ad Prælatos in lege diuina peritos, secundò ad Reges, & Principes, & alias publicas potestates, tertiò ad omnes Catholicos viros & etiam ad mulieres. Sed quoad hoc in vero, & indubitato Papa, cui aliquid obijcitur, placet magis, quod supra dixi, quod etiam ad Papam spectet congregatio, & seruetur practica Cardinalis, quod primò requiratur, vt congreget Concilium, nisi electio esset facta de notorio hæretico, cui in actu receptionis hoc obijcerent, vel nisi non esset electus à duabus partibus, vel esset notorius intrusus, de quibus infra dicetur.
63 Et aduertendum est, quod iura in hac materia diuersimo, deloquuntur. Quia aliquando dicunt, quod non potest congregari Synodus absque auctoritate sedis Apostolicæ, vt in cap. multis, & in cap. 1. dist. 17. Et aliquando quod non valet congregatio. quia Legatus Apostolicæ Sedis non interfuit, vt in dist. §. porro. Et in cap. regula dist. 17. & in cap. ideo 2. qu. 6. dicuntur, quod soli Papæ reseruata sunt priuilegia de congregandis Concilijs. Et in cap. regula, in fine dicitur, nec vllum ratum est, aut erit vnquam Concilium, quòd eius non fuerit authoritate fulcitum. Et in cap. mandastis 2. quæst.4. dicitur nostra authoritate congregari iussit. Vndè ex ista varietate loquendi aliqui sumpserunt occasionem dicendi non esse necessariam conuocationem Concilij fieri per Papam, vel eius legatum, vel quòd antè conuocationem interueniat eius authoritas, vt voluit D. Antonius de Butr. in dicto suo tract. schismatis, in 5. char. & Moderni quidam per tex. in cap. nunc autem 21. dist. ibi, cuius rei gratia colligens ex illo textu Concilium fuisse congregatum sine authorit. Papæ; & idem per §. hic etiam, vbi fuit congregatum ad vocationem Theodorici, sed quod sufficit, vt posteà confirmetur vocatio, & congregatio per Papam, vel quod postea Papa authorizet Concilium, vt subsistant gerenda in Concil. Vndè datur du-
64 plex practica in cõgregando Concilio Prima erit quod Papa indubitatus Concilium conuocet, & tunc conuocando censebitur præstare authoritatem, & tunc erit vocatio authorizabilis vera, & formalis. Alia erit practica, quòd requiratur priùs Papa, vt congreget, & si differt congregare per seipsum, poterit Concil. congregari, vel à seipso, vel à quocumque habente potestatem de facto, vt est Imperator, vbi si obedietur de facto, Papa congregato sic Concilio assentiat, & authoritatem interponat, & si non prætendat aliud interesse iuridicum, diei, vel loci, vel aliarum circumstantiarum, tenetur illud approbare, sicut fecit Symmachus Papa in d. §. hinc etiam, & ibi latè Doct. & legitur inter gesta Symmachi, cap. 9. Aliàs si sine causa renueret approbare, vel consentire appareret de eius fuga & quod id fieret, vel causa protrahendi, vel impediendi, ne Concilium fieret, & talis audiendus non est, qui hoc agit, vt noceat l. infando. ff. de rei vend. Et si dicat interest mea, quia volebam determinare diem, & locum, non est iusta querela, ex quo non allegatur aliquod interesse diei, vel loci. ff. de eo quod certo loco, per totum, & si quod diei, vel loci interesse allegaretur, Concilij est cognitio, quod est iudex principalis, ff. de ædi. æd. l. ædiles, la prima, §. item sciendum, l. si quis ex aliena. ff. de iudicijs, C. de fructibus, & litium expensis, l. terminato. capitulo super literis, & capi-

tulo finali, & Clement. 1. de rescrip. Et benè dicit Inno. Ioan. Andr. & alij in simili in cap. 1. §. notoria, de censi. in 6. & ita dicit d. Ant. in dicto tract. vbi supra. De quo vltimo quod cognitio principaliter sit Concilij, dubito, nisi in casu schismatis inueterati, in quo loquitur Anton. De quo infra in quæstione, quid quando inter duos est contentio loci, vel temporis, vtrùm possit forte dirimi; & vide in quæstione, quam infra pono, vtrùm Concilium possit pronunciare se iudicem, & constituere œcumenicum Concilium. Et

65 nota istam, cautelam ad congregandum Concilium sine superioris auctoritate. Quam cautelam admitto, quando ratione alicuius scandali adest necessitas, & Papa requisitus differt, aliàs esset periculosum, si Papa postmodum nollet interponere auctoritatem, si nulla erat necessitas, & ante congregationem non fuerat requisitus. Et hoc benè probat §. hinc etiam vbi tex. dicit, quod Episcopi suggesserunt ipsum Symmachum, qui dicebatur impeditus, debere synodum conuocare, quia Conciliorum congregandorum auctoritas antistiti Sedis Apostolicæ, non minorum subiacebat iudicio. Et quod dicitur, quod à se-

66 ipso poterit congregari Concilium, procedit per prædicta secundùm dictum Antonij maximè quando in exquirenda Papæ voluntate à principio ante congregationem præcessissent indicia, & præsumptiones de dilatando negotio, aut impediendo ne congregaretur, aut quando appareret verisimilis eius impotentia congregandi, vel aliud, quod dilatationem indicat, negotio celeritatem desiderante, & aliàs diù dilatatio. Ita præcisè dicit dictus Antonius in dicto tractatu schismatis, vbi refert verba Symmachi in dicto cap. 9. & infra latiùs dico. Tunc enim loquendo in casu Domini Antonij in inueterato schismate tenebit congregatio per inferiores facta etiam Papa aliter priùs non requisito. Et poterit omni honestiori modo cogi ad interponendum auctoritatem, quam si interponere noluerit, tenebit congregatio pro sedando schismate, per prædicta, maximè quando est contentio inter duos, & ignoratur, quis sit verus Papa, & diu steterunt in schismate, differentes congregare Concilium, vt in terminis suis, de hoc infra dicam. Item in his, & similibus casibus restringerem dicta ista domini Antonij, sicut supra dictum est, quando est casus necessitatis congregandi Concilium, vt puta, quia agitur contra Papam, de cuius iure dubitatum in actu electionis, vel quia non est à duabus partibus electus, vel quia hæreticus electus est, cui in actu electionis obijciebatur hęresis. Et sic quando ageretur causa Papatus, & non fuisset receptus, licèt fortè esset de facto intrusus, tunc potest congregari per alium, vt dicit Hugo in cap. si duo dist. 79. & Bald. in cap. olim de rescrip. & dicit Ockam in dist. cap. 81. Facit tex. in cap. si quis pecunia dist. 79., & dicit Ægidius in dicta clement. dudum de sepul. Vel à seipso Concilium, vt dictum est, congregarent. Et intelligo semper, quod vrbaniùs, & cautiùs esset facta, priùs requisitione. Sed quando hæresis non est notoria, & esset receptus, & possessor, ipse congregat, & non alius, quando ipse vult, & eius auctoritate debet congregari, ne spolietur Papatu. Et idem, dicerem quando Concilium non esset directè congregan-

68 dum contra Papam, sed ex nolitione, & denegatione, vel detrectatione congregandi, Papa faceret se suspectum, & vrgeret maxima necessitas tenendi Concilij, videlicet, quod facta priùs requisitione Concilium posset per alios, ad quos deuoluitur potestas, vel à seipso congregari. Et idem,

69 dicendum, quando duo contenderent de Papatu scilicet, quod spectabit ad aliam tertiam personam si ipsi detrectant, vel à seipso congregabitur Concilium, vel per Imperatorem, vel Regem, vel Catholicum quemcumque, de quo latè vide infra in quęstione, sed pone quod inter duos contendentes, Et facienda congregatio tunc non spectabit ad Cardinales, qui sunt diuisi in obedientia, quia Cardinales sunt suspecti dicit Alc. in cap. synodum dist. 17. in 2. col. Alioquin cessantibus præmissis, non nisi pro causis arduis, & statutum vniuersalis Ecclesiæ tangentibus quæ habent terminari per Sedem Apostolicam, & auctoritate Romani Pontificis debet Concilium congregari cap. de ijs dist. 12. & cap. multis dist. 17. Ita dicit Alc. in dist. cap. synodum in 1. col. dist. 17. Alioquin in vno indubitato Papa, vbi nulla subesset necessitas, congregatio facta per inferiores Papa, sine eius auctoritate, esset nulla, nec posset cogi ad præstandum auctoritatem Concilio congregato, si nollet, vt in cap. regula cum alijs similibus dist. 17. Nec tex. in cap. nunc autem, per Moderņũ quemdam adductus, probat contrarium, quia non dicitur ibi, quod fuerit Concilium congregatum sine auctoritate Papæ, & ideo sine alia re-

70 quisitione esse posset periculosa. Dicerem tamen quod in omni casu, quo esset congregatum Concilium sine auctoritate Papæ quantumcumque sit nullum, si post Papa ratificat, & interponit auctoritatem, gesta illius Concilij propter Papæ ratificationem valebunt, sicut fuit in gestis Concilij Chalcedonensis, quę fuerunt confirmata per Leonem, quia omnia nostra facimus quibus nostram auctoritatem impartimur vt in leg. 1. C. de veter. iur. enuc. & cap. si Apostolicæ de præbend. in 6.

Et quod dixi, quod quia Cardinales sunt suspecti eo casu, alius congregabit Concilium, intelligo, nisi tunc omnes conuenirent in congregando, quia tunc possent ipsi congregare saltem per modum requisitionis, vt fuit factum in Concilio Pisano tempore Gregorij XII. & Benedicti XIII. In quo si Cardinales vtriusque obedientiæ fuissent cócordes, rectè antipapas schismaticos deposuissent, & alium creassent, vt clarè determinat Antonius de Butr. in suo tractatu schismatis in secunda quæstione. Sed si alius congregaret Concilium non requisitis Cardinalibus, qui sunt diuisi in obedientia, quia vna pars obedit vni, alia alteri, tunc bene subsisteret congregatio si-

ne

ne eis, quia sunt suspecti, alioquin si conuenirent, benè possent ipsi congregare, de
71 quibus vide, quæ latiùs infra dico. Et intelligo, causam Papatus, siue dicatur quod fuerit propria temeritate intrusus, siue dicatur Iudæus, Hæreticus, Schismaticus, inhabilis inhabilitate insurgente à natura, quia fœmina, vel quia tempore electionis erat amens, & furiosus apertè, vt dicit glos. in Clem. ne Romani, & Card. de Turre Cremata, in tract. de Concil. in 8.
72 cap. & Alexand. in cap. Synodum 17. dist. & Feli. in cap. super literis. Istis & similibus casibus, qui considerantur Doctoribus in cap. licèt de elect. in materia nullitatis electionis, & nullitatis tituli Papatus, poterit congregari Concilium sine Papæ auctoritate. Et hoc quando non est in possessione Papatus, sed si est in possessione, & non est sine sensu, vt quia non èst notorius furiosus, vel amens, & non est notorius hæreticus, sed aliàs electus, & non de facto intrusus, sed receptus, & admissus, quantumcumque aliàs criminosus, & hæreticus, debebit priùs requiri, vt ipse congreget, & si detrectabit poterit per alios congregari.
73 Et isto modo debet intelligi, quod dicit Bal. in cap. olim. de rescript. Et licèt idem Bal. in cap. quia propter. de elect. videatur velle quod in materia schismatis ista potestas congregandi spectet ad Card. intelligo etiam, vt scilicet dictum est, quando esset schisma, & Cardin. omnes essent concordes, vel vtriusque partis maior pars inuicem
74 concordarent. Intelligo etiam, nisi esset inter duos contentio de Papatu exorta in ipsa electione, & ipsimet Cardin. Electores ab vtraq; parte vellent congregare Concil. pro submouenda contentione, quia tunc ex quo ambo electi contendunt de Papatu, poterunt tunc Cardinales congregare, & ad eos fiet deuolutio, quasi Sede vacante, vt infra dico. Et tantò magis quando cessat suspitio, quia nondum sunt diuisi in obedientia. Et sufficiet isto casu, quod maior pars concordet secundùm. d. Ant. in distin. 2. qu. Licèt Barbat. in cap. quod translationem in 23. col. velit contrarium, videlicet quod tunc non fiat deuolutio ad Cardinales, quia ipsi fuerunt causa contentionis, & Alex. in dist. Synodum 17. dist Vbi
75 autem esset Sedes vacans, & necessitas subesset, cui aliter quàm per Concilium prouideri non posset, per Cardinales posset etiam Concilium congregari, vt dicit Domi. in cap. propter, in fi. 18. dist. Et Per. de Monte in tract. de potestate Papæ, in 10. colum. tenet quod Cardinales Sede vacante congregare possunt Concil. ad citiùs regulandum electionē Papæ, de quo etiam infra in 2. casu, vers. sed pone, & idem dicit Card. in d. cap. licèt, de elect. in ter-
76 tia qu. in fin. Et ex his colligo vnum, quod si Sede vacante Cardinales existentes in Conclaui non possent esse concordes in electione, possent conuocare Concilium. Et ad hoc facit illud quod dicit Hos. & alij, in cap. licèt de elect. in illa qu. quod quando nullus Cardinalis superesset, quia omnes essent mortui, quod tunc electio spectaret ad Concilium, vel ad Clerum Rom. de quo infra dico. Et si tunc Cardinales non essent omnes concordes in conuocando Concilio iuxta. §. ijdem quoq; cap. vbi periculum, fortè maior pars poterit, & si nec maior pars, fortè etiam minor pars posset constituere aliam maiorem partem contumacem, vt in simili dico infra in secundo casu secundi principalis membri, & dicit Felin. in cap. super literis de rescript.
77 Hoc tamen fieri non posset quamdiù Cardinales, vel eorum maior pars est in Conclaui, & sunt parati ad eligendum, vt cle. 2. §. porrò de elect. & ibi glor. quia volentes eligere non possent priuari suo iure. Et quia cum progressu temporis possent concordare, & possent assumere alium modum,
78 vt per viam compromissi. Item possent cogi ad concordandum per inuocationem brachij secularis, vt 17. distin. capit. nec licuit, & 23. quæstio 5. de liguribus, ponit Hostien. in d. capit. licèt in penul colum. Facit quod dicitur in §. prætereà in cap. vbi periculum de elect. in 6. Et intellige quod non semper pro quolibet crimine congregabitur Concilium contra verum Papam, sed in casibus, quibus infra dicetur debere congregari Concilium. Quid enim si contra Papam obijciatur adulterium quod non est notorium, & requiratur Papa, vt congreget Concilium, vel præstet auctoritatem congregandi, & Papa differat, eritne benè ex se, vel per potentiam alicuius laici conuenticulum, vel conciliabulum, dicit text. in cap. multis 17. dist.
79 Requiritur enim vt sit tale quid quod Papę obijcitur, vt scandalizet vniuers. Eclesi. puta quia delictum est notorium, Papa incorrigibilis, vt vult illa glos. in cap. si Papa dist. 40. de quo alibi fusiùs dicetur, videlicet quod adsit alia necessitas, puta periculum, quod pateretur Christianitas propriam discordiam Principum Christianorum. Vel quod Eccl. & status Christianitatis esset ita prolapsus in aliquem grandem errorem, vel ex frequentia conuersandi cum Iudæis, & alijs infidelibus, vel ex alia causa, quod verisimiliter posset dubitari populum Christianum periclitari circa fidem. His, & similibus causis, & non
80 passim pro quolibet delicto, & ad cuiusque instantiam, etiam si contra Papam, & quidem requisitum agatur, habebit congregari concilium, quia posset esse causa alicuius schismatis. Satis enim videretur si tunc absque alia concilij congregatione posset sedari crimen, quod ei obijcitur, vel causa, propter quam requiritur quod congreget, cessaret, vel si se purgaret, vt fuit in Leone Papa, qui habuit 12. episc. in sui purgatione, vt in cap. omnibus 2. quæst. 4. Quinimò idem Leo ostendit quod se ex propria voluntate voluerit purgare, non ex necessitate subijciens, nō per hoc quod sic se purgare voluit, propterea similiter successores, teneri, vt ex test. in capitulo auditum secunda
81 quæst. 4. Vbi enim non subest magna necessitas, est in potestate eius congregare quando ei placet, & hoc in effectu vult Antonius de Butrio in d. c. licèt dum vult, quia Papa non habet superiorem, si aliquid ei obijcitur, de hoc non cognoscit concilium

lium nec aliquis viuens, etiam si esset aliqua dubietas de viribus electionis. Quod dicit, contra illos notandum, qui dicunt, quod tunc debet congregari concilium, quia eius peccatum nullus iudicat, sed solius Dei iudicio relinquitur, vt in c.aliorum 9.quęst.3.Et hoc videtur satis rationabile, maximè quia videmus hodie de facili quosdam principes quærere festucam in oculis Pontificum, & cùm Pontifices nolunt annuere eorum petitionibus, de facili in Pontifices excandescunt, & obedientiam subtrahunt, & libertatem ecclesiasticam deprimunt, & ad spiritualia manum apponunt, ita vt de beneficijs vacantibus, & prælaturis, nonnisi pro velle ipsorum Pontifices prouidere cogantur, & Spiritualibus ad angulum, vt ita dixerim, Pontificatum restrinxerint. Cùm tamen ad sacerdotes voluerit Deus, quæ in Ecclesia disponenda sunt pertinere, vt in cap. si impetar.96.dist. & Dominus noster Iesus Christus Rex, & Iudex vsque ad diem passionis seruauit honorem Pontificibus, quamuis illi, nec Dei timorem, nec agnitionem Christi seruassent, nam cùm leprosum mundasset, dixit illi vade, & ostende te sacerdotibus, & offer donum, sacerdotem adhuc appellans, quem sciebat esse sacrilegum, vt 93.dist. Dominus noster. Et propterea posset contingere alterius Pontificis creatio, & schisma oriri, à quo postquam Deus temporibus istis non liberauit, omni studio cauere oportet, ne aliquod nouum
82 suscitetur. Quinimò, quantumcumque illa glossa in cap.si Papa, voluerit, quod pro quolibet crimine notorio possit Papa accusari, si est incorrigilis, & licèt Abbas in cap. significasti de elect. dixerit illam gl. communiter approbari, tamen Petrus de Palude, & communiter Theologi videntur illam improbare, vt ponit Archiepiscopus Florentinus in sua summa in tertia parte tit.25. cap.5. de potestate ecclesiastica signata per claues ver.6. incipien. quæritur vtrùm Papa possit deponi, & eodem libro tit.24.cap.2.vers.7. Quod qualiter sit intelligendum, & an sit causa sufficiens ad congregandum Concilium, & an ex hoc possit Papa accusari, & deponi alibi inferiùs dicetur. Et ideò non passim contra Papam proclamari oportet ad Concilium, sicut quotidie aliqui non verentur pro re minima, & si aliquid contra eos fiat pro tuitione, & recuperatione rerum ecclesiasticarum, & Papa vtatur brachio ecclesiastico, proclamant ad futurum Concilium, quia vt inquit Carolus Imperator in cap. memoriam 19.distinct. loquens de Papa, quam-
83 uis Sedes Apostolica durum, & vix ferendum iugum imponat, tamen cum mansuetudine, & humilitate pia deuotione est ferendum. Et Beatus Gregorius scribens Archiepiscopo Rauennen. inquit contra morem ecclesiasticum est, si non patientissimè toleratur etiam, quod à nobis absit, iniusta correctio, vt in cap. contra morem 100. dist. Quinimò etiam si Papa aliquid præciperet, quod esset contrarium legi Dei, quamuis in illo ei obediendum non esset, vt in cap. si Dominus 11.q.3. Nihilominùs etiam tunc antequam esset conuictus de hæresi, & repertus incorrigibilis oporteret ei in cæteris obedire 11.quæst.3. qui resistit cum duobus seqq. quod enim quantùmcumque durum à Papa præcipitur, seruari oportet quod non est contra catholicam fidem Facit 31. dist. cap. ante triennium. Vnde Egidius Consilio 99. in 4. parte in fine 17. quæst. excusando. Benedictum 11. quod non congregaret Concilium dicit, quod ex congregatione concilij poterat sequi maius schisma in Ecclesia, tum quia schismatici vocati, qui tunc erant non iuissent ad Concilium, nec Catholici ad vocationem intrusi, nec simul conuenisent, quia fuisent duo capita, nec Principes sæculares hoc potuissent sine Papa. Et licèt in casu eius, in quo tunc vigebat schisma, aliter videatur dicendum per prædicta, &
84 quam infra dicuntur, tamen vbi nulla est causa hæresis, & nullum schisma, nec scandalum aliquod in Ecclesia, nullo modo cõuenit inuocare Concilium, propter periculum contemptus, & inobedientiæ, & inanem fatigationem prælatorum in veniendo ad Concilium.

Quinimò etiam quando esset tale quid quod macularet personam Papæ tantùm, ex quo non turbaretur Ecclesia, non debebit ita faciliter congregari concilium, maximè si Papa vellet se purgare, vt in cap. auditum 2. quæst. 4. Vnde est aliud remedium contra Papam; etiam si se purgare noluerit, & sit ita malus, quod aliquo modo destruit bona Ecclesiæ, fortè dando suis, & aliquod crimen committit ad hoc, vt nõ statim deueniatur ad congregationem Cõcilij, si ex malis operibus eius non scandalizatur Ecclesia, quia fortè committit talia offendunt animam eius, sed non sunt adeò notoria, vel vniuersalia, vt ex eis possit sequi scandalum, si tolerantur. Erit tunc remedium quod resistatur, & contradicatur, & reprehendatur, cum omni modestia, & mansuetudine, qua fieri poterit, alioquin, quod restitit ad faciem per potentes, exemplo Pauli Apostoli, qui restitit ad faciem, Beato Petro Antiochiæ, qui ne Iudęos conuersos nimis scandalizaret, condescendit eis in obseruatione legalium, propter quod inducebantur gentes ad Iudaizandum, vt legitur ad Galat. 2. cap. & 2. q.7. Paulus, & in cap. testes in §. item Paulus, eadem causa, & quæst. Vel quod Ecclesia oret pro eo Deum, vt eum corrigat, sicut orando vicit Hilarius, Papam Liberium, qui fauebat hæreticis. Et citra Concilij congregationem, si aliter fieri poterit, ne ex Concilij congregatione schisma oriatur, & citra eius impugnationem, siue depositionem, omnis recta via perquiratur, per quam retrahantur, alioquin relinquatur Deo cura Ecclesiæ suæ, scit enim quid nobis expediat, datur enim interdum princeps malus propter peccata populi 8. quæst.1. audacter, & vbi Deus voluerit percutiet eum vt in cap. Ana-
85 stasius 19. dist. Facit, quod dicitur in cap. nouit, de iudic. quod illud dic Ecclesiæ, in Papa non hęretico intelligitur, idest Deo orando scilicèt, vt ipsum inspicet, & Ecclesiæ

clesiæ triumphanti, vt oret pro ipso, secundùm Hostien. in cap. proposuit de conceff.præb. Vbi autem contradicere, & reprehendere, & resistere non sufficeret, nec se purgare vellet, sicque delictum deduceretur in notorietatem, & efficeretur scandalum in Ecclesia, tunc de remedijs adhibendis, quando Papa scandalizat Ecclesiam, est notorius criminosus, & monitus non desistit, dicendum, vt dicitur latiùs infra in illa quæstione, ex quibus causis potest Papa accusari per Concilium, & in illa, ex quibus causis potest Papa deponi. Nec satis facit, quod dicit Antonius in casu isto, quod concilium erit principalis Iudex, si Papa allegat interesse ratione loci, vel temporis, quasi Concilium debeat decernere, an sua sit iurisdictio, secundùm, quod videtur velle per iura, quæ allegat, vel quasi voluerit quod quia se congregauit, & præuenit eius sit iurisdictio iuxta, l.vbi acceptum, & l. si quis postea de iudic.l.cùm quædam puella ff.de iur.omnium iudic.& cap.proposuisti, de foro comp. vel tamquam voluerit, quod postquam reperitur congregatum, ex quo non reperitur ante congregationem contradictum, nequit dissolui, vel quia agitur contra Papam, qui à Concilio debet iudicari, propterea dicit quod Concilium sit principalis iudex, vt in Glos.15. dict. cap. sicut. Quia facilis est responsio, quod satis est, quod non fuerit sufficiens causa se congregandi, & quod non potuerit congregari, & sit irritum, quod per ipsum fit, nisi reperiatur per Papam ratificatum, vt dict. cap.1. & c.regula 17.dist.iuncto ca. dudum 3.quæst.5. Nec miror quod Dominus Antonius, qui erat multùm iustus, & rectus, tunc ita indistinctè loquutus sit, quia zelo sedandi schismatis, quod tunc vigebat, & à Pontificibus nutriebatur, agebat, vt Concilium congregaretur, & vt schisma tolleretur. Intelligo igitur eum in casu suo, quando est talis causa, videlicèt fidei, vel antiquati schismatis, orti in creatione Pontificis, vt fuit statutum in Concilio Constantiensi, vel notoriæ hæresis in electione oppositæ, vel dum sunt duo contendentes de Papatu, & facientes schisma qui fortè propter potentiam non possunt cogi, quia tunc hoc casu etiam Principes seculares possunt apponere manum, vt vult Glos.in c.tua eli. de decimis, vbi dicit Abbas qui illam Glos.dicti Antonij allegabat tempore suo contra illos, qui continebant de papatu, & faciebant schisma in Ecclesia Dei, nec poterant corrigi per Ecclesiam, & sentit quod tunc ex quo nolunt congregare Concilium Domini temporales possunt inijcere manus in ipsos, & eis inuitis facere sopiri schisma, & dubium determinari per ecclesiasticam allegationem, quod in simile dicitur in capitulo, vbi periculum de electione in 6. Vnde non pro qualibet causa, & ad nutum cuiusque congregari debet Concilium, sicut fuit factum in Concilio Basilien. in quo discedentibus aliquibus à Papæ Eugenij obedientia, licèt esset vnicus indubitatus Papa, congregauerunt concilium, & eumdem, Eugenium priuarunt, & alium sibi delegerunt Pontificem, quem Felicem nominarunt, priùs Sabaudiæ ducem dictum Amadeum, qui ea omnia egerunt propria ducti voluntate, ex quo posteà effectum est conciliabulum, vt dicit Archiepiscopus Florentinus libro tertio titulo 24. capit. secundo versicu. 7. Qui Felix ductus conscientia quamprimùm Nicolaus Quintus in Pontificem post obitum Eugenij assumptus est, Pontificatui cessit, vt schisma sedaretur, & vitam heremiticam delegit, qua anteà vtebatur, fuit enim vir magnæ sanctimoniæ, qui obtemperare Deo se exstimabat eo ca-
86 su Pontificatum acceptando. Et licèt Concilium illud Basilien. dictum fuerit conciliabulum, quia contra voluntatem veri Pontificis tentum, tamen Nicolaus Quintus, qui Eugenio successit, pro sedando schismate in Ecclesia, postquam Felix cessit, approbauit omnes prouisiones, de quibuscumque beneficijs, & prælaturis, & consecrationes, & dationes palliorum, & voluit possessores remanere veros titulares, vt patet ex eius bulla inserta, in fine gesto-
87 rum Concilij Basileensis. Eo igitur casu, quo adest causa necessaria Concilij congregandi ratione imminentis periculi Ecclesiæ, de quibus causis aliquid infra dico in quæstione propria, si tunc Papa detrectaret congregare Concilium, tunc ad Collegium Cardinalium deuolueretur congregatio, per.cap.vbi periculum §. ijdem quoque de elect. ponit Bal. in cap. Pastoralis, de rescript.& ponit Cardinalis in cap. licet de elect. in 3. quæsito. Et in casu necessitatis, quando Papa detrectat, & refugit congregare, vel est negligens, Concilium seipsum congregare posset, vt dixi supra, & dicit Cardinalis de Turrecrem. in tract. de potestate Papæ lib. 3. cap. 8. colum. 9. & Cardinal Florent. Consil. 150. incipit quæsitum in 3. dubio, & Abbas in cap. licèt de elect. & Archiepisc. Floren. in 3. parte summæ tit. 23. cap. 2. vers. 7. & Ant. vbi supra. Et hoc casu quando Papa non vult congregare, quia detrectat, & confingit causas protrahendo, quia cognoscit fortè se irretitum talibus criminibus, vt timeat à Concilio, & quærit subterfugia, & scandalum ex non congregatione Concilij generatur in vniuersali Ecclesia, tunc congregato Concilio per Cardinales, poterunt petere, vt præstet auctoritatem Concilio. Et secundùm modernum Aretin. poterunt eum cogere ad hoc, argum. l. huiusmodi. §. fin. ff. de lega. 1. Et si permitteret se decoriari potiùs, quàm auctoritatem interponeret, tunc Concilium supplebit eius vices, & pronunciabit se legitimè congregatum, & suam esse iurisdictionem, per id quod ponit Felin. in cap. super literis, de rescriptione, immò secundùm illum Modernum, hoc casu Concilium pronunciabit Papam suspectum de hæresi. Cardinalibus autem negligentibus, Imperator congregabit. Et ita in casu negligentiæ dicit Cardinalis in d. cap. licèt in 3. & 4. quest. & Pe. de Monte in sua Monarchia in 11. colum. & Felin. in cap. querelam, de iureiuran. Post quem Prælati petita à Papa licentia, licèt non

non obtenta, potuerunt congregare. Et
vide Felin. in cap. super literis, de rescript.
& infra latiùs dico. Et ista congregatio
fiet per modum cuiusdam requisitionis, &
non auctoritatis secundùm Innoc. in cap.
88 cùm nobis de elect. Et vide omninò, quæ
dico infra in vltimo membro huius quæ-
stionis, videlicet quando est contentio de
Papatu inter duos, & vnus est in quasi pos-
sessione, qui non vult congregare, & alius
nullam habet possessionem, & ibi inuenies
etiam auctoritates aliorum Doctorum, quo-
modo fiat deuolutio de vno in alium in fa-
cultate congregandi Concilium. Et ex
89 præmissis apparet, quam fatuè faciunt, qui
ex abrupto intimant Papæ Concilium, vel
eum citant ad Concilium, quia cùm ipse
sit omnium maior, non potest ab aliquo
citari, vt in Clem. Pastoralis, de re iudica-
re. Nec potest quis incipere congregare
sine voluntate Papæ, quia conuocatio ad
Concilium est quædam citatio, vt glos. in
§. hinc etiam 17. dist. quæ est quidam actus
iudiciarius cap. quoniam contra, de pro-
bat. immò ab aliquo inferiori à Papa fieri
non potest. Debet ergo quia sine Papa
nullum est ratum Concilium, vt in cap. re-
gula. 17. dist. priùs cum omni humilitate
requiri quod ipse ad quem spectat, congre-
gare velit Concilium, causa necessaria
subest. Qui requisitus detrectaret, tunc per
viam requisitionis, vt dicit Innoc. in d.
cap. cùm nobis, poterunt congregari Præ-
lati, & congregati, indicere Concilium,
& post Congregationem prælatorum fa-
cientium Concilium, priùs Concilium pro-
nunciet se æcumenicum Concil. in Spiritu
Sancto legitimè congregatum, cui subesse
debet quilibet cuiusque status, dignitatis
etiam si Papalis existat, & sibi competere
omnem iurisdictionem, & postea intimare.
90 Vnum tamen non est omittendum quod
si quando Concilium congregaretur à se-
ipso sine vlla vocatione, vt fortè fuit in
casu cap. nunc autem 21. dist. ibi, cuius
rei gratia, vel etiam ex vocatione minùs le-
gitima, vt fuit in casu. §. hinc etiam 17.
dist. licèt tunc, vt Concilium subsistat
opus sit, vt etiam ipse Papa existens in qua-
si possessione Papatus, quantumcunque
accusatus], auctoritatem interponat, vt
Concilium sit ratum, vt in d. §. hinc etiam,
tamen eo ipso quod Papa patitur iudicium
fieri à Concilio de causa sua, videtur ex
hoc solo authorizari Concilium, & valebit
quicquid fiet per Concilium. Pro hoc
text. & quod ibi non in l. cum pater. §. li-
bertatis ff. de leg. 2. Et hæc de primo casu
quando sumus in vno indubitato Papa.
91 Secundo casu quando sunt duo, vel plures
contendentes de Papatu, hoc casu consti-
tutio frequens, in Concil. Constan. edita,
vult quod à die, quo insignia Pontificatus
assumpserit infra annum censeatur indi-
ctum Concilio, & quod sine alia vocatione
infra d. tempus prælati debent se congre-
gare,

Sed cessante dicta constitutione, dic
quod aut vnus primò fuit à tota Ecclesia
receptus, deinde post aliquod tempus re-
cedentibus aliquibus ab eo, dicitur per
impressionem fuisse electus, vel aliquid
aliud simile, & alius eligitur, & recipi-
tur, vt fuit in schismate exorto tem-
pore Vrbani VI. & in Symmacho, vbi
alium elegerunt. Et intelligo de recepto
voluntariè, etiam si nulla forma sit in ele-
ctione seruata, quia satis est quod facto ap-
pareat de voluntate Cardinalium, qui ipsum
recipiunt in Papam, sufficit enim qualiter-
cum apparet de consensu Cardinalium,
quia sufficit quod singulariter accedant ad
eum, & adorent, siue obedientiam præstent,
& sic sufficit etiam quod singulariter, licèt
non capitulariter receperint. Et hoc voluit
Hostien. & refert. d. Aton. in d. cap. licèt
de electio. in antepenult. colum. qui dicit
quod per hoc illi Cardinales, qui erant
Auenione, & imputabant Vrbano, quod
non fuerat capitulariter electus, non benè
allegabant. Aut duo inueniuntur electi, &
recepti, & vna pars adhæret vni, & alium
dicit hæreticum, vel schismaticum, vel è
contra, & quilibet habet partem obedien-
tiæ. Primo casu quando est schisma, Bar-
batius in cap. quod translationem de offic.
legat. in 33. colum. tenet simpliciter, quod
congregatio Concilij tunc non spectet ad
Cardinales, sed ad Imperatorem, maximè
illa ratione, quia tale schisma videtur na-
sci à Cardinalibus, qui duos elegerunt Pon-
tifices, ideò non est verisimile quod con-
gregarent Concilium, cùm Concilium sit
iudicaturum de iure illorum, & quia time-
bunt perdere idolum proprium, quod ele-
gerunt. Item quia à principio facultas
congregandi Concilia spectabat ad Impe-
ratores, & res de facili reuertitur ad natu-
ram suam dist. 35. cap. ab exordio, & leg.
si vnus. §. pactus ne peteret, vers. quod in
92 spem ff. de pact. Item per glos. in cap. prin-
cipes sęculi 23. qu. 5. quæ dicit quod vbi
Clerici faciunt schisma in Ecclesia, Laici
habent iurisdictionem supra eos, ergo
multò magis Imperator. Sic etiam, & pa-
tronus Ecclesiæ potest agere contra Recto-
rem Ecclesiæ, malè conseruantem, & dila-
pidantem bona Ecclesiæ, vt est glos. in cap.
ex parte de testim. Ipse tamen Barbatius vi-
detur etiam in casu schismatis simpliciter
dicere, quod conuocatio spectabit ad Car-
dinales, vt ipse ponit referendo Bal. in cap.
olim de rescript. Sed immò in casu propo-
sito non obstantibus præmissis, dico quod
ille, qui primò est electus, & receptus, de-
bet conuocare Concilium non obstante,
quod aliqua parte obedientiæ fuerit spolia-
tus, per illum text. in d. §. hinc etiam, vbi
per Symmachũ fuit facta congregatio Cõ-
cilij, vt supra dixi, & tamen Symmachus
contendebat cum Laurentio de Papatu,
quia aliqui discesserant ab obedientia
Symmachi, & adhæserant Laurentio, vt
patet in gestis Symmachi cap. 8. & 9. Et si
93 dicatur quod ideò ibi in d. §. hinc etiam,
& in d. cap. 9. vbi ponuntur verba d. §. hinc
etiam, fuit congregatio facta per Symma-
chum, quia Symmachus fuerat approbatus
per Concilium, & Laurentius reprobatus,
& post approbationem aliqui recesserant
ab eius obedientia, obijciendo ei aliqua
crimina, & sic quod non erat contentio de
Papa-

Papatu inter ipsos Symmachum, & Laurentium, sed agebatur de criminibus impositis Symmacho, licèt ipse esset approbatus, & propterea ad eum spectauit congregare. Respondeo quod crimina fuerant obiecta ante latam sententiam, & Clerici aliqui recesserant ab eius obedientia, & tamen cùm esset contentio de Papatu cum Laurentio, & essent obiecta crimina Symmacho, nihilominùs Symmachus congregauit Concilium, vt patet in d.§.hinc etiam & d. cap. 9. & dictum fuit supra. Et vide text. in capitulo benè quidem 96. distinctione vbi apparet, quod etiam illi Synodo præfuit Symmachus.

Sed videtur prædictis repugnare, quod Symmachus fuerat in Concilio Rauennensi, confirmatus ante, vt patet in chronicis, & in Platina, & supplemento in vita Symmachi. Sed dic quod bis fuit controuersia de Papatu inter eum, & Laurentium, vna orta in ipsa electione, pro qua fuit habita synodus Rauennæ, secunda postquam fuerunt ei obiecta crimina, & reuocato Laurentio, clerici ab eo discesserunt, & antequam esset approbatus in ista secunda, congregauit concilium. Et de ista secunda synodo loquitur. §.hinc etiam, quæ fuit celebrata Romæ, vt ibi patet, quia tunc ambobus eiectis Altinus Episcopus iussu Regis præsidebat.

94 Quinimmò si Papa primò electus spoliaretur papatu non seruato iuris ordine, deberet primo, & ante omnia restitui per concilium etiam non seruato iuris in ordine, antequam posset accusari, & antequam teneretur accusantibus respondere, vt est text. singularis in dict. cap. nos si incompetenter in §. item Symmachus 2.quæst.7. Facit quod dicitur in cap.1.§.soler, de restit.spoliat.in 6. Ipse enim Symmachus fuerat habitus, & tentus aliàs pro indubitato Papa, vt patet 16. quæst. prima in capit. in canonibus, vbi in Concilio Gangrensi vniuersa Synodus surgens acclamauit ad decreta Symmachi, vt ita fiat rogamus, & dictum est octies exaudi Christe, Symmacho Papæ, viue dictum est duodecies, & postea fuerat spoliatus, vt dictum est. Et pro huius intelligentia vide §. hinc etiam 17. dist. & d. §. item Symmachus.

95 Vbi colligit Ioan. de Fan. quod Cardinales, & alij prælati qui recesserunt ab obedientia Vrbani VI. ante latam sententiam super facto electionis eius, commiserunt schisma, & quod ipse Vrbanus antè omnia debebat restitui. Quod & videtur voluisse Archiepisc. Florent. in secunda parte summæ tit. 3. de superbia cap. 11. vers. sed quid cùm duo, dum vult quod illa congregatio Concilij Pisani non fuerit bona, sed potiùs Conciliabulum. Istud tamen pro nunc non disputo, quia illa electio secundùm aliquos fuit per impressionem, à qua habuerat ortum dictum Concilium. Sed sunt videndi Doc. in dict. cap. licèt, de elect. & in Cons. Bald. C. si quis aliquem testa. prohi. & in d. cap. in nomine Domini 23. dist. & dicetur aliquando in loco congruo, vtrùm potuerint procedere ad aliam electionem prima non cassata, vt in c. considerauimus

96 & c. auditis de elect. Nec obstat tex. in cap. Deus ergo, in §. patet 3. qu. 1. vbi vult tex. quod spoliatus Papatu non sit restituendus, quia loquitur in intruso in Papatum violenter de facto, & de facto spoliato, qui spoliatus non debet restitui, quia non est superior, qui possit deijcere, vt dicit ibi texe. Et ex hoc sequitur quod licèt aliàs spoliatus sit ante omnia restituendus, vt in cap. in literis, & in clem. 1. cum simil. de restit. spo. & 3. q. 1. redintegranda, & per totum, fallit in Papa violenter intruso eiecto, qui non habet superiorem, qui eum possit via iuris deijcere, ponit Martinus Laudensis in tract. de Principibus, qu. 70. & probat tex. in cap. in nomine Domini dist. 23. in vers. quod si quis, & glos. ibi in verbo audientia. Et ita intelligit illum tex. Arch. ibi post glos. quæ dicit esse speciale in intruso quod non detur restitutio. Et ad-

97 dit ibi Archiep. ideò non datur restitutio in §. patet, quia non est superior coram quo petatur restitutio, secus autem in alio intruso, quàm in Papa. Et ad idem allegat Ioan. de Fan. ibi. Vbi credo esse errorem, quia Ioan. de Fan. fuit post Archiepisc. & semper illum allegat in sua lectura glos. tamen 3. q. 1. in summa dicit esse speciale in Papa, quod ei non datur restitutio, si opponitur ei exceptio alicujus criminis vel non canonicæ institutionis, per §. patet, & ibi glos. connumerat casus in quibus non datur restitutio, & glos. præallegata in dicto cap. in nomine Domini. Sed videtur

98 quod illa ratio illius tex. quam Doc. sequuntur ibi, non sit bona, quia similitèr posset dici in eo, qui non est notoriè, vel violenter intrusus, quod si eijciatur de Papatu, & quo non habet superiorem, non sit restituendus, contra d. §. item Symmachus. Sed dic quod tex. cum ponderat, quod non habet superiorem, intelligit qui sit Iudex superior, & qui via iudiciali possit intrusum deijcere. Facit tex. in cap. licèt, in fin. de elect. vbi dicit quondam specialitèr statutum in Ecclesia Romana, quia non habet superiorem ad quem possit haberi recursus. Et quia loquitur de notorio intruso, iuxtà terminos, cap. si quis pecunia 79. distinct. ideò si de facto spoliatur non debet restitui.

99 Et inde sumpta occasione dicunt ibi Doc. quod si aliquis non est capax possessionis iuris, vel rei, à qua deijcitur, non debet restitui. De quo 14. q. 1. in glos. in summa, & in cap. ex parte de restit. spolia. & ponit glos. in cap. quo iure 8. dist. & Abb. siculus in cap. item cum quis, de restit. spolia. & idem in cap. licèt in glos. in verbo exceptione de elect. Possidens autem aliquo colorato titulo non potest amoueri sine causæ cognitione, vt per Inn. & Hostien. de conces. præben. capit. 1. in 6. & in cap. licèt Episcopus de præben. eod. lib. Et similitèr quod agens possessorio in beneficialibus, debeat probare suam canonicam institutionem, & iustificare possessionem ex tit. De quo latè post Archiep. Ioa: de Fan: in isto §. patet, & Innoc. in cap. constitutus de filijs Presbyt. & in cap. 1. de eo qui mit. in pos. causa rei serm. & in dicto cap. in literis, & cap. ex parte de restitut. spoli.

spoli. & Ioan. And. in additionem ad spe-
cul. in tit. de restit. spoliat. in ru. & glossa
in clement. causam,de causa possess.& pro-
priè,& Lapus allegatione 24.& 30.Oldrad.
consilio 1. decis.antepenultima in antiquis
100 in tit. de restit. spol. Sed adhuc videtur
quod illa ratio illius tex. sit nimis genera-
lis, eo quod videtur militare in eiecto, &
spoliato non intruso violenter,quia si verus
Papa spolietur, & alius se intrudat veriùs
Papa non habet superiorem,qui eum resti-
tuat, nec intrusus habet superiorem, quod
eum eijciat,& sic videtur illa ratio contra-
riari multum illi §. item Symmachus. Sed
tu dic quod quando eijcitur verus Papa,
tunc intrusus sine spoliator habet superio-
rem ipsummet verum Papam, qui poterit
congregare Concilium, & dare auctorita-
tem Concilio, & Concilium poterit eum
restituere, vt patet in d. §. hinc etiam dist.
16. & in cap. nunc autem 21. dist. Non sic
quando aliquis est intrusus in Pontifica-
tum de facto violenter, & non est aliquis
verus Papa electus,tunc enim non est supe-
rior,qui possit eum deijcere.Intantum quod
dicit Card. & Hug. in d. §. patet, & refert
Alex. ibi quod etiam Cardinales non po-
terunt esse iudices intrusi,quia licèt Cardi-
nales obtineant vices Metropolitani in
confirmatione, & consecratione Papæ, vt
in cap. in nomine Domini 23. dist. non
tamen in iudicij potestate. Sed videtur
101 etiam quod ista solutio non sit bona,
quia congregare Concilium spectat ad pos-
sessorem, vt in cap. hoc quippe 3. qu. 6.
ibi. Ioan. de Fan.& dicitur in cap. cuma-
na, & in cap. querelam de elect. &c. con-
sultationibus, de iure patronatus, & infra
latiùs dicetur. Vnde potest dari alia solu-
tio,quæ fuit Ægidij Bellamerę in dicto c.
licèt de elect. qui opponendo contra tex.
ibi in fin.,dum dicit,quod in Romana Ec-
clesia ideò specialiter aliquid statuitur,
quia non habet superiorem,ad quem possit
haberi recursus, de dict. §. patet,dicit quod
Gratianus habuit bonam mentem, & ad
intentionem intrusi se retulit ab intrusione
deiecti, qui si adiret superiorem, haberet
prouocare, & sustinere partes actoris in iu-
dicio restitutorio, nam ex parte actoris
metimur iudicium l. 1. in princ. ff. si pars
hæredi. pe. Vnde si ipse peteret se restitui,
diceret se Papam, quia aliàs non deberet
restitui, argumento eorum, quæ notantur
in cap. cùm Ecclesia, &c. cum super, &c.
dilectus de causa possess. & popr. & faciunt
illa supra allegata cùm dicitur quod debet
iustificare possessionem ex titulo, vt dicunt
doc. in d. §. patet. Vnde dicendo se Pa-
pam, iam diceret superiorem adiri non
posse 9. q. 3. aliorum. Et sic si alium tam-
quam superiorem adiret pro restitutione
obtinenda, esset sibi contrarius quia con-
fessio, quæ sumitur ex petitione eius, esset
contraria desiderio eius, & ideo deberet
denegari ei restitutio art. cap. solicitudi-
nem de appell. Vnde habito respectu ad
personam intrusi, non inuenitur iudex,
cuius officio possit per sententiam iudica-
ri, siue restitui, vel eijci à possessione. Sed si
bene consideretur, ista non tollunt contra-
rium, quia omnia habent locum in non in-
truso, & tamen §. item Symmachus, vult
quod ante omnia fiat restitutio per Conci-
lium. Quod Concilium multò magis iudi-
cat de intruso, vt in cap. si quis pecunia
79. dist. ibi Clericis, & laicis Deum ti-
mentibus, intelligendo per illa verba signi-
ficari Concilium, quod constat ex Clericis,
& laicis Deum timentibus. Concilium
102 enim est iudex quando tractatur causa
papatus, vt in cap. si duo 79. dist. vnde
Ægidius in hac materia aliqualiter inuolu-
tè loquens in declarando illa verba quod
Romana Ecclesia non habet superiorem,
ponit vnam conclusionem, quæ habet mul-
tas partes, videlicèt quando electio, & re-
ceptio Papæ non apparet facta à duabus
partibus, & dum apparet electio etiam à
duabus partibus celebrata, tamen constat
patenter ex aliquo defectu notorio electio-
nem esse nullam, & etiam dum electio, & re-
ceptio à duabus partibus apparent factæ,
sed constant euidenter de defectu notorio
nullam reddente electionem ipso iure, si vi-
delicèt duę partes in statu reclamandi exi-
stentes reclamant propter defectum huius-
modi, notoriè apparentem, & nihilominus
electus papatum nititur vsurpare, tunc su-
perior est ille qui ante electionem erat su-
perior ipsius electi, si ipse electus alium,
quàm Papam superiorem habeat ratione
ordinis, vel domicilij, vel delicti, & si ex
priuilegio alium superiorem non habeat
etiam ratione delicti, cessat priuilegium in
casu isto, & illum ordinarium in cuius
Diœcesi delictum huius occupationis, seù
vsurpationis exercebit, vel moram trahet,
aut reperietur, pro superiore habebit, sed
si in Diœcesi,seù speciali districtu vrbis Ro-
mæ, & non alibi hoc delictum committit,
ac originem,domicilium, & moram trahit,
nullum quoad iudicialia censetur supe-
riorem habere, sed hoc non obstante in
casu isto, & quolibet casuum prædictorum,
quilibet catholicus Christianus potest tali
occupatori,seù vsurpatori bellum indicere,
ipsum ab occupatione, & vsurpatione
huiusmodi, de facto & manu militari ex-
pellendo. Vnde ad formam oppositionis
103 respondendo, dicit quod dictum Gra-
tiani in d. §. patet,non debet referri ad ca-
sus in secunda parte conclusionis compre-
hensos, sed tantùm debet referri ad casus
comprehensos in prima, licèt enim quo ad
petendum restitutionem,non possit eiectus
ad superiorem recursum honore, tamen
quo ad puniendum notoriè delinquentem,
potest quilibèt catholicus cōtra intrusum,
ad intrusi superiorem homere recursum in
casibus primæ partis conclusionis prælibа-
tæ. Credo eum velle dicere, licèt truncatè
loquatur, quod quando non apparet quod
Papa sit electus à duabus partibus, tunc
quia dicitur verè intrusus, non potest ipse
intrusus habere recursum ad superiorem,
quia sic esset sibi contrarius, fatendo se ha-
bere superiorem, & sic se non esse Papam,
quia Papa non habet superiorem. Et sic in-
telligitur quod tunc bene quilibet catholi-
cus potest petere eius eiectionem, & quod
quomodocumque eijciatur non restituitur,

quia nullus posset posteà eum eijcere. Sed secus quando est electus à duabus partibus quia tunc non potest propriè dici intrusus, licèt notoriè constet de aliquo defectu, per
104 quem electio redditur nulla. Et ideò potest ex hoc responderi ad §. item Symmachus, quod fuit restitutus, quia non erat intrusus, quia si fuisset intrusus, & de facto electus, non fuisset restitutus per d. §. patet. Vnde idem Ægi. ponit aliam conclusionem in d. cap. licèt, videlicèt quod dum con-
105 stat euidenter de electione duarum partium, licèt non constet de receptione in Papam, nec constat euidenter de aliquo defectu notorio nullam reddente electionem ipso iure, & etiam dum constat euidenter de electione, & receptione duarum partium, nec est dare partes in statu, in quo de iure valeant reclamare, quoscumque defectus patiatur electus notorios, vel occultos, nullus est superior, qui adiri possit. Et sic intelligit finem, d. cap. licèt. Sed istud non tollit mihi contrarium de §. item Symmachus, qui fuit restitutus. Et sic ratio illa est nimis generalis, quod non inuenitur superior, qui possit illum apostaticum eijcere. Nec video si datur superior, qui potest restituere non intrusum, quare etiam virtualiter non detur superior, qui eijciat intrusum, maximè quia cum datur restitutio, datur alterius amotio. Facit quod dicit tex. in cap. venerabilem de electio. & text. in cap. cùm ex iniuncto, de hæret. facit quod dicitur in cap. inter corporalia, de transl. prælato. Vnde pro nunc non discederem ab illa solutione Abbatis in d. c. licèt, quam infra referam in contrario, ad cap. si quis pecunia, vt videlicèt referatur ad difficultatem, quia non ita de facili potest Concilium congregari, quod potest restituere, sicut restituit Symmachum. Sed ad-
106 huc videtur prædictis obstare tex. in cap. si quis pecunia 79. distin. vbi si aliquis est intrusus in Pontificatum, vult quod liceat Cardinalibus, & alijs Clericis Deum timentibus illum inuasorem anathematizare, & humano auxilio à Sede Apostolica illum expellere. Non reperio quod Doctores tangant istam contrarietatem, & multùm obstat iste text. si quis pecunia, qui dat facultatem anathematizandi, hoc est excommunicandi, cum solemnitate glos. 11. q. 3.
107 si inimicus. Excommunicare enim est de lege iurisdictionis, vt cap. dilectus de offic. ordinar. cap. quanto, & ibi glosa de consuetudin. & in cap. transmissam de elect. & ibi glos. & in capit. aqua, de consecrat. Eccles. vel alta, cum similibus, intantum quod requirit causæ cognitionem, vt dicitur post glos. in cap. nouit de officio leg. Sed ad illum text. potest responderi quod non dicit Cardinales esse Iudices intrusi, vel quod habeant iudiciariam cognitionem super iure intrusi, sed dat eis, & quibuscumque Clericis Deum timentibus, & etiam laicis facultatem, omni conatu eum eijciendi, & expellendi, ex quo non est formiter electus, sed manu populari intrusus. Vndè possunt Cardinales anathematizare tanquam priuati, idest habere illum intrusum pro anathematizato. Et hoc videtur velle Cardinal. in clem. 2. in §. irritum de elect. & propterea tex. dat facultatem procedendi ad faciendum veram electionem. Facit tex. in cap. in nomine Domini dist. 23. vbi si post factam electionem concordem, bellica tempestas impediat verum Papam inthronizari datur ei facultas administrandi, hoc non obstante, & si hominum prauorum peruersitate impediuntur Cardinales quòminus gratuita in vrbe fiat electio, nihilominùs poterunt etiam si numero pauciores fuerint proce-
108 dere ad electionem. Vnde dicit ibi Domini & Alexand. in d. cap. in nomine Domini, respondendo ad contrarium in d. §. patet. 3. q. 1. & Archidiac. quod aut Papa fuit spoliatus dicendo ipsum esse hæreticum, & tunc hæc exceptio ei obest dist. 8. quo iure, & de hac exceptione, cognoscet Concilium dist. 40. si Papa, & cognito quod non sit hæreticus, eum restituet, & ità procedit versic. item Symmachus. Quod videtur esse rationabile, quia opponitur exceptio notorij criminis, ipso iure priuatione digni, vt latè examinat. Abb. in cap. item cùm quis, de restit. spoliat. ideò non datur restitutio, nisi priùs cognoscatur an sit hæreticus. Sed quo adhoc obstat §. item Symmachus, qui vult quod non tenetur accusantibus respõdere, nisi priùs restituatur. Ad quod facit tex. & quod ibi dicitur in cap. 1. de restit. spol. in 6. Et Symmacho, etiam opponebatur exceptio hæresis, vt in §. hinc etiam, & ibi glos. 17. distin. Et pro hoc etiam facit quod dicitur infra, quando possit electo à duabus partibus obijci exceptio hæresis. Vnde nec ista videtur bona solutio. Aut opponitur Papæ petenti restitutionem exceptio propter crimen intrusionis violentæ sine titulo, & hoc
109 pendet ex articulo, an agenti possessorio recuperandæ, obstet exceptio non canonicæ institutionis, vt teneatur iustificare possessionem ex titulo. De quo dicendum est vt in cap. in literis, &c. ex parte de restitut. spol. & iuribus supra allegatis in proposito. Vnde, & si Papa debet restitui, habebit ostendere se canonicè electum ab habentibus facultatem, & sic iustificare possessionem ex titulo, sicut, & cęteri alij inferiores, & in alijs beneficialibus, alioquin non esset restituendus per illum text. de quo vide etiam ibi Alex. Quod intelligit Domin. etiam si à principio fuerit intrusus, dummodo subsecuta non fuerit concordia, & ratificatio per cap. licèt de electione.

Sed hoc vltimum contradicit illi, quod diximus statutum in Concil. Constantien. quo videtur limitandum per illud, quod dicitur in constitutione frequens in 39. sessione in §. qui verò, quæ disponit quando fuit electio meticulosa, & electus intrusus, vt non possit per sequentem consensum ratificari, de quo dicemus in examine proprij articuli. Et sic ex præmissis adhuc videtur Domin. confundere illam rationem illius text. qui dicit, quod non habet superiorem, inquantum vult, quod Concilium restituat, cùm tamen, & glos. ibi, & glos. hìc in verbo audientia, & glos.

ibi tertia quæst. 1. in summa, velit quod ad eum regulariter spectat destituere, ad quem spectat instituere, capitulo 1. & 2. de cappel. mona. & in cap. cùm ex iniuncto de hæret. cap. cum, & plantare. §. in Ecclesijs de priuileg. cùm simil. Qui enim 110 potest via iudiciali restituere, videtur posse etiam eijcere, & qui potest condemnare potest regulariter absoluere; cap. inferior dist. 21. cùm contrariorum eadem sit disciplina lege 1. ff. de ijs, qui sunt sui, vel alien. iuri, & Instit. eo titul. & de tutelis in princ. cùm simil. Sed potest dici, quod ista sunt generaliter vera; sed fallunt in aliquibus casibus vt patet in dictis iuribus. Sed si rectè aduertatur solutio Dominici, & Alexandri præsupponit, quod sit dare superiorem, ex quo vult, quod Concilium restituat, & etiam ex quo vult, quod habeat iustificare possessionem ex titulo, & sic contrarium eius, quod præsupponit §. patet, cùm dicit, quod non habet superiorem. Item præsupponit aliud, quod ita Papa habet iustificare possessionem ex titulo, sicut quilibet alius inferior; cùm tamen Papa non ligetur iure communi, immò quod magis est, colorare possessionem ex titulo, est magis de stylo, & consuetudine curiæ Romanæ; quàm de iure, vt omnes; maximè Ioan. de Fano dicunt in dist. §. patet, post decis. 679. de restit. spol. in antiquis, & in locis supra allegatis. Et sic vult, quod stylus etiam liget Papam. Vnde posset etiam aliter responderi, quod non sequitur quis potest restituere Papam eiectum, vt in §. item Symmachus, ergo potest eijcere Papam intrusum, violenter, quia posset esse intrusus, qui non habet superiorem, qui eum eijciat. Et quod hoc posset referri ad factum, quod videtur probare in §. patet, quando refert textus in dicto cap. si quis pecunia dist. 79. Vel potest referri ad difficultatem; quia non tam de facili potest Concilium congregari, quàm potest restituere, 111 sicut fuit in §. Symmachus, & hoc in simili ponit Abbas in capitulo licèt de electio. supplendo ad illum text. in quantum dicit, quod non habet superiorem, ad quem possit haberi recursus, supplet: scilicet commodè, non enim dicimur posse, quod commodè non possumus l. nepos Proculo ff. de verborum significatione. Et istam 112 eamdem solutionem sentit Barba. in cap. quod translationem in col. 33. de offic. legat. & est vna de fallentijs, quæ dantur ad regulam, quod spoliatus debet ante omnia restitui in l. naturaliter §. nihil commune, de acquir. poss. l. si quis ad se fundum Cod. ad l. Iul. de Vic. cap. ita de restitut. spol. in sexto, & in cap. in literis cum sequent. de restit. spol. & dicto §. patet, & §. item Symmachus supra adductis. Sed ista solutio non satisfacit, quia, licèt non commodè congregetur Concilium, non sequitur quod non sit dare superiorem, qui restituat super quo se fundat ille textus, ex quo sequuta congregatione poterit Concilium restituere. Nec iura, quæ dicunt aliquem spoliatum restituendum ponderant difficultatem facti in restituendo, vt ex hoc impediatur restitutio quomodo ius fiat. Videmus enim quod præbent iura auctoritatem parti etiam post longum tempus recuperare rem propriam, qua quis est spoliatus, vbi in recuperatione est difficultas, vt patet in recuperatione alicuius magni, & fortis castri, & fortalitij; vel alicuius Ciuitatis etiam post decennium, vt dicunt Doctor. in cap. olim el primo de restit. spol. maximè Immol. & Ang. in §. quadrupli 17. col. instit. de action. Bart. in l. 1. §. eum igitur ff. de vi, & vi armata. Ponit Bald. in l. fin. Cod. de ijs, qui à non Domino manumittuntur. Vnde posset, & aliter responderi; quod immò tunc videtur permitti eiectio omni conatu, quando non habet superiorem per dict. cap. si quis pecunia. Vel potest responderi quod Romana 113 Ecclesia non habet aliquem superiorem singularem Dominum, ad quem in occurentibus dubijs, possit haberi recursus, & ideò multa specialia sunt introducta in electione Romani Pontificis, & quod intrusus ideò eiectus non restituitur, quia non habet superiorem, sicut est in alijs inferioribus Ecclesijs, quæ habent superiorem. Nec per hoc dicitur, quod Concilium, quamuis non sit superius Papa vero, & indubitato, si in electione Papæ occurrat dubium non habeat cognitionem, propter periculum vniuersalis Ecclesiæ, nec si hoc casu, quo de Papa cognoscit diceretur superior, de quo dicetur infra, propterea habetur in consideratione, propter difficultatem congregandi. Nec potest verè dici superior, quia non in omnibus simpli- 114 citer est superior. Et per dictum. §. patet voluit Ægid. (referendo ibi Gratianum) quod licèt aliàs quilibet violentus, & prædo sit restituendus; vt in cap. in literis cum similibus de restitut. spol. secus est in intruso in Sedem Apostolicam, quia non restituitur. Ita dicit ipse in cap. 1. de iniu. in 6. & pono infrà in illa quæst. sed vltra prædicta, pone quod aliqui Principes velint præfigere terminum Papæ ad congregandum Concilium &c. Potest declarari 115 ista solutio per verba magis cōsona literę quod tunc demùm datur facultas Cardinalibus, & Clericis, & Laicis anathematizandi, & humano auxilio à Sede Apostolica pellendi intrusum, quatenus Papatus, & Sedes Apostolica per violentiam occupatur, quo casu si spoliatur, quia non inuenitur superior, cuius officio ille apostaticus spoliatus si restitueretur posteà posset excludi, ideò non restituitur. Et hoc habet locum, siue referamus ad factum eius, qui per potentiam violenter manu militari, & populari occupat; siue referamus ad ius, quia ex quo Sedes vacat saltem de facto, quia nullus est in possessione Papatus, quia sit verus Papa, ad quem possit haberi recursus, ideò licet per Cardinales talem anathematizare, & humano auxilio pellere, quod fit iuris auctoritate; & aliàs non liceret, si non esset per violentiam, populari, vel militari tumultu intrusus, ideò iuris auctoritate propter carentiam superioris, de facto eiectus non restituitur. Sed obstat 116 in quantum dicit si quis pecunia, quia vide-

videtur, quod si Papa per pecuniam obtineret Pontificatum, possit humano auxilio per Cardinales, & alios pelli à Sede Apostolica, & anathematizari, &c. Sed dic quod ille textus debet intelligi, quando cum pecunia, vel humana gratia, vel populari tumultu interuenit etiam violentia intrusi, vt probat text. in dicto §. patet, & text. in dicto cap. si quis pecunia, ibi inuasorem illum, &c. Ad §. item Symma-
117 chus, dicendum est, quod Symmachus erat spoliatus, & etiam impetebatur, quod responderet obiectis criminibus in Concilio, ideo fuit decretum, quod non priùs teneretur respondere, quàm restitueretur. Et fortè ab actore spoliatus etiam non tenebatur respondere, & si à tertio, & criminaliter impetebatur, erat de maiori parte substantiæ, quia de Papatu. Vide in dicto cap. 1. de restit. spoliat. in 6.

De exceptione hæresis in Papam.

118 Sed quid si Papa est electus à duabus partibus iuxta formam, cap. licèt, vtrùm poterit contra eum opponi exceptio hæresis? Et glos. quinta in dicto cap. licèt, gloss. Philippus, & Vinc. secundùm quod referunt Ægidius, & Hostien. ibidem, & Ioannes dist. 21. §. nunc autem, & in cap. si Papa, dist. 40. & in cap. si quis pecunia, dist. 79. & Calde. in dicto cap. licèt, & Bald. ibi, qui dicit, quod qui excipit de hæresi, non propriè excipit, sed dicit nullum esse, tenent quod sic. Sed Alanus, Vincent. vt refert Ioann. Anton. & Innoc. Compostel. Ioan. Andr. Anton. Card. & Abb. Petrus de Anchar. & Ioann. de Immol. videntur velle, quod post electionem factam formiter à duabus partibus, & receptionem, non possit opponi exceptio hæresis, sed benè possit accusari per cap. si Papa dist. 40. quod & refert Domin. in cap. vbi periculum in §. cæterùm in glos. in verbo idoneo, de elect. in 6 Et idem videtur velle Cardin. in Clem. ne Romani, §. penult. de elect. & Henricus Boic. in dicto cap. licèt. Et hoc per rationem illius text. qui generaliter prohibet posse opponi aliquam exceptionem. Quo ad id, quod dicitur de accusatione, vide Doct. in cap. in fidei, de hæres. in 6. Pro quo facit distinct. 17. §. hinc etiam, & §. Serenissimus, & 2. qu. 7. §. item
119 Symmachus. Et in hoc dicunt eum releuari, quia cum debeat eligi Papa à duabus partibus vt ibi, releuatur primò, quia ipse etiam connumeratur in numero duarum partium, & secundò quia contra eum postquam est electus non potest opponi aliqua exceptio. Vtrùm autem hoc sit verum simplicitèr quod ipse computetur in numero duarum partium, vide ibi latiùs per Doctores post glos. quia non procedit sine dubio, quia glos. tenet ibi contrarium de quo vide ibi in dicto cap. licèt, distinctionem Bald. & Cardin. in 9. qu. Et Abbas ibi vult tunc demùm computari vocem electi, quando priùs fuit ab alijs electus, & ipse posteà consentit electioni de se factæ, quia tunc non potest dici ambitiosus. Et
120 si ipse ante dedisset vocem suam alteri, potest recedere ab electione, quam fecit, & accedere ad electionem de se factam, quia admittitur variatio per accessum, vt ibi est text. & dicunt Doct. Adde etiam quod licèt quis non possit eligere seipsum, vt in cap.
121 fin. de instit. tamen si electio Papæ committeretur à Cardinalibus vni, ille posset eligere seipsum, & hoc casu non habet locum, cap. fin. Ita dicit Archiep. Florent. in tertia parte historiæ suę tit. 21. cap. 4. Quod ideò dicit, quia tunc vice omnium aliorum eligit, & dicit hoc euenisse in Ioanne XXII. De quo dubito si non fuisset data etiam facultas eligendi se ipsum, & contrarium videtur velle Hostien. in dicto cap.
122 licèt. Sed contra opinionem Innocen. & relatorum supra, & aliorum sequacium, facit, quod si potest accusari à fortiori videtur, quod possit contra eum excipi, quia cui damus actionem multò magis exceptionem, leg. 1. §. ait Prætor, ff. de superfi-
123 ciebus, & l. cui damus, ff. de regulis iur. cap. qui ad agendum eod. tit. in 6. Aliqui respondent, quod illa regula non habet locum in possessorijs adipiscendæ possessionis, vt fuit Ioann. Andr. in dicto cap. licèt, qui remittit se ad dictum cap. qui ad agendum. Sed Card. in dicto cap. licèt, tenet quod Imol. veritas est in contrarium, ita quod illa regula non habet locum in possessorijs recuperandæ, in quibus non obstat exceptio dominij, tamen in possessorijs adipiscendæ, & retinendæ sic, in quibus obstat exceptio dominij, vt ponit Dyn. in dicta regula qui ad agendum. Cum opinione Innoc. tenet etiam Ioann. de Lignan. in dicto cap. licèt. Pro qua opinione facit secundùm Ægidium Bellameram ibi, quod aut talis electus possidet, & tunc cessat exceptio, quia cessat actio, ff. vti possi. leg. 1. §. interdictum autem, exceptio enim est actionis exclusio, leg. 2. in princ. ff. de exception. Aut possedit, & est spoliatus, & tunc statim nulla exceptione audita restituendus est, cap. item cùm quis, & cap. in literis de restit. spoliat. & in Papa spoliato, text. in d. §. item Symmachus, 2. qu. 7. Aut possessionem numquam habuit, & tunc adhuc idem, quia cùm talis electio vim confirmationis habeat, vt ibi, & dist. 23. in nomine Domini, nulla exceptio debet eius executionem impedire. Ad hoc quod legitur in cap. constitutus de appellat. & in cap. accedens de accusat. & per Ægid. in cap. quod sicut, de election. Et quia si esset aliud dicendum in alijs, secus videtur dicendum in hoc casu electionis Papæ, in quo aliquid speciale quo ad hoc statuitur, vt dicto cap. licèt in fin. & simile in cap. indemnitatibus, §. sanè, & §. verùm eod. tit. in 6. ad regulam qui ad agendum. Vo-
124 lendo tenere opinionem Innocent. potest responderi, quod regula est vera quando ad idem est agendum, & excipiendum, & ad idem tendit actio, & exceptio, vt dicit Innocentius in ista materia in cap. inter dilectos de excess. Prælat. quia actio, siue accusatio tendit ad vindictam, & non ad persecutionem rei familiaris, sicut exceptio

quæ proponitur pro defensione iuris, vel rei familiaris. Vnde in proposito quando Papa accusatur de hæresi, actio, siue accusatio tendit ad pœnam, quia tendit ad hoc vt priuetur, & amoueatur à Papatu, sed quando excipitur quod est hæreticus, non impedit, nec per talem exceptionem remoueri potest à Papatu, nec per eam tollitur titulus Papatus. Et ideo quia exceptio, & actio tendunt ad diuersa, non habet locum regula, cui damus actionem, & exceptionem, immò tunc aliquando datur actio, & non exceptio. Vnde in simili si periurus, vel criminosus, qui potest priuari beneficio recipit beneficium, & agit super illo contra tertium, reus non potest excipere de crimine ad effectum vt ipse repellatur ab agendo, & petendo suum beneficium, & tamen potest contra eum agere vt priuetur, vt dicit Cardin. in cap. constitutus in fin. de appellat. Facit quod dicitur in cap. dilecti de except. vbi de materia, & in cap. super ijs, & cap. accedens de accusat. & quod dicitur in cap. 1. de except. & cap. 2. de confess.

Sub isto articulo comprehendendo plures casus, dic secundùm Ægidium Bellamera, quod aut quæritur vtrùm electio facta de hæretico, & pertinaci ad Papatum sit ipso iure nulla. Et dicendum est quod sic, argumento, cap. quicumque, §. hæretici autem de hæretic. in 6. & quod not. distinct. 19. Anastasius in prima gloss. & 2. q. 7. Sacerdotes, cum ibi notatis per gloss. & Archidiac. & quod notatur, 24. qu. 1. in summa, & ead. causa, & quæst. capit. 1. 2. & 3. Facit dictum Apostoli ad Titum, cap. 3. ad finem. Et facit ratio, quia in natura non potest verum caput in totum à corpore, seu membris separari, nam sicut Episcopus est caput Ecclesiæ suæ particularis, vt in cap. nouit, de ijs, quæ fiunt à Prælat. 7. quæst. 1. cap. denique, sic & Papa est Caput vniuersalis Ecclesiæ, vt in cap. significasti de elect. Et sicut non potest separari ab Episcopo Capitulum Ecclesiæ, vt in cap. cum non liceat de præscript. ita dicendum est in Papa. Sed hæretici, & schismatici sunt diuisi, & separati ab Ecclesia, vt in firmissimè de hæres. & 24. quæst. 1. per totum, igitur Papa hæreticus tamquam separatus ab Ecclesia non est Papa, & electio de eo facta erit nulla, & idem si non sit vir, sed mulier.

125 Sed si sit vxoratus, & vxor non potest induci ad seruandum continentiam, cohabitabit cum ea, vt dicitur post gloss. in cap. si quis pecunia, 79. dist. & dicit Anton. & Abb. in cap. licèt, & dicit Domin. in cap. vbi periculum, §. cæterùm de elect. in 6.

Vtrùm autem eo casu retinebit Pontificatum, dicitur in dicto capitulo si quis pecunia quod sic. Immò secundùm quod dicit Mathesillanus in addit. ad tractat. Anton. de Butrio, eo casu si Papa non potest induci ad renunciandum, ex quo vxor non vult seruare continentiam posset proptereà deponi, vt refero infrà in quæstione, quando Papa passim committit simoniam, & est incorrigibilis, vtrùm possit deponi. Quod dictum Mathesillani, an sit verum, vide in dicto capitulo si quis pecunia, quia non videtur quod Papa possit post electionem à Papatu eijci, nisi propter hæresim, & maximè quia quod à Papa non possit retineri vxor, videtur esse de iure positiuo, præsertim si Cardinales fuissent conscij tempore electionis, quod erat vxoratus.

Et idem in infante, scilicet quod sit nulla, quia non est capax ordinis, secundùm d. Anton. ibi. Et idem si sit iudæus, paganus, non baptizatus, & fidei Christianæ inimicus vt ponunt Doct. in d. c. licèt maximè egit. in 5. quæsito; in verbo absque vlla exceptione, in versic. sexto dico. Et ibi etiam ponit idem si sit mulier. Et idem videtur Ioanni Andreæ in Nouella dicendum de Monacho. Quod non est simpliciter verum vt ibi notat Abbas in quarto notabili, & ponit Cardin. in quæst. 28. qui simpliciter tenet contrarium in dicto cap. licèt quod latè examinant Doct. in dicto cap. licèt. Et idem si sit furiosus secundum Ant. & Abb. in dicto cap. licèt. Qui Abb. simpliciter intelligit in omni exceptione, per quam iure diuino, vel naturali infertur, quod non possit esse Papa, quia tales exceptiones non solùm inficiunt ius habendi, sed etiam possidendi, & dummodo furiositas fuerit ante, & tempore electionis, secundùm Ant. ibi. Idem si opponatur, quod fuerit electus adhuc viuente Papa cum fortè crederetur mortuus, vel quod esset ita tempestate maris opressus, quod euadere non posset, quia non

126 valeret electio, quia viuus est non solùm qui viuere potest, sed qui mori potest, notatur ff. de manumis. testa. l. qui duos, vnde non dicitur mortuus, cui de vltimo vitæ spiritu aliquid superest, notat gloss. in cap. commissa de elect. lib. 6. Ita dicit Bald. in dicto cap. licèt. Quid autem de corpo-

127 re vitiato, gloss. in cap. in nomine Domini, in verbo gremio, dicit quod non est idoneus. Sed dic contra, quia licèt non debeant eum Cardinales eligere, tamen post electionem exceptio, quod sit corpore vitiatus cum non repellit, secundùm Doct. ibi in dicto cap. nomine Domini maximè Alex. ibi, qui etiam ponit, quod non poterit opponi, quod non sit de gremio Cardinalium, & idem dicit Abb. in 4. notabili dicto cap. licèt. Quamuis enim Cardinales aliàs peccent eligendo aliquem inhabilem, inhabilitate insurgente de iure positiuo, tamen post electionem non poterit contra eum excipi. De hermaphrodito

128 muto, & surdo dicit ibi Bald. in dicto cap. licèt, quod non est quærendum, quia Cardinales non facerent ita fatuam electionem, & de ineptis non est quærendum. Sed immò videtur, quod posset contingere maximè in hermaphrodito, cuius vitium potest occultari, & fortè in eius persona electio non retractaretur, si magis incalesceret sexus masculinus per textum, & dicta ibi in leg. quæritur ff. de statu hominum.

129 Addo ad istud primum membrum distinctionis Ægidij inquantum ponit de hæretico pertinaci, videri idem dicendum

de

de quocumque hæretico siue notorio; siue occulto, & siue pertinaci, siue non pertinaci, scilicèt, quod si constat eum tempore electionis fuisse hæreticum, electio fuit nulla, ex quo tunc tempore electionis erat in firmo proposito tenendi damnatam opinionem. Et quamtumcunque post factam electionem, & detectam hæresim non pertinax, non sufficeret fortè ad remanendum in Pontificatu, quia ex quo tempore electionis non poterat eligi, & electio fuit nulla, non conualesceret, & præsumeretur mutasse opinionem potiùs vt remaneret in Pontificatu. Licèt aliter videretur dicendum si post factam electionem factus fuerit hæreticus, & in illa hæresi non fuerit pertinax, quia tunc remanebit Pontifex, ex quo à principio vera, & bona fuit, & valida fuit electio. Ratio in primo casu est quia, ex quo tempore electionis reperitur ipsum esse extra Ecclesiam, non poterat esse caput Ecclesiæ, vt dicunt Doc. in dict. cap. licèt. Et vide quæ dicuntur infra in illa quæstione de Papa, qui post congregatum Concilium antequam sit conuictus reuocat opinionem, & in alia, ex quibus causis possit Papa deponi.

Aut quæritur nunquid Papa, qui labitur in hæresim post electionem, & receptionem, & pertinax est, desinat ipso iure esse Papa. Et dicit idem Ægidius, quod sic argumento cap. vt commissi post prin. de
130 hæred. in 6. accipiendo ibi verbum potiùs correctiuè seu expositiuè, prout ibi accipit Ioann. And. in Nouella, & argumento cap. cùm secundum eodem titulo & lib. & cap. fœlicis §. si quis verò de pœnis in 6. Et licèt illa iura non videantur ligare Papam, argumento cap. proposuit de conces. præben. vrgent allegata in proximo membro immediatè ante, & quia dicitur de hæretico pertinaci in cap. dixit Apostolus 24 quæst. 3. & dicto cap. nunc autem. Et intelligo Ægidium in pertinaci siue fuisset talis hæreticus occultus, & posteà in hæresi deprehensus, & conuictus, siue aliter factus notorius hæreticus, quod talis desinit esse Papa, vt in dicto cap. si Papa dist. 40. & dico in præallegatis quæ-
131 stionibus. Aut quæritur vtrùm contra electum in Papam, possit excipi de hæresi. Et tunc si huiusmodi hæresis est notoria, & quærimus de iudiciali oppositione, non potest, per textum in dicto cap. licèt in fin. Vult dicere; quod non possit excipi iudicialiter, quia ex quo non habet superiorem, non est coram quo possit ventilari tale iudicium. Sed hoc non haberet locum postquam esset congregatum Concilium generale, coram quo tractatur causa Papæ super hæresi, vt dicitur in cap. si Papa dist. 40. Item tenentes istam opinionem, quod non possit objici etiam exceptio hæresis, mouentur per textum, quod vult, quod statim Papa post electionem à duabus partibus consequitur plenum ius, & prohibet generaliter obiectionem cuiusuis exceptionis. In qua opinione fuit Inn. Ioan. An. Ioannes de Lignano, & Cardi. floren. Hostien. & Compostel. Sed si est verum, quod possit objici omnis exceptio, quæ vulnerat titu. Papatus ratione defectus insurgentis, ex inhabilitate iuris naturalis, vel diuini, vt vult Ant. & Abb. siculus in dict. cap. licèt, electio facta de hæretico est, nulla, quia est præcisus ab Ecclesia, vt supra dictum est, & sicut potest opponi exceptio, quod est iudæus siue paganus, eodem modo videtur dicendum de hæretico, loquendo de notorio hæretico, & de nondum possessore Pontificatus. Et isto modo potest intelligi glos. in dict. cap. licèt, & Alanus Vincentius, videlicet in notorio hæretico, & ante susceptam administrationem, sed postquam administrauit, Abbas vult quod non possit excipi, sed accusari de hæresi, & sic cum opinione Innocen. Si autem quærimus de extraiudiciali oppositione, videlicet subtrahendo, & denegando obedientiam huiusmodi hæretico notorio pertinaci, vel eum non admittendo; vel à Papatu remouendo, potest fieri, & opponi per notata per glos. & Archid. 24. quæst. 1. in summa: & quæ dicuntur in capitulo vestra, de cohabit. cler. & mulier. & de diuort. cap. significasti: per Innocent. & in cap. constitutus, de filijs presbyt. & text. est planus secundùm ipsum Ægidium in dict. § patet 3. quæst. 1. Aut hæresis non est notoria. Et talis exceptio non est admittenda: imò hoc casu electus in Papam admittendus est ad possessionem, etsi est spoliatus est restituendus ante omnia non obstante prædicta
132 exceptione. Et ita intelligit Ægidius §. item Symmachus, & §. hinc etiam ante finem argumento 3. quæst. 1. Episcopis 2. quæst. 4. omnibus & cap. mandastis, & 2. qu. 4. nonne. Et ita procedunt notata per Archid. in cap. vbi periculum, in §. cæterùm in fin. super verbo idoneo. Et sunt prædicta vera de electo à duabus partibus nondum recepto; sed in electo à duabus partibus, & recepto ab eis liberè, ipsa libera receptione durante, si de his patenter constat, dicit idem Ægidius in d. c. licèt, quando examinat defectus reddentes electionem nullam in versic. secunda ergo conclusio, quod nulla poterit opponi exceptio, nec fieri contradictio iudicialis, vel extraiudicialis, nec de hæresi, aut alio crimine, vel defectu notorio, vel occulto eligentium, vel electi, nec de simonia, vel impressione in electione commissa, & quod absque vlla tali exceptione ab vniuersali Ecclesia talis pro Romano Pontifice est habendus. Et ad hoc mouetur per generalitatem illius text. in fin. quam ita effusam in materia, tam periculosa non præsumit distinguere, maximè cum nec glos. nec Doct. distinguant; & præsertim in electione facta per impressionem, in qua etiam nihil ponunt speciale, & ideò dicit tenendum quod non possit objici. Et ad cap. in nomine Domini, & cap. si quis pecunia, respondet se fateri, quòd electus, & inthronizatus, & quod à Cardinalibus, & alijs Clericis Deum timentibus, & laicis tanquam anathematizatus, & inuasor à Sede Apostolica debet pelli. Sed secus dicit in proposito: ait enim quod si talis per impressionem electus, liberè esset receptus in

in Papam à duabus partibus, & duraret talis receptio, & de his manifestè appareret, tunc non posset de impressione excipi, sed deberet Romanus Pontifex ab Ecclesia vniuersali haberi: & valebunt omnia, quæ faciet quasi per Prætoris tuitionem l. 1. §. idem Pomponius, ff. quod fal. tuto. Et hoc ideò, quia receptio, & obedientia libera Dominorum Cardinalium habet vim confirmationis, secundùm Hostien. ibi, & authoritate, dict. cap. licèt, vt euitetur maius malum, non obstante quocumque defectu, dat ei facultatem administrandi Papatum, etiamsi non sit Papa, & arctat omnes Christi fideles ad ei obediendum tanquam Papæ. Pro quo facit ille text. in cap. in nomine Domini 23. dist. qui vult quod statim postquam est electus possit administrare. Intelligit tamen quod in casu præmisso licèt contra talem non possit obijci de hæresi, tamen bene poterit accusari, & in hoc concordant omnes Doct. in dict. cap. licèt. Vide de ista materia, quæ recito post Ægid. in illa quando Papa possit committere simoniam dando prælaturas pro pecunijs, modicum ante fi. & insertam bullam Iulij, in quæstione, vtrùm simonia inficiat ipse iure Papalem electionem: & in secunda quæstione illam sequente, videlicet quando obijcitur aliquid contra Papam, per quod dicitur, quod non sit verus Papa, cum sequen. De ista autem exceptione per impressionem alibi latiùs dicetur, & hodie est constitutio frequens edita in concilio Constantien. vltra ea, quæ dicuntur in cap. licèt de elect. & cap. in nomine Domini 23. dist. & quod dicit Abb. in cap. abbas, quod

133 metus causa. De exceptione, quod sit hæreticus notorius, videtur dicendum vt supra dixi, quod quia talis exceptio, vulnerat titulum Papatus habendi, & possidendi, potest opponi, vt ponit Abb. in dict. cap. licèt in glos. 3. Quod intelligit etiam in electo à duabus partibus, sed ante possessionem. Et hoc videntur sentire Ægid. in quocũq; delicto notorio reddente electionẽ nullam, quia non potest adiri superior. Ita ipse sentit in illo articulo vtrùm electio illa Vrbani fuerit nulla in consilio 99. Quinimmo si rectè inspicitur idem Abbas loquitur in quocumque hæretico etiam occulto ante tamen possessionem, & administrationem, quod videtur esse contra illud, quòd dicit Ægidius in vltimo membro suprà, sed post possessionem vult, quòd tantùm possit accusari, & non excipi. Et sic patet, quòd licèt alias, quàm primum est electus à duabus partibus, talis possit illico se ingerere administrationi, tamen si impediatur de facto, puta si obijciatur hæresis, talis exceptio impediet administrationem, ipsi sic à duabus partibus electo.

134 Quinimò si tempore celebratæ electionis Concilium teneretur, & contra electum, & possessorem obijceretur notoria hæresis, Concilium posset per se cognoscere, quia sufficit quòd allegetur notorium, & sicut potest opponi, quòd non est electus à duabus partibus, pariformiter, & multò magis opponi potest, quòd est notorius hæreticus. Et Concilium procedet tanquam contra notorium hæreticum sine alia accusatione, vt patet ex ijs, quæ ponit Anton. in cap. vestra in 3. colum. de cohabit. cler. & mulier. Licèt Doctor. post electionem, quia potest illico se ingerere administrationi, in hæretico etiam simpliciter dicant, quòd non possit excipi, sed quòd debeat accusari, non aliter distinguendo. Et si rectè inspiciatur, ista mea opinio non contrariatur dictis Doctorum in d. cap. licèt, quia eorum dubietas est, quòd contra electum in Papam à duabus partibus, & receptum, non potest obijci exceptio etiam notoriæ hæresis, quò minùs remaneat Papa,

135 & administret Papatum, quia sola exceptio notoriæ hæresis non suspendit eum ab administratione Papatus, sed debet accusari, secundùm quòd dicunt in cap. in fidei de hær. in 6. Et in casu nostro dicitur, quòd postquam est congregatum Concilium, ita potest procedi contra Papam hæreticum notoriè, per viam exceptionis, sicut per viam accusationis, quia Concilium iudicat de hæresi Papæ, siue illud sit per viam accusationis, siue exceptionis sine differentia. Facit quod dicitur in cap. 1. in fine de except. & in cap. super ijs, & in cap. accedens, de accusat.

136 Vnde concludendo ex præmissis dicendum est, quòd si quærimus vtrùm hæreticus habeat titulum Papatus, dicendum est quod non, siue fuerit hæreticus ante electionem, siue sit factus hæreticus post electionem, & siue fuerit, & sit in possessione Pontificatus, vel non, vt in cap. si Papa 40. dist. Et de hæresi semper poterit accusari in Concilio, vt in d. cap. si Papa, & dicitur in cap. super eo de hær. Si autem quærimus vtrùm possit excipi de hæresi ante electionem, clarum est, quòd sic, quia vulnerat titulum Pontificatus habendi, & possidendi. Si verò quærimus postquam est electus à duabus partibus, vtrùm electio sit nulla, dicendum est, quòd sic, ex quo tempore electionis erat hæreticus. Si autem post electionem sit hæreticus, desinit ipso iure esse Papa, vt de his duobus casi-

137 bus supra dicitur. At si quærimus vtrùm possit excipi postquam est electus ad amouendum eum à Pontificatu, dicendum est quòd non poterit si fuit receptus, tùm quia non est superior ad quem possit haberi recursus, tùm quia ex quo ipse receptus nihil petit, cùm iam possideat, cessat actio, & consequenter exceptio, quę est actionis exclusio, vt dicit Abbas in cap. licèt in glossa in verbo exceptione. Et hoc siue sit hæreticus notorius, siue occultus, ex quo est electus, receptus, & pacificè administrat, vt sicut dictum est. Si autem nunquam fuit receptus, nec admissus, nec administrauit, tunc aut hæresis est occulta, & non potest excipi per cap. licèt, ex quo est electus à duabus partibus, nec poterit impediri quin administret, vt in cap. in nomine Domini 23. dist. quia virtualiter non requiritur aliqua receptio, nec admissio, quia ipso facto, quòd à duabus partibus reperitur formiter electus, potest propria aucto-

rita-

ritate administrare, d. cap. in nomine Domini, secundùm Innocentium, & refert Cardin. in 14. quæsito in cap. licèt de elect. Sed debet accusari secundùm communiorem opinionem in d. cap. licèt. Et hoc
139 probat text. in verbo redarguere, quòd denotat accusationem in d. cap. si Papa, secundùm Henricum in d. cap. licèt. Aut hæresis est notoria, & impeditur iste electus, qui nunquam possedit, quia non admittitur, & subtrahitur ei obedientia. Et isto modo exceptio admittitur, quia talis inficit titulum, & ius habendi, & possidendi. Et hoc videtur velle Abb. post Anton. in d. cap. licèt, cùm ipse, Abb. tantùm considerat si fuit, vel non fuit adeptus possessionem, nec considerat an sit notorius hæreticus, sed simpliciter loquitur in quocumque hæretico. Et hoc tenet Ægidius hic, cùm vult hoc posse opponi extraiudicialiter, per gloss. & Archid. 24. quæst. 1. in summa. Non obstat, quòd dicit de Vrbano Ioan. de Fan. in 6. item Symmachus 2. quæst. 7. tùm quia Vrbanus erat possessor Papatus, nec obijciebatur ei exceptio hæresis, tum quia erat dubium, an metus esset iustus, & an electio facta per metum esset nulla. Secundùm autem Ægid. ista exceptio notoriæ hæresis non potest opponi iudicialiter, quia sufficit quòd sit electus à duabus partibus ad hoc, vt nulla ei exceptio possit obijci, vt in d. cap. licèt: quinimò, quòd plus est, sufficit quomodocumque fuerit nominatus in Papam secundùm Hostiens. & Anton. in d. cap. licèt. Et opinio Ægidij videtur comprobari communiter: nam Innocent. Immol. Compostell. Ioann. de Ligna. Henric. Ioan. Anton. Card. simpliciter loquentes non distinguunt an iudicialiter, vel extraiudicialiter, an hæreticus notorius vel occultus, sed simpliciter volunt quòd post electionem à duabus partibus, & acceptationem subsecutam electi, nulla possit ei obijci exceptio etiam hæresis, sed quòd debet accusari. Sed secundùm opinionem Abbatis Siculi, qui considerat possessionem antequam cœperit administrare, potest obijci de hæresi, & alijs exceptionibus iuris naturalis, & vulnerantibus titulum, & ius possidendi. Pro quo videtur text. in d. cap. licèt, qui ad hoc vt nulla possit obijci exceptio, requirit quòd sit electus, & receptus à duabus partibus.
140 Et hoc dicit Hostiens. ibi in verbo receptus. Et hoc mihi placet. Licèt eo respectu, vt possit per se ipsum administrare, sufficiat etiam si non fuisset receptus secundùm Ioan. Andr. qui sic refert Hostiens. in hoc. Si autem ista exceptio notoriæ hæresis opponitur post electionem, receptionem, & administrationem, in hoc non reperio, quod Doctores aliquid specificè dicunt; sed ex quo simpliciter loquendo dicunt electo à duabus partibus, recepto, & admisso, non posse obijci de hæresi non distinguendo de occulta, vel notoria, videntur velle quòd non possit excipi, sed accusari. Et istud clarè prosequitur Ægidius hic, in eo, qui est electus à duabus partibus, & receptus, & durat receptio, vt supra dicitur, & rationes eorum, quæ dicuntur sæ sunt, procedunt etiam in notoria hęresi.
141 Sed postquam esset congregatum Concilium ad discutiendum de viribus tituli Papatus, mihi videtur etiam si per viam exceptionis notoriæ hęresis procedatur, quòd talis exceptio esset admittenda, quia ad accusandum non sic de facili solet accedi, & esset causa fouendi hæreticum caput in Sede Apostolica, & in notorijs non requiritur petitio, neque libellus, neque accusatio, maximè in materia peccati, & tangente publicam vtilitatem; vt dicitur in cap. vestra, maximè per Anton. in 42. col. Et poterit Concilium procedere per viam inquisitionis secundùm Anton. ibidem columna 37. versic. venio ad quartum. Et
142 notorium sufficit quòd allegetur, & proponatur, vt in Clem. appellanti, de appellat. Et super notorio proceditur ad executionem sine sententia, vt in l. ictus fustium, ibi Bartol. ff. de infamibus. Non obstat, quòd cap. licèt, prohibet opponi omnem exceptionem, quia ad hoc respondet ibi Abb. Item illud intelligitur, quòd per exceptionem non impediatur administrare, sed quòd non possit per Concilium amoueri ille, qui non esset, nec esse posset Papa, non fuit sensus illius text. nec quòd hæreticus remaneret Papa. Et hic adde, quæ dicentur infra in illo articulo, an sit sufficiens causa congregandi Concilium propter simoniam in versiculo sed quæro vlterius.

143 Et ex his patet ad quem spectabit congregatio Concilij in primo casu secundi membri, quia si reperitur vnus electus à duabus partibus formiter, & voluntariè receptus, si de electione constat, nec tempore electionis constitit notoriè de aliquo crimine ipso iure inficiente titulum Papatus, vel si non constat de electione, & receptione à duabus partibus; tamen non est dare casum in quo partes valeant reclamare, nec alius est intrusus, spectabit congregatio Concilij ad talem possessorem excluso contradictore. Si autem est tale quid, quod inficit ipso iure titulum Papatus, & nondum ille receptus est, & est casus, in quo licitè partes valent reclamare, tunc si nullus est in possessione, congregatio spectabit ad Cardinales, ex quo habent iustam causam reclamandi, & nullus electus est verus Papa, quia obstat tale quid, quod ipso iure inficit titulum Papatus, quòd allegatur ante electionem, vel in ipso actu electionis, alioquin semper congregatio spectabit ad eum.

144 Alius, & secundus casus secundi principalis membri erit quando sunt electi duo & recepti, & vna pars adhæret vni, & alterum dicit hæreticum, vel è contra altera pars alterum dicit Papam, & alium schismaticum, & sic vtraque pars habet partem suæ obedientiæ, & vterque est in possessione partis suæ. Et tunc videtur, quòd nullus ipsorum conuocabit, sed potiùs Ecclesia dicetur quasi vacare, vt dicitur in capitulo primo de schismat. in sexto; ex quo non constat nec de vero Papa, nec de vera alicuius quasi possessione Papatus, & tunc vel Cardinales, vel habentes supplere per viam

viam requiſitionis congregabunt, & facta congregatione Concilium ſibi ipſi authoritatem interponet: textus in capitulo ſi duo ſeptuageſimanona diſtinctione vbi duobus de Papatu contendentibus cognoſcit Concilium, nec dicit textus, quis conuocabit Concilium. Quòd, & videtur tenuiſſe Petrus de Ancharano in quadam ſua reſponſione facta ad Oratores Regis Franciæ in Concilio Piſano, & Anton. de Butrio, in allegationibus pro Concilio Piſano, & Doctor. in capitulo placuit 18. diſtinctione.

Sed tu dic quod iſto caſu vterque propter poſſeſſionem ſuam conuocabit obedientiam propriam ſi voluerit effectualiter facere, & conuenient in vnum, & erit concilium verum legitimè congregatum. Et ad hoc facit, quod ponit Oldradus in conſ. 22. & 23. de duobus electis in Imperatores, & adminiſtrantibus iura Imperij, & infra dicitur. Licèt Alexan. in cap. 1. 17. diſt. voluerit, quod Cardinales, ex quo nullus eſt verus Papa, congregabunt. Sed Cardin. in cap. licèt in 2. quæſt. de elect. vult quod ad Imperatorem ſpectet ſollicitare, quod concilium congregetur, & quod ipſi poſſeſſores Papatus congregent obedientias ſuas. Hugo tamen in cap. ſi duo 79. diſt. & refert Abb. in cap. fraternitatis de hæret. dicit, quod hoc caſu congregatio ſpectabit ad Cardinales. Sed quod vterque ſi voluerit poſſit, facit in argumentum. C. de teſtam. l. 1. & C. ad Macedon. l. 3. & l. ſi arbiter C. de ſententijs 8. quæſt. 4. nonne notat gloſ. & Innocent. in cap. nihil de elect. & in cap. querelam, & de cauſ. poſſ. & propriè, cùm Eccleſia & cap. cum olim, ponit Hoſtien. de reſtitut. ſpoliat. cap. cùm Eccleſia. Ad idem de elect. Cumana, de iurepatron. conſultationibus, cum ſimil. Et ita dicit etiam Cardinal. in cap. licèt in tract. ſchiſmatis q. 2. de elect. videlicèt, quod vterque congregat obedientiam ſuam, de qua eſt in quaſi poſſeſſione, & in qua habetur pro vero Pa-

145 pa. Et ita dicit intelligendum §. hinc etiam 17. diſt. vbi Symmachus, qui contendebat de Papatu cum Laurentio congregauit concilium, quia intelligendum eſt, quod Symmachus erat in poſſeſſione Papatus, quoad ampliorem partem Catholicorum. Quod intellige, vt ſupra dictum eſt, quod Laurentius ſpoliauerat Symmachum de aliqua minori parte obedientiæ, & propterea fuit congregatio facta per Symmachum: alioquin non valuiſſet fortè ipſa congregatio, ſi ambo in ipſa electione fuiſſent ſtatim poſſeſſores diuerſę obedientiæ, niſi ambo conueniſſent in vnum, & quilibet cum ſua obedientia.

146 Et iſtam opinionem, quod ipſi conuenientes in vnum congregent concilium, tenent, Card. de Turrecr. in tract. de poteſt. Papæ lib. 3. cap. 8. col. 6. Ægidius tamen in Clem. dudum de ſepult. videtur velle quod ſpectet ad Cardinales, & idem dicit in omnibus caſibus, in quibus eſt dubium

147 de Papatu. Tu tene cum Cardinale. Et hoc dicit eſſe cautius Anton. de Butrio in tract. ſchiſmatis, videlicèt quod ambo ſuę quaſi poſſeſſionis faciant congregationem in vnum, licèt ratione incertitudinis videatur dicere, quod non ſit neceſſe. Et aduerte quod quando allego Anton. tract. ſchiſmatis, eſt ille ad quem fecit ſupplectiones Dominus Matheſillanus, ſed quando dico in allegationibus ſuis, intelligo de certis alijs allegationibus, quæ eo mortuo poſtea fuerunt repertæ, quæ diſputant vtrùm valuerit congregatio concilij Piſani facta per Cardinales ſine Papa, & an contendentes ſint primò reſtituendi. Nec ob-

148 ſtat ſi dicatur quod duo Pontif. eodem tempore eſſe non poſſunt. Nam licèt vtrúnque, ipſorum eſſe papam, inquantum prętenderetur multiplicatio Papatus, ſiue poſſe eſſe plures Summos Pontif. ſit contra articulum fidei, videlicèt vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, vt in cap. factus, & in cap. Nouatianus cum cap. ſequen. & in cap. non autem, & ibi notatur in gloſ. 7. quæſt. 1. & in cap. in apibus eadem cauſa, & quæſt. & in cap. ſi Epiſcopis 23. diſt. & 1. ad Cor. 1. & ad Epheſ. 2. & 4. tamen ex quo vterque prætendit ſe Papatum, & non apud alterum, vterque ex iuſta cauſa poteſt habere coloratam poſſeſſionem, qua poſſeſſione priuari non debet ante cauſæ exitum, vt lite pen. per totum cap. 2. cum materia de in integrum reſtit. & ideo vterque congregat ſuam obedientiam in eodem loco, & fit vnitas concilij. Vide quæ infra in alia quæſtione latiùs dico propter dicta Card. Alexan. in cap. ſynodum 17. diſt. qui videtur velle quod iſtud ſit potiùs de expedienti, quàm de iure, & tantùm in vno caſu hoc admittit, ſcilicèt quando ex alio capite eſſet dubium quis eſſet verus Pontifex, & non conſtaret quod vnus eorum duas partes, alioquin tenet ſimpliciter quod pertineat ad Cardinales, quia vbi conſtaret, quòd vnus ex eis in electione habuiſſet duas partes Cardinalium, tunc quia ille eſſet verus Papa, ad illum ſpectaret congregare. Sed tu dic quod Cardinalis quem allegat, videlicèt in cap. licèt de elect. loquitur, quando duo ſunt contendentes de Papatu in ſchiſmate inueterato, ita quod nullo modo poteſt diſcerni quis ſit verus Papa, vt fuit in ſchiſmate Vrbani, & ideò dicit quod tunc ſpectabit congregatio ad Cardinales, & idem virtuali-

149 ter ſentit Alexan. Etſi eſſent ita potentes, quod non poſſet induci ad congregandum concilium, & Cardinales non poſſent, iſto caſu etiam principes ſæculares poſſent apponere manus, & ipſos cogere ad ſedandum ſchiſma etiam inijciendo in eos manus, & faciendo ſopiri ſchiſma, & dubium declarari per concilium, vt dicit Abb. in cap. tua elect. 1. in gloſſ. 1. de deciſ. Et quod vterque poſſit conuenire, & quilibet cum ſua obedientia, etiam ſentit Archiep. Flor. in ſecunda parte ſummæ in tit. 3. de ſuperbia, cap. 11. verſic. ſed quid eum duo, in quantum vult quod illa congregatio concilij Piſani facta per Cardinales fuerit Conciliabulum contra voluntatem vtriuſque gerentis ſe pro Papa, ex quod non apparebat, quod per eos ſtetiſſet quò minùs

nùs schisma tolleretur; posteà enim apparuit ex cessione facta per Gregorium in cõcilio Constantien. quod fuerat paratus cedere secundùm cõuentionem inter eum, & Benedictum factam,& reducere in Ecclesiã vnionem, & inquantum vult, quod non licuerit concilio Pisano priuare ambos, & creare Alexandrum.

150 Quis autem tunc interponet authoritatem Concilio, quando adhuc non constat, qui sit verus Papa, dic quod nullus, quia sufficit sola congregatio hinc indè facta, & in vnum collecta, quia congregando satis videtur, ad quem spectat authorizasse, vt in cap. nunc autem. 21. distin. Vel dicendum est quod cùm tunc Ecclesia dicatur quasi vacare,sicut dicimus quando Papa est hæreticus, vel schismaticus,vt in cap.1. de schisma.propter istam scissuram, quæ est in Ecclesia, ipsummet Concilium sic congregatum per ambos, & per quemlibet de sua obedientia in vnum, interponet authoritatem sibi ipsi, vt probatur,in capitulo, si duo 79. dist. vbi Concilium cognoscit duobus de Papatu contendentibus, nec dicit quis authoritatem interposuerit, vt patet ex gestis Bonifacij cap.2. Et ratio huius quod nullus possit interponere authoritatem antequam sit discussum, & iudicatum quis sit verus Papa, est,quia ex quo electio debet esse à duabus partibus, & duo reperiuntur electi, videtur verisimile, quod neuter habuerit duas partes collegij in eadem electione, & consequenter,quod neutra electio ipsorum potuerit esse valida, & paria, sunt non esse, & esse, sed non apparere, l. duo sunt Titij,
151 ff. de testam. tut. & l. in lege, ff. de contrahen. emp.cùm sim. Et sic procedit quod dicitur, videlicet quod facta congregatione per vtrumque de sua obedientia in eodem loco, ex quo nullus denegat congregare obedientiam suam post congregationem ratione incertitudinis, quis sit verus possessor, & Papa d. l. duo sunt Titij, ff. de testam. tut. Concilium sic congregatum sibi ipsi authoritatem interponet. Quod fieri potest, vt infra dicitur in quæstione illa vtrùm Papa possit cogi ad præstandum authoritatem Concilio, & hodie videtur prouidere constitutio frequens edita in
152 Concilio Constantien. Non obstat quod dictum est, quòd vna pars communicabit schismatico, & per communicationem efficietur schismatica, quia non communicat vnitati 24. quæstione prima; schisma. & facit text.in cap.nuper de senten.excom. Schismaticis, enim non est communicandum 24.quæstione tertia,Clericus, dicente Domino ad Moysem, separamini à tabernaculis hominum istorum durissimorum,& nolite tangere de omnibus, quæ sunt eorum,vt in capitulo didicimus eadem causa quæstio.prima. Et quod alibi dicitur, nolite eos in domum recipere, nec eis dixeritis aue, quia qui eis dicit aue, communicat operibus eorum malis, vt in cap.omnis, eadem etiam causa, quæst.1. Et quod ibi legitur de sancto Ioanne Euangelista, referente Beato Policarpo, qui cùm apud Ephesum balneas ingressus fuisset, & vidisset in eis Cherintum schismaticum, recessit non lotus, dicens fugiamus hinc, ne, & balneæ nos corrumpant, in quibus lauatur Cherintus inimicus veritatis, vt in d. cap. omnis. Albericus etiam in l.iubemus,C.de sacrosanct.Eccles.3.column.exemplo Ioannis, qui aufugit è balneo propter Cherintum, refert quod cùm idem Policarpus obuiasset Marcioni schismatico dicenti sibi, agnoscisne me? respondit agnosco primogenitum Satanæ d. cap. omnis. Et 3.reg. 13. ostenditur, cùm enim decem tribus scissæ fuissent à tribu Iuda, & Beniamin, & relicto rege suo alium sibi foris constituissent, & tandem iret ad eos quidam propheta, vt peccata ipsorum exprobraret eisdem, & vltionem futuram prædiceret, panem apud illos edere, & aquam bibere vetitus est, quod cùm non custodisset, statim diuina censura percussus est, & indè regrediens, à Leone in itinere deuoratus. 7. quæst.1. denique. Quod, & ponit Hostien.in summa de schismat.in §.Quæ pœna, versic. sed exemplo. Cum schismaticis enim non potest fieri Concilium. 24. qu.3. cum quibus,iuxta illud Psalm.25.non sedi cùm Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo, odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo.

153 Hoc inquam in casu isto non obstat, quia ad hoc respondetur, quod ratione facti dubij, & intricati tunc participantes schismaticis euitarent excommunicationem, & peccatum. Et ita dicit Abb. siculus in rub. de schisma.in fin. & Ioann. de Auan.ibidem,& ponit Ægidius Bellamera in clementina dudum in principio in versiculo, sed pone de sepul. & latè idem Archiepiscop. Florent. in secunda parte summæ in titulo tertio, de superbia capitulo vndecimo versiculo, sed quid cùm duo. De quo etiam aliquid infra in quæstione, quando inter duos contendentes agitur de congregando Concilio, & in quæstione vtrùm Papa possit accusari de schismate. Item, quia hæc participatio fit ad congregandum Concilium pro tollendo schismate,tunc non incurritur pœna,sicut in simili de excommunicatis dicitur in capitulo cùm desideres, & capitulo inter alia, &
154 capitulo, quod in dubijs post glos.de sentent. excommun. vbi plures connumerantur casus, in quibus participans excommunicato non incurrit excommunicationem. Pro quo etiam bonus tex. in proposito in cap. si verè de sentent. excommunic. Tempore enim necessitatis sine peccato communicatur schismatico, & excommunicato, vt ibi. & nulla est maior necessitas, quàm causa sedandi schismatis, & contentionis Papatus, vt 12. dist. cap. omnia. Facit tex. in Clem. ne Romani in §. cęterum, & ibi glos. de. elect. vbi dicitur, quod possunt Cardinales quantumcumque aliqui ex eis reperiantur excommunicati procedere ad electionem Romani Pontificis, vt ibi dicit text. Nec tunc cum excommunicatis participantes incurrunt excommunicationem, vel pœnam aliquam, quia id fit lege permittente 23. quæst. 4. infideles. Facit vulgata,l. Gracchus, Cod. de adulterijs, &

l. nec in ea cum sequenti, ff. eo, l. seruus, §. si quis riuum, cum simil. ff. de riuis. Schismaticis autem non licet communicare, nisi quando correcti quærunt vnitatem, vt in capitulo maiores, & ibi glos. fin. 24. quæst. 1. Facit tex. in cap. 1. 23. quæst. 7. & in cap. pudenda circa fin. 24. quæst. 1. Non
155 enim semper gesta per vniuersitatem redduntur nulla ex admixtione inhabilium cum habilibus, vt ponunt Doct. in capitulo fin. de procur. & in capit. nobis de simon. & bene in cap. cùm Vintonien. de elect. 74. dist. quorumdam, 3. quæst. 9. pura, de offic. deleg. cum super Abbatia, de elect. cap. illa, & l. pedius, ff. de arbi. & in l. 1. §. item quæritur, ff. de aqu. quotid. & æstiua de quo in regula vtile per inutile de regulis iuris in 6. Et hoc maximè quando talis est mixtura, vt non possit discerni quis sit verus Papa. Ad hoc facit, §. generaliter, l. 3. ff. de donat. inter virum, & vxor. l. 1. §. 1. ff. quod falsò tutor. cap. 1. de Iurepatron. in 6. Item ratione mixturæ diuersam, & contrariam naturam habentium. Vnde magis dignum trahit ad se minùs dignum, capit. quanto de iudic. cap. quo in dubijs, de consecrat. Eccl. vel Altar. congruum enim est, vt id quod reperitur vtilius, & melius in alio, participet reliquum, cap. 1. ne Sede vacante, l. 1. Cod. re rei vxor. act. l. 2. Cod. communia de legat. l. 1. ibi
156 Bar. ff. de legatis. Item Videmus, quod aliquando vnus participat de natura alterius, & consequitur ex persona alterius, quod non habet ex sua, l. filio præterito, ff. de iniusto rup. & irrit. testam. Et patet in vxore, quæ habet priuilegium ex persona viri, 32. quæst. 1. si quis. Et cognatio spiritualis contracta cum vno, trahitur ad alios, 30. quæst. 3. cap. post susceptum, de cognat. spirit. cap. 1. Sic propter pupillum non vtendo via, tamen seruitutem viæ retineo, l. si communem, ff. quemadmodum seruit. ammit. Sic dicimus de patronatu clerici, & laici, vt in capitulo 1. de iurepatr. in 6. & Abb. in capit. fin. eodem tit. & decis. 266. in antiquis de gratijs, & iurepatr. Item non potest compromitti in laicum de re spirituali, sed in clericum, & laicum sic, cap. contingit, & cap. per tuas de arbitr. Sic quando est dubium, ex quo competat ius agendi, fit mixtura, & coniunctio ex duobus Senatusconsultis, l. 1. §. quid si hoc ipsum de liber. agnosc. l. Gallus, §. ille casus, ff. de liber. & posthum. Item pro defensione fidei licita est vnio cum Paganis; nam & Machabæi, qui erant viri sancti vniuerunt se cum Romanis, qui erant Pagani, vt patet, 1. Machab. 8. & canes in Ecclesia pro pace toleramus, 23. quæst. 4. quidam. Et Deus quandoque per malos facit vindictam, 23. quæst. 5. §. hinc notandum. Et in fauorem fidei etiam excommunicati, & tyranni possunt requiri pro auxilio, & admitti ad testimonium, vt in cap. in fidei, & cap. præsidentes de hæretic. in 6. Et propter dubium, in quo Territorio sit commissum delictum, admittitur iudex vtrinsque simul, l. iurisperitos, §. cùm omnium, ff. de excusat. tutor. cap. illorum de senten. excommunic. Et ideò dicti existentes in quasi possessione partis suæ, impunè, & sine aliquo metu alicuius censuræ, etiam si vnus eorum esset verus Papa, & alter esset schismaticus, possent hoc casu communicare, congregando concilium, & in vnum conueniendo, per prædicta. Vbi autem isti existentes in quasi possessione diuersarum obedientiarum nollent congregare, tunc congregatio spectabit ad Cardinales, vt dicit Card. Flo. in d. capit. licèt de elect. in 3. quæst.

Tractatus de modis tenendis, vt inter plures contendentes, habeatur vnus verus Papa.

Sed pone, quod inter duos contendentes de Papatu vnus est in possessione, qui non vult congregare, & alius nullam habet possessionem, vel quod ille, qui est solus Papa est hæreticus, & requisitus non vult congregare Concilium, quid agendum; Et videretur prima facie dicendum, quod ad Cardinales spectet congregatio, quia quando est contentio inter duos, & nullus est receptus, nec constat quod aliquis eorum fuerit electus à duabus partibus, iuxta capit. licèt de elect. non est curandum quis eorum sit in possessione, quia non potest haberi, nisi iniusta possessio. Et hoc voluit Alex. in cap. synodum 17. dist. Sed iudicio meo contrarium est veritas, vt patet ex dictis in præcedenti articulo, in quo ratione quasi possessionis partis suæ obedientiæ quilibet congregat, & sic habetur respectus ad possessionem. Nec est verum, quod ex quo non constat, quis sit verus Papa, de illorum possessione non sit curandum tamquam de notoriè iniusta, quia sic in omni casu, & in omni causa posset dici non esse curandum de possessione, ex quo non constat de proprietate, quod est falsum per ea, quæ dicuntur in cap. 2. de in integr. rest. & in cap. in literis de restit. spoliat. cum simil. Item cùm possit esse, quod ille, qui est in possessione habeat bonum ius in Papatum: non video quin hoc possit postea in Concilio ostendere. Nisi dicamus, quod Alexan. voluerit intelligere, quando constaret notoriè, quod nullus eorum habuisset voces duarum partium, quo casu quilibet posset eijci per cap. si quis pecunia, 79. dist in fi. Sed etiam isto casu ratio eius non fuisset bona, quia potuissent ex aliqua causa postea Cardinales concordare, quod electus à maiori parte esset verus Papa, vt d. cap. licèt.

157 Vnde videtur dicendum, quod quando sunt duo, de quorum electione à duabus partibus non constat, & alter est in possessione, si ille, qui est in possessione vult congregare, ad eum spectat congregatio ratione possessionis eius, vt in iuribus supra allegatis, cap. querelam, & cap. Cumana de elect. & cap. ex literis, & cap. consultationibus de iurepatr. & cap. 2. de in integr. restit. & cap. cùm Ecclesia Surrina de causa possess. & propriè, & cap. hoc quippe, 3. quæst. 6. per Ioan. de Fan. Facit, quod dicitur

citur de intruso conferente beneficia, & administrante, vt in cap. nihil de elect. & de hæretico possessore ibidem. Et in l. Barbarius, ff. de offic. prætor. per Iasonem. Nec obstat, quod non constat possessorem fuisse electum à duabus partibus, quia satis est, quod non constet de contrario, argumento eorum, quæ dicuntur per Bartol. in l. apud Trebatium, ff. de aqua pluu. arcen. & in l. quidam in suo, ff. de condit. instit. & in l. cum res, Cod. de probat. & quæ dicuntur per Felin. in cap. illud de præsumpt. post alios, & per Anton. & Immol. in cap. ex insinuatione, de procur. in regul. iur. de reg. iur. in 6. in cap. licèt Heli, de simon. cum simil. Et si is, qui est in quasi possessione Papatus, cui competeret ius congregandi per iura prædicta non vult congregare, videretur, quod ille, qui non est in possessione possit congregare Concilium, & illi authoritatem præstare, & sic tamquam proprietarius vti iure suo, vt dicitur in simili in d. cap. consultationibus, maximè quando agitur de actu celebrando ante litem motam super proprietate, vt in dictis iuribus, ex quo ipse existens in possessione non
158 vult conuocare. Item quia proprietas absorbet causam possessionis, vt in capit. cùm dilectus de causa poss. & propr. E contrario videtur, quod nullo modo possit. Primò, quia non constat si alius sit verus Papa, quia posset esse, quod possessor esset verus Papa. Et quando dicitur, quod proprietarius potest vti iure suo, & acquirere sibi possessionem intelligitur de illo, quem constat esse verum proprietarium, quod non est in proposito, in quo non constat aliquem esse à duabus partibus electum. Item debet intelligi quando acquirendo possessionem per actum facti, non spoliat alium sua possessione, sicut esset in proposito, quia si non possessor congregaret Concilium spoliaret quasi possessione verum possessorem ipsius Papatus, quod non est dicendum, vt patet in dictis iuribus in d. cap. Cumana, & cap. consultationibus, per Doct. Sed & hæc haberent locum, quando vterque esset in discordia electus, & ignoraretur quis esset verus Papa.
159 Vnde in isto casu posset dici, quod aut ille, qui est possessor, est notorius intrusus, & occupator fauore populari. Et tunc dic prout dictum est supra in secundo casu, & serua, quod dicitur in cap. si quis pecunia, 79. dist. & in cap. in nomine Domini, 23. dist. & in §. patet, 3. quæst. 1. quod debet fauore populari eijci omni conatu. Aut non est notorius intrusus, & occupator, sed est notorius hæreticus, quem ex veris probationibus constat esse notoriè hæreticum. Et tunc si requisitus non vult, tunc poterit alter coelectus cum Cardinalibus congregare, non iure authoritatis, & tamquam verus Papa, sed vt Cardinalis, & quilibet Catholicus, quia vera congregatio tunc propriè spectabit ad Cardinales ratione incertitudinis Pontificatus, & procedet dictum Hugonis clare in hoc casu, nec coelectus dabit, nec interponet autho-
160 ritatem Concilio, & tunc non dicitur spoliare posse possessorem, sicut nec Cardinales, vel Imperator, vel alij Prælati inferiores spoliarent verum Papam, qui requisitus non voluit congregare imminente necessitate tenendi Concilium, si ipsi congregarent. Et licèt coelectus cum Cardinalibus congregando etiam ipsum spoliaret sua quasi possessione, teneret tamen congregatio; ex quo recusat congregare, vel propter notoriam hæresim, in qua est pertinax. Et sic potest intelligi, quod dicit Alexan. in cap. synodum, 17. distinct. in princip. secundæ colum. quia non est verisimile hoc ipsum facturum, & quia notorius hæreticus, contra quem fit congregatio non retinet ius habendi, nec possidendi Papatum, ideò per alios fieri potest congregatio, & quia non constat de eius canonica electione poterit fieri etiam ipso non requisito, quia si in notorio hæretico recepto hoc aliqui sentiunt, vt supradixi in
161 primo membro, multò magis in isto. Et ideò non potest dicere se spoliatum, quia notoriè constat de iniusta eius possessione, & quod non est Papa. Ad quod facit quod
162 exceptio notorij defectus proprietatis, obstat spoliato, petenti se restitui capitulo ad decimas de resti. spol. in 6. & cap. significasti de diuor. &c. constitutus de filijs presbyt. & decis. 2. in antiquis de resti. spol. & decis. 3. eodem tit. in nouis. Facit quod dicitur in cap. vestra de coha. cle. & mu. vbi si aliquis se subtrahit à notorio fornicatore, non datur restitutio Rectori notorio fornicationi agenti 32. dict. præter hoc.
163 Et vbi ex restitutione nutritur peccatum, non datur restitutio cap. literas de resti. spol. glos. 3. quæst. 1. in summa. Et euidens iniusta possessio, non causat possessorium, vt dicit Innoc. in cap. cùm Ecclesia Sutrina, de causa poss. & proprie. De quo vide omnino Abb. in cap. si constiterit de accus. 2. col. & in locis proprijs. Et licèt dicatur quod debeat de hæresi accusari non excipi, tamen, quia nititur ad hoc, vt non teneatur Concilium, poterit hoc ad istum finem eo inuito per Cardinales fieri.

Aut possessor papatus non est notoriè intrusus, & est legitima causa, quare debeat congregari Concilium, vt quia dicitur quod Papa est hæreticus, licèt aliter notoriè non constet de hæresi, vel quia tenet aliquam nouam opinionem hereticam, quæ nondum reperitur damnata, vel si esset schismaticus, & in possessione Pontificatus, vel quia propter dubium exortum in electione dicitur, quod non fuit receptus, vel obijcitur ei, quippiam quod vulnerat titulum papatus, & scandalizat vniuersalem Ecclesiam, & nihilominus ipse detrectat congregare, & alius qui prætendit se Papam, non potest, quid agendum? Et in hoc est aduertendum, quia
164 licèt aliàs non possit congregari Concilium sine authoritate Papę, & in illius potestate, & voluntate sit illud congregare, & validare, & dissoluere, vt dictum est supra, & patet per totam illam dist. 17. tamen quando imminet necessitas congregandi, & ipse detrectat, potest per indirectum compelli ad illud conuocandum.
165 Non enim potest Papa facere legem,

quòd si ipse prolabitur in hæresim, de ipsa non redarguatur; vt vult illa glos. in cap. si Papa 40. di. aliàs posset exponere periculo vniuersam Ecclesiam, contra dictum Apostoli. 2. ad Corint. 13. dicentis secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi ad ædificationem, & non ad destructionem. Vndè præceptum est in veteri lege Deuteron. 13. Si in vna ex Ciuitatibus, quas dabit tibi Dominus audieris dicentes, eamus, & seruiamus dijs alienis, percuties habitatores Ciuitatis illius in ore gladij, & succendes eam igni, & erit sine habitaculo in æternum. Et Mathathias memor præcepti interfecit eum qui ad aram sacrificaturus accesserat, inquit text. in cap. si audieris 23. quæst. 5. & habetur Macchab. 2. Et ideò possunt Catholici insurgere aduersùs Papam hæreticum ex præcepto diuinæ legis, cui ipse sicut, & cæteri subiectus est. Facit quod dicitur in cap. quæ in Ecclesiarum, de const. & in cap. 1. de prob. & cap. cùm venissent, & iud. & 25. quæst. 1. sunt qui-
166 dam de pœnit. dist. 5. consideret 11. qu. 3. excellentissimus. Facit in proposito, quod dicunt Doc. in cap. nouit de iudi. quod etiam Papæ potest fieri monitio publica, quando est hæreticus, etiam illa, quod si te non audiuerit dic Ecclesiæ; de quo per Hostien. & Ioan. And. in cap. proposuit; de concess. preb. & de hoc alibi latiùs dicetur. Licèt in alijs criminibus sit secus, vt ibi. Et licèt glos. in cap. si Papa, videatur dicere contrarium, quia via denuntiationis in Papa videtur inutilis, illud est verum, vt illa via amoueatur, posset tamen esse vtilis, quia seipsum posset emendare, etsi non audit possunt catholici insurgere, & illi resistere, quia Papa non potest aliquid facere verbo, vel facto, aut aliquid statuere per quod turbetur vniuersalis status Ecclesiæ, & populus christianus ponatur in graui discrimine, & periculo fidei, per hoc quod dicit Innocen. & Doc. cap. quanto de consue. & in cap. inquisitioni, de sent. excomm. vbi dicit non esse parendum Papæ quando præciperet aliquid, quod contineret hæresim. Et licèt circa spiritualia habeat plenam potestatem, & possit prohibere Episcopis officium chrismandi, tamen si hoc faceret sine magna causa alijs nota non deberet sustineri, tanquam faciens contra generalem statum Ecclesiæ; non enim debet sine causa vti plenitudine potestatis, dicit Innocen. in cap. innotuit
167 de elect. Imò ipse curare debet, vt salus vniuersalis Ecclesiæ semper salua sit 24. quæst. 1. memor, & 25. quæst. 1. quæ ad perpetuam, & eadem causa quæst. 2. si eadem debet enim esse constructor, & conseruator non destructor, & dissipator Ecclesiæ; vide omnino glos. in cap. quæ ad perpetuam. 25. quæst. 1. Vndè, vt dicit Cardinal. consilio 150. (incipit quæsitum) non est obediendum præceptis Papæ nutritiuis schismatis. Et de dictis Innocent. vide Abb. in capit. ad hæc, & in capit. si quando de rescript. & ibi Modernos multa ad propositum cumulantes, & in capitulo quæ in Ecclesiarum de constit. Indè etiam videmus, quod licèt dominorum iura in seruos seruentur tamen si dominus nimia in seruos, sæuitia vtatur contra ius naturale, iure ciuili proditum est, ne auxilium contra sæuitiam, vel famem, vel intolerabilem iniuriam denegetur seruis, qui iustè deprecantur, vt Insti. de ijs, qui sunt sui, vel alie. iuris, §. Sed, & maior, & in l. 2. ff. eodem titulo. Sic, & pater cogitur filium
168 emancipare, quando est nimis seuerus in filium, l. nec auus, C. de eman. libe. & l. quidam cum filium, ff. de verb. obl. cum materia 2. quæst. 7. cap. quæritur. Sic, & subditi possunt resistere superiori iniustè iniuriam, vel violentiam inferre volenti, dicitur in l. vt vim, ff. de iust. & iud. Nec debet subditus in malis præceptis obedire, sed resistere. 11. quæst. 3. qui resistit, & in cap. Imperatores, & cap. Iulianus eadem causa, & quæst. Nec est obediendum præcepto Papæ, quando ex hoc præsumitur vehementer turbandus status Ecclesiæ, vel alia mala ventura. Imò eo casu obediens peccat, cùm debeat mala futura præcauere, vt dicit Innocen. in cap. inquisitioni de sent. excomm. glos. si in cap. ne Dei de simo. & Card. in cap. licèt in 6. quæsito de elect. & latè Alex. in cap. imperium 6. dis. Et ideò
169 non debent subditi tolerare Papam hæreticum, & volentem facere legem, ne de hæresi possit accusari, vel cognosci. Ad hoc
170 ille text. in cap. si Papa 40. dist. quod vult, quòd licèt Papa à nemine possit iudicari, illud est verum, nisi reperiatur à fide deuius, qui text. est ex gestis Bonifacij Martyris, & non simpliciter papalis dispositio. Si enim Papa statuere vellet, quod non posset accusari, vel redargui de hæresi, tolleret subditis defensionem, quam princeps tollere non potest, vt in clem. pastoralis de re iud. Cùm enim Papa labitur in hæresim, minor est omni catholico, quia iuri diuino contradicit, & ideò potest à fidelibus redargui; sicut Paulus redarguit Petrum, vt legitur ad Gala 2. & 2. quæst. 7. Paulus, & in cap. testes, 9. Item Paulus eadem causa, & quæst. & diximus supra. Et etiam huius ratio est, quia quando Papa labitur in hæresim, tendit ad necem, & damnationem subditorum, & ideò iustè possunt populi contra eius mandatum re-
171 silire, quia obedire oportet magis Deo quàm hominibus, vt in cap. iuratos 15. qu. 6. Vide quod dicitur in cap. Anastasius, maximè per Ægid. 19. dist. Si igitur Papa non potest facere legem, quod non possit redargui de hæresi, vt in d. cap. si Papa, à pari vtitur quod non possit procrastinare, & differre Concilij congregationem, quæ necessaria est in Ecclesia Dei, quia plus est facto vniuersalem Ecclesiam, & subditos scandalizare quàm verbo, de appel. dilecti 43. d. cap. 1. 27. quæst. 2. si quis vxorem, ibi glos. & text. in cap. si Papa 40. dist. qui vt dixi non est simpliciter constitutio papalis, sed habetur ex gestis Bonifacij mar-
172 tyris. Et ideò cessat ratio quod prædecessor non potest ligare successorem, quia par in parem non habet imperium, vt in cap. innotuit de elect. 21. dist. inferior cum similib. quia cessat in proposito, ex quo est constitutio martyris. Etsi etiam esset solùm

lùm constitutio papalis, quia cùm Papa dicitur hæreticus, tunc etiam virtualiter dicitur, quod est minor quolibet catholico, etiam cessaret prædicta ratio, & ligaretur constitutione edita per prędecessorem contra hæreticos, vt in cap. Achatius, & ibi glos. 34. quæst. 1. & cap. Anastasius 19. dist. Et idem eadem ratione dicere possumus, quando tractatur probabile dubium de papatu, quia tunc etiam tractatur de bono vniuersalis Ecclesiæ. Et si non posset congregari Concilium propter prohibitionem Papæ, posset scandalizari tota Ecclesia, & fortè cogerentur obedire hæretico, & ei, qui non esset verus Papa. Vndè, vt dictum est potest induci ad congregandum Concilium, ad quod faciendum ex debito obligatur. Et si non facit, vel negligit, vel differt requisitus, quia tunc notoria est eius negligentia, vt in cap. Romana, §. Notoria de censi. in 6. facit se suspectum de hęresi, & apostasia. Et si sine causa negat; facit se notorium schismaticum nolendo congregare Concilium, & per eum scandalizatur vniuersalis Ecclesia, ex quo impetitur de hæresi, & requiritur, vt congreget Concilium, & ipse denegat, vel subterfugit. Et tunc congregabunt Concilium Cardinales, vel alius, puta Imperator, si ipsi negligerent, vt dictum est supra. Et prædictæ rationes habent etiam locum in

173 vero Papa recepto, & possessore, quando subest causa congregandi Concilium, vt quia cõtra eum obijcitur quod sint aliqui, qui volunt eum accusare quod aberrauerit à fide, & factus sit hæreticus. Ego multò magis in illo, qui non est receptus, & contendit de papatu, vel de cuius formali electione duarum partium non constat, vel qui est notorius hæreticus, vt dictum est supra in primo principali membro.

Sed his videntur obstare quod quando loquimur in duobus, inter quos est contentio de papatu, quia tunc Cardinales sunt suspecti, quia de facto eorum erit iudicandum, videtur quod ad eos nullo modo spectet tunc conuocatio, vt dicit Alex. in ca-

174 pit. synodum, in secunda col. 17. dist. & dicit glos. in capit. si duo. 79. distinctione & Barbatius, qui tenet quod non spectet ad eos dicta ratione, in dicto capitulo, quod translationem, in trigesimatertia colum. de officio legati, sed ad Imperatorem. Sed ad istud dictum, & conseqnẽter ad glossam respondet Alex. in d. cap. synodum. in 3. col. verum esse quod isto casu, quia Cardinales sunt suspecti ad iudicandum, non spectabit ad eos tale iudicium quis de duobus contendentibus, sit Papa, sed quod quia sunt cardines terræ 22. dist. cap. sacrosancta, & quia ad eos deferuntur ardua quia sunt Sacerdotes leuitici generis, vt in cap. per venerabilem, qui filij sint legit. ad eos congruentiùs primò post Papam spectat congregatio concilij, quod concilium iudicabit quis sit verus Papa. Et ibi etiam respondet ad §. hinc etiam 17. dist. de quo etiam 17. dist. de quo etiam vide quod dixi supra. Si verò loquimur in vno indubitatio Papa contemnente congregare, cui in faciem non obijcitur hæresis, sed in absentia, sic quod posset in Ecclesia periculum afferre si non ei met palam obijceretur, idem eo casu dicendum erit, quod tunc posset per alios concilium congregari, vel per Cardinales, secundùm, quod dicit Bald. in cap. pastoralis de rescript. & dixi supra, vel per ipsummet concilium, vel per Imperatorem si Cardinales non possent vel nollent, secundùm Bald. ibi. Et hoc habet etiam locum quando esset vnus solus indubitatus Papa nolens congregare, etiam si esset alia causa necessaria congregandi, quæ posset afferre periculum in Ecclesia quàm hæresis, tunc

175 enim pertinebit ad Cardinales, ipsis verò Cardinalibus negligentibus, vel nolentibus ad Imperatorem, secundùm, quod dixi supra in primo membro, & tenet Barbatius in d. cap. quod translationem, pręterquam in casu schismatis orti culpa Cardinalium in electione discordantium, quia tunc nec ad Papam, nec ad Cardinales spectabit congregatio, sed ad Imperatorem secundùm eum. Sed ipsemet Barbatius in cap. cùm olim de rescrip. referendo ibi dicta Baldi videtur dicere contrarium, quod imò ad Cardinales sicut supradictum, est, & dicit Alex. in d. cap. synodum, vt supra retuli. Et de hoc ad quem spectet congregatio, vide Card. in cap. licèt in 3. & 4. quæstione de elect. Et secundùm Cataldinum

176 in allegationibus ad confutandum monitorium per Basilienses decretum contra Eugenium in 23. carta, quando est vnus indubitatus Papa, & non vult congregare Concil. vt tenetur ob necessitatem Ecclesiæ vniuersalis, tunc congregatio deuoluitur ad Cardinales, sed si Cardinales nollent, vel essent negligẽtes, deuoluitur ad Patriarchas, & postea ad Imperatorem. Et sic præponi Patriarchas Imperatori. Sed mihi plus placet, quod ad Imperatorem ante Patriarchas quia de Patriarchis non reperitur iure cautum, quod ad eos spectet concilij congregatio plusquam ad eos spectet concilij congregatio plusquam ad alios prælatos, quibus secundũ Doctores præponitur Imperator. Et hoc videntur tenere Alex. & Car. de Turrecremata vbi supra. Et omnibus prædictis negligentibus posset congregari per Reges 63. dist. Adrianus & d. §. hinc etiam, 16. dist. vel per alios Principes 23. quæst. 4. cap. sicut elect. 2. secundùm Cataldinum. Item, & per Prælatos, petita licentia licèt non obtenta congregabunt concilium, vt dicit Felin. in cap. super literis, de rescript. post Petrum de Monte

177 & Alex. 15. dist. c. si Papa, quia ex quo sine iusta causa denegatur, habetur ac si fuisset concessa. Allegat Innoc. in capit. licèt, de regular. & Legistas, in l. 2. §. voluntate solut. matrim. Et si Prælati essent negligentes, ex quo causa est necessaria, posset vnus solus, & quilibet catholicus, vt supra dixi.

178 Et si simus in notorio hęretico, quantũcumque sit hæreticus, ex quo est solus, & in quasi possessione pontificatus, non per hoc excludo eum à congregatione concilij, si velit illud congregare, nec dico quin primò debeat requiri, vt congreget, vt dixi supra, ex quo est in quasi possessione. Et

quod

quod debet requiri, vt congreget, videtur etiam velle Cardin. in d. cap. licèt in 4. qu. circa fin. & Imperatore sollicitante, vt ipse dicit. Et ratio etiam esse posset, quia posset corrigi, & reuocare suum errorem
179 iuxta posita post glos. in cap. si Papa 40. dist. Nec videtur negligens non requisitus.

Et licèt in notorijs nó exigatur monitio ad conuincendum negligentiam dato temporis cursu, in quo quis actum facere potuit, quantumcumque non sit statutus terminus, vt in simili videmus in cap. 1. §. notoria de censi. in 6. tamen adhuc videtur voluisse Card. quod quamuis Papa sit notorius hæreticus, si nullo modo monitus est vt se emendet, nec requisitus, non potest dici negligens, nec hæreticus, nec incorrigibilis, nec potest deponi 24. quæst. 3. dixit Apostolus 21. dist. nunc autem d. cap. si Papa 40. distinctione. Vbi autem esset hæresis, & negligentia; & fuisset requisitus, tunc aliud videretur dicendum. Et secundùm Card. de Turrecrem. in 8. cap. tract. de conc. in vers. ad quintam, datur notabilis practica, vt primo requiratur se emendet, & reuocet errorem per bullas proprias, & si sit incorrigibilis, Cardinales ab obedientia eius recedentes congregent con-
180 cilium. vide ibi multùm distinctè. Sed quando est occultus, requiritur congregatio concilij ad discutiendum vtrùm sit hæreticus, vt in dicto cap. nunc autem vigesima prima distinct. & in §. hinc etiam 17. distin. & §. item Symmachus 2. quæst. 7. Et si recusat, & differt, seipsum tacitè condemnat, non faciendo illud, ad quod tenetur pro sedando scandalo vniuersalis Ecclesiæ, sicut fecit Marcellinus Papa, qui thurificauerat idolis, vt patet in d. cap. nunc autem, qui statim contra se concilium congregauit, secundùm aliquos, licèt ibi videatur cógregatum à seipso. Facit tex. in l. item ait Prętor. §. si. ff. ex quibus causis maiorit. & bene text. in c. si forte 65. dist.

Vnde concludo quod siue sit vnus Papa hæreticus, siue sint plures contendentes de Papatu, si ille qui est in quasi possessione non vult congregare eo casu, quo necessaria est conuocatio concilij, Cardinales, hoc est eorum collegium, poterunt concilium conuocare, vel ipsis negligentibus collegialiter, poterunt aliqui particulares de collegio conuocare per modum monitionis, & requisitionis, quia in actibus capitularibus cùm agitur de interesse alicuius Ecclesię particularis, potestas agendi in primis incumbit Prælato, & si Prælatus negligens sit, potestas deuoluitur ad particulares ipsius Ecclesiæ, vt not. Abb. in cap. cùm olim, de testim. & idem Card. Anton. & Immo, ibi, & in cap. dilecti de maior. & obed. & per Lapum allegatione 51. & etiam
181 si particulares facerent minorem partem totius collegij, negligentibus alijs possent vocare maiorem partem, & data eorum contumacia, posset minor pars pronunciare, se constituere concilium generale, & suam esse iurisdictionem, vt dicit Felin. in cap. super literis, 11. colum. de rescript. & Petrus de Monte in sua monarchia, in 16. charta, in ver. sexto quæro. Ipsis autem negligentibus posset congregare concilium etiam Imperator. Et hoc voluit Ægid. in cap. si Papa 40. dist. quia aliàs esset frustratoria prouisio, cap. si Papa, & frustra esset quod dicitur, quod Papa potest de hæresi accusari. Et etiam Bald. dicit idem cap. pastoralis, & cap. olim. de rescrip. & etiam
182 Petr. de Monte, Huius ratio est quia quando imminet necessitas Ecclesiæ, & is, ad quem spectat non vult prouidere, dicitur Ecclesia quasi vacare, vnde potestas Papæ remanet in Ecclesia vniuersali. Item iurisdictio deuoluitur ad Cardinales omnes concordes, cap. vbi periculum, de elect. in 6. in §. ijdem quoque, quia qui sunt potiores post Papam, illi habent supplere, l. 1. ff. de Albo scriben. & sic Cardinales. Facit, quod dicitur de Archidiacono, qui supplet defectum Episcopi in cap. 1. de offic. Archid. Et omnia, quę sunt consequentia ad electionem Papæ, spectant ad Cardinales, de elect. cap. vt præteritæ, & cap. cupientes, §. ad hæc & §. si verò de elect. lib. 6. Facit cap. si forte post glos. in verbo neglexerit, 65. dist. Facit quod dicitur in
183 cap. 1. de renunciat. in 6. Ipsi enim in ijs, quę concernunt electionem Papę repræsentant vniuersalem Ecclesiam, & eius vice funguntur, glos. in cap. nullus, el secundo 79. distinctio. Nec obstat. §. irritum, in Clement. ne Romani, supra allegatus, vbi irritantur omnia, quæ fiunt per Cardinales, quę spectant ad Papam, quia respondetur, quod licèt congregatio concilij spectet ad Papam, vt dictum est, & Cardinalibus ibi sit prohibitum, ne se intromittant nisi de casibus ibi positis, tamen non prohibentur Cardinalibus ea, quæ concernunt electionem, sed alia extrinseca, quæ spectant ad Papam. Vnde cùm hoc casu conuocatio concilij sit necessaria, vt perueniatur ad habendum vnum Romanum Pontificem, & per hoc prouideatur acceleratę prouisioni Ecclesiæ Romanæ, meritò ad collegium Cardinalium deuoluitur, & pertinet, tanquam quid annexum electioni, & prouisioni Pontificatus. Item ibi in §. ijdem quoque excipitur, nisi aliquod grande, & euidens periculum imineret, cui ipsis videretur occurrendum, igitur in proposito propter periculum satis dicuntur posse. Et istam considerationem habuit Cardinalis sancti Eustachij in quodam tract. super facto Papatus, & ponit Andreas Siculus in Clem. ne Romani. referendo Car. & dicit Fel. in cap. super literis de rescript. & est glos. in c. nullus, 79. dist. & idem Andreas Siculus in d. cap. quod translationem, col. 30. Ad quod faciunt illa, quæ dico in illa quæstione quid, quando Papa esset effectus inutilis, demens, vel furiosus, de quo etiam dictum est supra in primo membro huius distinctionis. Et ista militant siuè sedes, vt dictum est supra in primo principali membro verè vacet, siue quasi, & fictè
184 vacet. Et ideo ipsi poterunt conuocare etiam fortè per viam authoritatis, citando quoscumque, ex quo sunt concordes omnes, vt in dicto §. ijdem quoque, & sedes vacat. Alioquin quando non essent con-

concordes, per viam requisitionis, vt dicit Innoc. in capitulo cùm nobis de electione. vel etiam per viam authoritatis quoad terras Romanæ Ecclesiæ subiectas, propter verbum terra Ecclesię in dicto §. ijdem quoque positum, in quibus terris videtur eis data plena authoritatis prouidendi.

185 Et si non essent omnes concordes, duę partes, quæ essent præsentes posset fieri congregatio concilij per viam requisitionis, siue monitionis, vel denunciationis, vt dicit Innoc. in d. cap. cùm nobis olim, & dictum fuit supra, & ponit Bal. in cap. cum olim, de rescript. Et hoc probatur per tex. in cap. 1. 17. dist. vbi tex. dicit quod concilium regulariter non potest congregari sine authoritate Papæ, ergo infertur quod aliquando possit, sed nullus potest esse iustior casus, in quo hoc possit fieri, quàm quando Papa requisitus non vult, vel detrectat congregare, & imminet necessitas congregandi, igitur ista congregatio fiet per alios, & primò per Cardinales.

186 Sed videtur quod ipsi Cardinales sint suspecti, quando sunt diuersæ obedientiæ quia vna pars adhæret vni, & altera alteri, vel quando ipsi in eligendo fuissent discordes eligendo duos, quia videtur tractari de eorum interesse, vt dicit Barbatius in d. cap. quod translationem de offic. legat. & Alex. in d. cap. synodum 17. dist. Et maximè hoc posset contingere quando essent illimet Cardinales, qui discordes elegissent, duos, & fuissent in culpa, & omnes viuerent. Sed dic quod omni casu siue sint in diuersa obedientia assumpti de nouo post causatum schisma etiam inueteratum, siue fuerint in culpa per discordiam eligendo plures, si postea conueniunt ipsi congregabunt Concilium, & ad ipsos fiet deuolutio. Et hæc videtur meus Card. & Petri de Monte, & aliorum supra relatorum. Et idem si maior pars concordaret, de quo videndum infra in illo articulo, quid si Cardinales essent inter se discordes in congregando concilium, vel de modo, vel de loco. Sed tunc obstat, quia videtur, quod Cardinales qui sunt inferiores citent superiorem, in quem non habent iurisdictionem, vt in Clem. Pastoralis cum simil. de re iud. Responde quod illi, quos dicimus hæreticos, vel priuatos, non possunt dici superiores, quia titulum Papatus amiserunt, vt, 24.

187 quæst. 1. didicimus, & d. cap. 1. de schisma. Facit quod in simil. ponit Ioan. And. in cap. vt commissi de hęre. in 6. Quoad alios detrectantes conuocationem, hoc fit lege permittente rationem deuolutionis, quia ex quo imminet necessitas, & Papa negligit, inferior supplet cap. primo de neglig. Prælat. &c. si Episcopus, & cap. 1. eod. tit. in 6. l. vt perfectiùs, C. de annali exceptione, cap. si fortè, 65. dist. cum similibus.

188 Cardinalibus autem negligentibus, vel non volentibus, & aliis ad quos fit deuolutio, tunc ipsamet Ecclesia poterit seipsam congregare, sicut legitur de Apostolis, qui seipsos congregarunt act. 6. c. Et hoc voluit Card. Sixti, & Card. Alex. in cap. nisi autem 21. dist. vbi dicunt quod contra Papam hęreticum potest etiam procedi via denuntiationis Euangelicæ, vt si non se correxerit dicatur Ecclesiæ id est concilio ad quod congregandum poterit inuitari, & si noluerit, potuerunt Prelati seipsos conuocare, & congregare, vt ibi latiùs per eos. Quod & voluit Ægidi: in c. si Papa, versic. octauum dubium 40. dist. & dixi supra. Igi-

189 tur Ecclesia sic coadunata sibi ipsi authoritatem interponere poterit, ex quo in ea residet potestas Pontificalis, & poterit decernere congregationem de se factam esse legitimam, Nec in casu isto erit necessaria citatio, quia præsens, vtpote certus non indiget, vt certioretur, vt in regula, eum qui in 6. & ponit Archid. 82. dist. proposuisti, cap. bonæ, el. 1. de elect. capit. 1. de iudic. Et hoc quando Papa nollet interponere authoritatem, postquam est facta congregatio, alioquin si Papa vellet interponere authoritatem etiam post congregationem minùs legitimè factam, quod potest, tunc Concilium sumeret authoritatem à Papa, vt in d. §. hinc etiam 16. dist. Non obstat si dicatur ergo iste occultus hæreticus spoliatur, & tamen quando quis non est notorius hæreticus, nec per veras, vel fictas concludentes probationes conuictus, sed per solas præsumptiones, vel coniecturas habetur hęreticus occultus, si petit se restitui non potest denegari restitutio, vt cap. porrò, & ibi Doct. de diuor. & probat. tex. in §. item Symmachus 2. qu. 7 cui Symmacho opponebatur hæresis, vt vt in glos. 17. d. §. hinc etiam, & supra dixi. Quia respondetur quod tunc quoniam denegando, vel detrectando congregare, cùm imminet periculum ipse facit se magis suspectum, tunc ipse spoliatur lege permittente, & non datur ei restitutio, quia efficitur schismaticus notorius, nec propriè dicitur spolium, supra plenè dictum est. Quod in simili probatur [quia si spoliasti me, & incontinenti spolio te, hoc facio authoritate iuris, & non datur restitutio, vt in l.

190 4. §. cum igitur ff. de vi, & vi armata. Et patet, quia multi sunt casus, in quibus spoliatus non restituitur, vt 3. quæst. 1. in glos. summæ, Sed in proposito ex quo iuris authoritate fit, non dicitur spolium nec potest petere restitutionem, l. iustè possidet cum materia, ff. de acquir. possess. & dictum est sup. Nec ob. quod est index in causa propria l. proximè, ff. de ijs, quæ in test. delentur & priùs ipsimet iudex declarat an sua sit iurisdictio, vt in c. super literis, de rescrip. Quia multipliciter quis repellitur ab actu propter suspitionem, patet in teste, iudice, Prælato, tutore, & similibus & vbi suspicio in principali concludit ad præambulum, quis excluditur à principali, & preambulo sicut si iudici opponatur suspicio, quia tendit ad Principale, & præambulum, & sic an sit sua iurisdictio, repellitur ab vtroque, cap. cùm speciali de appell. & cap. suspicionis de offic. delegat. Sic si dicitur infamis, vel seruus. Innoc. in cap. cum super de offic. delegat. l. quidam ff. de re iudic. Si igitur Papa est suspectus in principali, vt quia est suspectus de hæresi, tunc cum detrectat

trectat congregare, erit suspectus in declarando suam esse iurisdictionem, & in vocatione vltra non expectatur, nec requiritur eius consensus.

191 Etsi nec à Papa, nec per Cardinales, nec à seipso concilium congregaretur, & immineret necessitas congregandi, puta si esset dissensio de Papatu, vel Papa esset hæreticus notorius, vt dictum est, posset fieri per Imperatorem, quia eius etiam interest, ne scandalizetur orbis propter dissessionem Papatus, vel hæresim, dict. §. hinc etiam, & cap. si fortè, 65. dist. Satis enim censerentur Cardinales negligentes, quando esset notoria hæresis, vel apostaticus notorius, vel schisma, & dissensio notoria inter duos, vt in dict. cap. Romana in §. notoria de censi. in 6. Et minor pars collegij, & quilibet Christifidelis ad expellendum notorium hæreticum, in Papatum intrusum, posset eo casu concilium congregare, vt in dict. cap. si quis pecunia, 79. dist. & dict. cap. si fortè, & in cap. in nomine Domini, 23. dist. Et benè probat ille text. in dict. cap. si quis pecunia, ibi Cardinales, & alij clerici, & laici, qui omnes non sunt aliud, quàm concilium,

192 vbi enim est notoria hæresis, vel notoria apostasia, possunt maiores per inferiores redargui, dict. §. notoria. Et quilibet posset conuocare concilium, etsi non per viam authoritatis, quia hoc est solius Papæ, dict. iuribus, 17. dist. saltem per viam requisitionis, vel monitionis, per dicta Innocent. in dict. cap. cùm nobis olim, de elect. vt aliàs supra dictum est. Potest igitur Imperator congregare concilium suadentibus necessarijs causis congregationem, & Papa ac calijs ad quos spectat negligentibus, vt dictum est. Et isto modo procedunt iura adducta supra pro Imperatore, quod ad eum spectet concilij conuocatio, quia ipse est aduocatus, & defensor Ecclesię, vt in cap. benè quidem, 96. dist.

193 In tantum vt dicat Card. in dict. cap. licèt quæstio 4. adeò interesse Imperatoris fidem defendere, quod si Papa est suspectus de hæresi, potest ab eo exigere, vt respondeat, quid sentiat de fide, 25. quæst. 1. satagendum, iuncto eo quod ibi notatur per Laur. Archid. quod est notabile. Et ex his infert quod Imperator dicitur esse pars concilij, quia ad eum spectat conseruare pacem, & vnitatem Eccles. vt in §. hinc etiam 17. dist. ipse enim est brachium Ecclesiæ, & eam tueri debet, vbi videt eam in necessitate constitutam, 23. quæst. 5. cap. principes. Cum ergo deficiunt Papa, & Cardinales, & est necessitas congregandi concilium, spectabit ad Imperatorem. Ad quod facit, quod negligente Archiepiscopo conuocare vicinos Episcopos, populi

194 congregant, 65. dist. cap. final. Imperator autem repræsentat populum Christianum post Papam, l. 2. §. cum enim loco, C. de vetere iure enucl. & alleg. idem Card. dicta per Innoc. in cap. 1. de maior. & obed. Imò etiam Primates, & Archiepiscopi hoc poterunt, vt dicit Dominus Card. de Turrecrem. in cap. propter elect. 1. in fin. 18. dist. & Cataldinus in dictis allegationib. factis ad confutandum monitorium factum per Basilien. contra Eugenium. Sed vt supra dixi credo, quod priùs pertineat ad Imperatorem, quàm ad Patriarchas, verùm si Patriarchæ congregarent omisso Imperatore, credo quod concilium subsisteret, quia neuter congregat authoritatiuè. Etsi essent duo schismatici inter se discordes, idem erit. Et prædictorum est

195 ratio, quia in schismaticos, & apostaticos, & hæreticos etiam laici principes dicuntur habere iurisdictionem, vt est text. iuncta glos. in cap. principes, 23. qu. 5. vbi quando deficit potestas Ecclesiæ, supplet potestas sæcularis. Et ideo cum sunt plures contendentes de Papatu, & scindentes tunicam in consutilem, hoc est Ecclesiæ vnitatem, si non potest fieri vnio possunt insurgere principes sæculares, vt dict. cap. principes, & melior text. in cap. de liguri b. eadem causa, & quæst. Et hoc vult glos. notabilis, in cap. tua, de decis. & ibi dicit quod eo casu in tales electos fouentes, siue facientes schisma in Ecclesia Dei possent principes sæculares mittere manus, & eis inuitis facere dubium sopiri, & determinari per Ecclesiam. Et adducit text. in simili in cap. vbi periculum de electio. in 6. vbi laici habẽt iurisdictionem in Cardinales ad faciendum seruari statuta in dicto capitulo, vbi periculum, vt ibi in §. præterea, de quo etiam in Clement. ne Roma. §. porrò: de electio. & ita fuit factum in congregatione concilij Constantiensis. Faciunt in proposito, quæ dicuntur in capit. cum non ab homine de iud. & sic concordantur omnia adducta pro parte Cardinalium, Imperatoris, & aliorum.

196 Et quod dictum est, quod Papa, Cardinalibus, Imperatore, Patriarchis, & alijs Prælatis negligentibus, quilibet catholicus, vbi imminet necessitas vniuersalis Ecclesiæ, potest conuocare, non intelligas quod decernere casum necessitatis congregandi spectet ad ipsum talem catholicum, quia sic quilibet posset facilè turbare Rom. Eccl. sed debet aliunde constare de causa necessaria congregationis faciendæ, vt si fuisset ante per Papam, & Cardinales determinata causa necessaria congregationis, vel si esset patens; & notoria hæresis, quæ scandalizaret vniuersalem Ecclesiam, cui aliter, quàm per concilium non posset prouideri secundùm iudicium omnium

197 catholicorum. Non obstat, quod eo casu, quo non conuocatur ad mandatum Papæ, & vbi Papa non interuenit, nec authorizat, non dicitur concilium, sed conciliabulum, siue concilium acephalum, vt 17. dist. multis. Quia ipsa sancta Synodus sic conuocata tanquam habens omnem potestatem Pontificalem, sed vacante, siue quasi vacante, poterit sibi ipsi authoritatem interponere, & in illa in casu prædicto residet omnis potestas, & eius caput tunc erit Christus, vt ponit Hostien. & refert glos. in cap. 1. de schisma in 6. vt supra dictum est, & infra latiùs dicitur, in quæstione, an possit Papa cogi authorizare concilium. Et communiter omnes dicunt, quando legitimè est facta congregatio

tio sine Papa, quod caput est Christus. Et
198 ita dicitur, in concilio Constantien. videlicet quod concilium generale habet immediatè, potestatem à Christo, quod intelligitur, vel Papa non existente, vel quando Papa est hæreticus, & non vult obuiare periculo imminenti Ecclesiæ.

Et ex his patet, & erit alius casus, quod si vnus solus esset electus, & in Papam receptus, qui non administraret, & dubitaretur aliquo modo, an esset verus Papa, quia ei fieret contradictio super Papatu, & alius esset possessor possessione aliquo modo colorata, vt quia ante præsentem electionem gerebat se pro Papa, & prætendebat alijs electionem antea de se factam esse validam, si possessor, ad quem spectat congregatio concilij, vt supra dictum est, nollet congregare concilium, eo requisito, si Cardinales non essent omnes concordes, ex quo imminet necessitas congregandi concilium pro sedando huiusmodi schismate, electus, & receptus posset, tunc ipsum congregare cum aliquibus Cardinalibus, quantumcunque esset tractandum de facto proprio, per supra dicta, non tamen per viam authoritatis, antequam constaret de eius, vel alterius vero titulo; sed tanquam qui-
199 libet catholicus. Ex præmissis, etiam patet, quod cum sunt plures in discordia electi, si vnus reperitur habere duas partes vocum, ad illum spectat conuocatio concilij, quia statim potest administrare, non obstante aliqua contradictione, vt in cap. in nomine Domini, 23. dist. Nec potest ei obijci aliquid quòminus administret, & se gerat pro Papa, vt in dict. cap. licèt de elect. Etsi nullus haberet duas partes, tunc quia nullus, est verus Papa, nullus habebit authoritatem congregandi concilium, vt dicit Alexan. in dict. cap. synodum, & in cap. si duo, 79. distinctione. De quo vide infra in proxima secunda quæstione.

Non obstant supra adducta pro Cardinalibus contra indubitatum Papam, videlicet quòd ad eos, & non ad Papam spectare debet congregatio. Et primò ad id, quòd
200 dicitur, quòd maior pars collegij congregat collegium, respondetur illud esse verum, quando congregatio non spectat ad alium, vt in proposito, in quo spectat ad ipsum Papam, qui vult congregare, vt d. c. ideo el. 1. 2. quæst. 6. & 17. dist. per totum, & sumus in casu, in quo conuocat superior, in quo non loquuntur illa iura, sed quando vocantur ab inferioribus. Non obstat etiam, quòd dicitur Cardinales eligunt Papam, quia ex hoc non sequitur, quòd ad eos debeat spectare Concilij congregatio postquam est Papa, qui congregat. Nec obstat quod dicitur, quod non est honestum, vt dependeat à facto Papæ, qui est iudicandus, quia vt dictum est, ipse potest authorizare in facto proprio ad congregandum Concilium, sed iudicium de eo non dependet ab ipso, sed à Concilio, vt in cap. sicut 15. dist. Ad alia motiua facilis est responsio, quia vt dictum est si Papa non vult, vel detrectat congregare, tunc poterunt, Cardinales congregare, vt in d. cap. si duo, & cap. si quis pecunia, 79. dist. & c. in nomine Domini, 23. dist. non obstat, quòd Apostoli seipsos congregarunt, quia ex hoc non sequitur, quòd ad Papam non spectet conuocatio Concilij. Vnde quando ipse vult congregare Concilium, nec differt, vel detrectat congregare, requiritur quòd ipse congreget, vt hodie est statutum per plura iura supra allegata, etiam si contra eum esset congregandum, vt dictum est d. §. hinc etiam, & d. cap. nunc autem. Item non negatur, quin Concilium seipsum possit congregare eo casu, quo Papa, & alij, ad quos successiuè spectat differrent congregare, vt dictum est. Item in congregatione Apostolorum erat etiam Petrus, qui erat caput, & princeps; & ideo eius authoritate erat huiusmodi congregatio. Vnde Beatus Cyrillus in lib. Thesauri inquit, quòd Apostoli in Euangelijs, & Epistolis, & omni doctrina affirmarunt Petrum esse loco Domini in eius Ecclesia, eidem dantes locum in omni capitulo, & congregatione, & electione, & confirmatione. Et eo casu, quo Papa, & Cardinales simul vellent Concilium congregare, non est dubium quin possint. Non obstant etiam iura adducta pro Imperatore similiter contra indubitatam Papam. Quia ad illa respondetur fatendo, quod pluries sunt congregata concilia per Imperatores, sed aut de facto, aut authoritate Papæ, vel Papa postmodum ratum habente, & non propria authoritate, ipsorum Imperatorum, etsi propria authoritate non fuerunt valida, vt supra dixi in primo membro in principio. Aliquando enim iura dicunt exequente Imperatore, vt 16. distinct. cap. sexta synodus, aliquando dicunt sub tali Imperatore, vt dicto cap. habeo librum, & cap. quoniam, & 16. dist. cap. primo aliquando dicunt, quod Imperator congregauit authoritate Papæ, 2. quæst. 4. mandastis. Item quicquid fuerit de iure antiquo, quia non erat facultas congregandi
201 plebes, vt in cap. canones, 15. dist. hodie certum habemus, quod pertineat ad solum Papam, vt 17. distinct. per totum, ibi Alexan. in cap. synodum, & supra dictum est. Nec est verum, quod conuocatio concilij sit facti, quia est authoritas, vt 17. dist. cap. 1. & cap. nec licuit 3. dist. §. porro, 2. quæst. 6. ideo el. primo 2. quæst. 4. mandastis. Etsi de facto sit congregatio, non erit concilium, sine authoritate Papę, vt clarè probat text. in §. hinc etiam 17. dist. nisi vt dictum est, quando detrectat congregare vbi est necessitas. Et ista adde ad illa, quæ dicta fuerunt in primo membro istius principalis quæstionis, quando loquimur de vno indubitato Papa. Et ibi plura vide, quæ hìc non dicuntur, & hìc dicuntur aliqua, quæ ibi non dicuntur per diuersas Doctorum authoritates.

202 Sed pone quod nec Papa, nec Cardinales, nec Imperator curat congregare concilium, & imminet necessitas, vel propter schisma, vel quia Papa est hæreticus, quid agendum. Dic secundùm Alexand. post Petrum de Monte, quod Prælati seipsos congregabunt, etsi minor pars sit prælatorum congregatorum alijs recusantibus cōueni-

uenire, poterunt constituere maiorem partem contumacem, & facere concilium, facit quod dicitur in cap. cùm nobis, de elect. & dixi supra. Vel Patriarchæ tanquam antiquiores, & principaliores, vt in cap. antiqua de priuileg. congregabunt. Et volentes facere concilium, possunt impetrare licentiam à papa, etsi negat, vel est periculum ab eo petere licentiam, habebitur perinde, ac si esset eis data licentia, argumento eorum, quæ ponit Card. in elect. ne in agro de statu Monach. & per Archid. 8. quæst. 1. quia Episcopi. Et etiamsi Pa-
203 pa prohiberet, ex quo imminet necessitas, nihilominus etiam illa minor pars poterit pronunciare se facere concilium & iurisdictionem esse ad se deuolutam, vt vide latiùs Alexan. in dicto capitulo synodum 17. distinct. & vide quæ dicam infra in quæstione vlteriùs quæro, quot debent esse præsentes in concilio, & plenè supra dixi.

204 Sed quid si Papa non vult congregare, vel congregato non vult authoritatem interponere, an poterit ad hoc cogi, ex quo subest causa legitima congregandi, & celebrandi Concilium: Dic addendo ad supradicta quòd sic, licèt non præcisè, quia posset pati se potiùs decoriari, sicut dicitur de seruo nolente adire hæreditatem, vt in l. cum proponas C. de hæredit. instit. & in l. cùm non solùm, §. necessitate, C. de bonis quæ liber. Causatiuè tamen cogi posset; quia si ipse, qui tenetur noluerit, poterunt per alium suppleri eius vices, sicut aliquando iura volunt suppleri vices Papæ in casu negligentiæ in rebus minùs arduis, vt in cap. statutum de præben. in 6. Facit quòd dicit Bal. in cap. licèt de elect. in 2. column. vbi ponit an cogi possint Cardinales ad eligendum; & dicit quòd sic indirectè, vt propria voluntate concordent, non autem vt concordent in eum, quem vult populus, puta in Martinum vel Tuschum, quia hoc modo libertas vulneraretur, vel arctaretur, quòd fit quotiens aliquid extraneũ adjicitur, vel detrahitur ff. qui, & à quibus l. si optio. ff. de condit. & demonstr. l. Titio centum §. 1. Sic videmus, in cap. vbi periculum, quòd Cardinales indirectè coguntur per subtractionem victualium ad celeriter eligendum, & si exirent Conclaue non facta electione, cogi possunt etiam per sæculares ad reintrandum Conclaue, donec concordauerint, vt in cap. vbi periculum, in §. præterea, & dicitur in Clem. ne Romani, in §. porrò de elect. Sic & populus supplet vicem Episcopi negligentis, conuocare alios Episcopos ad ordinandum Episcopum, vt in cap. si fortè 65. dist. sic & Abbates supplent negligentiam Episcopi, vt in cap. 1. de supplend. neglig. Prælat. Et maximè quando est causa, in qua agitur de interesse omnium, sicut in simili ponit gloss. de congregatione Concilij Prouincialis in cap. cùm simus, cùm seqq. 9. qu. 3. Sic & capitulum supplet vicem Episcopi, vt in cap. 1. ne Sede vacante in 6, & c. quia diuersitatem, cum sim. de concess. præb. & bonus text. in cap. si Episcopus de supp. neglig. Prælat. in 6. & optimus text. in cap. vnico, de cler. ægrot. eod. lib. Vnde in proposito si Cardinales voluerint, poterunt supplere vices Papæ in congregando, vt dictum est, & Concilium iam congregatum, supplebit vices eiusdem, & Papa suscipiet contra se iudicium, etiam inuitus, l. inter stipulantem, §. 1. de ver. obliq. Et datur
206 tunc cautela, quòd conciliũ pronunciet Papam nolentem authorizare Conc. esse de hæresi suspectum, & loco eius Conc. autho-
207 ritatem interponat. Et si petatur quomodo authorizet in facto proprio; respondeo quod multi sunt casus in quibus quis authorizat in facto proprio, & legatus de latere authorizat sibi ipsi contrahenti nomine Papæ, glos. & Doct. in l. si consul. ff. de adop. sic in proposito, ex quo Concilium repræsentat vniuersalem Ecclesiam. Item, quia venit supplendo ad negligentiam Papæ, qui etiam poterat in facto proprio authorizare, vt dict. cap. cùm venissent de iud. & cap. nos si incompetenter; secunda quæstion. septima. Item, si benè consideretur, non censetur authorizare in facto proprio, cùm Concilium repræsentet vniuersalem Ecclesiam, cuius caput est Christus, nec est factum proprium alicuius, & quia est periculum in statu Ecclesiæ, potest Papa cogi præstare authoritatem, sicut dicimus in tutore, qui cogitur authorizare in facto pupilli, quando apparet de necessitate pupilli, vt dicit Bart. in l. si tutor, ff. de authoritate tutor. Item, est cautela quod
208 Concilium primò pronunciet se legitimè congregatum, quod potest, sicut quis potest se pronunciare Iudicem competentem, vt in cap. super literis, & rescrip. Et ita fuit factum in Concilio Constantien. vt patet in 1. cap. tertiæ sessionis.

209 Sed quia dictum est, ad quos deuoluitur facultas congregandi Papa non existente, vel nolente, pone quod sit discordia inter Imperatorem, & Cardinales, vel inter Imperatorem, & Patriarchas, quia quilibet in loco suo vult congregare Concilium, quid faciendum? Dic, vt dictum est quod primò pertinebit ad Cardinales, ipsis autem nolentibus, vel negligentibus ad Imperatorem. Vel secundùm Cataldinum primò ad Patriarchas postea ad Imperatorem, deindè ad Primates, postea ad Archiepiscopos, successiuè ad alios Episcopos, qui seipsos congregabunt, alioquin postea ad reges, & alios principes successiuè, vt consulatur Ecclesiæ; vltimò ad quemque catholicum potentem. Et licèt tunc nullus congreget authoritatiuè, tamen per quemcumque contingat effectualiter congregati Concilium, ipsum poterit subsistere pro vtilitate Ecclesiæ. Sed si esset scissura, quæ tenderet ad noxam, non posset fieri discordia de loco si vacat Ecclesia
210 per mortem Papæ; quia text. in clementina ne Romani prouidet quod in loco, vbi sedes vocat fiat electio. Sed si esset incertitudo loci vacationis propter schisma inueteratum, tunc dicendum est quod primò pertinebit ad Cardinales qui possunt, vocare prælatos, & non ad Imperatorem, qui non habet potestatem super eos, vt in capitulo si Imperator 96. distinct. cum similibus. Sed quoad Imperatorem, & Patriarchas,

chas, quia hodiè fortè Patriarchis non obtemperaretur, dicerem quod ad Imperatorem primò, vt supra dixi, & vt dictum est, via intimationis, & fraternæ requisitionis. Facit ad hoc cap. solitæ de maioritate, & obedientia.

Diximus supra quod duobus contendentibus de papatu, si neuter vult Concilium congregare pro sedando schismate, Cardinales illud congregabunt, quæro
211 nunc quid si duo electi essent in quasi possessione papatus, & nollent congregare? Dic quod deuoluitur congregatio ad Cardinales secundũ Cardinal. in dicto cap. licèt in noua quæstione, & supradictum est. Et si Cardinales essent discordes, dicit Cardin. in dicto capitulo licèt, in quarta quæstione tract. quod Imperator congregabit, allegat capitulum finale 65. dist. & Bald. idem tenentem in cap. Pastoralis de rescript. & ponit Petrus de Monte in sua monarchia, in sexta charta, in quæstione, ad quem spectet congregatio Concilij. Ego fateor quod quando Cardinales nollent congregare, vel essent diuisi æqualiter in collegio, vel detrectarent, vel essent notoriè negligentes, Imperator posset congregare, quando subest causa legitima congregandi, vt puta, quia Papa est hæreticus, vel quia occurrit casus fidei, vt dixi supra in quæstione, sed pone, quod inter duos, & primo articulo, siuè membro quando est vnus indubitatus Papa. Ad quod facit dict. cap. si quis pecunia 79. dist. & cap. nos ad fidem 96. dist. & §. Hinc etiam 17. dist. cùm similibus iuribus, in quibus Imperator reperitur congregare Concilium, maximè illis, quæ loquuntur per verba sub tali Imperatore, vt in capitulo habeo librum, & in capitulo quoniam. 16. distinctione, & per verba præsidente tali Imperatore, vt in capitulo sexta, cum similibus decimasexta distinctione, & voluit Card. de Turrecremata, in capitulo octauo in versiculo ad septimam.

Et tunc procedunt rationes Cardinalis Florentini in dicto capitulo licèt, quod
212 quantumcumque Imperator sit laicus, tamen quando agitur de causa fidei, & de papatu, permissa est laicis principibus potestas super clericos, vt in dicto capitulo, vbi periculum, & dicta Clementina ne Romani, §. Porrò, maximè Imperatori, qui est aduocatus, & defensor Ecclesiæ, vt in capitulo venerabilem; de electione, & in Clementina prima, de iureiurando, & refert Dominicus in capitulo Ecclesiæ meæ. 96. distinct. & in cap. tibi Domino, & in cap. ego Ludouicus 93. distinct. Card. in Clem. prima. §. Dudum de iureiurando, & Innocen. in cap. licèt ex suscepto, de foro compet. Et tenetur defendere vniuersum Clerum, vt in cap. benè quidem 96, dist. & maximè cum tractatur causa fidei, vt in cap. vbinam legistis, eadem dist. Quod & videtur voluisse, Bal. qui notabiliter loquitur in materia in cap. olim de rescript. dum finaliter dicit, quòd si nolunt vti rationibus compescentur armis, per l. nullus, C. de iud. & latiùs in cap. Pastoralis, eod. tit. Quasi velit quando Papa non vult congregare, & subest causa, quod principaliter spectat congregatio ad Card. alioquin ad Imperatorem. In casu autem proposito non credo ita absolutè, quod Imperator habeat congregare; sed credo, quod primò inducendi sint Cardinales ad concordiam, maximè, vbi discordia esset tantùm de appenditijs, sicut de loco, & tempore, & essent concordes, quod Concilium congre-
213 garetur; videmus enim in simili, quod ratione scandali, & publici interesse quis compellitur ad pacem, vt in l. congruit, ibi Bart. ff. de offic. præsid. & cap. cùm inter de elect. & in authent. de mandatis prin. in §. Deindè, & quod dicitur in rub. de treuga, & pace, per Abb. & per Bar. in l. furti, ff. de ijs, qui notantur infam. & per Alber. in l. æquissimum, ff. de vsufr. cùm sicut; & in proposito ad hoc bonus text. in cap. placuit 90. dist. etsi non directè, saltem per indirectum. Ad quod facit quod ipsemet Cardin. dicit, quod in simili nomen in dict. cap. vbi periculum, quod sicut Cardinales coguntur per indirectum per subtractionem victualium, vt eligant Papam,
214 eodem modo possunt per indirectũ compelli, vt ingrediantur conclaue, etsi aliqui sunt egressi quod denuo ingrediantur, ne sint melioris cõditionis non parentes, quàm se offerẽtes. Pro hoc adduco etiam in simili, quod dicit Domin. in c. propter, elect. 1. 18. dist. in finalibus verbis, vbi dicit argumento illius text. quod si Ecclesia caret Pastore, possent Archiepiscopi, & Primates congregare Concilium, quod inducit ad Concilium Pisanum. Vnde non videtur velle, quod incontinenti possit se intromittere Imperator in omni casu, quod & videtur voluisse Bal. in dicto cap. olim. Item esset priùs habenda consideratio, an maior pars collegij noluerit congregare, quia tunc tamquam factum priùs à collegio fieri debet congregatio, vt in tit. de ijs, quæ fiunt à maiori parte. Vel si essent Cardinales diuisi in obedientijs, & maior pars vnius obedientiæ adhæreret alteri integræ parti, tunc congregatio facta per illam partem integram iunctam cum maiori parte alterius obedientiæ ante Imperatorem, fortè valeret, si per hoc tolleretur schisma, vt quia sequeretur vnio obedientiarum. Et fortè idem esset dicendum, quando Cardinales essent negligentes, scilicet quod non incontinenti se intromittet Imperator, sed considerabitur causa, propter quam protrahunt, & si est notabilis negligentia, nec ne. Item quia secundùm quod dicit Cataldinus in allegationibus factis pro Eugenio, post Cardinales spectabit congregatio ad Patriarcham Constantinopolitanum, qui habet primam Sedem post Romanam, vt 22. dist. cap. 2. cum duobus seq. Et hoc fortè meliùs secundùm illa tempora, quibus florebat illa Ecclesia, vt videtur velle Domin. in d. cap. propter, elect. 1. in fine 18. distinct. Sed hodiè fortè loco illius ad alios Primates si vellent pertinebit, ad quos rationabiliter priùs deferretur, quàm
215 ad laicos. Sed si bene aduertatur, Doct. videntur præponere Imperatorem Primatibus, quòd videtur rationabilius propter

maiorem facilitatem, quod ostendit Alex. in cap. 1. 17. dist. & Card. de Turrecre. in lib. 3. de potestate Papæ, cap. 8. & dixi paulò ante supra in quæstione, sed pone &c. pluries tenendo istam partem, quòd primò pertineat ad Imperatorem. Vno tamen casu posset esse vera opinio Cataldini, quando Concilium esset congregandum super rebus concernentibus personas ecclesiasticas, & super rebus spiritualibus, & ecclesiasticis, nihil tangentibus laicos, vt in simili dixi supra in illo articulo, qui possunt interesse Concilio, siue in illo, qui sunt necessario vocandi ad Concilium. Et ista adde ad illa, quæ supra dicta fuerunt in illo articulo de duobus contendentibus de Papatu in quæstione, sed pone quod inter duos contendentes. Sed si non fuisset
216 seruatus iste ordo, & Imperator supplet negligentiam ecclesiasticorum, & alij ecclesiastici habent supplere maiorum negligentiam, vt supra satis dictum est, de quo vide, quæ ibi supra dicta fuerunt. Et ad præmissa facit, quod ponit Dom. in cap. 1. in 4. colum. de sup. negl. Prælat. in 6. Et quod dicitur in cap. 1. de treuga, & pace,
217 quòd non pro omni negligentia Prælatus deponitur, vt in cap. quicquid in gl. 1. quæst. 1. sed solùm pro graui, & tali vt videatur deducta in delictum. Ad hoc quod dicit Abb. in cap. ea, quæ de statu mo. & Bald. in l. mancipia, in vers. quæro, an Officialis, C. de seruis fugit.

Possent etiam induci Cardinales, vt deputarent vnum vicarium siue administratorem, si eis videretur expediens, quia ex quo duo contendunt de papatu, ecclesia dicitur quasi vacare, vt in cap. 1. de schisma in 6. & in cap. si duo 79. distin. ideo videtur quod possint deputare administratorem, donec interim congregetur Concilium, & causa in eo expediatur; vt in simili vult Inno. in capitu 1. ne sede vacante, & quod dicitur per Archiep. in cap. Pontificis 7. q. 1. & in cap. fin. 61. dist. & in cap. is cui de elec. in 6. Et vt faciliùs expedire possint, quæ veniunt facienda pro electione vnius veri Pontificis, omnia quæ sunt consequutiua ad electionem videntur eis licere, vt dicit idem Cardin. in 3. q. dicti tractatus, quia vt ipse dicit non ita potest limitari collegium Cardinalium, sicut inferiora alia collegia quibus hoc prohibetur in cap. fin. de sup. neglig. præla. in 6. Quod etiam tenuit Petrus de Ancharano, in quodam tractatu schismatis,
218 in 6. quando vbi vult, quod siue Papa sit captus à schismaticis, hæreticis, vel paganis, siue sit factus fatuus, vel furiosus schisma ticus, vel hæreticus, quod intelligo notoriè, iurisdictio deuoluitur ad collegium Cardinalium, qui poterunt deputare vnum Vicarium, qui administret, Allegat in argumentum cap. si episcopus de supp. negli. Præl. in 6. dicens, quod nec hoc casu habet locum prohibitio cle. ne Romani §. irritum, nec §. ijdem quoque cap. vbi periculum de elec. in 6. Nam dicit quod in casibus prædictis cessat ratio illorum iurium, quę loquuntur quando verisimiliter vacatio est parum duratura vt in fine, dicta clementina, sed in casibus prædictis, captiuitatis &c. non speratur liberatio de proximo. Si ergo habet locum d. §. ijdem quoque, quando imminet necessitas defendendi terram Ecclesiæ vel eius partem, multò magis quando imminet vniuersalis Ecclesiæ necessitas, quæ in proposito, quia incertum est quanto tempore sit duratura. habetur pro perpe-
219 tua l. sufficit ff. de condi. indebi. notatur in cle. etsi principalis de rescrip. Quinimmò, in d. q. videtur dictus Petrus plus velle, quod in dictis casibus succedat collegium Cardinalium in administratione etiam in casibus specialiter reseruatis Papæ, ita vt possint etiam cognoscere de appellationibus deuolutis ad Papam, confirmare electiones Prælatorum immediatè subiectorum Papæ, & conferre beneficia reseruata. Super quibus vlteriùs in præsentia non me diffundo, verùm infra in loco suo aliquid dicam. Et aliqui allegant quod contrarium eius quod dicitur de furioso. videtur velle Calder. in cap. licèt, de ele. Sed ibi Calde. non loquitur nisi de hæretico, & dicit quod si ei obijcitur hæresis, & probabiliter dubitatur an opinio quam tenet sit hæretica. interim debet admitti ad regimen, & multò fortiùs si fuit admissus perseuerabit, & administrabit omnia quæ spectant ad papatum, de quo ibi per eum, super quo vide ibi Doc. Sed ad propositum dubium vide glo. in cap. nullus 79. di. & quod dico infra in quæstione, ex quibus causis possit Concilium congregari, & latiùs in illa quæstione, quid si Papa efficitur furiosus vel demens, inutilis vel capi-
220 tur ab hostibus. Ex quibus, etiam sequitur notabilis limitatio ad d. cap. fi. quod licèt, aliàs Ecclesijs cathedralibus non possit dari visitator siue administrator sede vacante, quia spectat ad Papam, tamen vacante sede Apostolica; quod est maius poterit collegium Cardinalium deputare visitatorem, qui est idem quod administrator, vt notant Doc. ibi in d. c. fi. & notat in cap. is cui de elec. in 6. Quod dictum licèt sit notabile, tamen non credo verùm, maximè in casu schismatis seu hæresis Papæ, & similibus, prout inferiùs dicam, quia talis administrator posset esse causa vt diutiùs nutriretur schisma, & vt augeretur; quia, si priùs erant duo contendentes de Papatu, viderentur postea esse tres, prout euenit tempore Gregorij Septimi qui sibi substituit in spiritualibus vnum administratorem, cum quo, quodam alio fuit ei postmodum contentio de
221 Papatu. Possent etiam induci Cardinales, vt concorditer facerent vnam prouisione siue ordinationem. vel statutum quod quidquid faceret maior pars ipsorum comparatione minoris, quantumcumque non esset maior pars vniuersitatis totius collegij, pro tollenda discordia valeret, quia tunc valeret votum maioris partis, quantumcumque non esset maior pars collegij. Ita dicit glo. in cap. si cui, in verbo præter de elec. in 6. ponit Abb. in cap. Constitutus, de appel. & ibi Lanfrancus, & idem Abb. in Ecclesia & primò de ele-

ctio

ctio & ponit Hostien. in summa de elec. in §. qualiter, versic. & nota, aliàs quid si duobus. Sic enim dicunt Doc. in d. cap. si cui valebit quod fit ab vno ex canonicis si canonici prius statuant omnes simul congregari quod omnes debeant comparere ad eligendum in certa die, vt &. si vnus tantum canonicus venerit habet vocem omnium aliorum. & censeatur totum capitulum, & electio facta per ipsum valeat & valebit isto casu electio vnius tantum comparentis, ex quo nullus alius comparet. Et ita dicit Lapus Abbatem obtinuisse & refert ibi Domin. Idem dicit Innocen. in cap. cùm nobis de elec. si est periculum in mora, & est res in vltimo momento præfixi termini, etiam sine alia deliberatione priùs per canonicos facta, quia vniuersitas residet in vno 65. di. cap. fin. l. sicut ff. quod cuiusque vniuersitatis nomine. Et sic licet non valeat factum à maiori parte capituli nisi sit sanior & maior par totiùs capituli, vt in cap. primo de ijs quæ fiunt à ma. par. cap. l. nulli & l. plane ibi gl. ff. quod cuiusque vniuers. nom. hoc est eorum qui intersunt in capitulo, quod capitulum constituitur ex præsentibus, vt dictis iuribus & in d. cap. Ecclesia, dummodo præsentes congregati, sint duæ partes conuocandorum ipsius collegij vniuersitatis siue capituli d. l. nulli & l. plane, & doc. in d. cap. 1. & glo. & Doc. in cap. cum inter vniuersas de elec. & in lib. 3. ff. de decretis ab ordi. faciēt, tamen in proposito factum à maiori parte præsentium, quamuis non sit maior pars totius collegij, va-
222 lebit propter huiusmodi ordinationem. Vnde licèt in electione Papæ requiratur quod duæ partes collegij consentiant, possunt tamen Cardinales statuere omnes simul quod electus à minùs quàm duabus partibus sit Papa. Et ita interdùm seruatur; vt dicit Compostel. in cap. licèt de elec. & sequuntur Ioann. Andr. Anto. Ioann. de Imol. & Abb. ibi & refert glor. illa in d. cap. si cui. & glos. illa in verbo reprobamus, & Doc. in Clemen. 2. de ele. Adde tamen quod in electione Papæ voluit Cardin. in cle. 2. de elec. quod ex quo Cardinales non tenentur aliter vocare absentes, licèt per d. cap. vbi periculum, teneantur per decem dies expectare eos, nihilominùs præsentes constituunt collegium soli, quia in actibus etiam in quibus debent vocari absentes, non computantur in numero, nisi ij tantum qui debent vocari, vt in cap. quia propter de
223 elec. in verbo debent, & sic cum dicitur quod de iure debent esse præsentes duæ partes totius collegij, vt l. planè ff. quod cuiusque vniuersit nota non intelligitur quod sint in parte absentium computandi illi qui non debent vocari Allegat. Inno. in cap. Ecclesia el. 2. de elec. in verbo contemptum. Vnde multò magis in proposito videtur quod possint statuere quod dictum est pro Concilio congregando, & multò magis valebit quia hoc tendit ad vtilitatem vniuersalis, Ecclesiæ, vt cesset discordia inter Cardinales. Ad quod facit per locum à minori, quod, quando est statutum ab omnibus de Collegio quod non valeat quod fit, nisi omnes consentiant non valebit vno postea discordante à toto Collegio, & tamen si agatur de vtilitate Ecclesiæ valebit non obstante statuto, vt dicit Abb. in dictis locis, igitur in proposito propter periculum Ecclesiæ, & vtilitatem quæ sequitur valebit, quia imminet necessitas Ecclesiæ, & quia sic tollitur discordia Cardinalium. Vbi autem nollent hoc facere nec concordare, & appareret quod facerent animo diffugiendi, vt in simili dicit Bal. in dist. cap. olim, tunc vt supra dictum est, poterit Imperator cùm alijs prælatis Concilium congegare. Ad-
224 uerte tamen quod illud quod dico debere esse duas partes conuocandorum præsentes, vt possit dici Concilium, intelligendum est in casu proposito quando ob defectum Papæ alius congregat Concilium Secus verò vbi Concilium congregatur ad mandatum Papæ, quia superior potest eos constituere contumaces. Vnde alij non venientes videntur se fecisse alienos, & sufficit si præsentes non sint duæ partes, vt in cap. cum nobis olim, & quod ibi dicunt Doctr. de elect. ad hoc 23. q. 4. Guilisarius Et sic intelligi debent omnia iura quæ exprimunt numerum Episcoporum qui Concilijs interfuerunt, in quibus apparet quod interdum fuerunt in paruo numero, vt in cap. sexta 16. dist. & non fuerunt duę partes omnium de vniuerso orbe conuocandorum, quia fuerunt vocati authoritate Papæ, cuius vocatio est authoritatiua alia verò quæ fit per inferiores, est potiùs quædam requisitio siue denunciatio, vt sæpiùs dictum est per notata per Inno. in cap. cùm
225 nobis. Et ideo non propriè constituunt vocatos in contumacia sicut fit in vocatis à Papa, sed potiùs dicuntur vocati seipsos facere contumaces, vt ipsis postpositis præsentes possint procedere. Si verò omnes Cardinales essent concordes sede quasi vacante, vel eo casu quod ad eos est deuoluta potestas congregandi, fortè idem esset, cum tunc videatur quod possint vocare per viam citationis authoritatiuè, & per viam præcepti, vt dictum est supra in articulo de forma citandi, maximè in terris Ecclesiæ. Et per hæc limita omnia illa iura quæ requirunt duas partes conuocandorum, vt non procedant in Papa, sed in inferiori.

226 Adde tamen quod in lucubrationibus Ioan. Milis aduocati consistorialis, cuius reptorio vtimur, reperi manu eius propria scriptum scilicèt, quod illud quod dicitur duas partes conuocandorum debere esse præsentes, vt faciant Collegium est verùm in vniuersitatarib. laicorum, secus autem in Collegij; & capitulis Ecclesiarum, allegat Innocent. in capitulo cùm nobis. Item dicit esse secus in Concilijs generalibus, in quibus non reperitur quod duæ partes totius mundi conueniant imò sufficit quod aliqui licet numero pauci sint præsentes; & alijs non venientibus in termiuino assignato. qui venerunt repræsentant absentes, allegat capitulum sexta. decimasexta distinctione, vbi reperitur

quod

quod Concilium generale fuit factum interdum cum 96. Episcopis, qui sunt parua admodum pars respectu Episcoporum totius mũdi. Et sic ex his appatet, quod nõ esset propriè limitatio ad illa iura & glos. quæ requirunt quod sint duæ par. præsẽtes si non habent locum in Capitulis Ecclesiarum, sed tantùm inter laicos, quia Concilium generale non est collegium laicorum, sed Ecclesiasticorum. Tu in hoc con-
227 sidera, quod dicit Abb. in cap. cùm omnes, de constitut. & Felin. ibi, quod aut est maior de Vniuersitate, qui habet facultatem citandi, & mulctandi; & tunc ad citationem illius non venientes constituunt se alienos, & præsentes, etiamsi non sint duæ partes possunt actum explicare, vel maior pars ipsorum, quia ipsi faciunt Capitulum, & absentes constituunt se contumaces, & non computantur tunc in numero duarum partium. Allegat gloss. in Clem. vt circa, de elect. & Io. Andr. in cap. in causis, de elect. & idem dico in congregatione Concilij generalis ratione impossibilitatis per dictum Ioannem Milis supra. Aut non est aliquis superior, sed Collegium, vel vna pars vult aliam congregare, & tunc quia est quædam requisitio, vt dicto cap. cum nobis, requiritur, quod sint præsentes ad minùs duæ partes congregandorum. Et hoc nisi instaret tempus aliàs præfixum ad actum expediendum, & periculum esset in mora, vel actus posteà vlteriùs expediri non posset, vt in cap. cùm inter vniuersas, & dicto cap. cùm nobis, de elect. & dicto cap. cùm omnes, de constit. Et per hoc patet quatenùs valebit conuocatio ad Concilium facta per Cardinales, eo casu, quo est facta ad eos deuolutio, prout dicto §. ijdem quoque, & per supradicta. Et vide, quæ infrà dicuntur in quæstione, quot debeant esse præsentes in Concilio, vt constituant Concilium.

228 Vlteriùs quæro, pone, quod duo sint in discordia Papatus, & quilibet in possessione partis, & conueniunt cum Cardinalibus quilibet cum obedientia sua in vnum locum, vt quod decreuerint de conuocando Concilio fiat, vtrùm sufficiat maior pars omnium simul iunctorum, an requiratur maior pars vtriusque obedientiæ de per se. Casum habes multum notabilem, quod sufficiat maior pars omnium Cardinalium in vnum iunctorum, sicut erant priùs, & quod non requiratur maior pars vtriusque de per se in capit. 1. & ibi notat Anton. de Paroch. Et ad propositum huius quæstionis, vide quæ dico infrà in quæstione, quando vota darentur per nationes, quomodò diceretur maior pars, de quo vide quæ dicuntur in Clem. plures, de iurepatron. & latiùs per Felin. in cap. Pastoralis in fin. de rescript.

229 Vlteriùs quæro, pone, quod duo sint in discordia Papatus, & nullus sit in possessione, quis tunc congregabit Concilium? Dicerem, quod aut est clarum quisnam habeat bonum ius in Papatum, & ille indubitanter congregabit Concilium, ex quo notoriè constat, quod est verus Papa, & alius non poterit eum impedire. Pro hoc text. in cap. in nomine Domini distin. 23. Aut non constat quis sit verus Papa, & est dubium, quis habeat bonum ius in Papatum. Et iste videtur casus, quem mouit gloss. in cap. si duo dist. 79. vbi dicit gloss. Concilium conuocandum ad cognoscendum quis eorum habeat ius, quis autem habeat congregare non declarat. Sed di-
230 cerem, quod isto casu Cardinales congregabunt, quia ex quo neuter ipsorum possidet aliquam partem, & per nullam partem reperitur aliquis ipsorum receptus, habetur Ecclesia pro vacante, & ideò sicut electio spectat ad Cardinales, & rursùs ex quo Cardinales habent in arduis periculis prouidere Ecclesia vacante, vt in cap. vbi periculum in §. ijdem quoque, de elect. in 6. ipsi congregabunt. Facit benè text. in cap. si Episc. de suppl. negl. prælat. eodem lib. & in cap. si cui, de offic. deleg.
231 eodem lib. Et cùm ista sint consequentia ad electionem, non censentur eis prohibita, ex quo sedes isto casu dicitur vacare, cùm nõ possint aliter prouidere, & si alium eligerent non sedaretur schisma, & ad hoc faciunt omnia, quæ dicta sunt supra in vers. sed pone, quod inter duos contendentes de Papatu in responsionibus ad motiua adducta pro Cardinalibus, & in responsione ad §. irritum, in Clement. ne Romani. Et hoc tenet etiam Modern. Aretin. quia
252 ius conuocandi non potest spectare ad illum, qui non est in quasi possessione exercendi iurisdictionem quãtumcumque haberet bonum ius, per cap. cùm Ecclesia, & cap. cùm olim, de causa possess. & propriè, & cap. querelam, de election. & dicta in l. Barbarius, de offic. prætor. & cap. nihil,
233 de elect. Sed ista ratio eius in proposito ità generaliter posita inter duos contendentes, non satisfacit, quia posset esse casus, in quo nulla subsistente quasi possessione inter duos contendentes de Papatu, posset quis exercere iurisdictionem, vt in primo casu, quando inter duos contendentes nullo existente in possessione constaret notoriè quis esset verus Papa, vt in primo membro dixi per text. in dicto cap. in nomine Domini. Immò tunc congregando acquirit quasi possessionem, quod fieri potest, vt supra diximus, de quo in cap. consultationibus, de iurepatron. cum similibus, & infrà proximè dicitur.
234 Sed videtur præmissis, & gloss. in dicto cap. si duo, obstare, quod notat. Anton. in capit. licèt, de elect. qui dicit, quod cùm Papa non habeant superiorem, vbi est aliquod dubium de viribus electionis eius, de hoc non cognoscit Concilium, vel alius viuens, quod dicit notandum contra illos, qui dicunt congregandum Concilium.
236 Sed ego intelligo Antonium, quando contra vnum Papam receptum aliquis vellet opponere, de viribus electionis, & non quando est contentio inter duo de Papatu, vt loquitur illa glossa in dicto cap. si duo. Quinimmò plùs videtur, voluisse Cardinalem Alexandrinum in capit. synodum in col. 3. distin. 17. quod quando constat quis sit verus Papa, ille conuocabit, quantumcumque alius sit possessor,
quia

quia tunc ille omni conatu est abijciẽdus. De quo cogitandũ, quod dictum eius procedit quando alius est notorius intrusus, vt in cap. si quis pecunia distinct.79. Nec in proposito responsio per Modernum Aretinum data ad dicto cap. in nomine Domini satisfacit, quia dicta responsio habet solùm locum, quando est probabile dubium quis ex contendentibus sit Papa, & conuenit ad istud secundum membrum, in quo tantùm ipse loquitur, & non ad primum quando constat, quod alter est verus Papa. Et sic patet ex præmissis, quod quando est quæstio de Papatu, etiam inferior congregat Concilium, vt dictum est supra, & ponit Ioannes Andreas in cap. licèt, in verbo Cardinalibus, de elect. & ibi etiam Floren. & dicitur in cap. 1. de renunciat. in 6. & in dicto cap. si duo dist. 79. & Baldus in cap.
236 olim, de rescript. Notandum est tamen temperamentum datum per eundem Modernum Aretinum ad dicta Innoc. in cap. 2. de in integr. restit. & ad dicta Doctor. post Innocent. in cap. cumana. Quod temperamentum vtroque modo est notabile, & menti tenendum. Primò quando vult, quòd illud, quod dicunt Doctor. in cap. cumana, & in cap. transmissam, de elect. & in cap. consultationibus, de iurepatron. quod proprietarius potest actum exercere, & adipisci possessionem, & gerere, quæ spectant ad eum nullo alio existente in possessione, sit verum, quando nullus alius apparet contradictor. Secundò, dùm vult dictum Innocent. in dicto cap. 2. de in integr. restit. scilicet, quod quando vterque contendit se possidere, vel vterque prætendit ius habere, & neuter est possessor, vel quando est contentio inter eum, qui prætendit se possessorem, & inter proprietarium, & est dubium tam de possessione, quàm de proprietate, Capitulum admittit vtrumque ad vocem dandam cum protestatione, quod illius censeatur vox, quem constabit esse verum possessorem, vel proprietarium, vt in dicto cap. cumana in-
237 telligendo semper, quod quasi possessor præfertur proprietario, vt in dicto capit. consultationibus, & cap. cùm Ecclesia, de causa possess. & propriet. non habere locum inter duos contendentes de Papatu, quia nullus debet admitti ad administrandum. Facit ad hoc bona gloss. in cap. non autem dist. 7. qu. 1. Ergo vtroque modo est notabilis limitatio in casu eius quando est dubium quis sit verus possessor, vel titularis. Pro quo facit text. & ibi dicta in l. fin. C. de edict. Diui Adriani tollen. & Innoc. in cap. in præsentia, de probat. Item facit, quod ponit Archidiac. in cap. cum qui, de
238 præbend. in 6. iunctis ijs, quæ ibi dicit Ioannes Andreas, videlicet, quod licèt electus, & confirmatus habeat administrationem, tamen si propria auctoritate intret possessionem, incidit in pœnam illius text. Quod intelligit Ioannes Andreas interueniente violentia, & non aliter, de quo per Cardinalem in Clement. vt ij qui, §. illi, de ætat. & qualit. Et hoc arguit,
239 quod vera sit opinio illorum, qui voluerunt, quod vbi est controuersia de possessione eligendi, tunc Iudex debet prohibere vtrumque eligere, argum. leg. penult. ff. de aqua quotid. & æstiu. vt referr Innocent. in fin. dicto cap. 2. de in integrum restit. Qui dicit illos malè intelligere illam leg. quia erit vera opinio in casu isto, quando sunt duo contendentes de Papatu, & est dubium quis sit verus Papa, quia debent prohiberi ne aliquis ipsorum administret. Pro hoc text. in cap. si duo dist. 79. & quod ibi dicit Alexan. & multum benè text. iuncta gloss. in cap. non autem dist. 7. qu. 1. quam
240 vide. Et sic temperatur cap. in nomine Domini dist. 23. Quando autem constaret notoriè, quod alter esset verus Papa, non obstante contradictione alterius, tunc habebit locum cap. in nomine Domini, quia non obstantibus contradictoribus, poterit verus Papa administrare, & Conciliũ congregare. Faciunt, quæ dicta sunt supra in quæstione de duobus contendentibus in vers. sed pone, quod inter duos, &c. maximè per Abb. in cap. si constiterit in vltima lectura ad illum text. in col. 2. de accusat. Et hoc tenuit Petrus de Ancharano in tract. schismatis in col. 9. vbi dicit, quod tunc est imputandum schisma illi, qui esset minùs canonicè electus, & deberet eijci omni conatu, allegat dictum capit. si quis pecunia dist. 79. Et hoc voluit Card. de Turrecremata in cap. 8. tract. de Concilio in vers. ad sextam rationem, qui dicit, quod tunc non est necessaria Concilij congregatio ad inquirendum quis sit verus Papa, sed ad eijciendum intrusum, & ad mandandum, quod omnes Fideles pareant, & obediant vero Papæ. Et ità dicit legi factum tempore Damasi contra Vrsinum, & tempore Cornelij contra Nouatianum. Et de tali contentione dicit non loquitur capit. si duo dist. 79. secundùm Gratianum ibi in §. sequenti. Et ista in effectu fuit mens Alexan. in capit. synodum dist. 17. in col. 3. qui loquitur quando clarè constat, quod vnus fuit canonicè electus per duas partes, & alius non, qui est intrusus. Et prædicta omnia limita, nisi duo contendentes de Papatu, essent electi contra fas, temeritate concertantium, vt in dicto capit. si duo dist. 79. Quod intelligo non solùm, quando constat, quod neuter illorum est electus à duabus partibus Cardinalium, vt videtur intelligere illum text. ibi gloss. & Ægidius Bellamera, licèt nondùm emanasset, cap. licèt, de elect. & Alexan. in dicto cap. si duo, sed etiam quando aliundè constat indubitanter, & clarè non solùm ex nullitate electionis, sed etiam ex alio capite, quod nullus ipsorum est Papa, alioquin ille text. nullam decideret difficultatem, nec aliquam afferret vtilitatem, text. au-
241 tem ad eum sensum referri debet, per quem pinguiùs, & vtiliùs subuenit, l. 1. in fin. ff. ad municipal. ponit Zenzelinus in Clement. 1. de præben. Item sententiam aliquos potest intelligi, vt prouideat ille text. quando factum esset tam antiquum, & intricatum, & contineret tot dubitationes hinc indè, vt non possit declarari, sicut fuit tempore schismatis inter Gregor. XII. & Benedict. XIII. Quod videntur innuere

verba

verba illa [fortè contra fas,] ibi posita, quod verbum fortè dubitationem notat. Quinimò & per antiquos aliquos fuit intellectus ille text, etiam vbi timeretur scandalum, si alter eorum remaneret, & allegatur ibi, quod ità notauit D. Perciuallus de Mediolano, & tenet Cardin. ibi secundùm quod notat Alexan. in primo notabili ibi, & gloss. in capit. si fortè dist. 63. in verbo nullus, quando allegat text. in dicto cap. si duo, tunc enim dicit aliquid detrahendum seueritati, vt in capit. vt constitueretur dist. 50. Quinimmò Cardin. ibi intelligit etiam in casu quo est, necessitudo de iure apud doctos, & graues viros, vel quod est incertitudo ratione facti ità intricati, quod veritas non posset elici. Alioquin non deberet noua electio fieri, sed priùs per Concilium esset terminandum, quæ ambarum electionum valeret, vt videtur velle gloss. in dicto cap. si duo, & Ægid. & Alexand. ibi per cap. consideramus, & cap. auditis, de electio.

242 Quid autem de duobus electis in Imperatores, qui dant priuilegia, vtrùm valeant, vide Oldrad. consil. 22. & 23. vbi videtur tenere, quod non, & quod interdictus est vsus impetrantibus, quia pendet ex euentu, nisi priuilegium amborum in idem tenderet. Baldus tamen in proœm. decretalium videtur tenere contrarium, quia vsus, possessionis non debet cuiquam ex duobus auferri, nisi priuilegia essent contraria, quia ratione contrarietatis impediretur vsus, & expectari deberet exitus, nisi etiam constaret de alterius intrusione, vel notoria iniustitia, vt ibi per eum, de quo aliquid in summa dist. 24. qu. 1. dicit etiam idem Baldus in dicto proœm. quod licèt aliàs Imperator debeat esse legitimè electus aliò quando enim non esset ei obediendum, vt ponit Archidiac. in cap. quid culpatur dist. 34. qu. 1. si tamen dubium est, an sit intrusus, non tenetur cedere possessioni si est colorata possessio, & si sit schisma locus est gratificationi, & qui semel acceptauerunt eum non possunt ei subtrahere obedientiam. Item ponit de duobus contendentibus de Papatu, quod si ambo concedunt mihi vnum, & idem castrum, valebit concessio, quia ius meum in altero ex concedentibus de necessitate concluditur, & ità dicit tenere Oldradum. Et ista faciunt ad dicta supra in præcedentibus quæstionibus. Et de istis duobus simul vtrùm valeant priuilegia, vide Io. Andr. in addit. ad Spec. tit. de rescript. præsent. §. fin. vers. item, quod obtentum, circa medium, & latè per Albericum de Rosate in leg. benè à Zenone, C. de quadriennij præscript. & ibi Salicet. Vbi etiam quid si super eadem materia ab ambobus sunt concessa priuilegia, an ambo, vel alterum robur habeat, vel pendeat ex futuro euentu. Et ibi de Imperatore, an ex sola electione antè confirmationem possit administrare. De quo in præallegata addit. Io. Andr. & Aluarottus in cap. 1. quis dicatur dux. Vbi plura de concernentibus personam Imperatoris; & vide post gloss. in verbo Reges Doct. in Clement. Romani, de iure iurando; & vide Alexandr. in capit. per venerabilem in col. 24. qui filij sint legitimi.

243 Sed pone, quod ambo contendentes de Pontificatu sint in possessione partis suæ obedientiæ, & vnus deneget, vel detrectet congregare Concilium, alius autem velit congregare, vtrum possit. Et videtur prima facie, quod non, quia congregando Concilium œcumenicum, videretur spoliare alium secum contendentem, saltèm possessione partis suæ, sicut dictum est supra de proprietario, & possessore, in cap. consultationibus, de iurepatronat. & in capit. cumana, de electione, & cap. cùm Ecclesia Sutrina, de caus. possess. & propriet. Et antè congregationem deberet restitui, vt in §. item Symmachus dist. 2. qu. 7. & dist. 5. quæst. 2. si Primates, & supra dictum est.

244 Ad idem facit, quod inter duos possessores eiusdem rei communiter potior est conditio prohibentis, leg. Sabinus, ff. communi diuidundo, regula in re communi, cum similibus in 6. Ad hæc, quia cùm ista sit materia, quæ tantùm tangit vnum ex duobus, quantùm alium, non debet vnus sine alio se immiscere, leg. quod maior, cùm materia ad municipal. capit. cùm omnes, de constitut. cùm materia. Prætereà si vnus ex duobus possessoribus congregaret posset esse ille, qui nullum ius haberet in Pontificatu, & sic ille, qui haberet ius esset frustratus, delusus, & contemptus, ad quod est, quod dicitur in cap. cùm dilectus de causa poss. & propriè. Item aut iste, qui vult congregare Concilium œcumenicum, vocat illos de obedientia alterius, & tunc ex quo ille, qui conuocat se prætendit Papam, qui sunt sub alteriùs obedientia quoad eum sunt schismatici, & cum schismaticis non est communicandum, vt supra dictum est, nec ad Concilium sunt vocandi, vt dist. 24. quæst. 1. dicimus. Item illi, qui erant sub alteriùs obedientia, si comparebunt, subtrahent se obedientia superioris, hoc autem nulli licet propria auctoritate antequam constet superiorem damnatum de crimine Innoc. & Ioan. Andr. in cap. 1. de schismat. Innoc. in cap. perpetuas de simon. in cap. fin. de temp. ord. facit, quod dicitur in cap. si Papa, dist. 40. post gloss. Non enim

245 decet cap. non licet à capite membra recedere dist. 12. non decet, cap. non licèt de præscriptione auctoritate non conuocat illos de obedientia alteriùs, & tunc non erit generale siue œcumenicum, & canonicum Concilium, quia non erunt vocati de vniuerso orbe dist. 15. cap. 1. dist. 16. habeo librum, & in cap. sancta, & in cap. sexta, & in cap. non licuit, cum simil. Item accideret aliud inconueniens, quia cum tractatur de interesse alteriùs partis non videtur procedendum contra eos, ipsis non citatis l. de vnoquoque ff. de re iur. l. consentaneum Cod. quomodo, & quando Iudex 24. quæst. 2. in cap. de illicita l. nam ita diuus ff. de adop. cùm simili. Item potestas conuocandi, & exercendi iurisdictionem, competit ratione quasi possessionis, & non proprietatis, quia exercitium iuris-

246 iurisdictionis est fructus, qui competit possessori cap. cùm Ecclesia Sutrina, & cap. cùm olim de causa poss. cap. querelam de elect. Cùm igitur, qui vult congregare non sit in aliqua possessione alterius partis nolentis congregare, videtur quod non possit congregare illo nolente. Et qui non vult, videtur desistere à faciendo illud quod non potest 2. quæst. 1. in primis l. fin. Cod. si à non compe. iudi. cap. at si Clerici de iudi. cap. ad audientiam de consuet. cùm simil. Posset enim obijci ei, qui se immiscet rei ad ipsum non spectanti, regula non est sine culpa, cùm simil. Similiter etiam posset obijci volenti, quod possessio eius non est vniuersalis quia non habet possessionem alterius partis. Item inter remedia à iure prodita, vbi plures prætendunt possidere, & alter inquietat alium, datur interdictum vti possidetis, & nullus priuatur possessione sua, & iudex declarando qualitatem possessionis, pronunciat vti possideris, & prohibet alteri per alium vim fieri in sua possessione, & cognoscit de proprietate, vt in l. 1. & l. si duo & in l. 1. ff. & Cod. vti possi in cap. licet de proba t. & dantur huiusmodi remedia etiam respectu possessionis, vt dicto cap. licet, quia hæ quasi possessiones, iurisdictiones, & superioritates possunt esse apud plures insolidum, dicto cap. licet l. inter tutores ff. de adminis. tutor. l. 1. ff. de offic. Consulis per Doctor. in l. Pomponius, & in l. summa ff. de

247 re iudicata. Vel si timetur de scandalo sequestratur possessio, vt dicunt gloss. Baldus, & alij in d. l. prima Cod. vti possid. ad quod illud, quod dicitur in l. æquissimum ff. de vsu fructu, &c. in præsentia de probation. & l. fin. Cod. de edict. cum simili. Vel quando per omnia sunt pares, poterit pronunciare eos possessores pro dimidia in solidum argumento l. si finita §. cùm autem ff. de damno infec. & mandabat partibus ne se inquietent, vt dicit Bart. & Sali. in d. l. 2. Cod. vti possid. & cognoscit Iudex de proprietate interim. Vnde qui vult congregare, non debet impedire alium in sua parte possessionis, antequam sit defini-

248 tum quis sit verus Papa. Ad idem, facit quod potest definiri vnico momento quis sit Papa per sortem. Nec videtur hoc iure prohibitum, quia vt legitur act. 1. sors cecidit super Matthiam vt dist. 21. cleros, in princ. in gloss. & gloss. in summa 26. qu. 2. & textu ea, causa, & quæstione, non exemplo. Et istud iudicium sortis non est improbatum à iure, vt patet in cap. fin. de sortileg. Post gloss. final. sors enim non est aliquid mali, vt in cap. sors 26. quæst. 2. Et forte multa dirimi iura permittunt l. si duobus Cod. communia de lega. l. si qui sunt ff. famil. ercis. & l. sed cum ab eo ff. de iudic. gloss & Ioann. And. in dicto cap. licet causam de probat. Et sæpiùs in veteri lege committebatur aliquid iudicio sortis, vt patet num. 16. & 26. ibi gloss. Et quod in causa Papatus possit ad sedandum schisma procedi per sortem, videtur voluisse Cardin. in consil. 150. incipit quesitum sæpè, de quo latiùs aliquid infrà dicemus. Tunc enim sortes videntur prohibitæ, quando illis vtimur ad præscientiam. & diuinationem futurorum, sic procedit 26. quæst. 2. per totum.

249 In contrarium, quod immò, ex quo alius non vult procedere ad congregandum Concilium iste possit, facit quod vbicumque duo sunt eiusdem Rei consortes, & res indiget refectione, siue restauratione, si vnus nolit restaurare, alius consors poterit rem etiam inuito consorte restituere, & restaurare, textus est in lege si vt proponis. Cod. de ædificijs lege cùm duobus §. idem respondit, ff. pro Socio. Et si post restaurationem differt per quatuor menses, dominium totius rei transit in restaurantem etiam ipso iure, vt dicunt gloss. & Doctor. in dictis locis. Et ibi Bald. in dicto §. idem respondit, trahit ad habentes molendinum commune indigens refectione ponit Bartholomeus Cæpolla in tract. de Vrban. seruit. in tit. de refectione in versic. 4. quæro. Qui trahit præmissa non solùm ad socios eiusdem rei sed etiam ad alios quomodocumque existentes in communione. De quo in extrauaganti Federici, quæ incipit sancimus, de iure protomiseos, vbi latè dicitur. Vnde ex quo Ecclesia Romana hoc casu indiget Congregatione Concilij pro vnione, & restauratione, quia vnus denegat congregare, videtur quod alius, qui vult possit etiam, inuito illo, qui denegat congregare. Et videtur plus probare, quod si post congregationem non vult se vnire, ipso iure perdiderit titulum Papatus. Item vbicumque actus ex sui natura indiget expeditione, tunc semper præfertur ille, qui vult, quod actus expediatur l. his consequenter §. sed & cum monumentum, vers. item tamen ff. famil. ercis. vbi præfertur volens construere monumentum, & cogitur cohæres. Facit etiam quod dicit, Albericus in l. intantùm ff. de rerum diuis. de scholari, qui vult aperire ostium domus de mane bona hora, & alius contradicit; quod si est hora, eundi ad electionem, præfertur ille, qui vult domum aperire. Sic in proposito præferetur, qui vult congregare, quia imminet necessitas congregandi.

250 Per hæc casus redditur dubius, nec ita reperio, cum tractum Rosellus inter duos contendentes possessores super Pontificatu, simpliciter dicit, quod nullus poterit conuocare, nec auctoritatem præstare Concilio, quia Ecclesia dicitur tunc quasi vacare, vt in cap. 1. de schismat. sed tunc quilibet per viam intimationis poterit conuocare, & Concilium, sic conuocatum sibi ipsi præstabit auctoritatem, vt dictum est sup. Allegat. cap. si duo. dist. 79. allegat etiam gesta Concilij Bonifacij cap. 2. Ægid. in Clement. dudum in princ. in ver. sed pone de sepul. ponit quæstionem inter duos concorditer electos à Cardinalibus, sed asserentibus, primam electionem factam per impressionem notoriam, primo electo hoc negante, & sic in casu, quo constat alterum esse Papam verum, sed dubium est, quis ipsorum sit ille, qui est verus Papa, & quilibet habet sequaces, & vtraque pars asserit suum esse verum Papam, & alium

esse schismaticum cum sequacibus, ita quod tota Ecclesia est diuisa, cum vix reperiatur aliquis Episcopus, qui non sit pro vna parte, sicut fuit tempore Benedicti XIII. quia schisma tanto tempore durauerat, quod vix contingebat, quin ab vtraque parte essent creati noui Episcopi. Et ibi quærit qualiter istæ duæ partes, quarum vna est schismatica, & alia Catholica, simul possint coniungi ad constituendum totam Ecclesiam, & faciendum Concilium generale, & ibi arguendo primò, dicit videri impossibile, quia pars schismatica videtur esse extra Ecclesiam, & maximè quando adeò est firmata, & radicata, quia videtur transire in hæresim. Nàm licèt in-
251 ter schisma, & hæresim à principio possit notari aliqua differentia, vt ipse etiam latè ponit in cap. in fidei de hæresi, tamen schisma postquam est radicatum, & post pertinacem adhæsionem, censetur etiam hæresis 24. quæst. 3. inter schisma. Vnde si pars schismatica sit duplo maior, vt potest esse, diceturne quod illa pars faciat Concilium. Dicit videri durum hoc asserere, maximè si pars Catholica minor reclamat, & alium approbat. Dicit tamen
252 quod quando non est schisma clarum, & notorium alicuius partis, tunc sequentes vnam partem, vel aliam, non possunt dici clarè Schismatici nec esse extra Ecclesiam, ex quo schisma non est clarum, indubitatum, & hoc etiam tenet Archiep. Floren. in secunda par. summæ in tit. 3. de superbia cap. 11. versic. sed quid cum duo. & Ioan. de And. & Abb. in rubric. schisma. Ex quo similiter videtur concludere, quod fortè ratione dubij debent omnes admitti ad congregandum Concilium, & vt cesset mala suspicio, status omnium approbari, & omnes iuramento constringi. Dicit tamen, quod nec hoc sine scrupulo dubij transiret, & quod prouideat Deus, & saluis animabus, fouentes schisma de medio tollat, quia aliter res videtur inextricabilis. Et sic remanet ambiguus, & nihil decidit. Ant. de But. in suo tract. de schismate, dicit, quod quando vna pars Christianorum adhæret vni, & altera alteri, tunc si consideretur quilibet de per se neuter est in quasi possessione totius vniuersalis Ecclesiæ, nec de facto alteri obediretur, repugnante conscientia, quæ non habet eum pro Papa. Vnde dicit, quod sine aliqua ipsorum contendentium requisitione potuerunt Cardinales congregare Concilium Pisanum. Idem videtur velle Petrus de Ancha. in certis suis allegationibus factis pro Concilio Pisano. Eius fundamentum est, quod iura, quæ loquuntur de congregatione generalis Concilij, præsupponunt necessariò vnum esse, quem pro Papa vniuersalis Ecclesia recognoscat, & vnam Apostolicam Sedem. Allegat. dist. 17. per totum, & cum illi canones non possint adaptari in casu, in quo est diuisio Ecclesiæ, & inter duos de Papatu contendentes controuersia, non habebit locum illorum iurium dispositio, l. ita autem, ff. de administrat. tutor. cap. indemnitatibus in fine de elect. in 6. Et idem etiam tenuit idem Petr. de Anchar. in responsionibus factis ad Oratores Regis Romanorum in eodem Concilio Pisano. Pro his facit quod ponunt Doct. post Innocent. maximè Cardinal. in capit. ad hæc in fin. de offic. Arch. quòd vbi Episcopus, & Archidiaconus qui habent instituere Decanos rurales, de iure non possunt concordare, non valet illud quod facit vnus sine reliquo, argumento, capit. causam de offic. delegat.

253 Mihi videtur quod articulus iste contineat in se aliquam difficultatem. Et si loquimur de duobus in controuersia assumptis ad Pontificatum, hodiè prouidet constitutio frequens in Concilio Constantinop. edita, per quam possunt plures similes casus decidi, & tolli schismata. Sed adhuc illa circumscripta, dicit Alex. in cap. synodum in 2. col. circa fine, quod ex quo sunt duo contendentes, quod quilibet conuocet simul vniendo obedientiam suam, istud magis est ex expedienti quàm de iure, quia si nullus est electus à duabus partibus nullus est Papa, & nihil possunt, si vnus est electus à duabus partibus ille poterit, & alius debet eijci omni conatu, vt in capit. si quis pecunia, & cap. si duo, allegat Cardinal. in tract. de potestate Papæ, lib. 3. cap. 8. Et dicit quod tunc Concilium debebit congregari per Cardinales, quando sunt duo electi in discordia, ex quo nullus habet duas partes. Nec videt hoc casu quomodo quilibet ex existentibus in controuersia, habeat congregare suam obedientiam, ex quo constat quod nullus est Papa, & tunc non est curandum de quasi possessione alterius. Et verum dicit ex quo constat de vero Papa, & quod alius est intrusus, vt in cap. in nomine domini 23. dist. & in cap. si quis pecunia, 79. dist. Sed nos loquimur, quando est dubium aliundè, de duobus, quis ipsorum sit verus Papa, prout contingit tempore schismatis, quando ambo sunt electi ab vtraque parte. Et tunc stabunt, quæ dicta sunt in pluribus præcedentibus quæstionibus, quod quilibet poterit congregare in vnum obedientiam suam, & facere Concilium, & tenuit Antonius de Butrio, vt supra dixi in alia quæstione, quod ipse ponit in quodam suo tractatu de schismate, & Cardinal. Florent. in cap. licet in 2. quæst. de elect. & fatetur etiam ipse Alexand. in isto casu tantùm in dicto cap. synodum, videlicet quando duo contendentes sunt possessores, & ignoratur quis sit verus Papa aliunde, quàm ex electione facta in controuersia, vel à duabus partibus. Sed hoc videtur contradicere ei quod proximè supra retuli ex eodem Anton. in suis allegationibus, & Petr. de Ancharano, qui dicunt quod absque aliqua requisitione Cardinales congregabunt Concilium. Sed dic quod illud intelligitur, quando illi contendentes starent in quasi possessione, & nollent congregare Concilium, & schisma nutrirent, vel quando vellet vterque ipsorum authorizando congregare, quia non possunt ratione ambiguitatis. Facit quod dicitur in l. duo sunt Titij, ff. de testament. tut. Alioquin si ipsi vellent congregare, & cum effectu facerent,

vale-

valeret congregatio ab eis facta per modum requisitionis, vt pluries dictum est. Et hoc debet addi ad dicta supra in princ.

254 Sed nunc redeundo ad principalem quęstionem, quando vnus denegat, & alius vult, & vterque possidet, dic quod si verum est quod supra diximus, quòd cùm sunt duo contendentes, ambo possunt congregare obedientias suas in vnum locum, & voluit Cardinal. & alij supra relati, & si ipsi Cardinales possunt se inuicem vnire, & congregare Concilium sine contendentibus, ex quo ipsi nolunt congregare, vt ipsemet Anton. de Butrio, & Petrus de Ancharano, voluerunt, & dixi supra, etiam si non sunt omnes Cardinales concordes, sequitur quod ista conuocatio sicut ipsi volunt non erit authoritatiua, siuè per viam authoritatis, sed per viam cuiusdam intimationis, & requisitionis, vt in cap. cùm nobis olim de elect. & suprà dictum est. Sequitur deindè quod sicut hoc poterunt Cardinales à seipsis, ita multò magis cùm altero ex contendentibus de Pontificatu. Vndè si ille, qui cupit Concilium conuocare, requisitis Cardinalibus vtriusque obedientiæ cum eis conueniret, & conuocaret Concilium, etiam inuito alio poterit fieri. Nec in hoc obstabit quod vocentur illi Cardinales, qui quo ad eum sunt schismatici, quia quando fit ad sedandum schisma, poterunt interuenire, nec tunc cum eis participantes dicuntur incurrere aliquam pœnam, vt suprà satis dictum est. Nec obstat si dicatur quod spoliatur nolens congregare, quia inter alios casus, in quibus non datur restitutio spoliato, est, quando ex restitutione generatur scandalum, vel nutritur euidens peccatum, vt esset in proposito, tertia quæstione prima, in summa, & capitulo literas de restitut. spoliat. Item non videtur propriè spoliari, ex quo est quædam conuocatio per viam intimationis, & requisitionis.

Et per hunc modum credo quod volens congregare poterit alio inuito. Quinimò etiam si Cardin. alterius obedientiæ nollent conuenire cum eo, eodem modo per viam requisitionis poterit cum Imperatore, & sua obediētia requirere alios alterius obedientiæ, & congregare concilium. Et sup-

255 pono quod duo contendentes, & existentes in quasi possessione non sint electi contra fas, & sic sumus extra terminos cap. si duo 79. dist. Et quando recusans congregare, allegaret aliquid honestum, ratione loci, vel tēporis, vel simile non credo, quod Antonius de Butrio, & Petrus de Ancha. intellexerint dictum suum in isto casu, quia loquuntur in casu Greg. 12. & Benedicti 13. qui diù detrectauerant congregare concilium, & in casu antiquati schismatis.

Et idem credo, quando Imperator nollet, vel negligeret conuocare requisitus, quia posset ipse cū sua obedientia, & alijs Prælatis neutralibus, per modum requisitionis, & intimationis conuocare, & coadunare Concilium, nam aliorum malitia, & negligentia, quæ est causa nutriendi schismatis, non debet impedire volētes congregare Concilium pro sedando schismate. Nam, vt legitur in gestis Concil. Martini in quinto secretario, siue libro in cap. sancta Synodus dixit, non est vtile bonum cùm malo destruere idest cùm hæreticis orthodoxorum Patrum verba, & dogmata exurere, similiter namque est inhonestum malum amplecti, & cum eodem bonum indiscretè proijcere. Facit quod diximus supra in articulo quis congreget Concilium, videlicèt, quod imminente necessitate etiam per minimum de vniuersitate potest fieri congregatio, & Concilium debet vertere oculum plus ad causam cōuocandi, quàm ad conuocantem. Pro hoc est quod ponit Felin. in cap. super literis in 18. columna in versic. amplia secundò, de rescrip. qui allegat in tractatu de potestate Papæ Petrum de Monte in 16. colum. versic. sextò quæro, qui vult, quod minor pars concilij in congregatione potest citare maiorem partem, & datâ eorum contumacia, potest minor pars pronunciare se constituere concilium generale, & suam esse iurisdictionē. Hodie tamen constitutio frequens videtur prouidere huic casui quando sunt duo contendentes de Papatu; & disponere quomodo tunc debeat fieri concilium, & per eam tolluntur multæ difficultates de præmissis, licèt illa constitutio non fuerit recepta, vt alibi dico. Et ex his apparet quod ista eorum quasi possessione, licèt alter deneget, ex quo propter eorum discordiam imminet necessitas congregādi concilij, non impeditur congregatio per alios, vel per Cardinales si sunt concordes, vel per Imperatorem, vel Patriarchas, & alios Prælatos, etiam cùm altero ex dictis contendentibus quasi possessore partis suæ, licèt alter solus in discordia non posset. Et sic intelligo Rosellum vbi supra.

256 Sed pone quod ambo existentes in possessione contendentes de Papatu, sunt contenti congregare concilium, sed est differentia de loco, vel tempore, & ille, qui est iunior in ætate, & fuerat iunior in collegio, vel habet minorem partem obedientiæ, dicit, nomines tria, vel quatuor loca neutralia, & ego eligam vnum, & sic sedabitur schisma, quia congregabitur concilium in illo loco, & alius replicat, quod ipse nominet, quia est iunior, vel quia est in minori parte obedientię, quid agendum. Si attenderemus illud, quod dicunt Doc. canonistæ in cap. 2. de paroch. & Legistæ in lib. 1. C. quando non peten. partes, & in lib. 1. C. de ijs qui se defe. lib. 10. & in l. fin. C. communia de legat. & in §. quædam instit. de act. videretur quod maior, & antiquior deberet nominare, & infirmior eligere, sicut dicitur inter duos consortes, vel fratres mercatores, vel cohæredes, quia illa est magis communis opinio, quam tenent Canonistæ in dicto cap. 1. Licèt Abb. in dict. cap. 1. & Legistæ videantur magis inclinare in contrariam sententiam in locis præallegatis, vt latè disputando ponit Iason in dicto §. quædam, & ponit Alexander Imol. in addit. ad Bartolum in lib. 1. C. de petitione bonorum sublata. Quam opinionem tenuit sanctus Augustinus in sermone de communi vita clerico-

rum 53. ibi cum dicit ad ipsum sanè, qui maior est pertinet diuisio, & ad fratrem eius electio.

Sed contrarium videtur dicendum, quia in proposito illius quæstionis Doc. loquuntur inter duos, vel plures habentes diuidere, hìc autem in habentibus se vnire, qui est casus penitùs contrarius. Et istud credo verum videlicèt, quod non cogantur seruare illum ordinem, quod maior nominet, & minor eligat, non ista ratione solùm, quia iste videtur casus contrarius, sed quia non sunt concordes, nec agitur de re, quæ sit in dominio ipsorum, quia non possunt duo Pontifices esse eodē tempore; Glossa 7. quæst. 1. non autem, & dicitur in cap. licèt de elect. Et quia in casu proposito non est dare superiorem, vt in cap. Deus, in §. patet 3. q. 1. & c. licèt in fin. de elect. alioquin dicerem esse locum opi-
257 nioni canonistarum, Et per hoc dico ad illum tex. in d. c. 2. de paroch. quod habebit locum siue agatur de re diuidenda, siue vnione facienda, videlicèt quod antiquior eliget, & erit vna ampliatio ad illum tex. Et per hoc patet quod licèt aliàs quando est legata seruitus viæ, vel itineris, ad sciendum, cui pertinet electio sit inspiciendum in quem verba dirigantur, vt dicitur in l. si via ff. de seruit. rusti. præd. & in l. si cui in princ. de serui. & l. qui duos; & in l. legato generaliter ff. de leg. primò, & Dy. in regula in alternatiuis, & benè Bartholo Cœpol. in tract. de serui. Vrban. in rubric. qualiter quis vti debeat seruitute post princ. tamen si legatarijs data esset electio, & legatarij, quibus legata est via, vel iter, vel alia seruitutis simpliciter sine vlla determinatione, sed super toto non essent concordes, qui possent per iudicem compelli ad concordandum, vt ponit Angelus in l. itinere ff. de seru. restit. prædi. Iudex poterit eos compellere per istum modum, cogendo maiorem facere partitum iuniori de pluribus partibus fundi, vt eligat vnum
258 pro itinere. Et hoc addo ad distinctio. Bar. in l. huiusmodi in §. fin. ff. de legat. 1. qui voluit, quando non concordant partes rem debere diuidi sorte, quod tunc dispositio non sortitur effectum per l. final. C. communia de legat. quia quando ij, quorum est electio non concordant, & potest fieri finis per modum prædictum, iudex ad id cogere poterit, alioquin dispositio non sortietur effectum. Quod intelligo quamdiù non concordant, vt voluit Angelus in dict. l. itinere. Vnde ad propositum videretur dicendum, quod contendentes deberent cogi ad sortiendum. Sed quia non est dare superiorem, qui eos ad hoc cogat, vt in d. §. patet 3. quæst. 1. & in cap. licèt de elect. poterunt cogi, secundùm quod dictum est supra in quæstione, quando Papa non vult concilium congregare, an possit ad hoc cogi, videlicèt quod potest cogi non præcisè, sed causatiuè quia poterunt suppleri vices eius per Cardinales, qui eligent locum, Et si Cardinales nollent, nec maior pars eorum vtriusque obedientiæ, tunc poterit suppleri per Imperatorē &, & successiuè per alios, ad quos fit deuolutio congregationis Concilij, de quo supradictum est. Nam ex quo nolunt concordare de loco perinde est, ac si nolint quod concilium teneatur, & sic faciunt se alienos tamquam fouentes schisma, vt supra satis dictum est. Fateor tamen quod si contendentes de Papatu per seipsos concordarent modo prædicto de tēpore, & loco, hoc est, quod minor ad nominationem antiquioris eligeret locum, & tempus, & sic ille qui diceretur habere eligere, eligeret certum locum, & determinatum tempus, & sic conuocaretur concilium, valeret conuocatio, & locus, & tempus electum ex alternatiuis subsisteret, ex quo est pro sedando schismate. Quia si hoc possunt separatim, quilibet congregando suam obedientiam in vnum, vt dictum est multò magis poterit vnus congregare vtramque obedientiam de voluntate alterius, & eligere locum, vel tempus ab alio nominatum, vt euitetur circuitus. Non obstat quod quando sunt duo contendentes, nullus debet admitti ad administrandum, vt in dicta Glossa 7. q. 1. non autem, &c. si duo 79. dist. & quod potestas deuoluitur ad Cardinales per §. ijdem quoque capit. vbi periculum de electione. in 6. Quia respondetur, quod congregando Concilium, vt cognoscat quis ipsorum sit Papa, non dicitur eis concedi administratio, quia Concilium iudicabit super Papatu, & tunc deuoluitur potestas congregandi ad Cardinales, quando ipsi duo contendentes de Papatu quærunt nutrire schisma, sed quando concordant, quod schisma tollatur, & cognoscatur de iure vtriusque, & congregant concilium, cuius de iure est cognitio, ad quem de contendentibus spectet papatus, vt vult glossa in dicto cap. si duo, non datur negligentia, ex qua fit deuolutio, & ideò concilium discutiet de iure vtriusque. Et intelligo quando electio non est omninò notoriè nulla, & contra fas facta, temeritate concertantium, secundùm capit. si duo, quo casu possunt Cardinales procedere ad electionem alterius, quia constat clarè, quod neutra electionum valet, & quod nullus ipsorum electorum habet ius, & esset scandalum, si alter remaneret, maximè ex quo non esset adhuc admissus, vel receptus aliquis ex eis ad administrādum. Alioquin requireretur declaratoria super nullitate, per notata in cap. cùm secundùm de hære. in 6. & cap. ad Apostolicæ de re iudic. & quod dicitur in cap. Rodulphus de rescript. Vel per modum eorum, quæ ponuntur in capit. considerauimus de elect. & in capit. auditis eodem titul. quia quando dubitaretur, quæ ipsarum electionum valeret, cognosceret concilium, nec Cardinales deberent procedere ad electionem tertij, vt ponitur in dicto cap. si duo.

Et adde etiam, quod quando inter duos contendentes de Papatu esset controuersia in congregando per viam auctoritatiuam, tunc neuter duorum contendentium posset præesse in Concilio tamquam caput propter incertitudinem tituli, nec posset sumere auctoritatem concilium ab eius per-

persona; quia is quem non constat fuisse in quasi possessione solùm, vel de cuius bono iure notoriè non constat, vel est in controuersia, non potest vocare concilium vocatione auctoritatiua, ex quo contendit cum alio de papatu, sed tantùm Cardinales, quando omnes sunt concordes, qui succedunt, vt dictum fuit supra in articulo de forma citationis, dicto capitulo vbi periculum §. ijdem quoque, & Clem. ne Romani.

259 Adde quoque quod quando duo, vel plures se gererent pro Pontifice, constitutio cap. frequens in Concilio Constantiens. edita, statuit quod quilibet ipsorum pro Romano Pontifice se gerentium teneatur infrà mensem à die, qua scientiam habere potuit alium, vel alios assumpsisse Papatus insignia, vel in Papatu administrasse, sub pœna amissionis iuris, si quod fortè esset ei quæsitum in Papatu, & inhabilitatis ad quaslibet dignitates actiuè, & passiuè ipso facto indicere Concilium ad terminum anni proximi, quem statuit, & abbreuiat dicta constitutio ipso facto ex dicta causa, quamtumcunque terminus penderet vltra annum, vt quia fortè esset in principio decennij aliàs à dicta constitutione statuti, & tenetur dictum Concilium indicere, & publicare per suas literas competitori, vel competitoribus, prouocando ipsum, vel ipsos ad causam in loco priùs deputato per Concilium, qui semper debet deputari in quolibet Concilio pro futuro Concilio celebrando, vt dicit dicta constitutio. Item debet cæteris Prælatis, & principibus intimare, & se transferre personalitèr ad dictum locum, nec inde discedere, donec per Concilium causa schismatis fuerit terminata. Et interim nullus ipsorum contendentium de Papatu, præsidebit vt Papa in ipso Concilio, immò eosdem contendentes suspendit ipso iure ab administratione Papatus postquàm ipsum Concilium incœptum fuerit, nec vult eis, vel alicui eorum sub pœna fautoriæ schismatis à quoquam obediri.

260 Similiter dico quòd possent duo contendentes concordare de loco per viam sortis. Quòd licet, vndè Prouer. 16. sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. Et licèt non admittatur iudicium sortis, quando sunt omnia paria inter duos electos, vt notat Hostiens. in cap. fin. de sortileg. & Bald. in l. si duobus, C. communia de legat. & Doc. communiter, maximè Archi. 25. quæst. 2. in summa, & ponit Bald. in l. finali in princ. C. communia de lega. quia non est de modis traditis in cap. quia propter de elect. intantum quod dicit Card. in cap. fin. de sortileg. quod in omni modo quo peruenitur ad titulum beneficij, in quo requiritur Canonica institutio, vt in cap. 1. de reg. iur. in 6. numquàm admittitur iudicium sortis: & idem replicat in capit. licèt in fine de proba. quod intelligit verum in dicto cap. fin. nisi hoc fieret authoritate Papæ. Ex quo Bald. in l. meminimus, C. quando, & quibus quarta pars debetur, dicit quod numquàm res dirimitur sortè, nisi in casibus à iure permissis, & Angelus in l. sed cum ambo. ff. de iudic. dicit nihil dirimendum sorte reprobata, sed si non est improbata, vbi dubium est super facto numquàm recurritur ad sortem, quia factum debet plenè probari per illum, qui super facto fundat intentionem suam, l. actor cùm simil. C. de probat. si

261 tamen dubium est in iure, & non reperitur certa forma à iure tradita, si non tractatur de prçiudicio tertij, vel partes non discordant, vel præiudicium non est graue, admittitur iudicium sortis, & maximè vbi tractatur solùm de præiudicio ipsorum discordantium, iuxtà l. fin. C. communia de legat. Et idem in effectu videntur sentire Doc. in cap. fin. de sortileg. & in cap. licèt de probat. & Bar. in l. si duo. ff. vti possi. Vbi autem est concursus plurium ad eamdem præbendam, qui mutuò se impediunt in possessione, sine sorte capitulum gratificatur, dicit Ioan. Antonius in cap. duobus de rescrip. in 6. & refert Angelus in d. l. sed cùm ambo, nec est necessarium iudicium sortis. Quando autem

262 dicatur sors improbata, latè per totum, 26. quæst. 2. Similiter etiam dicimus, quòd per confessionem tituli beneficialis non potest adiudicari beneficium, vt decis. 16. in tit. de testi. spol.

263 Vtcumque sit, nihilominùs in proposito credo admittendum iudicium sortis, tum quia non agitur de titulo Papatus, tùm quia ex quo agitur pro sedando schismate, licèt aliàs in dubio à iudicio sortis videatur abstinendum, vt voluit Abb. etiam in extraiudicialibus in dicto cap. fin. in fine per cap. 1. eo. tit. & Bald. & Angelus, vbi supra, tamen ex quo non agitur de præiudicio tertij, nec de titulo Papatus directè, sed de loco, & tempore tenendi Concilij, & de bono publico, satis videtur dicendum valere. Ad quod facit quod dicit Abb. & Ioan. de Imol. & referunt Moderniores in cap. licèt de probat. quia licèt aliàs iudicium sortis non admittatur, vt illius vigore iudex habeat procedere ad adiudicationem rei, tamen benè admittitur, vt per illud dirimatur quis sit actor vel reus, l. sed cùm ambo. ff. de iudi. Ita videtur in proposito, cùm tantùm agatur ad dirimendam controuersiam de loco, & non agatur de titulo Papatus. Et ita apertè concludit Abbas Siculus in cap. 1. ne Sede vacante in secunda col. limitando illum tex. in cap. fin. de sortileg. Facit in proposito quod legitur Luc. 1. vbi patet quòd per sortem eligebatur quis deberet inter sacerdotes ponere incensum, dum dicit secundùm consuetudinem sacerdotij sorte exijt, vt poneret incensum in domo Dei. Et de hoc etiam, 1. Parali. 24. vbi sortè distributæ sunt hebdomadæ quibus successiuè, 24. Sacerdotes ministrare debebant. Et sorte iubet dominus dirimi vter ex duobus hircis debeat sacrificari, quòd maius videtur, vt patet leui 16. Et sorte diuisa est terra familijs, & tribubus hebræorum, & de ista assignatione cuilibet ex tribubus per sortem habetur in lib. Iosue 13. cap. cum pluribus sequentibus. Et 1. Reg. cap. 10. ibi, & cecidit sors super tribum Beniamin. Et possent

sent allegari infinita alia loca in veteri testamento, vt 1. parali. 25. & 26. & Nehemiæ. 9. & 10. & Hester. 3. 9. & 13. & in Psal. 21. 30. 77. & 124. & prouerb. 1. 16. & 18. & sapien. 2. 3. & 4. & Ecclesiastici 6. 14. & 17. & Isaiæ 34. & Ieremiæ 13. & Danielis 12. & Ioelis, & plurimis alijs locis. Et de Iona, & Matthia in cap. non exemplo 26. quæst. 2. & de Iosue ibidem in summa. Et de alijs, de quibus ponit sanctus Thom. in secunda secundæ quæst. 95. art. 7. Immò plus videtur velle ille text. 1. parali. 24. in fin. quod etiam sacerdotium sorte distribuebatur, vt ponit ibi glos. Facit quod dictum est supra de Matthia act. 1. & in capit. Cleros 21. dist. & in d. cap. non exemplo
264 26. quæst. 2. Pro quo etiam facit quod supra dictum est quod licèt ex confessione aduersarij non possit adiudicari titulus beneficij, vt in cap. 1. de eo, qui mittitur in poss. in 6. & d. decis. tamen quando non ex toto vellet causare suum titulum ex confessione, admittitur confessio, puta quando aduersarius confiteretur obitum vltimi possessoris, quo non probato non posset adiudicatio fieri, bene admittitur confessio, ex quo non probatur per illam directè titulus aduersarij. Similiter dicitur quando ex confessione coadiuuatur ius partis, quod erat dubium, vt dicitur in d. cap. 1. & in cap. duobus de rescript. in 6. per do. Similiter ad colorandum est, quod voluit Cardinal in d. consi. 150. quod est vltimum in ordine, & est idem quod ponitur in lectura in forma in cap. licèt de elect. vbi vi-
265 detur, velle quod etiam per sortem potuisset sedari schisma quod tunc vigebat inter Benedictum XIII. & Gregorium XII. quod & sequitur Pet. de Monte in sua monarchia versic. septimus modus tollendi schisma. Qui limitant illud, quod dicitur quod sors est prohibita, ad casum quo agitur, & vtimur illis ad præscientiam, & diuinationem futurorum, sed secus quando agitur ad tollendam controuersiam, & discordiam allegat. idem Petrus glos. 26. quæst. 2. cap. 1. vbi pro tollenda dubitatione, & sedanda discordia licet procedere per sortes ad idē allegat etiam glos. in cap. Cleros 21. dist. Et istam conclusionem refert etiam Felin. in capit. capitulum ad fin. de rescript. Pro quo facit quod dicit August. in lib. Psalmorum, transumptiuè 26. quæst. 2. cap. sors non est aliquid mali, sed res in humana dubietate diuinam indicans voluntatem.
266 Et licèt non indifferenter liceat illis vti aliquando tamen etiam in spiritualibus seruato debito modo posset quis vti sortibus etiam consultorijs, iuxta illud prouer. sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. Cùm enim non superest humanum Consilium, tunc recurrimus ad diuinum 22. quæst. 2, cap. quæritur 23. qu. fin. si nulla. Et cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residuū, vt oculos ad te Domine leuemus, vt dicitur 2. parali. 20. Licèt non debeamus capere in exemplum, quod aliquando in sanctis factum esse legimus. Pro quo etiam facit text. in cap. non exemplo 26. quæst. 2. quod & voluit glos. in cap. Cleros in princ. 21. dist. & idem dicit glos. in summar. 26. q. 2. quæ tenet etiam in electionibus in casu necessitatis, & dubio admittit iudicium sortis. Et licèt Archid. in vtroque loco reprobet glos. per cap. fin. de sortileg. & Do. in d. cap. Cleros, & clarè dicunt omnes in d. cap. fin. de sortileg. tamen illud est quando tractatur quod sorte dirimatur quis electorum debeat remanere in dignitate. Sed eo respectu quo glos. summæ 26. qu. 2. refert Augustin. scripsisse quibusdam cùm ciuitas esset obsessa, & dubitaret Clerus, qui ipsorum deberent fugere, & qui remanere, quod sorte esset dirimendum, non videtur improbari, quia non tendit ad titulum alicuius beneficij. Et ideò in proposito illa glos. satis ostendit sortis iudicium posse sustineri in proposito, in quo ageretur de eligendo locum, & tempus. Et similis glos. cum dubitatur, & est altercatio tempore persecutionis quis debeat remanere in ciuitate, & quis fugere, habetur in cap. aduersitas. §. 1. in versic. hoc
267 etiam 7. quæst. 1. Tenendum est igitur indubitanter sortes esse illicitas per magicas incantationes, vel ad exercendas aliquas vanitates, vel ad diuinationes, vel ad inquirendum occulta, & futura, & in omnibus superstitionibus, in ijs maximè in quibus consilium requiritur à dæmonibus, vt in cap. ita nos 25. quæst. 2. Sors autem diuisoria, si debito modo fiat, ita quod non adsit aliqua superstitio, nec diuina oracula ad terrena negocia conuertantur, & veritas aliter haberi non possit, & fiat cum Dei reuerentia, & in rebus temporalibus, erit licita, sicut in proposito, in quo non agitur de dando titulo Papatus nec de re aliqua spirituali. Et ideò videtur quod sorte talis controuersia loci, & temporis benè sopiri poterit, ex quo aliter tolli non potest, maximè cùm non agatur de præiudicio magno, nec de præiudicio tertij, sed tantùm ipsorum discordantium, per supra-
268 dicta. An possit autem sustineri opinio glos. prædictarum, & Lauren. & Cardinal. scilicet quod quādo agitur inter duos contendentes de Papatu, licet eis sortiri Paparum inter se pro sedando schismate, pro nunc non discutio, quia non reperitur iure cautum, quod Papatus detur per sortes. Immò contrarium probatur ex supradictis & not. Alex. in cap. in nomine Domini, distin. 23. in princ. secundæ colum. Alioquin frustra essent prodita iura, quæ prouident inter contendentes de Papatu, quod Concilium congregetur, vt in glos. in cap. si duo 79. dist. Nec obstat quod dicit Cardinalis in d. cap. licèt, & in d. consilio quem ita simpliciter refert Felin. in dicto capitulo licèt de probation. & in dicto capitulo, capitulum, allegans idem tenere Pet. de Monte in sua Monarchia in 32. columna. Quia loquitur in casu suo in illo schismate antiquato, in quo erat dubium, an fuerat vera impressio Cardinalium in electione Vrbani, & improbabile de ijs, quæ inter eos euenerant, an metus eos apprehenderat sufficiens, & dubium ius, & præiudiciale vniuersæ Christianitati. Vnde non mirū si Cardin. sic dixit de materia sortis.

Et

Et per hoc patet quod non erat necessaria
limitatio Felini, nec vera, cum conatur
saluare Cardinalem à contrarietate, in d. c.
capitulum, in penult. colum. de eo quod
Cardin. dixerat in cap. licèt quod in bene-
ficialibus non sit locus iudicio sortis, &
contrarium in d. consil. 150. & d. cap. licèt
de elect. quod iudicio sortis dirimitur cau-
sa tituli Papatus inter duos contendentes
de Papatu. Quia non est simpliciter ve-
rum, quod titulus Papatus inter duos con-
tendentes sorte possit dirimi, nec fuit talis
intentio Cardinalis, nisi in casu suo, vbi
erat dubium ius, & afferebat præiudicium
vniuersæ Christianitati. Et si dicatur quod
iudicium sortis non habet locum in facto
incerto (vt dicitur in l. 1.) C. vti possid. &
vult Ioann. in dicto capitulo licèt de pro-
bat. respondetur quod in casu illo non erat
dubium factum, sed vtrum ex tali facto
Cardinal. poterant allegare iustum metum.
269 Adde tamen quod ad iudicium sortis
nunquam deuenitur nisi partibus consen-
tientibus, vel ad petitionem alterius, de
cuius præiudicio agitur, dicta l. si cum am-
bo, & dicta l. si duobus, communia de
lega. Ita dicit Abbas in dicto cap. fin. &
Cardin. in dicto cap. licèt, inter laicos ta-
men cum proceditur ad electionem ad ali-
quod offic. & inter clericos, vbi agitur de
rebus temporalibus, non videtur prohibi-
tum, & ita solet fieri per balottas, & bre-
uia, & ideò extractiones, quæ fiunt ad for-
tunam per bussula valent, à quibus tamen
etiam inter eos tutius esset abstinere secun-
dùm quod not. Abb. in d. cap. fin. quia
militat eadem ratio, quæ in Electoribus ad
dignitates Ecclesiasticas.

Vide vltra prædicta in materia sortis,
Ionæ cap. 1. vbi nautæ miserunt sortes ad
sciendum, cuius causa esset orta tempestas,
in mari, & cecidit sors super Ionam pro-
pter quod missus est in mare, & cessauit
tempestas. Et ibi dicit glos. quod Matthias
sorte eligitur, & hic fugitiuus sorte depre-
henditur, non agitur virtute sortium, sed
voluntate Dei, qui sortes regebat incertas,
non ergo hoc exemplo debemus credere,
vel vti sortibus, quia priuilegia singulorum
270 non possunt legem facere communem,
voluntate Dei Pharao, & Nabuchodonosor
iudicio somniorum futura cognoscunt
non tamen ideò vbique somnijs est creden-
dum. Et vltra etiam de materia vide Ana-
niam in d. cap. fin. & doct. in l. 1. C. vti
possid, & in l. huiusmodi. §. fin. ff. de le-
gat. 1. & in l. 1. C. quando non peten. par-
tes, & remissiuè per Felin. in d. cap. licèt
causam de probat. & latiùs per eumdem
Felin. in cap. capitulum de rescript. vbi
tenet idem quod Cardin. in d. consilio. Vbi
omninò vide, & 26. quæst. 2. per totam
quæstionem, & quando sunt licitæ, & quot
sunt earum genera, & vide Ananiam in d.
cap. fin. & de materia late in d. l. si duobus
C. communia, de legat. & Angelum in d. l.
sed cùm ambo, qui distinguit, si agitur de
præiudicio tertij, si causa est grauis, vel le-
uis præiudicij, si agitur ad probandum
factum, vel ius, & vide plenè Angelum Are-
tinum in §. si ex testamento, instit. qui sa-
tisd. cogantur. Et de isto iudicio sortis
271 quare, & quando fuerit licitum in ve-
teri lege, & quomodo aliter accipitur sors
in sacra Scriptura, & aliter in vsu homi-
num, vide omninò Cardinal. de Turrecrem.
in §. his ita respondetur 26. quæstione 2.
& ibi allegat Dionysium, quod in Matthia
sors fuit quidam radius de cœlo descen-
dens, ostendens Apostolis electionem Mat-
thiæ Dei voluntate. Et de sorte, & vbi, &
quæ & quando sit permissa, vel prohibita,
in summa Angelica in verbo sors in versic.
272 vtrùm sit licitum. Et latè Cardinalis de
Turrecrem. 26. quæstio secunda in summa,
vbi ponit aliquas sortes esse diuisorias,
alias consultatorias, alias diuinatiorias, &
de singulis, quæ & quando sint licitæ, vel
illicitæ. Et vide sanctum Thom. secunda
secundæ quæst. 96. art. 8. Et ibi quod sors
diuisoria est cum agitur, quid cui sit adhi-
bendum, siue sit res possessa, siue sit honor
seu dignitas, siue pœna, aut actio consul-
toria est cum inquiritur, quid agere opor-
teat, diuinatoria est cùm quæritur, quid
sit futurum. Ibi vide, & qualiter dicatur
sors cecidisse super Matthiam. Quid au-
273 tem sit sors diuina, dicit Abulensis in
scholijs Eccles. Hierarch. Dionys. in 3. par-
te quinti capitis quod est quoddam petitum
& diuinitus ostensum signum, diuinam vo-
luntatem declarans, & humanæ fragilitatis
Deo reuerenter arbitrium committentis
ambiguitatem tollens. Et ibi ponit plura
exempla ex veteri lege, quod sors diuina
non est secundùm communem vsum homi-
num per breuia, vel denarios. Et ad illud
274 quod sors cecidit super Matthiam re-
sponde vno modo secundùm Alex. in cap.
in nomine Domini 23. dist. in princ. secun-
dæ colum. alio modo, vt dicunt præfati in
dictis locis allegantes Bedam super actus
Apostolorum, & alio modo in summa An-
gelica in vers. sors.
275 Similiter potest dici quod possent ad
concordandum inter se de loco, committe-
re electionem loci vni, vel duobus, vel
tribus, quorum iudicio stetur l. si quis arbi-
tratu, cum materia ff. de verborum obli-
gatio l. dudum, & l. fin. C. de contrahend.
emptio. Facit quod dicitur in cap. cùm
inter canonicos, & cap. cùm dilectus de
elect. & cap. ex parte de arbit. cum simi-
libus immò Cardin. de Turrecrem. in cap.
8. de Concil. in vers. ad sextam, vult etiam
quod de ipso Papatu quis ipsorum conten-
dentium sit benè electus, possit remitti iu-
dicio alicuius sapientis, sicut fecit Sym-
machus, & Laurentius, qui submiserunt
se iudicio Regis Theodorici, de quo supra
feci mentionem. Facit ad propositum,
id, quod dicitur in capit. nisi essent de præ-
bendis.
276 Quid autem si locus fuerit semel depu-
tatus, & postea ex aliqua causa Papa nolit
accedere ad illum locum, quia fortè time-
ret impressionem, vtrùm licitè recuset, &
vtrùm possit tunc prohibere Cardinalibus,
ne accedant ad illum locum, & an eo ca-
su Cardinales debeant parere, & quid agen-
dum stante schismate? Vide Petrum de
Anchar. consilio 65. incipit pro declaratio-
ne,

ne, vbi in illo ſchiſmate tempore Gregorij, & Benedicti, concludit, quod omninò teneantur ire ad locum Saonæ, aliàs per procuratores Gregorij acceptatum, & quod Cardinales tenentur ire etiam contra probationem Papæ.

277 Sed quæro vlteriùs, an contendentes de Papatu, debeant in toto proceſſu Concilij eſſe præſentes. Et puto idem dicendum de eis, quod de alijs litigantibus, eo caſu, quo Concilium habet iudicare de Papatu, vel de titulo ipſorum, quia tali caſu Papa ſubijcitur Concilio, vt notatur diſt. 15. cap. ſicut Sancti, & per Archidiac. in cap. ſuper eo de hæret. in 6. Sufficit, enim quod in allegationibus, & in alijs defenſionibus per ſe, vel alios ſe defendat, in conſilijs verò, & deliberationibus poterunt excludi, vt Concilium ſit magis liberum. Et ad hoc vt Concilium non dicatur acephalum ſufficit quod ſit legitimè auctoritate Papæ, vel aliàs conuocatum, vel poſtmodum approbatum vt ſupra dictum eſt.

278 Qui autem habeant dirigere Concilium quando contendentes ſunt expulſi, dic quod illi, qui ſunt maiores ibi puta Cardinales, argumento eius quod notat. Innoc. in capitulo primo de maiorit. & obedient.

279 Et quando erunt præſentes dicti contendentes de Papatu in Concilio, poterunt ſemper vti inſignibus Pontificalibus, donec cauſa terminetur, quia non debent interim priuari ſua quaſi poſſeſſione, vt per totum tit. vt lite pend.

280 Et ſi contingat ambas electiones declarari nullas, & procedi ad nouam electionem, vtrùm poterit alter ex illis contendentibus de nouo eligi? Dic vt per Abbat. in capitulo conſideramus in vltimo notabili de electio. vbi vult quod in inferioribus ſi omnes electores conſentiunt, poterit de nouo eligi, ſecus in contendentibus ſuper Papatu ibi vide eum.

281 Sed pone rurſus quod ſit differentia inter Papam, & Cardinales de modo, vel loco congregandi Concilium, ſicut fuit tempore Eugenij, qui volebat Concilium celebrari Ferrariæ, & transferri de Baſilea Ferrariam, vel Bononiam, & tempore antiqui ſchiſmatis inter diuerſas obedientias quando poſteà fuit congregatum Conſtantiæ, quid agendum in huiuſmodi diſcordia? Dic quod ad eum, ad quem ſpectat congregatio Concilij, de quo ſupra ſatis plenè dictum eſt, ſpectat eligere locum modum, & tempus, vt d. c. mandaſtis, 2. q. 4. & d. §. hinc etiam. Fallit in tribus caſibus, primò quando locus, qui deputaretur non eſſet tutus habentibus venire ad Concilium, vt in clement. paſtoralis de re iudic. & per doc. maximè Anton. in cap. ex parte de appellat. & ponit Cataldinus in allegationibus pro Eugenio, & dicitur in cap. accedens cum materia ſua, vt lite non conteſt. quia tunc non tenerentur comparere, nec fortè ſub ſaluo conductu, vt dicitur in dict. cap. accedens. Secundò fallit quando locus fuiſſet benè deputatus per Concilium in præcedenti Concilio, & non ſubeſſet legitima cauſa illum locum mutandi. Et ita fuit ſtatutum in Concil. Conſtant. in 39. ſeſſione in conſtitutione, quæ incipit frequens. Et ſi fortè eſſet neceſſitas, puta obſidionis, guerrarum, peſtis, & ſimilibus, tunc de Card. aut duarum partium ipſorum conſenſu, & ſubſcriptione tamen, deputare poterit locum viciniorem illi deputato per Concilium, eiuſdem tamen nationis, niſi idem impedimentum eſſet in tota natione. Si tamen hoc Papa ſeruare nollet, & non malitioſè hoc faceret ad turbandum Concilium fortè poſſe alium locum deputare, dummodo tutum Concilio, & Patribus in illo congregandis, & aliàs ſalubrem, & conuenientem, quia locus conſtituitur ad voluntatem eius, qui congregat Concilium, vt in cap. ad Apoſtolicæ de re iudic. Tertiò fallit quando Papa vellet mutare locum malitioſè, vt impediret congregationem Concilij, & detrectaret, & differret, vt Concilium non congregaretur contra eum, quia tunc poſſent Cardinales, & alij, vt ſupra dictum eſt, ad quos ſpectat congregatio, locum deputare. Pro hoc cap. Anaſtaſius 19. diſt. & d. cap. ſi, fortè, & d. §. hinc etiam. Malitijs enim omnium non eſt indulgendum, vt in cap. plerumquè de reſcrip. cap. auaritiæ de elect. in 6. leg. in fundo, cum concor. ff. de rei ven. Et hoc caſu quando non datur aliquid intereſſe ratione loci vel temporis, dicit Dominus Anton. in ſuo tractatu, vt ſupra retuli, quod non eſſet audiendus, vt ff. de eo quod certo loco per totum, & maximè poſt congregatum Concilium ſi eſſet ſchiſma, quia cognitio mutandi loci, & temporis eſſet Concilij, vt ipſe ibi dicit.

282 Poſſent etiam præmiſſis addi duo alij caſus, videlicèt quando iam eſſet congregatum Concilium de ipſius conſenſu, & poſteà vellet alium locum deputare ſine cauſa, vel quando eſſet inchoatus proceſſus contra Papam, quia tunc nullo modo poſſet transferri ſine conſenſu Concilij iam congregati, quia poſt congregatum Concilium, & auctoritatem per Papam præſtitam congregationi, ipſe ſubijcitur iudicio Concilij, vt voluit gloſ. 15. diſt. cap. ſicut, & iudicium redditur in inuitum l. inter ſtipulantem §. ſacram ff. de ver. obli. Et ſic etiam poſtquam inchoatus eſt contra eum proceſſus, & loquitur Dominus Antonius

283 vbi ſupra. Sed ego credo quod iſti duo caſus debeant intelligi ſecundùm vltimam fallentiam, quando animo diſſoluendi, & annihilandi Concilium fieret, & nulla ſubeſſet cauſa legitima, & ſic iſti duo caſus comprehenduntur in ſecunda, & vltima fallentia. Alioquin poſſet Papa pro libito voluntatis etiam per indirectum diſſoluere, & impedire Concilium, nec poſſet prohiberi 17. diſt. cap. nec licuit, maximè in alijs cauſis, vbi non tractatur cauſa fidei, vel bonum vniuerſalis Eccleſiæ, vt ibi, & Moder. Aret. in 4. qu. in 10. colum. De

284 hoc tamen quandò poſſit diſſoluere pro libito voluntatis, latiùs dicemus in propria quæſtione. Adde tamen quod ſi data fuerit Patribus de Concilio poteſtas eligendi locum pro futuro Concilio, intelligitur de prima vice, & ideò non poterunt vlteriùs eligere, nec facta electione variare. Ita dicit

cit Abbas Siculus, & refert Felin. in capit. innouamus, de treuga, & pace, ad intelle-ctum l. boues §. hoc sermone ff. de verbo-rum signific.

285 Sed pone Papam renunciasse papatui sed posteà pęnitentia ductum negare se re-nunciasse, & Cardinales velle alium elige-re, quis tunc cognoscet,& quid agendum? Io: Ant. in cap. 1. de renun. in 6. remittit se ad dicta in cap. licèt de elect. in verbo Cardinales, & ibi videtur velle,quod debet stari determinationi Concilij.

286 Tunc quæro quis habebit congregare Concilium? Dic quod pertinebit ad popu-lum, & clerum Romanum. Ita dicit Doct. in cap. 1. de rerum in 6. ad hoc 65. dist. cap. si fortè, secundùm eum, & ponit dict. Benedictus Capra, & Lanfrancus, ac Phi-lip. ibidem. Ad quod adde,quæ dicta fue-runt supra in quæstione quis haberet elige-re Papam, si omnes Cardinales essent mor-tui. Sed ego dicerem illud verum respectu Romanæ Ecclesiæ, & pro faciliori expedi-tione nouæ electionis, vt congregaretur Concilium multorum prælatorum, vt puta Patriarchij Papæ.Sed respectu cognitionis, an ille esset verus Papa, & an Cardinales possent procedere ad aliam electionem, crederem tenendum ordinem supra datum, quia ex quo non pertinet ad Papam, qui non recipitur pro Papa, & dicitur resignas-se, tunc etiam non spectat ad Cardinales, quia eis non creditur, qui hoc asserunt sci-licèt ipsum resignasse, & ipsi sunt in causa. Seruabitur ergo ordo præmissus, & con-gregabitur, vel per Patriarchas, vel eis ne-gligentibus per Imperatorem,vel Reges,vel aliquos magnos Prælatos,& data vnius ne-gligentia alius congregare habebit, vel seipsum Concilium congregabit, vt supra dictum est, vel primò pertinebit ad Impe-ratorem, posteà ad Patriarchas, Primates, & Archiepiscopos, & ad alios successiuè,vt suprà dictum est. De quo vide infrà in quæstione de Papa negante se cessisse,quan-do Cardinales procedunt ad aliam ele-ctionem.

287 Sed quæro eo casu quo Imperator po-test congregare Concilium contra Papam vtrùm poterit cogere Prælatos, vt vadant ad Concilium? Istam quæstionem mouet Alex. post Ægi. in §. hinc etiam 17. dist. Et ibi concludit quod si Prælati vocati, sua spóte voluerint ire ad Conc. poterunt,alle-gat quod d.in c.1. ead. dist.Alioquin quod non possint cogi,nisi fortè ratione feudi se-cularis, quia tunc ipsi Episcopi essent astri-cti obedire Imperatori conuocanti Conci-lium, per notata in cap. solitæ de maiorit. & obed. in cap. Romana, §. debet de ap-pellat. in 6. Non tamen contra libertatem, vel statum Ecclesiæ propter feudum, quod ab Imperatore haberent, deberent Impera-tori obedire, vt in cap. Iulianus, & in cap. si Dominus 11. qu. 3. & dicitur in §. fin. hìc finitur lex Conradi, &c. Quinimmo potiùs tunc deberent dimittere feudum, quia sic sunt astricti per iuramentum, vt in cap. ego N. de iureiuran. Vnde dicit text. in cap. aduersitas in §. cum verò 7., quæ-

288 stione prima, quando totius Ecclesiæ sa-lus quæritur, & fides impugnatur, necesse, est, vt ex aduerso Prælati accedant, & in die belli seipsos murum opponant pro do-mo Dei. Ad quod adde, quæ diximus de Episcopis vocatis à diuersis eodem tem-pore.

289 Sed quid si Papa tantùm est electus, & nondum consecratus, vtrum poterit con-gregare Concilium? Dicendum est, quod sic, tum quia simul atque, est electus, ha-betur pro confirmato, nec indiget confir-matione, dicit Bal. in cap. 1. in fine prin-cipij, qui feud. dare poss. Et statim potest administrare, vt in cap. in nomine Domi-ni dist. 23. dicitur in cap. licèt, & in Cle-men. ne Romani de elect. Tum quia etiam Episcopus confirmatus nondum consecra-tus, potest congregare suum Concilium,vt dicit Innoc., & refert Abb. Siculus in cap. transmissam in gloss. fin. de elect. Tum quia congregare Concilium est iurisdictio-nis, vt in cap. quod sicut de elect. dicitur in cap. quod translationem de offic. legat. & in cap. aqua de consecrat. Eccles., vel Altar.& in dist.cap.transmissam, & ea, quæ sunt iurisdictionis exerceri possunt per ele-ctum confirmatum licèt non consecratum, vt in cap. nostri, & dicto cap. transmissam de election.

290 Vtrùm autem legatus Sedis Apostolicæ de latere Papæ possit congregare Conci-lium? Videtur dicendum quod sic, quia factum legati de latere, & factum Sedis Apostolicæ æquiparantur, vt in cap. si Ab-batem de elect.in 6. Item Concilium gene-rale dicitur illud, quod à Papa, vel eius le-gato statuitur, vt in cap. regula §. porro dist.3.Item hoc videtur text. sentire in cap. regula dist. 17. ibi, nec Romanæ Ecclesiæ legatus interfuit.

Sed dic quod contrarium est veritas quod legatus de latere non potest congre-gare Concilium generale iure suæ legatio-nis, nisi de speciali mandato Papæ. Et ita tenent omnes post gloss. in dist. §. porro, & gloss. dist. 17. in cap. regula in versic. legatus, supplet ad hoc specialiter destina-tus, & idem ibi Dominicus, & gloss. in summa ead. distinct., & gloss. & Doct. in dist. §. porro, & gloss. in cap. ideo 2. qu 6. & Doct. communiter in cap. quod transla-tionem de offic. legat. & Alex. in cap. ge-neralia dist. 17. post gloss., quæ est gloss. summæ. Ista enim, quæ sunt specialiter reseruata Papæ, vt est facere generalem sy-nodum, non possunt per legatum sine Papę mandato speciali explicari,vt in cap. quod translationem, de offic. legati. Nec in ge-nerali mandato iurisdictionis concessæ le-

291 gato, censentur venire huiusmodi spe-cialiter reseruata Principi, vt dist. cap. quod translationem,regula in generali in 6. pro hoc text. in leg. 2. ff.de offic. eius, cui mãdata est iurisd.vbi mandata iurisdictio-ne generali, non transit potestas Concilij faciendi: Et hoc idem tenuit Hugo, & Lau.,& communiter omnes in dist.§. porro & Ioannes de Fantutijs in dist. cap. regula dist. 17. idem Spec. & Ioannes Andreas in tit. de leg. §. superest,vers. sed numquid, & Hos. in summa §. 3. vers. sed numquid

legatus. Ad idem facit, quod ponit Barbatius in cap. nisi sponsalis, de offic. leg. Vbi respondendo ad illud, quod dicitur in gloss. fin. ibi, videlicet, quod in generali mandato concesso legato non veniunt ea, quæ sunt meri imperij, reseruata Papæ, dicit quod propterea vt ibi dicit Bal. legatus Cardinalis non potest concedere castra, & iurisdictiones Ecclesię sine speciali delegatione, vel confirmatione Papæ, vt in lege prohibere §. planè, ff. quod vi, aut clàm. quia nec ipse Princeps talia concedit de
292 facili. Et quod reputatur impossibile illud, quod solus Princeps facere potest per leg. apud Iulianum §. fin. ff. de leg. 1. Et ad idem, quod dicit idem Bald. in leg. 1. §. si initio de offic. præfec. vigil., quod legatus non potest concedere castra, nisi habeat in mandatis. Et ad idem, quod censeatur impossibile quod dependet à voluntate Principis, est text. in leg. 4. ff. de fideicomm. libert. secundùm Angelum in l. 1. ff. de inoff. test. Sed quod imò non reputetur impossibile, alleg. Barbat. leg. intercidit. ff. de condit. & demonstr. Et respondet ad leg. apud Iulianum, quod procedit in ijs, quod non consueuit Princeps facere, vt vendere plateas, & similia, sed in ijs, quod consueuit Princeps facere, licèt quippiam dependeat à præstantia ipsius solius, non censetur impossibile, sed censetur venire in mandato. Vide quæ dico infra ad intellectum cap. quod translationem. Non obst. cap. si Abbatem, quia etiam ille text. posset induci in contrarium, in quantum ponit, vt diuersa factum Papæ, & factum legati, & æquiparatio ibi facta, est quoad ibi specialiter inducta. Non obstat §. porro, nec text. in cap. regula, quia quando fit mẽtio de legato intelligitur de speciali, & indiuidali mandato Papæ. Et ita probant bene illa iura, & facit text. in cap. conuenientibus 1. qu. 7. Dicit tamen quod
293 hoc ipso quod demandatum, est legato celebrare Concilium, censetur ei commissa potestas congregandi Concilium per c. 1. de iudic. in 6. & per regulam, qui vult contraueniens vult antecedens leg. ad rem mobilem, & leg. ad legatum de procur. Vnde si in bulla legationis est data facultas celebrandi Concilium generale, poterit postea legatus sine alio speciali mandato Papæ congregare Concilium, quod est menti tenendum. Et hoc fortè non procedit eo casu, quo Concilium iam esset congregatum auctoritate Papæ, & data facultas legato de latere celebrandi Concilium, quia tunc non intelligitur de nouo Concilio congregando, sed de iam congregato celebrando, quia in istis facultatibus concessis legatis de latere, licèt contra concedentem videatur facienda larga interpretatio, vt in cap. olim de verborum signif. cum similibus, illud fortè est verum in ijs quæ consueuerunt demandari faciliter, sed in ijs, quæ sunt reseruata Principi, & non consueta demandari, fortè est stricta interpretatio facienda. Et ad hoc, est ille text. in l. 2. ff. de offic. eius, cui mandata, est iurisd. Et hoc videtur probare ille text. in dict. cap. quod translationem, ibi sæpè fuere legatis indulta. Quem text. ibi Abb.
294 dicit singularem, quod aliqua eorum, quæ sunt reseruata Principi, si diu conceduntur legatis per Principem, videntur illa transire sine speciali concessione. Et licèt in illo text. dicatur quod illa reseruata Principi transiuerint in legatum, illud intelligit non ex consuetudine illa concedendi legatis, sed ex quadam approbatione Romanæ Ecclesiæ, & idem Bal. ibi post Innoc. vel quando hoc esset factum per tantum tempus, quod initij eius non esset memoria in contrarium, quia tunc haberet vim priuilegij, vt in cap. quod quibusdam de verb. sig. argumento eorum, quæ dicuntur in cap. peruenit de censib. lege de in rem verso ff. de vsu. Sed rectè intuenti, ille text. probat illud, quod supra dico, videlicet, quod in facultate concessa legato de latere licèt ex consuetudine passim concedendi legatis iure legationis, & ex quadam larga interpretatione veniant illa, quæ aliàs non competunt iure legationis ipsi legato, tamen non veniunt illa, quæ in signum priuilegij singularis sunt tantùm summo Pontifici reseruata. Et pondero verba text. ibi, & si quædam, quod in illis, quæ sunt singularis priuilegij non possit plus se intromittere, quàm ei conceditur, & sic de his facienda est stricta interpretatio in literis facultatis. Manda memoriæ, quia ille est verus intellectus ad illum text. quia plus est illud, quod Papa sibi reseruauit in signum singularis priuilegij Pontificatus, & vniuersalis Dominij, quàm illud, quod non in signum singularis priuilegij sibi specialiter reseruat. Et istum intellectum videtur sensisse, gloss. in cap., quæ de causa 2. qu. 5. in verbo quicquid, & glos. in verbo vices in cap. mandata de præsump., & dict. Anton. in dict. cap. quod translationem in secundo notabili. Et licèt sit inter Doctores controuersia vtrùm ex generali mandato legationis possit legatus apponere manus ad specialiter reseruata Papæ in dict. cap. quod translationem, tamen in proposito, quando sunt facultates restringendæ, vel ampliandæ, vera videtur conclusio prædicta. Et ratio in primo casu
295 quare veniant in generali facultate concessa legato illa quæ de facili consueuerunt demandari quantumcumque specialiter reseruata Papæ, posito, quod ex consuetudine concedendi alijs venirent, est quia ex consuetudine faciendi, præsumitur mandatum Bal. in cap. cum olim in primo notabili de consue. allegat text. in lege Titianus ff. quod cum eo. Ratio autem secundi dicti, quare non veniant reseruata in signum singularis priuilegij, quæ non sunt consueta concedi, est quia in generali
296 mandato non veniunt insolita leg. sed, & si quis §. quæsitum, ibi Bar., & alij ff. si quis cau. & leg. fistulas §. frumenta ff. de contrahen. emp. Per quem text. dicit Bal. in dict. cap. cum olim, quod insolita concedi Episcopis, non censentur concessa in generali concessione. Et licèt aliàs demandata iurisdictione censeantur omnia demandata, sine quibus iurisdictio explicari non potest, vt in cap. 1. & cap. præterea de

de offic. deleg. etiam si sint maiora, vt in leg. quotiens C. de iudi. tamen illud intelligitur, dummodo illa sint eiusdem speciei, vt voluit Bartol. in leg. 2. in 2. col. ff. de iurisd.om. iud. Et hoc astruit in proposito, quod legato censeantur concessa illa, quæ indifferenter concedi consueuerunt alijs legatis, & non illa, quæ sunt diuersæ speciei, reseruata in signum singularis priuilegij. Et hoc videtur voluisse Abb. Siculus in cap. dilectus de filijs presbyt. qui respondendo ad cap. quod translationem ad aliud propositum, dicit, quod illud fuit ex speciali consuetudine Sedis Apostolicæ, & ex certa scientia, vt ille casus absolutionis ab excommunicatione ex iniectione manus in clericos transeat ex generali legatione propter periculum animarum, & sic videtur restringere illum text. ad illum casum tan-
297 tùm. Quod autem congregatio Concilij sit Papæ reseruata in signum singularis priuilegij, & vniuersalis præeminentiæ, probant omnia illa iura, dist. 17. per tot. & 2.quæst.6. ideò, & ponit gloss. in d.cap. quod translationem, & ibi de alijs casibus reseruatis specialiter Papæ, & in cap. sicut vnire post gloss. de excess. Prælator. de quo etiam per Hostien.in dicto §.quid pertinet. Et in proposito quod non censeatur data facultas congregandi, sed congregatum celebrandi, facit text. & ibi dicta in Clem.
298 literas de rescript. quia mandatum intelligitur de ijs, quæ erant in esse tempore mandati, nisi verba clarè aliter demonstrent. Ad idem Clem.1. de censib. & cap. cum capella de priuileg.leg.nomen, §.filio, ff. de legat.3. leg. fin. §.Caio, ff. de libert. leg.cum simil. De Concilijs autem Prouincialibus, an possit Legatus illa conuocare, & celebrare sine licentia Papæ, licèt gloss. in dicto §.porrò videatur dicere, quod non, & in hac opinione fuerit Hugo, & Landinus, tamen contrarium ibi tenent communiter Doct. & Anton.de Butrio, Ioan.And. Bald. Card.Flor.& Ioan.de Immol.in dicto capitulo quod translationem. Et adducitur ad hoc, cap.sicut olim, de accusat.quia patet ibi, quod inferiores possunt, ergo & Legatus de latere. Quod & tennit Speculator in titulo de legat. in §. superest, versiculo sed numquid Legatus Ecclesiæ Romanæ, & Hostiens. in summa in tit. de legat. in §.quid pertinet, versic.sed numquid Legatus. Dicit tamen Ioann. Andr. in addit.ad speculat. in dict.versic.sed numquid Legatus, quod de stylo Curiæ Romanæ propter dubium opinionum quandoque hoc specialiter conceditur legatis, vt possint congregare Concilium Prouinciale. non obstat text.in dicta leg.2. ff.de officio, eius, cui man.est iuri. qui videtur simpliciter dicere quod demandata iurisdictione veniat facultas congregandi Concilium, quia ille tex.loquitur in alio dissimili Concilio, videlicet manumissionis faciendæ, & ita dicit Spec. Host. & Ioann. Andr. vbi supra, de quo dicetur latiùs in loco suo.
299 Vlteriùs quæro, clarum est, quod vbi in Concilio Papa est præsens ipse habet supremam præsidentiam in eod. 25. qu. 2. si quis dogma, in suprascript. 35. qu. 9. cap. quod quis in suprascript. de consecrat. distinct. 5. in suprascript. cap.in die, quia ipse est Caput Ecclesiæ, & consequenter Concilij, 24.quæst.1. rogamus, ad idem, cap.1. in suprascrip.de simon. & in cap. in nomine Domini, 23.dist. c.nullus, 88. distinct.in suprascript. & 2.qu.7. cùm Pastoris, in suprascrip.quid si Papa non sit præsens, an debeat interesse per Commissarios, & quot poterunt præsidere nomine Papæ?
300 Et dicendum est, quod vt Concilium valeat debet esse auctoritate Papæ congregatum, vt sæpiùs dictum est. Ideò dicendum est, quod erit in arbitrio Papæ, quot velit habere præsidentes, quia in hoc diuersitas reperitur, nam in Concilio Meldensi præfuit nomine Papæ Petrus Archidiaconus, Petrus Presbyter, & Abbas sanctæ Sabinæ tenentes locum Adriani Papæ, 1. quæst.7. conuenientibus, item in Concilio Constantinopolitano in 5. actione pro Ioanne Papa VIII. præfuerunt Petrus Presbyter Cardinalis, & Paulus Anconitanus Episcopus, & Eugenius Hostiensis Episcopus, vt 7. qu. 1. cap.hoc nequaquam. Item in Sardicensi Concilio præfuit Osius Cordubensis Episcopus, & Vincentius Capuanus Episcopus, & Ianuarius Beneuentanus, & Calepodius Neapolitanus, sanctæ Romanę Ecclesiæ Legati, vt in cap. prima anotatio, §.quarta, dist.16. Item Adrianus Papa in 8.Synodo misit ad præsidendum in eadem Donatum Episcopum Hostiensem, & Stephanum Neophesinum Episcopum, & Marinum Diaconum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vt dist.63. cap.Adrianus el primo. Item in Carthaginensi Concilio præfuit Faustinus Legatus Romanæ Ecclesiæ. Item in Chalcedonensi similiter alij. Ex quibus apparet Papam posse Nuncios Præsidentes mittere ad concilium tenturos eius locum si ipsemet nolit interesse, & quos, & quot voluerit pro suo arbitrio.

LIBER QVARTVS.

TRACTATVS DE CONCILIO.

SVMMARIVM.

1 *Concilium quando congregari debeat.*
Et quid circa hoc fuerit determinatum in Concilio Constantiensi, & num.2.
3 *Martini V. Responsio ad Oratores Henrici Regis Franciæ, circa congregationem Concilij, pro reformatione in capite, & membris.*
4 *Concilium ex quibus causis congregari non expediat.*
5 *Tempus ad Concilium celebrandum non videtur præcisè determinatum, sed in arbitrio Papæ, num.6.*
Annus nihilominus, videtur assignatus, num.8.
Et quomodo hoc intelligat, & de quibus Episcopis, ibid.
7 *Mediolanensis Archiepiscopatus suffraganei numerantur.*
9 *Tempus præfixum ad celebrandum Concilium, in cap. frequens, non fuit obseruatum.*
10 *Constitutio non tollitur ex non obseruantia ipsius.*
Nec lex tollitur, ex eo quod nullus ea vtitur.
Præsentationis quasi possessio non tollitur per non vsum præsentandi.
11 *Cap. frequens intellectus, in illis verbis alternatiuis, per quamdam continuationem semper, aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur.*
Et declaratio Auctoris num.13.
Et alius intellectus ad d.cap.num.14.
Et alius, num.19.
12 *Alternatiua natura est, quod altero sublato ponat alterum.*
Aliquando resoluitur in coniunctiuam, n.15.
16 *Obligatus ad aliquid faciendum infra certum tempus, non tenetur illud facere, nisi in fine illius temporis.*
17 *Statuti Paduani declaratio, quod de malè ablatis fiat consilium singulis quatuor mensibus.*
18 *Constantiense Concilium quanto tempore durauit.*
20 *Indictio, importat actum debere intra tempus expediri, & ibid. plura de ista dictione in.*
21 *Prorogari non dicitur aliquid post finitum tempus, sed cum adhuc tempus durat.*
22 *Nullatenus verbum quid importet.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quando congregandum sit Concilium.

VIdimus quis congreget Cōcilium sequitur videre
1 quando debeat Concilium congregari. Et in hoc aduertendum est, quia istud potest dupliciter capi, videlicet quando debeat congregari Concilium, id est, quo tempore, vel quando, id est ex quibus causis debeat congregari. Et quoad primum quando debeat congregari, si loquimur in synodalibus Episcoporum, & Prouincialibus Concilijs, hoc planum est per plura iura, 18. dist. & notatur in capit. graue de præbend. & ibi text. & in cap. sicut olim, de
2 accusation. & Gregorius in registro lib.3. cap.9. De generali Concilio non reperio determinatum à iure certum tempus, in Concilio tamen Constantiensi fuit statutum in 39. sessione de anno Domini 1417. die 9. mensis Octobris in capit. frequens, quod primum à fine illius Concilij in quinquennium immediatè sequens, secundum verò à fine illius immediatè sequentis Concilij in septennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuò celebretur. Et hoc idem tempus fuit per approbationem, dicto cap. frequens statutum in Basileensi Concilio. Et cùm Oratores Henrici Regis Franciæ, & Angliæ missi ad Martinum V. de anno Domini 1425. die 27. mensis Nouembris, anno 8. Pontificatus eius, propositis quibusdam coram eodem Martino, qui fuerat creatus Papa in Concilio Constantiensi inter cætera petijssent abbreuiari tempus septennij ad congregandum Concilium, statutum in Concilio Constantiensi ad annum, & congregari Basileæ pro reformanda Ecclesia in capite, & in membris, respondit Martinus Orato-
3 ribus per verba infrascripta. Quoniam in sermonibus vestris de reformatione in capite, & in membris, certi reddimur, quod non intelligitis de Capite Christo, restat igitur, vt de persona nostra loquuti fueritis, ad quod dicimus, quod licèt sit Rex, vel Princeps quantumcumque magnus, ipsum tamen manet necessitas obsequendi

non

non auctoritas imperandi, quibus non obstantibus contenti sumus, nedum ad postulationem tanti Regis, sed ad aduisationem cuiuslibet boni christiani quantumcumque parui, in quo deformati sumus reformare nos ipsos, & vos Ambasiatores rogamus, vt de reformationibus nostris, si quas videtis, nos aduisare velitis, vt de vobis reformationem debitam faciamus, scimus nos ex fragilitate humana posse peccare, sed confidimus in misericordia diuina, quod dolum, & latam culpam
4 semper à nobis abesse constabit. Item fuerunt in responsione allegatæ causæ, cur non erat expediens tunc Concilium fieri, primò quia tempus Concilij fuerat in Concilio ordinatum, & si aliter fuisset statutum, potuisset præbere dissensionis occasionem, item propter diuersitates Principum, item propter contemptum Sedis Apostolicæ. Ex quibus & alijs causis videbatur, quod Concilium tunc non erat sedaturum errores, immò verisimiliter nouum morbum, & forsan incurabilem pariturum. Quibus non obstantibus idem Martinus conclusit se semper paratum, & vacare debitæ, ac optatæ reformationi Ecclesiæ, & Concilium tempore suo conuocare. Simile ferè responsum reperio factum per Xistum IV. Oratoribus Regis Franciæ, missis contemplatione Laurentij Medices tempore belli inter Ecclesiam Romanam, & Florentinos.
5 Ex quibus videtur ostendi, quod non sit determinatum tempus ad congregandum Concilium generale à iure statutum. Quod etiam maximè ostenditur ex registro Gregorij VII. qui scribens Sicardo Aquilejensi Episcopo, narratis quibusdam excessibus tàm Principum, quàm Sacerdotum, qui Ecclesiam Christi Sponsam, omni irreuerentia conculcantes, quasi vilem ancillam opprimebant, proindè Concil. 9. Kal. Febr. indict. 12. Romæ indixit congregandum in prima hebdomada quadragesimæ sequentis, vt tanto periculo occurreret, adhortans eum vt in termino Concilij adesset cum suffraganeis Episcopis. Et sic posteà eodem anno 5. Kal. Septemb. indictione 12. in principio secundi libri scribit vniuersis Episcopis, & Abbatibus Britanniæ monens eos ad conueniendum, vt cùm frequentia aliorum eiusdem ordinis, quæ suæ dispensationis, & Christianæ religionis ordo requireret exequi valeret, narrans quomodo in maligno mundus positus erat, & quomodo ad hoc Mater Ecclesia inuitabat, cum plura tempora illa aduersùs eos diabolicæ fraudis arma demonstrarent, & bella prorupisse, quod Concilium indixit tenendum secunda hebdomada quadragesimæ futuræ, & sic sex mensibus vel circa assignatis ad interessendum. Ex quo etiam apparet, quod eodem anno, quo Concilium tenuerat in Laterano, indixit aliud Concilium tenendum in futuro anno Romæ. Et sic apparet, quod non erat certum tempus statutum ad Concilium te-
6 nendum, sed erat in arbitrio Papæ, prout necessitas exigebat. Et aduertendum est, quod causa cur fuerit in primo Concilio præfixum tam breue tempus ad comparendum, est vt arbitror quia illud Concilium non fuit generale ex toto orbe, sed tantùm cùm Prælatis Italiæ, vt patet ex alia eius epistola sequenti, scripta Episcopis Mediolanensis Ecclesiæ suffraganeis, vide-
7 licet Brixien. Cremon. Bergamen. Lauden. Nouarien. Hipporigien. Taurinen. Alben. Asten. Aquen. Terdonen. &c. quibusdam. In quo Concilio inter cætera ibi gesta, excommunicauit, & anathematizauit Robertum Guiscardum Ducem Apuliæ, & Calabriæ, atque Siciliæ, cum omnibus fautoribus quoùsque resipiscerent. Sed certè si
8 considerentur verba illius sequentis breuis directi supradictis Episcopis ibi ostenditur, quod erat præfixum tempus vnius anni, & quod de anno, in annum debebat teneri, cuius verba sunt hæc. Non incognitum vobis esse credimus in Romana Ecclesia iamdudum constitutum esse, vt per singulos annos ad decorem, & vtilitatem sanctæ Ecclesiæ generale Concilium apud Sedem Apostolicam sit tenendum. Ex quibus verbis deprehenditur, quod singulis annis debet teneri Concilium generale, quod patet, quia idem Gregorius reperitur tenuisse Concilium de anno in annum. Sed potest responderi, quod illa fuerunt Concilia non de vniuerso orbe, sed vel de eius Patriarchio, vt supradictum est, vel de Prælatis Italiæ, qui poterant singulis annis visitare limina Apostolorum. Alioquin fuisset impossibile, vt Prælati longè vltra montes constituti possent venire singulis annis, & redire, & illa etiam Concilia, quæ erant non de vniuerso orbe, appellantur generalia, vt supradictum est. Sed obstat, quia idem Gregorius in eodem libro ad eadem Concilia aliquando inuitat etiam Prælatos vltra montes, vt patet in eodem libro registri in primo breui secundi libri, quod dirigitur omnibus Episcopis, & Abbatibus Britanniæ. Ad quod potest responderi, quod licet aliquando inuitaret aliquos vltra montes, non tamen vniuersaliter omnes in singulis Concilijs de anno in annum, sed aliquando vnius patriæ aliquando alterius, prout videbat expedire, ex quo non erant Concilia, in quibus tractaretur de fide, sed tantùm de reformatione morum, vnde illos vocabat, quos videbat indigere reformatione. Et probatur potiùs, quod arbitrarium est tempus ad tenendum Concilium generale de vniuerso orbe, sed Concilium Patriarchij Papæ, siue non de vniuerso orbe debet teneri de anno in annum. Et dicendum est, quod illud fuit in illa feruentia boni, postea non ita de anno in annum, sed pro arbitrio Papæ. Sed posteà per dictam constitutionem frequens, in qua etiam dicitur, liceat Summo Pontifici de fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio terminum, ob emergentes fortè casus abbreuiare, sed nullatenus prorogetur, fuit statutum tempus ad tenendum Concilium de decennio in decennium. In qua etiam statuitur ob emergentes casus licere Pontifici locum pro Concilio celebrando assignatum de fratrum suorum consilio mutare. Et in sessione 44. eiusdem

Con-

Conſtantienſi Concilij pro loco proximè tunc futuri Concilij fuit deputata, & aſſignata ciuitas Papienſis, & ibi ante lapſum quinquennium cœptum eſt celebrari, deinde verò translatum eſt in Ciuitatem Senenſem, & in dicta Ciuitate Senenſi, vt volunt pragmatici, ciuitas Baſilienſis fuit aſſignata, & electa pro Concilio ineundo poſt ſeptennium, allegantes hoc conſtare per publicum inſtrumentum celebratum Senis anno Domini 1424. Pontificatus Martini V. anno 7. & die 19. Februar. de quo etiam patet in prima ſeſſione illius Concilij Baſileenſis. Et ibi inſeritur tenor Bullæ Martini directæ Petro Archiepiſcopo Cretenſi, & Iacobo Archiepiſcopo Spoletano, & Petro Abbati de Roſatio, & Leonardo de Florentia Generali Prædicatorum, quos mittebat Papiam pro celebrando Concilio iuxta ordinationem in Concilio Conſtantienſi factam. Quibus data fuit facultas illud transferendi, prorogandi, mutandi, & diſſoluendi, & in alia Ciuitate ad quam tranſferri voluiſſent, continuandi, tenendi, & celebrandi, & locum pro alio futuro Concilio inde ad ſeptennium celebrando nominandi, deputandi, & aſſignandi. Per quos præſidentes dicitur locus Baſileenſis deputatus, & per Deputatos nationū Italicæ, Gallicanæ, Germanicæ, & Anglicanę, confirmatus. Similiter inſeritur alia bulla Martini, in qua deputat Iulianum Cardinalem ſancti Angeli legatum Sedis Apoſtolicę ad Ciuitatem Baſileenſem, quam aſſerit deputatam pro Concilio ineundo antea in Ciuitate Senenſi, & quod quia propter notoriam ægritudinem intereſſe non poterat eumdem mittebat pro reformatione, pace & ſedandis hæreſibus. Vbi idem Cardinalis poſtea per literas Eugenij, qui ſucceſſerat interim in Pontificatum, declarauit ibidem eſſe Concilium celebrandum. Deinde ex Baſilea tranſlatum eſt Bononiam, deindè Ferrariam, deindè ex Ferraria Florentiam per Eugenium quartum, vbi interfuit, quod colligint ex dictis Abbatis in ſuis allegationibus factis contra Eugenium & legitur in geſtis dicti Concilij Baſileenſis in tertia bulla Eugenij inſerta in geſtis dicti Concilij Baſileenſis. Quinimò quantum poteſt colligi, etiam dicta conſtitutio frequens non fuit obſeruata de tempore Martini, quia licèt fuerit infrà quinquennium celebrari inchoatum Concilium Papię poſt finitum Concilium Conſtantiæ, & deinde Senis, protractum tamen fuit vltrà quinquennium, quia à 1417. vſque ad 1424. Item ſupradicti Oratores in ſua petitione de abbreuiando tempus Concilij, & de congregando Baſileæ, qui petebant tempus ſeptennij à Concilio Senenſi in Baſileenſi abbreuiari, non fuerunt exauditi, vt ſupra patet. Item tempore Eugenij ſimiliter, quia Concilium Baſileæ, quod magis fuit conciliabulum, vt infra dico, non fuit diſſolutum ante annum 1438. de quo anno fuit in illo Concilio priuatus Eugenius IX. kalen.
9 Februarij. Et ſic numquam reperiuntur obſeruata interſtitia temporum ſtatuta in dict. cap. frequens. Nec etiam à tempore Eugenij citra, quia ab illo tempore non reperitur celebratum aliquod Concilium, & ſic videtur, quod dicta conſtitutio non fuerit vſu recepta circa tempus celebrandi Concilium, & quod abierit in deſuetudinem. Facit text., & quæ ibi dicuntur in cap. 1. de treuga, & pace, & maximè quia non habet decretum irritans. Ad quod facit quod dicit Archiepiſcopus, & alij in cap. cùm de beneficio de præben. in ſexto. & quæ dicuntur in leg. de quibus ff. de legib. Facit quod dicitur in §. leges diſt. 4. & Dom. in ſumma diſt. 11. Sed obſtat præmiſſis, quia conſtitutio illa vult, quod Concilia hoc ordine celebrentur, videlicet primum à fine illius Concilij Conſtantienſis in quinquennium immediatè ſequens, ſecundùm verò à fine illius immediatè ſequentis Concilij in ſeptennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuò ex quo videtur, quod illius vigore duo præcipiantur, celebrari Concilium, & celebrari certo tempore. Vnde ſi non ſit celebratum in tempore, videtur quod omninò debeat celebrari leg. celſus ff. de arbit. cap. cùm dilecti de dolo, & contum. quia auctoritas conſtitutionis repræſentatur in vtroque mandato. Vnde ſequitur quod ſiue Concilium fuerit celebratum in tempore aſſignato, ſiue poſt tempus antequam Papa mutauerit voluntatem, debet dici celebratum auctoritate Papæ, & mandato eius, ſi aliquando auctoritas Papæ interceſſit de Concilio celebrando dict. cap. cùm dilecti, & in cap. quo iure diſt. 8. & cap. cùm ſuper de offic. delega. & cap. vlt. de reſtit. ſpoli. Vnde dico quod licèt reſpectu temporis celebrandi Concilij, videlicet inquantum vult, quod celebretur de decennio in decennium, & quod nequeat prorogari, poſſit dici abijſſe in deſuetudinem, vel quod non fuerit recepta, tamen ratione actus gerendi, ideſt Concilium celebrandi, non videtur ſublata, nec circa alia, videlicet circa mutationem loci, & abbreuiationem temporis, vbi eueniret caſus, quod hodie celebraretur Concilium, & aliud ſubſequenter ante lapſum decennij per abbreuiationem factam per Papam. Et ad hoc facit, quod dicit Vincent. & refert Anton. de butr. in cap. ex parte de conſtit., quod ex non obſeruantia conſtitutionis non tol-
10 litur conſtitutio, ideo ſi vacat aliquo tempore beneficium, & numerus canonicorum non impletur, per hoc non tollitur ſtatutum de numero taxato. Et Bartol. in procem. ff. §. & antea, vbi dicit, quod ex eo quod nullus vtitur lege, non propterea lex tollitur, & idem Bartol. poſt Cyrill. in leg. fin. C. de iure doct. impe. Idem Ioannes Andreas in cap. Ioannes de cle. coniuga. Et per non vſum præſentandi, non impeditur quaſi poſſeſſio iuriſpatronatus, Calderinus conſil. 15. de iurepatro. & multa ſimilia poſſunt adduci. Vnde ex his non videtur in totum ſublata dicta conſtitutio frequens, ſed ſolùm inquantum fuit contrauentum. Vnde videtur, quod non rectè Eugenius impugnabat Concilium Baſileenſę, arguens ex lapſu ſeptennij ſtatuti in dicto cap. frequens, quod non debebat tene-

teneri Concilium Basileæ, quia non videbatur sublata constitutio respectu Concilij celebrandi, licèt non esset in tempore congregatum, maximè ex quo prætendebatur causa pro sedanda hæresi, & fuerat requisitus, vt congregaret, vel vt auctorizaret. Nec etiam ratione deficientis auctoritatis eius, quia, vt allegabatur, affuerat Legatus de latere missus per Martinum quintum, tempore cuius Concilium sumpserat initium, qui legatus postea per Eugenium quartum licèt post lapsum dicti termini fuerat confirmatus, cuius legati auctoritate potuit Concilium congregari, vt in §. porro, dist. 2. & per Archid. 17. distin. in summa. Et plura alia, adducit Abbas, in illis suis reportatis pro iustificatione Concilij Basileensis, & quia nimis subtiliter allegauerat, noluit Eugenius vnquàm eum recipere in gratiam.

11 Sed pro intellectu illius constitutionis quæro, vtrùm cùm ipsa vult quod primum Concilium in quinquennium à fine Constantiensis, & secundùm in septennium, & postea de decennio in decennium celebretur, subiungens, vt sic per quamdam continuationem, semper aut Concilium vigeat aut per termini pendentiam expectetur, sensus eius sit, quod statim post Concilium primum finitum possit secundum inchoari, & finito secundo tertium, ita quod semper Concilium vigeat, vel quod vno termino durante possit aliud Concilium inchoari expediendum tempore sequenti. Et de vtroque videtur dicendum quod sic, quia ad rationem alternatiuæ sufficit alteram partem esse veram leg. si is, qui ducenta ff. de rebus dubijs leg. hæc verba ille ff. de verbor. significat. Sed sic est quod in constitutione dicitur alternatiuè per quamdam continuationem semper, aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur, vt sic sit sensus quod satis sit, vel quod Concilium vigeat, vel quod ex-
12 pectetur, quia natura alternatiuæ, est quod altero sublato ponit alterum dicta l. hæc verba. Sed si post finitum primum inchoetur secundum, tunc per continuationem semper Concilium viget, ergo videtur satisfactum constitutioni, capituli frequens. Et iste intellectus videtur conuenire ad illud, quod factum legimus in Concilio Chalcedonensi, vbi apparet in proœmio ipsius libri, quod vigente adhuc Concilio in Nicæa, Imperatores Valentinianus, & Martianus adhortantur Patres ire in Chalcedonen. Ciuitatem, vt ea quæ de sancta, & orthodoxa fide à sanctis Patribus definita erant confirmarent, ne diutiùs orthodoxorum multitudo diuersis modis errando
13 seduceretur. Sed inspicienti verba constitutionis, iste non videtur verus sensus eius, quia ex hoc sequeretur, quod de vno Concilio ad aliud non esset distantia requisita à constitutione, quæ vult quod à primo Concilio in quinquennium celebrando, sit septennium vsque ad secundi celebrationẽ, & à secundo Concilio in septennium celebrando sit decennium vsque ad tertij celebrationem. Sed si vno durante posset aliud inchoari, non esset integra distantia data à constitutione, & ex hoc sequeretur quædam confusio, & cumulatio plurium Conciliorum se inuicem confundentium, contra mentem constitutionis, Item similiter in proposito si immediatè post finem quinquennij inciperet secundum Concilium, non esset aliqua distantia de vno ad aliud, sed esset continuatio Concilij. Item ex hoc sequeretur aliud inconueniens, quod Prælati debentes celebrare Concilium, possent eligere partem alternatiuæ, quam vellent, & semper Concilium tenere, vel semper Concilium expectare. Et isto modo tenendo, constitutio non posset dici abijsse in desuetudinem, vel non fuisse vsu recepta, quia sic, vel Concilium Florentinum quod fuit vltimum, adhuc duraret per continuationem, vel postquam fuit absolutum adhuc duraret tempus Concilij expectandi, videlicet, decennium, licèt sint lapsi sexaginta anni, & vltra quod non fuit Concilium generale celebratum, nisi istud nunc apud Lateranum, quod est contra sensum constitutionis, quæ vult plura Concilia celebrari cum certi temporis distantia. Item sequeretur aliud inconueniens, quod si post finitum quinquenuium, in primo anno septennij celebraretur secundum Concilium, & tertium postea in fine decennij post septennium, tertium Concilium non esset celebratum infrà decennium à secundo Concilio sed in 16. anno, post, quod est directè contra mentem constitutionis.

14 Potest dari alius intellectus, ad dictam cõstitutionem, vt non ante inchoetur Concilium quàm omninò completum sit tempus, & sic primum non possit inchoari, nisi lapso integro quinquennio, & secundum lapso integro septennio, & tertium post lapsum decennium. Et tunc alternatiua po-
15 sita in constitutione resoluitur in coniunctiuam leg. sæpè, ff. de verb. signif. videlicet, vt sit sensus, quod per continuationem semper Concilium vigeat, & per termini pendentiam expectetur, successiuè non eodem tempore, & sic quod Prælati celebrent primum Concilium, in quinquenniũ, & illo finito expectetur secundum vsque ad septennium, & illo secundo finito expectetur tertium vsque ad decennium. Et sic erit mens constitutionis quod continuatiuè semper sit alterum ex duobus vnum tamen post reliquum, videlicet, quod Concilium actu vigeat, vel quod ad certum terminum expectetur vigebit, quando celebrabitur, expectabitur quando illo celebrato, & finito pendet tempus ad aliud celebrandum. Et istum intellectum reperio tenuisse Ioannem Milis de Brixia Aduocatum Consistorialem in quibusdam reportatis post obitum eius repertis, & manu ipsius propria scriptis, ea ratione quia illud verbum in septennium intelligi-
16 tur scilicet finitum, quia obligatus ad aliquid faciendum infra certum tempus, non tenetur illud facere, nisi in fine illius temporis ff. de condit. & demonst. l. non putabam, & l. si in annos, & notat Bart. in l. qui hoc anno ff. de verborum obligatione, & Baldus in l. 1. Cod. quando dies legati cedat. Notat hoc loc. And. in cap.

in

in singulis, de statu Monac. vbi dicit, quod si Concilium debet celebrari de triennio in triennium, intelligitur, quod secundum Concilium distet à fine primi Concilij per triennium, ita quod secundum Concilium non poterit celebrari ante completum triennium computandum à fine primi Concilij. Et ita allegat Antonius de Butrio in dicto cap. in singulis, & hunc intellectum dicit fuisse approbatum in Concilio Papiensi ibi inchoato, & finito Senis, quod inchoatum est post quinquennium completum à fine Concilij Constantiensis. Ergo talis intellectus est seruandus, quem Papa approbat, argumento cap. quod dilectio de consan. & affin. & Ioannes Andreas, & Butrius ibi notant. Vbi ponunt alium ca-
17 sum de statuto Paduano disponente, quod de malè ablatis fieret Concilium singulis quatuor mensibus, quia de mente statuentium est quod post lapsum quatuor mensium à fine primi Concilij computandorum, & non ante fiat Concilium. Et hoc dicit Milis demonstrari per verba dicti cap. frequens, cùm dicit, quod sic per quamdam continuationem semper, aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur, per quæ verba dicit, quod in termino assignato ad Concilium celebrandum, voluit Concilium pendere, & expectari debere, non penderet autem, nec expectaretur, si illo durante secundum Concilium inchoaretur, ergo clarè patet quod ante septennium completum à fine primi Concilij non potuit Concilium inchoari. Pro isto eius intellectu videtur facere illud quod dixi, quod Oratores petierunt abbreuiari tempus septennij ad annum, quia si tunc potuisset inchoari, non petijssent abbreuiari, ergo durante septennio videntes, quod nihil poterant, hoc petierunt. Et similiter etiam Papa Martinus sic interpretatus est, quando eis denegauit abbreuiationem, & voluit expectari vsque ad post perfectum septennium. Ex isto intellectu sequitur, quod numquam Concilium celebrabitur de decennio in decennium, quia si post completum decennium debet inchoari celebratio Concilij, & sic in primo anno secundi decennij, tunc erit annus vndecimus, & aliud Concilium sequens celebrabitur in anno vigesimo secundo, computato priori decennio. Item posset sequi quod Concilium, quod inchoaretur finito primo decennio, & sic in anno vndecimo, vt dictum est, non perficerent infra annum, sed duraret biennio, & sic inciperet currere aliud decennium post annum duodecimum, & sic anno decimotertio, qui inciperet currere à fine Concilij. Et sic si in alio sequenti decennio debet expectari finis præcedentis decennij inchoati in anno 13. deberet expectari integer annus 23. & aliud Concilium inchoandum deberet incipi anno 24. computando à principio decennij præcedentis; & si similiter istud sequens Concilium alterius decennij de anno 24. duraret biennio, deberet incipi tertium tertij decennij anno 17. & sic de singulis. Vndè non satisfieret constitutioni volenti, quod quolibet decennio reperiatur celebratum vnum Concilium, quia sic intelligendo semper postponitur de tempore, & maximè quia plerumque Concilia durant etiam in triennium, & vltrà, antequàm dissoluantur, vt
18 patet in Concilio Constantien. quod incæpit anno Domini 1414. 3. Nouembris, & finitum est anno Domini 1418. 22. Aprilis, & in Conciliabulo Basileæ, quod durauit ferè septennio, inchoatum est etiam anno 1431. 7. Decembris, & finitum est anno 1438. 8. Kalendas Aprilis. Item sequitur aliud, quod tempus decennij numquàm videretur assignatum ad Concilium celebrandum, sed esset assignatum ad expectandum, ex quo antè lapsum integri decennij nō potest aliud inchoari. Item posset sequi, vt experientia demonstrat, quod non congregaretur in primo anno post lapsum primi decennij, quod totum cedit ad expectandum, & quiescendum, quia oportet habere tempus ad colligendas sarcinulas. Ad hoc facit, quod dicitur in capit. ponderet dist. 30. in cap. cupientes in princip. in verbo infrà mensem, de elect. in 6. dicit text. in leg. ab hostibus, ff. ex quibus causis maior. Et sic inter tempus congregandi Concilij, & tenendi Concilij posset esse tanta dilatio, quod non solùm in decimo non celebraretur, sed nec in decimoquinto anno, propter difficultates, quæ occurrunt, maximè Prælatis longè distantibus. Et ex hoc sequeretur aliud, quod illud, quod scilicet dixi de inobseruantia constitutionis, frequens tam in Concilio Senensi, quàm in Conciliabulo Basileensi, quoad tempus non esset verum, quia secundùm istum intellectum satis videretur obseruata, & recepta, quia adhùc penderet tempus ad celebrandum Concilium.

19 Sed in contrarium videtur, quod sensus ipsius constitutionis sit, quod primum Concilium post Constantiense celebrari debeat intrà illud quinquennium, & secundum intrà sequens septennium, & tertium sequens intrà decennium, & sic deinceps de decennio in decennium, ità quod semper in quolibet decennio reperiatur Concilium celebratum, nec ad celebrandum debeat expectari, quod totum decennium labatur. Ad hoc facit, quod ex natura
20 illius dictionis [in,] quæ importat actum debere intrà tempus expediri, hoc demonstrari videtur, leg. si in annos, ff. de condit. & demonstrat. leg. 1. §. in flumine, ff. de fluminibus, & leg. 1. §. deinde, ff. de cloacis; & vide Oldrad. conf. 49. in col. 4. Et licèt Bartol. in leg. Gallus, §. ille casus, voluerit, quod quando dictio [in] adijcitur tempori in accusatiuo significet extrà tempus, per leg. si cui legetur, ff. de legat. 1. tamen illud procedit eo respectu, an in principio, vel in fine temporis debeatur, in hoc autem non discordat siue in ablatiuo, siue in accusatiuo adijciatur, quod semper significat intrinsecitatem, vt illud, quod disponitur comprehendatur in aliqua parte temporis, & non post tempus, vt in leg. eum qui Kalendis, ff. de verborum obligat. voluit Bald. in rubr. ff. soluto matrimon.

trimon. & Aretinus in dicto §. ille casus, allegat dictam leg. si in annos. Quod est verum etiamsi dictio [in] adijceretur præterito tempori, vt voluit Alexand. in dicto §. ille casus, improbando Ioann. de Imol. Et licèt Innocent. in cap. propter sterilitatem, de locat. exponat dict.leg.si in annos 10. idest post annos 10. tamen Paulus de Castro declarando illam leg. dicit, quod vltima debetur, & potest dici satis post, ex quo lapsi sunt 10.anni. Et quod infrà tempus debeat actus expediri, textus est elegans in leg. 1. §. si intra, ff. de successorio edicto, qui parificat, siue dicatur in centesimum diem, siue intrà centesimum diem. Item considero, quod verba constitutionis dicunt, quod generalia Concilia debeant celebrari in quinquennium, septennium, &c. si autem labitur integrum quinquennium, vel septennium, &c. non dicitur celebratum Concilium in septennium, quia verbum [celebrentur] denotat perfectionem explicationis actus, vt infrà illud tempus sit perfectum Concilium. Et hoc etiam ostendunt illa verba: [vt sic per quamdam continuationem semper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur;] quem terminum liceat Summo Pontifici abbreuiare, sed nullatenus pro-
21 rogetur. Prorogari autem non dicitur aliquid post finitum tempus, sed cùm adhùc tempus durat, leg. sed etsi manente, ff. de precar. leg.dies cautioni, ff.de damn. infect. Item si intelligitur, quod post posset celebrari Concilium tempus satis diceretur, prorogatum, cuius contrarium os-
22 tendit dictio [nullatenus] quæ nihil aliud importat, quàm quod per nullum modum, & per nullam viam. Facit glofs. in verbo nullatenus, in Clement. vt ij, qui, de ætat. & qualit. Io.de Anast. in cap. quia frustrà, de vsufr. & glofs. in verbo nullatenus in Clement. 1. de seq. poss. & fruct. Non obstat, quod dicit Io. Andreas in capit. cùm singulis, cuius verba sunt non putarem sufficere in fine primi triennij facere vnum capitulum prouinciale, & statim in principio secundi triennij facere aliud, quia id potiùs esset facere capitula de sexto anno in sextum annum, quàm de triennio in triennium, & multo tempore posset sic tardari ordinis reformatio. Vndè potiùs videtur facere pro eo, quòd dico, quàm contra, quia apparet velle, quod in quolibet triennio reperiatur fieri vnum capitulum. Et sic etiam dico, quod non sufficit in fine vnius decennij fieri vnum Concilium, & in principio alterius aliud, quia expectando posteà ad finem alterius sequentis decennij, esset facere Concilium de 20. annis in 20. annos, nec reperiretur Concilium celebratum infrà decennium, vt est mens constitutionis. Quinimmò si sic intelligeretur, esset facere fraudem legi, quæ non sine mysterio dicit de decennio in decennium, sed ad ostendendum distantiam vnius Concilij ab alio. Et ita ex hoc impugno primum intellectum. Non obstant iura, quæ pro eo allegantur sonantia, quod obligatus ad aliquid faciendum infra tempus certum, non tenetur illud facere, nisi in fine temporis, quia fateor. Et hoc facit potiùs pro, quàm contra, quia si in fine temporis, ergo intrà tempus decennij, sed in fine decennij, vt satis habitum est ex dictis dicto §. ille casus. Probant ergo iura, quæ allegat, quod Concil. debet celebrari in fine decennij. Et hoc videtur satis æquum, vt in principio decennij expectetur Concil. per temporis pendentiam, & in fine decennij, intrà tamen decennium inchoetur, & celebretur, & vigeat Concil. Pro ista opinio. vide omninò, quod nomine Domini in proposito in cap. propter el. 1. dist.18. vbi dicitur, quod quando est actus successiuus, non videtur à lege tempus assignatum ad finiendum, sed inchoandum, alleg. Clement. sicut, de appellat. Et si vis tenere, quod lapso integro decennio statim debeat inchoari, & teneri Concilium, & illo Concilio absoluto, incipiat currere aliud secundum decennium, & secundo decennio finito, statim inchoetur aliud Concilium, quo absoluto similiter incipiat currere tertium decennium, ità quod semper Concilium vigeat, vel expectetur quamuis verba videantur repugnare, quæ volunt, quod illicò finito vno decennio, in quo est celebratum Concilium, debeat incipere aliud decennium ad expectandū, & celebrandum Concilium, per illa verba, [de decennio in decennium;] tamen si vis impropriare literam, potes dicere, quod intelligitur de decennio finito in decennium finitum, leg. si filio famil. §. si vir in quinquennium, ff. solut. matrim. Nec peccabis in Spiritum sanctum quemcumque intellectum teneas, quia quilibet intellectus tendit ad satisfaciendum constitutioni, cuius mens fuit, quod ordinato certo tempore Concilium teneatur. Item concedi etiam posset, quod si tempus, quo Concilium viget, prætenderetur vltrà decennium, puta si Concilium inceptum celebrari in vltimo anno præcedentis decennij duraret adhùc vltrà biennium, tempus decennij inciperet currere post illud biennium, quo vltrà decennium finitum esset Concilium, quia in constitutione non est præfinitum tempus ad finiendum, siue post inchoatum Concilium, quanto tempore debeant durare sessiones, Facit, quod dicit Dominicus, vbi supra, & secundùm istos intellectus etiam concluditur, quod constitutio ipsa quoad præfixum in ea tempus, non fuit recepta, & abijt in desuetudinem, vt supra dictum est. Adde tamen prædictis, quod vt cesset suprascripta difficultas, fuit declaratum in Concilio Basileen.in sess.11. si tenenda est, non illius auctoritate, sed quia opportunè prouidisset, vel propter concordiam subsecutam, quod verbum illud [in decennium] in prædicta constitutione positum, intelligi debeat, vt decennium totaliter compleatur, & eo integrè completo ex tunc facultatem Concilij generalis celebrandi incipere. Et si casu aliquo contingat eos, qui in Concilijs generalibus interesse tenentur in principio temporis non aduenire, declarat non propterea dictam Concilij celebrandi facultatem expirare, sed vt quamprimùm

commodè fieri poterit celebretur. Ne autem diu differri possit, statuit, vt per viginti dies antè prædictum decennij tempus completum, vel aliud si forsan ex causa pro Concil. præfigi contingat Rom. Pontif. per se, vel per Legatum, aut Legatos suos, necnon Archiepiscopus, in cuius Prouincia, vel Diœcesi fuerit Concilium celebrandum, & omnes Prælati vicini loco celebrationis Concilij per quatuor dietas vulgares, cessante impedimento canonico in proprijs personis, vel eo obsistente per viros idoneos ad hoc Vicarios constitutos adesse teneantur, vt de loci dispositione, & alijs præparatorijs Concilij valeant habere tractatum. Die autem inchoationis Concilij generalis præfinita, ij, qui ibidem fuerint, Missam de sancto Spiritu solemniter celebrent, & Concilium ex eo die stabilitum, & inchoatum esse efficaciter censeatur. Verùm propter multas necessitates, quæ contingere possunt venientibus ad Concilium, exhortatur dicta Synodus eos, qui tunc præsentes fuerint, vt ad ardua negotia concludenda, nisi decenti expectatione absentium moderata, congruo interuallo temporis, non procedant, sed sic Diuino timore præuio procedatur in cunctis cum debita grauitate, sicut tanta magnitudo negotiorum vniuersalis Ecclesiæ exigit, & requirit.

SVMMARIVM.

1 *Concilia non pro leuibus, sed grauissimis causis congreganda.*
Primò in causa hæresis, vt quando Papa dicitur Hæreticus num. 2.
Secundò ratione schismatis tollendi num. 3. licèt quidam contradicat num. 4.
Tertiò quando agitur causa Papatus num. 5.
Quod, quibus, & quot modis contingat, vide ibidem.
Quartò quando Papa committeret aliquid, propter quod scandalizaretur vniuersalis status Ecclesiæ, & Papa esset incorrigibilis num. 6.
7 *Sententia lata super matrimonio, numquam transit in rem iudicatam.*
8 *Casus frustrà expectatur, cuius euentus nihil est operaturus.*
9 *Papæ incorrigibili, debet fieri denunciatio, vt se emendet antequam congregetur Concilium.*
10 *Concilium septem casibus posse congregari contra Papam, & num. 11. 17. 18. 19. 20. & 21. licèt alij ponant tres tantummodo casus, num. 22.*
11 *Causa fidei an possit per solum Papam terminari.*
Vbi in causa fidei constat de iudicio totius Ecclesiæ Papa non potest decernere contra statutum Ecclesiæ, num. 12. & quomodo intelligatur ibi.
Auctoris opinio, num. 13. & distinctio ibidem.
14 *Papa an solus possit facere nouos articulos fidei, remissiuè.*
Capituli Anastasius. 19. dist. intellectus.
15 *Fidei causa, idest articulus nouiter emergens, an sit sufficiens ad congregandum Concilium, & an in tali causa Papa debeat requirere consilit. Episcopor. num. 26.*
Et an semper Papa in causa fidei teneatur congregare Concilium generale, n. 27.
23 *Papam habere plenitudinem potestatis quomodo intelligendum, & Auctoris opinio 25*
Et est dummodo non erret, num. seq. & casu quo erret, per quem corrigi debeat, ibid.
28 *Gloss. in cap. Anastasius, distinct. 19. intellectus.*
29 *Concilia quibus ex causis congregata sunt præter causam fidei, & num. 30. 31. 32. 33. 34. 41. & 42. in fine.*
35 *Hostien. in cap. vnico, §. In veteri, de sacra vnct. reprehenditur.*
36 *Causa vbi non apparet, in Papa semper præsumitur.*
37 *Concubinatus est contra legem naturæ, & peccatum mortale.*
38 *Clericus notorius concubinarius est suspensus quo ad se, & quo ad alios.*
Et à talibus iura prohibent missam audiri.
Et tales prohibentur etiam ad minores ordines promoueri, ibid.
Immò aliqui volunt tales effici irregulares, num. 39.
Et priuantur fructibus beneficiorum tribus mensibus, & si moniti, non desistunt priuantur beneficijs obtentis, & obtinendis, num. 40.
Et pœna Prælatis eos tolerantibus, & quod filios ex concubinatu susceptos apud patres morari non permittant, ibidem.
Auaritia detestatur 42.

ARTICVLVS II.

Ex quibus causis congregandum sit Concilium.

Vidimus de tempore tenendi Concilij, videamus nunc ex quibus causis Concilium debeat congregari. Et in hoc
1 dicendum est, quod generalia Concilia non pro leuibus, sed grauissimis, & arduis causis congreganda sunt, non enim de facili Prælati à suis Ecclesijs euocandi, & fatigandi sunt. Debent enim esse causæ, quæ habeant dubium, quod concernat vniuersalem, & totam Ecclesiam, vt aliquid dixi supra in illo articulo, ad quem spectet congregare Concilium, & infrà latiùs dicā. Et in hoc credere considerandum, quia aut Concil. est congregandum contra Papam.
2 Et in hoc dico, primò posse congregari in causa hæresis, quando Papa dicitur hæreticus, vt in cap. si Papa 40. dist. & glo. in cap. si quis pecunia 79. dist. & cap. in fidei de hære. in 6. per doctr. & Anton. in cap. fraternitatis, in primò notabili. de hæres. Alber. in rub. C. de hære, vbi ponit plenas remissiones 17. dist. §. hinc etiam & Cardinalis cons. 150. in 4. art. Innoc. in cap. ex parte de verb. sig. Quod intelligit Cardin. de Turrecre & Card. Alex. in cap. nunc autem 21. dist. etiam si non esset aperta hæresis, sed esset tale crimen quod

quod apperenter saperet hæresim. quia ex hoc poterit Concilium congregari, de quo in dist. cap. in fidei, & latiùs dico infra in articulo, an possit Papa accusari de hæ-
3 resi. Item secundò ratione schismatis tollendi, sicut fuit Concilium Constantinopolitanum octauum. 300. Episcopotum, vbi sublatum est schisma Ignatij, & Photij & restituto Ignatio Photius anathematizatus. Similiter vt legitur in historia Ecclesiastica, in Concilio Romæ celebrato sedatum est schisma secundum, inter Vrsicinum & Damasum, vbi depulso Vrsicino, & in Episcopum Neapolitanum promoto, confirmatus est in Apostolica sede Damasus. Similiter legitur de schismate quarto inter Symmachum Papam & Laurentium sublato prima vice per compromissum factum in Theodoricum Regem Gothorum qui Rauennæ residens auditis partium legatis. pro Symmacho pronunciauit, & Laurentius pronunciatus est Nuceriæ Episcopus postmodum exorto de nouo schismate inter eosdem & manu armata Symmacho spoliato, & hoc sopitum est per Concilium, restituto Symmacho & Laurentio eiecto; vt in cap. Symmachus, aliàs cap. nos si incompetenter, in §. item Symmachus 2. quæst. 7. & in §. hinc etiam 27. dist. & dixi supra in articulo, ad quem spectet congregatio, quando inter duos est contentio de Papatu. Similitet aliud Septimum schisma sedatum est per Concilium, approbato canone, & reprobatis Theodoro & Petro cum eo contendentib. Similitet in tertio schismate inter Bonifacium Papam I. & Eulalium antipapam, approbatus est Bonifacius & eiectus Eulalius, in Nepesinum Episcopum promotus per Honorium Imperatorem. similiter in 16. schismate inter Benedictum Papam nonum, & quemdam Ioannem vocatum Syluestrum III. amotum, & vi eiectum quia Antipapa erat, post hoc aliud schisma inter Gregorium Papam VI. qui præfato Benedicto surrogatus est, & inter quemdam alium, quem ipse Gregorius in in admiuistratione spiritualium sibi substituerat, & inter quemdam alium qui contra hos duos contendebat, sedatum est per Henricum Imperatorem secundum, qui congregato Concilio & illis amotis Clementem II. Pontificem creari curauit. Et similiter factum est cum esset contentio inter Leonem V. & Christophorum, & Leone in carcere turpiter mortuo, ac eiecto Christophoro, electus fuit Sergius II. vt ponit Alex. in dist. cap. si duo 79. dist. Simile legitur in gestis Concilij Constansien. vbi sedatũ est schisma antiquatum inter tres contendentes vt dixi supra, & fuerunt priuati duo videlicet Ioannes 23. & Benedictus XIII. & Gregorius XII. cessit, & assumptus est Martinus Quintus. Et de istis schismatibus sedatis vide infra, vbi connumerantur remedia ad tollendum schisma, post quæstionem, ex quibus causis possit Papa deponi. Et hoc voluit Abbas in dist. cap. licèt de elect. quod Concilium propter schisma debet congregari, & latiùs Ægidius in cap. in fidei, in 42. char. cum refert conclusiones Domini Pampilonen. in 9. conclusione de hæret. in sexto & Petrus de Ancharano in octaua quæstione sui tractatus. Quamuis Domi-
4 nus Anto. in dicto cap. licèt videatur velle per illum text. quod non potest congregari Concilium propter schismata vt refert Abb. in 3. colum. qui dicit, quod contrarium est verum. Pro quo dicit esse casum in cap. si duo. 79. dist. ad quod sæpiùs Pisis & Constantiæ in Concilijs fuisse illum tex. allegatum. Item tertiò congre-
5 gatur, quando agitur causa Papatus, quod potest contingere pluribus modis vt si diceretur electio nulla, vt de elec. licèt. Vel si Papa diceretur intrusus nunquam electus, vel Apostaticus, vt in capi. si quis pecunia 79. dist. Vel si essent duo electi. vt in cap. si duo 79. dist. & probatur 2. q. 7. cap. nos si incompetenter §. item Symmachus. Vel si electio non esset facta à duabus partibus, vt dicit ibi gl. & Doct. post Ægidium Bella mera, & quilibet gereret se pro Papa Ad quem casum trahunt Doct. illum tex. quamuis adhuc non esset tex. in cap. licèt de elect. quod ponit ibi Cardinalis in 3. colum. 3. quæsiti. Vel si diceretur electio facta per impressionem, sicut fuit tempore Vrbani Sexti, vt ponit Bald. in lib. 1. C. si quis aliquem testa prohi. & in cap. quia propter de elect. & in constitutione, frequens, facta in Concilio Constantien. in §. qui verò. Vel si renunciasset papatui, & eum Cardinales, vellent procedere ad alterius electionem, vel alium elegissent negaret se renunciasse, & fortè quilibet haberet sequelam, tunc esset causa congregandi Concilium, vt Domi. post. Ioan. Anton. in cap. 3. de renunc. in 6. & in cap. licèt per Doct. de elec. & bona glo. in cap. non autem 7. quæst. 1. Vel si per potentiam alicuius principis secularis fuisset assecutus papatum, vt in dist. cap. si quis pecunia 79. dist. & in cap. in nomine domini 23. dist, ponit Bald. in rub. C. si quis aliquem testa. prohi. in 9. col. Item posset congregari Concilium quando subesset aliqua necessitas Ecclesiæ cui verisimiliter prouideri non posset, siue Concilino & sedes vacaret. Quod enim tunc Cardinales possint Concilium conuocare, est gloss. in Clemen. ne Romani de elec. & ponit Alex. in cap. synodum 2. colum. 17. dist. ibi in dict. capi. 1. ponit Petrus de Monte in sua monarchia in 1. q. de Concilio in 2. char. & Abb. in dist. cap. licèt de elec. in 3. colum. & Felin. in cap. super literis in 21. col. de rescrip. Item congregari potest Concilium quando Papa vellet se purgare de aliquo crimine de quo esset infamatus, vt legitur de Beato Damaso 3. q. 7. nos circa fi. Et de Sixto, vt in cap. mandastis 2. q. 4. & in cap. nunc autem circa fi. 21. dist. Similiter de Leone vt in cap. auditum & in cap. omnibus circa fi. 2. q. 4. Sed ista congregatio non intelligitur ad deponendum Papam, sed de eius voluntate, vt in dictis iuribus. Item quartò congregari potest Conciliũ quando Papa committeret tale quid propter quod scandalizaretur vniuersalis status Ecclesiæ

& esset incorrigibilis : quia erit sufficiens causa ad congregandum Concilium. Ad hoc moueor, quia posito quod non esset vera illorum opinio qui voluerunt quod isto casu esset etiam sufficiens causa ad eũ deponendum, vt voluit Abb. in capi. significasti de elect. & in cap. quotiens de simo. post gloss. in cap. Papa si 40. dist. & Petrus de Ancha. in 4. quæsito sui tractatus & Ludou. in pluribus Consilijs, de quo dicam infra in quæstione ex quibus causis Papa possit in Concilio accusati, tamen non sequitur, non est causa sufficiens ad deponendum eum, ergo non est sufficiens ad congregandum Concilium. Patet quia videmus quod Concilium cognoscit de causa electionis Papæ, vt in cap. si duo 79. dist. & tamen electio spectat ad Cardinales dist. cap. licèt & valet sententia lata per Concilium contra Papam quoad Ecclesiam militantem. Sic etiam dicimus in matrimonio, nam licèt homo non separet quos Deus coniunxit 33. quæst. 2. quos Deus, Ecclesia tamen cognoscit quando dubium est de matrimonio & posset contingere quod separaret illos, quos Deus coniunxit, idest, qui legitimè erant copulati, & nihilominùs valeret talis separatio quo ad Ecclesiam militantẽ cognito
7 tamen dict. errore semper reuocabitur talis sententia. quia non transit in rem iudicatam, vt in cap. lator &c. tenor &c. consanguinei de re iudi. Sic in proposito, posito quod non possit Concilium priuare Papam propter crimen scandalizans Ecclesiam vniuersalem, tamen non sequitur quod non sit causa sufficiens ad congregandum Concilium. Et hunc eumdem spiritum habuit Alex. in cap. synodum 17 dist. in 2. col.

Et si dicatur ista erit inutilis cõgregatio quia si Papa non velit emendari, & Concilium non possit eum corrigere erit frustratoria congregatio, & Prælati de vni-
8 uerso fatigabuntur incassum, frustra enim expectatur casus, cuius euentus nihil sit operaturus adu. & Ioann. Andr. in regula nullus pluribus, de regu. iur. in 6. Respondetur quod non omnia propter quæ Concilium congregatur, sortiuntur effectum in Concilio, vt videmus de gestis Concilij Florentini, vbi sedatum fuit schisma Ecclesiæ orientalis, & facta vnio ambarum Ecclesiarum, Romanæ videlicèt & orientalis Ecclesiæ, vt patet ex bulla Eugenij, & Imperatoris Paleologi scripta in Græco. cuius originale in Græco, & Latino cùm subscriptionibus Papæ Eugenij, & Cardinalium, & Imperatoris, & aliorum, habetur in archiuio nostro in Basilica beati Petri cùm sigillo plumbeo Papæ, & aureo Imperatoris, & cuius tenorem hìc inserere volui, vt sequitur.

Tenor Bullæ concordiæ Latinorum, & Orientalium Græcorum de processione Spiritus sancti, & alijs vt in ea.

EVgenius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Consentiente ad infrascripta Charissimo in Christo filio nostro Ioanne Paleologo Romanorum Imperatore illustri, & locum tenentibus venerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Ecclesiam repræsentantibus, lætentur cœli, & exultet terra. Sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem orientalemque diuidebat Ecclesiam, & pax, atque concordia redijt, illo angulari lapide Domino Nostro Iesu Christo, qui fecit vtraque vnum, vinculo fortissimo charitatis, & pacis, vtrumque iungente parietem, & perpetuæ vnitatis fœdera, copulante ac continente, postque, longam mœroris nebulam, & dissidij diuturni atram, ingratamque caliginem, serenum omnibus vnionis optatæ iubar illuxit. Gaudeat mater Ecclesia, quæ filios suos hactenùs inuicem dissidentes iàm videt in vnitatem, pacemque redijsse, & quæ anteà in eorum separationem amarissime flebat, ex ipsorum modo mira concordia cùm ineffabili gaudio Omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles vbique per orbem, & qui Christiano censentur nomine, matri Catholicæ Ecclesiæ collætentur, ecce enim Occidentales, Orientalesque Patres post longissimum dissensionis, atque discordiæ tempus, se maris, ac terræ periculis exponentes, omnibusque superatis laboribus, ad hoc sacrum cumenicum Concilium desiderio sacratissimę vnionis, & antiquæ charitatis redintegrandæ gratia, læti, alacresque conuenerunt, & intentione sua nequaquàm frustrati sunt, post longam enim, laboriosamque indaginem, tandem Spiritus sancti clementia ipsam optatissimam, & sanctissimam vnionem consecuti sunt, quis igitur dignas, omnipotentis Dei beneficijs gratias referre sufficiat? quis tantæ diuinæ miserationis diuitias non obstupescat? cuius, vel ferreum pectus, tantæ supernæ pietatis magnitudo non molliat. Sunt ista prorsùs diuina opera non humanæ fragilitatis inuenta, atque ideò eximia cum veneratione suscipienda, & diuinis laudibus prosequenda. Tibi Laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio Christe fons misericordiarum; qui tantùm boni sponsæ tuæ Catholicæ Ecclesiæ contulisti, atque in generatione nostra tuæ pietatis miracula demonstrasti, vt enarrent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem, diuinumque munus nobis Deus largitus est, oculisque vidimus, quod antè nos multi cùm valdè cupierint aspicere nequiuerunt, Conuenientes enim Latini, & Græci in hac Sacrosancta Icumenica synodo magno studio inuicem vsi sunt, vt inter alia etiam articulus ille de diuina Spiritus san-

sancti processione summa cum diligentia, & assidua inquisitione discuteretur. Prolatis verò testimonijs ex diuinis scripturis, plurimisque authoritatibus sanctorum Doctorum Orientalium, & Occidentalium, aliquibus quidem ex Patre, & Filio, quibusdam verò ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum sanctum, & eamdem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diuersis vocabulis, Græci quidem asseruerunt quòd id quod dicunt Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt vt excludant Filium, sed quia eis videbatur vt aiunt, Latinos asserere Spiritum sanctum ex Patre, & Filio procedere tamquàm ex duobus principijs, & duabus spirationibus, ideò abstinuerunt, à dicendo quòd Spiritus sanctus à Patre procedat, & filio. Latini vero affirmauerunt non se hac mente dicere Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, vt excludant Patrem, quin sit fons atque principium totius Deitatis, Filij scilicet, ac Spiritus sancti, aut quod id quod Spiritus sanctus procedit ex filio, filius à Patre non habeat, siuè quod duo ponant principia, seù duas spirationes, sed vt vnum tantùm asserant esse principium, vnicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenùs asseruerunt. Et cùm ex his omnibus vnus, & idem eliciatur veritatis sensus, tamdem in infrascriptam Sanctam, & Deo amabilem, eodem sensu, eademque mente, vnionem vnanimiter concordarunt, & consenserunt. In nomine igitur Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Hoc sacro vniuersali approbante Florentino Concilio, definimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus sanctus ex Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens, habet ex Patre simul, & Filio, & ex vtroque æternaliter tanquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit, declarantes quod id, quòd Sancti Doct. & Patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam renditur per hoc significent Filium quoque esse secundùm Græcos quidem causam, secundùm Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut, & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse vnigenito filio suo gignendo dedit præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse filius à Patre æternaliter, habet, à quo etiam æternaliter genitus est. Definimus insuper explicationem verborum illorum Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licitè, ac rationabiliter symbolo fuisse appositam. Item in Azymo, siuè fermentato, pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero, ipsum Domini Corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxtà suæ Ecclesiæ siuè Occidentalis siuè Orientalis consuetudinem. Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint antequàm dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis Purgatorij post mortem purgari, & vt à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt, secundùm Ecclesiæ instituta. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superiùs dictum est, sunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & vnum sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate aliam alia perfectiùs. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis, tamen disparibus puniendas. Item definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanũ Pontificem, in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Ecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Renouantes insuper ordinem traditum in Canonibus cæterorum venerabilium Patriarcharum, vt Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius verò Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Ierosolymitanus, saluis videlicet omnibus priuilegijs, & iuribus eorum. Datum Florentiæ in sessione publica synodali, solemniter in Ecclesia maiori celebrata; anno Incarnationis Dominicæ 1439. pridiè nonas Iulij, Pontificatus nostri anno nono.

S. Petrus S. Paulus Eugenius Papa IV.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, ita definiens subscripsi.

Ego Antonius Episcopus Hostiensis Cardinalis Bononiensis, supradictas definitiones veras, & catholicas esse affirmo, & me illis subscripsi.

Ego Branda Episcopus Portuensis, Cardinalis Placentinus, suprascriptas definitiones veras, & Catholicas esse affirmo, & me illis subscripsi.

Ego N. tituli Sanctæ Crucis Presbyter Cardinalis suprascriptis definitionibus tamquàm veris, & Catholicis me subscripsi.

Ego F. tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis suprascriptis definitionibus tamquàm veris me subscripsi.

Ego Anton. tituli Sancti Marci presbyter Card. me subscripsi.

Ego Iul. tituli Sanctæ Sabinæ presbyter Cardinalis me subscripsi.

Ego Prosper tituli sancti Georgij ad vellus aureum diaconus Cardinalis de columna, me subscripsi.

Ego Dominicus sanctæ Mariæ in via lata sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus Cardinalis

dinalis

dinalis me subscripsi;

Quæ vnio etsi postmodum non fuit obseruata, nec in partibus illis recepta, vt supra dictum est, non propterea fuit inutile illud Concilium, quia in eo fuit disputatum, & conclusum, & Græci conuicti, & ex hoc sequitur bonum, quòd Catholici fiunt firmiores in fide. Item posset contingere quod conuictus viso scandalo, corrigeretur, vel saltem Ecclesia eum toleraret cum maiori patientia, expectando, & orando pro eo. Facit quod dicit Hugo in capit. cum ad verum. 96. distin. qui dicit quod Concilium potest audire causas ciuiles contra Papam, sed non potest eum compellere, nec excusationem facere contra eum. Sic in proposito potest congregari Concilium, quantumcumque non possit
9 deponi. Et intelligo quando debet congregari ratione criminis scandalizantis vniuersalem Ecclesiam, quod debet autè huiusmodi congregationem præcedere denunciatio, vt se emendet, & non sit incorrigibilis. Ita Anton. de Butrio in cap. 2. de accusa. & refert Martinus de Laude in tract. de principibus, quæst. 200. Vbi plus videtur velle quod ratione incorrigibilitatis possit damnari, & ad hoc alleg. ipse Antoniū de Butrio in dicto capitulo secundo, inducendo contra Concilium quod vult procedere contra Papam antè denuntiationem factam, quod non possit. Sed mihi videtur quod Antonius non dicat quod quia ad hoc, vt Papa possit accusari debet præcessisse denunciatio, propterea possit deponi. Quod autem possit congregari, sensit Alexand. 15. dist. in summa in 9. charta. & idem Alexan. in cap. nunc autem, 21. dist. Vbi dicit hoc probari per illum tex. quia licèt ibi Marcellinus thurificasset idolis inuitus, non tamen propriè poterat dici hæreticus, & tamen propter scandalum vniuersalis Ecclesiæ fuit ibi congregatum Concilium, ad quod adde quod dicitur infra, in illa quæstione quando principes volunt subtrahere obedientiam, si denegatur congregatio Concilij, & in illa quæst. an Papa possit accusari de hæresi, vel Simonia, vbi latè de hoc.

Reperio quod quidam Hispanus Episcopus Gaddicensis in quodam suo tractatu de potestate Papæ referendo Antonium de Butrio, & Mathesillanum in tract. schis-
10 matis, ponit septem casus ex quibus potest congregari Concilium contra Papam. Primus est quando est probabile dubium iuris, vel facti vter ex duobus sit verus Papa, allegat. glos. in præallegato capitulo si duo. 79. dist. Secundus est in crimine
11 hæresis, & generaliter quando est quæstio de articulis fidei, vel super eis connexis, vel dependentibus, allegat. glos. in dicto cap. si Papa. 40. distinctio. & in cap. Anastasius, 19. distinctio. Et hoc casu dicit quod opinio generalis Concilij præualet opinioni Papæ, allegat. text. iuncta glos. in capitulo sicut, in fine. 15. distinctione. De hoc tamen latiùs dicam in quæstione vter sit maior, Papa an Concilium. Adde nihilominùs ad id, quod hic dicitur de ar-
12 ticulis fidei, quod glos. in cap. quod translationem, de offic. legat. videtur velle quod tunc non sit necessaria congregatio Concilij, sed quod solus Papa possit determinare causam fidei, licèt glossa in capitulo Anastasius, 19. distinctione videatur velle contrarium. Sed tu dic secundùm Abb. Siculum in capitulo maiores, de baptismo quod non obstat ille tex. in capitulo Anastasius, quia ideò ibi requirebatur Concilium, quia Papa voluit decidere aliquid contra aliquod statutum Ecclesiæ, quod non poterat sine Concilio, quia vbi
13 in causa fidei consistit de iudicio totius Ecclesiæ, Papa non potest aliquid decernere contra statutum Ecclesiæ, & istud idem videtur sentire Abb. in cap. quod translationem, de offi. leg. & quod dicit quod Papa non potest aliquid decernere contra statutum Ecclesiæ, intellige in proposito, hoc est in causa fidei, quia etiam Papa potest statuta per Ecclesiam, hoc est Concilium, reformare, vt videbimus in illo articulo, quæ sit maior sententia Papæ, an Concilij. Sed contra Abb. de directo sentit Andre. Barbat. in dicto cap. quod translationem, & adducit tex. in cap. habeo librum 16. distin. qui loquitur per verbum oportet, quod importat necessitatem, vt in cap. cum ab vno, de re iud. in sexto. Sed ille tex. hoc non probat. Adducit etiam dictum cap. Anastasius, ad quod satis respondet Abb. allegat., & beatum Bernardum, quem refert Archid. in cap. non decet. 12. distinct. qui dicit, quod Papa non est dominus Episcoporum, sed est vnus ex eis adducit simile de dicto Euangelij Matt. 19. quod Apostoli cùm Christo sedebunt iudicaturi, xij. Tribus Israel, adducit etiam Act. 15. & 16. & 20. Sed in dictis locis non colligitur, quod solus Papa non possit decidere articulum fidei absque alia congregatione Concilij. Sed pro ista eius opinione multum stringit tex. in capitulo vbiuam legistis, 96. distin. ibi in quibus de fide tractatum est, quæ vniuersalis est, quæ omnium communis est, &c. Vndè in hac
14 quæstione potest dici, quod aut quæritur vtrùm Papa possit se intromittere sine Concilio de causa fidei. Et sine dubio dicendum est quod sic, quia & inferior à Papa potest se intromittere declarando rudibus, vt in capitulo secundo 80. distinctio, sic enim, & capitula cathedralium Ecclesiarum Sede vacante possunt procedere contra hæreticos, vt in capit. ad abolendam, de hæret. & declarare ipsos errare in fide. Aut quæritur, vtrùm Papa solus circa dubium exortum circa articulos fidei, possit sine Concilio decidere, nec teneatur requirere nec congregare Concilium. Et iste articu-
15 lus dependet ab illo arduo dubio, vtrùm Papa possit facere nouos articulos fidei solus. De qua materia in cap. cum Christus, de hær. & in cap. Canon. 15. dist. & in cap. hoc autem 19. dist. Et videtur quod circa dubia non decisa sit propria potestas Papæ decidere, 24. qu. 1. hæc est fides, & cap. quotiens, sed si aliàs per Concilia, & Pontifices essent decisa, non posset sine Concilio, & ita procedit, cap. Anastasius, & quod dicitur in cap. 15. sicut. distin-

stin-

stinctio. Et de isto articulo aliàs alibi latiùs dicetur. Credo tamen quòd tutiùs esset, quod non solus sine Cardinalibus, & alijs Theologis decideret noua dubia, & tantò meliùs si cum Concilio. Aut quæri-
16 tur vtrùm causa articuli fidei nouiter emergens sit sufficiens ad congregandum Concilium. Et dico quod sic, & isto modo pro maiori parte reperiuntur congregata Concilia. An autem si ipse Papa nollet congregare tunc Concilium nec decidere dubium, possit per se Concilium congregari, dicerem salua determinatione Romanæ Ecclesiæ quod si propter exortum dubium fidei generatur scandalum in fideles, vt quia fortè propter contrarias sententias exorirentur inimicitiæ, & bella inter fideles, Concilium posset congregari, per eos, ad quos spectat post Papam, & per modos supra dictos in illo articulo ad quem spectat congregare Concilium, & hoc per dicta in sæpiùs allegato, cap. si Papa 40. dist. Vtrùm autem esset sufficiens causa tunc ad procedendum contra Papam detrectantem congregare Concilium, quasi fecerit se suspectum, quod voluisset nutrire huiusmodi discordias, crederem quòd non, sed crederem, quòd essent seruanda illa, quæ dicuntur, quando Papa dicitur incorrigi-
17 bilis criminosus. Tertius casus quem ponit idem Episcopus est in materia nutriente schisma præsertim inueteratum, ne populus Christianus sit in diuisione, allegat quæ habentur in capitulo vbi sana, & capit.
18 schisma, 24. quæst. 1. & tex. in cap. teneamus, 1. quæst. 1. Quartus casus est, quando notoriè, est graue crimen, ex quo multum scandalizatur Ecclesia data incorrigibilitate ipsius Papæ propter quod dicit, quod posset deponi. allegat. gloss. in dicto cap. si Papa. Quintus casus est in factis in qui-
19 bus contingit turbari vniuersalem statum Ecclesiæ, & periculari Ecclesiam, quod est graue delictum etiam in Papa, quod dicit non esse sustinendum à clero, quia etiam si Papa de hoc se corrigeret, dicit quod posset deponi à Concilio, allegat dictum cap. si Papa. Sextus casus est vbicumque
20 Papa reperiretur à fide deuius, vt in dicto cap. si Papa. Septimus, casus est, vbi induceretur nouus ritus prorsùs diuersus à ritu
21 antiquo, in quo nutritus est populus Christianus, quia vt dicit, etiam isto casu debet congregari Concilium generale, quod vt etiam dicit super hoc habet potestatem, quia est graue crimen, & sapit hæresim. Nàm super hoc Paulus reprehendit Petrum, vt notatur in cap. Paulus, 2. quæst. 7. Et ita refert tenere, dictos Anton. & Methesillanum in d. tract. Licèt ergo non repperiam in meo libro, ità simpliciter positum, nisi fortè, loqueretur in casu illius schismatis antiquati. Inducit tamen idem Episco-
22 pus prædicta ad decretum Concilij Constantiens. in principio ipsius, quod ponit tantùm tres, casus, in quibus debet congregari Concilium contra Papam, videlicèt in ijs, quæ pertinent ad fidem, in spectantibus ad extirpationem schismatis, & in spectantibus ad reformationem, Ecclesiæ in capite, & membris, & dicit quod virtualiter omnes dicti septem casus includuntur implicitè in illis tribus, casibus immò aliqui expressè, vt in ijs quæ pertinent ad fidem includitur secundùs casus supra positus, & sextus, & septimus. Item secundùs casus positus per Concilium Constantiense videlicèt in ijs, quæ pertinent ad extirpationem schismatis, ponitur in primo, & tertio casu supra posito, & sic tres primi casus, & duo vltimi manifestè includuntur in primis duobus, casibus positis in ipso decreto Concilij Constantiens. Quartus casus quando notoriè est graue crimen, ex quo multum scandalizatur, Ecclesia, & quintus casus, in factis in quibus contingit turbari vniuersalem statum Ecclesiæ, & periclitari Ecclesiam, manifestè includuntur in tertio casu ipsius decreti Concilij Constantiens. scilicet in ijs, quæ pertinent ad reformationem ipsius Ecclesiæ in capite, & membris, nam quartus casus comprehenditur sub reformatione capitis, & quintus sub reformatione membrorum, vt ipse dicit patere cuilibet intuenti. Et si dicatur quod magis latè, & extensiuè de hoc loquitur dictum decretum Concilij in tertio suo casu reformationis in capite, & in membris, quia videtur comprehendere non solùm prædictum quartum, & quintum casum, sed etiam quod non data incorrigibilitate Papæ possit Concilium reformare caput. Respondet verum esse, quod potest, reformare, sed non deponere nisi data incorrigibilitate. Et quantùm ad dispositionem dicti decreti, dicit quòd præfati Doctores, scilicet Anton. & Methesillanus, dicunt quod debet dari incorrigibilitas, vt ipsi præsupponunt in quarto casu. Item ad illud etiam, quod potest allegari per prędictum decretum Constantiense generaliter, & indistinctè, quod Concilium habeat potestatem reformandi membra etiam in casibus, in quibus non contingit vniuersalem statum Ecclesiæ perturbari, & Ecclesiam periclitari, respondet quòd secundùm tempora ipsius, decreti, & ea, quæ tunc occurrerunt propter illud schisma indubitanter propter malam vitam illorum qui erant in Ecclesia pro maiori parte perturbabatur vniuersalis status Ecclesiæ, & periclitabatur Ecclesia, attentis infinitis guerris, & infinitis alijs malis, & scandalis, quæ tunc vigebant maximè in viris Ecclesiasticis, & per consequens reformatio membrorum videbatur necessariò facienda per Concilium generale. Adducit cap. nemo. 83. dist. & cap. qualis, 8. quæst. 1. Vndè infert Concilium generale habere potestatem reformandi in capite, & in membris iuxtà decretum dicti Concilij. Vel aliter respondendo videtur fateri, quod concilium etiam cessante incorrigibilitate Papæ possit congregari pro reformatione in capite, & membris, & adducit Cardinalem Florent. in tractatu schismatis, cum dicit quod illud, quod dicitur quod Papa ha-
23 bet plenitudinem potestatis, debet intelligi non solus sed tamquàm, caput vniuersalis Ecclesiæ, ita quod ipsa potestas est in ipsa Ecclesia tamquàm in fundamento, sed in Papa tamquàm in principali ministro

stro, per quem hæc potestas exerceatur, ità tamen quod præcedat clauis discretionis, vt ponit Innocen. in cap. quanto de iuresiuran. Et quod potestas sit in ipsa Ecclesia, adducit tex. in cap. legimus, 93. dist. vbi dicitur quod orbis maior est vrbe, & tex.
34 in cap. ita dominus, 19. dist. Et ex his infert, quod potestatis plenitudo est in Papa modò non erret, si tamen errat debet corrigi per concilium generale, apud quod est plenitudo potestatis tamquàm in fundamento, & secundùm Cardinalem, vt ipse refert, non potest Papa per suas constitutiones alio modo facere resistentiam, quia hoc esset subuertere vniuersalem statum Ecclesiæ, quod non potest, vt in cap. proposuit de concess. præben. vbi notatur. Et hoc dicit Cardinalis in d. tr. in q. 45. qui allegat etiam Inn. in c. quod super deuoto. Item ponit quòd dicit Cardinalis in alia quæstione, quod potestas Concilij est à Deo, intantum quod vniuersitas Ecclesiæ non potest transferre potestatem in Papam sic, vt desinat esse penès ipsam, quia esset contra ius diuinum, & exempla sanctorum Patrum. Quod dicit Cardinalis in dicto tractatu, in qu. 48. Vbi etiam dicit quod Concilium generale est super ius positiuum, cum habeat plenitudinem potestatis.

Et ex his dictus Episcopus infert plures conclusiones prima est quod plenitudo potestatis, sit in ipsa Ecclesia, siue in vniuersali Ecclesia tamquam in fundamento, secunda quod potestas Concilij est à Deo, tertia quod potestatis plenitudo est in ipso Papa, modò non erret, si tamen errat quod huiusmodi errores corriget Concilium, quarta quod congregatio Concilij potest, & debet iudicare difficilia, quinta quod generale Concilium non subijcitur iuri positiuo. Et ex præmissis dicit probari, & iustificari dictos tres casus, qui sunt positi in Concilio Constantiensi, maximè de reformatione in capite, & in membris, quia si Concilium potest corrigere errores Papæ ergo ipsum Papam reformare, & si Concilium iudicat difficilia, ergo potest reformare membra, Et subdit, quod aliqui Doct. sicut Pet. de Anch. & Petri Pauli de Ancona, & quidam alij quod scripserunt tempore Concilij Constant. tenent quod in causa hæresis schismatis, & in ijs, quæ concernunt vniuersalem reformationem Ecclesię, maior sit auctoritas Concilij quàm Papæ, & quod in his sit potiùs obediendum deliberationi Concilij quàm Papæ ad quod allegant quod notatur 15. dist. cap. sicut, & 50. dist. si Papa, & 2. q. 7. cap. nos si incompetenter, §. item Symmachus, & 19. dist. Anastasius, & 25. qu. 1. sunt quidam,
35 cum duobus sequentibus. Sed ista sic simpliciter dicta per eum, pro nunc non firmo, sed dicam de hoc in illo articulo quis sit maior, Papa an Concilium, & illo ex quibus causis possit Papa deponi. Et non teneo quod plenitudo potestatis non sit in solo Papa, sed in Ecclesia tamquam in fundamento, & in Papa, tamquam in principali Ministro, vt dicit Cardinalis in dicto tractatu schismatis, & alij qui eum sequuntur. Sed in proposito nostro vnum est colligendum, quod sequitur ex suprascripta solutione prima, quod si illud fuit dispositum in Concilio Constantiensi de reformatione in capite, & in membris propter schismata, quæ vigebant tempore illius Concilij, infertur quod illud decretum non erit vniuersale, nec semper poterit congregari Concilium ex illa causa, maximè si Papa sit paratus per seipsum, & se & membra corrigere. Et si rectè inspiciatur, non dicit illud decretum quod Concilium simpliciter, & semper debeat congregari pro reformatione in capite, & in membris, sed quod propter illud fuit congregata Synodus Constantien. & ad schisma, & hæreses sedandum, cùm tunc non esset, qui vellet congregare, & omnia reformare. Et ideò si Papa esset paratus corrigi, & corrigere, reformari, & reformare, fortè ista sola non esset sufficiens causa congregandi Concilium eo letente, & contradicente, ex quo non est incorrigibilis, nec hoc facere detrectat, per notata in dict. cap. si Papa dist. 40. & dist. 17. in pluribus cap. Et vide omnino quod dico infra in illa quæstione quis sit maior Papa an Concilium, & vide quæ dicta sunt supra in qu. ad quem spectet congregare Concilium, in ver, sed pone quod inter duos. Ægidius Bellamera in clem. dudum in princip. in ver. quarto nota, dicit quod quando habemus verum, & indubitatum Papam, ipse habebit congregare Concilium, & iudicare 16. distinct. per totum, sed quando est dubium quis sit Papa, vel quando dicitur factus notorius hæreticus, vel quando est talis causa de qua ipse iudicare non possit, puta causa propria, in qua non possit, sibi ius dicere, vt in rub. & l. 1. ne quis in sua causa ius sibi dicat, vel cum quæritur an sit Papa, vel an sit canonicè electus in Papam, vel an propter hæresim vel renunciationem desierit esse Papa, vt in cap. si duo dist. 79. & in cap. si Papa 40. dist. & in cap. 1. de renunc. in 6. & idem dicit in omnibus similibus casibus, tunc erit sufficiens causa congregandi Concilium, quod poterit congregari, procurante etiam quocumque catholico, etiam sine Papæ voluntate, cum etiam quatuor generalia Concilia non reperiantur congregata ad mandatum Papæ licèt Nuntij Papæ, interfuerint in aliquibus eorumdem, Et sic dicit limitanda iura dist. 17. per totum, & tex. in cap. licèt in fine de elect. De quo etiam vide supra post princ. huius, articuli. Sed ista non sunt sic simpliciter vera, vt patet ex præmissis, quia vbi est Papa, ipse debet priùs requiri vt congreget, vbi autem est dubium, dic vt plenè dictum est in quæstionibus præmissis & adde hic illa, quæ ponuntur infra in illo articulo verum semper Papa in causa fidei teneatur congregare Concilium, vbi ponuntur plures casus propter quos reperiuntur congregata Concilia. Et ad illud quod dicitur, quod congregatur tunc Concilium sine Papa vide in quæst. ad quem spectet congregare Concilium, quæ dicta sunt supra in pluribus articulis, & si debet priùs requiri quando est tractandum

dum de facto Papæ si non detrectat congregare. Item potest congregari Concilium, quando Cardinales non possent concordari in electione Papæ, vt in clement. ne Romani, & dixi supra in quæstione quis congregare habeat Concilium in primo, & tertio membro. Et quod supra dicitur intelligitur, quando potest congregari, etiam contra voluntatem Papæ, quia quando per Papam, & de eius voluntate congregandũ est, plures causæ recitantur infrà in quæst. quando Papa in causa fidei teneatur congregare Concilium. Quandoque enim congregantur Concilia non directè contra Papam, & tunc congregabitur Concilium propter sedandam hæresim. Vnde Theodosius Imperator mandato dato, vt Episcopi conuenirent ad congregandum Concilium Ephesinum, inquit quia Leo Papa cogitabat non esse tutum absque sancta Synodo, & vbique sanctarum Ecclesiarum præsulibus huiusmodi quęstionem de fide enodare, necessarium duximus vestram conuenire fraternitatem. Et ex causa fidei quatuor principalia Concilia reperiuntur congregata, vt in cap. canones 15. dist. & in cap. 6. dist. 16. Et in Concilio Agathonis, & Concilio Martini, & ferè in omnibus Concilijs ad extirpandam hæresim reperitur facta Synodalis congregatio. Et vide in cap. Anastasius dist. 19. in glos. vbi di-
26 citur, quod vbi agitur de fide, Papa debet requirere consilium Episcoporum. Quod intellige quando quæstio fidei non fuisset per Ecclesiam priùs determinata, & definita, & propter difficultatem non posset per eum, & collegium Cardinalium definiri. Vide text. de hoc in cap. de quibus causis dist. 28. & vide Cardin. de Turrecrem. in tract. de potestate Papæ, in fine, vbi à cap. 24. vsque in finem operis narrantur hæreses
27 damnatæ per Concilia. Sed quæro vtrùm semper Papa in causa fidei teneatur congregare Concilium generale? Videtur quod non, quia vt dicit text. in capitulo maiores, de baptis. quæstiones maiores, maximè dei ad sedem Petri sunt referendæ, capitulo quotiens 24. quæstione prima, & sic ad Papam, & Romana Ecclesia dicitur magistra fidei 22. distinctio. capit. omnes. Facit Capitulum hæc est fides 24. quæst. 1. glos. in capitulo in istis, quarta distinctio, capit. ipsi, & cap. nemo 9. quæst. tertia 24. quæst. quarta, sicut. Sanctus Thom. in secunda secundæ, quæst. 1. artic. 10. Sed glos. in cap. Anastasius 19. distinct. videtur velle, quod teneatur congregare Concilium. Sed dic quod illa glos. intelligitur, vt supra dixi, quando esset maximum dubium, & tale quod non posset per Papam, & Cardinales definiri, vel vbi Papa vellet aliquid decidere contra aliàs statuta per Ecclesiam circa fidem, quia tunc tenetur congregare Concilium, & procedit, d. glo. in cap. Anastasius. Vide Alexand. in capitulo sicut 15. distinctio. & in dicto capitulo Anastasius, & ponit Abb. in dicto capit. maiores de Bapt. Et de isto articulo vide quod latè dico infra post quæstionem, vtrũ Concilium possit tollere constitutionem Papæ, & in alia quæstione propria, vtrùm Papa in causa fidei teneatur semper congregare Concilium, in ver. etiam per hoc infertur.

29 Item reperiuntur congregata Concilia pro sedandis discordijs, inter Principes Christianos, & ad reducendum eos ad pacem; est enim officium Dominorum Cardinalium semper suadere Domino nostro Papæ, vt ponat pacem, & quietem inter Principes Christianos, vt notatur in capitulo nouit de iudicijs. Item, & pro reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris, & ad extirpandas hæreses, errores, & schismata. Ita legitur in gestis Concilij Constantien. in princ. & decima, & decimaquinta sessione, reperitur relatum, in capitulo sanè, vltra causam hæresum, & extirpationem errorum, & reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris, additur regum, & regnorum, cæterorumque Christianorum, ad inuicem auctore discordiarum procurante diffidentium, pacificatio. Item legi in quibusdam literis fel. rec. Sixti Quarti responsiuis Oratoribus Regis Franciæ, in fauorem Laurentij Medices missis pro pace à Papa impetranda, & inter cętera etiam dicentibus Concilium debere congregari, quod propter illa tria, Concilia poterant peti, congregari, & debebant, & respondebat ad ipsorum petitionem, quod quoad hæreses, & discordias, tunc non vigebant, & quoad reformationem, quando tempus adesset procuraret Concilium congregari, vt posset se, & alios reformare.

Congregantur igitur Concilia etiam ad correctionem excessuum, vt in cap. non oportet. 18. distin. notat Domini in cap. peruenit. eadem distinct. & in cap. 1. & cap. de Eulogijs, eadem distinct. & in cap. sicut olim de accusat. vbi Aretinus. Et licèt illa iura loquantur in inferioribus Cõcilijs, tamen ad eumdem effectum ordinatur generale Concilium secundùm Innoc. in capit. graue. de præben. Item in omnibus casibus, in quibus agitur de rebus arduis vniuersalem Ecclesiam tangentibus, argumento cap. multis 17. dist. & in l. humanum, & quæ ibi Bal. C. de legibus. Item reperiuntur Concilia congregata, vt super tractandis, & disponendis in vniuersali Ecclesia, maturius, & sanius consilium habeatur in emergentibus, quia rectum est consilium, quod plurimorum sententijs roboratur, capit. prudentiam, post princ. de off. deleg. Vnde Ecclesiastici 6. multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum, & Prouerb. 11. vbi multa consilia ibi salus. Vndè, & beatus Cyprianus in epistola ad Stephanum suo, & Concilij nomine inquit ad quædam disponenda, & consilij communis examinatione limitanda, necesse habemus conuenientibus in vnum plurimis Sacerdotibus cogere, & celebrare
30 Concilium. Item reperitur congregatum Concilium cùm Ecclesia habet magnos, & potentes hostes, ac perturbatores. Hac de de causa Gregorius Tertius, Leonem Tertium Imperatorem in Concilio anathematizauit, quia imagines Christi, & gloriosæ Vir-

Virginis Mariæ, & Sanctorum deleri, & incendi fecerat Constantinopoli. Vndè Gregorius congregato Romæ Concilio ferè mille Episcoporum Romam, & Italiam totam ab eius obedientia, & potestate liberauit, & vectigalia interdixit, vt legitur in Chronicis in eius vita, & vide de consecra. dist. 3. relatum. Sic & Gregorius VII. contra Henricum Imperatorem tertium Concilium Romæ congregauit 110. Episcoporum, quia scindere vnitatem Ecclesiæ moliebatur, & cupiditate pecuniarum Episcopatus, & alia beneficia Ecclesiastica per simoniam committebat, eumdemque excommunicauit, & dignitate Regia priuauit, vt in supplemento chronicarum legitur. Sic, & Innocent. Quartus contra Federicum Secundum eidem insidias parantem, Concilium congregauit Lugduni anno 1249. in quo Federicum omnium consensu Imperio, & Regio titulo priuauit, vide in cap. ad Apostolicæ de re iud. in 6.

31 Item reperitur congregatum Concil. propter necessitatem, & persecutionem Ecclesiæ, cùm ipsa indiget Christianorum Principum auxilio, & pro recuperandis ciuitatibus, & dominijs ab infidelibus occupatis, vt legitur fecisse Vrbanum Secundum, qui conuocato Concilio apud Aluerniam expeditionem in Saracenos, & infideles persuasit pro recuperanda Ierosolyma, ibique trecenta hominum millia pro ea expeditione Cruce signauit. Item plures

32 reperiuntur congregata Concilia ad condendos canones cum maiori consilio. Nam licèt Papa sit supra ius vt in cap. proposuit de concess. præben. & ad eum spectet condere canones, vt 25. qu. 1. cap. sunt quidam, & in proce. sexti, & clem. & latè in rubr. de constit. tamen ad meliorem siue maturiorem reformationem fidelium sæpiùs congregata sunt Concilia, vt est videre in infinitis decretalibus in decretis, & in decretalibus, in 6. & in clem. Et hoc vt acceptabiles magis, fierent canones, & maiori cum æquitate, & patientia reciperentur. Item reperiuntur etiam congregata Concilia gratia supernæ reuelationis impetrandæ à Deo, vt legitur act. 1. cap. Item leguntur congregata Concilia ad confirmationem præteritorum Conciliorũ, & canonum, & maiorem fidei firmitatem patet, quia in omnibus ferè Concilijs semper confirmata sunt, & approbata gesta quatuor principalium Conciliorum, vt patet in gestis Concilij Martini, Agathonis Syluestri, & in multis similibus, vt in cap. quoniam distin. 16. Et de præmissis vide Cardin. de Turrecremata, qui ponit plures ex præcedentibus casibus. Item vt voluit Cardi. Florent. in cap. solitæ de maio. & obed. deberet congregari Concilium propter excessus Pontificum, qui de facili pro re minima faciunt, & nutriunt Bellam. Allegat Hostien. in cap. vnico in §. in ve-

35 teri de sacra vnctione, qui dicit, quod spiritualis gladius etiam ex leui causa interdum mouet guerras, & nutrit, & quod non deficiet pestis ista, donec quisque suis terminis sit contentus. Item dicit quod expediens esset congregare Concilium ad regulandam potestatem Papæ, vt non absorberetur potestas aliorum Prælatorum, & fierent canones Conciliares, qui non possent reuocari sine Concilio ad hoc vt daretur occasio celebrandi Concilia. Credo quod non bene dicat, cùm loquitur de regulanda auctoritate Papæ per constitutiones Conciliares, cùm Papæ potestas sit à Deo, & non restringibilis à quoquam, vt sæpiùs dictum est, debet tamen esse ad constructionem. Item quandocumque videtur Romano Pontifici potest congregari Concilium, & ex quacumque causa voluerit, quia istud est proprium Romani Pontificis, vt dicit Beatus Th. in secunda secundæ. qu. 1. art. 10. & dist. 17. per totam. Et causa, quam Princeps habet pro vera, semper est

36 legitima, & vbi non apparet causa, præsumitur in Papa, vt in c. quæ in Ecclesiarum cum materia de constit. Vnde Gregor. VII. congregauit Concilium apud Lateranum ad reformandum mores Sacerdotum, & Principum, qui Ecclesiam opprimere, & confundere non verebantur propria ducti cupiditate, vt patet in registro eius in primo libro cap. 44. scribens, Sycardo Aquileien. Episcopo. Et iterum aliud congregauit, pro reformandis moribus vt in 2. li. cap. 1. Item quia vt dictum est Concilia debent congregari ad correctionem excessuum, vt dicit Domin. in cap. peruenit, & alij, & in cap. non oportet distinct. 18. ideò maximè aduertendum existimarem ad publicos concubinarios, & præsertim clericos, quorum hodie ob impunitatem nimis excreuit numerus, non sine magno pusillorum scandalo, & bonorum dolore. Cùm enim per iura Pontificia interdictus sit laicis concubinatus, vt in cap. dicat, & cap. nemò, & cap. meretrices, & cap. in eodem 32. q. 4. cum similibus multò magis intelligitur, & est clericis prohibitus. Dicit enim Beatus Thomas in quarto sententia. dist. 33. artic. tertio quod habere con-

33 cubinam est contra legem naturæ, & peccatum mortale, & Ioannes Andreas in regula sine culpa, in mercu. & Abb. in cap. vt clericorum de vita, & honest. Cleric. Quod si ita est in simplici concubinatu,

38 quantò magis in sacrilegio. Et quando clericus est notorius concubinarius, est suspensus, quoad se, quo & ad alios, vt in cap. vestra de coha. cle. & mulie. & maximè vbi fornicatio est diuturna, notoria, & scandalosa, vt dicitur in cap. quàm sit de excess. Præl. De quo vide latè per Abb. in cap. at si clerici in princip. de iudic. Et à talibus iura prohibent missam audiri, vt in capit. nullus, & in capit. præter. hoc 32. distin. Immò, & tales prohibentur promoueri etiam ad minores ordines, vt 33. dist. capit. primo, & cap. laici, & dict. regul. sine culba. Fornicator, enim, & auarus vterque est idolatra, vt in capit. idolatria 28. quæst. prima, & Apostolus ad Ephesios 5. hoc autem scitote, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habebit hæreditatem in regno Christi, & Dei, igitur ratione scandali, quod generatur in Ecclesia, vt non perducat plebem ad infidelitatis erro-

rem,

rem, cùm videt contemptum religionis in clericis, & Prælatis, prouidendum esset. Et hæc pestis propter nimiam contagionem indiget ferro ignito capitulo ecce 24. quæstione tertia. Scabiosa enim ouis à cautis est repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, & intereant, vt in capitulo resecandæ eadem causa, & quæ-
39 stio. Et adeò abominabilis est clericus notorius concubinarius, vt antiqui voluerint ipsum effici irregularem. De quo vide in cap. sicut, & cap. vestra de coha. cle. Immol. in cap. 1. de iud. 5. columna. De his enim text. inquit, ferro abscindenda sunt vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam, vt in cap. plurimos 82. dist. & simile dictum vide in cap. in canonibus 16. quæst. 1. Vnde dicitur etiam tales
40 ipso facto priuatos esse trium mensium spatio fructibus beneficiorum, conuertendis in fabricam Ecclesiæ, & si moniti non desistunt, vult tales priuari omnibus beneficijs, & dignitatibus, & ad ea, & eas inhabiles esse, Et intelligo publicum concubinarium non solùm eum, qui per sententiam, & confessionem seu rei euidentiam est notorius, sed etiam, qui suspectam, & infamatam de incontinentia mulierum tenet, prohibetur etiam Prælatis nec occasione pecuniarij quæstus aliquos tolerant, pœnam dupli ei imponendo, qui pro pecunia eos tolerauit, nec filios ex tali concubinatu procreatos apud patres habitare
41 permittit. Item causa vrgens est etiam ad extirpandam simoniam, vt Concilium per Papam congregetur. Vnde dicit Beatus Gregorius in registro lib. 9. cap. 49 da operam, vt synodus ad eradendam ipsam hæresim congregari possit loquens de ijs, qui manus polluunt ex ordinationibus cupiditatis, auaritię ducti, vbi etiam maxi-
42 mè detestatur auaritiam, quam diuino testimonio dicit esse idolorum seruitutem, subiungens, quis igitur post hoc locus contra auaritiam tutus esse præualeat, si illi à sacerdotibus aperitur Ecclesia Dei, quomodò ouium septa inuiolata custodiat, qui intrare lupum inuitat, proh nefas manus illicito munere polluit, & alios se benedictione credit erigere, cùm ipse iam sit propria iniquitate substratus, & sua nihilominùs ambitione captiuus. Et aurea verba coutra ementes episcopatus vide in l. si quemquam C. de Episcopis Clericis. Sic & contra vsurarios, contra plebium deuoratores, nouas talias, & collectas imponentes, libertatem eccclesiasticam opprimentes, & Ecclesiarum bona occupantes. Barros, lusores, & blasphemos, & propter alia crimina, pro quibus Papæ videbitur opportunum concilium congregare, vbi, & quando voluerit pro reformandis moribus poterit ipsum congregare, vt supra dictum est.

SVMMARIVM.

1 *Papa effecto inutili ex aliquo accidenti, vel capto ab hostibus, quis succedat in iurisdictione, & in congregando concil. & num. 77.*
Auctoris opinio. num. 28. vbi respondetur ad contraria.
Decidit postea, num. 37. & num. 52.
Collegium cardinalium in quibus succedat hoc casu, & in quibus non, num. 2. & 7.
Et ratio quare cardinales succedant, num. 9. & num. 15.
& num. 15.
3 *Ecclesiam vacare, vel quasi vacare habet quandam similitudinem.*
4 *Mortuus, & inutilis æquiparantur.*
5 *Papa prorsus inutili, papatus dicitur secundùm quid vacare.*
Non tamen possunt Cardinales alium eligere ibidem.
Sed quis hoc casu possit, & an possit, nu. 37. cum pluribus seqq.
6 *Gl. in cap. 1. de schismat. improbatur.*
8 *Cap. vbi periculum, & Clem. ne Rom. de elect. intellectus.*
10 *Papatu vacante, Ecclesia non est sine capite, sed sine administratore, si dicamus Cardinales eo casu non posse administrare.*
11 *Perpetuum reputatur illud, quod ignoratur quanto tempore sit duraturum.*
12 *Sede vacante Cardinales an possit reuocare Legatum de latere, per Papam, & Collegium creatum.*
13 *Capit. si quis pecunia 79. dist. intellectus.*
14 *Cardinales sede vacante non possunt concededere indulgentias vlta eis concessas ex consuetudine.*
16 *Coadiutorem dare est de maioribus ad Sedem Apostolicam deferendis.*
Fallit ibidem.
Et quo casu Cardinales possint hoc facere, num. 18.
Et quem dare debeant, ibidem, & talis quomodo deberet se gerere, ibi, & n. 19. & 28.
17 *Negligentia facit transire facultatem dandi administratorem ad illum, ad quem alids de iure non spectat.*
20 *Episcopo, vel Prælato suspenso, clerici possunt recipere ordines à vicinis Prælatis.*
21 *Metropolitanus dat coadiutorem suffraganeo.*
22 *Imperator si efficeretur omnino inutilis submouebitur.*
Et idem si in peccato aliquo esset incorrigibilis, ibid.
23 *Hostien. in capitulo primo, de schisma, in 6. in quo improbetur.*
24 *Collegium Cardinalium habet maiorem iurisdictionem alijs collegijs.*
Et dicitur senatus, num. 25.
Et an possit restituere ad famam, remissiuè, num. 26.
29 *Episcopus, infirmitate incurabili grauatus non est amouendus, sed ei est dandus coadiutor.*
30 *Cap. 1. ne sede, vacante in 6. intellectus.*
31 *Petri de Anch. opin. in tract. schism. in 6. quæst.*

ARTICVLVS III.

Quid agendum cùm Papa efficitur inutilis, &c.

1 QVid autem si Papa efficeretur furiosus, vel demens, vel inutilis, vel esset captus ab infidelibus: Videtur quòd ista quæstio dependeat ab illo articulo,an hoc casu deuoluatur iurisdictio ad Cardinales. Et de Episcopo capto ab infidelibus hæreticis, vel schismaticis, quòd capitulum succedat est text. in cap. si Episcopus de supp. neglig. prælat. in 6. & hoc considerato videtur,quòd idem multò magis deberet esse in collegio Cardinalium. Bar. in l. vbi absunt ff. de tut. & curat. datis ab ijs, vult, quòd vacante Papatu sicut Episcopo capitulum, sic succedant Cardinales in iurisdictione, & ad hoc allegat Innoc. in cap. ijs, quæ de maior. & obed. ad idem est glos. in cap. nullus 79. distinct. & Hostien. in cap. cùm ex eod. de pœnit. & rem. & Bald. in d. l. vbi absunt, Breuiter dic, quòd opinio contraria est vera hodie per cap. vbi periculum, §. ijdem quoque, & per Clem. 1. §. irritum de elect. vbi
2 glos. & Doct. tenent contrarium,quòd collegium Cardinalium tantùm succedat in iurisdictione in ijs,quę tendunt ad celeriorem expeditionem electionis futuri Pastoris,

ris, & in ijs, in quibus esset necessitas vrgens, vel aliquod grande, & imminens periculum, alioquin de alijs, quæ sunt Papæ reseruata, sede vacante non possunt se intromittere. Et ita glos. disputat in cap.1. de schisma. in 6. quæ multa adducit pro collegio Cardinalium. Vnde de prouisionibus non se intromittunt, vt dicit ibi glos. de alijs autem arduis, & vbi imminet periculum, & in necessarijs, & vtilibus reipub. Christianæ satis habent iurisdictionem, ita, quòd possent etiam delinquentes anathematizare 79. dist. cap. si quis pecunia, vt dicit ibi glos. quòd & tenet Bettachi, in tractatu de Episcopo, quarta parte qu.16. vide Alex. de Immol. in d.l. vbi absunt, vbi bene ponit, & August. de Ancona in 3.qu. in 8.&9.art. Et istud est clarum sede per renunciationem vacante, vel per obitum. Sed in proposito est maior difficultas, quia sedes non dicitur vacare, si Papa efficiatur furiosus, vel sit captus ab hæreticis, vel schismaticis, vel infidelibus. Verum est, quòd glos. in d. cap.1. de schism. tenet esse idem, siue Ecclesia vacet, siue dicatur quasi vacare, puta si Papa esset schismaticus, & text. in d. cap. si Episcopus, videtur ista æquiparare, dum dicit: ac si sedes per mortem vacaret, quem text. dicit Petrus de Ancha. procedere etiam si sit captus ab hostibus, vel à latronibus, seu piratis. Ex
3 quo videtur, quòd sit quædam similitudo, siue Ecclesia vacet per mortem, siue dicatur quasi vacare, eo quòd superior est impeditus, & maximè quando esset inutilis, quia Ecclesia dicitur viduata, & vacare, siue Prælatus, sit mortuus, siue factus inutilis, vt in cap. inter corporalia de transf. Prælat. & mulier ita dicitur vidua si habeat virum inutilem, sicut quando vir est mortuus, vt dicit glos. in l. fin. C. de plagiarijs. Et in similibus pulchra adducit Iason. in l. fin. ff. de offic. eius cui man. est
4 iurisd. Et æquiparantur, mortuus, & inutilis, vt d. cap. inter corporalia. Ex quibus videretur, ex quo Cardinales in iurisdictionalibus non possunt se intromittere in administrando, quę sunt reseruata Papę, quòd tunc deberet congregari Concilium, vel quòd Cardinales deberent procedere ad alterius electionem, maximè quando est inutilis, quo casu Ecclesia dicitur viduata, & vacare; sed ad electionem procedere non possunt, quia altero viuente reperirentur duo capita in Ecclesia; contra, cap. quoniam in plerisque, de offic. ord. ideo videtur, quòd debeat congregari Concilium. Et si possent procedere ad electionem, deberent vacare acceleratæ electioni, & non succederent in administratione Papatus, vt d. §. ijdem quoque. Nec aliquo modo videntur posse procedere ad electionem ex alia vacatione, quàm mortis, vel renunciationis, vt dictum est. Facit in proposito, quòd dicit Abb. in cap. ad petitionem de accus. & in cap. licèt de elect. quòd licèt Cardinales habeant eligere Papam, quando Papatus vacat per mortem, vel renunciationem, secus si per priuationem, quia in hoc sunt seruanda iura antiqua videlicet, cap. si duo 79. dist. quæ non reperiuntur reuocata, & ideo sunt seruanda, vt in elèct. ne Romani in princ. & sic quòd tunc pertineat ad Concilium, ex quo est congregatum. Et ita dicit fuisse obiectum in Concilio Pisano, licèt postea fuerit concordatum, quòd pro illa vice transferret potestatem in Collegium Cardinalium, qui postmodum elegerunt proprio, & Concilij nomine, de quo quid iuris di-
5 cetur infra. Ex quo patet, quòd licèt quando Papa est omnino inutilis, secundùm quid dicatur Papatus vacare, vt in d. cap. inter corporalia non tamen dicitur sic vacare, vt per hoc Cardinales possint procedere ad alterius electionem; ad quam solùm possunt procedere, quando per cessionem, vel mortem vacat; & in illis terminis loquuntur iura cap. in nomine Domini, & cap. vbi periculum, & cap. licèt, & Clem. ne Romani, de electione loquentia. Vnde idem videtur dicendum in proposito, ex quo non sumus in casu, in quo Cardinales succedant, nec debeant procedere ad electionem alterius, ne deficiat prouisio, quòd consulatur, & congregaretur Concilium. Nec videtur in proposito, vera glos. in d.
6 cap. si. de schisma. quia vt dicit, Dom. in cap. si Apostolica de præben. in 6. in 1. q. ille text. qui loquitur quando vacat sedes, non habet locum quando est quasi vacans, puta quia Papa est captus à schismaticis. Et licèt ratio, quæ ibi assignatur, quæ dicitur fuisse Ioan. And. non videatur bona per §. sane in Clem. ne Romani de elect. & conclusio, Hostien. in cap. dura ibi allegato, videatur etiam concludere in contrarium, dictum tamen est in se verum. Ex quo apparet quòd illud, quòd dicitur de sede vacante in d. §. ijdem quoque, & in Clem. ne Romani, non habet locum, nec potest trahi ad sedem quasi vacantem, & sic multominùs Cardinales possunt procedere ad electionem, quando est Ecclesia, quasi vacans, & minùs succedunt in iurisdictione, præterquam in casu d. cap. vbi periculum in §. ijdem quoque. Facit etiam in proposito; quia captus, & furiosus possunt redire ad priora, ex quo omnia recuperarent, l. succurritur, cùm seqq. & l. ab hostibus ff. ex quibus causis man. l. fin. C. sententiam passis. Facit etiam, quòd dicitur in cap. si Episcopus de Parroc. & c.1. de præscript. 7.qu.1. cap. pastoralis, & in §. ab hostibus institut. quibus mod. ius Pap. pot. sol. & ff. de capt. & postliminio reuer. per totum 16.qu.3. prima, actione 34.q.2. cùm per bellicam. Vnde tàm in omnino inutili, quàm in capto ab hostibus, & in furioso non possunt Cardinales procedere ad aliam electionem, nec isto respectu Ecclesia dicitur propriè vacare. Et pro hoc facit quæstio posita per Bald. in cap. licèt de elect. cùm ponit. de Papa oppresso tempestate maris, ita quòd euadere non potest; vbi vult, quòd interim Cardinales non possunt procedere ad electionem. Et de furioso vide, quòd dicit Bar. in l. ergo ff. ex quibus causis ma. Sed profectò si bene
7 consideretur, videtur potiùs dicendum, & est prima quæstio, quòd Cardinales interim administrare habeant, ex quo non possunt

sunt procedere ad eligendum alium,& Con-
cilium non potest in modico tempore con-
gregari, cùm interim non possit negari,
quin Ecclesia Romana sit in periculo; vnde
non immeritò interim Cardinales illo mo-
dico tempore, quo congregabitur Conci-
lium, administrabunt, cùm Concilium non
8 possit statim congregari. Vnde apparet,
quòd nos non sumus in terminis, cap. vbi
periculum, vel Clem. ne Romani, vbi ca-
uetur,quòd Cardinales non possint aliquid
administrare de ijs, quæ pertinent ad Pa-
pam eo viuo, ad hoc, vt sede vacante va-
cent accelerationi electionis, & ne contin-
gat differri electio, quia in casibus præmis-
sis Cardinales non possunt, nec habent pro-
cedere ad electionem,& sic cessat ratio pro-
hibitionis illorum iurium. Et videtur,
quòd sit locus alijs iuribus, & quòd colle-
gium Cardinalium succedat in iurisdictio-
nalibus, sicut alia capitula, d. cap. si Epi-
scopus, & cap. ijs, quæ: & cap.cùm olim,
cùm simil. de maior. & obed. & c.1. eodem
tit. in 6. vbi in omnibus iurisdictionali-
bus, in quibus maximè est vtile, vel necesse
expediri id, de quo agitur, capitulum suc-
cedit, ex quo non reperitur iure prohibi-
tum, vt fuit de mente Innoc. & Hostien. in
cap. ad liberandam de Iudæis; & refert
Panuinus in trac.de potestate capituli sede
vacante in prima parte, in quæstione, an
capitulum sede vacante succedat in omni
iurisdictione. Imò etiam, quòd censeatur
ordinaria eius iurisdictio, vt ponit idem
Panuinus in secunda, qu. principali ibid.
& maximè est verum, vt ipse dicit in dicta
quæstione, an capitulum sede vacante, si in
proximo successor non est futurus. Item
9 facit ratio, quia si Cardinales non succe-
dunt, interea Ecclesia pateretur, maximè
quia, vt dictum est non sic de facili con-
gregatur Concilium, quòd haberet proui-
dere, & videretur, quòd Ecclesia esset sine
10 capite. Et licèt glos. in d. cap.1. de schis-
ma. & Doctores dicant quasi hæreticum
esse dicere, quòd vacante Papatu Ecclesia
sit sine capite, quia semper caput est Chri-
stus, tamen in actu administrandi si vacat,
vel quasi vacat Papatus, si Cardinales non
possunt administrare,& alius non reperitur,
qui succedat, & ad electionem alterius non
potest procedi, Ecclesia esset sine admini-
11 stratore, licèt non sine capite. Et multum
pateretur, quia quòd ignoratur quanto
tempore sit duraturum, habetur pro per-
petuo, vt in l. sufficit. ff. de condit. & de-
monstr. & dicitur in Clem. etsi principalis
de rescript. Et perpetuum dicitur illud,
quòd tolli potest per Diuinum miraculum,
& in cap. fraternitatis, de frigid. & malef.
ponit Anton. in cap. consultationibus in
2. quæsito de cler. ægrotant. Ad tollendum
igitur hanc dubietatem succedant in admi-
nistrando Cardinales, qui sunt capitulum
vniuersalis Ecclesiæ, vt notat Hostien. in
cap. ad liberandam, de Iudæis, & Bald. in
l. cum multa C. de bonis, quæ liber. & pro-
bat text. in Clem. ne Romani de elect. po-
nit Barb. in tract. de præstantia Cardina-
lium in 2. quæst. princ. col. 9. ponit Alex.
in cap. in synodo 63.distinct. & dictum est
supra in illo articulo, qui præferantur in
Concilio quatuor Patriarchæ principales
an Cardinales. Et hoc conuenit disposi-
tioni illius §. ijdem quoque,dum dicit nisi
occurreret necessitas, & nisi aliquod gran-
de, & euidens periculum immineret. Nul-
lum enim potest esse maius periculum
quàm quando Cardinales essent impediti
procedere ad elect. & nullus interim succe-
deret ad administrationem, & nullus esset
in Ecclesia, qui posset exercere iurisdictio-
nem, & Ecclesia staret sine gubernatore, &
posset fortè in fluctibus periclitari, & agi-
tari nimis, licèt non possit perire. Vnde
obuiandum est periculis, 42. dist. quiesca-
mus, de Simon. cap. Matthæus, cap. vbi
periculum de elect. in 6. 1. qu. 1. si quis ne-
que, cùm si. Et clariùs innuitur ex illo tex.
quòd Card. succedant, cùm subdit,vt quia
eos oporteret de aliqua terra Eccl. proui-
dere, vel aliqua eius parte. Vnde si in
parte ratione periculi, multo magis in to-
to, & sic in periculo vniuersali, argumen-
to Auth. multò magis,C. de sacros. Eccles.
& l. quæ de tota ff. de rei ven. Imo, quod
plus est, sede vacante Card. habent supple-
re defectum mortui Papæ, vt probat text.
in cap. si quis pecunia,79.dist. quòd tenuit
Hug. ea ratione,quia durat vniuersitas. Et
licèt hoc fortè non teneretur sede omnino
vacante, quia debent Card. vacare accele-
ratæ electioni; tamen quando Eccl. non
vacat, sed Pastor impeditur, tunc videtur
omnino tenendum, maximè cùm etiam se-
de vacante omnino per mortem, vel resi-
gnationem, quando oportet vacare accele-
ratæ electioni, vbi est necessitas possint iu-
risdictionem exercere, vt dicitur in d. §.
ijdem quoque, & etiam tunc possent reuo-
12 care ex causa legatum de latere per Pa-
pam, & collegium creatum, vt ponit Ioan.
And.in cap.2. de off.leg. in 6. & Host. in c.
cùm ex literis,de in integr. rest. Qui etiam
vult, quòd officium legati de latere non
expiret, licèt literas nondum expediuisset.
Et quod collegium possit reuocare lega-
tum, etiam dicit Archiep. in dict.cap 2.&
dicit Lapus Abbas idē tenuisse Richardum
Cardinalem in cap. vt animarum de const.
in 6. Imò, vt dicitur post Paul. & Io: de
Immo. in Clem. ne Romani,de elect. potest
collegium pro aliquo periculo imminenti
in terris Ecclesiæ creare vnum legatum, &
vbi subest necessitas etiam nolentem secun-
dùm aliquos, vt ponit Barba. in d.Clem.
ne Romani in §.irritum. Et licèt non pos-
sit sine Concilio priuare Cardinalatu no-
lentem ire, tamen aliter mulctare poterit.
Et vt dicit Panuinus in extrauaganti ad
onus in quarta col. ex quo collegium Car-
dinalium seruat opin. Host. & ita sunt in-
terpretati dict.cap. vbi periculum,& Clem.
ne Romani, ab huiusmodi interpretatio-
ne non potest recedi,quamuis Hostien.non
viderit dicta iura. Et si hoc est verum sede
omnino vacante,multò magis quando non
vacat, sed est impeditus Papa. Et si dica-
13 tur quod cap. si quis pecunia, dum dicit
liceat Cardinalibus, & Clericis Deum ti-
mentibus &c. intelligitur de Concilio,
quod constat ex Cardinalibus, & Clericis,
& lai-

& laicis &c. prout diximus aliquando ad intellectum illius text. Respondetur quod quia ille text. est pars capituli in nomine Domini, vbi apparet, quod illo tempore in electione Papæ interueniebant etiam cùm Cardinalibus, Clerus, & populus, intelligi potest de Cardinalibus non conciliariter congregatis, vt possint expellere apostaticum intrusum sine canonica concordi electione, & illum anathematizare, & sic supplere vices Papæ mortui. Et istum intellectum ad illum text. sentit Card. in dict. Clemen. ne Romani, in §. irritum, in 2. oppo. de elect. licet respondendo ad illum text. nòn probari quod Card. succedant in iurisdictione tenendo vices Papę mortui: loquitur tamen quando sedes omnino vacat, & incumbendum est acceleratæ electioni. Et ex hoc etiam potest argui, quod li-
14 cèt aliàs Cardinales sede omninò vacante non possint concedere indulgentias vltra concessas eis ex consuetudine, vt dicit Brix. in suo repertorio, in verbo, indulgentia, fortè hoc casu, quo cessat ratio. §. Ijdem quoque aliter videretur, dicendum, ex quo Ecclesia non dicitur vacare, sed quasi vacare, nec Cardinales habent vacare acceleratæ electioni, sed habent supplere vices Papæ. Quod pro nunc relinquo discutiendum, cùm dare indulgentias, maximè plenarias non sit de ijs, quæ sunt vrgentis necessitatis, vt vult d. §. Ijdem quoque. De quo vide, quæ dico inter in quæst. de potestate Concilij Sede vacante. Et pro nunc credo, quod non, quia solus Papa est assumptus in plenitudinem potestatis, vt in cap. quodcumque 24. quæst. 1. de quo in cap. cùm ex eodem de pœnit. & re, & ad eum tamen spectat dare plenarias
15 indulgentias. Et ad pręmissa quod Cardinales succedant, facit quod dixi supra in illo articulo, ad quem spectet congregare Concilium in tertio casu, secundi membri, vbi dico quod quando imminet necessitas congregandi Concilij, & Papa detrectat, deuoluitur facultas ad Cardinales, & quod illo casu non sit locus. §. Ijdem quoque allegando Cardinalem sancti Eustachij. Ad idem facit text. cap. per venerabilem, qui filij sint legi: dum ponit illud Deutero 17. quod ardua dubia debent per sacerdotes leuitici generis, expediri, quales sunt Cardinales, qui dicuntur sacerdotes leuitici generis, vt dicit ibi text. Ad idem facit quod quando Prælatus sua culpa priuatur, aut suspenditur, vel est in mora, aut in remotis, & cap. tunc ille succedit in iurisdictione, cuius Concilio debuit ipse Prælatus administrare, vt in cap. 1. in §. Cùm verò, & §. Vbi verò ne Sede vacante in 6. Nulla autem potest dici maior mora quàm quando captus est ab infidelibus, vel est furiosus, demens, vel inutilis factus, tales enim reputantur quasi mortui ciuiliter, vt in dict. cap. si Episcopus, & ibi Petrus de Anchar. Constat autem quod ardua Papa consueuit expedire cum consilio Cardinalium 6. quæst. 1. si quis cum militibus, & dicit Ioan. Mo. & alij post eum in cap. super eo, de hære. in 6. Igitur Cardinales succedent, etsi non per se administrantes, saltem dando coadiutorem furioso, vel inutili, & cap. vt in cap. 1. de Clem. ægro. in 6. Qui text. multum facit in proposito,
16 nam vult ille text. quod licèt aliàs causæ dationis coadiutoris Episcopo, vel superioribus Prælatis sint de causis maioribus, & referendis ad Sedem Apostolicam, tamen quando sunt in remotis, propter euitandæ dispendia, succedit capitulum in dando coadiutorem, & sic multò magis viderentur succedere Cardinales, ex quo agitur de maiori dispendio, quàm quando Episcopi sunt, in remotis, propter difficultatem congregandi Concilium, & quia nullum maius dispendium, quàm vbi caret vniuersalis Ecclesia administratore, & quia sumus in casu, in quo non est superior, ad quem possit haberi recursus, vt in cap. significasti, & cap. licèt in fin. de elect. & in §. patet, vers. sed in hoc 3. quæst. 1. Et profectò ille text. in cap. 1. in sua ratione multum vrget. Facit text. in cap. fin. de supplen.
17 negli. Præla. in 6. vbi ratione negligentiæ, & ne detur diuturna vacatio; & propter periculum, deuoluitur datio administratoris ad illum, ad quem aliàs de iure non spectat. Facit etiam text. in cap. venerabilem in vers. numquid de electio. Ad idem facit, quod diximus supra in quæst. quando Cardinales sunt discordes in congregando Concilium, vbi sub dubio, in casu illo dico; quod Cardinales possunt deputare administratorem interea. Vndè sine dubio vi-
18 detur dicendum in proposito, in quo subest magna æquitas, quod isto casu, vt euitetur circuitus, Cardinales possent dare, vel coadiutorem, vel administratorem, vel Vicarium, sicut in simili dicit Cardinal. in cap. licèt in 3. quæst. tract. schismatis de elect. in sexto modo tollendi schisma; quod refero infra in illa quæstione, quando inter duos est contentio de Papatu, si verus Papa non curat, vt tollatur schisma, an poterit ita deponi sicut schismaticus, quod etiam dicit Petrus de Anchar. in tract. de Concil. in 6. quæst. & quod daretur administrator, vel Decanus Cardinalium, vel alius Episcopus Cardinalis, qui in habitu, & præeminentia viueret, vt consueuerat in Cardinalatu, & non assumeret quoquomodo aliqua insignia Pontificatus, ne præstaretur occasio schismatis, vt ibi dixi. Et
19 si dicatur quod collegium Cardinalium non potest deputare Vicarium, vt voluit Paulinus licèt sub dubio, in tract. de potestate capituli circa fin. respondeo, quod ipse loquitur, quando sedes omnino vacat, & est vacandum acceleratæ electioni, & sedes est paruo tempore vacatura, & non quando sedes non vacat, quia Papa viuit, sed est quasi vacans, quia Papa est omnino inutilis. Quinimmò Card. in cap. licèt in 2. quæst. vult, quod collegium Cardinalium Sede vacante posset deputare Vicarium, seù administratorem, quia non potest limitari collegium Cardinalium, sicut alia inferiora collegia: ita dicit in dicto capitulo licèt de electio. Ad idem facit text. & quod ibi dicitur in capitulo eos, in §. Clericis, de tempor. ordinan. vbi quando Prælatus
20 est suspensus, Clerici possunt recipere ordines

dines à vicinis Prælatis. Ad idem facit textus in capitulo fundamenta de elect. in sexto, vbi Cardinales dicuntur coadiutores Papæ, si igitur in vita sunt coadiutores,eo casu, quo est compos mentis, & non inutilis, multò magis, quando est furiosus, vel captus ab hostibus, vel effectus inutilis. Ad idem facit quod Cardinales in facto papatus funguntur Vicemetropolitani, vt in capitulo in nomine Domini: vigesimatertia distinctione sicut; ergo Metropolitanus est iudex in causa, an Episcopus sit canonicè electus, & sicut ad eum fit deuolutio, quando negligit suffraganeus, vt in capitulo ad reprimendam de officio ordinar. & nona quæstione tertia capitulo cùm simus: vide glos. & Doctor. in cap.2. & capitulo, quia diuersitatem de conces.
21 præbend. & ipse dat coadiutorem suffraganeo, vt in cap.pęnit.de Clerico ęgro; pariformiter videtur dicendum in Cardinalibus, qui in facto Papatus, vt dictum est funguntur Vicemetropolitani. Item, ex quo ad eos spectat electio Papæ, similiter videtur, quod ad eos spectare debeat prouidere Ecclesiæ quasi vacanti, dando coadiutorem, vel administratorem, quando est minus, dict.authen. multò magis, maximè cùm de proximo prouisio est necessaria propter periculum Romanæ Ecclesiæ. Ad idem facit, quia in omnibus casibus in quibus ille, penès quem est iurisdictio ipso iure, suspenditur, vel priuatur, vel aliter in exercitio impeditur, iurisdictio eius deuoluitur ad alterum ei magis propinquum. Patet per totum de supplen. neglig. prælа. patet in subdelegato, cap. si is cui, de offic. deleg. in 6. Similiter in defectum vnius ordinarij habetur recursus ad alium. l.vt perfectius. C. de annali excep. Facit quod dicitur in Clemen.1.de foro compet. Et est regulare quod vbicumque ille, ad quem pertinet non potest actum explicare, alius debet surrogari à iure,vel ab homine, vt in l. si longius, ff. de iudic. l. si cùm dotem,ff.solut. matrim. cap.is cui,de elect. in 6. cap. si hæredes, de testam. & authentica hoc amplius.C.de fideicomm. & plura similia, & quæ adducuntur per glos. in cap.1. de schisma in 6.post Hostien.in cap. cùm ex eo de pœnit. & re. Ad idem facit quod dicit Archiep. in cap. si Papa 4. dist. quòd licèt aliàs si Papa est negligens, remissus, & insufficiens Ecclesiæ, non possit deponi, siuè amoueri, vt dicit glos. in verbo insufficiens de renuntiat. in 6. tamen
22 secus esset in Imperatore si efficeretur omnino inutilis, quod etiam ponit ibi Doct. in dict. cap. si Papa, quia Imperator poterit deponi, & etiam pro quocumque peccato, de quo esset incorrigibilis, vt dicit ibi glos. A pari idem videtur dicendum in Papa, quando ex superuenienti ægritudine esset effectus omnino inutilis, ita quod esset omnino stupidus, & sine sensu, quod tunc ne Ecclesia patiatur, saltem Cardinales darent, vel coadiutorem, vel ipsi administrarent, vel vnum deputarent, qui administraret donec congregaretur Concilium ad prouidendum indemnitati Ecclesiæ. Accedit ad præmissa,quod dicit Petrus de Ancha. Consilio 410. incipit viso, & diligenter inspecto, & refert Alex.in cap. per venerabilem in §. Quod autem, in 27. Char. qui filij sint legit. quod vbi est schisma in Ecclesia, ordinarij poterunt exercere illa, quæ sunt reseruata Papæ, & idem dicit de Cardinalibus quod possent administrare, & omnimodam iurisdictionem exercere in reseruatis Papæ, maximè in ijs, in quibus versaretur periculum animarum ex dilatione, quia necessitas non habet legem cap. quando de consue. cum
23 simil. Et licèt dictum Hostien. in cap.1. de schisma in 6. videlicet quod, vbi deficit Papa de iure, vel de facto, papalis iurisdictio deuoluitur ad Cardinales, quia non est verisimile, quòd Deus voluerit gregem suũ sine Rectore relinquere, improbetur in casu vocationis per mortem propter verisimilem breuem vacationem, vt dicto cap.1. in fin.& in Clement.ne Romani post glos. in verbo non consonam; tamen sicut in schismate inueterato dicitur quod cessat ratio, sic dicendum videtur in proposito, quando Papa est captus, vel factus furiosus, vel demens. Pro quo faciunt plures casus in quibus, vbi iudex proprius deficit, exercitium iurisdictionis deuoluitur ad alium etenim aliàs incapacem, l.ait prælator, §. si debitorem, ff. de ijs, quæ in frau. cre. l. sed si alius, §. bellissimè, ibi Bart. ff. quod vi, aut clam, l. generali, C. de Tabu. lib.10. l.nullus, ibi glos. C. de Iudæis cap. olim,ibi Abb.de restit.spolia. Vndè multò magis idem dicendum est in proposito. Accedit præterea, quod cùm etiam in proposito cesset ratio dicto cap.vbi periculum, & Clem. ne Romani,per quam prohibentur Cardinales, vti aliqua iurisdictione, vt videlicet vacent acceleratę electioni,poterunt Cardinales prouidere rebus incumbentibus vniuersali Ecclesiæ.Nec dicatur quod Cardinales nullam habeant iurisdictionem per c.vbi periculũ.§.ijdem quoq;& Cle.ne Romani, quia illa iura loquuntur in casu suo, quando oportet Card. vacare acceleratæ electioni, quia vacat Pontificatus per mortem, vel renunciationem, vel simili casu, & non quando superest Papa, licèt inhabilis ad exercendum incumbentia Ecclesiæ
24 vniuersali, quia tunc non videtur dubitandum, quin Collegium Cardinalium habeat amplissimam, & maiorem iurisdictionem cæteris alijs collegijs, ad quæ deuoluitur iurisdictio in morte Prælati, vt in cap. ijs quæ, & dict. cap. cum olim de maior. & obed. cum simil. sicut supra dictum est. Et hoc bene probat, dict. Clem. ne Romani,quando vult quod possint prouidere de Camerario, & summo Pœnitentiario, & §. irritum. Et hoc in effectu vult gloss. in verbo sede vacante in cap. 1. de schisma: in 6. & Doct. ibidem. Etsi benè aduertatur, hoc probat ille text. quia si Papa non prohibuisset collegio restitutionem illorum Cardinalium, arguitur quod aliàs potuissent. Et non dubium quin facultas prouidendi de Camerariatu, & Pęnitentiaria, quæ sunt de maioribus officijs in Ecclesia Dei, potest dici esse iurisdictionis supremæ, propter ea, quæ incumbunt ma-

maiori Pœnitentiario. Facit quod dicitur, in l. imperium, ff. de iurisd. omn. iudic. Item non potest negari, quin Collegium Cardinalium dicatur Senatus, vt dicitur in Clement. secunda, de elect. 16. quæst. 1. cap. Ecclesia habet Senatum, ex quo videtur, quod maiorem habeat iurisdictionem, quàm cætera alia collegia, ad instar Senatus, qui habebat facultatem legis condendæ, vt in §. Senatusconsultum instit. de iure naturali. Facit quod dicit Barbat. in cap. translato circa fin. de constit. Barbarius tamen in Clem. ne Romani, in §. irritum, vult quod ille text. non intelligatur de Collegio Cardinalium videlicèt,
26 cap. Ecclesia. Dicit nihilominus, quod sede vacante Collegium Cardinalium potest restituere ad famam, de quo dictum est supra in articulo de modo sedendi in concilio. Et sic ex præmissis videtur, quod Collegium Cardinalium habeat succedere.
27 Quinimmo si rectè consideretur. §. ijdem quoque, & §. irritum, benè probant, quod Collegium Cardinalium succedit in iurisdictionalibus, ex quo prohibent vti aliqua iurisdictione tantùm in casu quando habet vacare acceleratæ electioni, & etiam illo casu, si imminet aliqua necessitas, concedunt vti iurisdictione, ergo clarè probant ad Cardinales spectare iurisdictionem, sicut in cœteris collegijs dicitur.
28 Non potest negari quin artic. isto sit dubius, propter rationes hinc inde vrgentes, nec reperio bene decisum à Doctoribus. Et considero, quod casus positi in proposito, videlicet quando captus est ab hostibus, vel hæreticis, vel schismaticis, vel est factus demens, vel furiosus, vel propter infirmitatem inutilis, & similes, non sunt casus, qui conueniant in terminis dicti. §. ijdem quoque, & Clem. 2. de elect. quæ loquuntur quando debet procedi ad electionem futuri Pontificis, & res est duratura modico tempore, & Papatus vacat, vel per renunciationem, vel per mortem, vt supra dictum est, quo casu non agitur de tanto periculo, quia agitur de dilatione paruo tempore duratura, & quando nõ imminet necessitas, ne periculum, in proposito autem non inducitur vacatio aliqua, per quam possit procedi ad electionem alterius, quia Papatus non vacat. Nec his casibus potest Papa amoueri, licèt sit factus insufficiens ad Pontificatum, vt dicit Dom. in cap. sedulo, 38. dist. & in effectu Doct. in dict. cap. licèt de elect. & ponit gloss. & Doct. in cap. 1. de renunc. in 6. in verbo sufficiens. Sicut in simili dicitur de
29 Episcopo grauato infirmitate incurabili. quod non debet amoueri ab Episcopatu, sed dandus est ei coadiutor, vt dicit text. & glos. in verbo perpetuo, & Doct. in d. c. 1. in §. 1. de cleric. ęgro. in 6. Vnde non videtur, quod illa iura possint allegari in proposito, nisi in argumentum. Gloss. tamen in dict. cap. 1. de schismat. loquitur Sede vacante, & non ponit istum casum, immo ex suis rationibus innuit in alijs casibus contrarium, multæ enim adducuntur rationes pro Cardinalibus, quibus cum difficultate potest responderi, nec gloss.
30 respondet. text. in cap. 1. ne Sede vacante in 6. quoad deuolutionem iurisdict. parificat ista duo si vacat per mortem, vel per suspensionem, & sic in hoc parificat mortem ciuilem naturali, vt ibi Dom. & Doct. post gloss. in dict. cap. si Episcopus, & in cap. placuit, 16. q. 1. & 2. in gloss. & similiter in cap. susceptum de rescript. eod. tit. Pe-
31 trus de Anchar. in tract. schismatis in 6. quæst. tenet. simpliciter, quod siue Papa efficitur hæreticus, vel schismaticus notoriè, vel demens, vel furiosus, siue captus à schismaticis, hæreticis, vel paganis, vel mente captus, iurisdictio deuoluitur ad Cardinales, qui poterunt, si voluerint, deputare Vicarium, qui administrabit iura Romanæ Ecclesiæ. Item in prouincijs poterunt constituere Præsides, & Rectores. Item ipsi poterunt cognoscere de appellationibus deuolutis ad Papam, & confirmare electiones Prælatorum immediatè subiectorum Papæ, & beneficia reseruata Sedi Apostolicæ conferre, & plura alia consimilia. Et licèt non habeatur expressum in Cardinalib. de deuolutione iurisdictionis, tamen postquam in inferioribus Ecclesijs dictis casibus est expressum à iure, debent dicta iura extendi ad Apostolicam Sedem à maioritate rationis, nam maius est in ea periculum, si careat defensore, vel administratore, quàm in alijs Ecclesijs, vt in cap. vbi periculum de elect. Ita dicit ipse Petrus de Anchar. & idem replicat in suis responsionibus factis in concilio Pisano ad Oratores Regis Franciæ. Et idem etiam replicat in dict. consilio 410. dicens, quod licèt opinio Hostien. videatur bene reprobata per gloss. in cap. 1. de schismat. in 6. in modica vocatione paruo tempore duratura, tamen in duratura longo tempore ęqua videtur opinio Hostien. & quod illud, quod prouisum est in inferioribus Ecclesijs, habeat locum multò magis in Sede Apost. vbi est maius periculum. Ergo in proposito Card. succedunt in plena iurisdict. Sed D. Moder. Aret. in sua Monarch. in 3. q. prin. in tract. de conc. tenet quod in casibus præmissis, & similiter hæresis, & schismatis: non deuoluatur iurisdictio ad Card. sed ad concilium, quod debet cõgregari, & respondet ad contraria. Et primò ad di-
32 ctum cap. vbi periculum, §. ijdem quoque, dum dicitur, quod Collegium Cardinalium habet iurisdictionem Papę in arduis occurrentibus, dicit quod ille text. loquitur in alijs negotijs non concernentibus Papam, vel eius personam, nam in illis, text. ibi dicit contrarium, quia dicit, quod de alio negotio se non intromittant, nisi aliquod grande periculũ occurrat. Ista enim generalitas, & exceptio facta ab ista generalitate quod prouideant Cardinales vbi est grande periculum, non se extendit ad prouisionem faciendam de Papatu, vel persona Papæ, quia de illa fuit specialiter dictum, vt procedant ad electionem, argumento, l. stipulationes commodissimum, & l. doli clausula ff. de verborum oblig. & l. sanctio legum ff. de pœnis. Vndè dicit, quod Cardinales non possunt cognoscere de hæresi Papæ, & de-

clarare ipsum hæreticum, & perdidisse dignitatem, nec possent cognoscere de eius electione, an fuerit Canonica, nec inter duos contendentes de Papatu, vel de aliquo, quem dicerent Apostaticum, quia ista sunt reseruata concilio, vt in cap. si Papa 40. dist. & 79. dist. capitu. si quis pecunia, vbi potestas non datur tantùm Cardinalibus, sed & alijs clericis, & laicis Deum timentibus, & sic omnibus fidelibus, qui nihil aliud sunt, quàm concilium. Idem in cap. si duo ead. 79. dist. & cap. in nomine Domini 23. dist. Et subiungit esse benè notandum text. illum in dict. §. ijdem quoque, quia etiamsi casus esset periculosus, & non esset necessaria multa celeritas, vel opportuna, tunc etiam non haberent talem iurisdictionem. Nec est verum quod istæ disceptationes sint præambulæ ad electionem, licèt foret possibile, quod eis determinatis esset locus electioni. Nec obstat si dicatur quod dispositio, cap. vbi periculum in §. ijdem quoque, est derogatiua iuris communis, non correctiua sine abrogatiua, quia ipsamet lex, quæ dicit, quod Cardinales nullam habeant potestatem, vel iurisdictionem Pontificis Sede vacante excipit, præterquam vbi imminet periculum grauissimum, vel perditio terrarum Ecclesiæ &c. & ideo cum sit derogatiua in illis duobus casibus, videtur posse extẽdi ad alios casus similes ex identitate rationis, per dicta per Bar. in l. si constante in 9. quæst. ff. soluto matri. & probatur per text. in dicta Clement. ne Romani, cùm loquitur quando deficit Camerarius, vel Pœnitentiarius, & derogat. d. legi, ratione magni periculi. Quia respondet quod
33 ll. derogatoriæ non possunt extendi ad casus similes, quando sunt taxatiuæ præsertim in materia odiosa, l. 2. C. de Patribus, qui fili. distrax. Et idem quando non est materia merè fauorabilis, nec merè odiosa, vt est ista, quia tunc lex derogatoria taxatiua non extenditur ad alios casus, ex quo taxatiuè loquitur l. iubemus in fin. C. ad Trebel. Licèt si esset materia omnino fauorabilis, extensio fieret ad casum similem per l. illud. C. de Sacrosanct. Eccles. Vel fieret extensio per aliam legem vt l. ob æs. C. de prædijs minor. & hunc dicit esse casum, dict. Clement. Similiter respondet ad illud, quod Cardinales funguntur iure Metropolitani. Nam illud est verum largo modo, & impropriè, & solùm isto respectu, quod eorum electio habet vim electionis, & confirmationis dict. cap. in nomine Domini 23. dist. & cap. licèt de elect. Ad illud, quod ardua debent expediri per Sacerdotes Leuitici generis, & sic per Cardinales dict. cap. per venerabilem respondet, quod illud procedit quando Papa cum Cardinalibus iudicat. Sed quando Papa non potest, vt in causa Papatus, tunc Sacerdotes Leuitici generis sunt omnes Episcopi, & concilium religiosorum clericorum, qui Episcopi dicuntur Sacerdotes Leuitici generis, quia in ordine sunt pares cum Papa, & dicuntur fratres Papę, cap. quàm graui, de crim. fals. Ideo vult idem Moder. Arct. quod ad concilium deuol-

uatur cognitio in casibus propositis, quia ardua concernentia statum Ecclesiæ vniuersalis & fidei, semper sunt terminata per concilia generalia. Allegat gesta act. 1. vide 15. & 21. cap. & quod ad sedandas hæreses semper sunt congregata concilia, vt 16. & 17. dist. per totum. Et ad iura, quæ habent, quod in collegijs vacante capite potestas deuoluitur ad capitulum, vel maiores post caput, dicit quod fallit in Cardinalibus per dict. §. ijdem quoque, & gloss. in capitu. 1. de schisma. in sexto. Nec obstat, quod ipsi Cardinales creant Papam, quia Pontifex non est solùm Papa ex facto ipsorum Cardinalium, sed etiam ipsius electi in sui electionem consentientis, & ideo Cardinales sine eius consensu non possunt eum deponere, vt in cap. fin. 79.
34 dist. Nam postquam est electus potestas Papæ est à Deo, licèt Cardinales determinent personam. Datur alia responsio per Guglielm. in capit. nullus 79. dist. quam refero in illa quæstione, vtrùm Sede vacante possit Collegium Cardinalium creare alium Cardinalem subsistente necessitate. Ad quod est text. cap. inter corporalia de trans. Prælat. cùm ponit exemplum de Episcopis, qui à Metropolitanis consecrantur, sed non deponuntur, & cum dicit, quod solus Episcopus honorem dare potest, sed non potest solus auferre. Vnde concludit, quod in casibus prædictis, hæresis, schismatis, furiositatis, amentiæ, capturæ à piratis, & similibus, cognitio est concilij, & non Cardinalium, & ideo quod debeat congregare concilium, & sic directè contra Petrum de Ancha. Quam etiam opinionem videtur tenere Card. de Turrecrem. in suo tract. de potestate Papę, cap. 8. in versic. ad octauam rationem. Sed si benè aduertantur Moder. Arct. & Cardin. & eorum rationes procedunt, quando Cardinales vellent iudicare directè de Papa, & de hæresi, vel schismate, & alijs malè gestis per Papam, quæ directè concernerent personam Papæ, & non quando Papa non potest exercere concernentia statum Pontificatus, & imminent casus expediendi, concernentes gubernium ipsius Ecclesiæ, quo casu aliter videtur dicendum. Et verius videtur, quod dicit Petrus de Anchar. Ad quod facit quod dicit Anton. de Butrio in cap. licèt de elect. vbi vult, quod contra Papam quantumcumque electum à
35 duabus partibus, possit obijci exceptio furoris, quia per furorem etiam impeditur matrimonium carnale, & furiosus comparatur bestiæ, argumento, l. sed & si quemcumque, ff. ad l. aquil. Quod intelligit, quando esset furiosus tempore ipsius electionis, & de facili posset furor probari, vt euitetur illud, quod posset esse, quod reduceretur ad sanam mentem. Vnde per hoc videretur dicendum, quod in superuenienti furore aliter esset dicendum, videlicet quod non posset obijci contra Papam ad remouendum eum à Papatu per Cardinales, quia in hoc non succedunt, ad quod text. & quæ ibi dicuntur in cap. dilectus de spons. Et sic ex hoc etiam videtur dicendum, quod in furioso non deuoluatur iurisdictio

acc

nec ad Cardinales, nec ad concilium quando furor superuenisset antequam esset sublata omnis spes redeundi ad sanam mentem. Vbi autem sublata esset omnis spes, tunc etiam non esset procedendum ad electionem alterius secundùm Bald. in d.c. licèt de elect. & infra dicitur, ad quem tunc deuoluitur iurisdictio prouidendi in rebus occurrentib. Ecclesiæ vniuersali. Et idem quod Dominus Antonius videtur tenere Abb. ibi. Ioannes Gerson in tractatu de auferibilitate Papæ in 19. quæst. ponit plures casus, in quibus Concilium poterit procedere ad electionem noui Pontificis. Inter quos primus est, quando Papa esset captus à Saracenis, & esset sublata omnis spes redeundi, vel quando fuisset probatum per testes, quod esset mortuus apud Saracenos, licèt fortè non esset verum, quia tunc Concilium poterit creare nouum Papam, & primus hoc casu videbitur destitutus per concilium. Secundus casus est, quando congregato concilio per Papam, postea Papa esset effectus omninò inutilis propter indispositionem corporalem, vel propter carentiam vsus rationis. Et sic videtur velle, quod his casibus habeat prouidere concilium. Et ibi etiam ponit alios casus, videlicet vbi omnes Cardinales essent mortui vel vbi ipsi non possent facere fidem de electione per eos celebrata, vel vbi subditi non essent præstaturi obedientiam, nisi alteri eligendo, ex quo contingeret sedari schisma, vel vbi iurasset, & vouisset pro sedando schismate cedere, & postea nollet, propter, quod crearetur scandalum in populis, qui crederent non teneri aliquem ad obseruantiam iuramenti, vel voti. Istis casib. dicit procedendum ad electionem alterius Pontificis. Quod est contra illud, quod dictum est supra d. cap. sedulò, & d. cap. licèt & in cap. 1. de renunc. in 6. quia istis casibus Papatus nòn vacat, & non est verum simpliciter, quod concilium succedat ad prouidendum, vt infra dicitur. De quo vide omnino, quæ dico infra in illa quæstione, vtrùm quando Papa est exauthoratus, vel depositus per concilium electio futuri Pontificis spectet ad Cardinales, an ad concilium. Et ibi vide omninò, & in illa quæst. vtrùm Sede vacante succedat concil. in reseruatis Papæ, & in alia, vtrùm possint Sede vac. ex causa imminentis necessitatis Cardinales creare aliquem Cardin. & quid quo ad Concilium. Et in dictis quæstionibus reperiuntur multa, quæ faciunt ad propositum nostrum. Et si electio Papæ à principio fuisset bona, & fuisset receptus, quamdiù non constaret de eius morte, etiam si tempestate maris, vel captiuitatis ita fuisset oppressus, quod nō videretur habenda spes de eo, siue de conualescentia ad sanam mentem, si de alio fieret electio, electio esset nulla secundùm Bald. d. cap. licèt de elect. in 1. quæst. Vnde volendo tenere iurisdictionem deuolui ad Cardinales, sicut dicitur de alijs collegijs, potest responderi ad primam rationem non esse verum, quod tunc tractetur de persona Papæ, vel de causa Papatus, sed de prouidendo indemnitati Romanæ Ecclesiæ, quod text. ibi concedit posse fieri, quia in casibus propositis non loquimur de procedendo ad alterius electionem, & ad decision. si Papatus vacat.

36 Nec est verū, quod §. ijdem quoq; sit lex derogatiua, sed tantùm ponit casū specialem.

37 Breuiter in isto articulo sic concluderem, distinguendo casus, & primò quod interdùm quærimus persona ipsius Papæ, si debet, & per quem amoueri à Papatu, vel procedi ad decernendum locum esse, vel non esse deueniendi ad electionem alterius Pontificis. Et tunc si loquimur in Papa hæretico, vel apostatico, vel schismatico amouendo, diceremus cognitionem esse Concilij, & Concilium esse conuocandum hoc casu, per text. in cap. si duo, iuncta glos. 79. dist. & d. cap. si Papa, & d. cap. si quis pecunia ead. dist. vbi datur facultas Cardinalibus, & clericis, & laicis fidelibus Deum timentibus anathematizare. Quod secundū, quod dicit Moder. Aret. nihil aliud est, quàm concilium, quod constat ex Cardinalib. & alijs Episcopis clericis, & laicis, maximè considerata origine Conciliorum, vbi etiam laici interueniebant cap. in nomine Domini, 23. distinctione, & patet in discursu plurimorum Conciliorum, c. 1. 15. dist. & 63. dist. cap. Adrianus, el 1. & in cap. ad Sedem, 35. quæst. 5. & dixi in discursu quæstionis, qui sint vocandi ad Concilium, & qui possint interesse concilio. Et quod Concilium sit iudex in causa hæresis contra Papam, tenet Archid. 40. dist. si Papa, & Alber. in rub. de hæret. & remissiuè per eum, & Doct. in cap. in fidei, de hæret. in 6. & in cap. proposuit de concess. præbend. per Hostiens. Ioann. Andr. Card. & alios, & in cap. sicut, 2. quæst. 7. & 17. dist. §. hinc etiam, & 15. dist. sicut in glos. & cap. nunc autem, 21. dist. Et ratio est in his casibus, quia directè agitur causa Papatus, & directè signatur persona Papæ, an sit, vel non sit Papa. Et ad congregandum Concilium tunc succedit Collegium Cardinalium, ad quos deuoluitur iurisdictio, quia illi, qui sunt potiores post Papam, illi habent succedere, l. 1. ff. de albo scribend. sicut Archidiaconus supplet vices Episcopi, cap. 1. de offic. Archid. Et istam opinionem posuit Cardinal. Cameracensis in quodam tract. facto tempore schismatis super facto Papatus, tenens isto casu deuolui ad Cardinales iurisdictionem congregandi Concilium, & posuit Barbat. in Clement. ne Romani, & in cap. quod translationem de officio leg. & glos. in cap. nullus, 79. dist. & Felin. in cap. super literis, de rescript. & dixi supra in art. quando inter duos contendentes de Papatu nullus est receptus, sed vnus est in possessione, qui non vult congregare. Succedent igitur isto casu Cardinales in iurisdictione congregandi concilij, & non in determinando casum hæresis, vel schismatis, quia hoc spectabit ad Concilium, vt in d. cap. si duo,

38 79. distinct. Sed si ageretur de hæresi Papæ mortui, tunc successor esset iudex. Ita dicitur in d. cap. in fidei, & ponit Alber. in d. rub. Qui dicit ita fuisse seruatum tempore Clementis Quinti, coram quo impugnabatur de hæresi memoria Bonifacij Octaui,

procurante Rege Franciæ, existentibus accusatoribus Dominis Gulielmo de Nogareno, & Gulielmo Plasiano. Et ibi vide Alber. qui multùm notabiliter ponit, quæ fuerunt allegata, quod Concilium, & non successor deberet iudicare, & inter cætera allegabatur similitudo, quia memoria Nestorij fuerat damnata in Concilio Ephesino; vide eum. De quo vide, quod latiùs pono infra post quæstionem, quando Papa possit deponi, & quod ponit Barbat. in Clem. ne Romani in 87. motiuo, & quod dico in quæstione vtrùm, & quando Papa possit accusari. Et alia ratio quare Concilium est iudex in causa, quando Papa dicitur hæreticus, vel schismaticus, est quia tunc dicitur Ecclesia quasi vacare, vt in cap. 1. de schism. in 6. & in cap. 1. de præscript. Et agitur causa Papatus, & ista cognitio, an sit hæreticus est cognitio tituli Papatus, quia si est hæreticus, perdidit titulum ipso iure, vt ponit Ioann. Andr. in cap. vt commiss. de hæretic. in 6. & patet 18. dist. Anastasius, & in d. cap. si Papa, 40. distinct. Cuius tituli decisio spectat ad Concilium, vt in d. cap. si duo. Et esset procedendum ad electionem alterius, quando esset pertinax, & ideò non potest deputari administrator, quia sumus in terminis, quando postquam est declaratus hæreticus, Ecclesia non potest stare diù vacans, quia est procedendum ad aliam electionem. Et ideò quando agitur de titulo Papatus, dicitur, quod petenti restitutionem obstat exceptio hæresis notoriæ, vt in cap. quo iure, 8. dist. Facit, quod dicitur in cap.
39 ad decimas de restit. spoliat. Cognoscere autem de titulo Papatus est proprium ipsius concilij, vt in cap. si duo, 79. dist. Igitur cessat deuolutio ad Cardinales cognitionis huius articuli, si Papa sit hæreticus, vel non, quia etiam si Papa esset hæreticus notorius, ante sententiam declaratoriam non possunt Cardinales procedere ad alterius electionem, etiam si ad eos eo casu spectaret electio, vt in cap. cùm secundum de hæret. in 6. Ad idem text. in capit. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. De quo videndum in supradicta allegata quæst. quando Papa est depositus, vtrùm Concilium, vel Cardinales habebunt eligere successorem in Papatu, de qua quæstione vide infra. Igitur in hæretico iurisdictio deuoluitur ad concilium quoad cognoscendum de titulo Papatus, sed quoad congregandum concilium succedent Cardinales, qui postquam Papa erit declaratus, & erit procedendum ad nouam electionem, succedent, in eligendo, de quo habetur latiùs in supra allegata quæstione. Et ideò isto casu non erit locus deputandi administratorem. Et idem dicendum de schismate, & apostasia, quæ sonant hæresim, quia congregato concilio per Cardinales, erit procedendum ad declarandum, & amouendum cum concilio, quo amoto erit per ipsos Cardinales procedendum ad electionem alterius, vt disputatur in præalleg. quæst.

40 Si verò loquimur in casu, in quo non agitur causa concernens personam Papæ, & titulum Papatus, sed succedendi in administrando, vt in capto ab hostibus, vel piratis, vel ab infidelibus, vel hæreticis, vel schismaticis, in his casibus dicerem ius administrandi, nec ad Cardinales, nec ad concilium deuolui. Sed si captus ab infidelibus, vel schismaticis, à quo de facili posset inquiri eius voluntas, ipsemet vnum de Collegio Cardinalium voluerit deputare in administratorem, vel Vicarium, hoc facere poterit, quia non amisit dignitatem pontificalem, d. cap. pastoralis, 7. quæst. 1. & cap. prima actione, 16. quæst. 3. Ad hoc moueor per dicta Doct. in d. cap. si Episcopus, vbi volunt, quod in casu illius capituli Episcopus captus iniustè poterit deputare Vicarium, ergo multò magis in casu isto, in quo non est, ad quem possit haberi recursus, vt dicto capit. licèt, de elect. & d. §. patet, 3. quæst. 1. Ipse enim est iudex in causa propria, vt dicitur in cap. cùm venissent, de iud. & in cap. 1. de probat. quando sumus in vno indubitato Papa, licèt secùs sit, quando est dubium quis duorum sit Papa, vt voluit Mathesil. in d. tract. ad Anton. de Butrio, quia tunc, erit iudex Concilium. Interim tamen si non possit de facili haberi eius voluntas, vel propter distantiam, vel propter arctam custodiam, Cardinales ministrabunt in ijs, quæ sunt necessitatis, & in quibus dilatio afferret periculum in Ecclesia, per dicta in §. ijdem quoque, & quæ infra dicuntur. Sic etiam videmus, quod captus à piratis, siue latronibus habetur pro præsente, & potest constituere procuratorem, vt in l. absentem, ff. de verb. sign. ibi glos. Sic & nomine capti ab hostibus datur curator bonis, l. ab hostibus, ff. ex quibus cau. maio. & vide Doct. in cap. accedens de procur. vbi detentus à tyranno, vel à latronibus, constituit procuratorem. Igitur à pari ipse Papa, sic captus posset deputare Vicarium, siue administratorem. Et per hoc patet, quod Bonifacius Octauus, qui fuit captus procurante Rege Franciæ per dictum Gulielmum de Nogareno, qui volebat iustificare capturam tamquam factam de persona hæretici, potuisset constituere administratorem, & Vicarium in Papatu, ex quo non erat manifestus hæreticus, & captura iniusta. vt latè disputat idem Alberi. in rubrica de hæret. Non enim statim, quia captus debet Papatu priuari. Ad quod facit, quod quando Petrus erat captus, & seruabatur in carcere, oratio fiebat sine intermissione pro eo, & non fuit processum ad electionem alterius, vt legitur act. cap. 12. Nec est addenda afflictio afflicto, vt ex parte de cleric. ægrot. Sed si Papa captus nollet, vel non posset deputare Vicarium, vel administratorem, vel non esset spes liberationis eius, nec via redemptionis, ad quam Ecclesia teneretur, argumento eorum, quæ ponit Bartol. in l. quamuis in 3. notabil. ff. solut. matrim. iuncto eo, quod ponit Specul. in titulo de iud. §. vniuersalia, versic. illud, & quod dicitur in authen. contra cum Cod. ad Trebell. ita quod pro hac causa etiam sacra vasa possunt alienari, vt in capit. sacrorum, 12. quæst. 2. & l. sancimus, C. de sacrosancta Ecclesia, cap.

Apo-

Apostolicos, & cap. aurum ead. causa, & quæst. & immobilia secundùm Doct. consil. 14. prima facie, ex quo non est spes redemptionis, nec liberationis, & nollet deputare Vicarium, istis casibus videretur dicendum, quod esset congregandum concilium, & quod vera sit opinio Moder. Aret. quod in hoc casu non deuoluatur iurisdictio, nec administratio ad Cardinales, nec ipsi possint administrare; ergo multò minus in coadiutorem alium deputare, quia nemo dat, quod non habet, cap. quod autem de iurepatron. Ad quod facit in argumen. tex. in cap. primo, §. si autem de cler. ægro. in 6. vbi quando est discordia inter Episcopum, & Capitulum super deputando coadiutore, debet denunciari Sedi Apostolicæ. Sed mihi videtur aduertendum, quod aut agitur de decidendo vtrùm per hoc sit procedendum ad electionem noui Pontificis, & dico, quod talis cognitio erit concilij, & iurisdictio deuoluitur ad concilium, quia agitur tunc causa Papatus, cuius cognitio, vt dictum est, est ipsius concilij, vt d. cap. si duo, 79. dist. Et ita possimus intelligere isto casu opinionem Moderni Aret. esse veram. Aut quærimus de

41 deuolutione iurisdictionis circa gubernium Ecclesiæ, & administrationis rerum spiritualium, & temporalium, maximè earum, quæ non expectant dilationem. Et tunc dicendum est, quod tutiùs sit tenere hoc casu, quòd Cardinales possint deputare vnum administratorem donec concilium generale congregetur. Et ita procedit, quòd dicit Petrus de Anchar. in dicto tract. & in responsionibus per eum factis ad Oratores Regis Franciæ. Vel ipsi interim administrent, quia in hoc, & similibus casibus succedunt in iurisdictionalibus, & hoc propter periculum dilationis, quia antequam Concilium congregetur, Ecclesia vniuersalis multum pateretur in ijs, quę quotidiè occurrunt in administratione Pa-

42 patus. Ratione enim imminentis necessitatis multa conceduntur, quæ aliàs non concederentur, sicut videmus in capitulo primo in fin. ne Sede vacante in 6. quòd Episcopo in remotis agente, cuius consilium esset requirendum, proceditur ad prouidendum eo non expectato idem in cap. 1. post princ. de cler. ægrot. in 6. Similiter Archiepiscopus dat administratorem propter periculum, licèt aliàs ad eum non spectet, quando capitulum est negligens, cap. fin. de supplen. negl. Prælat. in 6. Facit, quod dicitur in cap. si Diaconus 81. distinctione de consecr. distinctione 4. capit. baptismi, de officio Proconsul. l. aliquando, ad legem Cornel. de sicar. l. furem. cum simil. Ad quod vide quod dico in quæstione illa vtrùm Sede vacante Cardinales, & Concilium possint exercere reseruata Papæ, & etiam vide, quod dixi supra in illa quæstione, quando ad Cardinales spectat congregatio concilij, quid agendum, quando Cardinales essent discordes, incipit diximus. Et tunc etiam crederem hoc casu, quòd tantùm vnus de Collegio Cardinalium deberet deputari, per hoc, quod dicitur de Æconomo in cap. cum simus, 6. quęst. 3. & in cap. quia in quibusdam 89. dist. & quod dicitur in cap. 1. de Syndico. Vel, sicut nuper fuit factum post electionem Adriani Sexti in Hispania existentis ante aduentum eius ad Vrbem; possent singulis mensibus tres de Collegio, vnus de quolibet ordine, ministrare simul, videlicet vnus Episcopus, vnus Presbyter, vnus Diaconus. Et hoc quando loquimur in Papa capto ab hostibus, infidelibus, hæreticis, vel à schismaticis, vel piratis. Sed si Papa esset effectus furiosus, & esset deueniendum ad dandum ei curatorem, quantumcumque enim sit supra omnes, tamen etiam videtur posse procedi ad dandum ei curatorem, deberet dari vnus de Cardina-

43 libus. Nam sicut dicit text. licèt lex erubescat filios esse castigatores parentum, vt in authent. de nuptijs §. si verò expectetur. & glos. in cap. cùm ex iniuncto de hæret. & dicit glos. in cap. 1. de cleric. ęgrot. in 6. tamen quando pater est furiosus, lex dat filium in curatorem patri, vt in l. si pater C. de curatore furioso & in l. 2. ff. eod. titu. Et similiter hoc casu, videlicet, quod Cardinales succedant, videtur dicendum, de quo infra latiùs. Sed quo ad dandum curatorem Papæ, qui non habet superiorem, vt in d. cap. licèt, aliter videtur dicendum, & contrarium credo verum, quod non possit dari curator, sed vel coadiutor, vel administrator, & non tam coadiutor, quàm administrator Ecclesiæ Romanæ, cuius officium cessabit cessante furore, vel Papa in furore mortuo, arg. c. grandi de suppl. negl. prælat. in 6. Et in isto casu etiam procedit, quod dicit Petrus de Anchar. vbi supra, & Card. in 3. quæst. in d. c. licèt, in tract. schismatis, dum volunt, quod Cardinales possent deputare administratorem. Et idem, quod in isto casu dicerem, quando esset propter infirmitatem inutilis, scilicet, quod ipsemet posset sibi eligere coadiutorem, & si nollet, vel diceret se sufficientem, tunc dicerem omninò congregandum concilium ratione discordiæ inter eos. Et hoc probat in simili ille text. in cap. 1. in §. si autem de cleric. ægro. in 6. quando dicit, quod consulatur Sedes Apostolica, quando est differentia inter Episcopum, qui dicit se sufficientem, & non egere coadiutore, & capitulum contrarium dicens, & prætendens, & in argum. est, d. cap. si duo, 79. distinct. Et tunc declarato, quod sit locus dandi coadiutorem, quando esset factus taliter inutilis, quod non posset per se administrare, si ipse sibi ipsi voluerit sufficientem dare coadiutorem, poterit, alioquin Cardinales deputabunt administratorem Ecclesiæ per prædicta. Et idem dicerem, quando Papa oppressus esset vi tempestatis, vel quando contingeret aliquis casus, in quo non posset de facili exquiri de voluntate eius, ratione maximæ distantiæ, vel captiuitatis, scilicet, quod medio tempore Collegium Cardinalium succedat in administrando, propter periculum, ne ex dilatione Ecclesia vniuersalis nimis patiatur. Hoc tamen quod dicit Petr. de Anchar. in locis prællegatis de tempore schismatis inter duos contendentes de Papatu, non

sic

sic simpliciter admitterem, vt Cardinales deputarent administratorem, propter periculum maioris schismatis, ne contingeret, quod ille tertius procuraret sic sibi vendicare Pontificatum. Si tamen Cardinales omnes essent concordes, sicut dicitur de via compromissi amplectenda in cap. licèt de elect. & ipsi possent ipsis contendentibus auferre omnem administrationem vsque ad tempus declarationis concilij, isto casu, subsistente maximè necessitate imminentis periculi, credo, quod possent. In

44 capto autem ab hostibus, Doct. in d. cap. si Episcopus, considerat si est in bello iusto, vel iniusto, vel meliùs licito, vel illicito, captus, iuxta dicta in l. hostes, ff. de capti. Quasi consideret an sit factus seruus. Sed hæc consideratio non videtur bona, quia superueniente tempore gratiæ cessat ista seruitus, glos. dist. 1. ius gentium, maximè inter Christianos 12. quæst. 2. cùm redemptor. Bald. in l. 1. in princ. C. de caduc. tolleu. de quo vide dicta in d. l. hostes. Et maximè in Papa, qui non habet superiorem, nec ligatur legibus l. princeps, ff. de legibus, & in Papa, cap. proposuit, de conces. præben. cum simil. Et ideò non videtur bona, consideratio. Dominici, dum vult, quod Episcopus captus ab infidelibus, vel fidelibus, quibus à Papa est, indictum bellum, non possit constituere Vicarium, aliàs secùs si à tyranno, vel alio fideli esset captus. Sed quicquid sit, quod Episcopus aliquando non possit dare Vicarium si est captus, posset esse alia ratio, quia est ad quem potest haberi recursus, vt prouideat de administratore, vt in cap. fin. de supplen. neglig. Prælat. in 6. Secus in Papa, in quo cessat ista ratio, quia non habet superiorem, & contra personam eius quandiu non aberrat à fide Catholica, non potest dici licitum bellum, vt dicit Alber. in dicta rubrica, de hæretic. quando, ponit qu. de Bonifacio Octauo. Et siue Papa sit captus ab infidelibus, siue à fidelibus, siue etiam ab ijs quibus ipsemet Papa bellũ indixisset, siue à piratis, siue à tyrannis, semper videtur eadem ratio, vt ipse possit deputare administratorem, & Vicarium Ecclesiæ Romanæ, qui administrabit, donec procuratur relaxatio. Ad quod facit quod ponit Dom. Anton. in cap. consultationibus in 2. quæst. de cler. ægro, quod capto ab hostibus fidei, & exuli, non datur coadiutor, & idem etiam dicit Calderinus in verbo coadiutor, sed ipsemet per Vicarium suum officium exercebit. Allegat Clementin. 1. de foro compet. & d. cap. fin. Et si apparuerit nullam subesse spem liberationis, & ipse nec vellet, vel non posset deputare Ecclesiæ administratorem, decernet Concilium cum Cardinalibus si est congregatum, esse vel non esse deueniendum ad deputandum administratorem, & isto alio casu procedit opinio Moder. Aretin. Qua deliberatione facta, tunc ipsemet Cardinales deputabunt. Et si Concilium non esset tunc in esse, nec reperiretur congregatum, nec tractaretur de eligendo alium in Papam, & si esset etiam Concilium congregatum, & non ageretur directè causa Papatus, vel de persona Papæ, etiam Cardinales soli deputabunt, per dicta in illa quæstione, quis succedat in electione, quando Papa esset depositus per Concilium, quia Cardinales succedunt, & deputabunt. Et sic procedit opinio Petri de Anchar. & aliorum, qui volunt quod Cardinales deputent.

45 Quid autem vbi esset controuersia inter Papam, & Collegium, vel inter Cardinales, vel vbi non posset resciri voluntas Papæ, vtrùm sit casus, & locus deputandi administratorem, vel coadiutorem, vel non. Eo casu videtur, quod tunc congregabitur Concilium, quod decernet deueniendum ad dandum administratorem, vel coadiutorem, qua declaratione facta Cardinales procedent ad deputandum administratorem Ecclesiæ Romanæ, qui deputabunt vnum, qui administrabit donec saltem Concilium cum Cardinalibus prouiderit de liberatione ipsius Papæ, qui deputatus omnia administrabit cum Cardinalibus, qui deliberabunt etiam, an esset congregandum Concilium. Et si viderunt liberationem Papæ facilem, dicerem quod non ita repente esset congregandum, quia quamdiu esset spes relaxationis, & liberationis, non crederem Concilium congregari debere, ne propter longiorem moram relaxatio ipsius Papæ redderetur difficilior. Vbi autem aliter fieri non posset, congregabitur Concilium, vt agatur de celeriori ipsius relaxatione. Et tunc si ipsemet Papa deputasset administratorem, fortè deberet congregari Concilium per Cardinales cùm consensu etiam ipsius administratoris per eumdem Papam deputati, ad quem aliàs spectaret cura gregis dominici cap. is cui, cum materia de elect. in 6. Et hoc videtur velle Card. in cap. licèt in 2. q. de ele. Qui administrator omnia habebit gerere cum consilio Cardinalium, argumento cap. 1. de schismat. in 6. & capitulo ad Apostolicæ de iudic. eod. lib. & argumento eorum, quæ dicuntur de capitulo, quod Sede vacante non potest facere statutum contrarium Ecclesiæ, vel Prælato, in capitulo cùm omnes de constitutio. & in capitulo sicut de iureran.

46 Si autem loquimur quando Papa est demens effectus, vel mente captus, vel furiosus, tunc, quicquid dixerit Alex in cap. Synodum 17. dist. & Cardin. in tract. de potestate Papæ lib. 3. cap. 8. qui voluerunt quod Cardin. congregabunt Concilium, vt deliberetur, vel de illo amouendo, vel de dando illi coadiutorem, ego dicerem, ex quo ratione dementiæ, vel furoris superuenientis non perdit dignitatem, nec iurisdictionem, quam habebat, vt in l. qui furere ff. de statu homin. l. 1. §. quamuis ff. de postu. de supplen. neglig. Prælat. cap. grandi in 6. ff. de ijs qui sunt sui, vel alie. iur. l. patre furioso, quod immò non posset amoueri. Quod & ponit Dominus Catal. in quibusdam allegationibus factis in Concilio, & text. & ibi dicta in cap. fin. 15. q. 1. & ponit Gaspar de Calderinis, & Abb. in cap. licèt de elect. qui vult quod licèt ante electionem posset obijci similis exceptio, non posset post, sed esset dandus coadiutor

tor per cap. I. de cler. ægro. in 6. Nam furioso, & dementi datur etiam coadiutor, vt dicit Anton. in cap. consultationibus in 6. quæst. de cler. ægro. ibi quia propter infirmitatem senectutis, & dementiæ non dicitur Ecclesia vacare. Et est text. in cap. I. in §. si verò de cler. ægro. in sexto. Qui etiam probat per argumentum de capitulo Ecclesiæ inferioris, ad capitulum Ecclesiæ Romanæ, quod ad Cardinales spectabit dare coadiutorem Papæ, & ideò tunc non esset tractandum de illo amouendo, sed esset per Cardinales dandus illi coadiutor, & administrator Ecclesiæ.

Et istam opinionem, quod hoc casu sit dandus coadiutor, ponendo exemplum, & quæstionem in Imperatore, qui est effectus mente captus, vel inutilis, tenet Bal. in l. non ambigitur ff. de ll. Et idem in Papa tenet Mathesil. in d. tract. ad Anton. de Butrio in quinta charta, vbi dicit quod si Papa efficitur demens aliquo casu, vt prouideatur indemnitati Ecclesiæ non debet occidi, nec Papatu priuari, quia non est addenda afflictio afflicto. l. deuius ff. de officio. præsi. cap. penult. de cler. ægro. 7. q. I. quamuis. Ad quod facit, quod ponit Bal. in titul. de successione feudi, in fine princ.
47 cum dicit quod si consuetudo dicta quod primogenitus succedat in Regno, & primogenitus est à natura demens, secundogenitus erit Rex, si autem ex accidenti efficitur demens, tunc dabitur ei curator, quia in persona eius est iam radicatum ius Regiæ potestatis, allegat. causa grandi de supplen. neglig. prælat. in 6. & Archi. 2. quæst. 5. §. item obijcitur, & de elect. cum inter, in nouella. Ita videtur dicendum in proposito. Sicut etiam dicitur in cap. I. post glos. in verbo insufficientem de renun. in 6. quod Papa non potest deponi propter insufficientiam, & ponit Domi. & ipsemet Alexan. in cap. sedulo 38. dist. Item durum esset, vt dicit Mathesil. quod expectaretur mors naturalis eius, quia posset sic viuere longo tempore, & esset absurdum, quod tunc nullus illo tempore posset exercere spectantia ad solius Papæ officium. Et ideò dicit, quod potestas solius summi Pontificis deuoluetur tunc ad Collegium Cardinalium, & ad illum coadiutorem, qui fuerit ab eis datus Papæ, & quod hæc potestas expirabit superueniente sana mente, argum. l. cum alijs ff. de cura. furiof. & capit. cum cessante de appel. De hoc autem vtrùm ratione furoris possit opponi exceptio contra Papam, & remoueri à Papatu, vide omnino Calder. in repertorio in verbo Papa versic. an contra Papam admittatur exceptio tu es furiosus, vbi vide, & in d. cap. licèt, & quod supra dixi post d. Ant. Et idem quod dicitur de demente, videtur dicendum de illo, qui esset factus omninò inutilis. Quia aut erat omninò inutilis an-
48 tequam esset electus, & tunc poterit amoueri, quia electio non valuerat secundùm d. Anton. & Doct. in d. causa licèt de elect. Et hoc modo procedit opinio Archi. & Domi. in d. cap. si Papa in fin. cum dicunt quod quando est inutilis deponetur. Sed tu dic quod immò ibi Archi. & Domi. loquuntur in Imperatore, qui quando est inutilis siue ante, siue post electionem deponitur, vt 15. quæst. 6. cap. alius, & cap. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. Si verò post electionem Papa esset effectus omninò inutilis, non poterit excipi contra eum de insufficientia nec amoueri, vt dicit glos. in cap. I. in verbo insufficientem de renun. in 6. quia nullo casu potest deponi nisi propter hæresim, vt dicit ibi glos. Et eo casu tamen esset ei dandus coadiutor, vt dicitur de demente. Et intelligo non tantùm de insufficienti, & de inutili secundùm exemplum glos. ibi in d. cap. I. de renun. in 6. videlicet ex defectu literaturæ, vel senectutis, vel infirmitatis, sed etiam de reddito inutili quocumque alio modo post adeptum Papatum, cuius defectus cognitio erit Concilij, quia agitur causa de persona Papæ. Dicerem etiam quod si loquimur de deputando coadiutore, donec aliter congregetur Concilium, hæc potestas deuolueretur ad Cardinales per supradicta, sed si loquimur de deputando perpetuo administratore, & coadiutore, qui semper vsque ad mortem esset coadiutor, & administrator, tutiùs crederem Concilium congregari ad cognoscendum causam ipsius defectus Papæ. Et hoc modo dico veram opinionem Moder. Aret. & Cardin. de Turrecrem. & Alexan. & credo verum quando cessaret omnis spes, quod rediret ad sanam mentem, quod non posset tunc amoueri. Et idem si esset casus discordiæ inter Cardinales, vel cum Papa, & ageretur de deputando perpetuo administratore, quia non posset tunc amoueri per prædicta. Ad quod facit, quod voluit d. Anton. in d cap. licèt. quia Pœnitentia iniungitur furioso. Vnde licèt ante electionem possit obijci de furore, vt impediatur electio, vt 33. dist. cap. maritum, & cap. communiter, tamen post electionem nō poterit secundùm Abb. & d. Anton. ibi in d. capit. licèt. Et ex quo non potest amoueri, videtur deueniendum ad dandum coadiutorem, vt in cap. I. de cler. ægro. in 6. Et quando videtur cessasse spes, Concilium tunc non congregabitur, vt deputet administratorem, coadiutorem, vel Vicarium, vsque ad tempus sanæ mentis, vel superuenientis mortis, sed vt decernat dubium, an sit deueniendum ad dandum coadiutorem, vel administratorem, vel vicarium perpetuum, vel quid agendum. Et tunc illius electio erit Cardinalium, sicut dico in quæstione quando Papa est amotus à Papatu, ad quem spectat electio alterius, ad Concilium ne an ad Cardinales.

49 Et ex his possunt decidi plures quæstiones. Puta de anno 1521. mortuo Leone X. Cardinales elegerunt Adrianum Presbyterum Cardinalem tit. sanctorum Ioannis, & Pauli, absentem in Hispanijs, & antequam innotesceret eius acceptatio ob difficultatem itineris, & bella, quæ vigebant, vacauit Sedes per plures menses, ideòque Collegium Cardinalium mandauit Auditoribus Rotæ, & alijs, vt ministrarent iustitiam item deputauerunt signaturam hoc modo, placet sacro Collegio, suo & nominati in

Papam

Papam nomine, & dicitur nominati, quia antequam constet de acceptatione, non potest dici electus, sed potius nominatus, vt dicit Hostien. in cap. licèt de elect. Fuit dubitatum vtrùm hoc possent facere Cardinales, ex præmissis autem apparet quod sic, quia Ecclesia poterat dici quasi vacare, & non eramus in terminis. §. ijdem quoque, & clem. 2. quia electio erat celebrata, nec Cardinales tenebantur vacare acceleratæ electioni. Item si bene consideretur, nec text. d. §. ijdem quoque, nec text. Clemen.
50 contrariatur, quia nulla est maior necessitas, quàm vt iustitia ministretur, & ideò etiam meritò ad Collegium appellabatur, & causas committebat. Sed quid si Papa absens esset infirmus, & non acceptaret, vel differret respondere, vel non posset administrare, nec venire ad sedem suam? Ex præmissis videtur dicendum idem, quod dictum est de inhabili, & capto, & idem dicendum est de quocumque modo impedito. Sed quid si Papa acceptaret, & differ-
51 ret, siue procrastinaret aduentum, nec aliter prouideret de legato, an gesta valerent si signatura diceret suo, & electi nomine? Videtur quod non, quia Collegium sine Papa non videtur aliquid posse, vt in simili per totum de ijs quæ fiunt à Prælato. Sed credo contrarium verius per dicta in l. Barbarius de offic. prætoris, & cap. ad probandum de re iudic. quia alioquin multùm curia pateretur.
52 Quis autem in casibus præmissis congregabit Concilium, patet ex supradictis in art. proprio, quod Papa circumscripta causa furoris, & dementiæ, in qua in Papa non reperitur consensus, & æquiparatur infanti. l. humanitatis. C. de impu. & alijs substi. & spe. tit. de primo, & secundo decreto §. 4. versic. pone quod pupilli. Et non habent consensum, vt in l. si à furioso, ibi Bartol. & Doct. ff. si cer. pet. Et impeditur contrahere matrimonium carnale, vt in cap. dilectus de spon. In quibus casibus furoris, & dementiæ congregabunt Cardinales, vt supra dictum est, in alijs si sit factus inutilis, & insufficiens, ipsemet Papa, vel si non posset ipse, quia detentus ab hostibus, Cardinales soli, vel cum administratore si fuisset deputatus, vt dicit Cardin. vbi supra. Et intellige prædicta secundùm d. Anton. quando furor potest de facili probari, aliàs secus, vt ipse dicit in d. cap. licèt furiosus enim aliquando æquiparatur mortuo, vt dicit Bal. in d. l. humanitatis 3. colum. & bestiæ secundùm d. Anton. in d. cap. licèt, argumento l. sed & si quemcumque ff. ad leg. aquil. Et ideò isto casu congregabunt Cardinales; in alijs autem casibus, vbi est administrator, vel coadiutor datus propter debilitatem corporis, vel datur administrator, quia Papa est in carceribus, vel inutilis, & congregari debet Concilium, tunc si potest haberi auctoritas Papæ eius auctoritate debet congregari, vt 17. dist. per totum, alioquin requiritur auctoritas siue consensus Cardinalium, & Administratoris, vel si discordarent, solius administratoris si Papa eum deputasset, vt dictum est, quia est actus iurisdictionis, qui administratorem spectat, vt in d. causa is, cui, aliàs ad Cardinales, qui non iure deuoluto, sed quia imminet necessitas poterunt Concilium congregare propter publicam vtilitatem, & ad tollendum scandalum, quod posset oriri in Ecclesia, maximè quando Papa est captus, quia tunc Ecclesia est quasi vacans, vt d. cap. si Episcopus, quibus negligentibus poterunt congregare Patriarchæ, & quilibet alius secundùm ordinem supra aliàs dictum, vt Imperator, & alij Prælati, per modum intimationis, & requisitionis, vt in causa cùm nobis olim de elect. post Innoc. & supra plenè dixi.
53 Sed videtur prædictis obstare, quia vbi cessat omnis spes redeundi ad sanam mentem, videtur, quod debet congregari Concilium pro deputando perpetuo administratore, vel quod imò hoc casu debeant Cardinales procedere ad electionem alterius, quia est mortuus ciuiliter, sicut dicitur, quando est depositus infra in quæstione propria. Facit quod dicitur in cap. susceptum de rescrip. in 6. æquiparatur enim mors ciuilis naturali. Sed ad hoc respondetur quod nihil, est quod possit Papam à Papatu deijcere nisi cessio, vel hæresis, vt in allegato capitulo si Papa vel his similia, quæ hæresim sapiant, vt est schisma, & Apostasia &c. Et si dicatur quod in omni vacatione deuoluitur potestas creandi Papam ad Cardinales, vt in capitu. licèt de electìon. & quòd isto casu verè vacat Papatus, & ideo poterunt procedere ad electionem alterius, vt voluit Gerson in dist. tract. de auferibilitate Papæ in 19. quæst. Respondetur quod quantumcunque, quò ad nos videatur sublata spes redeundi ad sanam mentem, tamen possibile esset, quod efficeretur postea sanæ mentis, quia nihil impossibile apud Deum vt dicitur Lucæ 1. cap. Et legitur Iudith. 7. & 8. cap. quod cum Ozias constituisset expectandam misericordiam Dei ad quintam diem ante deditionem ciuitatis Olofernì, Iudith, increpans Oziam dixit ad Presbyteros Chambri & Charmi, quod est hoc verbum, in quod consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assyrijs si intra quinque dies non venerit nobis adiutorium, & qui estis vos, qui tentatis Dominum, non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet & furorem accendat, posuistis vos tempus miserationis Domini, & ad arbitrium vestrum diem constituistis ei, sed quia patiens est Dominus, in hoc ipso pœniteamus &c. Vnde isto casu dicendum est, quod erit dandus per Cardinales vicarius, siue administrator siue coadiutor ad tempus, donec Concilio congregato decernatur de dando perpetuo administratore, hoc est ad vitam Papæ, quem etiam Cardinales eligent. Et si miraculosè Papa rediret perfectè ad sanam mentem, ita quod esset talis, qui vellet, & posset per se bene administrare, cesserat etiam officium coadiutoris, siue administratoris, vt supra dictum est.
54 Sed quid si Papa efficitur inutilis, quia corpore vitiatus, & tam deformis quod gene-

generat scandalum, & maximè si sua culpa, vt quia fuissent abscissæ nares, effossus oculus, & manus abscissæ, Gloss. in verbo de gremio in cap. in nomine Domini 23. di. dicit quod non poterit esse Papa, & ideo videtur quod Card. poterunt procedere ad electionem. Sed gloss. & Archid. in cap. fin. 79. dist. videntur velle, quod nulla exceptio possit ei opponi nisi tantùm hæresis, vt 40. dist. si Papa, & dicitur in cap. licèt de elect. Dic. secundùm Dom. in dist. cap. in nomine Domini, verùm esse, quod ille, qui esset corpore vitiatus, non deberet eligi per Cardinales, sed postquam est, non potest de hoc contra eum excipi, & multò minùs si superueniat vitiū. Et idem quod Domin. ibi dicit Alex. Et prædicta videntur habere locum etiam in obsesso à dæmonibus, vt 31. dist. cap. maritum, cùm duobus sequent. De quo vide, quæ dico infra, in artic. an Papa possit cogi ad cedendum, & infra latiùs circa finem sequentis articuli, in versic. sed vlteriùs, & in sequentibus.

55 Sed an sit sufficiens causa si Papa passim committat simoniam dando prælaturas pro pecunijs, congregandi Concilium. Aduertendum est quod non quæro, an sit sufficiens causa ad deponendum, quia de hoc dicetur infra in quæstione, ex quibus causis post congregandum Concilium possit Papa deponi. Et si quidem propter simoniam, quæ committitur scandalizatur vniuersalis Ecclesia, quando est incorrigibilis videtur quod est legitima causa ratione scandali, congregandi Concilium vt in cap. si Papa 40. distinctio, & Abb. in capitulo significasti de electio, de quo tamen latiùs infra dicemus. Si autem non est omnino notoriè inuolutus simoniæ, nec aliter apparet de scandalo vniuersalis Ecclesiæ, hoc dependet ab illo articulo vtrùm Papa committat simoniam, & in eum cadat, vel non, & an possit accusari de simonia Et in hoc articulo considero

56 quod crimen simoniæ est grauissimum, quia Beatus Petrus Apostolus protulit sententiam contra Simonem Magum, pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri, quæ verba prolata fuerunt contra Simonem Magum, qui tentauerat emere donum Spiritu sancti, vt patet act. 8. Et inde Beatus Gregor. in registro lib. 9. cap. 40. inquit, scimus namque quanta animaduersione simoniam Apostolorum Princeps insequutus est, qui primam damnationis sententiam contra Simonem protulit dicens, pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei pecunia existimasti possideri; vt in cap. saluator 1. q. 3. Qui text. declarat illam authoritatem intelligi de reb. Ecclesiæ, dum dicit. Donum quippe Dei est Spiritus sanctus & donum Dei est res ipsi Ecclesiæ oblata, & si bene

57 aduertis Simon Magus, qui ad fidem fictè accessit, non Spiritum Sanctum, quo ipse erat indignus, sed donum eius emere voluit, vt ex venditione signorum quæ per eum fierent multiplicatam pecuniam lucraretur; nec Apostolus emptionem Spiritus sancti, quam bene fieri non posse nouerat, sed ambitionem, quæstus; & auaritiam quæ est idolorum seruitus, in eodem Simoniæ exhorruit, & eum maledictionis iaculo percussit. Et subiungit, quisquis res Ecclesiasticas, &c. Vnde ibi text. loquitur de ementibus res Ecclesiæ & sic non tantùm de prohibitis, qui Si-

58 moniacis. Similiter text. in cap. patet, prima quæstione septima, dicit patere Simoniacos primos, & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus esse respuendos, & subiungit, omnia enim alia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur, & idem habetur in capitulo per tuas de Simon. ergo Simonia est hæresis, Idem tex. in capitulo presbyter, ibi Simoniacam hæresim, & capitulo benedictio, illi in maledictionem conuertitur qui ad hoc vt fiat hæreticus promouetur prima quæstione prima, & capitulo cum liqueat ead. causa, & quæstione & text. in capitulo cauendum prima quæstione septima, ibi per Simoniacam hæresim. Similiter prima quæstione sexta, ego autem, ibi, si non per Simoniacam hæresim idest præmia quibusdam se eligentibus

59 præbendo, &c. ergo hæresim committit, qui dat pecuniam vt eligatur ad beneficium. Ad idem text. in capitulo quanto secunda quæstione quinta, vbi dicit Simoniacam hæresim. Et bonus text. in §. sed cùm omnes sexta quæstione prima, vbi dicit simoniacos, hæreticos, & similes ijs, qui committunt crimen læsæ Maiestatis. Et vide in §. sed licèt 6. quæst. 1. & in cap. qui studet 1. quæst. 1. quid enim aliud est quàm capitale crimen, & simoniaca hæresis. Vnde & Gregorius septimus lib. 1. sui registri scribens cuidam Henrico Regi appellat simoniam hæresim. Et idem eo, lib. scribens Rodulfo duci sueuiæ dicit. In sacris canonibus prohibitum est vt, inquit, per simoniacam hæresim, hoc. est interuentu pretij ad aliquem sacrum ordinem, gradum, vel officium promoti sunt, nullum in sancta Ecclesia vlterius ministrandi locum habeant, nec qui in crimine fornicationis iacent, missas celebrare, aut inferiores ordines in Ecclesia exercere debent. Item vbique inuehendo contra simoniacos, nùnquam aliter appellat simoniam, quàm hæresim, vt etiam infra dico, post ea, quæ refero de sancto Gregorio. Et idem in lib. 1. scribens Cabilonen. Episcopo dicit, quod Rex repudiato turpi simoniacæ hæresis mercimonio idoneas ad sacrum regimen personas promoueri permittat. Et idem eodem lib. scribens Diensi comiti, inquit loquens de Hugone Episcopo, nos enim eum admonuimus, vt contra simoniacam hęresim totis erigatur viribus Et semper in infinitis locis, in omnibus libris, vbi de simonia erat mentio, vocat simoniam hæresim. Et 1. quæst. 1. erga, vbi dicit simoniacos deponendos. Et in cap. fertur 1. quæst. 1. fertur simoniaca hæresis Et subiungit, vulnerato itaque pastore quis curandis ouibus adhibet medicinam

aut quomodo populum orationis, clypeo tueatur, qui iaculis hostium se se ferien-
60 dum exponit. Ex quo arguitur damnabilior simonia in superiore, quàm in inferiore. Et ibi dicit text. quod simonia fuit prima hæresis, quæ surrexit contra Ecclesiam Dei. Similiter in cap. eos 1. quæst. 1 vbi dicit quod tolerabilior est hæresis Macedonij, & eorum, qui circa ipsum sunt sancti Spiritus impugnatorum impia hæresis, quàm simoniacorum, illi, enim creaturam, & seruum Dei Patris, & Filij Spiritum sanctum delirando fatentur, isti verò eumdem Spiritum Sanctum efficiunt, suum seruum. Ex quo patet, quod non minor est hæreticus simoniacus, quàm verus hæreticus, imò plus delinquit. Item tex. in cap. quotiens de simo. appellat simoniam hæresim. Ad idem tex. in cap. licèt elect. 2. de simo. vbi parificat crimen læsæ maiestatis, & crimen simoniæ. Et vide bonum tex. & gloss. in cap. sanè 15. quæst. 3. & in §. porro & §. seq. 6. quæst. 1. Et bona gloss. in capit. si quis superstite 79. dist. & ibi
61 vide Arch. Et simoniacus est infamis, vt in cap. si quis præbendas 1. quæst. 3. Et Episcopus deponitur, si præbendas, vel præposituras vendit, vt in cap. si quis Episcopus iuncta gloss. 1. quæst. 3. Et pulcher tex. est in l. si quemquam C. de Episcopis & cle. vbi æquiparat simoniam crimini læsæ Maiestatis, & dicit tales infames perpetuò, & deponendos. Et si simonia sit commissa in ipsa electione Papæ, tex. videtur clarus, quod debet eijci per Concilium in cap. si quis pecunia 79. dist. vbi dicit quod si quis pecunia fuerit in Apostolica sede inthronizatus, non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur, liceatque Cardinalibus, & alijs clericis Deum timentibus, & laicis inuasorem illum anathematizare. Cardinales autem clerici. & laici Deum timentes nihil aliud sunt quàm Concilium vt, in proposito dist. capitu. si quis pecunia. Ergo Concilium eijcit Papam simoniacum, ergo propter simoniam potest congregari Concilium. Et plus dicit text. in dist. cap. eos 1. quæst. 1. hi detrahunt Spiritui sancto, æqualiter peccantes cum ijs qui blasphemauerunt dicentes Christum in belzebub eijcere demonia, & iudæ comparantur qui iudæis occisoriaus Christum vendidit. Et subiungit, in eis non est gratia Spiritus sancti idest sacerdotij sanctitas, quia quod non acceperunt, non habent. Et
62 quod Iudas commiserit simoniam Christum vendendo. est text. in cap. qui studet quæst. 1. & ibi Archi. & vide in cap. abijt 11. quæst. 3. Et alienus à sacerdotio in canonibus Apostolorum pronunciantur; qui ante, vel post manus impositionem pecuniam dederit Et in §. ex illa cap. placuit 1. quæst. 1. dicitur quod simoniaci sicut & alij hæretici à fide exorbitant, & ideo consequenter de illis intelligitur, quod de alijs decernitur. Et sunt verba Gratiani inferentis ex authoritate Ambrosij & Gregorij videlicet ex tex cap. Petrus, &c. cùm omnis quæst. 1. quod simoniaci sunt hæretici, quia sicut, & alij hæretici à fide deuiant. Et in cap. iudices & ibi in gloss. dicitur, quod propter simoniacos fuerit destructa Ierusalem, ideo tex. dicit. propter vos Sion quasi ager arabitur. & Ierusalem vt custodia pomarij erit, quod est Micheæ Dicuntur etiam simoniaci lepra respersi sicut Giezi 1. quæst. 1. cap. turpem & legitur 4. Regum cap. 5. quando Nahaman syrus fuerat mundatus à lepra ab Eliseo, & Giezi recepit duo talenta, & vestes mutatorias duas, ex quo ipse lepra percussus est. vnde tex. in c. cum ordinaretur 1. q. 1. dicit, quod accepit, aurũ fuit, quod dedit lepra fuit Vnde Simoniacis lepra datur. Ad idem tex. in capitu. qui studet ea causa. &
63 quæst. & alibi dicitur, quod simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincit, vt in cap. sicut el. 1. de simon. Ad idem capitu. quinque, & capitu. sequent. vbi appellatur simonia hæresis. Et intantùm quod si Ecclesia per simoniam sit consecrata, dicitur execrata, vt in capitulo Ecclesia 1. quæst. 4. nec potest in ea celebrari, vt dicit Calder. in tract. de Ecclesiastico interdicto in 2. char. Vnde & Beatus Gregorius in registro libro quarto capitulo 95. præpositis verbis, quod Dominus cathedras vendentium columbas euertit, inquit, & cùm prima Simoniaca hæresis sit contra sanctam Ecclesiam exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quod eum quem quis cùm præmio ordinat, prouehendo agit, vt hæreticus fiat. Et idem replicat lib. 7. cap. 108. ibi vulgatum est, quod in Galliarum partibus sacri ordines per Simoniacam hæresim conferantur. Et paulò post, vt cùm liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera subrepsisse, subiungens, cur non cauetur, cur non perpenditur, quod benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc, vt fiat hæreticus promouetur. Et iterum eodem lib. 7. c. 12. fertur autem Simoniacam hæresim, quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolica plantatione surrepsit, & in ipso ortu suo telo Apostolicæ vltionis percussa, atque damnata est, in regni vestri finibus dominari. Similiter lib. 4. c. 97. Regi Francorum scribens, ibi nunciatum nobis est, quod sacri ordines per Simoniacam hæresim, idest accepto pretio conferuntur. Et rursus lib. 9. ca. 49. post detestatam auaritiam, quam diuinæ lectionis testimonio dicit esse idolorum seruitutem, inquit, da operam, vt synodus ad eradendum ipsam hæresim congregari possit, de Simonia loquens Rursus eodem lib. 9. cap. 40. inquit vestra fraternitas hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, vt à subiectis sibi Ecclesijs errorẽ Simoniacæ hæreseos compescat. Idem etiam Gregor. 7. in regist. lib. 1. cap. 70. scribens Aquensi electo, vbi hortatur eum ad penitus simoniacam hæresim
65 euacuandum. Et est grauius delictum homicidio, licèt homicidium horribilius, vt dicit ibi glossa, & Doct. in dict. cap. sicut il. 1. de simonia. Ex præmissis apparet quantum iura execrantur simoniam, quia vt plurimùm dicunt eam hæresim. Licèt stricto modo, & propriè non sit hæresis, vt latè

latè ponunt Doct. Innocent. Host. Ioann.
Andr. Antonius Cardinalis Abbas, & Io-
annes de Anania in capit. quoties de Si-
66 mon. Nisi crederet quis, quod gratia Spi-
ritus Sancti posset pretio acquiri, quia
tunc esset propriè hæreticus secundùm In-
nocent. Hostiens. Ioann. Andr. Henricum
Boich, Antonius Cardinalis Florentinus in
dicto cap. quoties, & refert Abb. Siculus,
& ibi communiter Doct. In alijs autem,
qui quærit per pecuniam ordines, vel be-
neficium acquirere non est propriè hæreti-
cus, sed impropriè, ita enim appellatur
propter detestationem criminis. Vnde
dicit Archiepis. in cap. nos sequentes in
§. Sed licèt post Hug. quod Simoniacus
non dicitur propriè hæreticus, idest malè
sentiens de articulis fidei sed dicitur hæ-
67 reticus, idest sacramentorum peruersor,
quia peruertit formam, & modum tribuen-
di sacramenta, quia sunt danda gratis, ipse
autem pretio ea tribuit, vel accipit c. cùm
in Ecclesia de Sim. Facit quod in simili di-
citur de excommunicato quis dicitur here-
ticus 4. quæst. 1. c. quod autem, quia illud est
verum largè. Vnde percutiens clericum hæ-
reticum non est excommunicatus, vt in
c. si verò de sent. excommun. sed percutiens,
68 clericum excommunicatum incurrit ex-
communicationem, vt dicit Innoc. in dict.
cap. si verò. De quo vide Cardin. in Clem.
ne Romani. §. cæterum, de electo. Vnde
etiam Beatus Thomas in 4. sent. dist. 25. di-
cit, quod Simoniaci non sunt proprié, &
per se loquendo hæretici, cum non ha-
beant aliquam falsam opinionem, sed di-
cuntur hæretici propter similitudinem
actus, quia ita operantur, ac si existima-
rent donum Spiritus Sancti pecunia possi-
deri, quæ existimatio esset hæretica. Et
idem in effectu dicit Astesanus in summa in
secunda parte lib. 6. tit. 55. c. 2. & Dó. 6. q. 1.
nos sequentes §. sed licèt, & Archiep. Floren.
nus in secunda parte titul. 1. capitulo 5. in
princ. Hæreticum autem propriè dicimus
eum, qui malè sentit de articulis fidei, vt
patet in tit. de hæretic. continet tamen hæ-
69 resis sub se plures species, de quo vide
glossa, & Cardin. in cap. firmissimè de
hær. & glossa in cap. illi qu. §. quia verò 24.
quest. 3. Impropriè tamen multi dicuntur
etiam hæretici, vt in proposito dicitur de
Simoniaco. Etiam propriè hæreticus di-
citur, qui malè sentit de sacramentis Ec-
clesiæ, vti in cap. ad abolendam eodem
tit. de hæret. & vide in glossis allegatis. Sed
licèt simoniacus non propriè dicatur hæ-
reticus emendo spiritualia, vel illis anne-
xa, tamen, vt dictum est, quando quis
crederet posse emi, & pecunia acquiri gra-
tiam Spiritus Sancti, tunc talis simoniacus
esset propriè hæreticus, vt dicit Innocen-
tius, & alij in cap. quoties de simon. vt
credidit posse emi Simon Magus 1. quæst. 1.
capitulo, qui studet, & capit. Saluator. 1.
quæst. 3. Quod benè ponit Hostiens. in
summa in titul. de hæretic. in §. 1. & Do-
ctor. vbi supra allegati in dicto capitulo
quotiens, & Felinus in rubric. de Simon.
& Decius benè consil. 151. in secunda co-
lumn. incipit Maximi. Et quare hoc crimen
70 dicatur maius cæteris criminibus, & quo-
modo, vide Archid. 1. quæst. 7. cap. fin.
Et vide Beatum Gregor. in registro, qui
dicit, cùm omnis auaritia sit idolorum
seruitus, quisquis hanc in ecclesiasticis di-
gnitatibus dandis non præcauet, infide-
litatis perditioni subijcitur, etiam si fidem,
quam negligit tenere videatur 1. q. 1. cùm
omnis. Et Gratianus ferè per totam cau-
sam primam detestatur crimen simoniæ,
ipse in dict. §. sed cùm omnis dicit simo-
niacum esse hæreticum, & dicit quod non
quæritur, an quis sit hæreticus aliter, sed
an commiserit simoniam, & consequenter,
ipse hæresim. Et sic vult simoniacum
propriè esse hæreticum, & ita intelligit es-
se mentem Gratiani, Dom. in dicto capi-
tulo fin. §. hæc licèt, vers. sed cùm omnes
supra allegato. Immò, & tex. siue statu-
tum in Concilio Chalcedonensi in 14.
actione, incipit si quis, vult, quod non
solùm is, qui ordinat alium pro pecu-
nia sit priuandus, & deponendus, & or-
dinato, nihil proficiat ordinatio, sed
quod etiam mediator, si est clericus ipso
facto à proprio gradu decidat, si verò lai-
cus, vel monachus anathematizetur. Vn-
de etiam ille tex. in cap. quæro, quod est
capitulum final. 6. quæst. 1. & est August. di-
cit quæro ergo quis peccet grauiùs, an
qui nesciens hæresim incurrerit, an qui
sciens ab auaritia, idest ab idolatria non
recesserit. subiungens se non audere iudica-
re, quis sit deterior, an hæreticus, in cuius
vita præter id, quod hæreticus est, non in-
ueniunt homines, quod reprehendant, an
catholicus pessimis moribus existen. quæ
verba ponuntur continuatiuè ad sequentia
in crimine læsæ maiestatis, & crimine simo-
niæ. Et vt dicit text. simoniacus est idolo-
rum seruus, quia auaritia quæ in simonia
71 continetur, est idolorum seruitus, in cap
Saluator. 1. quæst. 3. non enim Simon Ma-
gus emere volebat Spiritum Sanctum, sed
donum emere quærebat, vt lucrum faceret.
Et quia ita est, quod cultor idolorum est
hæreticus, sequitur quod simoniaci, qui
non nisi propter auaritiam pecunias quæ-
runt hæretici dicantur. Et de hoc vide
tex. in cap. cùm omnis auaritia 1. quæst. 1.
Et quod simoniacus sit hæreticus dicit In-
noc. in cap. firmissimè de hære. Addo vnam
72 rationem cui cum difficultate potest res-
ponderi, quod cum ex causa fornicationis
liceat dimittere vxorem quoad thorum,
vt in cap. discretionem, cum simil. de eo
qui cogno. consan. vxor. suæ, & auaritia di-
catur fornicatio, & idolatria, propter auari-
tiã simoniacus potest separari ab Ecclesia,
quia etiam propter spirituale fornicatio-
nẽ hoc est idolatriam fit separatio matri-
monij quoad thorũ. Vide tex. qui hoc pro-
bat in cap. idolatria 28. quæst. 1. Et tex. in
capitulo cito turpem 1. quæstio 1. ostendit
quod grauius est crimen simoniæ, quàm
auaritiæ. Et sic simoniacus dicitur idola-
tra, & consequenter hæreticus. Vnde
etiam dicit tex. in cap. ex multis 1. quæst. 3.
nusquam reperitur in Euangelio Domi-
num nostrum tanta seueritate tam distri-
73 cta censura iustitiæ peccantes corripuisse

ſicut quando de templo eiecit ementes, & vendentes, per quos Simoniaci deſignantur, quia non ſolùm eloquio increpauit, ſed etiam facto flagello de funiculis verberans, omnes eliminauit de templo. Et hi ſimoniaci dicuntur facere domum Dei ſpeluncam latronum. Imò, & clariùs vult ibi text circa principium, quod de venditione beneficiorum eſt idem iudicium, quod de prohibitis quia ſimoniacis. Vnde ibi Chalcedon. Concilium, quod eſt vnum ex principalibus, ſimili pæna condemnat eos, qui eccleſiaſticum beneficium interuentu pecuniæ acquirunt, & eos, qui ſacram manus impoſitionem, per quam Spiritus Sanctus confertur mercari dignoſcuntur. Ecce quod ex parilitate vtriuſque criminis idem iudicatur. Ad idem capitulo qui ſtudet, & capitulo vendentes 1. quæſt. 1. Inde
74 infero quod ſicut memoria hæretici poſt mortem poteſt damnati, vt in l. 4. C. de hære. 24. quæſtio 2. cap. ſanè, ſicut, & eius, qui eſt reus criminis læſæ maieſtatis, vt in l. fin. C. ad l. Iul. maieſt. dicitur in §. per contrarium inſtit. de hæred. quæ ab inteſtato defe. & in l. qui à latronibus ff. de teſta. & in l. ex iudiciotum, ibi gloſſa C. de accuſat. ſic damnari poteſt memoria ſimoniaci per iura prællegata. Facit quod dicitur dicto capitulo à nobis de ſen. excom. Et hoc videtur velle Ioann. de Platea in §. ſunt præterea, inſtit. de publ. iudic. iuncto eo, quod dicit in dicto §. per contrarium, vnde & propter magnitudinem criminis iura appellant ſimoniam peſtem, quæ ſui magnitudine alios morbos vincit in cap. ſicut el. 1. de ſimon. Vnde, & mediatores contra
75 huius ſceleris auctores, in deteſtationem criminis admittuntur in teſtes, vt in capitulo 1. de teſtim. in 6. Quinimò tanta eſt huius criminis labes, quod ſerui aduersùs Dominos, & quilibet criminoſi admittuntur ad accuſandum, vt in cap. tanta de ſimonia. Immò, & ſocius criminis ad accuſandum admittitur, vt in c. ſi quis ſuperſtite 79. diſt. De quo dicendum, vt in cap. licèt el. 2. de ſimon. cùm concordan. & d. c. ſi quis. Ex his ergo patet quando ſimoniacus dicatur in genere, ſeù impropriè, & quando propriè hæreticus.

SVMMARIVM.

1 *Simonia an cadat in Papatu. diſt. num. 5. quæ improbatur, num. 6*
Et quo caſu non cadat in Papam num. 17. ſecundùm Fel. ſed improbatur per Auctorem num. 18.
2 *Papa ſubeſt legi diuinæ, & naturali.*
3 *Papa eſt adminiſtrator bonorum Eccleſiæ,*
4 *Titulus beneficij an ſit de iure poſitiuo, & num. 38.*
7 *Petri de Palude diſt. in iſto articulo, an in Papam cadat ſimonia, & reprehenditur num. 11.*
8 *Papa vendendo beneficia, an committat ſimoniam remiſſiuè.*
9 *Simonia in beneficialibus, an committatur ex ordinatione Eccleſiæ, an ex diſpoſitione diuina.*
10 *Simoniaca dicuntur alia, quia prohibita, & alia prohibita, quia ſimoniaca, & ſupra num. 5.*
12 *Ordo eſt Sacramentum, cui adhæret executio & qui vnum vendit, vendit, & reliquum.*
13 *Vendere Epiſcopatum, vel Eccleſiam per quamdam æquationem, eſt vendere Spiritum ſanctum.*
14 *Ordinati ab Epiſcopo, qui emit Epiſcopatum, an recipiant ordinis executionem.*
15 *Pecunia non præſumitur data pro ordinis executione, ſed pro titulo beneficij.*
16 *Ius patronatus tamquam quid ſpirituale vendi non poteſt, tamen ſi venditur villa vel caſtrum, tranſit etiam ius patronatus, & pecunia videtur data ſuper temporali, & non ſuper iure patronatus, quod tamen tranſit acceſſoriè.*
19 *Animus nocendi non præſumitur.*
20 *Diſpenſatio Papæ in probibitis à ſolo iure poſitiuo, an ſufficiat, abſque cauſa, & an in his ſufficiat ſola voluntas Papæ, & num. 31. & ibi limitatur. Auctoris opinio circa iſtum articulum principalem num. 21.*
22 *Papa non illaqueatur crimine ſimoniæ, quo ad pœnam iuris poſitiui, intellectus num. 45.*
Etiam in prohibitis, quia ſimoniacis numer. ſeqq.
Sed bene dantes pecuniam num. 24. niſi Papa ſciret omnes qualitates, & prouideret, num. 28. & meliùs declaratur, num. 30.
23 *Conditori canonum licet contra ſuam conſtitutionem diſpenſare.*
25 *Mixtura ſuperioris, non excuſat miſcentem ſe cum eo.*
Fallit, num. ſeqq.
27 *Diſpenſatio præſumitur quando præmittitur cauſæ cognitio, etiam ſi non dicatur diſpenſamus.*
29 *Papa an ſolo verbo poſſit facere, & pronuntiare aliquem Sacerdotem.*
32 *Diſpenſationes non debent fieri propter particulare bonum, vel intereſſe, ſed propter publicum.*
33 *Abbas in cap. 1. ne Prælat. vices ſuas, & in cap. extirpandæ §. qui verò de præbend. declaratur.*
34 *Auctoris diſtinct. principalem articulum num. 34.*
35 *Poteſtas conferendi characterem fuit per Apoſtolos reſtricta, & conceſſa tantummodò Epiſcopis.*
36 *Gratia confertur in ordinibus Eccleſiaſticis, quod ſi non fiat gratis, non eſt gratia.*
37 *Papa non ligatur decretis conciliaribus, quia eſt ſupra Concilium.*
39 *Papa poteſt liberare aliquem. vt non teneatur miniſtrare in ordine requiſito in beneficio, quod habet.*
40 *Papa non poteſt facere id, per quod denigratur, ſeu decoloratur ſtatus Eccleſiæ.*
41 *Papa inuoluitur in crimine ſimoniæ, in his, quæ ſunt prohibita, quia ſimoniaca.*
42 *Papa emendo Pontificatum magis illaqueatur*

Dis-

Me-

ARTICVLVS IV.

An Simonia cadat in Papam.

1 NVnc quæritur, vtrùm Simonia cadat in Papam, & illaqueetur hoc crimine? Doctor. communiter videntur dicere, quod sic. Primò, hoc dicit beatus Thomas in 4. sentent. dist. 25. qu. 3. art. 3. ad 2. artic. dicit, quod illorum opinio est erronea, qui dicunt, quod in Papam non cadit simonia. Nàm si Papa pro aliquo spirituali munus acciperet, ità simoniam committeret, sicut & alius homo, quia est
2 contra iustitiam, legem Diuinam, & naturalem, quibus Papa subditus est, sicut & cæteri homines. Et idem ponit Archiepiscopus Florentinus in 2. parte tit. 1. cap. 5. vers. est autem. Et hanc eamdem opinionem ponit idem beatus Thomas in 2. 2. qu. 100. artic. 1. in responsione ad 7. argumentum, & dicit, quod Papa, sicut quilibet alius incurreret simoniam, si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam de redditibus Ecclesiæ alicuius; & similiter recipiendo pecuniam ab aliquo laico non de bonis Ecclesiæ. Immo quòd in Papa est grauius, quàm in alijs, quia peccatum tantò grauiùs est in aliquo homine, quantò maiorem obtinet locum. Ad hoc 11. quæst. 3. præcipuè distinct. 40. homo Christianus, cap. quanto, de iureiuran. & Cardin. in tract. de potestate Papæ qu. 65. Hoc idem refert, & tenet Archidiaconus dist. 12. capit. 1. & ponit ibidem Domin. qui dicit, quod si Papa vellet derogare respectu iurium patrimonialium Clericorum, vel detrahere proprietati rei Ecclesiæ, sine causa non posset, quia non est do-
3 minus, sed administrator bonorum Ecclesiæ, licèt possit detrahere iuri tituli beneficij ipsorum Clericorum, quia sunt positi, vt

vt custodes isti Clerici, ideò potest illos remouere, vt ei placet. Non tamen dicit, quod posset vendere titulum beneficij, immò innuit contrarium, in quantum opponendo ibi ad distinctionem Doctor. in cap. ex parte il primo, de offic. deleg. allegat cap. si quis, & cap. Saluator 1. quæst. 3. Et idem in effectu, quod Papa illaqueatur crimine simoniæ, dicit Astesanus in summa tit. 55. capit. 2. & Cardin. sancti Xisti in tract. de potestate Papæ qu. 96. & Petrus de Palude in 4. sentent. dist. 35. q 4. concl. 2. Hoc intelligunt Doctor. nostri, licèt Petrus de Palude vbi supra, multa inducat contra talem distinctionem, in ijs, quæ sunt prohibita quia simoniaca. Ità gloss. in capit. cùm pridem, de pact. Antonius de Butrio, & Ioannes de Imola ibid. Idem Domin. dist. 12. cap. 1. & Doct. post gloss. in cap. ex parte, ff. de offic. deleg. Idem in supplemento, in verbo simoniacus primò, vers. fin. Idem Augustinus de Ancona q. 74. artic. 4. Idem Hostiensis cap. 1. ne Prælat. vices suas, secundùm quòd refert Abbas Siculus in repetit. cap. extirpandæ, §. qui verò, de præbend. & in dicto capit. 1. de simonia. Et idem Ioannes Andreas, qui refert Hostien. in dicto cap. 1. de simonia, dicens, quod non tollitur infamia, leg. 3. C. de general. abolitione. Item est species mali, & sic vitanda, cap. cùm ab omni, de vit. & honest. Cler. Et idem videtur Petrus de Perusio in effectu velle in dicto cap. 1. de simonia. Et idem etiam ibidem Cardin. & in cap. constitutus, de Relig. dom. Dicit
4 tamen, quod potest Papa vendere titulum beneficij, quia est de iure positiuo. Et sic videtur velle, quod sit de simoniacis, quia prohibitis. Licèt in dicto cap. constitutus dicat ex causa tantùm licere prophanare huiusmodi spiritualia, quæ sunt de iure
5 positiuo. Idem in effectu videtur sentire Innocentius in cap. tua, circa fin. de simonia. Antonius, & Ioannes de Imola in dicto cap. ex parte, quando loquuntur de simonia mentali, quia sentiunt, quod vendere spiritualia sit de prohibitis, quia simoniacis. Idem Aluarus de planctu Ecclesiæ in parte 2. argum. 14. dicens, quod vendere prohibita, quia simoniaca, vt sunt Sacramenta, etiam prohibetur in Veteri Testamento dist. 1. qu. 1. qui studet; & in his Papa committeret simoniam, secùs in his, quæ sunt simoniaca, quia prohibita ab Ecclesia, vt vendere beneficia, sepulturas, & similia. Et sic sentit simpliciter, etiamsi beneficia haberent ordinis executionem, allegat cap. non satis, & cap. cùm in Ecclesia, de simon. Ad idem Petrus de Anchar. in dict. cap. ex parte, & Ioannes de Lignan. in dicto cap. de simon. Et ratio huius est, quia prohibita, eo quod simoniaca, sunt prohibita iure naturali, & Diuino, cui Papa est subditus, vt dicit idem Augustin. Sed in ijs, quæ dicuntur simoniaca, quia prohibita à lege canonica, quia Papa est supra legem, leg. digna vox, C. de ll. cap. proposuit, de concess. præbend. ipse non ligatur; & ideò in talibus non cadit simonia in Papam. Ad idem bona gloss. in cap. etsi Christus in verbo mala, de iureiurand.

Per istam distinctionem gloss. & Doctor. in dictis locis videntur velle, quod in ijs, quorum venditio erat prohibita in Veteri Testamento, vt sunt Sacramenta, & huiusmodi spiritualia 1. quæst. 1. qui studet, & in cap. sicut ennuchus, & latiùs ponit exemplum Anton. in dicto cap. cùm pridem in Sacramentis Ecclesiæ, de quibus fit mentio in capit. veniens, de renunciat. voluit allegare in cap. veniens, in gloss. de transact. Papa committit simoniam vendendo, quia illa sunt prohibita, quia simoniaca. Secùs autem in simoniacis, quia prohibitis, quæ sunt illa, quæ facta sunt simoniaca per constitutionem Ecclesiæ, sicut ex terminis dicto cap. ex parte secundùm gloss. ibid. vt dare pastum post receptionem in Canonicum. Item dare aliquid pro benedictionibus Nubentium, pro Baptismo, pro ponendis Prælatis in sede. Et de his illa gloss. in cap. etsi Christus dicit plura exempla haberi in capit. cùm in Ecclesiæ, & in cap. sicut pro certo, & in cap. ad Apostolicam, de simon. Alij ponunt exemplum si venderet Vicariam, Castaldatum, Aduocaturam, Occonomatum, & similia, vt in capit. ad nostram, de simon. & 1. quæst. 3. Saluator. Ità Archiepiscop. Florent. in loco præallegato. Et vide Ioannem Andream in c. 1. ne Prælat. vices suas. Similiter si venderet Hospitalia, & alias administrationes temporales, vt dicit Abbas in dicto cap. 1. & in dicto §. qui verò. Idem etiam Goffr. in summ. qui similiter dicit ponendo exemplum in Vicaria, Castaldatu, Aduocatura, & huiusmodi in vers. committitur autem simonia. Et text. in dicto cap. Saluator dist. 1. qu. 3. iunctis duabus gloss. vna, quæ incipit sicut, alia quæ incipit, nonne, videtur quoad emptionem facere istam differentiam inter officium Præpositi, Oeconomi, Vicedomini, Defensoris, Aduocati, siue Castaldi, ac Iudicis, & inter officium Archipresbyteri, Archidiaconi, Canonici, Monachi, & cuiuslibet Ecclesiastico officio mancipati. Vide ibi gloss. Theologi Parisienses non
6 admittunt istam distinctionem, vt dicit se vidisse Brixien. in repertorio in verbo simonia, in vers. quædam. Henricus Boich in cap. 1. ne Prælat. vices suas, dicit distinctionem gloss. posse substineri, licèt sanctus Thomas, & Ioannes in summa confessionis qu. 67. velint Papam ligari simonia simpliciter. Sed Petrus de Palude vbi supra, multa adducit contra istam distinct. De quo vide Alexan. in cap. latorem dist. 1. qu. 2. vbi latè examinat; & conclusio eius est, quod in simplicibus beneficijs Papa non committat simoniam; secùs in dignitatibus, vel Episcopatibus, nisi aliquando ex causa necessaria. Vide eum, quia multum arguit ad vtramque partem. Archidiaconus indistinctè in cap. 1. dist. 2. qu. 1. reprobat opinionem beati Thomæ, & sic simpliciter videtur tenere, quod in Papam non cadat simonia. Bartolus verò in leg. 1. ff. ad leg. Iuliam, de ambitu, dicit, quod in Curia Romana non habet locum simonia, sicut nec in Curia Imperatoris, leg. Iulia de ambitu. Quòd dicit verum quoad ip-

sum Papam; secùs quoad Curiales. Idem sentit Henricus Boich in cap. 1. ne Prælat. vices suas, si fiat Principe sciente, vel auctorizante, aliàs secùs, & distinguit, vt dicit gloss. in dicto cap. ex parte, & cap. etsi Christus. Et idem Petrus de Perusio in capit. 1. de Simonia. Et idem Bartolus in leg. Barbarius in col. 2. ff. de officio Prætor. Et sic sentit simpliciter, quod in Papam non cadit Simonia. Salycetus in rubr. Cod. ad leg. Iuliam, de ambitu, dicit, quod in Curia cessat hodie ambitus. Et idem gloss. in leg. 1. ff. & C. ad leg. Iuliam de ambitu, & gloss. in capit. Presbyter dist. 32. & prima quæst. 6. cap. fin. & gloss. in leg. Barbarius, ff. de offic. Prætor. Idem Angelus in leg. 1. Cod. ad leg. Iuliam, de ambitu, qui dicit, quod in Curia Romana venduntur omnia officia, & non mirum, quia est effecta Monarcha simoniæ. Quod dicit Salycet. intelligi, si detur Principi pro honore, vel officio habendo, secus si stantibus ad latus Papæ. Et sic simpliciter sentit, quod in Papam non cadat Simonia Hostien. Ioannes Andreas, Domini, & alij in cap. pro humani in §. cum igitur, de homic. in 6. dicunt quod dans pecuniam pro Papatu incidit in leg. Iuliam de ambitu, & quod non obstat quod dicitur, quod in Romana curia non habet locum lex Iulia de ambitu, quia illud intelligitur in Principe postquam, est
7 canonicè electus. Petrus de Palu. in 4. senten. dist. 25. dicit, quod etsi peccatum non euitat, pœnam tamen iuris positiui, cui non subest, semper euadit. Vnde nec suspensionem, nec huiusmodi pœnas iuris sui timet, sicut nec etiam erit excommunicatus, si percutiat clericum. Dicit etiam idem Petrus, & refert Archiepiscopus Florentinus vbi supra, quod ille, qui emeret beneficium, vel Ordinem à Papa, pœnas iuris non incurreret, quia sicut Papa potest dispensare in pœnis iam incursis, ita etiam quod non incurrantur, sicut posset priuilegium alicui concedere, quod percutiendo clericum non esset excommunicatus, licèt non libenter faceret; quando autem dat pro pecunia, videtur dispensare, quod liceat retinere, sicut quando scienter dat irregulari, eo ipso dispensat cum eo. Vnde qui habuit beneficium per Simoniam in Curia, si habet conscientiam, quod emanauit de conscientia Papæ conferentis, pœnitendo de peccato non tenetur resignare, sed potest retinere. Et sic videtur velle, quod vendere ordinem, vel beneficium sit de simoniacis, quia prohibitis, in quibus Papa dispensat. Vel eius opinio simpliciter est, quod Papa non illaqueetur crimine simoniæ. Item concordat cum Cardin. Florent. in dict. cap. primo quod in istis beneficialibus non committitur simonia per Papã, quia prohibitio venditionis eorum, est ex ordinatione Ecclesiæ. Et idem videntur velle omnes gloss. supra alleg., & sic quod Papa vendendo beneficium non committat simoniam. Et idem videtur velle Cy. in leg. prima C. ad leg. Iuliam de ambitu Bald. in leg. Barbarius in quarta colum. de offic. præto. dicit quod Papa, & Imperator possunt vendere officia secularia absque simonia, & prauitate aliqua, quia hoc non est prohibitum de iure Diuino, sed ciuili. Si autem Papa vendat Episcopatus, & prælaturas, non decidit aliter, sed remittit se ad dicta in cap. Agatho. dist. 62. & cap. cum pridem de pact. & cap. si quis pecunia dist. 79.
8 D. Abbas Siculus in cap. 2., de simonia disputat istam quæstionem, vtrùm Papa vendendo beneficia committat simoniam, & illaqueetur isto crimine, & dicit quod non reperit tactum, nisi per Cardin. ibi. Et idem Abb. latiùs in repetitione cap. extirpandæ in §. qui verò, de præben., & in cap. cum pridem de pact. & in cap. cum venissent, in 3. colum. de iudi. vbi dicit, pro hoc non potest ab alijs damnari, sed seipsum condemnat. Et in omnibus locis concludit, si est beneficium quod requirat sacri ordinis executionem, quod ratione illius ordinis Papa non possit vendere illud sine vitio Simoniæ, & quod ipse committeret simoniam. Et inquantum gloss. in d. cap. cum pridem de pac., & cap. ex parte
9 de offic. deleg. & aliæ similes volunt quod in beneficialibus committatur simonia, ex ordinatione Ecclesiæ, & non ex dispositione diuina, & quod hæc beneficia non fuerunt ordinata per Deum, nec in se essentialiter sunt spiritualia, sed ex ordinatione Ecclesiæ accedunt spiritualibus, dicit ipse quod in contrarium est text. in capit. ex multis prima qu. tertia, & in cap. nouit. & quod quando beneficium habet annexam potestatem clauium, ex quo tunc pecunia accessoriè etiam datur pro illo ordine, Papa illaqueetur Simonia. Et sic sentit
10 Abbas distinctionem illam inter simoniaca, quia prohibita, & prohibita, quia simoniaca, sed quod quando in eodem subiecto concurrit prohibitio veteris, & noui testamenti, tunc Papa committat simoniam. Pro ista opinione est text. in cap. sicut Eunuchus 1. qu. 1. vbi patet quod emere sacerdotium est prohibitum in veteri testamento, & patet 2. Machab. cap. 4., & 1. Et intantum est prohibitum, quod ignis sacrificij extinctus est Antiocho Iasoni vendente sacerdotium, qui 70. annis steterat absconsus viuens sub aquis, vt dicit ibi text., & ponit Vincentius historialis lib. 5. cap. 73. referendo August. Et gloss. ibi in dict. cap. sicut, colligit argumentum, quod vendere ordines est prohibitum in lege ve-
11 teris testamenti. Et per hoc non videtur verum quod dicit Petrus de Palude vbi supra, qui vult quod vendere ordines sit prohibitum à lege positiua, quia imò à lege veteri. Pro quo facit text. in cap. in nouo dist. 21. & in cap. legimus distinct. 93. Istam opinionem sequitur Summa Angelica, in verbo, simonia, vbi tenet cum Panormitano, & adducit gloss. in cap. licèt,
12 de pœnit., quæ vult, quod cùm ordo sit Sacramentum, cui adhæret executio, qui vnum vendit, vendit, & reliquum, prima quæstione tertia si quis obiecerit, & cap. Saluator. & ideo simoniam committit, & text. in cap. ex diligenti, de simon. iuncta gl. ibi & diuinis, & humanis legibus. Et istas gloss. allegat. ipsemet Abbas in dict. cap. 1. & in

& in §.qui verò, allegat etiam text. in cap. Altare, 1.qu.3. vbi Altare, & decimas per pecuniam dare, & vendere Spiritum sanctum est simoniaca hæresis, & gloss. exponit Altare, id est quæ Altari offeruntur, vel in administratione Altaris, vel in Ecclesia. Et similis text.est in cap.Presbyter, 1.qu.1. Sed hoc non probat,quod de iure veteris Testamenti sit ista prohibitio, & similiter text. in cap. reperiuntur, 1.qu.1.
13 nisi.per quamdam æquationem,quia æquiparatur vendere Episcopatum, vel Ecclesiam, & Spiritum sanctum. Dicit tamen Abbas, quod quando beneficium non haberet ordinis executionem, licèt Papa non illaquetur constitutione iuris positiui, tamen cum eo contrahentes benè ligantur, & sic quod ementes non possent sine peccato ministrare in beneficio parsimoniam cũ Papa commissam recepto, allegat quod ponit Ioann.Andr.in regula cui licet, in 6. in mercu. Ad quod vide Bald. in l. digna vox, C.de legibus, & quod dicit Cyrill. & Bald. in authen. quibuscumque, C. de sacrosanct. Eccles. & Benedictus de Plumbino in l.Lucius, ff.de fideicomm.liber. Bart. & Angelus in l. 1. quod quisque iuris, & Doct. in cap.vt animarum, de const. Quod vltimum an sit verum, vide in dicta summa Angelica in verbo simonia quintò, versic. vltimo, vltra id; quod relatum est supra tenere Petr.de Palud.& ponunt alij Moderniores post Abbatem in dicto cap. 1. de simon. & in dicto cap. ex parte de offic delegat. Archid.& Dom. 12.dist. cap.1. vide, & Felin.in cap.de cætero de re iudic. Et istud etiam quod tenet Abb.videtur tenere Ioan. de Anast. in dicto cap.1. in 6. col. cum dicit, quod Papa in dubio non censetur dispensare, vt in cap.2. de schisma. Et idem Ioann.de Anast. ponit exemplum de Ecclesia sancti Petronij, cui fuerat concessum, quod possent eligere duos, vel tres Sacerdotes, quibus dabatur potestas commutandi omnia vota sancti Antonij, & sancti Iacobi, & alia, & conuerrendi pecunias ad opus fabricæ sancti Petronij, & dicit, quod illi, cum quibus esset dispensatum nulla subsistente causa, nisi tantùm occasione ruinæ dictæ Ecclesiæ, non essent tuti quoad Deum, de hoc tamen vltimo quid tenendum, vide Moderniores in locis supra
14 allegatis. Sed quo ad primum dictum Abbatis, pro eo facit, quod dicit Innocent. & refert Ioann. de Anast. in cap.per tuas el secundo de simonia, quod Episcopus, qui emit Episcopatum non potest licitè ordinare Clericos, quia illa collatio procedit ex illa emptione beneficij, & ideò quod omnes ordinati ab eo non recipiunt ordinis executionem, quod intelligit Anton, nisi fuisset toleratus, de quo vide in cap. cum non liceat, post Abb.de præscript. Sed quoad primum dictum Abbatis, in contrarium videtur tenere Ioann. de Anast. in dicto capit.1. de simon. Pro qua opinione allegat text. in cap. constitutus, de Relig. domibus, vbi ille Episcopus concessit illi Abbati, de quo ibi omne ius, quod habebat tam in Monasterio, quàm in Ecclesijs pertinentibus ad ipsum Monasterium constitutis in Diœcesi ipsius Episcopi, pro certa annua pensione pecuniæ, scilicet 8. denariorum. Et licèt ibi allegaretur simoniaca prauitas, quia in illo iure,quod concedebat Episcopus, erat connexitas spiritualitatis, & temporalitatis, tamen ibi contractus non iudicatur simoniacus.
15 Quod omninò fuit, quia, vt ipse dicit, pecunia censebatur data pro temporali, & non pro spirituali, vt ibi declarant Doct. Et docuit Anton. in versic. secundum dubium, &c. sic dicit in proposito, quod pecunia censetur data pro titulo beneficij, non pro ordinis executione, vt res valeat potiùs, quàm pereat, cap. Abbate sancti, de verborum significat. Nec obstat, quod vendito vno ex connexis, censetur & alterum venditum, vt in cap.si quis obiecerit 1. quæst.1. quia dicit, quod ibi est sermo in talibus connexis, quorum vnum sine altero stare non potest, sicut nec anima sine corpore, & corporaliter viuere.

Et pro ista opinione facit text. & quod ibi dicunt Doctor. in dicto cap. ex literis, de iurepatron. quod licèt aliàs non possit
16 vendi iuspatronatus tamquam quid spirituale, vel spirituali annexum, vt in capit. quia Clerici, & in capitulo de iurepatronat. facit, quod dicitur in cap. quanto, de iudic. tamen si venditur quid venale, vt Villa, vel Castrum, transit etiam iuspatronatus, quod est in villa, quia contractus videtur initus, & pecunia data super iure temporali, & non pro iurepatronatus, sed iuspatronatus transit accessoriè, vt ibi dicitur. Et sic iuspatronatus, quod est quid annexum spiritualitati, transit accessoriè cum temporalibus, leg.in modicis, & quod ibi notatur, ff. de contrahen. empr. & sic magis dignum potest accedere minùs digno, vt ibi notat Abbas sic in proposito, pecunia censetur data pro titulo beneficij, videlicet pro fructibus, & redditibus,qui capiuntur ex beneficio, & non pro ordine, licèt ordo videatur quid annexum titulo beneficij, & quid accessorium ad titulum. Facit, quod dicit idem Abbas in dicto §.qui verò, videlicet,quod in ordinatione datur potestas clauium in habitu, non in actu, sed in institutione, vel collatione beneficij datur executio illius potestatis, vt in cap. adijcimus, in §. ecce, cum cap. sequent. 16. quæst.1. Non enim potest quis quantumcumque sit Presbyter, soluere, vel ligare alterius Parochianum, vel in alterius Ecclesia celebrare sine Rectoris licentia, Clement.1. de foro competen. cap. cùm omnis, de pœnitent. & remiss. capit. cunctis 16. quæst. 1. 9. quæst. 2. ferè per totum, & de Paroch. cap. vt Dominicis, & cap. nullus, cum similibus. Sic ordo, siue illius executio non censetur venditus in collatione beneficij, sed venit tamquam quid accessorium. Et si rectè inspiciatur, cuiuslibet ementis mens est illa, quia non attendit ad illud, quod est oneris, sed ad emolumenta prouenientia ex beneficio, & ad valorem, qui hodie tantùm attenditur vt fatear, cùm iàm non erubescant dicere, quod beneficia dantur ad viginti pro centum, & officia ad decem pro centum, quod

quod audire abhorret natura. Et istam opinionem tenet Petrus de Ancharanis in cap. 1. in 2. charta, de constitut. Sed con-
17 trariam conclusionem, & opinionem ponit, & sequitur Andreas Barbat. in dicto cap. ex parte, de offic. deleg. licet remittat se determinationi Ecclesiæ. Et similiter D. Ioannes Caraffa in quodam suo tract. de simonia, nihil concludendo, remittit se determinationi sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ, vt dicit, videtur tenere, quod ista simonia non cadit in Papam. Domin. Felinus in cap. 1. de simon. dicit opinionem Abbatis esse communem, & eam ipse tenet. Sed idem Felinus multùm animosè, & simpliciter in dicto cap. ex parte, dicit, quod communis opinio est, quod Papa in simoniacis, quia prohibitis, non illaqueatur, nec committit, illa vendendo, simoniam. Immò dicit, quod istæ solutiones ex diuturno vsu sunt factæ de spontaneis necessariæ allegat cap. ad Apostolicam, de simon. subiungens, quod illud, quod datur Papæ, datur sacrario Petri, nec est proprium Papæ, sed prodest danti tamquam facienti opus pijssimum. Ex quo videtur velle, quod qui dat pecuniam Papæ non solùm non illaqueatur simonia, sed nec peccat, immò meretur. Item adducit rationem aliam, quia cessante tali redditu, qui, vt dicit maximus est, Ecclesia contemneretur. Et ex hoc concludit, quod Papa vendendo huiusmodi spiritualia non illaqueetur crimine simoniæ. Vndè hęc varietas Feline?
18 maximè cùm etiam ibi facias mentionem de dictis per te in dicto capit. 1. de simon. contra opinionem Abbatis. Ex dictis eius potest elici vna ratio contra eum. Nàm qua ratione ipse vult, si Papa vendit beneficium, quod non requirit ordinem, quod licèt ipse non illaqueetur crimine simonię, benè tamen sit simoniacus, & quoad Deum non sit tutus qui cum eo contrahit, & sic quod in correlatiuis sit diuersa dispositio per dictam mercurialem. Ioannes Andreas in regula cui licèt, licèt aliàs regulariter sit secùs, vt patet per Domin. in cap. 1. de temp. ordin. in 6. eadem ratione videretur dicendum, quod quantumcumque beneficium, quod venditur habeat, siue requirat sacrum Ordinem, non videatur vendi Ordo sacer, qui vendi non potest, vt in cap. qui studet, 1. quæst. 1. cum similibus, sed beneficium, siue titulus beneficij propter redditus ipsius, & quod sit separata dispositio ex eodem actu vendendi, vt pro vno non censeatur data pecunia, sed pro alio, quantumcumque allegetur connexitas Ordinis cùm beneficio. Licèt sit secùs regulariter in connexis, vt in cap. si quis obiecerit dist. 1. qu. 1. & in capit. translato cum materia, de constit. Et fortiùs in isto casu, quàm in alio, quia restringitur odium, & præcedenti ampliatur. Non enim præsumitur quis velit facere actum, ad quem illaqueetur, & incidat in pœnam, leg. item apud Labeonem, §. si communem, ff. de iniur. leg. si quis seruum in fin. ff. de seruo corrupto, Bartolus post gloss. in leg. non solùm, §. sed vt probari, ff. de noui operis nunc. Doctor. in cap. cùm ex officij, de prę-
script. maximè Anton. de Butr. Baldus in rubr. C. de fide instrument. vers. iuxtà hoc quæro. Bartolus in leg. is, qui reus, versic. sed quæro in accusatione, ff. de publ. iudic.
19 Non enim præsumitur animus nocendi, Bartolus in leg. fluminum, §. fin. ff. de damn. infect.

Felinus autem in cap. ad audientiam el 2. in 5. col. versic. tertia declaratio de rescrip. cum ponit quæstionem, vtrùm Papa possit imponere pensionem super beneficijs sine causa, & an ij, quibus assignatur pensio, si hoc deduxerant priùs in pactum, sint tuti in foro conscientiæ, videtur tenere cum gloss. Bernard. & quod possit, & quod tales sint tuti. Et ibi allegat quod si tales non essent tuti in foro conscientiæ, Pontifices ista non tolerassent, & talibus formam dedissent per constitutiones suas, vt dicit de Martino V. Eugenio IV. & Paulo II. Vide ibi eum, quia allegat sanctum Thomam, & alios plures contra, & alios
20 pro. Addit tamen, quod licèt aliàs vbi Papa dispensat in prohibitis à solo iure positiuo, sufficiat sola voluntas pro causa, etiam quo ad Deum, nedum in foro contentioso, per dicta Innocent. in capit. cum ad monasterium circa medium de statu Monachorum, & Cardin. in repetitione capituli perpendimus in colum. 9. de sententia excommunic. cum allegatis ibi per eum, tamen quando lex canonica esset fundata in aliqua ratione descendente à iure diuino, vel à ratione descendente merè à dictamine rationis naturalis sine causa non valeret dispensatio, allegat Abbatem in repetitione, cap. per tuas in 11. colum. versic. nec obstat de arbitr. quo casu dicit etiam quod dispensatio non valeret etiam in foro contentioso, vt est quando tolleret alicui actionem, quæ licèt sit à iure inuenta, tamen descendit à iure naturali: Et idem dicit, quando lex canonica esset fundata super bono publico, & dispensatio Papę pręiudicaret illi bono publico, quod tunc talis non esset tutus in foro conscientiæ, & idem dicit vbi Papa dispensaret ex affectione carnali. Et ita intelligit Abbatem in cap. de multa in 4. col. versic. ex prædictis infero. & in cap. per venerabilem post Ioannem Andream qui filij sint legit. & in dicto §. qui verò in 37. col. & in cap. constitutus de religi. domi. Vnde si rectè perpenditur mens Felin. videtur restringere gloss. in cap. ex parte, & in cap. cum pridem, nec per hoc declaratur si Papa vendendo beneficium habens ordinem annexum, incurrat simoniam. Et quod dicit, quando dispensaret affectione carnali, non videtur tutum, quod ipse dicit de cap. 1. vt Eccl. benefic. & cap. tuam de ætat. & qualit., quæ loquuntur in inferioribus Papa.

21 Ex præmissis redditur, valdè ambiguum quid tenendum sit in quæstione Abbatis. Pro cuius opinione adduco text. iuncta gloss. in cap. Saluator circa fin. 1. qu. 3. vbi tex. dicit quod vendere Archipresbyteratum, Archidiaconatum, vel Præpositūram, est vendere Columbam, idest Spiritum sanctum, quantum est in vendente, & al-

N 2 leg.

leg. Augustinum hoc dicentem, & glosf.ibi in verbo in subiecto, supplet, quia ista habent curam animarum annexam. Et clariùs glosf., quæ incipit sicut in Ecclesia Bononien. quæ ostendit quod quando est annexus ordo, vel tale officium, quod requirit ordinem, illud est de prohibitis, quia simoniacis, & sic prohibitum in veteri testamento, & iure diuino. In ista materia posset sic dici, quod si quærimus vtrùm
22 Papa committat simoniam, hoc est illaqueetur crimine simoniæ quoad pœnam iuris positiui, clarum est quod non, quia cum sit supra ius, vt in leg. digna vox C. de legibus, non ligatur à seipso, vt leg. penult. ff. de arbitr. 4. qu. 4. nullus cap. fin. cum materia de instit., & Ioannes Andreas in dicta regula, cui licèt, & Doct. in cap. vt animarum de constit. in 6. & in cap. 1. in glosf. in verbo ab omnibus de constit., & cap. innotuit de elect. Condito-
23 ri enim canonum licet contra suam constitutionem dispensare, vt in cap. cum ad Monasterium, ibi Innoc. & Doct. de statut. Monach. clem. 2. de elect. cap. proposuit de concesf. præben. cum similibus, & in tantum dico hoc verum, quod etiam si hoc fieret in prohibitis, quia simoniacis, quo ad pœnas iure communi additas talibus simoniacis, Papa non ligaretur. Et ideo in quæstione Abbatis dico quod Papa vendendo beneficia habentia ordinem annexum, non dicitur illaqueari pœnis à iure communi inflictis contra tales, nec isto res-
24 pectu potest dici simoniacus per iura prædicta. Credo tamen, quod qui recipiunt talia beneficia ab eo per pecuniam, ipsi benè subijciantur pœnis iuris communis, Nec eos excusat, quod cum Papa simoniam commiserint, tum quia Papa in dubio non censetur dispensare, nisi hoc dixerit, vt in cap. primo ibi glosf. & Doctor. de schismat. quia non potest negari quin tales peccent. Et in materia concernente peccatum, mixtura superioris, vel Papæ non excusat,
25 vt 25. qu. 1. omne & cap. nullus dist. 36. qu. 2. Et ideò si successor voluerit tales punire pœnis à iure communi contra simoniacos ementes beneficia inflictis, iustè poterit. Nec poterunt se excusare quia cum prædecessore contraxerunt, cum non ligauerit successorem, Clement. ne Romani in princ. cum similibus de elect. Et vtinam successores ita punirent, cum iam ex impunitate huius sceleris vsurarij mercatores, literarum penitus ignari, passim postpositis viris dignis promoueantur, vnde impossibile videtur, quin flagellum Dei appropinquet, cùm ista multipliciter offendant Deum, & non leue pariant scandalum in Ecclesia, quia cum cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt, cap. cum sit de ætate, & qualitate.

26 Hoc tamen intelligerem verum, nisi appareret de intentione Papæ, quod vellet dispensare, & de eius certa scientia, per ea quæ ponuntur, in dicto cap. secundo de schismat. & in cap. veniens de filijs presby. & distinct. 51. qui in aliquo, & dist. 54. si seruus, & Oldrad. consil. 352. cum septem consilijs sequent. quod dicitur in l. quidam consulebat de re iudic. Hoc est, quod sit certus de qualitatibus personæ, cui per pecuniam prouidet, & de illius intrinseca inhabilitate. Facit quod dicitur in cap. concertationis post glosf. de appel. & Alexan. consil. 114. incipit Titius, in primo volumine, vt sciat si sit ignarus literarum, & persona, cui propter malos mores rationabiliter non esset prouidendum. Vnde Ioannes Andreas in dicto capitulo secun-
27 do, & Cardinal. post eum dicunt quod quando præmittitur causæ cognitio, præsumitur dispensatio, etiamsi non dicat dispensamus, adducit c. ad audientiã de app. Non tamen requiro quod sit certior de pœnis à iure inflictis, quia Papa habet scientiam iuris, vt in cap. 1. de constit. in 6. Ad hoc est, quod dicit Innocen. in cap. cum ad Monasterium de statu Monac. & Spec. in tit. de lega. in §. breuiter circa fine. Si
28 autem Papa sciret omnes qualitates, & prouideret, tunc satis esset tutus in foro conscientiæ, vt posset retinere beneficium, & nõ incurreret pœnas iuris positiui. Vnde non teneretur resignare, sed posset retinere beneficium salua conscientia, quia in talibus Papæ auctoritas supplet, tollendo tacitè pœnas iuris positiui. Et hoc tenet Rosarius in summa, in verbo simonia primò, vers. 2. & Petr. de Palu. in 4. sentent. dist. 25. in 4. qu. & conclusione 3. Facit quod dicit Angelus in l. 2. C. de crimine sacril.
29 quod Papa potest vnico verbo pronunciare aliquem Sacerdotem, & quod notat Innoc. in cap. 1. de sacra vnctione, qui dicit quod si non esset constitutio Ecclesiæ, sufficeret dicere sis Presbyter absque alia solemnitate, Hinc est etiam quod Papa solo verbo potest facere Episcopum, vt dicit Angelus in leg. prima per illum tex. C. de sententiam passis. Et tales erunt veri Episcopi, & presbyteri, licèt alias sit omnissa forma ab Ecclesia introducta. Sic in proposito quando Papa scit omnia, & vult, censetur tacitè dispensasse, vt non dicatur simoniam incurrere, qui dedit ei pecuniam pro beneficio, quod est clarum in beneficio in quo non requiritur ordinis executio. Pontifices tamen sic prouidendo, malè faciunt, & debent omninò abstinere, quia vt dicit Cardin. in dicto capitulo constitutus, minoratur deuotio, & boni Pontifices abstinent, vt ipse dicit in capitulo 1. de simonia.

30 Sed vbi esset tale beneficium, quod requirit ordinis executionem, licèt frater Angelus in summa Angelica, in verbo simonia quintò, in vers. final. velit quod sit idem, & Petrus de Palude vbi supra, tamen intelligerem eos quoad pœnas iuris positiui, id est quod talis emens beneficium esset securus quod non posset posteà de tali emptione puniri, sed quo ad retentionem beneficij in foro conscientiæ, istud dependet à quæstione Abbatis, quia si tenemus quod Papa vendens beneficium requirens ordinis executionem illaqueetur crimine simoniæ, sicut vult Abbas in d. §. qui vero, & in dicto cap. primò, & cap. cum pridem, & de quo infra dicetur, quasi videatur vendere ordines, quod est prohibitum quia simoniacum

quia

quia etiam iure diuino prohibitum, vt in dicto capit. sicut. in glos.1. qu.1. tunc crederem quod quantumcumque Papa habuisset certam scientiam omnium, tamen ille qui emisset, non esset tutus quo ad Deum, nec posset salua conscientia retinere beneficium, nisi aliter quàm per solam scientiam Papę appareret quod Papa cum eo ex causa dispensasset. Et sic intelligo quod dicitur in dicto c. 2. post gl. de schisma. Mo-
31 ueor ad hoc, quia quantumcumque Papa in his, quæ sunt iuris positiui ex sola voluntate, & sine aliqua causa dispenset, vt vult Innoc. in cap. cum ad Monasterium de statu Monac. & per Abbat. in cap. at si Clerici in §. de adulterijs in 6. colum. de iudic. & in cap. cum ex literis, de in integ. resti. facit tex. glo. & Bar. in l. relegati ff. de pœnis, tamen vbi lex positiua haberet in se rationem ex lege diuina, vel naturali, si Papa dispensat sine causa, vel cum causa, quæ non sit vera, tunc dispensatus quo ad Deum non est tutus. Vide Abb. in cap. de multa in 4. col. de præben. & in cap. per venerabilem in 2.colum. qui filij sint legit.
32 Et ratio est, quia dispensationes non debent fieri propter particulare bonum, siue interesse, sed propter bonum publicum, vt ibi dicitur in d. cap. de multa, alioquin vbi non est causa rationabilis dispensandi non dicetur dispensatio, sed dissipatio. Vide Richar. in 4.sent. dist. 38. qu. 8. articulo primo, dum allegat Bernardum de consideratione ad Eugenium Papam 14. capit. Vnde glos. in cap. non est de voto, dicit quod vbi Papa dispensat sine causa vera in ijs, quæ sunt de iure diuino, dispensatus non est tutus quo ad Deum. Et vide Ioan. de Immol. in cap. cum olim in secunda colum. de Cleri. coniug. & Abbat. in cap. cum venissent in 5. colum. de iud. & in cap. significasti de elect. Crederem tamen quan-
33 do immineret aliqua necessitas Sedi Apostolicæ, quod illa esset satis rationabilis causa dispensandi, quando persona cui prouidetur est idonea, & causa est vera, & non in literis conficta, per id quod dicit Card. in dict. cap. constitutus de relig. domib. Et isto casu ille, cum quo esset dispensatum posset retinere beneficium salua conscientia, dummodo non soluatur pecunia pro emptione executionis ordinis specificè, sed tantùm detur pecunia pro beneficio, nec geratur in mente pecunia acquirere ordinem. Et isto casu limitarem opinionem Abbatis in d. §. si verò, & in dicto capitulo 1. & alijs locis supra allegatis.

Quid autem dicedũ in quęst. eius iudicio meo hoc depēdet ab illo, vtrũ pecunia data pro beneficio requirente ordinem sacrum in sui executione, censeatur etiam data pro ipso ordine, quia vt dicit tex. in cap. si quis obiecerit. 1. qu. 3. quisquis horum alterum vendidit, neutrum inuenditum dereliquit. Et similiter tex. in cap. saluator. ead. causa, & qu. subiungit, ac per hoc eum, qui rem Ecclesiæ vendit, vel emit, simoniacus esse intelligitur, ex quo venditur vnum, sine quo alterum non prouenit. Et prætereà dicitur, quod emens vel vendens Ecclesiam dicitur emere, vel vendere Spiritum sanctum, vt in præalleg. cap. præsbyter 1. qu. 1. Quem spiritum si Papa emere, vel vendere voluerit, erit simoniacus, vt in cap. quisquis, & in cap. benedictio. 1. qu. 1. Imò hæreticus esset habendus, vt diximus supra per dicta Innoc. & aliorum in cap. quoties de simonia. Pu-
34 tarem posse dici quod si Papa venderet de per se Episcopatum, qui est ordo, vt in c. 1. de testam. & in cap. quoties. de purga. cano. & in cap. Cleros. 21. dist. & 88. ad hoc per Doct. & Dom. in proœm. 6. tunc salua determinatione Romanæ Ecclesiæ posset dici, quod Papa inuoluatur crimine simoniæ. Et idem esset, si venderetur Sacerdotium de per se, vel alius ordo sine titulo beneficij, vel specificè cum titulo beneficij, quia est de prohibitis, quia simoniacis, quibus Papa inuoluitur, vt supra dictum est. Et olim erat prohibitum emere Sacerdotium in lege veteri, vt in cap. eos 1. qu. 1. vbi tex. allegat. 29. canonem Apostolorũ, & actus eorum, & tertium, & quartum librum Regum, vbi alienum omninò à Sacerdotio pronunciant eum, qui aliquando dederit, vel acceperit pecuniam in aliquo tempore, siue ante manus impositionem, siue post. Et glo. ibi refert de Ieroboam, quod quicumque volebat implebat manum suam & fiebat Sacerdos excelsorum, & propter hanc causam domus Ieroboam euersa est, & deleta de superficie terræ. Ex quo patet, quod prohibitio vēditionis Sacerdotij fuit in veteri lege introducta, sed multò magis
35 in Episcopatibus: quia licèt olim in primitiua Ecclesia non esset differentia inter Episcopos, & presbyteros, vt in cap. Cleros 21. dist. posteà tamen quia presbyteri ordinabant alios indiscretè, Petrus cum alijs Apostolis restrinxerunt potestatem conferendi characteris, & per Prouincias creauerunt certos habentes illam potestatem conferendi characteris quos vocarunt Episcopos, & ordinauerunt, vt alij presbyteri non possent conferre sacramenta, quæ hodie reseruantur Episcopis, vt in cap. legimus, ibi, glos. 93. distin. & dicitur per Doct. in d. cap. Cleros, & in proœm. sexti. Faciunt, quæ dicuntur in cap. quanto, de
36 consuet. Facit quod in ordinibus Ecclesiasticis confertur gratia Spiritus sancti, quæ multum in Ecclesiasticis ordinibus operatur, si autem non datur gratis non est gratia, vt dicit tex. in cap. grat. 1. qu. 1. Et in cap. gratiam, eadem causa, & qu. dicit Ambrosius gratiam cum ordinareris non accepisti, quia gratuitò eam non meruisti. Et in cap. presbyt. 1. qu. 1. cum dicit tex. quod emere Spiritum sanctum est simonia, supplet gl. 1. ordinem, & alia officia quæ dona sunt Spiritus sancti, & inde colligit glos. in cap. sicut eunuchus 1. qu. quæ incipit iste Antiochus, quod est argumentum ex illo text. quod in veteri testamento simonia erat ordinem emere, ergo vel pro ordine sine beneficio, vel pro beneficio, & ordine specifice pecuniam recipiendo quia est de prohibitis, quia simoniacis, Papa illaqueatur crimine simoniæ, secundùm magis communem opinionem, non tamen illaqueatur, nec subijcitur pœnis additis con-

contra tales simoniacos per ius positiuum, quia ipse est solutus legibus, vt l. Princeps ff. de legib. & d. cap. proposuit. Vtrùm autem subijceretur pœnis positis in decreto Constantien. Concilij contra simoniacos in 43. sessione, crederem quod non, quia non loquitur de Papa, nec magis ligatur illa, quàm alijs constitutionibus, & quia ipse non ligatur decretis conciliaribus, quia est supra Concil. vt in cap. significasti, de elect. & infra latè disputatur. Si autem Papa confert beneficium requirens ordinis executionem nulla facta mentione de ordine, tunc si non gerat in mente vendere ordinem, non erit simoniacus, quia
38 titulus beneficij secundùm omnes glos. in d. cap. ex parte, &c. & si Christus, est de iure positiuo, & ita sit vera opinio Card. & aliorum sequentium, vt supra. Et isto casu diceremus non videri pecuniam recipi pro ordine, sed tantum pro beneficio, & redditibus, quod in Papa potest admitti, vt possit separare ordinis executionem ab ipso beneficio. Nam vbi vult, liberat aliquem vt non teneatur ministrare in ordine requisito in beneficio quod habet, & potest facere quod deseruiat per substitutum, sicut quotidiè videmus, vt in dict. capitulo extirpandæ in §. qui verò de præbendis. Licèt de hoc Alex. videatur dicere contrarium in d.c. latorem, prima quãdo beneficiũ habeat annexum ordinem, vt quia non posset conferri, nisi actualiter in Sacerdotio constituto. Non obstat. c. si quis obiecerit, & cap. saluator, prima qu. tertia, quia ista iura loquuntur in inferiore à Papa, qui non potest separare ordinis executionem à titulo beneficij sicut Papa, qui est dominus omnium beneficiorum, & ei sunt omnia beneficia manualia, vt in clemen. 1. vt lite pendente.

Vnde ex his patet, quod nõ obstat quod dicit Abb. si conferatur beneficium presbytero iam ordinato, qui tamen in habitu habet potestatem clauium, & cui executio ordinis demandatur in ipsa institutione, vel collatione beneficij, vt in §. ecce sufficienter, & in capitulo seq. 16. q. 1. quod cùm executio ordinis sit connexa sacramento ipsius ordinis, vendendo executionem ordinis videtur vendere ipsum ordinem, & donum Dei, quia vt dictum est, nec executio ordinis videtur vendita, si Papa non vult. Debet tamen Papa abstinere propter alios, quia licèt quo ad se non incurrat simoniam, non tamen euitat peccatum, saltem mali exempli, & scandali subditorum. In hoc enim subiectus est sicut, & cæteri, vt in cap. nos si incompetenter. 2. qu. 7. Immò grauiùs peccat, vt cap. homo
40 Christianus 40. dist. Non enim potest Papa facere id, per quod denigratur, seu decoloratur status Ecclesiæ 1. q. 7. cap. & si illa 23. qu. 1. sunt quidam. Quia cùm cæteri debeant ab ipso sumere exemplum sanctitatis, argumento cap. in causis de re iud. & cap. magna, de voto, licèt sit supra ius, debet tamen legibus viuere, vt in l. ex imperfecto, ibi Bal. C. de testa. & l. digna vox C. de ll. & l. 4. C. ad l. Fal. & Bald. vt robique, nam ex his minoratur in eis denotio, & periculum est ne extinguatur, dum videtur tanta indignitas in summo Pontifice, vt pro pecunia tribuat quæ pro virtutibus compensanda sunt, vt dicit Cardin. in dict. cap. constitutus de relig. domib. Ideo debet abstinere etiam eo casu quo nullam incurrit simoniam, vt dicit Hostien. Card. & Abb. in d. cap. 1. de simo. Facit quod ponit Specul. in tit. de dispens. in §. nunc breuiter, vers. 12. vbi ponit quod Papa non potest dispensare in ijs, per quæ decoloratur status Ecclesiæ 1. qu. 7. & si illa 25. q. 1. sunt quidam, & capitulo quæ ad perpetuam. Inuoluitur igitur æquè crimi-
41 ne simoniæ sicut, & quilibet alius in ijs, quæ sunt prohibita quia simoniaca. Et in hoc omnes Doct. concordant tam in dicto capit. ex parte, quàm in cap. cum pridem, &c. & si Christus, cum alijs supra allegatis.

42 Idem, & clarum est, si emeret Pontificatum, vt ponit Hostien. & Doct. in cap. pro humani de homic. in 6. Et eò magis illaqueatur hoc casu, quia committitur eo tempore quo non est Papa. Facit quod dicitur in cap. sicut de iure iurando, & quod ibi nota. Abba. de iuramento præstito ante promotionem, & quod in cap. de hoc de simonia, de pecunia data in electione. Omnis enim potestas est à Deo, vt 22. qu. secunda sicut etiam, & 23. qu. 1. quid culpatur circa fin. 2. qu. 4. quæsitum, & Apostolus ad Rom. 13. non est potestas nisi à Deo. Ideò non est acquirenda per pecu-
43 niam. Et licèt dicatur quod lex Iulia. de ambitu non habeat locum in curia, vt in l. 1. ff. ad l. Iul. de ambitu, & supra est dictum, illud dicitur respectu Principis, qui electus est canonicè, & est super omnes, & est solutus legibus, vt in l. Princeps legibus, ff. de ll. & cap. cuncta per mundum 9. qu. 3. vt dicunt Doct. post Ioan. Anton. in d. cap. primo de homic. in 6. Et intelligo sicut supra dixi. Et ibi in d. cap. primo dicitur, quid de Imperatore, qui emit Imperium. Ante ergo quàm sit electus, incidit in simoniam, imò & in pœnas à iure positiuo statutas contra simoniacos. Vnde videretur, quod & in pœnas cap. in nomine Domini dist. 23. inde dicunt glos. & Doct. in cap. cum non liceat, de præscript. quod potest à Prælato recedi, quando est notorius simoniacus, & glos. in cap. Sacerdos 2. qu. 7. & vide in cap. per tuas el. secundo de simonia, & vide de pęna in Episcopo text. notabilem in l. si quemquam C. de Episco-
44 pis, & Clericis. Vnde licèt exceptio simoniæ commissæ in electione non possit obijci Papæ, postquam reperitur electus à duabus partibus Cardinalium, & receptus, vt in cap. licèt post glos. de electio. tamen non dubitatur, quin possit obijci Cardinalibus quod per simoniam elegerunt, vt in cap. si transitus dist. 79. & ponit Ioan. And. in d. cap. licèt in glos. in verbo exceptione, quæ incipit, & sic, & idem ibi Cardin. Ant. Ioannes de Immola, & Abbas.

45 Nec obstat quod Papa non ligatur iure positiuo, vt in cap. proposuit, quia potest dici, quod cum agitur ante Papatum adeptum de incurrenda pœna, supponitur quod

quod non sit Papa, & ita bene ligetur,(quia nondùm est Papa) sicut quilibet alius. Ad quod facit, quod dicitur, quod contra Papam electum à duabus partibus Cardinalium, potest opponi omnis exceptio, per quam infertur naturaliter, hoc est de iure diuino ipsum non esse Papam, vt dicunt Doct. maximè Abb. in d. cap. licèt. Sed talis est ista, quia in iure diuino erat prohibitum emere Pontificatum, vt in cap. eos. 1. qu. 1. & dictum est supra igitur. Quinimò Ægid. Bellamera in cap. in nomine Domini dist. 23. plus voluit, quod etiam si simonia sit occulta, quo ad Deum in foro conscientiæ electus incidit in pœnas illius capituli, nec habebitur pro Papa. Quod & videtur admittere Alexan. ibidem. Eme-
46 re enim summum Sacerdotium maximè abhorrebant in veteri lege, vt patet in capitulo sicut eunuchus prim. quæst. prima, & vide glos. Nicolai de Lucæ capit. primo cum dicit. de Caipha quòd emerat Pontificatum. Et quod Papa inuoluatur crimine simoniæ emendo, vel dando pecuniam pro Papatu, vide text. glos. & Doct. in capitulo si quis pecunia 79. dist. Et nomine Alex. in cap. in nomine Domini 23. dist. quod dare pecuniam pro Pontificatu sit species hæresis, Et quod emendo Pontificatum incurratur simonia, tenet idem Alex. in dict. cap. latorem.

47 Vtrùm autem Papa possit accusari de simonia, & si per simoniam est electus, an possit amoueri, & quid in Cardinale, dicemus in loco proprio. Et inducitur ille text. cap. si quis pecunia, maximè intelligendo de electione facta à Cardinalibus, quia est pars cap. in nomine Domini 23. distin. ad ostendendum, quod ista sola causa est legitima congregandi Concilium, quando per pecuniam aliquis est inthronizatus in Papatu sine concordia Cardinalium, quia non Apostolicus, sed Apostaticus est censendus, vt dicit ibi text. qui etiam subdit liceat Cardinalibus, & alijs clericis, & laicis Deum timentibus inuasorem illum anathematizare, qui non sunt aliud, quàm Concilium. Et intelligitur de Concilio, quod constat ex Cardinalibus, & alijs clericis, & laicis fidelibus. Vnde & in veteri lege, Numer 16. legitur quod chore, qui summum Sacerdotium ambiebat, terra viuum deglutiuit cum Dathan, & Abiron, vt referunt Doct. in d. cap. de elect. Et licèt ille text. in cap. si quis pecunia, intel-
48 ligatur communiter, quod quando aliquis est simoniacè electus non in concordia, nec à duabus partibus Cardinalium, tunc debeat omni conatu eijci, & tunc obstet simonia, vt probat text. in §. patet 3. qu. 1. versic. sed hoc tamen crederem, quando quis esset à duabus partibus Cardinalium electus per simoniam, quantumcumque ex hac causa non possit amoueri, quod nihilominus est sufficiens causa congregandi Cōcilium ex supradictis, ad prouidendum ne similis abusus in Ecclesia Dei pullulet, & vt in posterum saltem non fiant similes electiones. Quod intelligo esse clarum in Papa electo, nondum recepto, nec administrante, propter dicta in cap. licèt de elect. & quæ infra proxime dico. Et in electo, & recepto videretur quòd forte in foro conscientiæ electus per simoniam non est verus Papa, per rationes prædictas, & per dicta Ægi. quæ infra refero, quod videtur sequi Alex. in cap. in nomine Domini 23. dist. Vnde etiam in Papa electo, & recepto erit sufficiens causa ad congregandum Concilium, licèt non ad deponen-
49 dum, quod enim dicitur non posse obijci exceptionem simoniacæ electionis, vt dicto cap. licèt in glos. & in cler. ne Romani, illud videtur intelligendum quominus possit administrare, & habeatur pro vero Papa, non tamen quin dicta de causa possit congregari Concilium, & saltem, vt supra dico, erit sufficiens causa ad prouidendum futuris electionibus, & ad puniendum Cardinales similes electiones facientes, & de ipsa simonia sic commissa eos accusandum vt in cap. si quis pecunia 79. distinctione, dicit immò, in dicto cap. licèt. Ad quod facit illa glos. in dicto capitulo si quis pecunia.

Quibus addo vnam rationem irrefragabilem vltra iam dicta, videlicet quod text. in cap. in nomine Domini excommunicat electum per venalitatē, ex quo habeo quod exceptio ex cōmunicationis, quæ insurgit ex constitutione disponente de Papali electione potest obijci contra Papam, & reddit electionem nullam, vt latiùs infra dico, & fuit opinio Innoc. Hostien. & Ioan. Andr. in d. cap. licèt, ergo per simoniam electus quia excommunicatus ex illa constitutione non videtur verus Papa saltem in Foro poli. Super quo benè cogitandum existimo, & pro nunc non decido, sed dicam in illa quæstione, an Papa possit accusari de simonia, & deponi, ibi videbimus, & vide infra vbi refero per Ægi. dicta, & rationes eius, quæ magis ampliant istam opinionem. Et si benè consideretur ille text. in cap. in nomine Domini, qui habet decretum irritans, nec reperitur correctus, principaliter est factus propter simoniam, vt patet ibi in princ. per simoniacæ hæresis trapezitas. Nec obstat quod text. in dicto
50 capitulo licèt, vult non posse opponi aliquam exceptionem electo à duabus partibus, & sic nec excommunicationis, nec simoniæ, nec etiam contra Cardinales, vt in clement. ne Romani, quia illud fuit statutum sic pro euitanda discordia, & schismate, quæ vt plurimùm propter similes exceptiones, & contentiones contingebant, vt probat text. in sui princ. non autem per hoc fit, quin electus remaneat excommunicatus, & simoniacus, & quin debeat ex hoc posse congregari Concilium, vt cessent si-
51 miles abusiones. Nec obstat text. in cap. Agatho. 63. dist. vbi dabatur certa quantitas pecuniæ Imperatori pro consecratione Papæ, quia vt ibi dicunt Doct. non dabatur pro consecratione, sed tempore consecrationis, quando præsentabatur electio Imperatori, soluebatur antiquitus certum quid pro rècognitione multorum beneficiorum receptorum ab Imperatoribus, & illo tempore videbatur cōuenientiùs quàm alio, sicut hodie datur Romanis in coronatio-

natione pecunia pro iucunda assumptio-
52 ne. Item facit alia ratio difficilis electio simoniaca Papæ nihil aliud, est nisi venalitas voti, & iustitiæ in dando votum, vt probat dictum cap. in nomine Domini. Sed istud est de prohibitis, quia simoniacis, vt patet in veteri lege Amos cap. 2. ibi pro eo quod vendiderit pro argento iustum, quod glos. exponit idest iustitiam, & sic ibi prohibetur venditio iustitiæ, quæ virtualiter fit in Papa, cùm per simoniam eligitur, cum ipse ratione Papatus habeat ministrare iustitiam, & sit futurus Vicarius Christi. Facit quod legitur de Demetrio, qui constituit Alchimum summum Sacerdotem pro pecunia, vt patet 1. Macha. 7.& de Bacchide.1.Machab.9. & de Iasone, qui summum Sacerdotium emit ab Antiocho. 2 Machab.4.& quia fecit ritum gentium, ideò simonia hæresis nuncupatur, quod refert frater Antonius Ampigollus in libro introductorio, quid aurea de biblia nuncupatur, in cap. de Prælatis, & Principibus malis. Igitur ex quo Papa illaqueatur huiusmodi prohibitis, quia simoniacis, vt supra satis dictum est, ipse non poterit se-
53 cum dispensare postquam erit receptus. Confirmatur hoc per illum text.in d. cap.in nomine Domini, qui cum loquatur de electione Papæ, loquitur per verbum hæresis simoniacæ, quasi velit ostendere quod propriè, & strictè ista simonia in electione Papæ commissa dicatur hæresis. Et sicut hæresis propriè dicta reddit Papæ electionem nullam, vt dicitur in cap. licèt de electione sic & simonia ista, quia vendit gratiam sibi à Deo datam, ergo prohibitum, quia simoniacum, vt in cap. gratia
54 prima quæst. 1. & emens vota à Cardinalibus, virtualiter emit Vicariatum Christi, & sic facultatem ligandi, & soluendi, & sacramenta ministrandi, quod est de strictè prohibitis, quia simoniacis, vt iuribus supra allegatis patet. Facit text. in d. cap.sicut eunuchus 1. quæst. 1. & quod dictum est de prohibitione emptionis Sacerdotij in veteri testam. Item facit quod legitur
55 Genes. 25. cap. & ibi glos. Nicolai de Lira, vbi quæritur vtrùm Iacob qui emerat primogenituram ab Esau commiserit simoniam, ex quo primogenitura habebat annexum Sacerdotium, quod debebatur primogenito. Et ibi tantùm excusat eum quod non commiserit simoniam, quia diuina voluntate Sacerdotium erat destinatum Iacob, iuxta illud, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et ita etiam ponit Beatus Thom. in secunda secundæ quæst. 100. art.4. ad tertium. Esau autem benè peccauit, vt ibi. Vnde ibi patet quod etiam in veteri testamento erat prohibitum emere temporalia, quæ habebant annexum Sacerdotium, prout erat primogenitura, multò magis videtur in proposito in emptione Pontificatus principaliter, & votorum, quæ creant Pontificem, ex quo videtur sibi quærere titulum Papatus. Et pro hoc fortiter facit text. in cap. scito turpem,
56 in sua ratione 1. quæst. 1. vbi ponderat quod maius crimen est simonia, quàm idolatria arguendo à grauitate pœnæ, sed idolatra si eligatur, electio est nulla, sicut dicitur de hæretico in dicto cap. licèt, ergo & electio simoniaca est nulla. Nec obstat quod ista ratio militat etiam in inferioribus electionibus, in quibus vendere votum non est propriè de prohibitis, quia simoniacis, & in quibus Papa dispensat, vt satis supradictum est. Quia respondetur quod facultas, quæ per talem electionem tribuitur Romano Pontifici, descendit immediatè à Deo per traditionem clauium factam Petro, vt patet Matth. 16. Sed in alijs inferioribus descensiuè à Petro, & sic mediante persona Petri, & consequenter
57 Papæ. Clarum est autem quod plus attenditur causa immediata, quàm mediata, vt in l. si mulier, ff. rerum amo. cap. de cætero de homi. & vbi causa immediata est certa, mediata non curatur 16. quæst.7. & hoc 28. quæst. 1. idolatria, de consecr. dist. 4. nemo tollit. 1. quæst. 1. vt euidenter, de verb. signific. Abbate in fine. Item facit, quod dicit text. in cap. Saluator. 1. quæst. 3. cùm dicit simoniam committi ambitione, & spe lucri, & sic per auaritiam, quæ est
58 idolorum seruitus, vndè dicit simoniacum esse idolatram, & consequenter hæreticum. Item facit, quod dicit Petrus de Palude in quarto senten. distin. 25. in quarta quæst. vbi probando, quod Papa illaqueatur vitio simoniæ dicit omne peccatum est deuiatio
59 ab aliqua lege naturali, vel diuina, vel humana rectè posita, vndè Augustin. dicit quod peccatum est dictum, vel concupitum, vel factum contra legem æternam, quæcumque autem lex loquitur, ijs, qui sub lege sunt loquitur, vt dicitur ad Rom. 3. Ex quo potest sic argui. Omnis homo faciens contra legem, cui subiectus est, peccat, sed omnis homo vendens spirituale pro temporali peccat contra legem naturalem diuinam, cui omnes subiecti sunt tàm Papa quàm alij, huiusmodi est emens votum pro adipiscendo Pontificatu, ergo talis peccat, & non nisi peccato simoniæ in eo, quod est prohibitum, quia simoniacum, ideò, & c. Sed ista ratio videtur generalis, & non propria in proposito, vbi agitur de Pontificatu, sed tantùm infert quod Papa inuoluitur peccato simoniæ, sicut dicit Beatus Thomas, & dixi supra. Vndè ista ratio conuenit ibi in illo articulo vtrùm dando beneficia pro pecunia Papa committat simoniam, & cætera.

Similiter pro hoc facit, quod dicit Ægidius in d.cap. licèt, & in d. cap. in nomine Domini 23. dist. quod ille tex. ponit tria
60 substantialia, per quæ vult electionem esse nullam, & per quæ imponitur pœna illius text. alia ait, esset ad bene esse. Primum quod electio fiat per Cardinales. Secundum quod electio fiat sine venalitate, & sic quantum ad hoc purè, & syncerè, atque gratuitè celebretur. Et sic intelliguntur verba in narratiua ibi posita, ibi simoniacæ hæresis, & in §. qua propter in prin. decreti siuè Canonis illius tex. ibi nimiùm præcauentes, ne venalitatis morbus aliqua occasione surreperet, & in §. quod si prauorum, ibi pura, syncera, atque gratuita. Ita quod ille tex. pro maiori parte videtur

factus

factus propter simoniam. Tertium est quod huiusmodi electio syncerè, & non per seditionem ministretur, & hoc manifestè demonstrant verba literæ in dicto §. quod si prauorum, ibi pura, syncera, atque gratuita, quia quæ fiunt per seditionem, & coactionem, non dicuntur fieri purè, & syncerè. Et similiter facit, dict. tex. in §. quod si quis, ibi per seditionem, vel præsumptionem, aut aliquod ingenium, nam in qualibet coactione interuenit præsumptio, & in qualibet simonia interuenit prauum ingenium. Et hoc videtur clarè probare tex. in cap. si quis pecunia, distin. 79.
61 qui tex. est pars, cap. in nomine Domini, & in aliquibus addit. Nec videtur verum quod dicitur, quod ille tex. loquitur de electione facta per alios, quàm per Cardinales, quod patet per illa verba sine concordi, & Canonica electione Cardinalium, ergo loquitur de electione facta per Cardinales. Sicut nec capitulum in nomine Domini, quia verba eius ostendunt contrarium, ibi in primis Cardinales Episcopi diligentissimi sint simul de electione tractantes, & ibi mox Christi clericos Cardinales adhibeant, & in d. §. quod si prauorum, ibi. Cardinales Episcopi cum religiosissimis clericis, subaudiendo presbyteris, & diaconis Cardinalibus. Item si sic intelligeretur cap. si quis pecunia, illa verba pecunia, vel gratia humana, superflua essent, vel saltem deberet subaudiri maximè, quod videtur absonum, & esset restringere mentem illius tex. Nec obstat quod dici-
62 tur, quod contra electum per Cardinales, si habet consensum duarum partium non potest opponi aliqua exceptio, vt in dicto cap. licèt, quia ille tex. tempore cap. in nomine Domini nondum emananerat, & quia ille text. cap. licèt euacuaret ex toto, cap. in nomine Domini, quod est contra voluntatem Doctorum. Et per hoc dicit Ægidius in dicto c. in nomine Domini, in vers. secundò quæritur, quod tex. ibi debet intelligi in verbo electus, generaliter, hoc est siuè per Cardinales, siuè per alios fuerit facta electio, sed si per Cardinales, tunc si celebrata fuerit per seditionem, vel impressionem, vel simoniam contra decretum ibi positum, erit nulla, ratione impressionis, vel simoniæ, sed si per alios, quàm per Cardinales fuerit celebrata, tunc in omni casu erit nulla, etiam si impressio, & simonia cessarent. Et iste videtur verus sensus illius tex. qui loquitur generaliter de electione contra decretum ibi positum, & nulliter si per impressionem, vel simoniam, aliàs frustrà toties repetit de venalitate. Et inspiciendo principium ipsius tex. venalitas, & simonia dedit causam illi edicto, in dubio autem debet stari verbis edicti, ff. de exerci. l. 1. §. si is, l.
63 prospexit. ff. qui, & à quibus, & l. non aliter, ff. de lega. tertiò. Accedit, quod ex illo text. communiter elicitur, quod electio facta per impressionem est nulla, nec potest assignari ratio diuersitatis quare similiter non sit nulla electio facta per simoniam; maximè cum magis ille tex. fundet se super simonia, & idem replicatur in cap. si quis pecunia, dist. 79. Et iura idem volunt in electionibus aliorum inferiorum, 1. qu. 1. per totum, de simonia, cùm in Ecclesijs, & cap. Matthæus, cum simi. & cap. penulr. de elect. & cap. quisquis eod. titul. Et ad
64 glos. in dicto cap. si quis pecunia respondetur, quod vel est opus illam intelligere in alijs inferioribus electionibus, vel illam negare secundùm Ægid. Sed hoc vltimum repugnat, quia dictum est, quod electio per simoniam est nulla, vt patet ex dictis Doct. in cap. cum pridem de pact. & in cap. nisi, de renun. & in iuribus suprà allegatis, & ex extrauaganti. Martini inserta in gestis Concilij Constantiensis in 44. sessione, in dubio autem, vt dictum est, melius est intelligere tex. secundùm proprium sensum, quàm trahere ad sensum subauditum per dictionem maximè, l. 1. §. si is, qui nauem, ff. de exerci. cum sim. Item illa verba in tex. cap. si quis pecunia videlicèt sine concordi, & Canonica electione, sunt copulatiuè coniuncta, & cum qualitate, non debent igitur diuisim, & sine qualitate intelligi. Facit quod dicitur in gloss. in Cle. dudum de sepul. in verbo pacta. Item tex. non loquitur simpliciter de electione facta sinè Cardinalibus, sed cum qualitate sinè concordi, & Canonica electione Cardinalium, non enim diceretur Canonica electio quæ per impressionem, aut popularem tumultum, vel per pecuniam fieret. Et si dicatur ergo sequitur ex text. dicto cap. si quis pecunia, quod si electio Papæ, fiat ex humana gratia erit nulla, quod videtur absonum, cum & inferioribus sit secus, vt in capitulo tuam, de ætate, & qualitate, & in capitulo finali de simon. Respondetur quod
65 illud verbum humana gratia, intelligitur de gratia humana ad actum deducta per dationem, & receptionem, seù per promissionem, vel pactionem interuentu pecuniæ, vel rei temporalis, &c. quæ inducunt expressam simoniam. Et quod ita intelligi debeat, patet, quia cùm iste tex. sit extractus ex corpore, cap. in nomine Domini, illa verba humana gratia videntur addita per Gratianum, secundùm Ægid. in dicto cap. si quis pecunia in 3. & 5. col. quia non sunt in cap. in nomine Domini. Et sic videtur Ægid. velle, quod electio facta à Cardinalibus, per simoniam sit nulla, quod & latiùs pono infrà referendo dicta eius, quæ posuit in cap. licèt, de elect. Et opinionem eius videtur clarè probare tex. in
66 §. patet 3. quæst. 1. qui allegat illum tex. in dicto cap. si quis pecunia. Sed tu dic quod communiter tenetur contrarium, quod electio Papæ quantumcunque à Cardinalibus per Simoniam facta non est ipso iure nulla, & quod talis sic simoniacè electus est habendus pro Papa ab vniuersali Ecclesia. Et hoc etiam tenendo Alex. in dicto capit. si quis pecunia, respondet ad illum tex. quod procedit, quando est facta electio sine concordia, quia non interuenerunt duæ partes Cardinalium, sumendo argumen. à contrario sensu illiùs literæ, vel quod ibi loquitur in nuda inthronizatione sine aliqua electione, de quo ibi pleniùs per eum. Sed ille tex. in d. §. patet, ostendit directè

O con-

contrarium, in verſ. vel qui per ſimoniam irrepſerunt non ſunt habendi inter Epiſcopos. Adde quæ dico infrà in quæſtione vtrùm Papa poſſit accuſari de apoſtaſia, vbi omninò vide, maximè in verſ. ſed hic conſequenter, vbi ponitur de intellectu iſtius, tex. Et vide Archi. 12. diſtin. cap. primo. Et ſi dicatur in caſu quo, per ſimoniam eſt electus, ad quid proderit congregati Concilium, ſi ex cauſa ſimoniæ Papa non poteſt deponi. Reſpondetur quod ſaltem, vt habentes eligere puniantur, & ne in poſterum attentent ſimilem Simoniacam electionem facere, & vt Papa de commiſſis pœniteat.

67 Ægid. Bellamera in cap. licèt examinat iſtum paſſum vtrùm electio ſimoniacè facta de Papa, ſit nulla, & poſſit contra eum excipi, quod ſit per ſimoniam electus, qui prolixè more ſuo illud capit. legit per 35. char. & in diuerſis locis de hoc facit mentionem. Ex dictis eius elicio, quod, aut quæ-
68 rimus de illo, qui eſt electus à duabus partibus Cardinalium ius, eligendi habentium, & receptus ab eis liberè, quæ libera receptio durat; & de his patenter conſtat, & tunc non poteſt opponi, non ſolùm exceptio, quod per ſimoniam ſit electus, ſed nec hæreſis, vel alterius criminis, vel defectus eligentium, vel electi, tum per text. illum, qui prohibet aliquam exceptionem poſſe opponi, tum quia receptio, & libera obedientia Cardinalium habet vim con-
67 firmationis. Addo, & aliam rationem per eum tactam, quia ideò ius vult haberi pro Pôtifice etiam illum, qui in rei veritate non eſſet verus Pontifex, quia non poſſet haberi recurſus ad ſuperiorem, quia ex defectu ſuperioris, ſi aliud diceretur, ſequerentur ſchiſmata, atque ſcandala, quibus obuiari debet in vniuerſali Eccleſia maximè. Non tamen intelligitur, quod ſi talis ſic electus, & receptus ſit hæreticus pertinax, non ſit hæreticus, nec per hoc efficitur, quod ſit verus Papa. Vnde licèt non poſſit excipi contra eum de hæreſi, vel alio crimine, non negant ibi Doct. quin poſſit accuſari, vt ipſe dicit. Et hoc caſu quando debet accuſari, ceſſat illa ratio tex. quia non habet ſuperiorem, licèt enim non ſit ſuperior, poſſet peti congregari Concilium, vt ſupra ſæpiùs dictum eſt. Et ratio huius quare
70 tunc non poteſt opponi exceptio contra electum, eſt quia iura habent eum pro vero, quamdiu eſt in poſſeſſione ſic à duabus partibus electus, & receptus, nec per hoc efficitur verus Papa, ſed iura habent pro vero ex cauſa. Facit quod dicitur l. Barbarius, ff. de officio. præto. & in capit. ad probandum de re iud. Sic videmus in ſimili in l. penul. ff. de iuſti. & iure. & in l. ingenuum, ff. de ſtatu hominum, & de ijs, qui ſunt ſui, vel alie. iur. l. filium definimus, & quandoque non admittitur probatio in contrarium, vt in capit. is, qui. de ſpon. cum concordan. Aut loquimur in electo à duabus partibus nondum recepto. Et in hoc recitat opiniones. Prima eſt quod poſſit opponi, argumento 1. quæſt. 1. ordinationes, & 1. quæſt. 3. ea quæ & 23. diſtin. in nomine Domini, & 79. diſt. ſi quis pecunia. & cap. vbi periculum, §. cæterum de elect. in 6. & quod ponit Inno., in cap. quod ſicut in gloſſ. & ſic contempti, in verſ. in alio autem caſu de elect. Et in hac opinione fuit Inno. in dicto cap. licèt, in gloſſ. additionali ad finem, in verſ. Item quid ſi corrupti. & Hoſtienſ. & Ioan. Andr. in nouella. ibidem. Sed ego non habeo iſtam additionem ad Innocentium in Codicibus quos habeo, nec reperio, quod hoc ſentiat Hoſtienſ. nec Ioan. Andr. ſed benè dicunt quod poſſit accuſari, ſed non excipi. Et re-
71 ceptio in electo à duabus partibus modicum operatur, quia ſtatim poſt electionem concordem à duabus partibus poteſt adminiſtrare, vt in dicto cap. in nomine Domini, diſt. 23. ſecundùm Inn. Hoſt, & alios in dicto cap. licèt. De quo vide, quod dixi in artic. ſupra ad quem pertinet congregare Concilium, in 2. membro diſtinctionis, in verſ. ſed quid ſi Papa. Et ad gloſſ. in cap. 1. & cap. ſi quis pecunia, 79. diſt. reſpondent iſtam tenentes, quod ſaluatur in ſimonia per eligentes, vel electû cômiſſa extra talẽ electionẽ. Ad quod adducunt dictum cap. in nomine Domini, verſic. quod ſi prauorum, & capit. ſi quis pecunia exponendo ibi humana gratia pro
72 Simonia commiſſa aliter, quàm per pecuniam, vt in cap. fin. de ſimonia. Alia & ſecunda opinio penitus contraria eſt, quod non poſſit opponi exceptio Simoniæ. Cuius opinionis, fuit Ioan. 79. diſt. cap. 1. & cap. ſi duo, & cap. ſi quis pecunia. Et ibi gloſ. Ioan. intelligit illa iura in Simonia in ipſa electione cômiſſa. Faciunt, quæ dixi ſupra in præallegato articulo quis habeat congregare Concilium, in verſic. ſed pone quod inter duos. Et hanc vltimam opinionem ipſe fundat. Nam quidam ſunt
73 defectus intrinſeci, vt puta illi, qui ab intra directè, & de per ſe inficiunt naturalia electionis principia, vt defectus poteſtatis in eligentibus, quia facta per non Cardinales, vel in poſſeſſione Cardinalatus non exiſtentes. Vel defectus numeri minoris quàm à duabus partibus, vel defectus rei, vt quia facta ad Eccleſiam non vacantem, vel defectus perſonæ electæ, vt quia hæreticus, iudæus, vel paganus, vel quia dicitur renunciaſſe iuri ſuo, iuxta notata in cap. 1. de renunc. in 6. vel defectus formæ electionis, vt quia dicitur non interueniſſe conſenſum eligentium, argumento l. obligationum ſubſtantia ff. de action. & obl. in fin. de verb. ſignifi. intelligentia, & cap. in ijs, vel defectus libertatis in conſenſu, & ſimilibus. Et de his dicit poſſe excipi contra Papalem electionem, dummodo conſtet de illis notoriè. Et ratio ſecundùm eum eſt, quia iſta reddunt electionem nullam, vt ponit Innoc. in d. cap. quod ſi-
74 cut in gloſ. & ſic contempti. Et ratio rationis eſt, quia defectus principiorum naturalium, ſuper quibus fundatur eſſentia rei ipſam eſſentiam tollit ff. ad exhibendum l. Iulianus. §. Sed & ſi quis argumen. primo quæſt. prima cum Paulus, & de Presbyter. non bap. venien. Alij ſunt defe-
75 ctus, extrinſeci, vt puta illi, qui naturalibus principijs electionis de directo, & de

per

per se non obuiant, nec illa directè, & de per se inficiunt, sed ab extra veniunt per constitutiones positiuas, sicut excommunicatio, vel suspensio in eligentibus, aut defectus ordinis, vel ætatis in electo, aut defectus solemnitatis in forma Concilij generalis, cap. quia propter eodem tit. Et tales electum à duabus partibus non repellunt. Et est ratio diuersitatis, quia natu-
76 ralia difficiliùs immutantur, vt in §. Sed naturalia Instit. de iure naturali, & quod ponit Innoc. in cap. quæ in Ecclesiarum de constit. & in cap. quia plerique de immunit. Eccles. Vnde, licet ius positiuum
77 cap. licèt tollat defectus extrinsecos, & respectu illorum Papalem electionem separet ab alijs electionibus specialiter statuendo, tamen defectus intrinsecos non tollit, sed sustinet, quia in naturalibus electionum principijs ista cum alijs electionibus participat, nec receditur ab antiquis iuri-
78 bus, nisi in quantum reperitur expressum. Modò vitium simoniè in Papali electione commissum non est defectus intrinsecus, sed extrinsecus; nam licèt notet, & aggrauet personas simoniam committentes, tamen principijs naturalibus electionis directè, & de per se non obuiat, nec illa directè, & de per se inficit. Nam licèt simonia aliqualiter captiuet affectum, intantum quod aliquid de libertate animi videtur tollere, vt in d. cap. vbi periculum §. cæterum in 6. de elect. tamen de per se, & directè non obuiat consensui naturali, cùm eius corruptio ab illo immediatè procedat, & tamen eadem causa contrariorum naturaliter esse non potest ff. de solu. l. qui hominem in
79 fin. Licèt secus, sit in metu, quia metus etsi ab extra causetur, ab intra consensum generat, & sic naturalibus electionis principijs directè contrariatur, vel quoad metum ratio est, quia metus Spiritui Sancto, qui commitari, & dirigere debet eligentium mentes aduersatur, ideò iura volunt, quod inficiat ipso iure. Sed licèt hoc in metu ordinauerint, vt in d. §. cæterum, pro quo vide Abb. Sicu. in cap. Abbas de ijs, quæ vi, & d. cap. licèt, & quod infra latè disputo, tamen quo ad Papalem electionem de simonia hoc non ordinarunt, immò contrarium, statuendo nullam exceptionem admitti. Adde in proposito, quæ latè pono in illo principali articulo, ad quē spectet congregatio Concilij, in quæstione quando sunt duo contendentes de Papatu discordes, in illa quæstione. Quid quando Papa est electus à duabus partibus, vtrùm possit excipi contra eum de hæresi, & quod infra latiùs dico in secunda proxima quæstione, quando obijcitur contra Papam aliquis defectus, per quem dicitur, quod non sit verus Papa. Sed pro alia parte,
80 quod simonia inficiat ipso iure Papalem electionem in electo à duabus partibus nondum recepto, & quod possit de illa excipi, arguit Ægi. Primò quia immò vitium simoniæ est defectus intrinsecus mentem eligentium ab intra vulnerans, atque inficiens, quia qui pro aliquo explendo pecuniam, vel promissionem recipit, animum suum ab intra ligat, vt in §. cæterùm, & voluit Innoc. in dicto cap. quod sicut de
81 elect. Secundò quia rationes tactæ de metu, de quibus infra dico vindicant sibi locum in simonia, & quia similiter iura de simonia, sicut de metu quoad annullandas electiones inferiores statuerunt, & æquè obuiat simonia Spiritui Sancto, & naturalibus principijs electionis, & æquè ab intra animos eligentium captiuat simonia, ac metus, quia neutrum tollit libertatem arbitrij, sed vtrumque ligat, & captiuat, metus ex intentione vitandi periculum, simonia ex intentione consequendi lucrum. Et in metu electio Papalis est nulla, vt latiùs istum passum infra subijcio, ergo similiter videtur dicendum de simonia. Tertiò, quia iura de metu, & simonia in ista materia electionis Papæ vniformiter loquuntur cum inhibitione, & decreto, videlicet, cap. in nomine Domini 23. dist. & cap. si quis pecunia, 79. distinctione. Nec obstat, quod decretum ibi po-
82 situm solùm respiciat defectum, quod electio ipsa non fuisset celebrata à Cardinalibus, vt voluit glos. 76. distinctione capitulo primo, & capitulo si duo, & capitulo si quis pecunia, quia imò respicit, & simoniam, & impressionem; alioquin impertinenter illa iura de simonia, & impressione contexuissent tantum phylacterium. Item hoc esset contra intentionem Nicolai Papę ibi, qui propter seditionem, & venalitatem, quæ in intrusione facta per Cardinales immediatè ante eum interuenerant, motus fuit ad condendum illos textus, vt apparet ibi ex ordine literæ, & ex Chronicis illius temporis. Et prouisio illorum iurium esset infructuosa, & contra communem intellectum, qui colligitur, quod electio facta de Papa per impressionem sit nulla. Vndè dicit esse casum expressum in dicto capitulo in nomine Domini, §. Quòd si quis contra, quòd electio Papæ facta per simoniam sit nulla, quia clausula decreti ibi posita debet referri ad verba dispositiua, & principaliter intenta. Modo attendendum est quòd ibi duo principaliter disponuntur: primum est quod electio fiat per Cardinales, secundum est, quòd fiat absque morbo venalitatis pura syncera, & gratuita, igitur aliter facta quàm per Cardinales, & non purè simpliciter, & absque venalitate, sed cùm morbo venalitatis, est ipso iure nulla. Et si dicatur quod etiam dicto §. Quòd si quis contra non solùm vitiat papalem electionem per venalitatem, sed etiam per gratiam hominum, & sic quòd simonia non pactionalis redderet electionem Papæ nullam, contra notata in cap. fin. de simon. Respondet Ægid. quòd illud debet intelligi secundùm lecta, & notata in dicto cap. fin., vt iura cum iuribus concordent, & vnum capitulum declaretur per aliud, vt in cap. cùm expediat de elect. in 6. Quartò per text. dicto cap. licèt, quia non determinat aliquid de communibus defectibus, aliàs electiones ipso iure inficientibus, nec statuit illos defectus non obstare electioni Papali, saluo defectu cap. quia propter, quem expresse tollit. Nec
83 obstat quod ibi dicitur in dicto cap. licèt,

contra electum à duabus partibus nullam exceptionem admitti, quia intelligitur de exceptionibus, quæ personæ electi indignitatem respiciunt, & ideò de respicientibus eligentes necesse fuit facere nouam prouisionem in clem.ne Romani. §. penultimo de elect. Nec potest text. intelligi indifferenter de quacumq; exceptione, Quod probatur, cùm enim exceptio sit actionis exclusio,ff. de excep. l. 2. supponitur actionem,& actionis propositionem iudicialem, quia aliter non potest fieri eius exclusio; modò supposita actione, seù iure formato electi, cessat omnis exceptio, quia secundùm hoc esset verus Papa; qui à nemine iudicari posset. Vndè siuè sit Papa, siuè non, non potest interuenire iudiciale certamen, quia non est superior, vt dicit ibi text. in fin. dicto capitulo licèt. Ergò si propriè debet capi exceptio, oportet intelligi relatiuè ad exceptiones, quæ concernunt indignitatem personæ electi, alioquin non posset propriè dici exceptio, quia deficeret actio. Quintò, quia intelligere quòd possit obijci exceptio simoniæ, non derogat alijs iuribus, quæ volunt contra electos posse opponi multiplices defectus etiam alios quàm personæ, & formæ, inficientes ipso iure, vt metum, & similes.

Et ex his concludit Bellamera posse obijci de simonia contra Papam electum etiam à duabus partibus, antequàm sit receptus, & electionem Papalem per simoniam factam esse nullam. Et idem ponit in quodam suo tractatu, & idem in capitulo in nomine Domini. 23.dist. Et cum eo videtur transire Alexan. in dicto cap.in nomine Domini. Et idem sensit ipse Ægid. in clem. ne Romani de elect. & vbique fuit eius opinio. Ex quibus elicitur, quòd simonia commissa in electione Pontificis,est sufficiens causa congregandi Concilium.

84 Intelligo tamen Ægidium, quando notoriè constat de simonia, vel de facto, vel alias per probationes in iudicio factas; & licèt sit electus,non tamen est adhuc receptus in Papam de facto, quando opponitur exceptio. Alioquin si esset dubium de simonia, tunc deberet admitti ad regimen, & administrationem Papatus, quia si hoc fit in hæretico, vt ponit Cald. in dicto cap.licèt, multò magis in simoniaco. Et quod dicit quando non est receptus,intelligo de facto, quia receptio in Papa non est necessaria; vt vult Innocen. & Hostiens.& alij in dicto cap. licèt, quia simul atque est electus, potest propria authoritate administrare, vt dicto cap. in nomine Domini. Conclusio-

85 nem autem Ægidij, quòd electio facta de Papa per simoniam sit nulla, pro nunc non affirmo, vt patet in precedentibus maximè quando simonia non fuisset commissa cùm tot ex Cardinalibus quin remansissent duæ partes sine corruptione, quod vltimum, concludit Innocen. & refert Ægid. 13. charta. Et contrarium quòd electio quantumcumque simoniaca à Cardinalibus facta, si aliàs ritè facta sit, valeat,nec possit cassari, nec tolli quin sit verus Papa,quantumcumque criminosus, & irregularis esset electus, etiam ponit Archiepiscopus Floren. in 2. parte summæ tit.3.de superbia cap.11.vers. sed quid cùm duo. Quæstionem autem alibi vide infra in illo Articulo, an de simonia possit Papa accusari, & deponi. Hodiè tamen est Bulla edita per Iulium Papam Secundum contra aspirantes ad Papatum simoniacè; Quæ imponit grauissimas pœnas,& vult, quòd electio sit nulla, & quod Cardinales possint indicere Concilium. Cuius tenor sequitur; & est talis.

86 Iulius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cùm tàm diuino, quàm humano iure in spiritualibus præcipuè detestabiliter simoniæ sit labes prohibita, & longè magis in electione Romani Pontificis Vicarij Iesu Christi Domini nostri ab hominabilis sit,& vniuersali Ecclesiæ perniciosa;nos, qui regiminii eiusdem vniuersalis Ecclesiæ meritis licèt imparibus, annuente Domino præsidemus, cupientes quantum cùm Deo possumus in præmissis pro tantæ rei necessitate,ac periculi magnitudine, vt tenemur, in posterum salubriter prouidere, de fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & vnanimi consensu, hac nostra perpetuò valitura constitutione, Apostolica authoritate,& de potestatis nostræ plenitudine statuimus, ordinamus, decernimus, & definimus, quòd si (quod Deus pro sua clementia, & in omnes bonitate auertat contigerit) postquam nos, vel successores nostros successiuè ipse Deus ab huiusmodi vniuersalis Ecclesiæ regimine absoluerit, humani generis inimico procurante, & ambitione, vel cupiditate ad hoc inclinante; seù impellente, electionem Romani Pontificis ab eo, quem eligi continget, vel ab aliquo, seù aliquibus de cętu Cardinalium quomodolibet votū dantibus per simoniacam hæresim in dando,promittendo, vel recipiendo pecunias, bona cuiusque generis, castra, officia, vel beneficia, seù promissiones, & obligationes commissam, per se, vel alium, seù alios quomodocumque, & qualitercumque, etiam in duarum partium, vel omnium Cardinalium vnanimi concordia quomodolibet, etiam per viam assumptionis vnanimiter nemine discrepante, etiam sine scrutinio factæ celebrari, vel fieri, non solùm huiusmodi electio, vel assumptio eo ipso nulla existat, & nullam eidem sic electo, vel assumpto administrandi in spiritualibus, & temporalibus facultatem tribuat, sed etiam contra dictum sic electum, vel assumptum, de simoniaca labe à quocumque Cardinale, qui eidem electioni interfuerit opponi, & excipi possit, sicut de vera, & indubitata hæresi, ita quòd à nullo pro Romano Pontifice habeatur. Quinimò ipse sic electus à priori suo Cardinalatus, & alio quocumque honore, Ecclesijs cathedralibus,etiam Metropolitanis, & patriarchalibus, Monasterijs, dignitatibus, & alijs quibuscumque beneficijs, & pensionibus, quæ tunc obtinebat in titulum, vel in commendam, aut aliàs quomodocumque, eo ipso absque alia declaratione priuatus existat, & idem electus non Apostolicus, sed Apostaticus, & tamquam simo-

simoniacus, & hæresiarcha, & ad prædicta omnia, & singula perpetuò inhabilis habeatur, & sit, nec huiusmodi simoniaca electio per subsequentem ipsius inthronizationem, seù temporis cursum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem, seù obedientiam vllo vnquam tempore conualescat; liceatque omnibus, & singulis Cardinalibus, etiam illis, qui huic simoniacæ electioni, seù assumptioni consenserint, etiam post inthronizationem, & adorationem, seù obedientiam, ac etiam vniuerso Clero, & populo Romano, necnon subditis, & sancti Angeli de vrbe, ac quarumuis aliarum Romanæ Ecclesiæ arcium præfectis, Castellanis, Capitaneis, & alijs Officialibus, quocumque homagio, seu iuramento, vel cautione præstitis non obstantibus, à talis electi etiam inthronizati obedientia, & deuotione impunè, & quandocumque discedere, ipsis fidei Romanæ Ecclesiæ, & obedientię futuri Romani Pontificis canonicè intrantis nihilominus astrictis permanentibus, & eum, vt Magum, Ethnicum, Publicanum, & hæresiarcham euitare. Ad cuius quoque confusionem possint Cardinales, qui præfatæ electioni se opponere voluerint, si præsumpserit se regimini vniuersalis Ecclesiæ prætextu talis electionis ingerere, auxilium brachij secularis contra eum implorare, nec tales ab eius obedientia discedentes, tamquam tunicæ Domini scissores, aliquarum propter dictum discessum pœnarum, seù censurarum vltioni subiaceant. Cardinales verò, qui eum sic simoniacè elegerint, à suis ordinibus, & etiam Cardinalatus titulis, & honore, ac quibuscumque Patriarchalibus, Archiepiscopalibus, Episcopalibus, & alijs Prælaturis, ac dignitatibus, & beneficijs, quæ in titulum, vel commendam tunc obtinebant, vel in quibus, seù ad quæ ius tunc habebant, absque alia declaratione priuati existant, nisi ab illo penitùs, & cùm effectu discesserint, & reliquis Cardinalibus, qui huiusmodi simoniæ non consenserint, infra terminum octo dierum, postquam fuerint ab eis requisiti, personaliter, si fieri poterit, aliàs per Edictum publicum, se absque fictione, vel fraude vniuerint, & coniunxerint. Et tunc si præfatis alijs Cardinalibus se vniuerint, & coniunxerint, in pristinum statum, & ad pristinos honores, & dignitates etiam Cardinalatus, ac Ecclesias, & beneficia, quibus præerant, & quæ obtinebant, redintegrati, rehabilitati, ac restituti, & repositi, ac ab huiusmodi simoniæ labe, & censuris, & pœnis Ecclesiasticis quibuscumque, absoluti eò ipso existant. Mediatores verò, proxenetæ, trapezitæ, tàm clerici, quàm laici cuiuscumque dignitatis, qualitatis, & ordinis fuerint etiam Patriarchali, Archiepiscopali, siuè Episcopali, vel alia seculari, mundana, siuè Ecclesiastica dignitate præditi, etiam quorumcumque Regum, & principum oratores, vel nuncij, huius simoniacæ electionis participes, sint omnibus suis Ecclesijs, Beneficijs, Prælaturis, & feudis, ac alijs quibuscumque honoribus, & bonis eò ipso priuati, & ad similia inhabiles, ac etiam actiuè, & passiuè intestabiles, & eorum bona ipso facto ad instar reorum criminis lœsæ maiestatis Fisco Apostolicæ Sedis applicentur, si prædicti delinquentes Ecclesiastici fuerint, vel aliàs Romanæ Ecclesiæ subditi, bona verò, & feuda taliter delinquentium non subditorum secularium, Fisco secularis principis, in cuius territorio bona sita fuerint ipso facto similiter applicentur. Ita tamen, quòd si infrà tres menses à die, quo notum fuerit illos simoniam commisisse, vel participasse, principes dicta bona Fisco suo actualiter non applicauerint, ex tunc illa Fisco Ecclesię Romanę applicata censeantur, & sint, eò ipso absque aliqua similiter declaratione. Promissiones quoque, & obligationes, siuè sponsiones propterea quandocumque etiam ante tempus dictæ electionis etiam extra personas Cardinalium, per quoscumque alios quomodocumque, ac cùm quauis inexcogitabili solemnitate, & forma, etiam iuratæ, conditionales, siuè euentuales, & in forma ex commissarum ex quacumque causa etiam depositi, mutui, cambij, confessionis de receptis, donationis, arrendamenti, vel venditionis, permutationis, vel alterius cuiuscumque contractus, etiam in ampliori forma Cameræ Apostolicæ factæ, sint nullæ, & inualidæ, & ad agendum inefficaces, nullusque illarum vigore cogi, vel constringi possit in iudicio, vel extra, liceatque omnibus ab illis impunè absque aliquo metu, sine periurij nota, recedere. Et insuper liceat Cardinalibus, qui electioni prædictæ simoniacæ interfuerint, & à præfato sic electo discesserint, adhibitis secum alijs Cardinalibus, etiam illis, qui huiusmodi simoniacę electioni consenserint, & postea eisdem Cardinalibus in dicta simonia non complicibus se vniuerint, si secum eisdem vnire voluerint, alioquin sine eis, ad alterius nihilominus Pontificis electionem, non expectata alia sententia declaratoria simoniacæ electionis huiusmodi, eadem tamen præsente nostra constitutione semper in suo robore permanente, liberè, aliàs tamen canonicè deuenire, & Concilium etiam Generale indicere, & conuocase in loco idoneo, prout eis videbitur expedire. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & præcipuè fœlicis recordationis Alexandri Papæ. 3. quæ incipit, licèt de euitanda discordia, & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, etiam in Concilijs Generalibus editis, cœterisque contrarijs quibuscumque. Inhibentes postremò omnibus, & singulis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui pro tempore erunt, & eorum sacro Collegio, ne Apostolica Sede vacante prædictis contrauenire, vel contra præmissa, vel aliqua præmissorum statuere, disponere, ordinare, vel aliquo modo facere, seù attentare præsumant quocumque exquisito colore, vel causa, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam ipso facto incurrant, & à qua, non nisi per Romanum Pontificem canonicè electum absolui possint, nisi in mortis articulo. Decernen-

nentes ex nunc irritum, & inane si secus super his, vel aliquo præmissorum, à quoquam scienter, vel ignoranter etiam per nos contigerit attentari. Vt autem præsentis constitutionis, decreti, statuti, ordinationis, ac inhibitionis nostræ huiusmodi tenor ad omnium notitiam deducatur, volumus præsentes literas nostras in valuis Basilicæ principis Apostolorum, necnon Cancellariæ, ac in Acie Campi Floræ affigi, nec aliam earumdem literarum publicationis solemnitatem requiri, aut expectari debere, sed huiusmodi affixionem pro solemni publicatione, & perpetuo robore sufficere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum constitutionis, ordinationis, decreti, statuti, definitionis, applicationis, approbationis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1505. decimonono Kalendas Februarij, Pontificatus nostri anno tertio.

87 An autem in proposito ratione simoniæ per Papam commissæ, quia vendit ordines, & Episcopatus, & beneficia, sit sufficiens causa ad congregandum Concilium, considerandum est, quòd, aut est talis simonia, quæ sonat in hæresim iam damnatam, & dicendum est idem, quod supradictum est in casu hæresis. Aut est simonia, quæ est prohibita in lege veteri, & etiam in iure positiuo, vt de ijs, quę sunt prohibita, quia simoniaca, vt dictum est, & tunc si monitus non desistit à venalitate istorum spiritualium, & beneficiorum, erit sufficiens causa congregandi Concilium. Ita videtur velle, glos. in dicto capitulo si Papa 40. dist. Et ita videtur sentire Card. in cap. proposuit de concess. præben. qui dicit, quòd licèt
88 Papa habeat hanc potestatem, vt quicquid agat, vel dicat accusari non possit ab homine, nisi de hæresi, tamen potest moneri clam si mortaliter peccat in secreto, & palàm, si palàm peccat, nam subiacet Euangelio de monitione loquenti. 2. qu. 1. si peccauerit, & cap. nouit, de iud. & glos. in dicto cap. si Papa, Tamen in eò, quòd dicitur dic Ecclesiæ, non subiacet, nisi in hæresi. Ideò si est impœnitens, dicendum est Ecclesiæ, idest Deo, orando, vt eum conuertat, & Ecclesiæ triumphanti, vt oret pro ipso, sed non poterit à quoquam iudicari, etiamsi Imperator, & totus Clerus, & totus populus conueniant. Attendat tamen animam suam esse in manibus suis, & quod ei iudicium terribilius imminet, & intolerabilior cruciatus. 9. quæst. 3. nemo: & cap. aliorum, ponit etiam Ægid. in cap. Anastasius. 2. colum. 19. dist. dicit Hostien. Ioann. And. Cardin. & alij in cap. proposuit de concess. præben. & Innocent. in cap. ex parte el. 1. de verb. signif. Facit quod dixi supra in quæstione ad quem spectet conuocare Concilium. Ex quo videtur, quòd quando non committeret passim simoniam vendendo beneficia, & ea, quæ sunt prohibita, quia simoniaca, per modum præmissum esset procedendum, & non ad congregandum statim Concilium; Subiungit tamen idem Cardin. quòd quando persisteret impœnitens, posset haberi pro male sentiente in fide, de pœnis capitulo graue, & glos. in dicto capitulo si Papa, & propterea posset deueniri ad congregationem Concilij, & ita dicit Abb. in d. cap. proposuit. Et glos. in d. cap. si Papa dicit, quòd propter incorrigibilitatem, quia est contumax dicitur hæreticus, quia contumacia est hæresis, vt in capitulo, si qui presbyteri 81. dist. & contumax dicitur infidelis. Quòd est verum, secundùm quòd dicit Domin. in d. cap. si Papa, quando cum rebellione, & obstinatione viuit, in delictis perseuerando, & recusando bona agere, & nolendo corrigere seipsum.

89 Ad quod facit, quod notabiliter ponit Abb. in cap. quæsiuit de diuort. vbi vult quòd licèt aliàs excepta causa fornicationis spiritualis, vel carnalis non sit licitum dimittere vxorem, nihilominùs si vir conatur ducere vxorem ad aliud delictum, nec potest compesci, tunc poterit fieri separatio, quia est præsumptio infidelitatis. Et per illud dixi aliquando, quòd si vir conatur ducere vxorem ad concumbendum, cùm alio, nec desistit, vxor poterit petere separari quoad thorum. Et similiter, quando contumacia induceret schisma in Ecclesia. Quæ inducit Domin. ad ea, quæ fuerunt in Concilio Pisano gesta in d. cap. si Papa. Sic enim fuit Concilium congregatum ad deponendum Ioan. XXII. non propter hæresim, sed propter incorrigibilitatem, quia erat venator, & lubricus, vt refert Dominicus Cataldinus de Boncompagnis in quibusdam allegationibus factis in Concilio Pisano, directis Ioan. 23. Incorrigibilitas igitur erit causa sufficiens
90 congregandi Concilium, & ad hoc est bonus tex. in cap. quorumdam 34. dist. ponit Henricus Boich. in cap. licèt de elect. An autem ad Papam deponendum, infrà latè dico. Et intellige, quòd non incontinenti habeat locum illa admonitio dic Ecclesiæ, sed demùm quando delictum factum est publicum, tunc habet locum illud dic Ecclesiæ, id est Concilio. Ita dicit Abb. in dicto cap. proposuit; & videtur velle Alexand. in cap. in nomine Domini, 23. dist. Ratio est, quia secundùm Abb. vbi suprà vix potest accidere, quòd ex peccato publico Papæ non scandalizetur Ecclesia, iuxta illud propheticum, si is, qui est vnctus peccauerit, faciet populum delinquere propter malum exemplum, vt in cap. magnæ de voto. Facit text. in d. cap. si Papa, ibi nihilominùs, innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus; & dicit Abb. ibi in d. c. proposuit. De quo vide, quòd latiùs dico infrà post materiam depositionis, in quęst. quando dicatur scandalizari Ecclesia. Et idem dico, quando esset notoriè simoniacè electus in Papam, sed si negaretur simoniacè, adhuc iudiciũ est Concilij, vt dicit Alex. in d. cap. in nomine Domini. Si igitur simonia

monia esset occultè commissa, quia duo, tres, vel quatuor tantùm hoc sciunt, tunc posset moueri occultè,& habere locum prima pars denunciationis euangelicæ, & si monitus non desisteret, quamuis non esset publicum, posset tamen dici Ecclesiæ,id est Deo, hoc est orari Deus pro eo, sicut dicit ibi Hostiens. nam ipsemet Papa est Ecclesia, vt dicit Ægid. in capitulo si Papa quadragesima distinctione,sed non posset quoad vltimam partem dici Ecclesiæ, id est Concilio, ex quo non est publicum, nec esset legitima causa congregandi Concilium contra Papam, licèt aliàs in se delictum Simoniæ sit grauissimum, vt suprà dictum est.

91 Sed quæro vlteriùs, pone quòd objicitur contra Papam aliquis defectus ratione cuius dicitur, quòd non sit verus Papa quantumcumque reperiatur electus à duabus partibus Cardinalium, vt exempli gratia si dicatur Iudæus, non baptizatus, paganus, inimicus, vel persecutor fidei nostræ, vel mulier, vel alia exceptio, quæ iure Diuino, vel naturali infert eum non esse, nec posse esse Papam, & per quam inficitur ius habendi, & possidendi, vtrùm ex hoc debebit congregari Concilium. Et videtur prima facie dicendum, si non negatur electus à duabus partibus Cardinalium, & est receptus, quòd non possit opponi talis exceptio, ex quo est in administratione, vt ponit Innoc. & Ioan. Andr. & Compostel. in capitulo licèt de elect. quia text. ibi in Clem. ne Romani, §. cæterum, prohibet aliquam exceptionem opponi, & dictum est aliquid suprà. Quinimò nec exceptio hæresis. vt in capitulo si Papa quadragesima distinctione ibi redarguere, quod verbum denotat accusationem secundùm Ala. Vinc. Innocent. Hostiens. Compostel. Ioan. And. & Henricum in dicto capitulo licèt, & Archiepisc. in dicto capitulo si Papa, & in capitulo vbi periculum eod. titulo. Imò etiam nec potest accusari de crimine hæresis, nisi quæ probari possit, vt in d. cap. si Papa, aut de crimine notorio Ecclesiam scandalizante, & de quo est incorrigibilis, quia contumacia dicitur hæresis, 81. dist. qui Presbyteri, & contumax dicitur infidelis, trigesimaoctaua distinctione nullus, & dicto capitulo si Papa secundùm Ægid. Bellamera, qui hoc notat. in dicto capitulo licèt. De quo aliquid alibi sicut diximus in illo articulo, ad quem spectet congregare Concilium, in quæstione quando sunt duo, vel plures contendentes de Papatu, vers. quid si Papa est electus à duabus partibus &c. Vtrùm autem crimen notorium scandalizans, de quo est incorrigibilis possit objici etiam ad deponendum, alibi in loco proprio idest latiùs dicetur, quia non procedit sine dubio. Subdit etiam idem Ægid. quòd tunc erit iudex, competens Concilium generale, secundùm Archiepisc. in cap. in fidei de hær. in 6, & Ioan. And. in nouella, art. 17. dist. §. hinc etiam 2. qu. 7. nos si incompetenter, §. his ita in fine, & Abbas in capitulo fraternitatis, de hæret. Et idem dicit quando sunt duo, qui sunt in discordia electi, & nescitur quis sit verus Papa, allegat Hugonem in cap. si duo, 79. dist. Quòd dicunt verum Doct. in d. c. in fidei, Papa viuo, quia eo mortuo successor est iudex secundùm Ioann. Laurent. Henri. & notatur 24. q. 1. cap. 1. secundùm eumdem Ægid. Quòd & tenet Archiepisc. Ioan. And. & Domin. in cap. in fidei de hæret. in 6. & infrà latiùs dicetur in loco suo, & diximus aliquid supra in illo articulo, quid si Papa efficiatur furiosus, vel demens &c. Ex quo videtur, quòd non possit ex prædictis causis, & exceptionibus congregari Concilium, de quo aliquid dixi suprà in quæstione illa, ad quem spectet congregare Concilium, in ver. sed quid si Papa est electus.

92 Circa istam difficultatem posset fieri huiusmodi distinctio ex dictis Doctorum in d. cap. licèt, quòd interdum Papa non est electus à Cardinalibus, sed est merus intrusus, & occupator Papatus per impressionem, interdum licèt sit electus à Cardinalibus, non tamen est electus à duabus partibus Cardinalium, vel non apparet, quòd sit electus à duabus partibus, interdum constat, quòd est electus à duabus partibus, tamen de facto non est receptus in Papam, quia objiciuntur aliqua, ratione quorum dicitur non esse bona electio, & non recipitur in Papam, interdum constat, quòd est electus, & receptus à duabus partibus, sed objiciuntur aliquæ exceptiones contra eum, interdum non excipitur contra eum, sed accusatur, interdum, & vltimò constat quòd est electus à duabus partibus, & receptus à Cardinalibus, sed per metum, & impressionem.

In primo casu, quando non est electus à duabus partibus, sed est merus intrusus, non solùm potest contra eum excipi, sed debet omni conatu eijci à Pontificatu inthronizatus apostaticus, & ob hoc poterit congregari Concilium, vt in d. cap. si quis pecunia 79. dist. Secundo casu, quando est electus, sed non à duabus partibus, vel si à duabus partibus non constat, vel secundùm Abb. Siculum in d. cap. licèt, quando electores non sunt Card. & fortè Card. processerunt ad alterius electionem, similiter poterit contra eum objici, quòd sit Iudæus, paganus, & sic de alijs, de quibus sicut quia tunc virtualiter agitur causa Papatus, quia negatur Papa, ex quo non constat electum esse à duabus partibus, nec est receptus, & Card. processerunt ad electionem & admissionem alterius. Et tunc contra est discutienda in Concil. & imò debebit congregari Concilium per cap. si duo 79. dist.

Tertio casu quando est electus à duabus partibus, & tamen nondum receptus, nec administrauit, dicendum est, quòd poterunt objici exceptiones, quæ iure diuino, vel naturali inferunt ipsum non esse Papam, vel non posse esse Papam, & per quas inficitur ius habendi, & possidendi, quales sunt illæ, quòd sit Iudæus, paganus &c. Et similiter si negantur aliqui ex electoribus fuisse Cardinales, secundùm Abb. in d. cap. licèt in antepenult. col. Et erit sufficiens causa ad congregandum Concilium.

Non

Non tamen obstabit ei, quòd non sit de
numero Cardinalium, secundùm eumdem
Abb. in notabilibus, sed bene obstabit si
dicatur, quòd est infans, mulier, vel fu-
riosus, & cap. sed intellige de furioso tem-
pore electionis, & non de eo, qui posteà
effectus esset furiosus, vt dicit Dominus
Anton. in d. cap. licèt. Istę, & similes be-
93 ne possunt obijci, exceptiones autem in-
ferentes inhabilitatem iuris positiui, vt
quòd sit coniugatus, vel quòd sit mona-
chus, vel quòd sit laicus, non possunt obij-
ci. Et de bigamo quidem hoc dicit Anton.
in d. cap. licèt. Et quòd exceptio, quòd
sit vxoratus non possit opponi, facit quia
in Ecclesia Orientali etiam sunt vxorati, vt
in cap. cùm olim de cleric. coniugat. 31.
dist. cap. Nicęna. De infante dicunt Ho-
stiens. Anton. & alij, quòd possit obijci,
nisi à Spiritusancto esset facta electio, quia
non est capax ordinis; non tamen potest
opponi de nullitate actus ex persona agen-
tium; secundùm d. Anton. ibi in vlt. col.
& Cardin. in 25. quæst. & glos. 1. in fine, &
in §. cæterum in Clem. ne Roman. Quòd
intelligo de exceptione actus nulliter gesti
ex inhabilitate personæ actum gerentis, vt
puta quia erat excommunicatus, vel ali-
quid tale. Sed secùs si diceretur, quòd
non essent aliqui ex duabus partibus eli-
gentium Cardinales, vel quòd aliquis co-
rum esset furiosus tempore electionis, & sic
de similibus inhabilitatibus à natura. Non
94 tamen obstat si excipitur, quòd sit facta
in loco interdicto electio, secundùm Card.
in cap. 1. in 6. quæstione de postul. Prælat.
& Doct. in cap. vbi periculum de elect. in
6. & Doct. in cap. cùm inter eod. tit. cum
simil. De interdicto personæ, vide in §. cæ-
terum in glos. & Immol. ibi, vbi de ratio-
ne diuersitatis inter interdictum loci, &
personæ, & Dominic. in §. porrò, in glos.
cap. vbi periculum. Et ita dicunt commu-
95 niter Doct. in d. cap. licèt, & dixi aliquid
suprà, vbi actum est de exceptione hære-
sis in Papam. Et clariùs procederent
tales exceptiones, quando essent notoriæ,
quia possunt obijci, vt ex dictis causis con-
gregari debeat Concilium, quia istis casi-
bus virtualiter agitatur causa inualiditatis
tituli ipsius Papatus. Et quod dictum est
de Cardinale eligente furioso, intellige de
cuius furore apertè constaret, aliàs secus,
secundùm d. Anton. in d. cap. licèt. Item
intellige, nisi sine eius persona remaneret
numerus duarum partium Cardinalium
eligentium, quia talis exceptio non obsta-
ret quantumcunque electus nondum esset
receptus, nec administraret. Et de istis
vide, quæ latè dicta sunt suprà in quæstio-
ne, ad quem spectat congregare Concilium
in secundo casu principali, vers. sed quid
si Papa est electus à duabus partibus,
&c.

96 Vtrùm autem hoc casu posset obijci,
quod sit notoriè excommunicatus, & de-
claratus, text. in Clement. ne Romani ve-
lit prætextu similis exceptionis non posse
retardari quominus fiat electio, & cap. li-
cèt tollat omnem exceptionem, & licèt su-
pra simpliciter ponendo exemplum tenue-
rim, quod non in eligente, in electo tamen
iste articulus non procedit sine dubio.
cum Hostien. Innoc. Ioan. Andr. in nouel-
la videantur velle, quod talis electus sic
notoriè excommunicatus non sit Papa.
Vnde ponentes quæstionem, de electo à
minori, quàm duabus partibus Cardina-
lium, qui pro electo se gerit, & cui Cardi-
nales electores obediunt, ex quo tam ipse,
quàm obedientes sunt ipso facto excom-
municati, vt vult tex. in d. cap. licèt, si po-
stea superuenit maior concordia Cardina-
lium, ita quod habeat duas partes, num-
quid erit Papa, dicunt quod non, quia in
excommunicato nequeunt Cardinales ac-
cedentes consentire, cùm & ipsi sint ligati
eadem sententia cum ipso. Quod intelli-
ge verum secundùm Ioan. Andr. in d. cap.
licèt, nisi priùs esset reconciliatus illis dis-
sentientibus, & postea omnes etiam dissen-
tientes de nouo consentirent, & eligerent.
Et ita videntur sentire omnes in d. cap. li-
cèt, & quod antequam sit reconciliatus, &
absolutus, non erit Papa. Et pro hoc fa-
cit, quia si aliter diceretur, ex eadem con-
stitutione ligarentur, & commodum senti-
rent; contra notata in cap. quia frustrà de
vsur. cum simil. Non obstat §. cæterum in
97 d. Clement. ne Romani, quia ibi tantùm
loquitur de eligentibus, quibus non vult
posse obijci de excommunicatione. Imò
ille, §. posset induci pro, quia si tantùm est
prouisum de excommunicatione, quod non
obstet electoribus; ergo quoad electum re-
manet in dispositione iuris, & datur intel-
ligi, ex quo etiam de electo facilè similiter
disponi potuisset, non prouidendo, quod
in persona electi ius commune vindicet sibi
locum in contrarium, l. 1. in fin. ff. ad mu-
nicipales, & si remaneret in dispositione
iuris, electio facta de excommunicato est
nulla, cap. ad Apostolicæ, & cap. fin. de cler.
excom. minis. cap. cùm inter, Rom. de elect.
& in cap. cùm dilectus de consuet. Facit,
quod dicitur in princ. dictæ Clement. in
quantum vult remanere iura antiqua in-
correcta. Sed certè hoc parum facit, quia
98 text. §. cæterum, loquitur de quacumque
excommunicatione suspensione, vel inter-
dicto insurgente aliunde, quàm ex ipsamet
constitutione. Secùs in proposito quando
minor pars Cardinalium elegisset, quo ca-
su tam electus, quàm eligentes sunt excom-
municati, vt in d. cap. licèt. Non obstat
99 tex. d. capit. licèt in fin. inquantum vult
non posse opponi aliquam exceptionem,
quia debet intelligi præterquam, de exce-
ptione insurgente ex ipsamet constitutio-
ne, Bartol. in l. 1. ff. quod vi, aut clam, Bald.
in l. 1. 5. colum. C. de condit. indebiti, Sa-
licet. in l. ita pudor, C. de adult. Butrius
in cap. item cùm quis, de restitut. spoliar.
Ioann. de Immol. in cap. ex parte de offic.
delegat. & idem Butrius in d. capit. licèt.
100 Inde dicitur, quod persona loquens sem-
per censetur excepta l. inquisitio, ibi Bald.
C. de solut. glos. & Bartol. in l. 1. ff. de Se-
nat. & Bartol. in l. si mercedem, §. si habi-
tatoribus, ff. de action. empt. Item facit,
quod vbi à iure, vel statuto tolluntur exce-
ptiones, non censetur sublata exceptio in-
ha-

habilitatis personæ agentis. Et ideò admittitur exceptio nullitatis sententiæ ex defectu personæ iudicantis, puta quòd non sit iudex, licèt à iure dicatur, quòd nulla exceptio admittatur contra sententiam, vt est glos. in Clement. 1. de sequest. poss. &
101 fruct. Restringit tamen istud dictum Butrius in d. cap. licèt in vltima colum. quando non subest persona, cum qua possit iudicium nullitatis agitari, vt est in Papa. Quæ restrictio non placet, quia est contra dictam glossam, & Doct. ibi, & Abb. hic, qui simpliciter loquuntur. Et vbi à statuto tol-
102 litur omnis exceptio, non censetur sublata exceptio inhabilitatis agentis, quia, vt dicit Butrius in dicto cap. licèt, actus electionis Papæ non subijcitur ex toto iuri positiuo, sed procedit magis secundùm merum ius naturæ, & ideò admittitur exceptio, quòd non est electus à Cardinalibus, item exceptio quòd Cardinales non consenserunt, & quòd qui elegerunt, non sunt Cardinales. Et si à statuto tollitur omnis exceptio contra instrumentum, non erit sublata exceptio, quòd instrumentum non est publicum, vt dicit Bartol. d. l. 1. ff. quod vi, aut clam, & refert etiam Abb. in d. cap. licèt. Vbi ergo detrahitur qualitati, super quam ius se fundat, quod tollit exceptiones, semper talis exceptio poterit opponi, vt in exceptione, quòd non est electus à duabus partibus Cardinalium, vt ibi dicit Abb. & in cap. item cùm quis, de restit. spoliat. Et propter similes exceptiones quantumcumque fuisset admissus, & receptus ab illis eum eligentibus, quia nulliter, per concilium poterit agi ne administret, & ne admittatur, & recipiatur per alios Cardinales, & si esset concilium congregatum, posset per concilium eijci, & amoueri à Pontificatu. Et cùm Doctores in cap.
103 licèt dicunt, quòd non potest excipi, sed debet accusari, mens eorum est, quòd illis casibus non debet impediri in administratione, sine concilio, quia accusari non potest, nisi in concilio, d. cap. si Papa 40. dist. & cap. in fidei de hæret. in 6. Et ideò vbicumque concilium esset congregatum exceptiones, quæ aliàs opponi non possent sine cõcilio, vt esset, postquam esset electus à duabus partibus formiter, & receptus, tunc in concilio opponi possent, & concilium procederet sine alia accusatione, quia non ob aliud Doctores in d. cap. licèt volunt, quod non possint obijci illæ exceptiones, sed debeat accusari, nisi ad hoc, vt congregetur concilium, & per concilium declaretur, si obstant, vel non obstant exceptiones illæ, non quod sine accusatione per concilium iudicari non possit. Et hanc credo esse indubitatam mentem Doctorum in d. cap. licèt. Item si loqueremur de excommunicatione contra electum aliundè quàm ex ipsa constitutione insurgente, possumus dicere, quòd non esset bona consequentia, contra electum à duabus partibus non potest de ipsius excommunicatione excipi, ergo ipsius excommunicatio eius electionem nullam non reddit. Patet instantia, quia contra electum confirmatum, de crimine non notorio non potest excipi, vt in cap. constitutis de appellat. de concess. præben. post electionem, §. fin. de accusat. cap. accedens, & tamen illud crimen licèt occultum electionem nullam reddit, vt in capit. cùm in cunctis, §. fin. de elect. Ad idem est, quod supra diximus, quòd contra electum à duabus partibus de hæresi non potest obijci, siue excipi, & tamen electio facta de hæretico est nulla, & potest accusari secundùm Innocent. Compostel. Ioan. And. & alios supra adductos in d. cap. licèt. Ex
104 quo patet, quòd contra electum de excommunicatione insurgente ex dispositione dicti capituli licèt, sine dubio potest opponi, quia virtualiter dicitur electionem fuisse nullam. Si verò opponatur de alia excommunicatione, tunc super isto articulo Ægid. in dicto capitulo licèt, priùs videtur tenere contra Innoc. Hostiens. Ioann. Andr. quia licèt in inferioribus electionibus à Papali electio facta de excommunicato sit nulla, per d. cap. cùm dilectus, & per cap. illa, & d. cap. cùm inter, de elect. tamen secùs dicit videri dicendum in electo ad Papatum, per tex. in fin. d. cap. licèt, qui prohibet omnem exceptionem. Item quia licèt excommunicatus quoad cætera videatur positus extra Ecclesiam, tamen, dicit ipse, reuerà adhuc est intra Ecclesiam, & imò si sit occultus, facit omnia, quæ ratione publici officij ad eum in Ecclesia pertinent, vt in cap. ad probandum de re iud. cum ibi notatis. Imò & excommunicare potest, vt not. Innoc. in capit. si verè de sent. excomm. argumento, 24. q. 1.
105 in summa. Et ideò dicit quòd excommunicatio non adimit titulum beneficij excommunicato, licèt suspendat eum ab officio, & perceptione fructuum, vt in cap. veritatis de dol. & contum. notatur, in cap. postulasti in 1. glos. de cler. excomm. minist. & in cap. cùm bonæ, de ætat. & qualit. in glos. fin. Imò valet collatio per Ordinarium facta excommunicato, vt not. Guiliel. de Monte Lauduno in Clem. Auditor in glos. fin. de rescript. & in Clem. 1. de Relig. Domib. super verbo fortius, de quo in cap. ad Apostolicæ de cler. excomm. minist. post glos. & Card. consil. 40. Facit etiam in proposito, quod dicitur in d. cap. si verè de sent. excom. quod inijciens manus violentas in clericum excommunicatum, incidit in pœnam Canonis si quis suadente, 17. quæst. 4. si autem esset extra Ecclesiam percussus, percutiens non esset excommunicatus, vt videmus in clerico hæretico, 4. q. 1. cap. quod autem. Adducit etiam, quòd sicut actus ciuiles sunt interdicti excommunicato actiuè, ita & passiuè, vt iuribus supra allegatis; igitur sicut excommunicati etiam publicè non sunt actiuè prohibiti, sed permissi hanc electionem de Papa celebrare, vt in d. §. cæterum, Clem. ne Romani, ita nec passiuè quominùs eligi valeant. Et adducit, quod bene faciunt dicta per Compostel. quæ ponit glos. 1. in d. §. cæterùm. Et ex his in principio videtur velle, quòd non posset obijci contra electum in Papam à duabus partibus non receptum, quòd sit

notorius excommunicatus. Refert tamen Hostiensem, & Ioan. Andr. dicere, quòd si talis excommunicationis vitium est occultum, Ecclesia de hoc non iudicabit, vt in cap. sicut, de simon. sed cauere debet sic electus, ne ædificet ad gehennam, vt in cap. per tuas de simon. nam ignorantia proba-
106 bilis excusat, non autem crassa, vt in capit. ad Apostolicæ de cler. excomm. minist. Ex quibus sic collectis inferri videtur, quòd electio facta de Papa excommunicato non deficit in suis naturalibus, & quòd per consequens videtur valere, quia exceptiones à iure positiuo ortum trahentes non videntur inferiores electiones inficere, secundùm eum, Qui finaliter residet in contraria opinione, & sic cum Innoc. Hostien. & Ioan. And. ea potissimùm ratione,
107 quia secundùm iura antiqua ille, qui iniustè, & scienter dignitatem occupat absque canonico titulo, reddit se ipso iure inhabilem ad eamdem, sic quòd electio facta de eo amodò, maximè in illa vacatione, ad huiusmodi dignitatem est nulla, vt legitur, & notatur in cap. dudùm de elect. & cap. commissa, §. 1. de elect. in 6. & ita obseruat Cancellaria secundùm eum, ergo per consensum illicitum, & occupationem iniustam Papatus à minùs canonicè electo factam, sic electus consentiens, & occupans factus est saltem pro illa vice inhabilis, & ineligibilis ad Papatum, cùm prædicta iura antiqua non reperiantur correcta. Si enim ad aliqua iura specialia inhabilitat excommunicatio ipsum excommunicatum, quod est maius, quod dignius, quod potentius, quod spiritualius, quod periculosius ius in hoc seculo, quàm Papatus; item quid flagitiosius, quid damnabilius, quid maiori pœna dignum, quàm crimen, quod directè contra Deum, contra totam Ecclesiam, contra totum Populum Christianum, & fidem ipsam committitur in occupatione Papatus, ex qua schisma vniuersale, & infinita animarum pericula oriuntur. Non obstat, quòd iura
108 positiua Papam non ligent, quia dum agitur de ista pœna contrahenda, supponitur, quòd non est Papa, & dicitur plus, quòd ipsa pœna contracta, Papa amodò in illa vacatione esse non potest, ex quibus dicit opinionem Innoc. Hostien. & Ioann. Andr. veram. Ex quo sequitur, quòd sicut quando obijcitur, quòd est notoriè iudæus, non baptizatus, & simile, ex dictis causis debet congregari Concilium, sic & si obijciatur, quòd est notoriè excommunicatus. Quæ conclusio mihi videtur dubia, & non minùs periculosa, quàm alia de simonia, quam supra retuli, & credo, quòd deceperit Ægidium authoritas Innoc. Hostiens.
109 & Ioann. Andr. supra relata. Sed cum reuerentia, casus, & quæstio ipsorum est longè diuersus, quia ipsi loquuntur in excommunicatione causata ex ipsamet constitutione cap. licèt, & ideò non est mirum, si tunc electio facta de eo sic excommunicato, sit nulla, & possit contra eum excipi de tali excommunicatione, & hoc etiam tenet, ibi, d. And. in d. cap. licèt, in penul. colum. ibi admittetur, etiam exceptio permissa ex capite istius statuti. Et maximè procedit eorum conclusio, quia cap. licèt nòn solùm excommunicat talem electum à minori parte, sed etiam eum recipientes. Vnde etiam, quia contra formam illius capituli erat primò electus, & electio reperiebatur nulla, non potest per accessum validari, quia, & accedentes tanquàm communicantes, & recipientes excommunicantur per eamdem constitutionem, cap. licèt. Ideo non mirum, si potest contra talem sic se gerentem pro Papa, excipi quòd sit excommunicatus, quia virtualiter opponitur contra eum, quòd non est canonicè electus, sed contra formam ipsius constitutionis, in cuius pœnam incidit, & ipsum non esse Papam. Et ideò non mirum etiam, si ad cognitionem ipsius exceptionis dicitur debere congregari concilium, cuius est cognitio cùm agitur causa Papatus, vt in c. si duo, 79. dist. Sed non sic simpliciter loquendo est vera ista conclusio in qualibet exceptione excommunicationis aliundè insurgente. Et ideò non credo, quòd post electionem formiter factam à duabus partibus, posset obijci contra Papam, quòd sit notoriè excommunicatus, siue quòd propterea electio sit nulla, quia facta de excommunicato. Et credo quòd §. cæterum in Clem. ne Romani, qui prouidet circa Electores, in sua ratione virtualiter, immo multò magis prouideat in persona electi, quòd non possit obijci de ex-
110 communicatione. Patet ratio eius, quod dicit d. Anton. in d. cap. licèt de electo per simoniam, cui non potest opponi, quòd sit electus per simoniam, per glos. in cap si quis pecunia, & tamen Cardinales possent accusari de simonia, vt in cap. si transitus, septuagesimanona distinctione, & dicta glos. in d. capitulo si quis pecunia, & dicit Anton. & Immol. in d. cap. licèt, & dictum est supra, & hoc propter maius periculum, quod est in persona electi, quàm eligentium. Ideò secundùm, quod dicit il-
111 la, glos. etiam si probata esset simonia contra Cardinales, licèt possent ipsi puniri, non propterea posset Papa deponi, de quo aliàs latiùs dicetur.

Quarto casu, quando est electus à duabus partibus, & receptus, etiam si obijcian-
112 tur aliquæ exceptiones iuris naturalis, vel diuini, vt puta, quòd sit mulier, vel furiosus, quamuis istæ inficiant ius possidendi, non poterunt opponi, sed bene poterit accusari, ex quo est receptus, & possessor. Licèt Dominus Anton. simpliciter dicat, quòd possent opponi similes exceptiones, nec aliquid dicat, quid si sit possessor, tamen ita communiter dicunt Doctor. in
113 d. cap. licèt, vt plenè ibi per Abbatem. In casibus tamen præmissis crederem, vt supra proximè dico, & etiam si esset notorius hæreticus, & teneretur concilium, & concilium à se procederet, quòd posset de illis excipi quantumcumque esset receptus, ex quo est præcisus ab Ecclesia, quia nullo tempore potest esse Papa, sufficit quòd notorium allegetur, vt aliàs supra dixi per Clem.

Clem. Appellanti. Non, vt ex sola oppo-
sitione exceptionis statim amoueatur, sed
vt concilium cognoscendo decidat. Et vi-
de quæ dicta sunt supra in art. quis con-
gregat concilium circa finem.

De quinto casu quando per viam accusa-
tionis proceditur, dicetur infra in propria
quæstione.

114 Sextus, & vltimus casus, videlicet quan-
do est electus à duabus partibus, & rece-
ptus, sed per impressionem, dependet ex hoc,
quòd si electio per impressionem, & metum
facta tenet, non videtur requirenda conci-
lij congregatio, nisi ad cognoscendum de
qualitate metus, quia est verus Papa, si
non tenet, videtur requiri congregatio
saltem ad iudicandum super nullitate ele-
ctionis, tunc videtur tractari causa Papa-
tus, iuxta cap. si duo 79. dist. de quo arti-
115 culo infra latè dicetur. Est tamen aduer-
tendum, quòd licèt post electionē non pos-
sint opponi exceptiones inhabilitatis in-
surgentis ex iure positiuo, tamen ante ele-
ctionem celebratam bene potest obijci
contra illum, quem Cardinales vellent eli-
gere in Papam exceptio inhabilitatis in-
surgentis ex iure positiuo, vt homicidij,
vel quòd sit bastardus, siue nothus, seu man-
ser, vel exceptio adulterij, vel fornicatio-
nis notoriæ iuxtà, cap. vestra de cohab.
cler. & mulier. vel similes, iuxtà cap. acce-
dens de accusat. & c. inter dilectos de ex-
cess. Prælat. Istam conclusionem ponit Hu-
go, & refert Alex. in cap. si quis pecunia
116 in glos. 1. in prima conclusione, 79. dist.
Et ratio potest assignari, quia faciliùs im-
peditur promouendus, quàm deijciatur
iam promotus, 25. quæstio 1. §. vlt. cap.
ex tenore, ibi glos. de tempor. ord. Tamen
in contrarium facit text. in §. ceterùm in
Clem. 2. de elect. vide, quod dico supra pro-
xima quæstione, incipit vtrùm autem hoc
casu.

117 Nunc ad principale dubium, vtrùm ele-
ctio Papæ facta per impressionem sit nulla,
vel non, procedendo per contraria, primò
videtur, quòd electio teneat, quia gesta,
118 per metum tenent, sed veniunt rescinden-
da per actionem, quòd metus causa ff. &
C. quòd met, caus. cap. Abbas & cap. ad
audientiam eod. tit. 15. quæst. 6. authorita-
tem ff. de dolo l. eleganter, C. de inutilibus
stipulationibus, l. dolo per Cyn. quod si
est in inferioribus Electionibus, quod tenet,
119 eò magis in papali propter periculū. Se-
cundò facit, quod electio Papalis est exem-
pta ab omnibus formulis, nec astringitur
ad aliquas formas. Vndè dicit text. in cap.
licèt in fin. quòd in electione facienda de
Romano Pótifice statuitur aliquid speciale
plusquam in alijs electionibus in tantum,
quòd sufficit, quòd valeat iure naturali, li-
cèt non valeret aliàs de iure positiuo se-
cundùm Innocent. in cap. quod sicut, de
elect. Cùm ergo in alijs electionibus ge-
sta per metum teneant, vt dicit Card. in d.
cap. Abb, sequitur, quòd tantò magis in
elect. Papę debeant tenere, nec debeat dari
in ea rescissio, item quia deest superior, ad
quem possit haberi recursus, vt in d. c. licèt
120 in fi. Metus autem non tollit naturalem
consensum, l. mulier, §. penult. ff. quod
metus causa, l. si cum exceptione, §. qui
vim intulit, ff eod. titul. C. de inutilibus sti-
pulationibus, l. dolo, iuncta, l. obligatio-
num substantia in fi. ff. de act. & oblig. &
de baptismo, cap. maiores, §. sed obijci-
tur, 23. quæstio 4. displicet, & 15. qu. 1.
meritò, & cap. sacris, quòd metus causa,
121 cum simil. Tertiò facit text. in cap. licèt
de elect. qui tantùm requirit electionem
fieri à duabus partibus, & vult non posse
opponi aliquam exceptionem, ergo nec
exceptionem, quòd per metum elegerint,
& cum tantùm requirat consensum dua-
rum partium, etiamsi metus interuenit, est
satisfactum verbis, quia metus non tollit
consensum, dict. l. mulier, §. penult. ff. quod
122 metus causa, & dict. cap. maiores de ba-
ptismo. Quartò facit, quod sufficit sub-
stantialia interuenire in actu, vt actus te-
neat. ff. de confirm. tuto. l. naturali, §. si
quæratur, vnde aditio, & repudiatio, quæ
à solo consensu dependent, licèt per me-
tum fiant tenent, dict. l. si mulier, §. metu,
& §. si coactus, quòd metus causa. Sic er-
go cum tantùm requiratur consensus dua-
rum partium in electione Papæ, sufficit
alterius speciem, videlicet, vel liberi, vel
coacti, interuenire, argumento notato-
rum per Bart. in l. 1. ff. de verb. oblig. vel
saltem casus erit omissus, & remanebit in
dispositione iuris, l. commodissimè, ff. de
lib. & posthum. Igitur si non dixit text. cap.
licèt, quòd esset nulla, si consensus fuisset
coactus, standum erit sicut in alijs actibus,
in quibus gesta per metum regulariter te-
nent de iure dict. cap. Abbas, cap. 1. & ibi
gloss. per locum à speciali, quòd metus
causa in 6. Quintò inducuntur pro hac
parte iura in materia electionis Papæ lo-
quentia. Et primò text. in cap. si quis pe-
cunia, 79. dist. vbi sub vna determinatione
pecunia, humana gratia, & tumultus pro-
feruntur, l. iam hoc iure, ff. de vulg. &
pupill. Eodem modo, cap. in nomine Do-
mini, 23. dist. in §. si quis contra. Ad idem,
cap. vbi periculum in §. præterea vbi licèt
arctet, & inhibeat, & pœnam adijciat, ta-
men vltra non progreditur annullando, ar-
gumento notatorum, l. non dubium. C. de
ll. Item eod. cap. §. cæterum, quia ibi lo-
quitur de arctatione iuris, & hominis, quæ
tamen electionem nullam non reddit. Fa-
123 cit, quod ita aduersatur libertati neces-
sitas iuris sicut & hominis, l. libertas in
princ. ff. de statu hominum. Item facit,
quod in electione Papæ multa sunt specia-
lia introducta inter quæ non est, quòd ele-
ctio facta per metum sit nulla, ergo stabit
sicut in cæteris electionibus, 2. quæst. 5.
consueuisti, & cap. inter corporalia de
translat. Prælat. Ergo valebit electio, ca-
pitulo quod sicut, ibi Innoc. de elect. ca-
pitulo Abbas ibi Card. quòd metus causa.

124 In contrarium facit, quia verior vide-
tur opinio, quòd metus, & impressio in
electionibus Prælatorum vitiant electiones
ipso iure, quod probat per cap. Osius, &
cap. bonæ el. 1. & cap. quisquis, & cap.

quod ſicut de elect.& per notata per Innoc.
Hoſtien. Compoſtel. Ioan. Andr. & alios
in dictis iuribus, & per notata, 6.quæſt.1.
ſi quis per gloſs. & Archid. & in cap. inſi-
nuante,qui cler.vel mon. per gloſs.& Doct.
& 79. diſt. cap. 1. per Hug.& Archid.Item
facit quod dicit Innoc. in dict. cap. licèt
in gloſs. 1. in verſic. ſi tamen interueniſſet
impreſſio, in addit. Induci etiam poteſt
pro iſta parte text. in cap. in nomine Do-
mini, 23. diſt. in §. quòd ſi prauorum, & §.
quòd ſi quis, ibi populari tumultu, & ibi
concordia canonica; canonica enim non
eſt quæ fit contra canones, cuiuſmodi
eſt, quando interuenit metus, & coactio.
6. quæſt. 1. ſi quis. Ad idem etiam facit,
quòd electio ſi fit per metum, & impreſſio-
nem dicitur facta contra libertatem ec-
cleſiaſticam, quia affert impedimentum
perſonis Eccleſiaſticis. Facit text. in dict.
cap. quiſquis de elect. Ad idem facit ratio
tertia, quam adducit Petrus Flandrinenſis
Card. ſancti Euſtachij in quibuſdam alle-
gationibus de electione Vrbani 6. factis,
qui dicit quòd actus, qui à ſolo libero con-
ſenſu totale ſuum eſſe recipit, per ſuperad-
ditam violentiam, vel impreſſionem ipſo
iure redditur nullus, ſed electio Papæ à
ſolo Cardinalium arbitrio, & libero con-
ſenſu recipit totaliter, & perfectè ſuum eſſe
completum, ergo per violentiam, & im-
preſſionem ipſo iure redditur nulla. Maior
propoſitio declaratur, nam licèt regulari-
ter contractus, & ſimiles actus ſi per vim,
vel impreſſionem fiant, valeant, ſed de-
beant retractari per ſuperiorem, vt per to-
tum, ff. & C. quòd metus cauſa, & decla-
rat gloſs. in dict. cap. Abbas, quod metus
125 cauſa, hoc,vt ipſe dicit, contingit propter
duas cauſas. Prima eſt quia contractus
huiuſmodi non recipiunt perfectionem, ex
ſolo libero arbitrio, ſed ad promiſſionem,
quidem neceſſaria eſt executio, quæ eſt
promiſſi obſeruatio, ad venditionem au-
tem,donationem, & ſimiles contractus tra-
ditio rei, ff. quod metus cauſa, l.metum,
§. quod licèt, & §. volenti, eo titul. cap.ad
audientiam de renun. cap.quidam, de
conſuet. ex literis, de rei vendit. l. quo-
tiens. Et de hoc notatur de ſponſa duo-
rum, cap. tuas in gloſs. prima. Secunda
ratio,eſt quia in iſtis adiri poteſt ſuperior,
qui de metu cognoſcat, l.1. ff. quòd metus
cauſa, in illis autem, qui ex ſolo libe-
ro conſenſu recipiunt totale, & comple-
tum ſuum eſſe, hoc non vindicat ſibi lo-
cum,illi enim actus,ſi in eis interueniat vis
126 vel metus, ſunt ipſo iure irriti. Et ratio
eſt, quia conſenſus non eſt, ſi eſt vulnera-
tus, & infectus per adiunctionem violen-
tiæ, & ſuum non poteſt producere effectum
in eſſe. Adducit etiam ſimile in excom-
127 municatione, quæ trahit ſecum totalem
ſuum effectum, & ideò non ſuſpenditur per
ſuperuenientem appellationem, quia vel
ſtatim trahit ſecum executionem, vel ſta-
tim eſt nulla, de appell. paſtoralis, de ſen-
tent.excommunic. cùm non ab homine,&
c. venerabilibus eodem tit. in gloſs. & poſt
definitiuam in 6. ſecus in alijs, quæ non
ſtatim habent ſuum effectum, ſeu ſuum
completum eſſe, ſed neceſſaria eſt execu-
tio. Et iſta licèt teneant, tamen ſuſpen-
ditur eorum executio, & ipſorum effectus,
per appellationem. Et ſi iuſta reperitur,
caſſatur eorum effectus, vt ff. ad Turpilia-
num, l. 1. de offic. deleg. paſtoralis,& de
appel. per totum. Item ſimile, quia actus,
qui per ſe ſortiuntur totalem effectum ſuũ,
ita quod non eſt neceſſarium ſuperioris
miniſterium, non impediuntur per iura-
mentum de non agendo. Alij verò actus,
qui ad conſecutionem ſui effectus miniſte-
rio ſuperioris indigent, per iuramentum
de non agendo, vel faciendo, effectualiter
impediuntur, vt notat plenè Ioann. Andr.
in cap. dilecto de præbend. & de Reg. iur.
128 quòd ſemel, in nouel. in 6.Electio autem
Papæ ex ſolo libero conſenſu Cardinalium
eligentium, & electi producit effectum
completum, nec expectatur ſuperioris con-
firmatio, quia non eſt ſuperior,ad quem
poſſit haberi recurſus in dict. cap. in nomi-
ne Domini, & dict. cap. licèt. Et ex quo
Cardinales non poſſunt quærere de meri-
tis perſonæ electæ, vt dict. cap. licèt, nec
de electionis forma, in cap. cum nobis de-
elect. nec de meritis perſonarum eligen-
tium, vt in dict. Clement. ne Romani, de-
bent ſaltem de efficacia, & veritate ele-
ctionis quærere, gloſs. magna, 8. quæſt. 1.
ſi ergo, & Innoc. in cap. quòd ſicut de
elect. Ad idem facit, quod in pluribus ſi-
129 milibus caſibus videmus, in quibus non
ſufficit ſolus conſenſus naturalis, niſi cum
qualitate libertatis, patet in matrimonio
carnali, de ſponſa, cùm locum, & cap. ve-
niens, & cap. requiſiuit, & cap. gemma,
cod. tit. 27. quæſt. 2. ſufficiat, ff. de ritu
nuptiar. l. non cogitur. C. de ſponſ. l. fin.
Et procedit argumentum de matrimonio
carnali ad ſpirituale, vt in cap. inter cor-
poralia de translat. Prælat. Simile etiam
videmus in dote, quòd requiritur conſen-
ſus liber. ff. quòd metus cauſa, l. mulier. §.
ſi duos. Simile in ingreſſu religionis, &
ſic in matrimonio ſpirituali, 34. quæſt. 2.
non ſatis, & quòd metus cauſa, cap. 1.
Item in voto, 32. quæſt. 1. integritas, 15.
quæſt. 1. non eſt, de voto, cap. licèt. Item
in teſtamento, vt C.ſi quis aliquem teſtam.
prohib. l. 1. ff. de teſtam. l. teſtamentum,
in fin. argum. C. de ſacroſanct. Eccleſ. l.1.
Item in alienatione rerum Eccleſiaſtica-
rum, 16. quæſt. 1. in canonibus, de iureiu-
ran. peruenit el 1. Item in manumiſſione,
ff. qui & à quibus,l. 1. & l.ſi priuatus. Item
in confeſſione, 15.quæſt.6. cap.1. 31. qu.2.
Lotharius,ff. de quæſtionibus, l. 1. §.diuus,
& de confeſſ.cap.fin.poſt princ.primæ gloſ.
Item in datione iuriſdictionis, vt ff. de iu-
dic. l.2. & §.1. & ff. de appell. l. conſtat. Et
in multis alijs ſimilibus caſibus,qui poſſunt
colligi ex Doctoribus in dict. cap. Abbas,
quòd metus cauſa, maximè moderniori-
bus. Item pro iſta parte facit quod geſta,
130 per metum non valent ipſo iure, quando
iura non prouident de beneficio retractan-
di, vt ff. quibus ad liber. procla. non licet.
Simile eſt in electione Papæ, quia deficit
ſu-

superior, ad quem possit haberi recursus, vt dict. cap. licet. Et pro ista in effectu concludit etiam Petr. Flandrinen. Cardin. sancti Eustachij in quodam suo tractatu facto occasione schismatis exorti tempore Vrbani ex rationibus præmissis. Qui etiam adducit, quòd inter actus humanos Papæ electio est ex libero Cardinalium eligentiũ, & electi consensu, & inde suum esse completum recipit. Et ratio est quia licèt Cardinales sint in eligendo ministri, tamen in istanti, quo consensus canonicè eligentium, & electi inuicem coniunguntur, & Deus dat electo suum locum, & plenariam regiminis potestatem in mundo, vt patet Ioan. vlt. & Matth. 16. & de elect. significasti, de maior. & obed. solitæ. Et propterea alibi dicit text. quòd eius potestas non est ex homine, sed à Deo, de iud. nouit de translat. Prælat. cap. 1. qui filij sint legit. per venerabilem. Et licèt à Deo sit omnis potestas, tamen hæc sola est, quæ immediatè ab eo processit, vt notatur in cap. 1. de translat. Prælat. in cap. 2. in glosf. 1. & per Innoc. de foro compet. cap. licèt el 1. & Paul. in Clement. præsenti de cens. Nefas autem esset dicere, quòd Deus, qui est summa veritas, summa puritas, summa simplicitas: actui per vim extorto, ac iure diuino, & positiuo damnato, suam potestatem daret in mundo, cum qua habet concurrere gratia Spiritus sancti, vt satis probatur, 1. quæst. 1. gratia, & capit. ordine, & capit. sicut, & ferè per totam illam quæstionem, 57. dist. si quis in ægritudine, de consecrat. dist. 4. solet, de baptis. c. maiores. Adducit etiam pro singulari text. in dict. cap. in nomine Domini, ponderans & deducens effectum singulorum verborum, ex quibus dicit apparere ibi text. quòd electio est ipso iure nulla, Ad quod facit quod ponit Bald. in l. 1. §. sed & qui Domini. C. de latina liber. tollen. vbi colligendo vnum notabile,

131 videlicet quod non licet illudere populo, inducit contra Cardinales, qui dicunt coronasse Papam fictitiè, dicentes per metum fecisse, quia interdum est licitum fingere, l. 1. §. fuit, ff. de dolo. Et ibi videtur velle, quòd non valeat electio per metum, etsi non valet electio, non valet coronatio, quia non potest quis intrare ad Apostolatum, nisi sors electiua cadat super eum, sicut in electione Matthiæ. Quia enim ibi requiritur voluntas, si quis per totam vrbem portaretur à populo, & clero coronatus tanquam Papa, non tamen esset Papa, quia electio Papæ est potiùs diuina, quàm humana, & ideò aliàs, nisi per istud ostium intretur, impossibile est ad Papatum perueniri, vt ipse dicit. Licèt idem Bald. censuerit electionem Vrbani. 6. validam, & non adeò meticulosam, vt inficeretur, in rubr. si quis aliquem testam. prohib. Sic etiam dicit Bald. in l. cum te, per illum

132 text. C. de pignor. quod si Papa aliàs fuit electus sponte à Cardinalibus, sed postea per metum coronatus, non propterea vitiatur præambula electio, quia licèt aliàs actus subsequens voluntarius purget metum, vt in l. 2. C. quod metus causa, tamen subsequens meticulosus non inficit actum principalem præcedentem spontaneum. Quod etiam tenet, & sequitur Alex. de Immol. in dict. l. 2. qui inducit ad quæstionem è conuerso, quòd si electio fuit nulla, quia per impressionem facta, & coronatio spontanea, per coronationem purgatur metus. Quod an sit simpliciter verùm, vide quod dico infra in 6. sequenti charta, in quæstione, quæ incipit item alia quæstio supposito &c.

Ex his articulus redditur dubius vtrùm electio dicatur nulla, vel non. Et si quis vellet replere chartas in hac materia, multæ reperiuntur allegationes clarissimorum virorum, quę factæ fuerunt tempore schismatis Vrbani Sexti, quæ sunt inter se contrariæ, de quibus facit mentionem Abb. in cap. licèt in glosf. in verbo exce-

133 ptione, de elect. Pro nunc tantùm referam succinctè aliquas conclusiones Ægidij. Prima est quòd sicut in alijs electionibus leuis metus vitiat electionem, vt notatur post glosf. & Hostiens. in cap. insinuante, qui Cler. & vel Mo. & in cap. si quis, 1. quæst. 6. ibi Arch. & in cap. quisquis, de elect. idem erit, & in Papali electione propter maius periculum, vt in capitulo vbi periculum de elect. in 6. & in cap. fundamenta in §. decet eod. tit. & lib. & quia plus aduersatur metus in hac electione Papali Ecclesiasticæ libertati, & maior est offensa, & culpa inferentium metum, vt patet in ratione, cap. quisquis. Ex quo sequitur, quòd quæcumque minæ laicorum, & quicumque metus, quorum terror turbaret, seu impediret ecclesiasticam libertatem, quam in electionem iura requirunt, siuè in tractando, siuè in deliberando, siuè in eligendo, vitiarent Papalem electionem. Ita Ægid. in dict. capit. quisquis, versic. cum igitur in 7. quæsito, iuncto 14. quæsito. Quod intellige dummodo non essent minæ omninò vanæ, siue metus omninò vanus, qui diceretur monuisse animum eligentium, l. si quis ab alio ff. de re iudic. ibi vani timoris nulla est æstimatio. Nam tunc vix crederetur eligentibus dicentibus se timuisse, vel libertatem, in retractando, deliberando, vel eligendo, non habuisse, vel perdidisse, nisi haberent alias præsumptiones pro se. Sic

134 ergo medius timor, qui in alijs non sufficeret, sufficit in electionibus, & etiam in Papali. Ex quo videtur, quòd verior sit opinio illorum, qui dicunt etiam in inferioribus electionibus, quòd electio per metum facta sit nulla. Et ita ponitur in dict. cap. quisquis, & idem glosf. in cap. Abbas, quod metus causa, & in capit. bone el 1. de elect. Facit text. in cap. dilectissimi, 8. quæst. 2. & in cap. in nomine Domini, 23. dist. & in cap. vbi periculum in §. cæterum de elect. in 6. & tenet Anton. in in dict. cap. Abbas. Et est ratio, quia sunt aliqua, in quibus exigitur libera voluntas, & sic non simplex, sed cum qualitate libertatis, & tunc licèt coacta voluntas sit voluntas, tamen non est libera, ideò inficit

cit casus in quibus exigitur libera voluntas. Huiusmodi enim est actus electionis, vt in dict.cap. quisquis, & cap. vbi periculum.
135 Sicut in simili, dicitur de ingressu religionis, in cap. 1. quod metus causa,& in matrimonio, vt in capitu. cùm locum de sponsa. cum simil. Igitur electio per metum facta erit ipso iure nulla. Facit quod notat gloss. 23. quæst. 5. notificasti, ibi directa voluntas, idest libera. Et ita ponit. d. Anton. in dict. cap. Abbas, quicquid dixerit Card. ibid. & in cap. licèt, de elec. Et cum Anton. sentit Abb. Siculus cum modificatione in dict.cap. licèt, & in dict. cap. quisquis, & dict. capit, Abbas.Et facit decisio. 358. incipit, item fuit dubitatum de illo, in tit. de renun. allegat. cap. in nomine Domini, 23. dist. & 77. dict. cap. 1. Innoc. & Hostien. in cap. quòd sicut de elect. Licèt Innoc.fuerit sibi contrarius, quia in cap. quisquis tenet quòd electio sit nulla, in cap. quòd sicut dixit contrarium, quòd non sit ipso iure nulla, vt refert Abb. Siculus in dict. cap. quisquis in gloss. Quæ conclusio in Papali electione procedit claré,quando metus est illatus electoribus de eligendo certum, quia tunc est contra propriam rationem vocabuli: nam eligere est vnum de pluribus voluntariè capere. Vndè non est electio, vbi non est voluntas libera, 23. quæst. 5. ad finem, & capitu. vbi periculum, §. cæterum, vbi dicitur, quod cessat electio vbi amittitur libertas eligendi. Et hoc dicit Abba. in dict. cap. licèt, & in dict. cap. Abbas, & adducit ad electionem factam de Rectore per Ciuitatem compulsam à Tyranno, de quo per Bart. in tract. de Tyranno. Et hanc conclusionem, quòd electio Papæ per metum facta sit nulla, tenet idem Ægid. in consil. 97. incipit quæstiones, sequendo opinionem illorum, qui hoc concluserant in concilio Auenione celebrato per Cardinales tempore schismatis. Tum quia iura quæ generaliter dicunt, quod electiones per metum factæ sint nullæ, debent habere locum in electione Romani Pontificis, quia non reperitur text. qui ab illa generalitate excipiat hunc casum. Tum quia
136 actus de se irretractabilis, per metum citiùs redditur infectus, quàm ille, qui est retractabilis, vt patet gloss. & text. in l. generaliter, §. fin. ff. qui & à quibus. Tum quia ratio libertatis animorum eligentium obquam aliæ electiones per impressionem redduntur nullæ multò magis militat in electione Papæ. Tum quia illa iura reperiuntur confirmata in electione Romani Pontificis per cap. in nomine Domini. 23. dist. quæ iura non sunt sublata per cap. licèt de elect. Tum quia text. ipse in princ. aperit se addi ad alia iura, tum quia Hostien. & cæteri Doctor. dicunt alia iura non esse sublata. Et inde sumpta occasione ponit idem Ægid. plures intellectus ad ver-
137 ba illius text. cap. licèt, ibid. absque vlla exceptione, quos etiam ponit in dicto cap. licèt, concludens illa verba referri ad omnes exceptiones, quæ de necessitate requirunt aditum superioris, non ad alias.

Vndè omnes exceptiones, per quas electio venit irritanda, item omnes exceptiones reddentes electionem ipso iure nullam, quæ tamen dubiæ, & non claræ, seù notoriæ existunt, quia expectant aditum superioris, sunt sublatæ, etiamsi sint dubiæ in iure, etsi concernant personas eligentium, vel electi, sed si sint exceptiones concernentes personas eligentium, vel electi, quæ sint claræ in iure & in facto, poterit excipi. Vnde quando notoriè est electio facta per impressionem, vel per simoniam, hic non est necessarius aditus superioris, sed authoritate canonis, licet etiam laicis talem expellere, dict. cap. in nomine Domini: igitur tales obstabunt. In alijs autem exceptionibus, quàm impressionibus aliàs tamen reddentibus electionem nullam, in facto notorijs, & in iure claris, vtrum sit necessarius aditus superioris, & sit locus prohibitioni exceptionum, licèt sit dubiū, ibi tamen concludit, quod est idem, maximè si sit talis notorietas, in qua non debet adiri iudex, & hoc per cap. in nomine Domini. Cuius ratio fundatur in naturali ratione, quòd notorio intruso, cui constat nullum ius competere, non debet obediri, ne participetur in crimine criminoso. Quæ ratio text. militat in omnibus casibus similibus casui impressionis,& simoniæ in electione, quos casus text. ille æquiparat exceptioni hæresis notoriæ, in qua sit pertinax, & non velit corrigi. Et idem de alijs exceptionibus concernentibus personas eligentium, vel electi, quia si certum est, quòd reddunt electionem nullam notoriè, poterunt opponi, secus si sit aliqua dubietas in facto, vel in iure. Ita concludit ipse Ægid. in dict. consil. in quo ad longum disputat de quæstionibus contingentibus in electione Vrbani, & vbi vtrùm debuerit credi Cardinalibus asserentibus cum non electum, nec receptum voluntariè, & an potuerint recedere, & alium eligere. Et plura alia dubia ponit in consilio, 99. contingentia post obitum Clementis II. quando Cardinales intrantes Conclaue iurarunt, etiam pro sedando schismate, quod electus cederet, si aliter prouideri non posset. Et eamdem materiam de electione per impressionem facta, quòd sit nulla, prosequitur idem Ægid. per multas chartas in Clem. ne Romani de elect. & ibi seriosè narrat totum factum schismatis cum subscriptione Cardinalium. Et ibi
138 etiam quærit vtrùm tunc via concilij fuisset expediens in illa electione Vrbani per impressionem facta,& concludit illam, nec per quoscumque actus consecutiuos potuisse ei aliquod ius quæri,& electionem factam ab illis discedentibus ab Vrbano de Clemente validam, & in simili casu non expediri viam concilij propter inconuenientia plura, quæ ad longum deducit, & in primis ne sequatur maius schisma, maximè si concilium vellet iudicare neutri competere ius in Pontificatum, & tertium Pontificem eligeret. Plures alias persuasiuas rationes adducit, & inter cætera,
139 quòd licet Papa possit in sua causa ius di-

dicere, ficut dicitur de Principe, l. 1. & 2. C. si aduersùs fiscum illud dicit procedere, quando non agitur super eius Principatu, quia tunc vt priuatus interuenit in causa, ad quod nihil allegat. Item ratione impossibilitatis, quia cum congregari non possit sine authoritate Papæ, Principes hoc facere non poterunt. Sed ad ista satis videtur responsum in quæstione, quis congregat concilium. Et ad præmissa etiam facit quòd ponit idem Ægid. in capit. 1. de renunc. in 6. vbi ponit vtrùm Papa possit cogi ad renunciandum, & concludit quòd non, etiam per concilium generale. Quod facit ad illud quod quæsitum fuit tempore schismatis Vrbani, an illi, qui se gerebant pro Pontificibus poterant cogi ad cedendum, de quo aliquid dicetur infra. Vbi etiam dicit, quòd etiamsi Papa se submiserit determinationi concilij, nihilominùs poterit ante sententiam resilire, etiam iam completa inquisitione, nec poterit inuitus iudicari, sed dicendum erit ei, vt seipsum iudicet, vt in capit. nunc autem, 21. dist. quantumcumque inuentus fuerit insufficiens, vel inutilis, de quo ibi per eum in versic. quarto quæritur. Et de via cessionis pro sedando schismate inter duos contendentes de Papatu, vtrùm expediat, vide eumdem Ægid. per plures chartas, vbi prosequitur etiam alios modos pro sedando schismate per plures etiã tractatus diuersorum Doctorum in cap. in fidei de hære. in 6. Quos summatim adducto infra in illa quæstione, quando est contentio inter duos de Papatu, & vnus est verus Papa, & differunt sedare schisma, vtrùm etiam Papa verus possit deponi.

140 Secunda cõclusio erit, quando electores compelluntur eligere aliquem de certo genere personarum, vel de certa natione. Et in hac conclusione licèt Abb. Siculus in dictis locis voluerit, quòd talis electio valeat, quia non adimitur omnino libertas eligendi, sed restringitur, sicut videmus in consuetudine, quæ potest restringere libertatem eligendi ad certum genus personarum, vt notatur in capitu. coram, per Ioan. Andr. de elect. iuncto cap. cùm dilectus de consuet. & cap. Abbate de verb. signifi. Tamen contrarium tenet præfatus Card. in dictis allegationibus, & Ægid. in dict. cap. licèt. Tum quia non est propriè dare rationem diuersitatis, quare magis in vno casu, quàm in alio, quia iura, quæ volunt electiones facta, per metum esse nullas, ita militant quando in specie est facta impressio, sicut quando in genere, quia verba, & ratio æquè conueniunt, quando est facta impressio de eligendo aliquem de certo genere personarum, ergo idem quòd quando impressio est indefinita, l. illud cum vulgaribus, ff. ad l. aquil. ff. de pac. l. quod dictum cap. translato & cap. nam concupiscentiam de constit. Ratio enim quare dicitur electio nulla, est quia per metum aufertur libertas eligendi, quę ita conuenit in isto, sicut in illo casu. Item quia generaliter iura loquuntur, & indistinctè, 19. distinct. si Romanorum, l. 3. ff. de offic. præsid. Item quia maior videtur ratio prohibitionis, quando in specie fit impressio de certo genere personarum, quàm quando in genere, vtpote quæ est periculosior, artic. 63. dist. cap. vota, 8. quæst. 1. nouum, de consecr. dict. 4. sicut. Item quia compellere aliquem ad eligendum de certo genere personarum, perinde est, ac cogere ad eligendum Petrum, vel Ioannem, quia vbicumque ge-

141 nus in aliqua dispositione positum, ex natura rei, de qua agitur arctatur ad vnam speciem, perinde est postquam ad vnam speciem est descensum, ac si à principio species esset in dispositione expressa. Vnde si mandatur prouideri tibi de beneficio quod duxeris acceptandum, si cùm aliquod vacat, illud acceptas, genus expressum in dispositione, coarctatum est ad istam speciem, & est perindè, ac si à principio istud beneficium fuisset expressum in impetratione, de conces. præben. quia cunctis in 6. & cle. cùm ei quem de conces. præben. cap. cùm in multis de rescrip. in 6. Facit, cap. si pluribus de præben. eod. lib. Sic ergo si coactio fit de eligendo de certo genere personarum, & qui eligitur est de illo genere, perindè est, ac si ad eligendum illum nominatim, & specificè coactio facta fuisset. Sed coactio facta de eligendo certam personam, reddit electionem nullam, vt in præcedenti conclusione. Igitur eodem modo dicendum est de ista, quando fit coactio de eligendo de certo genere personarum, secundùm Card. Et ad contrarium Abbatis respondet ipsemet Card. in dictis allegationibus, licèt fuerit antequam fuisset Abbas, fatendo, quòd consuetudo potest inducere, vt electio fiat de certo genere personarum, vel vt eligatur vnus ex incertis, sed hoc non est propriè compellere, vel impressionem facere, sed magis inefficacem dispositionem seruare, ad quod ratio coarctat quemlibet, & adstringit, 11. quæst. 3. illa propositorum, de constit. cap. canonum, 1. dist. cap. consuetudo. Nec sequitur quicquid potest lex, vel consuetudo potest Princeps, ergo & populus, quia intelligitur habere locum in illis, & quoad ea, quæ sunt iurisdictionis eius, & infra terminos potestatis ipsius, cuiusmodi non est electio, quia in electionibus vanæ voces populi non sunt audiendæ, & magis populus est docendus, quàm sequendus, cap. ad nostram de consuet. Ad hoc text. in capit. legimus, 93. dist. de constit. Eccles. 96. distinct. bene quidem, de rebus Eccles. non alienan. cap. fin. cum simil. Iunctis cap. in nomine Domini, 23. dist. & cap. si quis pecunia, 79. dist. Et hoc corroborat, quod dicit Bald. in d. cap. licèt de elect. in 2. co-

142 lum. in fin. cùm vult, quod licèt Cardinales indirectè cogi possint, vt eligant, & concordent, non tamen possunt cogi, vt concordent in eum, quem vult populus, puta in Martinum, vel Tuschum, quia hoc modo libertas vulneratur. Tertia conclu-

143 sio erit, quòd etiam si metus inferatur sub alternatione, puta vt eligatur talis, vel talis ex tali natione, similiter electio erit

nulla.

nulla, quia ita per talem subalternam impressionem aufertur libertas arbitrij in eligendo, sicut in simplici impressione, quia licèt impressio subalterna distinguat inter genus quod optat, non tamen in proposito extenuat metum, nec differunt impressio subalterna, & impressio in genere, nisi
144 in hoc, quòd subalterna videtur denotare maiorem affectionem ad illum, quem prius nominat, ff. de vsufruct. l. quoties, non tamen per hoc restringitur facultas ad illum solum. Nec obstat, ff. de l. tertiò, l. cùm pater, §. penultimo, & l. peto, §. fratres, & ad Trebell. l. hæredes mei, §. fin. & quod notat Bartol. in l. si cognatis, ff. de rebus dubijs, quia illa non ex verbis, sed ex mente disponentis in re propria, & in habente ordinem affectionis ordinatè procedunt, quæ cessant in isto casu, & ideò standum est verbis, ff. de exercit. l. prima, §. in re igitur dubia. Nec obstat, ff. de legat. secundò, l. si ita relictum, §. penult. & de verborum oblig. l. si ita stipulatus fuero decem, aut quindecim, & l. inter stipulantem, §. secundo, quia loquuntur in disiunctione summarum, nos autem loquimur in disiunctione rerum, vbi secùs, ff. de constituta pecunia, l. illud. Vnde ex his patet, quòd electio Papæ facta per impressionem est nulla. Et quia tunc agitur causa Papatus, erit legitima causa congregandi concilium, vt in d. cap. si duo, 79. dist. & ponit Card. in d. cap. licèt, in 31. quæstione, & licèt eius opinio sit, quòd valeat electio facta per metum, tamen vult, quod cognitio huius quæstionis sit concilij. Et quòd electio sit nulla, voluit etiam Ioan. de Imol. contra Card. in d. cap. licèt, illa ratione, quia sicut matrimonium carnale contractum per metum est ipso iure nullum, vt in cap. cùm locum, de sponsal. ita & spirituale. Et idem etiam tenet Philippus Francus in cap. vbi periculum, in §. præterea, de elect. in 6. per text. & gl. ibi in verbo electio. Ad quod etiam adducit glos. singularem, 23. quæst. 5. capit. notificasti, subiungens quod intantum metus reddit electionem nullam, quòd si electio fuit meticulosa à principio, non possent posteà Cardinales consentire, vel ratificare. Adducit Bald. in cap. quisquis, de elect. & in consilio posito in l. prima, C. si quis aliquem testari prohib. & sic concordat cum dictis supra. Et quod electio Papæ per metum facta sit nulla, ponit idem Bald. in l. fin. §. primo, in vlt. columna, vers. extrà quæritur, & sequenti. C. communia, de legat. Remittit tamen se finaliter ad dicta per eum in d. l. prima. Et ibi con-
145 siderat, quid si metus fuit causa finalis, & quid quando fuit in circumstantijs, in d. vers. extra quæritur. Et quod sit nulla, vult hodiè constitutio frequens edita in Concilio Constantien. in 39. sessione. Et quod dicitur de electione, quòd sit nulla, secùs esset si fuisset libera, sed inthronizatio, & receptio, siue coronatio esset meticulosa, quia per hoc non vitiaretur electio, quæ fuit concorditer, & sine metu celebrata, vt dicit Bald. in l. cum te, Cod. de pignoribus, & supra dixi.

146 Restat respondere ad contraria, quæ volunt, & inferunt electionem valere. Et ad primum responde, quod licèt regulariter gesta per metum valeant, tamen sunt aliqui casus excepti, inter quos erit iste, quòd electio per metum facta sit nulla, vt patet ex adductis pro parte contraria, & dicitur in d. cap. Abbas, quòd metus causa, Innocent. in cap. quod sicut, in glos. magna, de elect. Quinimò licèt in aliis requiratur metus, qui cadat in constantem, tamen in electionibus sufficit leuis metus, vt ponit Archi. in cap. primo, 1. quæst. 6. & ponunt Doct. in cap. insinuante post glos. qui cler. vel mo. & Ægid. in d. capit. quisquis. Ad secundum responde concedendo in electione Papæ non adstringi Cardinales ad aliquam formam, sed hoc non concernit formam, quòd electio sit libera, sed concernit substantiam. Quod dicitur, quòd sufficit naturalis consensus, & quòd metus illum non tollit conceditur, sed requiritur, quòd sit liber. Quod dicitur, quòd non est superior, ad quem possit haberi recursus, facit magis pro, quàm contra, vt patet ex adductis pro parte contraria, quia si non potest adiri superior, non potest fieri rescissio, & propterea erit ratio specialitatis, quòd sit nulla, quod dicitur de inferioribus electionibus, contraria opinio est vera, quia etiam sunt nullæ, vt in cap. Osius, & in capitulo cum terra, & capitulo sacrosancta, & capitulo quisquis de electione, & dictum est in contrarijs pro alia parte. Ad tertium, quod dicitur, quòd sufficit consensus duarum partium, responde verum esse, dummodo sit liber, quod dicitur, quòd remouetur omnis exceptio, ergo & ista, 19. distinct. si Romanorum, quia qui omne dicit nihil excludit, capitulo quia circa de priuileg. cum simil. Dico verum, dummodo aliàs electio sit canonica, vt dicit Hugo, 91. distinctione capitulo primo. Et tunc contra personam electi, & formam electionis, quando est canonica, nihil potest opponi, sed an electio sit nulla, vel minùs canonicè celebrata, bene debet quæri, vt ponit Hostiensis, & Ioannes Andreas, & alij in d. cap. licèt.

Ad quartum, quod sufficiat substantialia interuenire in acta respondetur, quòd istud est vnum de substantialibus, quia requiritur, quòd sit liber consensus in electionibus, & sic cum qualitate libertatis, vt dictum est in contrarijs. Vnde iura de repudiatione, & aditione loquentia, tantùm requirunt consensu, sicut in cæteris, in quibus datur rescissio per actionem, quod metus causa. Quod dicitur de omissione casus facit pro, quia tunc nulla, per iura aliàs inducta, cap. Osius, capit. quisquis de electione capitul. in nomine Domini, 23. distinct. & capit. si quis pecunia, 79. dist. Quinimmo non est omissus, si bene aduertatur, cùm dicit, quod non est superior, ad quem possit haberi recursus, quia hoc non est aliud dicere, quàm, quòd deficit executor ad rescindendum; ergo aliud

aliud in electione Papali, quia erit nulla,
etiam si aliæ inferiores valerent, quia pos-
sent resciudi, dicto cap. Abbas, quod me-
tus causa, & ibi dicta. Ad quintum respon-
detur, quod licèt quidam dicant, cap. si
quis pecunia non probare de per se, quia
non loquitur expresse de electione, sed de
inthronizatione facta per pecuniam, gra-
tiam, vel tumultum absque Canonica, &
concordi electione Cardinalium, vel de
electione non facta à Cardinalibus, secun-
dùm Card. Florent. in d. cap. licèt in 31.
quæstione, & vult. cap. primo 79. dist. ta-
men Ægid. in d. cap. licèt, dicit, d. cap. si
quis pecunia, & cap. in nomine Domini
loqui de elect. facta à Cardinalibus. Et col-
ligitur ex facto notato, in c. in nom. Dom.
in glos. 3. super quo facto fundantur am-
bo capitula, quia cap. in nomine Domini,
à quo dependet, cap. si quis pecunia, loqui-
tur de electione Benedicti intrusi, quæ fa-
cta fuit à Cardinalibus post mortem Ste-
phani, vt patet in chronicis Damasi, & in
libro aureo historiali, quæ allegare licet,
20. dist. de quibus, & de elect. cap. vene-
rabilem. Facit, quod aliàs Doctores anti-
qui ineptè allegassent ad hoc dicta capitu-
la, & quia, nisi, cap. in nomine Domini
loqueretur de electione Cardinalium nul-
lum dubium haberet, & frustra aliàs de
violentia, & tumultu tam accuratè loque-
retur; cùm sit certum electionem factam ad
Papatum per alios, quàm per Cardinales
esse nullam, nec requirerentur tot qualita-
tes adiectæ in illis iuribus, concordi, cano-
nica, sine violentia, tumultu, pecunia, &
cætera, quia quando non esset facta à Cardi-
nalibus, etiam sine illis qualitatibus, esset
nulla, vt in cap. licèt de elect. Et quod ele-
ctio Papæ facta per seditiones, & conspi-
147 rationes sit nulla, bonus est text. in cap.
victor, 97. dist. Nunc ad c. si quis pecunia
respondet, quod illa regula, quando sub
vna determinatione plura ponuntur, de-
bent æqualiter determinari, non proce-
dit quando in vno casu subest ratio li-
bertatis, quæ non subest in alio, vt di-
cunt Doct. moderni in d. l. iam hoc iure.
Vnde licèt pecunia, gratia humana, & po-
pularis, vel militaris tumultus æqualiter ibi
determinentur, non tamen subest eadem
ratio in vno ex dictis casibus, quæ in alio,
quia quando electio fit per tumultum adi-
mitur libertas eligendi, quod est directè
contra illum text. cum dicit sine concordi,
& Canonica electione, canonica enim non
potest dici electio, in qua deficit naturale
principium ipsius electionis, videlicet li-
bertas, & puritas consensus, vt dicit Innoc.
in dicto cap. quod sicut, de elect. Præte-
rea si benè consideretur text. in d. c. si quis
pecunia, non potest induci in oppositum,
nisi per argumentum à contrario sensu, vi-
delicet, quod sicut est nulla electio, quando
pecunia, gratia, vel populari tumultu sine
concordi Cardinalium consensu, est facta,
ita à contrario sensu sequitur, quod quan-
do fit cum concordi consensu, sit aliqua.
Vnde sicut secundùm magis communem
opinionem ibi est valida quando, per pecu-
niam, vel humanam gratiam est facta;
modò sit facta concorditer à duabus parti-
bus Cardinalium, ita & si per metum, vt
etiam tumultus, & metus æqualiter deter-
minentur per argumentum à contrario
sensu. Quod argumentum, à contrario non
148 procedit, quando resultat contrarietas iu-
rium, vt patet in l. prima §. huius rei de
offic. eius cui mand. est iurisd. & in capit.
significasti de foro competen. Item alia re-
gula, quod æqualiter sub vna determina-
tione posita debent æqualiter determinari,
procedit, nisi sit diuersa ratio in altero de-
terminabilium, secundùm Angelum in §.
hinc nobis, in authen. de hæredibus, & fal.
& ponit immò, in l. Caius in 3. colum. ff.
solut. matrim. Quod clarè procedit in di-
spositione legis, vt dicit Alex. & Moderni
in d. l. iam hoc iure Ad cap. in nomine
Domini, dicitur, quod non probat, quod
valeat electio facta per metum, immo po-
tiùs probat contrarium. Ad. §. præterea
respondetur, quod licèt non annullet ele-
ctionem aliter factam, tamen suppleri de-
bet per rationes, & alia iura, nec ille text.
intendit determinare, an electio Papæ facta
per metum sit nulla. Ad. §. cæterum in
Clem. ne Romani, dicitur, quod potest in-
duci pro, quia loquitur in exceptionibus
contra personas Cardinalium, & subdit,
iuribus circa eamdem electionem aliàs edi-
tis in suo robore permansuris, ergo aliæ in-
ficientes libertatem eligendi potuerunt op-
poni. Et licèt excõmunicatio, & interdictũ
sit arctatio iuris, tamen nõ vulnerat directè
consensum, qui debet esse liber in electione,
sicut facit metus. Ad vltimum, quod sunt
multa specialia, responde, quod licèt hoc
non sit expressè positum de electione Papæ,
includitur tamen à maioritate rationis
propter defectum superioris. Item inclu-
ditur, quia si est speciale in electionibus in-
ferioribus, & in matrimonio carnali, ergo
& in isto casu, qui virtualiter includitur in
illis, ex quo non reperitur contrarium sta-
tutum in isto. Ad quod facit capit. pri-
mum, quod metus causa, arguendo de
persona electi ad eligentes. Et ex his ap-
paret, quid fuerit dicendum, de electione
Vrbani, super quo Bald. in rub. C. si quis
aliquem test. prohi. & Cardin. Camera-
cen. Ægid. & alij plures tantum labora-
runt.

150 Sed in proposito, quod Cardinales erant
in concordia eligendi, sed populus non
contentabatur, cui suasum est, vt faceret
rumorem, & sic præsumeretur electio im-
pressiua. Cardinales autem dicunt se spon-
te elegisse. Clarum est, quod hoc casu cre-
deretur Cardinalibus pro validitate ele-
ctionis existentibus, ex quo sunt concor-
des, & hoc asserunt sine aliquo metu, potiùs
tunc præsumetur, quod malitiosè populus
tumultuatus sit.

151 Sed quid si è contra Cardinales dicunt,
quod per impressionem, & displicenter ele-
gerunt, Si attendimus, quod diximus su-
pra post Archi. 1. quæst. 6. capit. primo,
& quod dicunt Doct. in capitulo insinuan-
te, qui cler. vel Mon. quod in electionibus ad

annullandum sufficit leuis metus, nec requiritur, quod sit talis, qui cadat in virum constantem, videtur dicendum, quod electio esset nulla, & quod esset credendum Cardinalibus si cum eorum assertione, in veritate concurrat tumultus popularis, qui verisimiliter causauit metum. Bald. in dicto capitulo licèt mouet quæstionem, & vult, quod non credatur Cardinalibus, nisi appareant alia signa verisimilia, & probabilia, & maximè notoria, quia contra factum proprium non licet venire, nisi factum sit metus causa, per vim facta autem dici non potest, quia vis absoluta non cadit in acto verbi, sed facti, vt ponit Ioan. And. in cap. sacris, quod metus causa & vis conditionalis est quædam plica voluntatis ad non amatum, vel desideratum, & est idem quod metus. Ego dubitarem de dicto Baldi si essemus antequam Papa fuisset receptus, & adoratus, nisi constaret de malitiosa suasione, & tumultuatione populari. Ad, quæ definienda fortè requireretur Concilij congregatio, cum ipsius electi potestate, qui etiam posset administrare per capitulum in nomine Domini 23. distinctione, & vide, quod dico infra in secunda, & tertia charta.

152 Sed pone Cardinales intrare Conclaue pro electione facienda,& propter practicas fortè factas ante ingressũ non clauso cõclaui statim procedere ad electionem,nulloque facto scrutinio, aut alio tractatu, vel modo in eligendo adhibito duas partes conuenire in vnum, & eligere, an erit valida talis electio. Et videtur, quod non, quia non fuit seruata forma cap. vbi periculum, quia pendente scrutinio vota emissa non reperiuntur; contrarium tamen concludit Ægid. in dicto cap. licèt in 16. Char. quia nec scrutinium, nec scrutinij pendentia est de substantia, vel de forma huius electionis, quia in electione Romani Pontificis Cardinales non arctantur ad certam formam, nec capit., quia propter, nec d. cap. licèt, & ideò si conuenit inter eos, vt procedatur ad expediendum non aliter seruatis interstitijs temporum cap. vbi periculum poterunt procedere ad electionem, quod etiam sentit. Dom. Anton. in d. cap. licèt, qui vult, quod qualitercumque constet de eorum voluntate, sufficit. Et inducit hoc contra illos de Auenione, qui allegabant contra Vrbanum, quod non fuerat capitulariter electus, & dicit, quod malè allegabant. Facit, quod diximus supra per id, quod ponit glos. & Doctores in cap. si cui, de electione, in sexto. Ad quod dicit Cardin. in Clement. ne Romani, in septima quæstione, de elect. & refert Alexand. in cap. si quis pecunia 79. dist. Quod dicit Ægid. procedere etiam si Cardinales ordinassent inter se procedere per viam scrutinij, quia omninò valeret electio secũdùm eum. Et sic ista non erit sufficiens causa congregandi concilium, etiam si talis electio non reperitur facta per inspirationem, sed per ingenium, secundùm quod dicit tex. in d.c. in nom. Dom. dummodo nõ fuerit celebrata in omnibus contra dispositionẽ illius tex. Si tamen isto casu electio ab aliquibus, qui facerent duas partes esset simoniaca, & per ingenium facta, multò magis secundùm Ægid. non valeret, per ea, quæ dicta sunt in præcedenti articulo, & in illo, an Simonia per Papam commissa sit sufficiens causa congregandi concilium, & per ea, quæ in sequenti quæstione dicuntur. Pro quo facit ratio propter duo specialia, quæ in hac electione concurrunt, & etiam arg. in l. prima C. de dotis promis. Et licèt casus in puncto iuris esset dubius tamen hodiè sine dubio, propter Bullam Iulij, quæ declarat electionem de Papa simoniacè factam esse nullam, esset nulla. Et licèt eius electio præstiterit causam edicto, non ideo minùs bene fecit prouidendo vulneri, cui cognouit medelam adhibendam. Et ideo isto casu esset sufficiens causa congregandi concilium. Quod verum intelligo hodie, siue antequam esset receptus, & adoratus, siue post etiam ad amouendum eum à Pontificatu. Et licèt prouisio Bullæ sit bona, tamen propter malignantes vereor, ne sit multum periculosa. Sed quia supra dictum est, quòd quando Papa est simoniacè à Cardinalibus electus, est sufficiens causa congregandi Concilium, ex quo talis exceptio, quòd est electus per simoniam non potest Papæ opponi, ad quid proderit congregare Concilium? dic vt saltem Cardinales puniantur.

153 An autem ex hoc tales committentes simoniam poterunt priuari Cardinalatu, tex. in §. cæterùm in Clem. ne Romani videtur velle, quod non, quia vult non posse illis obijci aliquam exceptionem. Sed ille text. non obstat, quia loquitur ad finem, quòd non repellantur ab eligendo; sed non prohibent, ne puniatur de tali simoniaca electione. Imò quòd possint puniri ponit Anton & Immol. in d. c. licèt, per glos. in cap. si transitus, & in d. cap. si quis pecunia, 79. dist. qui volunt, quòd de tali simonia possint puniri. Et pœna contra simoniacos est depositionis, vt in cap. de hoc, & in cap. insinuatum de simon. in cap. cùm clerici, ibi glos. & Doct. de pac. Et hodie bulla Iulij declarat ipsos ipso iure priuatos: & vtinam seruaretur, quia tales sunt causa ruinæ sedis Apostolicæ.

154 Sed quid si Cardinales omnes extra conclaue existentes, in suis domibus dant vota coram Notario, & consentiunt in eumdem, an erit Papa, ex quo concurrunt vota duarum partium, Ægid. in 16. char. in d. capitulo licèt, dicit vtinam casus non occurrat, quia esset occasio magni schismatis, quia verba scribentium ibi sonant in negatiuam, sed text. in affirmatiuam, nec reperitur expressum per aliquem tex. quòd sit necessaria communis congregatio, nisi prout legitur in capitulo vbi periculum, & in Clement. ne Romani. Postea dicit, quòd capitulum licèt, procedit vbi non est factum conclaue, vel si est factum nullus est ingressus. Concludit tamen salua determinatione Ecclesiæ, quòd talis non erit Papa per §. statuimus in d. cap. licèt, ibi

plena

plena concordia, & ibi nisi maior concordia intercesserit; & per iura in 6. & Clem. quæ sunt noua,& quia vnus posset alios trahere ad votum suum ratione aliqua, iuxta l. si in tres ff. de arbitr. & propter periculum, & consuetudinem communiter seruatam; sentit tamen, quòd hoc casu deberet congregari Concilium, vt saltem declararetur vtrùm valeret talis electio. Cardin.
155 tamen in Clement.ne Romani in princip. in 7. quæst. vult quòd si omnes Cardinales ante ingressum conclauis per inspirationem essent cōcordes,& eligerent etiam non expectatis absentibus infra decem dies, teneret electio, & idem dicit, si non omnes, sed duæ partes elegissent. Et quòd teneat electio non expectatis decem diebus,tenent gloss. & Doctor. in cap. vbi periculum, de elect. in sexto, sed quòd ante ingressum conclauis glos. non dicit; sed benè Card. in Clem. ne Romani in d.7.quæsito in fine, & sequitur Alexand. in capitulo si quis pecunia 79. dist.
156 Et ad materiam electionis Papæ per impressionem factæ,vide plures quæstiones quas examinat idem Ægid. in d. cap. licèt, concernentes schisma exortum tempore Vrbani VI. videlicèt quæ, & quales minæ faciant iustum metum in electione Papæ, de quo per eum in cap. quisquis, de elect. Item posito, quòd acclamatio popularis comminatoria inducat iustum metum, & quòd talis acclamatio ante ingressum conclauis Romæ constituti, & Cardinalibus pro duabus partibus Gallicanis existentibus facta fuerit priùs de Romano, vel Italico, sed in fine in puncto electionis celebrandæ facta fuerit de Romano, & tamen non fuerit electus Romanus, sed Italicus, an censenda sit nihilominùs electio impressiua? Et concludit quòd sic, dicit tamen finaliter esse dubium,& cogitandum. Item
157 alia quæstio:vtrùm subsistente iusta causa timoris, de iure præsumi debeat electores, quibus inferebatur metus, passos, & securos fuisse illum metum? Et licèt aliqui dicant, quòd sic si protestati fuerint in actu, vel ante actum, & non aliter, argument. de offic. deleg. Pastoralis, quòd metus causa. capit. primo, de appellat. si iustus, ipse tamen concludit contrarium, quia vt protestatio sit necessaria, oportet quòd sit expressè cautum in iure,quia casus,in quibus iura requirunt protestationem sunt speciales, & quia negligentia protestandi debet obesse negligenti, & non alijs.

Quòd autem in electione Papæ nulla fiat impressio, non tantùm respicit Cardinales, sed totam Christianitatem, quia est fauor publicus, l.1. §. finali ff. de iustitia & iure; & ideo culpa priuatorum non obest,prima dist. ius publicum, de arbit. cap. cum tempore, de foro competen. si diligenti, cum
158 similibus. Item alia quæstio: supposito quòd Cardinales antè metus illationem fuissent deliberati ad non eligendum Italicum, & postea metu de Italico eligendo vrgente,mutassent voluntatem, & Italicum elegissent, cum animo tamen, & intentione, quòd electus verus Papa esset, id tamen non facturi metu huiusmodi non illato, numquid nihilominus erit talis electio impressiua, & sic ipso iure nulla? Et concludit, quòd sic: & dicit pro hoc esse casum in d. cap. quisquis, de elect. Ex quo videretur, quòd etiam isto casu esset congregandum Concilium, ex quo agitur causa Papatus, iuxta d. cap. si duo 79. dist. & omni casu, quo præsupponitur electio nulla,& in hoc est discordia.Item alia quæstio:
159 pone, quòd Cardinales facta electione per impressionem, eadem die prandio solùm intermedio, & eadem impressione durante,ac in eodem Conclaui adhuc clauso, instantibus aliquibus eorum, qui erant de natione electi, & inferentium metum, ipsam electionem renouarunt, numquid hoc iuuare potest, aut ad nouam electionem inducendam, aut ad præcedentis electionis purgationem faciendam? Et concludit, quòd non iuuabit quominùs electio omninò sit nulla, per notata in cap.1. quòd metus caus. & in l. 2.C. eod.per Cyn. & Bar. Et adducit in proposito pulchrum tex. in l.1. ad fin. C.de rapt. virg. & in l.3. §. si quis volentem ff. de libero homine exhib. argument. de rescript. statutum §.si quid autem, de censib. exig. ad fin. in 6. & Clem. nolentes §. quòd si secùs, de hær. Per quæ iura concludit, quòd secunda electio videtur ad scribēda præcedenti timori, quia contra eorum voluntatem, & libertatem facta videtur, & præsumitur; pro hoc C. de procur. l. quicumque, & authen. ibi posita, & quæ ibi per Cy. Item alia quæst.
160 supposito, quòd post electionem impressiuam Cardinales electum receperint, & installauerint, & coronauerint, ac eidem, vt Papæ obediuerint, in loco tamen impressionis, & durante potestate laicali impressionem causante, & sic durante causa impressionis eiusdem, vtrùm per præmissa purgatum fuerit vitium in electione commissum: Et concludit, quòd prædicta quatuor, videlicèt receptio, installatio, coronatio, & obedientia, tanquam eidem metui subiacentia, nec operantur præcedentis electionis confirmationem, nec etiam inducunt nouam electionem, nec nouæ electionis effectum, per notata presertim per Cy.& Bart.in l. secunda C. quòd metus causa. Et istam dicit esse opinionem Ioan. de Ligna. in 3. tractatu edito in materia illius schismatis. Licèt aliqui pro intruso scripserint: inter quos est Bald. in rubr. C. si quis aliquem testari prohib. de quo etiam ponit Bald. in l. fin. §. primo: communia de l. qui aliter videtur sentire in l.1. §.sed & qui Domini C. de lati.liber. tollen. si ponimus, quòd ibi loquatur de eadem electione Vrbani. Martinus de Laude in tract. de Cardinalibus quæst. 88. referendo Bald. in cap. quisquis, de elect. dicit quòd si Cardinales per metum elegerint aliquem in Papam, non possent postea consentire in talem per metum electum, nec possent Cardinales in hoc dispensare: & hoc, vt tollatur omnis occasio violandæ libertatis. Et istud est verius. Alexandr. de Immol. in l.2. C. quòd metus causa,ponens

nēs quæstionem transit cùm Baldo in dicta rub. 14. col. videlicèt, quòd metus impressionis in electione, purgatur per spontaneam coronationem. Sed hoc intelligitur in spontanea coronatione, & non quando electio, receptio, installatio, & coronatio facta fuit in eodem loco impressionis, & durante eadem causa, & potentia metus, sicut ponitur quæstio. Quæ conclusio non videtur vera, si est verum, quòd Bald. dicit in d. cap. quisquis, quòd Cardinales, qui per metum elegissent, non possent posteà in ipsum consentire, nec in hoc posset dispensare, vt tollatur occasio violandæ libertatis; quòd etiam concluditur infrà in proxima sequenti quæstione. Adde quæ dicta sunt supra in principali articulo, an electio facta per impressionem sit nulla.

Item alia quæstio.

161 QVid si prædicta quatuor, videlicèt receptio, installatio, coronatio, & quòd præstita fuerit obedientia, liberè emanassent? Et concludit quòd sit idem, quia electio requirit saltem consensum, & voluntatem eligentium secundùm omnes, sed ex prædictis actibus voluntas huiusmodi non infertur: nam non nouam electionem facere, sed iam factam exequi intendebant. Adducit notata de acquir. possess. l. 3. in princ. in glos. 3. in fin. & argumentum ff. de condit. ob causam, l. 3. §. subtilius, & ff. de acquirenda hæreditate, l. is, qui putat. Et quia in requirentibus examinationem, & deliberationem, consequentis dispositio antecedentis dispositionem non inducit, vt notat Stephanus in Clement. summus, de sententia excommun. & not. glos. & Bartol. ff. de procurat. l. si quis cùm procuratorio nomine, §. fin.
162 Et patientia, seu approbatio tacita in inferioribus à Papa, non dat ius in beneficio, licèt secus sit in Papa, vt notat Henricus, de præben. dilecto. Et præsertim cùm ingressus fuit vitiosus, vt not. per Hostien. Ioan. And. & Henricum in cap. ex ore, de ijs quæ fiunt à maior. parte cap. Et pro hoc facit, quòd dicit Bal. in l. fin. in princ. C. communia de legat. quòd si in electione Pontificis est defectus in materia substantiali, vel forma essentiali in origine, & effectus, & consensus tacitus in obseruatione, non conualescit propter nullitatem. Allegat capitulum innotuit de elect. Et ibi respondet ad l. primam C. de supel. l. De quo, & per eum in consilio schismatis in 14. col. Et ista conclusio videtur mihi difficilis, & libenter voluissem eumdem Ægid. videre in suo nouo tractatu in 34. quæstione principali, quò se remittit, dicens, quòd ibi pleniùs examinat istam quæstionem. Et contrarium concluditur suprà cùm allego Alexand. de Immol. in l. secunda C. quod metus causa, post Bald. in d. rub. C. si quis aliquem testari prohib. cùm vult metum purgari per spontaneam coronationem. Quæ conclusio videtur securior pro sedando, siue euitando schismate: licèt contraria forte de iure videatur verior, quam communiter tenent Doct. in d. l. secunda, vt refert Martinus in electione Vrbani ibi quia si electio à principio fuerit nulla propter impressionem, licèt per installationem & coronationem spontaneam purgetur metus, vt ex nunc, non tamen videtur validare præambulam electionem nullam, quia per installationem, & coronationem non fit noua electio, quæ videtur requiri in proposito post metum purgatum, maximè cùm in Papa non requiratur post electionem aliqua confirmatio, nec installatio de necessitate, vt in capitulo in nomine Domini 23. dist. & dicitur in capitulo licèt de
163 electión. Et hoc videtur Bald. velle in d. l. prima C. de la. liber. tollend. d. §. sed & qui Domini. Et istam conclusionem videtur tenere clariùs in dict. l. secunda C. de ijs, qui propter metum iudicis non appellauerunt. Et ex hoc infertur vnum, quòd dicunt Doct. in d. l. secunda, C. quòd me-
164 tus causa, quòd licèt aliàs sit verum, quòd actus accessorius, siue consecutiuus ad principale, qui est spontaneus, purget præambulum metum in principali, tamen illud intelligitur, quia illud principale erat rescindendum per actionem, quòd metus causa, quæ censetur sublata per spontaneum subsequentem consensum, sed secus erit, quando illud principale fuisset nullum, vt in proposito, & in casibus specialibus, in quibus gesta per metum non tenent ipso iure, de quibus in capitulo Abbas, quòd met. cau. per regulam, non firmatur in sexto, & ideò non purgatur retrò, sed vt ex nunc, quòd notat.
165 Item alia quæstio, vtrùm post electionem, receptionem, installationem, coronationem, & obedientiam impressiuas, Cardinales egressi de loco meticuloso, & constituti in loco libero, possint propria authoritate, & absque causæ cognitione ab obedientia intrusi se subtrahere. Et concludit, quòd sic: & reputat pro casu, clarum text. in cap. in nomine Domini, §. si quis, contra 23. distinct. & clariorem in præallegato cap. si quis pecunia 79. distin. & clarissimum tertia quæstion. prima §. patet, versic. vndè suprà, & maximè si impressio, & intrusio sint notoriæ, & sic non obstet, quòd opponi posset de §. item Balaham, secunda quæstio. 7. Verùm in ista conclusione existimo cogitandum, ex quo ante declarationem nullitatis electionis non videtur quod rationabiliter possit recedi ab obedientia. Facit quòd dicitur in cap. constitutus, de appellat. & capit. cùm non liceat, de præscript. Et considerandum maximè esse, si non omnes Cardinales essent concordes, de hoc tamen latiùs alibi dicendum. Et prædictæ conclusiones pro maiori parte videntur extractæ ex conclusionibus factis in allegationibus Cardinalitijs sancti Eustachij, tempore illius schismatis. Nec mirandum est, quia ambo secuti sunt partes Domini Clementis, cùm ambo essent vltramontani, & Ægidius esset Auenionensis Archiepiscopus.
166 Item alia quæstio. Supposito eo, quòd

in

in vacatione Gregorij XI. contigit, videlicet quod anno à Natiuit. Domini 1378. die 17. mensis Martij obijt in Vrbe Dominus Gregorius Papa XI. relictis 23. Cardinalibus superstitibus, quorum 16. erant tunc præsentes in vrbe, videlicet 12. non Italici, duo Italici, & duo Romani, & 7. erant absentes, quorum sex Auenione commorabantur, septimus autem videlicet Dominus Ambianen. erat in Tuscia, illuc missus per Gregorium modicum ante eius obitum; dicti autem 16. præsentes, die septima mensis Aprilis tunc proximè sequentis Conclaue intrarunt, & die proximè sequenti causante metu mortis per populum Romanum illato Bartho. Baren. Archiepiscopum elegerunt, & postea simul atque commodè potuerunt reduxerunt se ad locum liberum videlicet ad Ciuitatem Fundanam 12. de electoribus antedictis, vnà cum prędicto Domino Cardinale Ambianensi omnes videlicet non Italici, & præsentibus tribus de alijs Cardinalibus electoribus, scilicet duobus Italicis, & vno Romano, & audientibus, & intelligentibus, sed non consentientibus, absentibus tamen, & irrequisitis alijs septem Cardinalibus, scilicet vno Romano de electoribus, qui erat Cardinalis sancti Petri, & remanserat in vrbe ægrotus, & prædictis sex alijs Cardinalibus, qui in Auenione morabantur, Dominum Clementem Papam VII. elegerunt, quæritur vtrùm ex contemptu prędictorum Cardinalium absentium talis electio ruat. Et concludit quod non, quia licuit Cardinalibus præsentibus de loco impressiuo ad locum liberum pro eligendo transire, in præallegato, §. Quòd si prauorum; nec enim ex huiusmodi transitu puniri, aut grauari debuerunt, ff. de riuis, l. seruius. §. Si quis riuum, C. de adulter. l. Grachus 23. quæst. 4. qui peccat. 27. quæst. prima de viduis de don. per ruas. Et dicit casum decisum esse per dict. §. quòd si prauorum, iuncto capitulo, vbi periculum. §. primo de elect. in 6. Non enim ius
167 iam formatum, & quæsitum alicui ex facto alterius iniurioso alicui auferri debet, de regul. iur. indultum, & regula factum legitimè in 6. ff. de itinere actuque priuato, l. prima in fin. & vtrobique concordant. C. de inoffic. testam. l. si quis in suo. Nec contemptus Cardinalis sancti Petri obfuerit, quia venire non poterat, capitulo, quia propter, §. primo, de elect. & quia contemptus vnius non nocet in ista electione. Nec nocere potuit non consensus, seù dissensus, vel contradictio trium præsentium, quia consentientes faciebant duas partes. de 16. electoribus, maximè, quia Dominus Ambianen. superueniens numerum auxit, vt in dicto capitulo, vbi periculum. §. fanè, vers. si verò. Et hoc videntur tenere Doct. in dicto capitulo, vbi periculum, §. primo in glos. 10. diebus, de quo etiam vide infra in quęstione quot debeant esse præsentes, in Concilio, vt possit dici Concilium. Et vtrùm sit credendum Car-
168 dinalibus asserentibus se per metum electionem fecisse, remittit se ad suum nouum tractatum. quęst. 8. & ad dicta in dicto cap. vbi periculum in 6. De quo vide Bald. in rub. C. si quis aliquem testa. prohib. & in cap. licèt de elect. & quod supra diximus. Item, alia quæstio, & conclusio. quòd si electus à duabus partibus minùs canonicè, fuerit receptus à duabus partibus per violentiam, & impressionem, & tale vitium adhuc duret, vel Cardinales suæ libertati dederit, & simul, atque potuerunt reclamarint, & de prædictis appareat euidenter, ei potest per Christi fideles contradici, imò potest talis per Cardinales, & alios Christi fideles Clericos, & laicos, à papatu repelli per dictum cap. in nomine Domini. §. Quòd si quis, & §. quisquis, & dicto cap. si quis pecunia, vers. liceatque Cardinalibus. Quæ iura loquuntur etiam de inthronizato. Sed ista conclusio non procedit sine dubio antequam sit declaratum electionem, & receptionem à duabus partibus per impressionem esse factam, quia capitulo si
169 quis pecunia, & cap. in nomine Domini loquuntur de inthronizato populari, vel militari tumultu, & non de inthronizato à Cardinalibus, & maximè à duabus partibus, maximè, quia potest dubitari de impressione, quando tertia pars non consensit. Erit tamen isto casu congregandum Concilium. Item, alia quæstio, quid si
170 electus à duabus partibus purè, & aliàs rirè, atque canonicè, in possessionem papatus per violentiam se intrudit, vel Cardinales ad se recipiendum, & sibi obediendum per impressionem inducit, cùm fortè vellent spiritu diabolico ducti ab eius canonica electione per pœnitentiam resilire, vtrùm ex tali violentia, vel impressione perdiderit ius quod per electionem acquisiuerat, & propterea minùs ei debeat obediri, Et concludit quod non, videlicet, quòd non perdidit ius, quod per electionem aquisiuerat, quia per electionem fuit verus Papa, & nullis constitutionibus positiuis ligari potuit, cap. significasti, & cap. innotuit de elect. & cap. proposuit de concess. præben. l. princeps legibus, ff. de legibus. Et quia constitutiones, quæ puniunt illos, qui sibi ius dicunt, sunt merè iuris positiui, l. extat, ff. quod metus causa, C. de iudic. l. nullus, C. vndè vi, si quis in tantam, & l. vltima de præbendis, eum qui, in sexto. Et quia edictum quod metus causa, refertur solùm ad metum aduersùs bonos mores illatum, non ad illum metum, quem Magistratus rectè intulit, vt, in l. 3. ff. quod metus causa. Et ex his, & alijs etiam concludit, quod non propterea est ei minùs obediendum.

171 Item alia quæstio, quid si Cardinales elegissent hæreticum, vel per impressionem, & credentes propter iuris ignorantiam electionem canonicam omnes, vel saltem duæ partes sic electum, ad papatum sponte recepissent, & fortè ei per annum sponte obedissent tamquam Papæ, postea ad cor reducti reuolutis libris, & consultis periris reperissent electionem nullam, & propterea inter se constiruissent ab eius obedientia recedere, & alium in Papam elegissent, & illi

illi obedirent tamquam Papæ, vtrùm pri-
mus sic à Cardinalibus derelictus hoc non
obstante sit habendus pro Papa ab vniuer-
sali Ecclesia, Et concludit quod sic, quia
iuris ignorantia non excusat Cardinales,
vt in capitulo ignorantia, de regulis iur.
in sexto, & quia propriam turpitudinem
allegarent, & quia proprium factum impu-
gnarent, & quia text. in capitulo licèt,
electum, & receptum absque vlla exceptio-
ne mandat haberi pro Romano Pontifice,
contra quem text. Cardinales non possunt
dispensare, cùm illo ligentur, vt in clemen.
ne Romani. Item, quia iura habent quod
lectus, & confirmatus in pacifica posses-
sione constitutus, ante examinationem suę
causæ, & definitionem non debet eijci à
sua possessione. 8. quæst. 4. nonne, cùm
concordan. A quibus iuribus licèt repe-
riatur recessum, quoad electum in Papam,
dum eius inthronizatio extitit vitiosè at-
tentata, vt per violentiam, & impressionem,
& dum Cardinales, qui obediunt non
constituunt duas partes, vt dicit intelli-
gendum, dicto capitulo in nomine Domini,
& cap. si quis pecunia, & §. Patet, ne con-
trarientur Concilio Generali in dicto cap.
licèt, non tamen reperitur recessum in casu,
in quo inthronizatus, & receptus est à
duabus partibus, purè, & liberè; & ideò
non dicit extendendum ad iustum casum
iura prædicta. Et istam conclusionem
ponit salua determinatione Sedis Apo-
stolicæ, & Romanæ Ecclesiæ, ne facultas
detur malis Cardinalibus calumniandi, &
generandi schisma, & scandala in Ecclesia
172 Dei. Saluo tamen secundùm quosdam,
nisi incontinenti, hoc est post modicum
tempus pœnituissent, & variassent, & fa-
ctum esset notorium eis, arg. de pœniten.
dist. 1. diuortium, & ff. de diuor. l. si pœ-
173 nituerit. Modicum autem tempus arbi-
tratur illud infra, quod posset deliberari
super facto, & super iure; quod dicit posse
esse quandoque vnius, quandoque duorum,
quandoque trium mensium secundùm
qualitatem facti, & casus contingentis, &
secundùm arbitrium boni viri, argumento
cap. de causis, de offic. deleg. Nihil enim
fieri, vel deliberari potest, nisi cum tem-
pore. 50. distinct. ponderet, de testi. præ-
terea, & de elect. commissa in 6. Licèt enim
fortè causa non sit sufficiens ad hoc, vt per
receptionem, & obedientiam videatur cau-
sari noua electio, vel purgari vitium præ-
cedens, tamen posset esse casus, capitulo
licèt, quia præsumitur cessare vitium ex
libera receptione, & obedientia Domino-
rum Cardinalium. Cùm enim præsumptio
174 tollatur fortiori præsumptione, ff. de in
integ. restitut. l. diuus; ponit Innocent. in
capitulo innotuit de eo, qui fur. ordin.
recepit, si Domini Cardinales statim fece-
rint diligentiam de veritate inquirenda, &
statim ea reperta ab eo tamquam intruso
recesserunt, apparet quod non existima-
runt purgatum vitium, sed si diù cum eo
remanserunt, colligitur, quoad eos omnes
præsumptio bona propter longam moram;
& ideò damnatur variatio, & inconstantia
in eis, & præsumitur quod totum à malo
fonte procedat. Relinquit tamen hoc vl-
timum indecisum, sicut, & præmissam
principalem quæstionem. Ponitque idem
esse de electo per simoniam, retinendo, vt
credo suam opinionem, quæ est quod ele-
ctio Papæ facta per simoniam sit nulla, vt
supra retuli; Ex supradictis videtur, &
per §. Item Symmachus. 2. quæst. 7. quòd
antequam sit cognitum per Concilium de
hæresi, non erit spoliandus sua obedientia,
nec amouendus à Papatu. De quo vide,
quę dicuntur in capitulo licèt de electione,
& supra de exceptionibus, quæ possunt
obijci contra Papam.

Nunc redeundo ad prosequendum prin-
cipalem quæstionem, ex quibus causis de-
beat congregari Concilium, pone quod
imminet necessitas reformandi Ecclesiam
in capite, & in membris propter varios ex-
cessus, qui continuò committuntur, &
Papa non curat congregare Concilium, re-
quisitusque detrectat, & negligit, quid
faciendum? Dic, vt supra dictum est,
quando est controuersia inter duos de Pa-
patu, quòd ex quo requisitus non vult, vel
negligit, alij, vt Cardinales, & successiuè
ad quos deuoluitur, congregabunt, quia
hoc ipso quod ipse non vult, vel contemnit,
facit se participem, & suspectum, ex quo
Ecclesia indiget reformatione. Quia, vt
dicit text. in capitulo error. 83. distinct.
175 error, cui non resistitur, approbatur, &
negligere arguere per reuersos cum possis,
nihil aliud est, quàm fouere, nec caret scru-
pulo societatis occultæ, qui manifesto fa-
cinori desinit obuiare; & text. in capitulo
quid prodest, & in capitulo consentire
eadem distinctione, & in capitulo, qui
consentit. 11. quæstione tertia, non potest
suo errore, non pollui, qui alieno consen-
tit. Vndè quantumcumque Papa bene
viuat, si negligit corrigere Ecclesiam indi-
gentem reformatione requisitus, vel fingit,
vel detrectat, & propterea requisitus quod
congreget Concilium contemnit, alij con-
gregabunt, vt supradictum est. Quia hoc
ipso, quod contemnit, facit se suspectum de
fide. Nam pertinacia in delicto non caret
176 scrupulo hæreticæ prauitatis, vt dicit
textus in capitulo grauem de pœnis.

Ad idem est, quod dicitur in capitulo
si Papa in gloss. 40. distinctione, & Doct.
in capitulo proposuit, de conces. præben.
Et facit, quod dicit Abb. in capitulo quæ-
siuit de diuor. quòd si vir non desistit ab in-
solentia inducendi vxorem ad peccandum,
est sufficiens causa separandi, quoad tho-
rum, quia est suspicio cuiusdam infidelita-
tis, ratione cuius fit regulariter separatio;
allegat capitulum idolatria. 28. qu. prima.
An autem hodiè, cùm nihil boni videmus,
& ad superos Astræa recessit, indigeremus
Concilio pro reformatione, nihil dico,
Deus scit. Et intellige, quando esset re-
quisitus ex causa necessaria, & non mali-
tiosè ad pessumdandam Ecclesiam, vt prin-
cipes facere conantur, qui nullam reueren-
tiam habent Ecclesiæ Romanæ, nisi ad
emungendum ab ea ius decimandi, & pri-
uile-

uilegia, & iurapatronatus, & pragmaticas, & monarchias, & nominationes, & vtinam quiescerent, & non continuè ampliarent, itaut iam ipsis videantur data, & non Ecclesiasticis bona Ecclesiastica, quæ vsurpant pro arbitrio, & dant in prædam militibus suis.

177 Sed addendo ad ea, quæ in fine tertij libri dicta sunt, quæro, an possit congregari Concilium per Commissarios Papæ. Dic quod sic, si est ad hoc datum mandatum. 1.qu.7. capitulo conuenientibus, & in capitulo hoc nequaquam in suprascrip. 7. quæst. 163. dist. Adrianus. & in capitulo septuaginta 16. distinct. & capitulo 2. 17. distinct. & ibi glos. & in capitulo quod translationem de offic. leg. in glos. & cap. in ea Synodo. 100. distinct. Et patet in Bulle Martini V. qui misit quatuor commissarios ad congregandum Concilium Senis, quibus dedit facultatem congregandi, celebrandi, transferendi, & dissoluendi, et quoscumque Prælatos ad Concilium conuocandi.

rientiam; quia quandoque experientia supplet illiteraturam, vt dicit Specu. in tit. de iudice delegato §.8. versic. item quod est illiteratus. Vnde in promouendo non sufficit scientia, nisi quis habeat experientiam. C. de agentibus in rebus l. penul. lib.12. & de elect. cùm in cunctis de suppl. negli prælat. capitulo secundo lib. 6. 39. distinct. capitulo Petrus. Sic & experto dicitur esse credendum cap. fin. de frigi. & malefi. l. prima ff. de ventre inspi. l. certi. C. de iudic. & ff. si mensor falsum modum dixerit l. prima, & per totum, & capitulo proposuisti de proba. Ideò experientiam habere debent, quia ipsa est rerum magistra l. secunda §. nouissimè ff. de ori. iu. l. legatis §. ornatricibus de legat. tertiò cap. vbi periculum cùm simil. de elect. in 6. Sic intelligo, quod dicitur, quod creditur bono Doctori asserenti in certa curia esse
8 in causis certam consuetudinem, dicitur in l. prima C. si mulier secundò nupt. & in l. de quibus, maximè per Modernos papienses. ff. de legibus, quia intelligo in docto, & experto in eadem curia Doctore, propter eius practicam, & experientiam illius curiæ, tunc enim non tam dicitur probari consuetudo per expertum, & famosum doctorem, quàm probari quidam stylus. Quo casu non est absonum stare dicto experti, & excellentissimi Doctoris. Facit, quod dicit collectarius in capitulo primo, de sponsa. Vnde, & Ecclesiastici 34. vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit enarrabit intellectum, & qui non est expertus, pauca cognoscit. Requiritur etiam, quod sint docti, iuxta illud, quod supra dictum est de Constantino. Ad Agathonem pro sexta synodo congreganda. Inde & Augustinus in quarto libro de Doctrina Christiana, debet diuinarum scripturarum tractator, & Doctor, defensor veræ fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere, atque in hoc opere sermonis conciliare auersos, remissos erigere, nescientibus quid agitur, quid expectare debeant intimare. Vnde, & Beda de templo Salomonis loquens dicit, frustra sibi officium Doctoris vsurpat, qui dilectionem catholicæ fidei ignorat, neque sanctuarium Domino, sed ruinam sibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicere conantur. Sic, & Cicero libro secundo Rheto. peri-
9 tia dicendi in tribus consistit, natura, doctrina, & vsu, natura ingenio, doctrina, scientia, vsu assiduitate, hæc sunt enim, quæ non solùm in oratore, sed in vnoquoque homine artifice expetuntur, vt aliquid efficiat.

Et adde quod cum doctrina requiritur bonitas, & vitæ sanctimonia. Vnde Ambrosius lib. secundo officiorum, quis in cœno fontem requirat, quis è turbida aqua potum petat, itaque vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio; quis inde sibi aliquid hauriendum existimet, quis non despiciat morum colluuionem, quis vtilem alienæ causæ iudicet, quem videt inutilem vitæ suæ. Et iterum quomodo eum potes indicare consilio superiorem, quem vides moribus inferiorem? supra me debet esse, cui me committere paro; an verò idoneum eum putabo, qui mihi det consilium, qui non dat sibi, & mihi eum vacare credam, qui non vacat sibi. Et iterum in acquirendis consilijs plurimum adiungit vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vsus, frugalitatis gratia, vnde Seneca epist. 45. quod sentimus loquamur, quod loquimur sentimus, concordet sermo cum vita, ille enim promissum suum impleuit, qui cùm videas illum, & cùm audias idem est. Sic & Aug. super Ioannem doctrina per malos est palmes in sæpe, botrus inter spinas, cautè lege, ne dum quæris fructum laceres manum, & cùm audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem, sic & Ambros. super Psalm. Beati immaculati, ante vitam quàm doctrina quærenda est, vita bona
10 sine doctrina gratiam habet, doctrina, sine vita integritatem non habet. Et Ioan. Chrysost. lib. de compunctione cordis docere, & non facere, non solùm lucri nihil, sed & damni plurimum affert; grandis enim condemnatio est componenti quidem sermonem suum, vitam verò suam, atq; opera negligenti. Et iterum idem Chrysost. super illud Matth. quæcumque dixerint vobis facite, inquit doctrinam, accipiamus non mores, apibus herbæ non sunt necessariæ, sed flores, sic & vos flores Doctrinæ colligite, & conuersationes relinquite. Et generaliter, quæ sint requisita in personis habentibus in Concilio dare vocem, vide Beatum Gregorium in 15. cap. sui pastoralis, & transumptiuè Gratianum in cap. sic rector 43. dis. & vide eumdem Gregor. in registro lib. 1. cap. 24. & vide in cap. oportet. 8. quæst. 1. & in §. oportet 36. distin. vsque ad fin. illius dist. Et adde quod supra dictū est de Episcopis, in illo articulo, quomodo debeant sedere existentes in Concilio. Item requiritur quod habeant zelum religionis Christianæ, iuxta illud Psal. 68. zelus domus tuę comedit me. Debent igitur habere zelum ad reformationem Ecclesiæ. Vnde vide in proposito, quod dicitur in cap. dudum, & in capit. Ecclesia el 2. de elect. & Ioannes Andreas in cap. in Genesi eodem titul. Adde etiam, quod dicit Bal. ibidem in capit. 1. in 3. col. vers. sed contra primum, quod Concilium est congregatio multorum, & maximorum virorum; non tamen debet aliquis loqui nisi priùs concessa licentia. Ita dicit ipse ibi circa fin. in vers. vltimo numero.

SVMMARIVM.

1 *Concilij exordium est missa Spiritus sancti. Reliqua vide num. 3.4.5.6.7. & 8.*
2 *Concilium vt ritè, & rectè celebretur duo sunt necessaria.*
Illuminatio veritatis, & vna mens omnium ibidem.
3 *Hymnus, Veni creator spiritus.*
9 *Oratio dicenda in Concilio per Pontificem.*
10 *Antiphona per cantores.*
11 *Oratio alia per Pontificem dicenda in Concilio.*

ARTICVLVS II.

De exordio Concilij.

VIdimus de qualitatibus personarū in concilio congregandarum, nunc videndum est, quod debeat esse exordium tenendum in ingressu Concilij. Et dicen-
1 dum est, quod primò præmissa solemni processione omnium Prælatorum debet celebrari missa de Spiritu Sancto, quia si hoc est seruandum per inferiora capitula quando se congregant pro electione Prælati, vt ponit Innoc.& alij in capit. cùm nobis olim de elect. & in cap. cùm Ecclesia Sutrina de causa possess.& propriè, & in capit. cùm terra de elect. & Ioann.de Lignano in cap. quia propter eodem titulo, multò magis in Concilio generali, vbi maius est periculum, exemplo Saluatoris, dicentis, cùm venerit ille spiritus veritatis ille docebit vos omnem veritatem, vt patet Ioan.16 Ita dicit Do. in suo tractatulo de Concil. quæst.5. & Petrus de Monte in suo tracta-tu de Concilio quæst.4. Ad quod facit, quod
2 duo potissimè necessaria sunt ad ritè, & bene celebrandum concilium, videlicèt, primum illuminatio veritatis in definiendis, & agendis in Concilio; secundum est vnanimitas Patrum congregatorum in synodo in concludendis, vt omnium sit vna mens, & vna sententia, & vnus sensus. Vtrumque istorum attribuitur Spiritui sancto, de primo patet per illud Ioann. 14. Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. De secundo patet ex illo ad Rom.8. ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filij Dei, vbi glossa, Spiritus sanctus communis est Patri, & Fillo, amborumque vnio, per quam fit societas, & vnitas, qua efficimur vnum corpus vnici Filij Dei, vnitas enim nos compaginat, quam fecit charitas, quæ non est nisi à Spiritu Sancto. Item debet can-
3 tari hymnus, Veni creator spiritus, exemplo Apostolorum, qui orando accipere meruerunt Spiritumsanctum, vt patet act. 1. & 2. cap.& 24. quæst. 1. audiuimus, &
4 ibi notatur. Item debent ante diem, quo inchoandum est concilium indici rogationes in ciuitate, vbi concilium celebratur, & in omnibus collegiatis Ecclesijs eiusdem ciuitatis debet, saltem semel in hebdomada collegialiter missa de Spiritu sancto celebrari, in qua tàm celebranti, quàm interessentibus, & audientibus verè pœnitentibus, & confessis datur certa indulgentia, videlicèt sacerdotibus missas celebrantibus annus, & interessentibus 40. dies de indulgentia, sicut reperitur factum in gestis in Concil Constantien. Debentque Prælati, & omnes alij Christi fideles vacare feruentiùs orationibus, ieiunijs, eleemosinis, & alijs pijs operibus pro imploranda diuina gratia, vt quæ in Concilio gerenda erunt, fœlicem exitum consequi me-
5 reantur. Item leguntur letaniæ, & antiphonæ, & aliæ deuotæ orationes. Item per
6 vnum ex patribus de Concilio debet fieri sermo conueniens gerendis in Concilio. Et post missam Spiritus Sancti solemniter celebratam in loco concilij debet haberi per aliquem Prælatum aliquis sermo conueniens celebrationi ipsius Concilij, sicut factum fuit in Basilien. Concilio, licèt non fuerit ratum, vbi celebrata missa per Philibertum Episcopum Constantien. habitus fuit sermo per Iulianum Cardinalem Sancti Angeli, qui erat in Concilio præsidens in Pontificalibus sedens super cathedram ad hoc deputatam, astantibus Prælatis in pontificali habitu, cùm mitris planis in capitibus suis, assumpto per eum Themate, mundamini, qui fertis vasa Domini Isa. 52. capitulo. Et in Concilio Constantien. celebrata missa per Iordanum Episcopum Albanen. Cardinalem de Vrsinis, cantatis letanijs, & alijs deuotis orationibus porrectis ad Deum, habitus est sermo per Papam Ioann.23. qui assumpsit pro Themate, veritatem diligite Zachariæ 8. cap. Exēplum huius habemus à Saluatore nostro Iesu Christo, qui congregatis discipulis semper prædicabat, vt patet Matth.5. cap. & aperiens os suum docebat eos dicens. Item, & à Beato Petro Act. 15. Item ab Apostolo Paulo, qui prædicauit maioribus natu Ecclesiæ Ephesinæ, vt patet act. 20. capitulo. Et adde quod antequam prima
7 sessio celebretur indicitur omnibus conciliarijs triduanum ieiunium, ad quod tenentur ex præcepto, & solui non debet, vt dicit Gulielmus in rationali diuin. offic. in rub. de alijs ieiunijs, in vers. generalis, quoque facit text. in capitulo quoniam 18. distinct. ibi dum synodus agitur super canonicis, & euangelicis negotijs, oportet congregatos Episcopos in meditatione, & sollicitudine fieri custodiendorum diuinorum, & viuificorum Domini mandatorum. Item quando Papa cùm Prælatis debet in-
8 trare Concil. debent associari cum sacra pompa, & Clero ad locum Concilij. Et missa ista solemnis non solet semper in omnibus sessionibus cantari, sicut in prima, sed Papa audita missa priuata vadit ad concilium cùm pluuiali rubeo, & mitra preciosa. Et facta oratione per eum ante altare ascendit ad sedem, & facta reuerentia per Cardinales cùm cappis laneis, duo seniores diaconi Cardinales accipiunt dalmaticas, & vnus eorum stolam & manipulum quia est cantaturus Euangelium, & subdiaconus etiam paratus, deinde accedunt ad Pontificem, & imponunt illi sandalia & dicuntur Psalmi. quàm dilecta &c. & interim alij Prælati accipiunt paramenta sibi conuenientia omnes rubei coloris. Et facto aliquando silentio, diaconus Cardi-

nalis

nalis à dextris surgens, alta voce præfatur orate, & mox tam Pontifex super faldistorium sibi paratum, quàm alij sine mitra in terra genuflexi orant versi ad altare Surgens deinde Pontifex solus, alijs prostratis permanentibus, absolutè dicit hanc
9 orationem in competenti tono. Adsumus Domine sancte Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter congregati, veni ad nos & esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris, doce nos quid agamus, quò gradiamur, & ostende quid efficere debeamus, vt te auxiliante, tibi in omnibus placere valeamus, esto solus suggestor, & effector indiciorum nostrorum, qui solus cum Deo patre, & eius Filio nomen possides gloriosum, non nos patiaris perturbatores esse iustitiæ, qui summam diligis æquitatem, non in sinistrum nos ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio munerum, vel personæ corrumpat, sed iunge nos tibi efficaciter solito tuæ gratiæ dono, vt simus in te vnum, & in nullo deuiemus à vero, quatenùs in nomine tuo specialiter collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, vt hìc à te in nullo dissentiat sententia nostra, & futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna. Et est oratio qua in singulis congregationibus vtuntur Auditores & Referendarij. Qua finita omnes respõdent amen. Et deinde Diaconus à sinistris sur-
10 gens, dicit erigite vos. Et omnes surgunt, deinde cantores cantant antiphonam exaudi nos Domine. Quoniam benigna est misericordia tua secundùm multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine. Et postea iterum Diaconus à dextris versus ad Patres dicit, orate, & similiter omnes procumbunt, & aliquantulum orant secretè deinde surgens diaconus à sinistris, dicit erigite vos, & omnes surgunt
11 & Pontifex omnibus stantibus detecto capite dicit hanc orationem absolutè, mentes nostras, quæsumus Domine Paracletus, qui à te procedit illuminet, & inducat in omnem sic, vt tuus promisit filius veritatem, qui tecum viuit, & regnat in vnitate eiusdẽ Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, amen.

Qua finita, iterum omnes genuflectunt, & tunc fit litania, quæ per duos ex cantoribus pronunciatur, & omnes respondent. Et post versum illum vt do-
12 mum Apostolicum &c. surgens Pontifex cùm mitra benedicit synodum, dicens, faciendo crucem, vt hanc synodum, & omnes gradus Ecclesiasticos benedicere digneris, & omnes respondent, te rogamus audi nos. Iterum Dicit, vt hanc synodum, & omnes gradus Ecclesiasticos benedicere, & regere digneris, & omnes respondent, te rogamus audi nos Iterum tertiò, vt hanc synodum, & omnes gradus Ecclesiasticos benedicere regere, & conseruare digneris, & respondetur, te rogamus audi nos. Et procumbente, iterum Pontifice litania perficitur. Deinde surgunt omnes, & Pontifex sine mitra versus ad altare, dicit, oremus, & diaconus à dextris flectamus genua; & diaconus à sinistris leuate, & Pontifex da quæsumus Ec-
13 clesiæ tuæ misericors Deus, vt sancto Spiritu congregata, hostili nullatenùs incursione turbetur, per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate eiusdem Spiritussancti Deus per omnia secula seculorum amen. Tunc diaconus petit benedictionem pro Euangelio. & imponitur incensum à Pontifice more solito, & cantatur Euangelinm competens rei, de qua agitur, cum luminaribus & cærimonijs consuetis. Et in fine Pontifex osculatur librum & incensatur more consuetò; & presbyter Cardinalis paratus cum pluuiali seruit Papæ de libro, & nauicula incensi, acsi Pontifex celebraret. Finito Euangelio omnes sedent, & Pontifex Patres hortatur verbis conuenientibus ad faciendum decreta, assignans rationes cur ita sit faciendum.
14 Deinde surgens sine Mitra, incipit hymnum, veni creator Spiritus, & omnes genuflectunt, & ipse etiam postquam incœperit genuflectit, procumbens super faldistorium quousque primus versus perficiatur. Deinde omnes surgunt capitibus detectis cantatoresq. & Patres si volunt, prosequunt vt hymnum, in fine Pontifex, dicit emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & omnes respondent & renouabis faciem terræ. Et Pontifex, Oremus. Deus qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, Da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere, per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit, regnat in vnitate Spiritussancti Deus per omnia secula seculorum, amen. Et demum duo cantores dicunt, benedicamus Domino, & alij respondent Deo gratias. Quibus finitis, diaconus legit decreta facienda, & rogat Patres, an placeant, qui incipiendo à summo Pontifice respondent placent, vel non placent. Et Protonotarij Apostolici, & clerici cameræ, atque tabelliones alij rogati, decreta notant, & in publicam formam redigunt, de quibus fit bulla sigillo Apostolico muuita. Ita reperi ordinatum in libro cærimoniali, vbi dicitur ita fuisse seruatum in Concilio Constantiensi. Etsi, in Basilien. propter multitudinem defuit in sanctos Episcopos reuerentia, & superabundauit temeritas, atque arrogantia, cùm non pluris fieret optimi cuiusque antistitis sententia quàm minimi canonici, vt ibi dicitur.
15 In prædictis cærimonijs non esset inconueniens si præponeretur edictum quod nullus admitteretur in Concilio ad dandum vocem, nisi esset confessus, & si esset episcopus vel presbyter nisi antea celebrasset, si esset diaconus vel aliùs, nisi de manu presbyteri accepisset deuotè eucharistiæ sacramentum, præterquam si esset de personis, quæ inuitæ essent tractæ ad Concilium, ne de malè gestis, reciperent commodum. Pro hoc facit quod, & in inferioribus collegijs, maximè apud regulares, ita fieri consueuit, ergo multò magis isto. vnde quia est consuetudo laudabilis, ser-

uanda est capitulo fin. de consuetu. Forma
16 autem iuramenti est, iuro eum eligere quem vtiliorem credam, nec illi dare vocem, quem sciuero, vt eligatur, procurasse Item facit text. in capitulo audiuimus 24. quæstione prima, quia cum non habitet in cordibus eorum qui semetipsos à compage Corporis Christi se abrumpunt non descendit in tales gratias. Spiritus sancti, qui non nisi super congregatos in vnum descendit, vt ibi & gloss. in capitulo cùm Ecclesia de causa possess. propriè. Et propterea abijciuntur excommunicati, & hæretici à Concilijs, vt ibi dicitur & dictum est supra. Et si indicitur triduanum ieiu-
17 nium, tacitè indicitur confessio, quia primum ieiunium est abstinere à peccatis, vt dicitur in rub. de obseruat ieiunij, debent igitur primò se mundare à peccatis, ita dicit text. & ibi Doct. in capitulo habeatur 18. distinctione. Per sacramentum enim Eucharistiæ sumptum, quis efficitur vnum corpus cùm Christo de consecrat distinctione secunda capit. in Christo patet. Et hoc sacramentum pietatis est, & signum vnitatis, & vinculum Charitatis de consecrat distinctione secunda cap. hoc est sacramentum, & cap. quia passus. & 23. q. 4. ipsa pietas.

Alium ordinem per omnia fere similem vide positum in vltimo capitulo gestorum Concilij Constantien. de ordine autem tenendo in Concilijs prouincialibus vide omninò Gregorium in suo pastorali, & de ordine tenendo in Concilio synodali vide Pauinum in tractatu, visitationum in secunda parte quæst. 1.

SVMMARIVM.

1 *Prælati existentes in Concilio, quomodo se gerere debeant, & numero 4. 6. 7. & 8.*
Ex verbis c. in loco v. q. iv. num. 2.
Contrafacientes, quomodo puniantur numer. 3.
5 *Societas dissoluitur propter socium rixosum.*
Et contra rixosos plura constituuntur de iure. ibid.
7 *Timor, & pusillanimitas debet abesse ab his, qui in Concilio sunt.*
Timiditas apud sapientem esse non debet, ibid.
9 *Publica vtilitas est præferenda priuatæ.*
10 *Publica vtilitas est, quod aliquis conuertatur ad fidem Christi.*
Propriæ vtilitati plus intendens, quam publicæ, non amat Christum, ibid.
11 *Consilium velox sequitur penitentia.*
Et Consilio, sunt maximè contraria festinantia, & ira. ibid.
Et consiliarij insipientes duo, delectatio, & tristitia, ibid.
12 *Causa, quæ prima in Concilio proponi debeat.*

ARTICVLVS III.

Quomodo existentes in Concilio se gerere debeant.

1 VLteriùs quæro quomodo se gerere debeant Prælati existentes in Concilio, & à quibus debeant cauere. Dic quòd debet inter eos cessare omnis simultas, & omne odium, vt in cap. habeatur, dist. 18. item debent cessare indiscretæ voces, strepitus, & tumultus, fabulæ vanæ, risus, ac obstinatæ discrepantium tumultuosæ voces, ne obstrepentium turba confundat iudiciorum silentia, & ne contentiosæ voces sensus audientium perturbent, ita dicit textus, Toletani Concilij in cap. in loco. 5. quæst. 4. & inseritur in gestis Concilij Constantiens. & est primum cap. vndecimi Toleta-
2 ni Concilij, sic inquiens, in loco benedictionis considentes domini sacerdotes, nullis debent, aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbari, nullis etiam vanis fabulis, vel risibus agi, & quod deterius est, obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. si quis enim, vt Apostolus ait, putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio, cultum enim suum iustitia perdit, quando silentium perit, & iudicium obstrepentium turba confundit, dicente Propheta, erit cultus iustitiæ silentium, debet ergo quicquid, aut considentium consultationibus agitur, aut ab accusantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, vt nec contentiosis vocibus sensus audientium turbent, nec iudicum vigorem tumultu eneruent, quicum-
3 que ergo in conuentu Concilij hæc, quæ præmissa sunt violanda crediderit, & contra hæc interdicta, aut tumultu, aut contumelijs, vel risibus Concilium conturbauerit, iuxtà diuinæ legis edictum, quo præcipitur, eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cum omni dedecore de consessione abstractus à communi cætu secedat, & trium dierum excommunicationis sententiam perferat. Vndè dicit tex. in c. irreligiosa, de consecr. dist. 3. irreligiosa est consuetudo, per quam, qui debent diuina officia attendere, saltationibus turpibus inuigilant, & cantica mala canentes religiosorum officia perturbant. Et vide pulchrum tex. qui conuenit in proposito, in cap. decet. de immunitate Ecclesiastica, in 6. qui est tex. Gregorij XI. in Concilio Lugdunen. vbi plura connumerantur, quibus instruimur qualiter debeamus nos gerere in Ecclesijs. Sicut dicitur quod turbans officium diuinum, de iure ciuili punitur pœna capitis, vt in l. si quis in hoc genus, & authen. ibi posita, de Episcop. & Clem. sed de iure Canonico debet eijci de Ecclesia. gloss. & Doct. in cap. dilectis, de app. Sic etiam in dict. Concilio Toletano, dicitur quod ne iudicum vigorem tumultu eneruent, debent eijci extra Concilium. Immò,

Immò, vt dicunt ibi Arch. & alij, si talis tumultuosus non vult exire, debet per vim eijci foras, arg. cap. veniens de sent. excommun. & cap. cum voluntate, §. si qui verò. Debet etiam in Concilijs cessare
4 omnis malitia, & prauitas, & affectio. Vndè Basilius in prin. 8. synodi inquit, commonemus vos fratres, vt cum multo pudore, & reuerentia conueniatis ad hanc sanctam synodum, nullam vitiosam motionem, vel affectum ferentes, nec ad contentiosam voluntatem respicientes. Adde tex. in cap. si quis à vero. 3. quæst. 4. & vide tex. in cap. iudicet. 3. quæst. 7. Vndè isti contentiosi, & inquieti eijciuntur de Concilio, vt in dicto cap. in loco, & dicitur in glos. fin. per Doct. in cap. ex tenore de
5 temp. ord. Sic iura socium rixosum compellunt ad dissoluendum societatem, l. si conuenerit, ff. pro socio. Sic & verbosus aduocatus potest aduocatura priuari, gloss. sing. in l. ex ea. ff. de postul. & Lud. in singularibus in verbo aduocatus. Et quod contentiosus monachus arbitrio superioris sit puniendus, vide tex. in cap. si quis monachus, 90. dist. Et propter rixas, & contentiones alimenta aliàs in domo præstanda præstantur extra domum, dicitur in l. sicut, ff. de operis liber. authenti. cui relictum, C. de indicta viduitate, Bald. in leg. prima, C. de legatis, lege penultima, ff. vbi pupillus educari debeat, lege Caio, §. primo, ff. de alimen. & ciba. leg. ibi Bar. cum concord. Tales enim contumeliosi, & contentiosi puniuntur per Præsidentem, vt in capit. dilectus, de pœnis. Immò, & sunt expellendi à communitate, vt l. omne, §. fin. & ibi notatur ff. de re mili. Facit tex. in l. fin. ff. de offic. procura. Cæsaris. Et ideò constitutio dicti Concilij Toletani in dicto capitulo in loco, 5. quæst. 4. dicit tales eijciendos cùm dedecore à Concilio, & cœtu aliorum, & vltra etiam excommunicantur tribus diebus. Et simile in cap. neminem, 45. dist. & in cap. ex literis de constit. vbi quis ad tempus communione priuatur. Vndè, & veritas, Matth. 5. præcipit nihil per contentionem agere, 16. quæst 6. capit. consuetudo. Vndè Beatus Gregor. dicit nihil agendum cum forali strepitu in cap. 2. de præscrip. Vndè præsumitur contra illum, qui per clamorem est electus, nec tenet huiusmodi electio, ita fuit statutum in Concilio Sardicen. vt in cap. Osius. de elec. Quandiù enim aliquis in contentionibus, & perturbationibus est, non rectè iudicat, vt in cap. illa præpositorum, cum seq. 11. quæst. 3. Et contra similes irrisores, & detractores vide text. in cap. ex merito. 6. q. 1. Item existentes in Concilio non debent conspirare ad destructionem, sicut legitur
6 factum per Iudæos contra Apostolos, act. 5. cap. sed ad dignitatem, & authoritatem Apostolicam conseruandam, non ad inquietationem, & perturbationem bonorum operum, sicut legitur congregatum Concil. act. 6. cap. contra beatum Stephanum, sed ad pacem, & quietem fidelium. Item debent dicere veritatem postposito omni timore, quia qui non liberè veritatem pronunciat proditor est veritatis, 11. quæst. 3. nolite nec debet quis timere magis hominem, quàm Deum, vt in cap. quisquis 11. quæst. 3. Non tamen ad gloriam, & ostentationem, iuxta illud Prophetæ, non sedi cum Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Nihil etiam vendicet odium, nihil fauor vsurpet, nihil præmium euertat, vt in cap. cùm æterni. de re iudic. in 6. & in cap. quatuor, 11. qu. 3. inde tex. in ca. habeatur. 18. dist. vult. quod debeant cessare simultates. Et inde etiam Beatus Gregor. in registro lib. primo cap. primo, inquit, à quo Concilio procul absint odia, facinorum nutrimenta, atque inuidia interna tabescat, & nimis execrabilis animorum discordia, sacerdotes suos concordia Deo placita, & charitas recognoscat, hæc igitur omnia, cum maturitate, & tranquillitate gerite, vt dignissime possit Episcopale Concilium approbari. Et rursùs idem Gregorius in cap. secundo eodem lib. ad Iustinum prætorem Siciliæ, vndè per omnipotentem Dominum rogo, in cuius tremendo iudicio nostrorum actuum posituri rationes sumus, vt eius respectum, semper gloria vestra antè oculos habeat, & nũquàm quomodolibet, ex quo inter vos, vel parua dissensio perueniat, admittat, nulla vos lucra ad iniustitiam pertrahant, nullius vel minæ, vel amicitiæ à rectitudinis itinere deflectant. Ab existenti-
7 bus igitur in Concilio quàm longissimè abesse debet pusillanimitas, & timor. Vndè Cassiodorus, super illud psalmistæ, dulcis, & rectus Dominus, inquit, cùm audis, quod Dominus tuus dulcis est, attende quid diligas, cùm audis, quod rectus, attende, quid timeas, vt amore, & timore Dei excitatus, legem eius custodias. Inde ait Lactantius in l. secundo diuinarum institutionum, timiditas in sapiente esse non debet, & Ioan. Chrysost. in sermone de Ioan. Baptista, facilè deuiat à iustitia, qui in causis non Deum, sed hominem pertimescit. Et vide in proposito tex. in cap. graue satis, & in cap. quicumque, & in cap. nemo, & cap. quisquis, 11. quæst. 3. Contra autem istos, qui se subtrahunt ab operibus bonis, quæ possunt, vel debent facere, clamat Psalmista. Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Trepidauerunt igitur non posse opera spiritualia perficere, ideò offenderunt, trepidauerunt corporalia bona posse amittere, ideò perdiderunt, trepidauerunt corpora mortalia posse amittere, ideò aberrauerunt. Debent etiam ijs studere,
8 quæ pertinent ad honorem, & decorem domus Dei, pacis & vnitatis fidei Christianæ. Tales sunt, de quibus Isaias cap. 60. omnes isti congregati sunt tibi, hoc est ad ea, quæ pro te agenda sunt in Concilio. Non debent esse desides, siuè negligentes, quia vt inquit Salustius in Catili. vbi socordiæ, aut ignauiæ te tradideris, nequaquam Deos implores, irati enim infestique sunt. Et Cic. in 2. lib. offic. contemnuntur ij, quod nec sibi, nec alteri prosunt, vt dicitur, in quibus nullus labor nulla industria nulla cura est. Debet in eis esse sollicitudo, & solertia communis boni, & publicæ non priuatæ vtili-

vtilitatis, vndè, secundo Machab. quarto communem vtilitatem, apud te considera. Et Cicero in lib. de Ami. mihi autem non minori curæ est, qualis respublica post mortem meam futura sit, quàm qualis sit, hodie. Sic Leo Papa ad Theod. Imperat. inquit, vndè error secundæ Ephesinæ synodi originem traxit dum priuatæ causæ religionis exercentur obtentu, commissum est impietate paucorum, quod vniuersam Ecclesiam vulnerat. Vndè tex. in l. de pupillo, §. si quis riuos, ff. de noui operis
9 nun. cum concordan. in gloss. dicit, quod vtilitas publica est præferenda priuatæ, & in cap. bonæ, de postulat. Præla. & 7. quæst. 1. capit. scias. vbi tex. dicit, nam plurimorum vtilitas vnius vtilitati, vel voluntati præferenda est. Et subdit, non ergo benè intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa vtilitatis, vel necessitatis fieri posse, quoties communis necessitas, aut vtilitas persuaserit. Et tex. in cap. gaudemus, qui fil. sint legit. dicit, quod publica
10 vtilitas, est quod aliquis conuertatur ad fidem Christi vndè tex. 8. quæst. 1. in scripturis, dicit, quod qui plus intendit vtilitati propriæ quàm communi non amat Christum. Nec, vt in fin. præcedentis art. dictum est, debet quis loqui, nisi priùs obtenta licentia, qua impetrata debent insuper cum maturitate proponere, non præcipitanter, & leuiter. vndè Seneca lib. de Bene-
11 ficijs, velox Consilium sequitur pœnitentia. Et Laertius, Diogen. de vita, & moribus Philosoph. Consilio maximè dicebat Bias contraria sunt, festinantia, & ira. Et idem Seneca in prouerb. sunt enim duo contraria Consilio, festinatio, & ira. Et vide tex. Ambrosij in cap. ira. cum seq. & Gregorij in cap. summoperè 11. quæst. 3. Nulla tristitia, aut delectatione moueri eos oportet. Vndè commentator 6. Ethi. duo sunt Consiliarij insipientes, delectatio, & tristitia, & multos præcipitant. Idem Aug. homilia 1. corda sequentium delectationem indebitam, & fugientium tristitiam debitam, sæpiùs seducunt.
12 Congregato Concilio, quæ est prima causa quæ proponi debeat? Dic quod olim in Concilio Toletan. 17. in 3. cap. fuit statutum, quod in primis tribus diebus in initio Concilij non ageretur, nisi tantùm de fide, ac demùm de alijs rebus spiritualibus, nullo secularium interposito. Verba autem illius Concilij, sunt ista, trium dierum spatijs percurrente ieiunio, de ministerio sanctæ Trinitatis, vel alijs spiritualibus rebus, siuè pro moribus sacerdotum corrigendis, nullo secularium assistente in synodo, habeatur collatio; ita nempè, vt dum de scripturis sacris cum diuino timore per triduum habita fuerit altercatio, eiusdem sanctæ Trinitatis iuuamine cætera negocia peragantur.

SVMMARIVM.

1 *Vota in Concilio quomodò sint scrutanda. Et vnus pro alio respondet. Et similis pro omnibus respondet, facta propositione per maiorem, vel alium ad hoc electum, & istum modum probat Auctor num. 4. & alium num. 6.*
2 *Responsio potest etiam fieri facto, putà per ballottas albas, nel nigras, quod, & quomodò procedat, ibidem.*
3 *Taciturnitas habetur pro consensu, vbi non requiritur expressus consensus.*
5 *Capit. benè quidem dist. 96. intellectus.*
7 *Subscriptionis forma per Episcopos in Concilio, & per inferiores num. 8. & per Legatos Papæ num. 9.*

ARTICVLVS IV.

Quomodo sit procedendum in Concilio.

Viso qualiter existentes in Concilio se debeant habere, videamus qualiter sit procedendum in Concilijs, & qualiter
1 scrutanda vota. Et videtur dicendum, quod sint scrutanda vota singulorum, & quod singulariter debeant dare votum, & singulariter respondere. Ad hoc facit text. in cap. Osius, de electio, & dist. 17. §. hinc etiam dist. 96. in cap. benè quidem dist. 1. quæst. 7. conuenientibus, de pact. cap. 1. dist. 22. qu. 4. 6. actio quarta dist. 26. qu. 6. si iubet, & capit. Aurelius dist. 24. quæst. 2. sanè præfertur, & cap. seq. dist. 35. quæst. 9. quod quid commisit, vbi bonus textus. Et idem sæpiùs videtur factum in pluribus antiquis Concilijs. Et ita olim procedebatur per vota, & subscriptiones singulorum, vt dicto cap. quod quis; & patet in prima, & alijs subsequentibus actionibus Concilij Chalcedonen. vbi Episcopi subscripserunt damnationi Euthichis, & aliquando vnus pro alio. Et potest etiam pro omnibus simùl Synodus respondere, vt factum nouissimè videtur in Concilio Constantien. in prima sessione, vers. quia verò, vbi ad schedulam Officialium deputatorum in Concilio Cardinalis alta voce interrogans sciscitatus est vtrùm omnia, & singula in supradicta schedula contenta ipsi Synodo placerent. Omnesque, & singuli Prælati in Synodo existentes, concordes, nemine discrepante, responderunt, placent. Et istum ordinem ponit Anton. de Butr. in cap. 1. de pact. qui dicit, quod vnus nomine omnium interrogat quando ius, vel constitutio fit ab vniuersitate, vel populo, facta propositione vtrùm ei placeat, & populus respondet, placet, & tunc erit lex. Et ait, quod debet fieri propositio per maiorem de vniuersitate, vel per alium ad hoc electum. Allegat leg. 1. ff. de legibus, vbi dicit ad literam dari hanc formam, & cap. Osius, de elect. & ibi Doctor. ponunt istum ordinem. Dicit tamen Cardinalis in dicto capit. Osius, & Ioannes de Imola ibidem, quod sufficit, quod facto fiat responsio, putà per positionem partiti ad balottas albas, vel nigras, allegat Bartolus in leg. omnes populi, ff. de iustit. & iur. Sed ibi Ioannes de Lignan. vult, quod non sufficiat respondere facto, sed quod requirantur verba, sicut fuit factum in illo, capit. Osius. Ipse tamen Cardin. & Imol. ibi tenent contrarium, quod etiam suffi-

sufficiat, quod facto respondetur sine verbis. Quinimmò plùs voluit Cardinal. in cap. 1. de obligat. ad ratiocin. quod etiam
3 sufficit si taceant, quia censentur consentire, quia vbicumque non requiritur expressus consensus, tunc taciturnitas habetur pro consensu, maximè in re concupiscibili, & meritoria.

Et idem etiam vult Abbas in dicto capit. Osius in primo notabili, vbi dicit, quod in Concilio generali vnus ex Prælatis proponit totam materiam constitutionis faciendæ, & interrogat Concilium vtrùm velit sic statuere, & si Concilium acquiescat, habetur illud pro statuto; & idem dicit seruari in vniuersitatibus secularibus. Qui etiam post Bartolum in dicta leg. omnes populi, dat aliam practicam, vt proponatur materia in confuso, hoc est, vt vnus proponat placeat prouidere super tali materia, postmodùm assurgant Consultores, dantes super illa materia varia consilia statuendi, & illud consilium, quod obtinebitur in vniuersitate, erit lex, siue statutum vniuersitatis. Primus tamen
4 modus, quod vno proponente factum Synodus respondeat, placet. Et iste modus seruatus est in Concilio Lateranen. præsenti, & scrutata sunt etiam vota omnium posteà singulariter. Et etiam antiquitùs sic aliquando fuit obseruatum, & pluriès sic reperitur factum in Concilio Martini, vt legitur in gestis ipsius Concilij, & eodem modo in Concilio Sardicensi cap. 2. de elect. & in Concilio Africano, vt in capit. 1. de pact. & sæpiùs in Concilio Chalcedonen. vt patet in secunda cognitione in cap. credimus, vbi in fine dicitur Reuerendi Episcopi clamauerunt hæc Catholica fides, huic omnes credimus, in hac baptizati sumus, in hac baptizamus, &c. Et in eadem secunda cognitione post epistolam Leonis dicitur, quod post lectionem epistolę Leonis Reuerendi Episcopi clamauerunt: [Hæc Patrum fides. Hæc Apostolorum fides, &c. omnes ità credimus; Orthodoxi ità credimus, &c.] Et sæpissimè legitur in dicto Concilio Chalcedonen. & in communi pro omnibus responsum, & sæpiùs in particulari, quisque dando per se votum suum. Et de hoc etiam videtur textus in dicto cap. actione dist. 22. quæst. 4. Item videtur text. in cap. vnico, de obligat.
5 ad ratiocin. Et similiter text. in cap. benè quidem, potest intelligi, quòd omnes simùl responderint, & potest intelligi, quod singulariter. Similiter omnia ferè iura superiùs allegata, dùm dicunt sancta Synodus dixit, vel vniuersi dixerunt, possunt intelligi, quod omnes simùl, vel omnes separatim dixerunt. Et pro hoc facit, quod ponunt Doctor. in capit. quia propter, de elect. vbi post factum scrutinium interrogatur si placet, quod publicentur vota, & omnes simùl respondent, quod sic. Item possunt etiam duo respondere nomine omnium, vt est textus in cap. petimus dist. 11. quæst. 1. Et similiter vnus pro omnibus, vt ponit Hugo in capit. benè quidem dist. 96. Et sic etiam videmus, quod publicatis votis, & facta collatione votorum vnus eligit Prælatum nomine omnium in dicto capit. quia propter, de elect. ibi gloss. & Doctor. & in capit. causam, quæ eodem titulo. Et hoc conuenientius videtur, vt euitetur tumultus, & res recipiat faciliorem exitum, leg. item si vnus, ff. de arbitris, & benè text. in capit. cùm ab vno, de re iudicata in sexto.

6 Sed fortè etiam post interrogationem, quod quilibet subscriberet, sicut olim fiebat, esset conuenientissimus ordo, quia in subscribendo quis magis accurratè procedit, & verisimiliter vult intelligere, quid subscribat. Facit, quod dicitur in l. etiam in gloss. C. quod cum eo, & in cap. si quis Presbyterorum, post gloss. de rebus Eccles. non alienand. & in leg. si ità stipulatus, §. Chrisogonus, ff. de verborum obligat. & in leg. Diuus, §. item Senatus, ff. de falsis, & cap. inter dilectos, de fide instrument. & in leg. emptor, §. Lucius, ff. de pact. & in leg. fin. C. plùs valere, quod agitur, cum similibus. Et ità pro maiori parte in omnibus actionibus in quatuor principalioribus Concilijs fuit processum subscribendo determinationibus in Concilio factis per ipsos Episcopos aliquando scribendo
7 nomine proprio sub ista forma: Basilius Episcopus Seleuciæ Isauriæ iudicans subscripsi, aliquando Iuuenalis Episcopus Hierosolymorum definiens subscripsi, & aliquando tamquam alterius locum tenendo, vt Quintilius Episcopus Heracleæ tenens locum Anastasij sanctissimi Episcopi Thessalonicen. definiens subscripsi. Aliquando Maletius Episcopus Larisanæ, secundæ Ecclesiæ faciens sermonem tam pro Dorino Episcopo Apamæorum, quàm pro me definiens subscripsi. Aliquando Syluanus Episc. Cordubensis subscripsi, & ego Herclius Episc. pro eo subscripsi, quia erat infirmus. Aliquando Venantius Episcopus Hierapolitanæ Ciuitatis, subscripsi, subscripsi verò per Notarium meum Theodosium. Et aliquandò, vt reperi in Chalcedonen. Concilio in fine primæ actionis Elias Episcopus Adrianopolitanus definiens per Romanum Episcopum Meroensem, eò quod nesciam literas, subscripsi. Et ibidem iterùm Cauinas Episcopus Ciuitatis Phaunæ definiens subscripsi, per Episcopum Dionysium, proptereà quod literas ignorem. Sed isti fortè ignorabant literas latinas, quòd enim essent penitùs literarum ignari, non est verisimile, cùm sit contra iura, quæ volunt Episcopum esse literatum, vt in cap. cùm in cunctis, & in capit. congregato, de elect. cum similibus dist. 36. qui Ecclesiasticis, & §. ecce in fin. & dist. 51. cap. fin. cum similib. Aliquando ibidem Eulogius Presbyter hortatu Vranij Episcopi Ciuitatis Hymeriorum Syriæ definiens, subscripsi. Item Calosirius Episcopus Arsconitæ per Eliam primum Diaconem meum subscripsi. Aliquando Longinus agens vices Dorothæi Episcopi Neocæsariæ definiens subscripsi. Item aliquando Atticus Episcopus Nicopolis, quæ est in Metropoli veteris Epiri, decernens cum sanctis Patribus, ac definiens subscripsi. Aliquando simpliciter

Aure-

Aurelius Episcopus Ciuitatis N. his gestis subscripsi, non adijciendo iudicans.
8 Similiter inferiores Episcopis non reperiuntur adijcere verbum [iudicans,] vel [definiens,] sed tantùm dicere: [Ego talis Presbyter Archimandrita, vel Monachus subscripsi. In gestis autem octaui Concilij Legati Papæ vsi sunt hac subscriptione,
9 videlicèt: [Ego Donatus Dei gratia Episcopus sanctæ Hostiensis Ecclesiæ, locum obtinens Domini mei Adriani Summi Pontificis, & vniuersalis Papæ, omnia, quæ superiùs leguntur, huic sanctæ, & vniuersali Synodo Præsidens, vsque ad voluntatem eiusdem eximij Præsulis, promulgaui, & manu propria subscripsi.] Eadem forma vsi sunt secundus, & tertius Legatus, videlicet Stephanus Nepesinæ Ecclesiæ Episcopus, &c. Marinus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, &c. Eadem item forma in Chalcedonen. Synodo quando depositus est Dioscorus consentientibus omnibus de Concilio, vsus est Paschasius Legatus Papæ, cùm dixit in eum sententiam, narrans quomodò Leo Papa ipsum deposuisset, & damnasset, & subiungens, sancta hæc Synodus, quæ placent canonicis regulis, super memorato Dioscoro decernere non moretur. Et tunc Anatholius Episcopus Constantinop. & quilibet de Concilio sententiam dedit, dicendo eum alienum iudico omnis Sacerdotalis, siue Episcopalis ministerij. Idem reperitur in subscriptione Martini Papæ, sic videlicet: [Martinus sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Vrbis Romæ Episcopus huic definitioni confirmationis Orthodoxæ fidei, & damnationi Sergij, Constantini, Pyrrhi, & Pauli statuens subscripsi.] Et sic Maximus sanctæ Aquileiensis Ecclesiæ Præsul, confirmando, damnando, & statuendo vnà cum 103. Episcopis se subscripsit, quilibet in eadem forma. Simili modo legimus factas subscriptiones in Concilio, cui Gregorius Papa iunior circa tempora Leonis, & Constantini iunioris Imperatoris Romæ præsedit, videlicet: [Gregorius sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Vrbis Romæ Episcopus huic constituto à vobis promulgato subscripsi, Angelus Episcopus Ferentinen. huic constituto à vobis promulgato subscripsi, & similiter subscripserunt Episcopi 21. Presbyteri 24. & Diaconi 4. Similiter in Synodo Symmachi Papæ tempore Theodorici Regis in 6. actione 218. Episcopis in Concilio existentibus, præsidente Symmacho subscriptum est: [Symmachus Episcopus sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Vrbis Romæ huic constituto à vobis, inspirante Domino, peracto subscripsi: Eulalius Episcopus Syracusanæ Ecclesiæ, &c.] similiter omnes subscripserunt. Similiter in Concilio Papiæ celebrato per Bonifacium Papam contra Clericos concubinarios fuerunt factæ similes subscriptiones. Idem legitur in sexto cap. Africani Concilij, vbi Gennadius dixit, quia vobis sunt dicta, propria debemus subscriptione roborare, & ab omnibus Episcopis dictum est, fiat, fiat. Sic etiam Vicarij Episcopi senioris Romæ in conclusione octaui vniuersalis Concilij dixerunt. Quoniam prouidentia Dei in prosperum finem omnia deuenerunt negotia Ecclesiæ, oportet nos in scriptis manu propria hæc roborare, secundùm synodicam consequentiam.

SVMMARIVM.

1 *Impedientes congregari Concilium, & impedientes euntes ad Concilium quomodò puniendi.*
2 *Capit. quoniam dist. 18. declaratur per Auctorem aliàs, quàm per Doctores.*
Et in illis verbis vel vi, *numero 3. & num. 5.*
4 *Principes impedientes congregari Concilium qua pœna puniuntur.*
6 *Impedientes Concilia, habendi sunt pro hostibus publicis.*
Et possunt puniri à Papa.
Et tales efficiuntur de foro Ecclesiæ.
Et dicuntur committere crimen læsæ maiestatis.
Et merentur illas pœnas, quas mererentur, qui foueret delicta illa, pro quibus congregaretur Concilium.
Et vocato impedito tenentur ad interesse actione in factum, ex edicto de eo, per quem factum num. 7.
8 *Impedientes venientes ad Concilium tenentur pœna in Bulla Cœnæ Domini, contra impedientes venientes ad Sedem Apostolicam pro suis causis, & negotijs.*
Et omnibus diebus festiuis mandantur, pulsatis campanis, & candelis accensis, denunciari.
Et non possunt absolui, nisi à Papa, præterquàm in mortis articulo.

ARTICVLVS V.

De pœnis impedientium Concilium.

1 SEd quæro qualiter puniri debent impedientes congregare Concilium vel impedientes euntes ad Concilium? Text. in cap. placuit el 2. in fine de consecrat. dist. 3. nullam imponit. pœnam, sed tantùm prohibet impediri diem Concil. Vnde gloss. ibi remittit ad cap. quoniam quidem 18. dist. vbi Dominic. dicit quod, est pœna arbitraria, ex quo à iure non exprimitur, cap. de causis de offic. deleg., & ita dicit tenere Ioannem de Deo. Sed Hugo & Archidiaconus dicunt imponendam pœnam, cap. placuit & cap. si Episcopus 18. distinct. quia ibi sunt statutæ Canonicæ pænæ sicut loquitur text. in dict. cap. quo-
2 niam. Sed mihi videtur, quod non benè referatur Archidiaconus nec benè consideretur tex. in dict. cap. quoniam per Dom. quia ille text. habet duas partes, prima est qualiter puniantur Principes seculares impedientes, & dicit quod communione priuentur, alia pars est, quod si quis Archiepiscopus hoc neglexerit agere absque necessitate vel vi, canonicis pœnis subiaceat. Vnde loquitur de Archiepiscopis negligentibus, ipse tamen Archidiac. habet relatio-

lationem ad pœnas canonicas. Quod patet, dum allegat. cap. sicut olim de accusat. in fin. vbi est imposita pœna suspensionis contra negligentes, & similiter text. in cap. si quis Episcoporum 18. distinct. dicit communione priuetur, & loquitur in negligentibus ire ad Concilium. Vnde Archidiaconus non loquitur de impedientibus congregare Concilium, vel impedientibus euntes ad Concilium, ne vadant. Et si habeatur consideratio ad illa verba [vel vi,]
3 posita in text. cap. quoniam, quasi velit, quod Metropolitanus per vim impediat congregari Concilium, & quod in Metropolitano, & personis Ecclesiasticis sit alia pœna, quàm in principibus secularibus, & sic saluetur quod refert Dominicus & Alexand. ibi post eum dico, quod non loquitur ille text. de Archiepiscopo impediente per vim Concilium, sed imò cum dicit si quis Metropolitanus hoc neglexerit agere absque necessitate, vel vi, intelligo textum de vi illata ipsi Archiepiscopo, vt excusetur, aliàs non. Quod ostendunt verba [sequentia,] scilicet seu aliqua rationabili occasione, subiaceat canonicis pœnis. Et in Metropolitano quidem negligente propriè est pœna suspensionis ab executione officij, vt vult ille text. & Doct. omnes ibi in dict. cap. sicut olim. In impedientibus autem si
4 sunt Principes seculares, est ibi text. in d. cap. quoniam quod communione priuantur. Vbi gloss. supplet Principes posse excommunicari etiam à Sacerdotibus d. 96. duo sunt 11. quæst. 3. cap. si autem vobis. In talibus enim subsunt Principes Episcopis, vt in cap. omnes de maior. & obed. In alijs autem si sunt notoria, & talis Princeps seu Imperator post monitionem canonicam se non emendauerit, excommunicabitur dist. 63. Valentinianus. Et vbi esset nimis seuerus, & iniuriosus, tunc Papa Vicarius summi Regis cognoscet etiam de non notorijs, etiā si sine infamia inquireret, & si sit accusator, admittet accusationem secundùm Innoc. in c. 1. de off. ord. Et licèt
5 ille text. in dicto cap. quoniam, videatur loqui in Concilijs prouincialibus, idem tamen multò magis erit in generalibus Concilijs. Vnde Cardin. ibi dicit, quod
6 tales impedientes Concilia sunt habendi pro hostibus publicis, & si sunt personæ priuatæ, tenentur lege Iulia de vi publica, quasi impedientes legatos oratores, vel comites. Sicut, qui impedit venientes pro suis causis Romam, tenetur lege Iulia de vi publica. vt ff. ad leg. Iuliam de vi publ. lege Iulia de vi publica cauetur, etiamsi impediens sit in magistratu, vt ibi. Et tales possunt puniri à Papa, quia in eum peccant, qui venientibus ad Concilia securitatem, permittit, & ideò impedientes efficiuntur de foro Ecclesiæ cap. cum sit de foro compet. cap. non minùs cum sequen. de immunit. Eccles. Imò tales dicuntur committere crimen læsæ maiestatis allegat. l. 1. ff. ad leg. Iuliam maiest. Et quia tales impedientes Concilia peccant aduersùs rempublicam, ideò tenentur læsæ maiestatis, vt dict. leg. 1. Quinimò tales videntur subijci illis pœnis, quibus subijciuntur impedientes omnia illa bona opera propter quę Concilium congregaretur, & ideò si Concilium pro sedanda hæresi congregaretur, tenebuntur tamquam fautores hæresis, cap. si aduersùs, & cap. excommunicamus de Hæret. Similiter si pro tollendo schismate, habendi essent schismatici. Et si pro reformatione Ecclesiæ in capite, vel in membris, mererentur pęnas eorum, qui fouerent similia delicta, pro quibus Concilium congregari deberet 23. qu. 3. qui potest dist. 83. error. Item adde quod licèt sint prædictæ pœnæ impositæ, & quæ infrà dicuntur, non propter hoc credo, quod euitent alias pœnas à iure proditas. Et ideò si vocatus ad
7 Concilium impediatur per tertium, ille tenebitur vocato ad interesse actione in factum ex edicto, ff. de eo per quem factum est, & ff. ne quis eum, qui in ius vocatus est vi eximat. Et maximè tenentur crimine læsæ maiestatis, quando impediunt conuocando homines ad seditionem, vt dict. l. 1. cum enim tunc lædant maiestatem Papæ tenentur pœna legis Iuliæ maiestatis leg. eadem ff. eodem titulo. Facit quod dicitur in l. quisquis C. ad l. Iul. maiest. & in cap. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. vbi probatur, quod etiā tales sacrilegium committunt. Et ideo etiam si esset Imperator, si monitus à talibus turbationibus non desisteret, posset imperio priuari, vt d. cap.
8 ad Apostolicæ. Sed tu adde quod tales impedientes tenentur etiam pęna imposita in Bulla Cœnæ Domini de impedientibus venientes ad Sedem Apostolicam pro suis causis, & negotijs. Ita dicitur in Concilio Constantien. in 15. sess. in cap. quod incipit sacrosancta Synodus, vbi per Concilium etiam excommunicantur, & anathematizantur omnes huiusmodi impedientes cuiuscumque dignitatis, status, gradusue fuerint, etiam si Pontificali, Imperiali, Regali, vel alia quacumque Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate. Item terræ ipsorum sic impedientium, dummodò non vltra vnam Diœcesim contineant, similiter ciuitates, villæ, castra, oppida, & quælibet alia loca in quibus patratores huiusmodi excessuum, seu eorum receptatores, vel ipsis consentientes, fauentes, aut dantes auxilium, consilium, vel fauorem publicè morantur, & loca, in quibus personæ huiusmodi detinerentur, ne venire possent ad Concilium, omnia supponuntur ecclesiastico interdicto. Et tales impedientes omnibus diebus festiuis mandantur pulsatis campanis, & candelis accensis denunciari, nec possunt absolui ab alijs, quàm à Romano Pontifice præterquam in mortis articulo, nec tunc, nisi priùs præstita per eos sufficienti cautione de parendo mandatis Ecclesiæ. Quibus pœnis etiam subijciuntur illi, qui auderent, vel præsumerent talibus, vel eorum alicui impendere beneficium absolutionis, quibus interdicitur officium prædicationis, lectionis, administrationis Sacramentorum, & audientiæ confessionum, & vltra statuitur, quod nullus in Concilio existens, vel ad ipsum accedens possit à quoquam etiam si Papali dignitate fulgeat, directè, vel indire-

S dire-

directè in læsionem, vel perturbationem Concilij citari, seu euocari ad alium locum etiam Romanam Curiam, aut ne ad Concilium veniat quomodolibet impediri, decernendo quoscumque processus continentes censuras, priuationes, inhabilitationes, translationes Prælatorum, & quascumque alias pœnas contra præmissos conciliares fulminatas, vel in posterum fulminandas, irritas, & inanes. Et idem etiam statuit in quarta sessione Concilium Constancien. Vnde ex his patet, quod istas pœnas incurreret etiam Papa cũ suis fautoribus ne teneretur Concilium, etiam si illi essent Reges, vel Imperator, quando illud per inferiores à Papa legitimè congregaretur ex causis legitimis, concernentibus fidem, & bonum vniuersalis Ecclesiæ. Sed de Papa esset meliùs cogitandum.

SVMMARIVM.

1 *Existentes in Concilio, an dicto tempore gaudeant fructibus beneficiorum in absentia.*
Seruientes Episcopo.
Existentes in studio.
Existentes in seruitio Papæ.
Existentes in seruitio Legati de Latere.
Cardinales existentes in Curia.
Residentes in studio Cur. Rom. Studentes in studio Vrbis Romæ debent percipere fructus beneficiorum suorum in absentia.
Absens ratione Ecclesiæ particularis percipit fructus beneficij, & num. 3.
4 *Et multò magis existentes in Concilio, cum ampliatione, vt ibi.*
Fallit nom. 5.
Sed an percipiant distributiones quotidianas, num. 6.

ARTICVLVS VI.

An existentes in Concilio percipiant fructus suorum beneficiorum.

1 ITem quæro vtrùm vocati ad Concilium quamdiù sunt in Concilio, debeant gaudere priuilegio de percipiendis fructibus in absentia? Et videtur quod sic. Nam
2 percipiunt fructus qui sunt in seruitio Episcopi, vt in cap. de cætero, & cap. dilectus de Cleric. non resid. & dantur existentibus in studio, vt in cap. licèt de præben. Et similiter de existentibus in seruitio Papæ, vel Legati de latere, vt in dicto cap. dilectus, sicut etiam debent percipere Cardinales existentes in Curia, vt dicit Oldrad. cons. 48. incipit ius commune, & dixi supra in quæstione quis præferatur, vtrùm Cardinalis, an Patriarcha in Concilio. Sicut etiam residentes in studio Curiæ Romanæ, vt in cap. cùm de diuersis de priuil. in 6. Et studentes in studio Vrbis Romæ, vt in extrauaganti Bonifacij VIII. super qua consuluit Oldrad. cons. 117. vbi consuluit deberi fructus, etiam si non fuisset facta mentio de statuto, quod tenebatur primò facere primam personalem residentiam. Et idem super indulgentia consuluit consil. 322. de quo per Doct. in cap. fin. de re-
3 script. in 6. Et absens ratione Ecclesiæ particularis debet percipere fructus, vt dicitur in cap. ex parte el 2. & in cap. ad audientiam de cler. non resid. Ioann. Audr. & Dom. in cap. fin. de consuet. in 6. Ergo multò magis existentes in Concilio, cum sint ibi pro vtilitate Ecclesiæ vniuersalis. Et hoc fuit statutum in Concilio Constan-
4 tiens. in 19. sessione, vbi fuit statutum quod à die, quo iter arripuerint ad eumdum ad Concilium, & quamdiù ibi permanserint, & postquam recesserint per tantum tempus quo ad domicilium suum possint reuerti, habeant percipere fructus suorum beneficiorum cum ea integritate, qua eos perciperent, si in ipsis beneficijs residerent. Et similiter alij curiales beneficiati, qui de suis beneficijs ad præfatum Concilium non accesserunt, aliàs tamen præsentes in curia in eodem Concilio laborauerunt, etiam si primam non fecissent personalem resi-
5 dentiam consuetam. Hoc verum, nisi quis propter sua demerita tractus fuisset ad Cõcilium, quia de malè gestis non debet reportari præmium, cap. Sedes cum seq. de rescript. cap. postulastis de concess. præbend. cum simil. Quid dicendum de distri-
6 butionibus quotidianis. Attenta ratione text. in cap. vnico de cleric. non resid. in 6. & quæ dicuntur ibi, & in cap. licèt, de præben. credo quod debeantur, quia coacti, & pro publica vtilitate vocantur ad Concilium, sicut etiam videmus in exititijs, vt ponit Calderin. consl. 17. in tit. de concess. præbend. & Doctor. in dicto cap. vnico, intelligendo si erant ante consueti seruire, & diuinis interesse, vt ibi dicitur.

SVMMARIVM.

1 *Numerus ad constituendum Concilium, idest quot esse debeant ad constituendum Concilium.*
2 *Vniuersitas quando seipsam congregat sufficiant duæ partes, si ad vocationem superioris sufficit maior pars vocatorum.*
Et quomodò intelligatur, an de duabus partibus totius Collegij, an de duabus partibus vocandorum num. 3.
4 *Vocandi qui sint, de quo loco, quando, & an sit attendenda consuetudo, & an sint vocandi generaliter, vel nominatim remissiuè.*
5 *Actus vniuersitatum collegialiter expediendi, debent habere duas partes, expediendi verò à singularibus sunt per modum vniuersitatis congregati debent habere maiorem partem.*
Et intellectus leg. quod maior ad municipalem. ff.
6 *Actus collegij non possunt per illos de collegio separati expediri, sed oportet, quod sint tamquàm collegium congregati.*
Limita num. 7. & num. 9.
8 *Electione per Papam capitulo demandata, debet fieri capitulariter, secùs si Papa alicui conferat præbendam, & mandet il-*

illum recipi per capitulum, nam iste actus poterit per particulares etiam non collegialiter expediri.

10 *Commissio quando censeatur facta vt Collegio, vel singulariter quomodo cognoscatur.*

11 *Oecumenicum Concilium, quid significet.*
Et quod dicatur.
Et an requirantur in eo duæ partes Episcoporum totius Orbis.
Et si intersint plures, quam duæ partes, an sufficiat quod statuat maior pars illarum duarum partium, vel maior pars præsentium.
Et in istis non connumerantur præsentes non habentes vocem decisiuam, ibid.
Et an sufficiat maior pars Episcoporũ totius Orbis licèt non sint duæ partes, num. 12.
Et quod non requiratur, nec maior pars Episcoporum totius Orbis, nec duæ partes, num. 13.
Episcopatuum tria millia, & vltra in toto Orbe, ibid.

14 *Concilium nullum reperitur celebratum cum maiori, numero 630. Episcoporum.*
Auctoris opinio, num. 15.

15 *Vocati ad Concilium per superiorem, non venientes constituunt se contumaces, & Concilium remanet in comparentibus tantùm licèt non nisi duæ partes.*
Et in hoc est differentia inter Legistas, & Canonistas, num. 16.

17 *Papa potest facere Concilium cum Prælatis vnius Prouinciæ tantùm, & nihilominus erit Oecumenicum.*

19 *Electus à duabus partibus, est verus Papa, licèt absentes protestati sint ne sine illis celebraretur electio.*
Nam contemptus non reddit electionem nullam, sed annullandam, idem.
Cardin. in cap. Ecclesia el 2. de election. parum sibi constans reducitur ad concordiam per auctorem num. 19. & num. 20.

20 *Vocis si est restrictus terminatus à superiore ad actum explicandum, & ipsi se fecerint alienos requiruntur duæ partes, nec sufficit maior pars, ad hoc vt actus factus inter restrictos, valeat.*
Nam substantiæ capitulares consistunt in duabus partibus, ibid.

22 *Vocatis si non est restrictus terminus ad actum explicandum, sed in termino consueto, sufficit, interesse maiorem partem ad hoc vt ille actus valeat. &c.*
Et differunt Canonistæ à legistis num. 22.
Limita vt non procedat in vocatis ad Concilium, quibus siue est restrictus terminus, siue non, actus explicatus per præsentes tenet, & num. 23.

24 *Capitulum aut aliud collegium si non est superior, qui congreget, ad quem spectabit conuocatio.*
Et requiritur quod sint duæ partes ad minùs præsentes, & tunc valet quod fit à maiori parte.
Fallit in pluribus casibus num. 25.

26 *Concilium si non est superior qui congreget, sufficit quod quicumque de vocatis comparuerint, & illi facient Concilium.*

27 *Abbas antiquus reprehenditur.*

28 *Ius vniuersitatis residet in vno.*
Tamen de honestate deberent cogi interesse ad audiendum causas criminales Episcoporum ad minùs 12.
Limita num. 29.

30 *Papam non habens pro capite, nec Christum habet.*

31 *Episcopus, vt Episcopus, si in Capitulo habeat vnum, vel duos Canonicos pro sua sententia, obtinebit, licèt totum Capitulum esset contra illum.*
Tantùm valet Episcopus, vt Episcopus quantùm totum Capitulum ibidem, Quæ an procedant num. 32. remissiuè.

33 *Leges nulli, & legis planè, quod cuiusque vniuersis nomine limitationes.*

34 *Duæ partes licèt constituant Collegium, & quod fit à maiori parte ipsarum sufficiat, hoc fallit in electione Papæ, vbi non sufficit maior pars, sed requirũtur duæ partes.*

35 *Mutatio loci Concilij si tractetur in Concilio, sufficit quod vnus de Concilio contradicat ad impediendum electionem noui loci.*

36 *Præsidentes in Concilio loco Papæ in actu aliquo gerendo debent omnes simul concorditer consentire, aliter vnius contradictio totum inficit.*

ARTICVLVS VII.

Quot debent esse præsentes ad constituendum Concilium.

VLteriùs quæro quot debeant esse præsentes in Concilio, vt possit dici Concilium? Et videtur dicendum quod ad minùs debeant esse præsentes duę partes vocandorum Episcoporum de vniuerso orbe, videlicet eorum, qui volunt, & debent, & possunt interesse, per notata per Doct. in leg. nulli, & in leg. planè, ff. quod cuiusque vniuers. nomine, & in leg. nominationum C. de decur. lib. 10. & quod dicitur post glosś. in cap. bonæ de postul. prælat. & cap. 1. de ijs quæ fiunt à maiore parte cap. per Ioannem Andream. Et quod tunc sit verum valere, quod fit à maiori parte illarum duarum partium præsentium leg. quod maior, ibi Balrt. ff. ad municipales, & est text. secundùm Barr. in leg. omnes populi, in 2. quæstione principali ff. de iusti. & iure. Licèt, vt ipse dicit, glosś. ibi aliter dicat, videlicet in leg. fin. C. de præd. decur. lib. 10. ibi nec ex tabella decretum recitari, sed curialium, vel maioris partis curiæ &c. Quasi dicat quod non sufficiat solùm esse vocatos nisi vt veniant, & quod debeãt esse duę partes vocandorum pręsentes, secundùm quod referr Abb. Siculus in cap. in causis in 4. colum. de elect. Qui videtur velle finaliter
2 quod tunc tunc requirantur duæ partes quando vniuersitas seipsam congregat, aliàs si ad vocationem superioris, sufficiat maior pars citatorum. Pro hoc glosś. in leg. aliud §. refertur ff. de regul. iu., & Innoc. in cap. 2. de noui operis nunci. Ad idem leg. 2. ff. de decret. ab ordi. facien. & in leg. nominationum C. de decur. lib. 10. Item glosś. magna, & Archidiaconus in cap. quanto dist. 63. & glosś. in cap. fin. de arbitr. in 6. & Innoc. in cap. Ecclesia

el 2. de elect. Pro quo text. in capit. quia propter de elect. Anton. Abb. & Ioan. de Immol. in cap. cum inter vniuersas de elc. & gloss. Ioannes Andreas, Butrius, & Abb. in cap. 1. de ijs, quæ fiunt à maior. par. cap. & idem Anton. & Abb. In cap. bonæ el 2. de postul. prælat. & idem Abb. in c. cùm omnes de constit. & Abb. & Immol. in cap. cum nobis de elect. & Dominic. in cap. vnico in §. si verò de cleric. ægrot. in 6. & gloss., & Anton. in cap. licèt de elect., & gloss. penul. ibidem in dict. cap. licèt, & idem decisio Ægid. 275. & gloss. in cap. quanto 3. qu. 2. Et istam dicit esse communem Ioan. De Immol. in cap. humilis de maior. & obed. & Abb. in dict. cap. cùm omnes, & Immol. in cap. 1. de ijs quæ, fiunt à maior. par. cap. Quod & refert ibi Felin. qui ponit alios concordantes in dict. cap. cùm omnes in 33. & 34. colum. in princ. de constit. Et hoc est regulariter simpliciter
3 verum in vniuersitatibus & Collegijs, quod ad hoc vt dicatur Collegium posse aliquid facere, debent ad minùs duæ partes ipsius Collegij esse congregatæ, computatis etiam absentibus, qui fuissent vocandi, per iura prædicta, secundùm Anton. in dict. cap. cùm inter vniuersas. Et intelligit Ioannes Andreas in dict. cap. 1. de ijs quæ fiunt à maior. par. cap. capituli, & alij post eum in locis præallegatis, de duabus partibus vocandorum, & non quod necessariò debeant esse præsentes duæ partes totius Collegij. Et licèt Immol. in dict. cap. fin. in hoc discrepet. à Ioanne Andrea, Abb. tamen in dict. cap. cum inter vniuersas dicit quod maior pars deseruientium sufficit, allegat text. in cap. hoc ius 10. qu. 2. sed quod requiritur ad hoc, vt actus non possit impugnari vt omnes deseruientes sint vocati ad capitulum, quod dicit verum non solùm in actibus electionum, sed alijs quibuscumque actibus capitularibus. Item quod ad hoc, vt actus valeat requiritur, vt duæ partes residentium sint præsentes, quia potentiæ capitulares resident in duabus partibus, sufficit tamen maior pars illarum duarum partium residentium. Et sic dicit iura reducenda ad concordiam, quæ videntur contraria in cap. in causis, & si
4 seruari in Tuscia in vniuersitatibus ciuitatum. Et qui sint vocandi, & de quo coco, & quando, & si consuetudo in hoc sit attendenda, & quando nominatim, vel generaliter, traditur post gloss. in dicto cap. cùm omnes vbi omninò vide Bald. in vers. item opponitur, & in dicto cap. cum inter vniuersas, & dicto cap. cum nobis, & cap. coram de elect. & in cap. hoc ius 10. quæst. in vers. ibidem deseruientium, & l. 2. Cod. de decur. lib. 10. & l. fin. ff. de decret. decur. & gloss. in cap. præsentium, de test. in 6. & in cap. fin. de maior. & obed. & in cap. cum in Ecclesijs de præben. in 6. & in cap. quamuis de offic. ordin. in 6. & in cap. bonæ el 2. & in cap. quia propter, & in cap. in Genesi de elect. & per Felinum plenè in dicto cap. cùm omnes, in col. 22.
5 cum seqq. Et hoc intelligere oportet in actibus vniuersitatum collegialiter expediendis secundùm decis. Ægid. supra adductam, secus in expediendis à singularibus, qui sunt per modum vniuersitatis congregati, quia tunc sufficit, quod facit maior pars; & habet locum, quod dicitur in d. l. quod maior ff. ad municipal. Et hoc tene menti ad id, quod dicitur, quod valet factum à maior. parte. Facit quod dicitur in d. cap. cum omnes, quando sufficiat, quod ratificentur, vel dentur vota separatim, & non omnibus vniuersaliter simul congregatis, de quo ibi vide Felin. Quinimmò quando agitur de spectantibus ad singulos iure tamen Collegij, tunc non sufficit maior pars si minor contradicat. Vnde maior pars Collegij non posset facere gratiam alicui de redditibus qui proueniunt ad singulos iure Collegij, contradicente minori parte, vt dicit Abb. in cap. fin. de ijs, quæ fiunt à maior. par. cap. Vnde licèt sufficiat maior pars capitularium congregatorum ad constituendum capitulum, tamen ad explicandum actũ validum non sufficit maior pars congregatorum, contradicente minori parte, cùm tractatur de bonis spectantibus ad singulos iure Collegij distrahendis, per prædicta per Abbat. adducta in dicto cap. final. Generaliter autem in actibus Collegij non sufficit illos de Collegio separatim consentire, sed oportet, quod sint tamquam Collegium congregati, vt post gloss. dicitur in dicto cap. cùm omnes, quia maturiùs fit deliberatio per congregatos. De quo etiam in cap. in Genesi de elect. & Bart. in l. omnes populi in col. 7. de iustit. & iur. Butrius in cap. quoniam de iurepatron. Abbas in cap. cùm Ecclesia de causa posses. & propriè & in cap. gratum de postul. prælat. Baldus, & Angelus in l. non ambigitur ff. de ll. Vnde dicit Baldus in l. fin. Cod. qui bon. cedere possit, quod vbi non est capitulum totum, vel maior pars, non potest ibi esse actus capitularis, & ideo non potest procedi contra capitulum, quod aliquid fecerit, nisi probetur quod capitulariter deliberato consilio hoc fecerint? vt consuluit Angelus consil. 243. incipit visis, per gloss. in l. si ex dolo in §. an municeps ff. de dolo, & in aliud §. refertur ff. de regul. iur. & in l. metum §. animaduertendum ff. quod metus causa. Et ideò non imputatur delictum vniuersitati tamquam factum ab vniuersitate, si non præcedente tractatu, & communicato consilio factum est, & dicit Abbas in cap. dilectus el 2. de simon. Immò Bartol. in l. vt facta in §. final. dicit, quod etiam si leuato vexillo, & pulsata campana fierint homines ad aliquid faciendum, nõ propter hoc dicitur, quod vniuersitas deliquerit. Quod verum intellige in delicto, & actu momentaneo, vt est homicidium, quia in actu continuato, & successiuo, vt exemplum in rebellione, & bello, quem à suis, patitur ciuitas perpetrari, videtur verè delictum ciuitatis. Ita dicit Petrus de Ancharanis consil. 153. incipit ex narratis; & & Ioann. de Anania in dicto cap. dilectus.
7 Et quod dicitur actum Collegij debere collegialiter, & non separatim expediri, limita nisi sit præstandus consensus in actu, qui potest per singulos irritari. Vnde actus qui

qui ratione contemptus potest per contemptos irritari, potest etiam, & per singulos separatim vitium purgari dicit Bald. in dicto cap. cùm omnes in col.6. de constit. Item intellige, quod procedit quando actus, qui debet per Collegium expediri, consistit in iure, & per ipsum agitur de iure efficaciter creando, sed vbi actus consistit in facto ad executionem iuris iam causati, sufficit consensus non collegialiter præstitus. Ita singulariter dicit Innoc. in cap. bonæ el 2. de postulat. prælat. Vn-
8 de si Papa mandat capitulo vt aliquem eligat, debet fieri collegialiter, si autem Papa alicui præbendam conferat, & mandet capitulo vt illum recipiat, poterit, si Collegium non congregetur, per particulares etiam non collegialiter expediri, quod etiam ponit Bald. in l. sicut ff. quod cuiuscumque vniuersit. nomine, & Doct. in cap. eam te, de rescriptione. Item pro-
9 cedunt præmissa, quando fit mentio de Collegio per verba denotantia communionem, vt cum scribitur capitulo, secus si per verba denotantia singularitatem, vt si scribatur Canonicis, quia tunc sufficit consensus singulorum non collegialiter secundùm Anton. in dicto cap. cùm omnes, & Specul. in titulo de syndic. versiculo porro. & Oldrad. cons. 100. incipit in executione, ponit Petrus Rauennas, cuius sunt præmissa relata, in suo alphabeto aureo, in verbo Collegium. Quod est verum secundùm eumdem Specul. vbi supra, nisi fuisset dictum omnes Canonici, quia intelligeretur collegialiter Immol. tamen in capitulo quanto de ijs, quæ fiunt à prælat. & Abbas in capitulo secundo de coniug. leprosorum, & Domin. in cap. ad decimas de restit. spoliat. in 6. & in cap. si canonici de offic. ordin. in 6. & Bart. in l. rescriptum ff. de pac. volunt, vt refert idem Petrus, quod vbi indefinitè fit mentio de Canonicis, videatur scriptum capitulariter. Sed tu omninò vide Baldum in dicto cap. cùm omnes in col.5. vbi benè distinguit quomodo cognoscatur, quando commissio censeatur facta, vt Collegio, vel singulariter. Et de ista materia vide plura ad saturitatem per Felin. in dicto cap. cùm omnes in col.14. cum sex alijs sequentibus, & 24. cum seq. Vnde in proposito cũ agatur de œcumenico, hoc est totius orbis Conciiio, & sint vocandi omnes Episcopi vniuersi orbis ad Concilium vniuersale, vt dictum est supra in illo articulo qui sint vocandi ad Concilium, videtur quod duæ partes Episcoporum totius orbis ad minus debeant esse præsentes in Concilio, vt œcumenicum Concilium dici possit. Et tunc, quod facit maior pars illarum duarum partium præualebit in Concilio, ea ratione, nam duæ partes, repræsentant totam vniuersitatem. textu in l. nulli ff. quod cuiusque vniuers. nom. & d.l. nominationum. Ergo maior pars istarum duarum partium est maior pars totius vniuersitatis. Et si essent præsentes in Concilio plures, quàm duæ partes vniuersitatis siue Episcoporum vniuersi orbis, tunc non sufficeret maior pars duarum partiũ ad validitatem actus, sed requireretur maior pars ipsorum præsentium, vt dicit Abb. & alij in d. cap. cum omnes, vbi etiam dicit, quod in isto numero duarum partium non esset, numerãdi illi qui non haberent vocem, vt in Clem. quod circa de elect. & ibi Card. in 12. charta. Vnde Abbates inferiores, & alij Presbyteri, & Clerici, qui dicuntur non habere vocem decisiuam in Concilio, vt dictum est supra in illo articolo, qui dant vocem in Concilio, non computarentur in numero duarum partium. Et in alijs Collegijs non essent vocandi illi, qui non consueuissent residere, nisi esset tractandum aliquid arduum, & insolitum, vt dicunt Doctor. in dicto cap. cùm omnes, & Anton. in dicto cap. 1. in fine de ijs, quæ fiunt à maior. par. capituli. Immò, & vocati à superiore, si comparere nolunt, faciunt se alienos, ita vt non sint computandi in numero capituli, siue Vniuersitatis, seu Collegij, nec in numero absentium, nec in numero duarum 11
partium, secundùm, quod notat Abbas in cap. cùm nobis in 3. & seqq. notabili de
12 elect. E diuerso videtur, quod etiam si non sint duæ partes Episcoporum totius orbis, dummodo sit maior pars, sufficiat ad hoc vt possit dici Concilium œcumenicum. Quod videntur velle multæ glossæ, vt gloss. in dicto cap. cùm omnes, & gloss. in cap. quia propter de elect. & gloss. in cap. fin. de maior. & obed. & text. in dicto cap. 1. de ijs, quæ fiunt à maiore par. cap. in Collegijs, & alijs vniuersitatibus, & idem gloss. in c. cum nobis de elect. idem gloss. in cap. cùm inter vniuersas de electione idem Abbas in cap. in causis de elect. videtur text. in cap. hoc ius 10. qu. 2. Nec obstant supra adducta de duabus partibus, quia secundùm Guilielm. & Alan. loquuntur in decurionibus, de quibus non est facienda comparatio ad Clericos. Spurij enim possunt esse decuriones leg. spurij, ff. de decur. sed non Clerici, vt in cap. 1. de fil. presbyt. & ita refert Cardin. post Ioan. Andr. in dicto cap. 1. de ijs, quæ fiunt à ma. par. cap. Quinimmò Ioann. de Immol. in 12
dicto cap. fin. & in dicto cap. 1. dicit, quod communis opinio non videtur iure probari, quod in Collegijs Ecclesiasticis requirantur duæ partes præsentes vocandorum, sed quod sufficiat maior pars, & respondet ad cap. fin. & ad cap. hoc ius 10. quæst. 3. & cap. obeuntibus 63. distin. & ad l. quoties, Cod. de legat. lib. 10. Licèt finaliter videatur sentire idem esse in Collegijs Ecclesiasticis, quod in secularibus, & quod in practica seruaretur opinio Ioann. And. licèt de rigore iuris posset defensari, quod sufficiat maior pars, quod etiam simpliciter voluit Compostel. in cap. quia propter de elect. secundùm Archid. in dicto capi-
13 tulo quanto. Sed immò videtur, quod ad effectum subsistentiæ Concilij generalis non requirantur, nec duæ partes, nec maior pars omnium Episcoporum totius orbis. Patet quia cùm infinita Concilia reperiantur celebrata numquam reperitur, quod fuerit congregata maior pars Episcoporum, quia cum in toto orbe sint vltra tria millia Episcoporum, de quibus vide pro magna parte numeratos per Albericum de Rosate in rub. ff. de statu homin. & potest

potest inspici in Prouinciali, numquam
14 tamen reperitur factum aliquod Concilium, quod excesserit numerum Episcoporum 630. vt fuit in Chalcedonen. vt patet in cap. Adrianus el. 2. dist. 63. de Concilio congregato tēpore Caroli Magni cum 153. Episcopis tantùm, & distinct. 17. in §. hinc etiam, vbi 77. Episcopi tantùm subscripserunt, patet in cap. sexta synodus dist. 26. vbi enumerantur multa Concilia, in quibus etiam fuerunt Episcopi longè minoris numeri. Et tamen nullus diceret, quod illa non fuerint vera Oecumenica Concilia, & maximè illa quatuor, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, quæ vt inquit sæpiùs Gregor. in registro suo, & est textus in cap. sicut distinct. 15. sunt reseruanda, sicut quatuor Euangelia, vt diximus supra in principio huius tractatus.

15 In ista materia potest sic concludi, quod aliquando Collegium, siue Concilium est congregatum auctoritate superioris. Et tunc non venientes vocati ad capitulum, siue ad Concilium, videntur se constituere alienos, & contumaces, vt in cap. cùm nobis de elect. & ibi Doctores quæst. 23. c. 4. Guilisarius. Et tunc tam in Collegijs inferioribus quàm in Concilio generali, Collegium siue Concilium remanet in comparentibus, & præsentibus, quamuis non sint duæ partes, & quamuis non sit maior pars habentium interesse. Ita Innoc. in c. 2. de noui operis nunc. & clariùs ibi Ioan. And. alleg. c. quod sicut, & dicta in cap. cùm nobis de elect. Et clariùs Abb. in c. in causis in col. 4. de elect. referendo Doctores Canonistas idem tenere in cap. 1. de maior. & obed. & in d. cap. 2. de noui operis nunc. Et idem Abbas in cap. cum inter vniuersas in penul. colum. de elect. allegat. capitulo quod circa de elect. in Clement. & idem videtur dicere in cap. cum nobis in col. 6. de elect. dum se remittit ad cap. in causis, & idem Abbas in cap. cùm omnes de con-
16 stitut. Et vtrobique tam in dicto cap. in causis, quàm in cap. cùm omnes, refert contrarium teneri per legistas, vt etiam in isto casu quando fit vocatio per superiorem, requiratur, quòd sint duæ partes præsentes. Et plus dicit idem Abbas hoc esse verum, quod vocati præsentes etiam si non sint maior pars, possunt actum explicare, si modò non venientes fuerint vocati per superiorem, alioquin secus in non vocatis, quia in talibus plus operatur contemptus vniùs, quàm contradictio plurium, vt in capit. bonæ el. 2. de elect. Vnde possent agere non vocati de contemptu, & possent facere actum retractari allegat. cap. sicut de elect. Sed hoc vltimum licèt sit verum in alijs vniuersitatibus, & Collegijs, tamen non credo verum in vocatione facta ad Concilium generale per Papam. Tum ex eo, quod citatio fit generaliter, & omnes arctat. vt dictùm est supra in quæstione, quæ sit forma citationis ad Concilium.
17 Tum etiam, quia Papa potest facere Concilium cum Prælatis aliquarum Prouinciarum, sicut ei videtur, & erit Concilium generale, & Oecumenicum, vt etiam dixi supra de Concilio, quod Papa congregare voluerit in suo Patriarchio, in ista quæstione, an ad Concilium sint vocandi Episcopi omnes de vniuerso orbe. Tum etiam propter quamdam impossibilitatem vocandi singulariter, & personaliter Prælatos vniuersi orbis. Item nec erit verum in electione Romani Pontificis, in qua secundùm Hostiensem in cap. licèt de electione, & refert ibidem Ægidius in 12. char. versiculo primo principaliter quæritur, etiamsi aliqui contempti forent iniustè, vt quia videntes impressionem instare, timentes ne fieret impressio, an fugissent, aut aliàs propter periculum ad electionem non venissent, etiamsi
18 propter hoc appellassent ne sine se celebraretur electio, nihilominus electus à duabus partibus esset verus Papa, non obstante contemptu illorum absentium, & appellantium, qui contemptus non reddit electionem nullam, sed annullandam, & in proposito non est superior qui possit eam annullare, vt. d. c. licèt. De quo aliquid super in quæstion. an electio Papæ per impressionem dicatur nulla, inter conclusiones elicitas ex Ægidio, & est glosa ordinaria, & ibi Doct. in cap. vbi periculum in verbo 10. dierum de elect. in 6. Et intellige secundùm eumdem Ægi. in d. cap. licèt in vers. dixi primo in fin. dummodo contempti non sint in tanto numero, quod eligentes non faciant duas partes. Et respondet ad l. si in tres ff. de arbi. quod ibi secus propter formam datam compromissarijs. Et idem quod Innoc. & Abb. tenuit Anto. in c. cùm nobis, & Card. in d. cap. in causis, in quæstione illa disputata per Bononien. Licèt idem Card. in dict. cap. cum nobis voluerit contrarium, quod vocatione etiam facta à superiore debeant esse præsentes duæ partes. Sed idem Cardin.
19 in cap. Ecclesia el. 2. in 14. qu. voluit quod vocati non venientes fecerunt se alienos, & quod capitulum remansit in præsentibus, quamuis non sint duæ partes. Licèt posteà se non firmet, cum primò dicat aliud esse in Collegijs secularibus, quàm in Ecclesiasticis, & vltimò dicat idem esse in vtrisque, sed habendam esse considerationem an constat quod absentes nolint venire, vt tūc præsentes, quamuis non sint maior pars, faciant Collegium, sed si non constat quod nolint venire, secus. Et in fine remanet ambiguus, dicens quod tutius esset curare, vt interessent duæ partes, vt vitentur opi-
20 niones. Sed pro concordia posset dicit quòd aut quærimus an sint vocati ad finem quod non venientes, quibus est præfixus, & restrictus terminus iuris ad actum explicandum, fecerint se alienos, & sint constituti in contumacia, taliter quod posteà valeat actus factus in termino restricto per superiorem, aliter non expectato termino iuris. Et tunc non sufficit quod maior pars sit præsens, sed requiruntur duæ partes, quia virtus collegij, & potentiæ capitulares consistunt in duabus partibus, quando agitur de congregando Collegium, vt d. l. nulli, & l. plane, & d. l. nominationum, & Innoc. in d. cap. 2. de noui operis nunci. Et cùm terminus ad actum explicandum sit inductus in fauorem Collegij, potest Col-

Collegium restringere causa subsistente, vt quando fortè est procedendum ad electionem, suam quod voluit Hostien. & refert Abb. in d. cap. cùm nobis. Quod, scilicèt restringere terminum, non posset fieri per superiorem, secundùm Innoc. in cap. Ecclesia el. 2. de elect. Licèt contrarium videatur velle, & malè, in d. cap. cum nobis, secundùm d. Anton. & Abb. in d. cap. cum nobis, quia & si consuetudo dat ei facultatem congregandi, non tamen restringendi terminum, qui est inductus in fauorem Collegij, vt in cap. si diligenti, cum vulgaribus, de foro compet. Aut ad finem expe-
21 diendi actum non in termino restricto, sed in termino iuris, vel in termino consueto, vel aliàs deliberato, & formiter à capitulo assignato. Et tunc non est necesse, quod sint præsentes duæ partes vt actus valeat, sed sufficit maior pars, quia constituit non venientes contumaces, non vt possit eos punire tanquam contumaces, sed quoad hoc vt potestas capituli remaneat penès comparentes, & præsentes, vt voluit Innoc. in d. cap. 2. & in cap. 1. de maior. & obedient. & Ioann. Ant. in cap. in causis de elect. & dicit. Abb. in d. cap. cum nobis in 6. colum. Quod intelligo etiam si venientes, & præsentes non essent maior pars capituli, vt voluit Innoc. in dicto cap. 1. de maior. & obed. & in cap. 2. de noui operis
22 nunt. Cum quo transeunt communiter Canonistæ, vt refert, & sequitur. Abb. in dicto c. in causis de elect. & in capit. cum omnes de constit. Qui in vtroque loco refert legistas tenere contrarium, allegat Bart. in l. omnes populi ff. de iustit. & iure, & ponit Bald. in l. magnam 2. col. C. de contrah. & committ. stipu. Et hæc procedunt in inferioribus collegijs, sed in Concilio generali, quando vocatio ad Concilium fit auctoritate Papæ, qui potest terminum etiam iuris abbreuiare, vt ei placet, vt in cap. proposuit de concess. præbend. constituuntur non venientes contumaces, & actus à paucis venientibus potest explicari, & facit vt potentia Concilij resideat in venientibus, & vt non venientes possint mulctari. Facit in proposito constitutio frequens in Concilio Constantien. edita, & quæ dicta sunt supra de auctoritate Concilij quod Papa per se facit cum aliquibus de certis Prouincijs, non citatis omnibus de vniuerso orbe, & quod dicitur in cap. significasti de elect. & in l. fin. C. de ll.

Ad quem autem spectet conuocatio in Concilio generali, satis plenè dictum est supra quod ad Papam 17. dist. per totum. In alijs Collegijs dic, vt dicitur in cap. 1. de maior. & obed. in capitulo 2. de noui operis nunc. & cap. irrefragabili §. cæterum
24 de offic. ordinar. quod aut non est Superior per quem congregetur. Et tunc refert an simus in alijs collegijs, an in Concilio generali. Primo casu dic, quod ad congregandum Collegium, & monendum, & maximè restringendo terminum, requiritur, quod sint duæ partes totius Collegij ad minùs præsentes, & procedunt iura primo loco allegata l. nulli, & l. planè ff. quod cuiusque vniuer. no. & l. nominationum cum alijs supra allegatis C. de decu. lib. 10. Ita dicit Hostiens. & refert Abb. in d. cap. cum nobis, & benè Anton. de Butrio. in cap. licèt in penult. colum. de elect. quia potentiæ capitulares consistunt in collegio, & collegium consistit in duabus partibus, dum est in congregando, & in essentia, & valet, quod tunc fit à maiori parte ipsarum duarum partium, vt dictum est, etiam restringendo terminum. Quod est intelligendum veram nisi instaret finis termini, quia tunc etiam si non essent duæ partes, nec maior pars, ea ratione possent præsentes, & minor pars procedere ad perficiendum actum, & etiam minor pars posset conuocare maiorem partem, & constituere eam contumacem, si non veniret, ita Abb. & refert Felin. in d. cap. cùm omnes de const. & dicitur in d. cap. cum nobis, & in c. in causis de elect. Et idem quando esset periculum in mora, vel si actus tunc non expediretur non posset vlteriùs expediri, vt in dictis iuribus, & in cap. cum inter vniuersas de elect. vel alia necessitas reipublicæ, quia tunc etiam decuriones, & priores Ciuitatis possent transgredi statuta Ciuitatis, & leges, vt ponit Bartol. in l. cum Nauarchorum C. de nauicularijs lib. 11. Facit quod dicitur in capitulo fin. 45. dist. & 66. dist. cap. fin. Secundo casu, quando
26 sumus in Concilio generali, sufficit non solùm maior pars, sed quicumque de vocatis comparuerint, & fuerint præsentes facient, & constituent Concilium, licèt absentes sint longè maioris numeri, quia præsentes venientes repræsentant absentes, qui vocati fecerunt se alienos à Concilio non veniendo, vt in dicto capitulo cum nobis, & tex. in capitulo Guilisarius 23. quæstio. quarta. Et idem reperio tenuisse Milis in quibusdam suis allegationibus, videlicèt quod regula quod debeant esse duę partes, vel maior pars præsentes in Collegijs, non habet locum in Concilijs generalibus, per tex. in cap. 6. dist. 16. vbi numquam in Concilijs reperitur, quod fuerit maior pars Episcoporum. Immo aliquando solùm reperiuntur interfuisse 150. Episcopi, vt patet ibi in d. cap. 6. & per alia, iura idem demonstrantia in capit. Adrianus el. 2. dist. 63. & in §. hinc etiam dist. 17. Et idem in effectu Domin. in suo tract. de schismate in qu. 8. & Mathesil. in additionibus ad tractatum inchoatum per Anton. de Butrio in sexto capitulo principali in 3. quæsito. Et hoc intelligo quando per Papam, vel eius auctoritate congregatum esset Concilium. Si verò ob defectum Papæ alius conuocat, tunc reperio quod quidam Doctor qui scripsit contra Concilium Pisanum, quem credo fuisse Ioan. de Ligna. dicit quod isto vltimo casu necessariò debent esse præsentes duæ partes vocandorum. Sed hoc videtur impossibile in Concilio generali, ad quod vocantur omnes Episcopi de vniuerso orbe, & ideo dico quod est idem quod supra dixi, & nescio considerare, vnde insurrexerit ista differentia, quando per Papam, vel per alium, dummodo legitimè congregetur. Vnde quod supra dictum est quando ab alio, quàm à Papa con-

congregatur, intelligo quando Concilium seipsum congregat formiter, & in casibus à iure permissis, vt supra retuli in quæst. quis congregat Concilium quando fortè Papa detrectaret congregare, & subest causa hæresis, propter quam necessariò requiritur congregatio Concilij, vel quando præfixus esset terminus ad Concilium celebrandum per supradicta. Alioquin esset Conciliabulum, vt in cap. multis dist. 17. Et per hoc patet, quod non est vera opinio Abbatis antiqui quam refert Ant. de Bu. & opinio Petri, quam refert Abb. Siculus in d. capit. cum nobis, in Concilijs generalibus, qui voluerunt quod numquam potestas maioris partis deuoluitur ad minorem, nisi in casu delicti, vt in cap. gratum de postu. præla. Nec erit vera eo casu, quo instaret dies, quæ constituit alios in mora. cap. potuit de loca l. magnam. C. de contrahen. & commit. stipulatione, vel aliter immineret periculum, prout communiter imminet in Concilijs generalibus, quæ non congregantur nisi propter imminentes necessitates, & graues causas hæresis, schismatis, vel Papatus, & similes c. 1. 15. dist. c. si duo, &c. si quis pecunia 79. dist. Istis enim casibus minor pars dicitur maior, & sanior debet enim attendi, quod obijcit minor pars quando est iustius & vtilius, vt dicitur in c. 1. de ijs, quæ fiunt à maio. par. cap. Cum enim alij sint contumaces, & minor pars curet occurrere periculis, & compareat, & sit præsens, ipsa constituet Concilium generale per iura prædicta. Facit quod dicit Ioan. And. in cap. irrefragabili de offic. ord. quod si Archiepiscopi vocant subditos ad Concilium, & ipsi non veniunt in termino eis assignato, conuincuntur de negligentia, & potestas deuoluitur ad accedentes etiam numero pau-
28 ciores. Ius enim vniuersitatis residet in vno, vt in c. gratum de postu. præla. & in c. 1. in glos. de elect. non debet enim nocere diligentibus malitia, & negligentia aliorum. Et hoc in proposito multum notabiliter per plures rationes consuluit Ludoid Ro. cons. 266. incipit quæritur nūqu. Dicit tamen in proposito Moder. Are. vbi supra vnum notabile verbum, quod licèt aliàs in casibus supra propositis remaneret Concilium etiam in duobus, per dicta in d. cap. cum nobis, tamen de honestate deberent constringi ad comparendum, & interessendum in Concilio quod possent audire causas criminales Episcoporum, & sic quod ad minus essent duodecim 15. q. 7. fœlix, & 2. qu. 5. presbyter. Inno. plenè in cap. graue de præben. Et hoc quando in Concilio nec esset Papa, nec aliquis habens auctoritatem ab eo cum speciali mandato, nam si Papa esset præsens, ipse solus cum vno Episcopo adueniente tempore statuto faceret Concilium, aliorum absentia non obstante, quia ipse est caput Concilij, & supra Concilium, vt in cap. significasti de elect. Et ipse solus potest audire causas criminales Episcoporum, & vni soli delegare, vt in cap. veritatis de dolo, & contuma. & in cap. cùm dilectus de accusat. sic in proposito. Facit quod dicit illa glo. in §. refertur in di. l. aliud, videlicèt quod illud, quod facit maior pars eorum, qui præsunt vniuersitati, & deputati loco totius Ciuitatis, valet, vt d. l. nulli, & l. municeps. ff. ad municip. & d. l. quod maior. quia enim illi præsunt, & sunt deputati loco totius Ciuitatis, repræsentant totam vniuersitatem, sicut quando duæ vocatorum partes repræsentant vniuersitatem. Vnde à fortiori multò magis in Papa, qui solus præest vniuersali Ecclesiæ, & est caput fidelium d. c. proposuit de conces. præben. cap. Sacrosancta 22. dist. cap. cùm diuersis de priuil. in 6. ponit Aug. de Ancona qu. 19. art. 2. & q. 20. per totam quæstionem. Vnde magister Aluarus de planctu Eccle-
30 siæ in prima parte art. 23. dicit quod qui non vult habere Papam pro capite, nec Christum caput habet, nec erit membrum de corpore eius mystico, scilicèt catholicæ militantis Ecclesiæ. Vnde constitutionem factam à Papa, dicimus factam ab vniuersali Ecclesia, vt in capitulo pia de exceptio. in 6. In ipso enim repræsentatur tota Ecclesia, & ideò ipse dicitur Ecclesia corporalis 1. qu. 3. si quis obiecerit 7. qu. 1. scire debes. Ad idem est quod ponit Hostien. in cap. postulastis de conces. præben. & in cap. scriptum de elect. & refert Fede. de Senis cons. 1. & Ioan. Ant. in cap. 1. ne sede vacan. in 6. & in c. à collatione de ap-
31 pell. eod. lib. quod si Episcopus vt Episc. in capitulo vnum vel duos Canonicos habeat in sententia sua eiusdem voluntatis, obtinebit etiam si totum residuum capituli sit contra, quia tantum habet Episcopus, vt Episcopus, quantum totum capitulum, igitur vno, vel duobus ad partem Episcopi accedentibus, ibidem di-
32 citur esse maior pars. Ita & fortiùs dicendum in Papa. Vtrùm autem dictum Hostien. sit in se verum, pro nunc nihil dico, quia Ioann. Andr. & Dom. in cap. à collatione examinant ad longum, & illud reprobant. Sed in proposito sufficiat allegasse in argum. dictum illud Hostien in d. cap. postulatis, & tanti viri iudicium, quod confert ad propositum nostrum. Et sic ex præmissis patent plures limitationes ad re-
33 gulam l. nulli, & l. planè, quæ vult quod debeant esse præsentes duæ partes. Vt primò non procedat in Concilijs generalibus, secundò vt non habeat locum de iure canonico, quando vocatio fit per superiorem, tertio secundùm aliquos, puta Cardin. in d. cap. Ecclesia supra allegato, & similis in quibusdam allegationibus suis, qui allegat. Innoc. in d. cap. cùm nobis, vt non habeat locum in Collegijs Ecclesiasticis, sed Laicorum, quartò vt non procedat quando est periculum in mora, quintò similiter quando non posset vlteriùs actus explicari, quia esset in momento expediendus, sextò quando subesset aliqua necessitas si actus differretur, septimò vt non computentur ij, qui non habent vocem cler. vt ij qui, de ætate, & quali. Et similiter, qui non sunt vocandi, & similiter ij qui vocati recusarunt comparere, vel si constaret, quod nec venire, nec interesse posset, nec curarent excusari, quia si peruenit vocatio ad co-

eorum notitiam, eorum contumacia repræsentat eos absentes, & in eo actu extraneos à Collegio. Facit quod dicitur in l. properandum §. cùm autem C. de iudic. in cap. prout de dolo, & contum. Hostien. & Ioann. Andr. in capit. Ecclesia el 2. in verbo ad contemptum de elect. & ponit Mathesil. in dictis additionibus in d. cap. 1. in 3. quæst. Et cùm omnes præmissæ limitationes conueniant in Concilio generali, quia congregatio Ecclesiasticorum, quia periculum in mora, quia necessitas, & alia supra allegata, constat etiam quare minor pars constituat generale Concilium per supradicta.

34 Adde etiam prædictis, quod licèt postquam duę partes Collegij sunt congregatæ dicantur constituere Collegium, & capitulum, & valeat quod fit à maiori parte ipsarum duarum partium, hoc fallit, nisi agatur de eligendo Papam, quia tunc non sufficeret maior pars præsentium in capitulo, sed requiritur, quod electio sit facta à duabus partibus, vt est text. in d. cap. licèt de electione ibi Ant. & alij. Et sufficit quod sint duæ partes præsentium in Conclaui, dummodo absentes fuerint expectati congruo tempore, de quo in cap. vbi periculum de elect. in 6. Ita dicit Abb. in d. cap. licèt. In inferioribus autem electionibus in quibus casibus sint vocandi absentes, vide Ant. in d. cap. licèt, & Doct. in d. cap. cùm omnes de constit. Post congregatum autem Concilium, quia generale Concilium est quædam vniuersitas, ibi enim non vt singuli, sed vt vniuersitas habent disponere, quia repræsentat vniuersalem Ecclesiam de consecrat. d. 1. Ecclesia, ideò ibidem standum erit iudicio plurimorum 65. dist. cap. 1. dicit Abb. in cap. 1. in 3. notabili de pac.

35 Item adde quod vbi agitur de eligendo nouum locum pro Concilio inter ipsos Episcopos in Concilio existentes, tunc non sufficeret maior pars, immò etiam vno tantùm contradicente non valeret electio noui loci sine causa, ex quo semel Concilium determinauerat locum. Ita notabiliter per plures rationes consuluit Ludou. cons. 352. incipit quæritur primò. De quo vide quod latiùs dico in illa quæstione vtrùm Papa possit pro libito voluntatis dissoluere, vel transferre Concilium, & meliùs in quæstione, quando Patres in Concilio sunt discordes, quorum sententia debeat prævalere? Dic vt dixi ibi, item vlteriùs, vbi omnino vide etiam præmissa, & in quęstione illam sequenti.

36 Adde prædictis quod præsidentes in Concilio generali loco Papæ, debent in actu gerendo omnes simul concorditer consentire, aliàs contradictio vnius inficit totum, licèt aliàs contradictio minoris partis Collegij, vel Concilij non inficiat actum, quia standum est sententiæ plurimorum. Ita dicit Abb. Siculus in cap. penult. de statu Monach. in 2. colum. & ita dicit debere intelligi textum 65. dicto capit. 1.

SVMMARIVM.

ARTICVLVS VIII.

De iurisdictione Concilij.

1 SEd hìc est videndum quam iurisdictionem habeat Concilium, vtrùm Concilium cognoscat de litibus, & causis, quæ occurrunt tractandæ. Et videtur quod sic, patet ex multis iuribus, vbi apparet in Concilijs causas ciuiles, & criminales esse definitas, patet in cap. 1. de pac. in cap. 1. de iudic. in cap. 1. de libell. oblat. in cap. 1. & ibi Abb. de sponsa. in cap. ad sedem 35. quæst. 5. idem Abb. in cap. licèt de elect. Innoc. & alij in cap. graue de præben. & de causis criminalibus dist. 21. cap. fin. 4. quæst. 5. cap. 1. 21. quæst. 5. cap. si quis à proprio, & in cap. Diaconi 12. quæst. 2. & in cap. si quis clericorum 11. quæst. 1. Ad idem facit text. iuncta glos. in cap. primates 2. quæst. 1. vbi glos. dicit quod Sy-
2 nodus auctoritate Romani Pontificis congregata potest priuare, seu damnare Episcopos. Et ad idem text. in cap. nullus 5. quæst. 4. & idem text. in cap. inter cætera 10. quæst. vltima Et ad idem cap. si cleric. 11. quæst. 1. ad idem cap. presbyteros, & cap. Ioannes Chrysost. 50. dist. ad idem cap. si quis Episcopus, & cap. certum, & cap. Episcop. & cap. irritam 11. quæst. 3. & in cap. 1. de pac. & cap. 1. de iudic. & capit. si quis, & cap. sicut de hæret. cum simil. Facit etiam ratio, quia si Papa congregat Concilium, videtur dare ei omnem potestatem cognoscendi de causis argum. cap. præterea de offic. delegat. Item Synodus vniuersalis habet auctoritatem supremam à Christo immediatè, vt patet in gestis Concilij Constantien. Similiter idem vide-

videmus in concilio Apostolorum act. 1. vbi vacante Apostolatu elegerunt duos ex omnibus Barnabam, & Matthiam. Vnde patet ex dictis iuribus, quod concilium potest iudicare de omnibus causis, nam & Cardinalem deposuit, vt in cap. 2. de cler. non resi. Item decernit censuras, vt in cap. si quis Episcopus, & in cap. sicut de haere. cum simil. Quod clarè probat tex. in capit. omnibus 24 quaest. 1. iuncto cap. notandum 24. q. 3. quia text. in cap. omnibus vult, quod si quis contempserit domum Dei, idest Ecclesiam, & Episcopos insimul conciliariter congregatos, sit illis sicut Ethnicus, & Publicanus, quod est dicere quod debeant illum talem excommunicare, vt probat tex. in dicto cap. notandum. Et quod Concilium generale

3 decernat censuras, & excommunicare possit etiam vacante Papatu, ponit Abb. in cap. 1. in 5. notabili de iud. Et licèt dicatur quod Concilium prouinciale possit excōmunicare, & decernere censuras; vt ponit Anton. in c. 1. de iudic. in 5. oppo. allegat Archid. 34. dist. quorumdam, & text. 3. q. 3. si quis Episcopus, & 12. dist. de ijs in fi. & 18. dist. per totum, illud est verum in concilio cum superiore, hoc est Archiep. sed nos loquimur in Concil. generali de per se sine Papa, nam vbi praesidet Papa non dubitamus. Et ita intelligo textum in cap. aduersùs de immunit. Eccles. & alia similia iura.

4 Et quod Concilium possit iudicare de omnibus causis, videtur argui etiam ex practica vniuersalium antiquorum conciliorum, quae videntur exercuisse reseruata Papae, & ita saepiùs comperimus factum in Chalcedonensi Concilio, maximè in 10. actione, vbi audita propositione & querela Bassiani Episcopi Ephesi, quod esset passus violentiam, & eiectionem ab Episcopatu, & spoliatus omnibus bonis per Stephanum Episcopum, qui opponebat eum non ordinatum, sed sede Ephesina vacante, collecta seditiosorum turba in episcopatum intrusum fuisse, Bassianus è contra replicauit se inthronizatum per clerum, & populum, & confirmatum per Imperatorem, & se pacificum possessorem quatuor annorum, & plures ordinasse episcopos, & cum alijs tamquam Ephesi Episcopum communicasse. Et interrogante sancto Concilio Stephanum, si confiterentur ipsum fuisse Episcopum pacificum possessorem quadriennio, respondit non vt Episcopus, sed vt tyrannus, & eum eiectum fuisse à Sanctis Patribus, & à Sanctissimo Regiae Ciuitatis Romae Leone, & à Flauiano Constantinopolitanae Vrbis, & ab Alexandrino, & Antiocheno Patriarchis. Et allegatis hinc inde pluribus violentijs, & exceptionibus, tamdem synodus Calcedonen. relictis canonibus iudicauit vtrumque indignum Episcopatu, & praecepit ambobus cessare ab administratione Episcopatus, donec prouideretur de alio, interim autem ambos remanere in ordine Episcopatus, & à Sanctissima Ecclesia pascendos, quibus decreti sunt annis singulis ducenti solidi, & pronuntiauit bona siue à Stephano, siue quocumque alio, Bassiano direpta, post iudiciales probationes ab ijs, qui abstulerant, vel causae laesionis fuerant, restitui debere. Quae sententia est actio vndecima eiusdem Concilij. Quare autem dicatur prima, secunda, tertia, actio, & sic deinceps ponit glossa 16. quaest. 3. cap. prima actione, idem etiam patet in 13. actione de contentione inter Athanasium Episcopum Parenorum, & clericos, qui eum propria auctoritate expulerant ab episcopatu, qui ter vocatus, vt responderet criminibus, quae ei obijciebantur, & se purgaret, tamdem, vt contumax episcopatu priuatus est, nisi infra octo menses coram Antiochiae Episcopo, & eius concilio se purgaret, & eius loco suffectus est Sauianus. Similiter in 7. actione eiusdem Chalcedonen. Concilij, vbi confirmatur concordia inita inter Maximum Antiochiae Episcopum, & Iuuenalem Hierosolymorum Episcopum, & vbi post multam contentionem determinatum fuit, quod sedes Antiochensium habeat duas Phoenicias, & Arabiam, sedes autem Hierosolymorum habeat tres Palestinas. Idem etiam in fine nonae actionis, vbi restituit vt Ibas ad Episcopatum, quo fuerat priuatus tamquam malè de fide sensisset, cognita eius innocentia, quod esset verus Orthodoxus. Ad idem est tex. in cap. habeo librum 16. dist. ibi oportebat enim, vt synodus vniuersalis canones ecclesiasticos

5 promulgaret, & sic etiam vltra id, ad quod est principaliter congregata statuit. Et ibi loquitur de sexta synodo sub Constantino, & postea sub Iustiniano congregata contra haereticos, qui dicebant vnam operationem, & vnam voluntatem esse in Christo, vbi anathematizati sunt illi haeretici. Nisi dicas quod ille tex. loquitur de canonibus concernentibus fidem, & sic circa illud, ad quod erat congregatum concilium. Huc accedit, quod videmus in concilijs prouincialibus cognosci de causis Praelatorum, & ea posse suspendere Praelatos, & capitula, quae deliquerunt, vt dicitur in cap. graue ibi Pet. de Anchar. in sexto notabili de praeben. Immò secundùm, quod ipse ibi dicit etiam solus Metropolitanus, sine concilio prouinciali potest corrigere excessus praelatorum, vt in cap. 3. de aetat. & quali, & ideò multò magis potest concilium generale. Quinimmò, vt dicit ibi idem Petrus de Anch. in nono notabili solus Archiepiscopus potest absoluere à sententia excommunicationis lata per synodum, igitur multò magis Concilium generale. Immò, & coram conci-

6 lio accusantur criminaliter, vel ciuiliter Praelati, & alij clerici inferiores, vt est ibi tex. licèt contra Praelatos definitio prohibeatur. Et ibi dicitur post Innoc. Ioann.

7 Andr. & alios verùm in ventilatione causae contra Episcopos, & alios inferiores requiratur numerus taxatus 12. Episcoporum de quo 3. quaest. 8. cap. suggero, & 15. quaest. 7. in summa, & per Abb. in capit. non potest de re iudic. & ibi Felin. & Anton. in cap. 1. de iud. Et in dictis locis an Concilium condemnat, & an condemnatum absoluit, & an quando delegatus co-

gnoſcit cauſam contra perſonam Epiſcopi, requiratur numerus 12. Epiſcoporum, de quo Pet. de Anchar. in dicto cap. graue in vlt. quæſt. & ibi etiam Ioann. de Imol. in dicto cap. graue in 9. colum. Vnde ex his patet in concilio examinari etiam cauſas ciuiles, & criminales, & ſic non cauſas fidei, ſchiſmatis, & reformationis Eccleſiæ tantùm. Quinimmò videtur quod etiam,
8 de cauſis laicorum cognoſcat, vt eſt text. iuxta gloſſa ſecunda in cap. de concilijs 18. diſtinct. vbi eſt regula quod Concilium iudicat de omnibus querelis, quæ inter diuerſos Eccleſiæ ordines oriri ſolent, Laici enim & iam de ordine Eccleſiæ eſſe dicuntur, vt in c. duo ſunt genera 12. q. 1. Et licèt tex. loquatur in Concilijs prouincialibus, fortiùs poteſt extendi ad generale Concilium, cùm eadem ſit ratio. Item text. in capitulo multis 17. diſtinctione, & in capitulo habeatur, & in capitulo propter eccleſiaſticas decimaoctaua diſtinctione, vbi dicitur, quod omnes controuerſiæ debent in concilio ſopiri, vt ieiunium offeratur, ad quod etiam laici tenentur. vt in capitulo ſecundo de obſeruat. ieiun. Item text. in capitulo non oportet 7. quæſtione prima, item text. in capitulo ſcitote 6. quæſt. 3. Facit quod conciliũ ſunt inuentum ſecundùm ritum Gentilium, nam Romani in gentilitate omnia in concilijs determinabant, vt in c. 1. §. ſynodus 15. diſt.

9 E diuerſo videtur, quod concilium non poſſit de omnibus cauſis vniuerſaliter cognoſcere, ſed tantùm de cauſis, pro quibus eſt congregatum. Quod probatur primò ex auctoritate Leonis Papæ, qui ſcribens Anatholio Epiſcopo Conſtantinopolitano eum reprehendit, quod induxiſſet Chalcedonen. ſynodum ad decernendum ſedem Conſtantinopolitanam eſſe primam poſt Romanam, cùm priùs eſſet Alexandrina, dicens, quibus auditis, & numquam antea tentatis ita præueneris exceſſibus, vt ſanctam ſynodum ad extinguendam ſolùm hæreſim, & ad confirmationem fidei Catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam, in occaſionem ambitus tui trahas. Et iterum in totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit elatio, quę ita abuti voluit concilio ſynodali, vt fratres in fidei tantummodo negocium, conuocatos, ad conſuetudinem ſibi, aut deprauando traducere, aut terrendo compelleret. Ad idem Nicolaus Papa in 2. epiſtola, quam ſcribit Michaeli Imperatori, quæ fuit lecta in 4. actione Concilij Calcedonenſis, vt refert Cardinalis de Turrecrem. licèt illam non repererim in dicta 4. actione inſertam. Qui inquit. Quod verò ſtrenuum virum Ignatium Patriarcham veſtro ſpeciali depoſuiſtis arbitrio, & Photium de laicali agmine vobis improuidè in eius loco ſurrogaſtis Epiſcopum, æquanimiter ferre non poſſumus, maximè cùm horum duorum negocium inueſtigari, & nobis renuntiari, non definire mandauerimus. Vnde apparet, quod tantùm de cauſis fidei debet concilium ſe intromittere, & non de alijs, niſi ſit per Papam ei ſpecialiter conceſſum. Item reſpectu laicorum facit, quod non eſt maior auctoritas concilij, quàm Papæ, immò exceptis aliquibus caſibus eſt inferior, vt in cap. ſignificaſti de elect. 4. diſt. cap. in iſtis 35. quæſt. 9. cap. veniam, & dicetur in ſua quæ-
10 ſtione propria. Sed Papa extra terras Eccleſiæ non iudicat de cauſis merè ſæcularibus inter laicos niſi in certis cauſis, vt cap. licèt ex ſuſcepto, & capit. fin. de foro comp. & in c. nouit de iudic. & in c. cum ſit generale de foro comp. qui filij ſint legi c. tanta, & cap. lator, ergò multò minùs generale Concilium. Item facit ratio, quia
11 ſi generale Concilium poſſet audire omnes cauſas, duraret perpetuò, quia ſemper ſunt litigantes, nec cauſæ in breui tempore inſtrui, nec conſequenter expediri poſſunt l. properandum cum materia C. de iudic. non enim ante debet recedere quis à Concilio, quàm ſint expeditæ cauſæ, propter quas congregatum eſt concilium, vt in cap. certum 11. quæſt. 3. & tamen ſi debet per conſtitutionem frequens de decennio in decennium teneri concilium, oportet abſolui concilium in breui, ſaltem vt infra dictum tempus decennij ſit aliquanta vacatio, & intermiſſio, ſicut vidimus in Concilio Conſtantien. quod durauit annis tribus, ab anno 1414. vſque ad annum 1417. Item facit quia iudicare de vniuerſis cauſis eſt proprium ſedis Apoſtolicæ 9. quæſt. 3. Epiſcopus, & in cap. cuncta per mundum, & in cap. per principalem ead. cauſa, & quæſt. Sed ſi concilium hoc faceret, eſſet ponere diuiſionem inter Papam, & concilium, & eſſent duo ſuprema tribunalia, & Concilium exercendo reſeruata Papæ, cauſaret ſchiſma, contra text. in c. in apibus 7. q. 1. Facit quod dicit Bald. de Regno in authen. hoc amplius. C. de fideicom. in verſ. quæro, an filij, & in l. penult. C. de condi. in ſer. & in l. ſi viua matre C. de bonis maternis. Item generalia
12 concilia ſummunt auctoritatem à Papa, vt 17. diſt. per totum, & cap. ſignificaſti de elect. ergo tantum, & tantam auctoritatem habent, quantum, & quanta demandatur à Papa. Facit, quod legitur de Leone Papa, qui tantùm approbauit geſta Concilij Chalcedon. in concernentibus fidem, vt in fine ipſius concilij apparet, vbi approbantur geſta concilij, præterquam quoad priuilegia per Conſtantinopolitanam Eccleſiam vſurpata. Item patet ab exemplo ex geſtis Concilij Baſileen. quia multa, quæ facta reperiuntur contra voluntatem Papæ, propter contradictionem Eugenij nullam vim habuerunt, niſi quantum poſtea per eum, & ſucceſſores fuerunt expreſsè approbata. Vnde tantam vim, & iuriſdictionem recipit Concilium, quanta tribuitur à Papa. Et licèt aliqua in eodem Concilio Baſilien. geſta receperit regnum Franciæ in ſua pragmatica, id facit potiùs de facto, quàm de iure, & inde eſt quod numquã Papa pro tempore in conceſſionibus quarumcumque gratiarum aliquid vult concedere, per quod videatur approbari illa pragmatica. Quapropter vt exiſtimo deberent magis aduertere quot modo ſoli inter Chriſtianos contradicant ſedi

ſedi

sedi Apostolicæ, ne incidant in laqueum, cap. denique, & quod ibi Archi. dicit 7. quæst. 1. Propter quod dicit etiam Cardin. de Turrecrem. in 3. lib. in cap. 40. in tract. de potest. Papæ, in fin. illius cap. quod omnia, aut sunt falsa, aut fuerunt irrita, quæ gesta fuerunt in dicto Concilio Basilien. Item pro hoc facit, quod dicit glossa 1. in cap. de Apostolicæ de re iudic. in 6. quod
13 concilium in actu iurisdictionis, siue exercitio non est Iudex cum Papa, sed Consultor. Et idem videtur sentire Innoc. in dict. cap. graue de præben. vbi dicit quod Episcopi in Concilio non sunt Iudices, sed Assessores. Facit quod dicitur in capit. si Episcopus 11. quæst. 3. & in cap. placuit 2. quæst. 7. Sic ergo videtur quod Concilium non habeat vniuersalem iurisdictionem cognoscendi de omnibus causis, stante in Sede Apostolica vero, & indubitato Pontifice, sed tantùm possit se intromittere de ijs, ad quorum determinationem, & definitionem extitit congregatum de voluntate Papæ. Et istam opinionem ponit, & sequitur Cardinal. de Turrecrem. in dicto tractat. de potest. Papæ in tertio lib. capitulo 38.

Pro huius quæstionis decisione, duxi priùs referre quædam dicti Ægidij de Bellamera in proposito ferè ad verbum, quia pauci illa habent, & sunt pulchra in ista materia aliquibus additis. Vndè cum quæritur, vtrùm pœnes Concilium genera-
14 le sit clauis iurisdictionis præsertim Papa viuente, & præsidente, Ægidijs consilio 99. in 16. quæst. dicit, quod si sumas Concilium seorsum à Papa, & seclusa causa hæresis in Papa, clauis iurisdictionis non est penès Concilium, nisi inquantum Archiepiscopi, & Episcopi sibi iurisdictiones, & territoria inuicem communicarent, quia non faciunt aliquod Corpus iuris, nec tamquam facientes tale Corpus aliquam iurisdictionem acquirunt, & præsertim in Papam, excepto casu hæresis, vt in cap. si Papa 40. dist. & in cap. nemo. 11. quæst. 3. Immò Papa dat authoritatem Concilijs, vt in cap. significasti de elect. 17. dist. per totum, & propterea Beatus Thom. in secunda secundæ, quæst. 11. art. 2. in solutione vltim. argum. dicit, quod authoritas vniuersalis Ecclesiæ residet in Romano Pontifice principaliter. Et idem Thom. in 4. sentent, distinct. 20. artic. 4, quæst. 3. in cor. artic. dicit, quod Papa habet plenitudinem potestatis sicut Rex in Regno, sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, tamquàm iudices singulis ciuitatibus præpositi, & eo. lib. dist. 18. quæst. 2. artic. 2. quæstiuncula prima ad primum argum. dicit, quod Deus contulit Petro clauem ordinis, & iurisdictionis, & ab eo in alios descendit, qui vtramque habent. Vndè Matth. 16. leguntur claues promissæ Petro, & eidem Ioann. vlt. exhibitæ, ergo dum Papa præest Concilio, ipse est ille, qui habet plenitudinem potestatis. Confirmatur. Certum est Christum Dei vnigenitum, Regem Regum, & Dominum Dominantium fuisse vnicum totius orbis caput, & Dominum, qui vnicum reliquit Vicarium, videlicet Petrum, inter beatos enim Apostolos fuit discretio potestatis, & licèt omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino concessum est, & ipsi inter se voluerunt idipsum, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & principatum teneret Apostolatus; qui etiam eamdem formam suis successoribus, & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt, dicit tex. in cap. sacrosancta, dist. 22. Ex quo patet Petrum, & eius successores esse, caput totius Christianitatis, & Ecclesiæ vniuersalis, vel saltem Vicarium capitis, scilicet Christi. Igitur clauis iurisdictionis, & superioritatis totius orbis est pœnes Papam, & non in Concilio, tamquàm à Papa separato, licèt non possit dici Concilium generale, in quo non præsidet summus Pontifex, vel alius loco ipsius, vt supra dictum est, pro his etiam faciunt omnia illa iura quæ habent potestatem
15 Summi Pontificis non fuisse ab homine, sed à Deo, de translat. Prælato. cap. penult. & vlt. dist. 21. quamuis, dist. 27. omnes. Item pro hoc facit, quod dicitur in cap. nouit de iudi. Et patet, per ista verba pasce oues meas prolata per Christum, quæ soli Petro dicta fuerunt tamquàm capiti, & pastori, vt patet Ioann. vlt. de elect. significasti, §. 1. de maior. & obed. solitæ, §. nobis olim, & in Petro successoribus, vt ibi, & notatur, dist. 16. quæcumque ligaueris, 24. quæst. prima, cap. quodcumque, & plenè probat text. in dicto cap. solitæ, §. nos autem, ibi nobis enim in Beato Petro commissæ sunt oues, & iterùm in dicto §. ibi, quod Dominus dixit ad Petrum, & in Petro dixit ad successores ipsius quodcumque ligaueris, &c. Idem dicit Innoc. IV. sacro approbante Concilio in cap. ad Apostolicæ de re iudi. in 6. in §. nos itaque, ibi cùm Iesu Christi vices teneamus in terris, nobisque in Beati Petri persona sit dictum, quodcumque ligaueris, &c. Ad idem est Clem. Pastoralis in §. nos tàm eod. tit. Et per hoc dicit Ægid. concludendum, quod per prædicta verba, videlicet pasce
16 oues meas, in Petrum sunt translatæ claues, aliàs si diceremus eas esse æqualiter penes alium, quomodo essent penes Petrum. Immò sequeretur Christum non reliquisse vnicum Vicarium, sed plures, & per consequens non vnum caput sed plura, quod esset monstruosum, de offic. ordi. quoniam, C. de posthum. hæredibus instit. l. 3. & esset contra cap. quodcumque 24. quæst. 1. & omnia iura tàm diuina, quàm humana ponentia vnitatem capitis. Clauis autem
17 iurisdictionis, seu eius effectus consistit in discernendo, & definiendo, in discernendo videlicèt inter lepram, & lepram, sanguinem, & sanguinem, per quæ denotantur Crimina vtriusque fori, singula singulis referendo, inter causam, & causam, quod forum vtrumque concernit, vt videatur quid iuris, vt in capitulo per venerabilem, §. penultimo, qui filij sint legitimi, & est cognitio veritatis iustitiæ partem tangentis. Igitur ista clauis non est penès Concilium generale, aliàs oporteret dicere, quod non esset penès Pontificem, quod dicere esset hæreticum, cùm illa verba pasce oues meas

dicta

dicta fuerint in singulari, & similiter illa quodcumque ligaueris, &c. Et ideò dato quod Apostoli parem acceperint potestatem, non tamen potest negari, quin Beatus Petrus illam principaliter receperit, de quo latiùs dicemus in illo articulo de superioritate Papæ ad Concilium, ad quod notata per Innocen. in capit. quod super his de voto, & de foro compe. licèt ex suscepto, & in extrauaganti vnam sanctam. Item facit, quod dicitur in cap. in nouo. 21. dist. per Archi. vbi licèt aliàs disputetur, an Apostoli fuerint Episcopi, tamen certum est, quod fuerunt presbyteri secundùm communem opinionem per illa verba, hæc quotiescumque feceritis, &c. quæ sunt in Canone missæ, vt notatur de consecr. dist. 2. cap. in Christo semel, & per Archi. 75. dist. in cap. quod die. Episcopi autem successerunt loco Apostolorum, dist. 21. in nouo, & in cap. Ecclesiæ, dist. 35. Vndè licèt
18 quoad ordinem Beatus Paulus, & alij Apostoli fuerint æquales Beato Petro, non tamen quo ad iurisdictionem, nec quo ad plenitudinem administrationis, cap. Beati Petrus, 2. quæst. 7. notat gloss. in dicto capit. in nouo. dist. 21. & ibi Archi. post Lau. Igitur sicut Apostoli fuerunt subiecti Beato Petro tamquàm capiti, non autem æquales in iurisdictione, ita Concilium est Papa, inferius, in cap. significasti de elect. Præsidentes autem in Concilio non possunt dici maiores Apostolis. Igitur cùm clauis iurisdictionis debeat esse in maiori, & in capite, non poterit dici, quod sit in Concilio generali, vt à Papa separato, in quo sunt Episcopi, qui sine Papa repræsentant Apostolos sine Petro, qui erat caput. Cùm ergo Concilium non sit caput, iurisdictio nulla potest esse in Concilio, sed in Papa tantùm, qui est caput. Facit in proposito, quod dicitur, quod Beatus Petrus, ante passionem fuit vnà cum alijs Apostolis creatus Apostolus, vt in dicto cap. in nouo, post passionem autem, & resurrectionem fuit creatus pastor per illa verba pasce oues
19 meas, &c. de elect. significasti. Et sic debet intelligi dist. 50. cap. considerandum, & cap. fidelior. Quod patet, quia in authoritatibus adductis in dicto cap. in nouo 21. dist. vtebatur verbis futuri temporis, scilicèt dabo tibi, &c. & post passionem, dicit pasce, &c. Et hæc verba pasce, &c. fuerunt dicta Beato Petro, non autem alijs Apostolis, quia dixisset, pascite in plurali. Per illa autem verba dedit ei claues, vt in dicto cap. significasti de elect. & in cap. solitæ, §. nobis de maio. & obed. Et per illa verba non recepit ordinem, quia iam fuerat ordinatus cum alijs Apostolis pari consortio in cœnæ Domini antè passionem, vt dictum est. Ergo clarè patet clauem iurisdictionis sic translatam in Petrum, & de Petro in successores, quod non in Apostolos, & sic successores idest Episcopos, & consequenter nec in Concilium generale. Ad idem facit, quod Christus antè resurrectionem elegit Petrum Apostolorum principem, sed distulit confirmationem vsque post resurrectionem, vt discipuli, quibus præesse debuit, præberent assensum in typum electionis faciendæ, vt dicit Archi. in dicto cap. in nouo cùm nullis inuitis detur Episcopatus, argu. cap. nullus dist. 61. Sic ergo, aut ista clauis iurisdictionis fuerat à Christo translata in Petrum, & sumus in claro, aut volumus dicere, quod non, quod esset nefas dicere, & tunc habebit eam ex electione Apostolorum, argu. cap. cùm ab Ecclesiarum de offic. ordi. per Innoc. & per eundem in cap. cum satis de offic. Archidiac. Vndè dato, quod clauis iurisdictionis fuisset penès Apostolos, aliquo tempore, tamen electo Beato Petro in principem per alios Apostolos, dicta clauis, quæ tunc fuit in ipsum translata non potuit remanere penès Apostolos, sicut in simili dicitur in §. sed quod principi insti. de iure natu. gen. & ciuili, & in l. 2. §. nouissimè, & §. post originem, ff. de origi. iuris. Item vlteriùs facit, quod vnum est, caput nostrum Christus, vna fides, vnum baptisma de excess. Præla. frequens, §. fin. in Cle. & sic Christi Vicarius vnus, est caput in terris, tam temporalium, quàm spiritualium, quia Christi, cuius est Vicarius, est terra, & plenitudo eius, de decim. cap. tua, & omnia commisit Beato Petro, aliàs non dimisisset Vicarium perfectum, qui tamen opus imperfectum non nouit de Baptis. cap. maiores §. sed adhuc. Igitur istam clauem concessit Beato Petro, & successoribus eius, & non Concilio. Ipse enim Beatus Petrus princeps Apostolorum à Domino constitutus est, vt ab ipso velut à quodam capite in membra dona Dei diffunderentur, & velut à fonte in riuos spiritualis vigor descenderet, dist. 19. cap. ita Dominus. Si igitur iurisdictio ab eo, vt vero capite, & successoribus eius deriuatur, necesse est, concludere in eo clauem existere iurisdictionis, & successoribus eius, aliàs ab eo in alios deriuari non posset argu. 1. quæst. 7. Daibertum, & de iu-
20 repatronatus, quod autem, cum simil. Sed clarum est, quod Romanus Pontifex, aliorum tàm Episcoporum, quàm quorumcunque aliorum Ecclesiasticorum iurisdictionem, & potestatem restringit, & ampliat, quam restrictionem facere potest ex eo, quod minores Prælati omnes potestatem habent ab eo, & ipse à solo Deo 11. distin. quamuis. Et hoc potest ratione principatus, & iurisdictionis, quam habet super omnes, vt per Innoc. in cap. cùm ex eo. de pœni. & remis. & Hostiens. & Ioan. Andr. ibi. Et hoc etiam tenuit Guliel. de Mon. in sacramentali, in tit. de claue ordinis, dicens quod clauem iurisdictionis solus, & insolidum, & immediatè, & plenissimè Petrus à Deo habuit, & eius successores Apostolici, cæteri verò Apostoli, & Prælati mediatè, & particulariter siuè descensiuè à Petro, 21. dist. in nouo. dist. 19. ita dominus, & 24. qu. 1. loquitur. Idem etiam tenet in tit. de claue iurisdictionis, in vers. nono quis habet, dicens, quod claues habet Christus, 11. quæst. 3 nemo, el primo, & tota Trinitas, quia inseparabilia sunt eius opera ad extra, de consecrat. dist. 4. cap. fin. Et consequenter solus Papa diuina, & ordinaria Christi institutione, dicto cap. loquitur, & cap. ita dominus. Ipse enim solus Papa habet plenitudi-

nitudinem potestatis, vt in cap. ad honorem, de autho. & vsu pallij. Sed ipse posteà committit cuilibet partem suam certam, videlicet Episcopis, & alijs secundùm, quod in corpore Ecclesiæ multa sunt membra. 86. dist. in singulis, in quæ ab ipso tamquàm à capite ordinaria iurisdictio deriuatur, vt dicto cap. ita dominus. Ex quibus patet, quod clauis iurisdictionis non potest esse penes Concilium. Nec obstat si dicatur
21 quod illa verba quodcumque ligaueris super terram, &c. de quibus Matt. 16. dicta fuerint à Christo Petro, & alijs Apostolis, qui pari consortio potestatem acceperunt cum Petro, vt in cap. in nouo. 21. dist. & in cap. loquitur, 14. quæst. 1. Et ex quo Episcopi successerunt loco Apostolorum, vt dicto cap. in nouo, & 35. dist. Ecclesiæ, & de sacra vnctione, cap. vnico, §. penult. & Concilium non est aliud, quàm quædam congregatio generalis Episcoporum, & superiorum, & inferiorum Prælatorum in vnum congregatorum, si Apostoli, & consequenter Episcopi, parem potestatem acceperunt cum Petro, & consequenter cum Papa, videtur, quod similiter clauis iurisdictionis sit penès Concilium generale, in quo sunt Episcopi qui in parte constituunt generale Concilium, quod non est aliud, quàm quoddam corpus imaginarium, quod comprehendit omnia sua membra, ff. de fideiuss. l. mortuo. de reg. iur. l. hæreditas, cap. Romana, §. in vniuersitatem, de sentent. excom. in 6. & de rescrip. cap. eam te. Quia respondetur, quod cæteri Apostoli pari consortio
22 potestatem acceperunt quo ad clauem ordinis, non quo ad clauem iurisdictionis, & ita dicit glos. & Arch. & communiter Doct. in dicto cap. in nouo, & 24. quæst. 1. quodcumque, & 2. quæst. 7. cap. puto, & Guliel. de claue iurisdictionis, in prin. Nam etiam sacerdotes potestatem ligandi, & soluendi habent ratione ordinis, si aliàs habent debitam materiam, vt in cap. 1. de summa
23 Trinit. qui successerunt loco lxxij. discipulorum ab Apostolis electorum, vt dicto cap. in nouo, in fine. Et ista clauis ordinis propriè concernit forum conscientiæ inter Deum, & hominem, & principaliter collata est Petro per illa verba quodcumque ligaueris, & cap. 24. quæst. 2. capit. legatur.
24 Quinimò licèt per clauem iurisdictionis Romanus Pontifex non posset, tam Episcopis, quàm presbyteris auferre clauem ordinis, potest tamen exercitium suspendere materiamque subtrahere, vt ea non vtantur, non tamen propter defectum clauis, sed propter defectum debitæ materiæ in quam valeant ipsam exercere, de ord. ab Episcopo, qui renun. Episc. cap. 1. cum ibi notatis, de renunc. ad supplicationem, & per no. per Innocen. in cap. 1. de schismat. & per Gui. in tit. de charactere, cum similibus in Sacramentali, & per Modernos in Clementina in plerisque, de electione. Et pro definitione si dubium inter lepram, & leprā causā, & causam, sanguinem, & sanguinem fuerit exortum, ad sedem Apostolicam, in qua clauis iurisdictionis existit debet haberi recursus, cuius sententiam, qui superbiens contempserit obseruare, mori præcipitur, vt in capitulo per venerabilem, §. finali, qui filij sint legit. Facit, quod ponit Beatus Thom. in 4. senten. dist. 18. Vndè in proposito Concilium, vt certum corpus separatum à Papa, vel saltem in eodem Concilio præsidente, etsi haberet clauem ordinis, non tamen materiam, in quam illam exerceat, nisi inquantum Prælatis est per Papam
25 concessa. Quod intellige non de potestate conficiendi, quæ concernit Corpus Christi verùm. Sed loquor quo ad subditos in quos est clauis huiusmodi exercenda, quos habent Prælati, qui sunt ex Concilio ex concessione Papæ, & clauis iurisdictionis omninò à Papa, vt capite est in alios quoscumque Ecclesiasticam potestatem habentes deriuata, ergo nec clauis iurisdictionis est penès Concilium nec exercitium clauis ordinis quo ad materiam, nisi inquantum est à Papa, eis materia concessa. Ita dicit Ægidius in dicto Consilio nonagesimo-nono.
26 Nec etiam obstat quod scribit August. super Ioan. videlicet quod quando Ecclesia excommunicat, ligatur excommunicatus in cœlo, & cùm reconciliat Ecclesia, & in cœlo soluitur reconciliatus, si ergo hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiā sanctam significauit. Verba sunt tex. 24. quæst. 1. cap. quodcumque. Ex quibus probabiliter videtur argui quod claues fuerunt datæ Ecclesiæ, & quod ipsa Ecclesia sancta ligat, & soluit, Cum autem Ecclesia sit vna & indiuisibilis 24. q. 1. cap. loquitur, quæ est Domini inconsutilis tunica desuper contexta, vt in cap. quoniam vetus ea. cau. & quæst. vnica, quæ columba scribitur in canticis, vt in extrauag. Bonifacij 8. I. vnam Sanctam in princip. & 24. q. 1. dist. cap. loquitur, qui est tex. notabilis in proposito, videtur, quod in Concilio generali per quod repræsentatur Ecclesia sit clauis iurisdictionis etiam seorsum à Papa immo, & authoritate Conciliorum videtur Sedes Apostolica supremam habere potestatem 17. dist. §. hinc etiam, ibi deinde Conciliorum venerandorum authoritas singularem in Ecclesia tradidit potestatem Quia respondetur concedendo quod quando Papa excommunicat, Ecclesia ligat, quando facit claue non errante, nam Ecclesia militans potiùs declarat talem ligatum, vel absolutum penes Ecclesiam triumphantem, de sententia excomm. à nobis secundò, cùm enim sit spiritualis potestas, qua ecclesiasticus Iudex dignos recipere, & indignos excludere debet à regno, vt scribitur in extrauaganti Ioan. 22. quæ incipit. quia quorumdam, & per Guliel. in tit. de claue ordinis post predic. Papa excommunicando reputat illum indignum, & eodem modo reputatur apud Ecclesiam triumphantem, & censetur à regno exclusus, Faciunt, quæ dicuntur in cap. fundamenta in princ. de elect. in 6. & in dict. cap. quodcumque, Arch. intelligit per Ecclesiam authoritatem Vnde cùm ille iam ante ligatus esset apud Ecclesiam triumphantem circa illum nihil operatur clauis, cùm iam ante ligatus esset 1. quæst. 1. vt euidenter notatur 20. dist.

§. 2.

§. 2. & per gloss. in dist. cap. quodcumque Et quem Ecclesia militans absoluit, penes triumphantem ita esse declarat, non enim presbyter aut Papa dimittit peccata sed Christus, de pœnit. dist. 1. cap. verbum & de conscera. dist. 4. nemo, & hoc expressè dicit tex. in dict. cap. quodcumque,
27 24.qu. 1.nunc ergo quod Petrus Ecclesiam signi ficauit, quando fuerunt ei dicta illa verba à Saluatore nostro, quodcumque ligaueris &c. fuit vt vnitas denotaretur. Et pro hoc facit extrauagans Bonifacij VIII. vnam sanctam, & exponit Archi. ibi verbum significauit, idest sub signo, & nomine Ecclesiæ recepit. Non tamen loquitur ibi de claue iurisdictionis, quia illa fuit principaliter in Petro, & successoribus vt in capite,& principe Et si dicatur quia fuit in Petro, & est,ac fuit in successoribus, bene est in Ecclesia, tanquam Christi Vicarius sit in Ecclesia, & Ecclesia sit in ipso, cui est matrimonialiter copulata, septima, quæst. 1. cap. scire, de testa, requisisti §. si verò, non ex hoc sequitur clauem iuris-
28 dictionis esse in Ecclesia& in Papa separatim cum ibi non sit separatio sed vnitas 34.quæst. 1. cap. loquitur, de summa Trin. capit. 1. §. vna, sed est penes Roman.Pontificem Ecclesiæ sanctæ caput,seuVicarium IesuChristi capitis,immò intantum est clauis iurisdictionis in Papa, quod animæ sunt ei subiectæ, vt notat Inno. de sacra non iteran. cap. 1. in princ. Nec est verùm
29 quod Papa habeat potestatem à Concilio quia habuit à Deo immediatè, vt supra sæpiùs dictum est. Nec obstat §. hinc etiam supra in contrarium adductus, quia Beatus Petrus habuerat ante, & principaliter iurisdictionem à Deo, vt dicit ibi gloss. in verbo iussione,vel exponitur ibi tradidit id est traditā esse ostendit secundùm Ioan.de Fan.& Arch. ibi &Arc. post Ioan.de Fantu. in cap. in nouo gloss. in 21. dist. Et propterea Henricus Boich. in cap. tanta de
30 excess. Præl. dicit quod clauis non est aliud, quàm authoritas siue potestas pascendi, regendi, & disponendi gregem Domini diuersimodè, quæ primò fuit promissa, vt ibi tibi dabo claues, secundò fuit data, & tradita, vt ibi, pasce oues meas. Tertiò fuit realis executio demandata, vt ibi, accipite Spiritum sanctum euntes in vniuersum orbem &c. prout ista deducuntur perCompostel.& alios Doctores in cap. translato. de consti. Et in huiusmodi clauibus collattis Petro à Christo notatur scientia, & potestas, dicitur in summa 20. dist. §. 2. Et huius promissio, & datio fuit directa Petro, & in persona eius successoribus ipsius, & ita vniuersali Ecclesiæ. Nam Christus dixit vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, & tamen bene sciebat Christus, quod Petrus non duraret in carne vsque ad finem seculi Data est igitur hæc potestas Petro vni primo, vt capiti Ecclesiæ, & vt vnitas denotaretur prout ista patent. 24. quæst. 1. loquitur, cum simil. Et de ista materia vide quæ dico infra in illo articulo, vtrùm sede vacante possit Concilium exercere reseruata Papę, & in alio, vtrùm sede vacante possit creare Cardinales, & in illo quæ sententia debeat præualere, Papæ an
31 Concilij, & latiùs in illo, quis sit maior, Papa, an Concilium. Et ideo dicit Guliel. in suo sacramentali quod clauis est apud Trinitatem authoritatiuè, & essentialiter apud Christum ex merito passionis eius,
32 & apud Papam actualiter seu instrumentaliter. Et aliqui dubitant vtrùm. sit vna, vt ibi tanta est clauis Petri dist. cap. tanta de excess. præ. vel plures, vt ibi tibi dabo claues &c.Vnde dicitur quod est vna essentialiter,sed plures effectualiter. Sicut, & in simili dubitatur in l. tertia §. ex contrario ff. de acquir. poss. vtrum sit vnum vel plura dominia. De quo etiam in l. prima & secunda, ff. si ager vectig. & in l. Domini prædiorum C. de fundis Patri lib. 11. & in l. licèt C. de acquirenda possess. Alij dicunt,quod sunt duæ, videlicèt vna potestatis, alia discretionis. De quo vide per Henricum in dicto capitulo tanta, & Guliel. in suo sacramentali. Et hoc ponit Hugo super illud Matth. 16. dum dicit per claues designari potentiam & scientiam, & idem Ioan. 20. & ibi etiam idem gloss. interlinearis. Et vide latè Doc. in dict.ca. tanta, & 24. quæst.prima cap. manet. & bonam gloss. in verbo claues 22. distin. §. secundo, & Innoc. in c. quanto de consue. Et vide sanctum Thom. in quarto senten. dist. 18. quæst. 1. art. 1. & dist. 19. q. 1. arti. secundo & Dom. in cap. vt constitueretur 51. dist. & Ant. in c. 1. §. vna versic. nota ex litera, de sum.Tri. & Doct. in cap. nouaquædam,de pæn.& remiss.Et dictis locis comperies quod aliqui dicunt plures esse claues. quarum altera est scientia discernendi inter peccata seu inter lepram & lepram, alia ligandi & soluendi, vt 20. distinct. §. secundo & de pæni. & remiss. cap. noua, ibi claues in plurali, & de summa trin. in cap. firmiter §.vna verò. Et secundum hoc vnus haberet vnam clauem sine altera, videlicèt scientiam sine potestate, vel potestatem sine scientia. Item alij dicunt,quod vna est clauis spiritualium, alia temporalium, per cap. per venerabilem §.pe. qui filij sint legit Alij quod vna est clauis examinandi definiendi, & censuras decernendi, alia confessionem audiendi, & reconciliandi. de quo per Host. in sum. ti. de pœn. & rē, & hoc in parte prosequitur Io. 22. in extraua. quia.
33 quorundam. Alij & mortè veriùs dicunt quod est vna clauis, & per hoc ille tex. in cap. tanta est clauis. Et licèt postea dicat claues, intelligitur dici propter diuersos effectus,scilicèt claudēdi& aperiēdi.Et hæc est clauis ligandi, & soluendi, & sic claudit ostium regni cœlestis indigno, non tamen errando, & aperit digno. Alius ef-
34 fectus est super hoc discernere, & discutere, quod est scientiæ,quæ non sufficeret sine potestate. vt dict. §. 2. 20. distinct. & tenet Guliel. de Monte Laudu. in tit. de claue iurisditionis. Et sic cùm quis possit habere clauem sine scientia, & scientiam sine claue, clare patet, scientiam discernendi non esse, clauem quia non sufficit scientia ad definiendum sine claue, vt di.

§. 2.

§. 2. 20. distinct. Ex quo patet, quod ad Doctores, vel Magistros alicuius studij, vel vniuercitatis non pertinet declarare Papam schismaticum, vel hæreticum, quia licèt habeant scientiam, non tamen habent clauem. Scientia igitur non est clauis, sed bene dirigit habentem clauem vt discretè vtatur claue. Vnde sicut in clauigero clauis materialis requiritur discretio ostium claudendi, & aperiendi, sic scientia est opportuna ad dirigendum clauigerum clauis spiritualis, quia qui bene discernit inter lepram, & lepram, bene ligat, & bene soluit. Et quod sit clauis sine scientia, patet, quia in ordinatione est clauis ordinis, vt in dict. cap. firmiter. §. vna, de summa Trin. & clauis iurisdictionis in confirmatione, vel aliàs in canonica promotione de elect. capit. nosti. & cap. transmissam, & cap. dudum el secundo §. tandem. Et per hanc confirmationem electionem, vel aliam promotionem, vel ordinis collationem non confertur scientia, vt de æta. & quali. cum sit 39. dist. capit. Petrus, de renun. cap. nisi §. pro defectu.

35 Non enim acquiritur scientia, nisi cum labore, in authen. de quæstore. §. hæc omnia de ædil. edic. l. precipiunt 16. quæst. prima cap. sic viue. Et ex his patet quod

36 sit vna clauis, & sic quod non obstat quod dicitur, quod vna clauis potest esse penès Papam, alia penès Concilium, sicut penès eumdem possunt esse diuersæ iurisdictiones diuersis respectibus, vt patet in Episcopo,

37 qui habet ordinariam, & delegatam in negotio hæresis, vt in cap. ad abolendam, §. penult. de hær. & aliquando eadem persona potest duplici iurisdictione vti, vt in capit. cùm ex officij, de præscript. & ibi Doct. Ergo multò fortiùs diuersæ claues possunt esse penès diuersos. Nàm vbi duo iura concurrunt in eadem persona, idem est, ac si concurrerent in diuersis personis, leg. cùm quidam, C. de administr. tutorum, notatur in leg. rescriptum, §. fin. & in leg. si plures, ff. de pact. facit, quod dicitur in cap. à collatione, de appell. in 6. vt separatorum separata sit ratio, argum. leg. in commodato, §. penult. ff. commodati; sicut etiam vna iurisdictio potest esse penès vnum, & alia ordinaria penès alium, vt in cap. sanè il 2. de offic. delegat.

Sed tamen adhùc idem videtur dicendum etiamsi sit vna iurisdictio clauis. Nàm eadem ordinaria iurisdictio potest esse penès diuersos, ff. de offic. Consul. leg.

38 vna, quia iura incorporalia possunt esse penès diuersos insolidum, leg. loci corpus, §. competit, ff. si seruitus vendicetur, leg. 1. §. fin. & leg. eadem, §. Cato, & leg. stipulationes non diuiduntur, ff. de verbor. obligat. non mirum igitur, si iurisdictio, quæ est quid incorporale. Facit, quod dicit Innoc. in cap. cùm nostris, de concess. præb. Vndè non mirùm si ista iurisdictio sit penès Papam, & Concilium, & sic penès duos insolidum. Item quandoque in diuersis personis permanent duæ iurisdictiones, vna maior, altera minor, vt patet in delegata, & ordinaria dict. cap. sanè, & quandoque etiam æquales, vt patet in ordinarijs, & inquisitoribus in negotio hæresis procedentibus, vt in cap. vt officium, & cap. per hoc de hæret. in sexto: Et eadem iurisdictio æqualis est penès diuersos, vt patet in diuersis delegatis de off. delegat. prudentiam §. primo, & eod. tit. cap. cùm plures in sexto, & in l. prima §. si plures ff. de exerc. & ibi per Bar. Vnde videtur quod siue sint duæ claues, vna superior, alia inferior, vel ambę omninò æquales, siue sit vna non videtur absurdum dicere vnam penès Papam, & aliam penès Concilium æqualem, vel minorem, superiorem, aut inferiorem, aut eamdem esse penès vtrumque, vi-

39 delicèt Papam, & Concilium. Sed ad hoc respondetur quod præmissa non habent locum in claue supremę iurisdictionis, quia suprema iurisdictio est penès vnum solum, & vnicum caput; clauis enim iurisdictionis supremæ data fuit à Deo in Petro etiam successoribus, vt dictum est, tamquam Vicarijs Iesu Christi, ideò Romanus Ponti-

40 fex non est Beati Petri Vicarius, sed successor, & Christi Vicarius, de iureiuran. cle. Romani, in princi. Et licèt alibi nominetur Vicarius Petri, vt 63. dist. ego Ludouicus 1. q. 1. cap. non quales, & prima qu. 7. cap. quotiens illud est ex impropria loquutione, vel expone, id est Vicariam gerens, quam gessit Beatus Petrus, quia

41 Vicarius non dat Vicarium, vt in Capitulo Cleros, de off. Vicarij, & ita dicit glos. in dicta clem. Romani super verbo Vicarii. Sed quid dicendum quando Papa est lapsus

42 in hæresim damnatam, & est pertinax, quia tunc desinit esse Vicarius Christi, ex quo est hæreticus, & incorrigibilis, vt dicitur in capitulo in fidei, de hære. in sexto, & in d. cap. si Papa 40. distin. penès quem erit tunc clauis iurisdictionis, an forsan penès Concilium, quod agit ad depositionem Papæ, Ægid. in d. consil. 99. dicit quod erit apud Concilium ex ordinatione prædecessorum Concilio assistente, & quod nō videtur hoc absonum, quod attenta sanctitate Patrum maximè in primitiua Ecclesia Dei, interposita ordinatione hoc fuerit factum, ad hoc adducit. cap. Canones, & cap. sicut cum multis simil. 15. dist. & cap. si ille 50. dist. & cap. cùm Marthæ de celebr. missarum. Sic enim prædecessor in casu hæresis damnat successorem, & successor etiā in casu hæresis est iudex prędecessoris, vt in cap. Achatius, & cap. maiores 24. quæst. 1. pro hoc est quod notat Archid. in cap. Anastasius dist. 19. nam visum est in ijs, quæ sunt fidei, potiùs Concilio, quàm vni personæ se committere. Et sic videtur, hæc potestas descendisse à potestate Vicariatus Petri, quod Concilium in casu hæresis reprehendat, & damnet Papam, & sic non immediatè a Deo, sicut est clauis Petri. Et hoc videtur etiam de mente iurium, & gl. videlicèt tex. in d. cap. si Papa, & in §. hinc etiam 17. dist. & cap. nunc autem 21. dist. et in cap. significasti, & ibi remissiuè per Ioa: Andr. de elect. Et sic videtur

43 quod clauis iurisdictionis propriè sit apud Papam, & non apud Concilium, nisi in casu hæresis. & tunc permissiuè. Et ex his videtur, quod non possit Concil. se intromit-

tere de aliquibus alijs causis ab hæresi, nisi inquantum esset ei à Papa data auctoritas. Et hoc tenet Ægi. in clem. dudum in 4. not. de sepul. & videtur esse mens glo. & Innoc. in capit. ex gestis de cler. non resi. Ad præmissa vide omninò quod latè dicitur infrà in illo articulo, vter sit maior, Papa, an
44 Concilium. Nunc ad principalem quæstionem Gundisal. Episcopi Gaddicen. in quodam suo paruo tractatu, præsupponendo primò plenitudinem potestatis esse in Ecclesia vniuersali vt in quodam principali fundamento, & consequenter in Concilio, sequendo opinionem Card. Zabarellæ in repe. cap. licet de elect. quam dicit tenere Theologos, maximè Alex. de Ales in 4. senten. & Aug. de Ancona in tractat. de potestate Ecclesiæ, & Franciscum de Maiorone in 4. senten. dist. 20. finaliter remanet dubius, dicens, quod aut Papa congregat Concilium, & præest Concilio, & tunc ipse solus habet iurisdictionem ordinariã, & Prælati in Concilio sunt assessores, sed cùm mortuo Papa, vel deiecto, vel contra Papam hæreticum, vel propter schisma Concilium est congregatum, tunc Concilium dicitur habere iurisdictionem ordinariam, primò quia non est ibi principalis præsidens, secundò quia istis casibus videtur esse plena potestas penès Concilium. Dicit tamen, quod quamdiù Papa præest Concilio etiam congregato contra eum in causa hæresis, vel schismatis, antequam sit declaratus, Concilium dicitur habere iurisdictionem delegatam quantum ad illam causam, si autem ponimus Papam depositum, Concilium dicitur habere ordinariam Et sic ista eius opinio vult, quod iurisdictio Concilij fundetur ex sententia ipsius Concilij, quod videtur absonum.

45 Quid dicendum? Ego dicerem, quod iste articulus dependet ab alio, videlicèt quam iurisdictionem habeat Concil. an ordinariam, vel delegatam, & isto art. examinato habetur responsio ad principalem quæstionem, vtrùm Concilium possit cognoscere de omnibus causis, & quomodo. Et in isto articulo primo potest considerari Conciliũ de per se sine auctoritate, vel præsentia Papæ. Et in casu, in quo subsistit sine præsentia, & auctoritate Papæ, vel quia Papa recusauit requisitus congregare, quia debebat fortè congregari contra eum, vel quia est causa fidei, & contra Papam notorium hæreticum, vt in capit. si Papa 40. dist. & cap. in fidei per Doct. de hære. in 6. cum sim. vel quia agitur causa Papatus, eo quod est dubium, quis sit verus Papa, vt in cap. 1. de renunc. in 6. per Doct. & quod dicitur in cap. licèt, de elect. vel quia retractandum est de bono vniuersalis Ecclesiæ, vt in cap. primo, ibi glo. 15. dist. quæ causa si omitteretur, nec determinaretur, scandalizaretur Ecclesia, iuxta glo. in dicto capitulo si Papa, & Papa non vult vt fiat Concilium, & generaliter in omnibus casibus, in quibus Concilium potest iudicare de Papa, de quibus dicemus infra, dico, quod Conciliũ habet ordinariam iurisdictionem, quia illam habet hoc casu à lege, vel Principe dicto capitu. si Papa 40. dist. & cap. si quis pecunia 79. dist. cum supra allegatis, quia his casibus non potest quicquam Papa disponere sine Concilio, & contraria sententia Concilij istis casibus præualet voluntari Papæ, vt dictis iuribus, & dicam in illa quæstione, quæ sententia præualeat, vtrùm Papæ, an Concilij, quando sunt contrariæ. Nec obstat, si dicatur, quod ille tantùm dicitur habere iurisdictionem ordinariam, qui illam habet à lege, vel à Principe cum territorio, vt voluit Iaco. Butriga. & Bal. in l. more maiorum, & in l. & quia ff. de iurisdictione omnium iudi. vnde quia Concilium non habet territorium cohærens iurisdictioni. l. pupillus §. territorium ff. de verbor. signific. consequenter non dicitur habere iurisdictionem ordinariam, quia conclusio Bal. non est vera. Nam Episcopus de iure codicis erat ordinarius iudex, & tamen eodem iure codicis non habebat territorium, allegat l. Episcopale C. de Episcop. audien., licèt hodie habeat territorium, vt in capit. cum contingat de foro competen. Et licèt glos. in l. si quis ex consensu, & Bal. ibi, & in dicta l. Episcopale, referant quosdam hoc dixisse, tamen illud non sequuntur ibi Paulus de Castro, & Sali. Sed videtur illud esse contra. text. in cap. scitote 6. q. 3. vbi durante capitul. cum contingat habebant Episcopi territoria. Tamen quod dicitur, quod ad esse iurisdictionis ordinariæ non requiratur connexio territorij, patet per plura exempla, quæ ponit glos. in dicto cap. cum contingat, videlicèt in Domino super familiam, in magistro super discipulos C. ne fil. pro Patr. authen. habita, vbi glos. dicit quod Doctor potest delegare, ergo ordinarius, l. à Iudice C. de iudi. & iudices chartularij habent iurisdictionem non restrictam ad certas personas, & non habent territorium, & sunt iudices ordinarii, l. fin. C. vbi & apud quem. Et sic non saluatur quod dixit Bald. quod quando est iurisdictio ordinaria, & vniuersalis requiritur territorium, vt dixit in d. l. & quia. Et ideò de essentia iurisdictionis ordinariæ, non est quod cohæreat territorio, vt vult Barr. & alij in l. 1. ff. de iurisdictione omnium iudicum. Sed si committatur cum territorio, benè est ordinaria l. 1. §. cùm vrbem ff. de officio præfec. vrbis l. fin. C. vbi, & apud quem. Sed secundùm eum, si sine territorio indeterminatè non respectu certi territorij, vel certarum personarum committatur, talis indefinita iurisdictio data à lege, vel Principe, etiam erit ordinaria l. 1. ff. de iudi. & d. l. fin. Allegat quod dicitur de Archidiacono in dicto cap. cum contingat, & quod dicitur de Vicarijs generalibus Episcoporum, qui faciunt idem tribunal cum Episcopo, vt in capitulo primo de offic. Vica. in 6. & in capitulo secundo de consuetud. eod. lib. & cap. Romana de appell. eod. lib. & quod dicitur de arbitris, qui eliguntur ad cognoscendum de causa suspicionis, vt in capit. cum speciali de appell. & in capitulo legitima eod. tit. in 6. & in cap. iudex de offic. delega. eod. lib. l. fin. C. de iuris. omnium iudic. & in l. fi. C. de consti.
46 pecu. Igitur cùm Concilium habeat iurisdi-

dictionem à lege mortua 40. dist. si Papa, vel à Papa, qui dat ordinariam, cum sit lex animata in terris, vt in authen. de consuli. in fin. dicitur habere iurisdictionem ordinariam, cum habeat iurisdictionem in omnes indefinitè.

Sed certè si benè consideretur, malè reprzhenditur Bal. quia licèt dicat quod iurisdictio ordinaria dicatur illa, cui cohæret territorium, non tamen dixit, quod non sit dare ordinariam iurisdictionem sine territorio. De quo etiam vide Bald. in cap. pastoralis de resc. in fin. primæ colum. vbi vult, quod licèt aliqui voluerint iurisdictionem delegatorum sibi mutuò deferentium, & habentium cognoscere, cuius sit iurisdictio, esse ordinariam, ipse tamen ibi dicit tales iudices esse analogos, & magis accedere ad naturam delegatorum.

47. Et quando dicatur, quis habere iurisdictionem ordinariam, vel delegatam pro nunc remitto ad dicta Doctorum in dicta l. fin. C. vbi, & apud quem, & in dicta l. more, & l. & quia, ff. de iurisdictione omnium iudicum, & in Specu. de iurisdictione omnium iudicum in principio, & per Bald. in capitulo primo §. fin. in tertia colum. de pace iuram. fir. vbi dicit quod iurisdictio ordinaria est supra territorium, sicut nebula supra paludem, ex qua generatur per actiuam potentiam Solis, & per eumdem Bald. in l. si plures, in 6. colum. C. de condit. insertis, & per Lapum allegatione octuagesima octaua. Et quomodo capia-

48 tur, & dicatur territorium, vide Feli. in capitulo Rodulphus in 18. columna de rescriptis. Et vtrùm potestas, & auctoritas fori pænitentialis sit limitata ad territorium, sicut fori contentiosi, Cardin. in cle. dudum §. statuimus de sepult. in quarta, & quinta quæst. Hostiens. in summa de pœnit. & rem. §. cui confitendum gl. decimasexta quæst. prima capitulo primo, dicitur in capitulo omnis. de pœn. & remiss. Et vbi dicitur quod datur per legem, Principem, vel statutum, hoc est intelligendum vt per Bald. in l. prima ff. de officio consul. in quarta columna, & est dec. 361. incipit item fuit dubitatum, quæ est in titulo de officio Vicar., vbi dicitur quod nullus potest dare iurisdictionem ordinariam, nisi Princeps, vel lex, vel vniuersitas, vel consuetudo. Vnde saltem isto respectu, quia ab vniuersitate Episcoporum Concilium recipit iurisdictionem, ex quo cùm adest causa necessariò congregandi Concilium, & Papa detrectat, & omnes, ad quos sit deuolutio sunt negligentes, Concilium potest à seipso congregari, vt diximus supra in quæstione quis congreget Concilium, illa vniuersitas simul iuncta ipsorum Episcoporum dicenda est habere ordinariam iurisdictionem, vt in capitulo nunc autem, vigesima prima distinctione, & in §. item Symmachus, secunda quæstione septima. Et isto vno casu habebunt locum iura primo loco adducta, quantumcumque, & tunc visibiliter Concilium dicatur corpus acephalum, id est sine capite, vt in capitulo submittitur 21. dist. licèt omnis vniuersitas debeat habere caput, vt per Inn. in cap. cùm non ignores de cler. non resi. & Domin. in d. cap. submittitur, quia tunc, & verius caput d. Christus, vt in cap. vnico de sacra vnct. & in cap. 1. de schisma in 6. Et de ordinaria iurisdictione vide latè per Canonistas post Inn. & Hostien. maximè per Dominum Anton. de Butrio, & alios Moderniores in cap. cùm causam de appell. per Lanfrancum, & Hostien. in summa de offic. ordin. Sed hìc incidit vna difficultas,

50 si Concilium haberet iudicare de Papa, quomodo posset dici, quod habeat ordinariam iurisdictionem, velut sibi à Principe lege, vel consuetudine datam? maximè tenendo vt supra diximus post Ægidium in cons. 99. quod clauis iurisdictionis non est penès Concilium immediatè à Deo, sed mediatè, & permissiuè à Romanis Pontificibus, & sic quod ipsemet Papa dedit ordinariam iurisdictionem Concilio iudicandi de se, & quod submisit Papalem dignitatem inferioribus, videlicèt Episcopis in Concilio existentibus.

51 Potest dici quod quantumcumque Concilium iudicet de Papa, vt de priuata persona, non tamen iudicat de potestate, & dignitate Pontificali, quia si Papa est hæreticus, non est Papa, sed persona priuata, quia illico amisit dignitatem Pontificalem. & si dubitatur, vter duorum sit verus Papa non iudicatur de persona Papæ, quia ignoratur, quis sit verus Papa, sed discernitur vter illorum sit Papa, & antequam decernatur neuter, potest dici Papa, sed sunt, & vterque ipsorum est, vt priuata persona, quia etiam posset contingere quod neuter esset Papa. Et sic non obstant iura dicen-

52 tia Papam non habere superiorem, vt in capitulo licèt de elect. & quod solius Dei iudicio Papa iudicatur, vt in capitulo nemo, & in capitulo aliorum, nona quæstione tertia, quia illa iura loquuntur in vero, & indubitato Papa, & ad hoc faciunt illa, quæ dicuntur in illa quæstione, an Papa possit se submittere iudicio alicuius. Sed adhuc obstat quia videtur quod istis casibus non possit dici Concilium habere iurisdictionem ordinariam, argumento eorum, quæ dicuntur in capitulo statutum, de hæret. in sexto, & capitulo cùm causam, de appellationibus, cum similibus. Sed

53 dic quod eo casu quo est congregatum legitimè Concilium contra Papam hæreticum, vel super causa Papatus, etiam cognoscet vniuersaliter de alijs causis inferiorum vniuersaliter pendente Concilio occurrentibus.

54 Secundò potest considerari Concilium cum auctoritate Papæ ipso absente, seù cum legato eius, qui præest Concilio. Et tunc tantam auctoritatem habebit Concilium, quanta erit demandata à Papa ipsi legato cum Concilio, & habebit delegatam. Et hoc videtur voluisse Ioann. de Imola in capitulo graue. in quarto quæsito in materia Conciliorum extra glos. de præbendis. Et hoc intelligit in persona ipsius legati, sed de alijs dicit idem, quod dicitur de Prouinciali Concilio, vt infra dicetur.

55 Nec obstat si dicatur, quod sedis Apostolicæ Legatus dicitur habere ordinariam

iurisdictionem, vt in capitulo secundo de offic. lega. in sexto, cum similibus, quia illud intelligitur in legatis ad certam prouinciam, & non ad certum actum, vt hic illi enim habent ordinariam, ratione territorij, dicto capitulo secundo, & capitulo finali, eodem tit. in antiquis, & cap. 1. de loca. vbi patet quod possunt ædere statuta, vt in cap. fin. de off. lega. & Fel. in cap. super literis, in 22. colum. in princip. de rescript. Allegat Martinum de Laude in tract. Conciliorum, & ad eum se remittit in 24. qu. incipit quæro an congregati, in Concilio, quam quæstionem non habeo in meo libro. Sed quod videatur habere delegatam, benè faciunt, quæ leguntur in actionibus Concilij Chalcedonen. vbi præfuerunt legati nomine Papæ, & illa tantùm fuerunt approbata, quæ concernebant fidem. Ant. de Burrio in dicto cap. graue, videtur vel-
56 le, quod in cognoscendo Episcopi existentes in Concilio sint ordinarij, sed in definiendo sint assessores. Finaliter tamen de opinionibus primò recitatis dicit, tene quam vis, nec se firmat. Domi. in cons. 65. incipit discutiam, in 4. colum. dicit, quod
57 licèt Concilium dicatur habere iurisdictionem ordinariam iuxtà notata per Inn. in cap. graue, tamen illud est ex accidenti, id est quando coadunatur Concilium, sicut dicimus in legato, quod habet ordinariam, de offic. lega. cap. 1. lib. 6. & est ex accidenti, quando creatur à Papa, de offic. lega. cap. 1. Abbas ibi in dict. cap. graue dicit quod in ista materia Inno. & cæteri, ibi in d. cap. graue transierunt, sicut muscipula inter prunas. Moder. Arct. dicit quod Concilium integraliter consideratum, & concretum cum persona Papæ, vel eius legati, dicitur habere iurisdictionem ordinariam, quia illam habet à lege, vel à Papa. Et istam etiam tenet Ioan. de Immo. in dict. capit. graue, extra glos. in 3. quæstione, quæ possunt expediri in Concilio, & dicit quod si alius loco Papæ præest in
58 Concilio, tunc idem est dicendum quod dicitur de Concilio Prouinciali, quod potest cognoscere de causis, quæ vertuntur inter Episcopos, & Clericos, 2. qu. 6. placuit 11. q. 3. si Episcopus, fortè cum 4. sequen. Item poterit cognoscere de omnibus causis clericorum, dummodo factum sit notorium, vel si res non patitur dilationem, vel in breui potest liquidari, ipse tamen Archiepiscopus, qui præest Concilio, vel qui habet potestatem definiendi debebit hoc facere de consilio, & assensu aliorũ de Concilio, vel maioris partis, de temp. ordi. si Archiep. & de accusa. capit. sicut olim.
59 De causis autem Archiepiscoporum non cognoscet Prouinciale Concilium definiendo, sed superioris iudicio reseruantur, vt in dicto capit. graue, in verbo, Metropolitani, & cæteris. Et ista dicit vera in causis ciuilibus, sed in criminalibus potest Concilium audire causas inferiorum Episcopis, & definire 16. qu. 6. cap. 1. & 2. Et isto secundo alio modo possunt intelligi iura primo loco adducta. Quod intelligo quando Concilium reperitur simpliciter congregatum, & non ob causam fidei tantùm, quia tunc procederent iura secundo loco adducta, sed causas criminales Episcoporum poterit Concilium prouinciale audire, sed non definire sine licentia Papæ, tertia quæstione sexta quãuis liceat, & cap. multum stupeo, & capit. dudum, & cap. accusatus, & tertia quæst. 8. cap. 1. & de iudic. cap. 1. Et est ratio, quia ista causa est de reseruatis Principi, vt in cap. quod translationem, de offic. legat. in gloss. & in cap. inter corporalia, de transl. Prælat. Facit text. & quod ibi dicitur in capit. si Abbatem, de elect. in 6. Et hoc quod dicit Imol. de Concilio prouinciali, est idem in effectu cum eo, quod dicit Io. Andreas in dicto cap. graue. Immò Innoc. ibi etiam vult, quod Episcopi in Concilio prouinciali de per se sine Concilio sunt vt Iudices ordinarij in omnibus causis Clericorum, quæ ad Concilium referuntur 6. quæst. tertia scitote 18. distinct. cap. 1. & 2.
60 Mihi placet opinio illorum, qui volunt, quod tunc Concilium in cognoscendo habeat ordinariam, sed in definiendo delegatam, argumento eorum, quæ ponuntur in Clemenr. auditorem, de rescript. & quod dixi supra de gestis in Concilio Chalcedonen. & procedunt tertio modo iura primo loco adducta, quod Papa habuerit rata gesta, & definita per Concilium, alioquin secùs, per iura secundo loco adducta.
61 Aliquando consideratur Concilium, vt cui præest Papa. Et dico, quod Papa est ordinarius cunctorum, & totius Orbis, vt in capit. cuncta per Mundum, & capit. per principalem 9. qu. 3. Et isto modo considerato Concilio, dicitur habere ordinariam ratione ipsius Papæ, qui est caput Concilij, & habet potestatem à Deo, in authent. quomodò oportet Episcopos, in princip. Et isto modo Concilium habebit cognitionem omnium causarum. Sed considerando alios Prælatos in Concilio existentes, simùl cùm Papa separatim à Papa tunc dico Concilium nullam habere iurisdictionem, sed Prælati tunc potiùs dicuntur Consultores, quia solus Papa est, qui habet plenitudinem potestatis, capit. proposuit, de concess. præbend. Et hoc voluit Imol. in dicto cap. graue, & Innocent. ibi, & gloss. in cap. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. cum alijs supra allegatis, & ponit Martinus Lauden. in tract. Concilij qu. 4. Et sic procedũt secundo modo iura secundo loco adducta. Et ex hoc patet, quod non erit vera opinio Abb. in cap. consensus de rebus Ecclesiæ non alienand. qui voluit quod Concilium habet iurisdictionem, si intellexit quando Concilium est sine Papa, vel eius Legato, nec agitur contra Papam hæreticum, vel de causa Papatus.
62 An autem Concilium possit deponere Episcopos, & quot personæ requirantur in depositione Episcopi, & an omnes debeant esse concordes, & quot requirantur in depositione Presbyteri, & quot in depositione Diaconi, & Subdiaconi, loquendo de
63 Concilio Prouinciali, & vtrùm sint assessores Episcopi ibi existentes, vel iudices ordinarij, & vtrùm Metropolitanus possit depo-

deponere, & remouere Episcopum ab episcopatu, & in monasterium detrudere, vel pronunciare amouendum, de omnibus, vide latè per Abbatem, & alios in cap. 2. incipit non potest, de re iudicata, Doct. 15. quæst. 7. in summa, & in cap. graue, ibi Petrus de Ancharan. de præben. Et ad præmissa adde, quæ dicta fuerunt supra in quæstione vtrùm eodem tempore sit clauis iurisdictionis penès Concilium, & Papam, quia satis conferunt proposito nostro, & quæ dicam infra in quæst. vtrùm Conciliū possit concedere iura Principis, & in illo alio articulo vtrùm definitio, vel constitutio Conciliaris sit ædenda sub nomine Papæ, vel Concilij, & in quæstione infra posita, vtrùm Concilium Sede vacante possit disponere contra iura positiua, & illa tollere. Et ex his patet, quando Concilium poterit excommunicare, & censuras decernere. Et similiter patet, quod Concilium potest constituere, & statuere de seruis Clericorum sine auctoritate alicuius Principis, quia sunt sub iurisdictione temporali Ecclesiæ, de quo Doctor. in cap. Ecclesiarum seruos 12. qu. 2.

64 An autem tunc in Concilio generali quoad processum causarum sit seruandus ordo iudiciarius, Ioannes Andreas in dicto capit. graue dicit, quod sic, & refert Martinum Lauden. in tract. de Principibus in quæst. 482. Quinimò non posset Concilium omittere solemnitatem iuris positiui, nec supplere defectus. Pro hoc, quod dicitur in Clement. ne Romani, de elect. & in cap. significasti, eodem tit. & in dicta quæstione vtrùm Sede vacante possit Concilium disponere contra iura positiua, & in alia infrà, vtrùm Concilium possit tollere constitutionem Papæ, &c.

65 Sed quæro vtrùm Concilium possit vices suas alteri delegare aliquibus de Concilio contradicentibus? Et dicendum, quod sic, quia iurisdictio competit Concilio, & vniuersitati, non vt singulis, sufficit ergo maiorem partem Concilij in hoc consentire, de constit. capit. cùm omnes, & de ijs, quæ fiunt à maior. par. Capit. cap. 1. & l. quod maior, ff. ad municip. cum similibus, & dixi in quæstione, ex quibus personis, & quot constituitur Concilium.

66 Vtrùm autem poterit Concilium committere laico vices suas, eo casu, quo agitur de causa Papatus, vel ad Papæ depositionem? Dico, quod non, per notata in cap. decernimus, de iudic. tùm quia laicus non potest tractare de causis spiritualibus, vt ibi, & cap. sacrosancta, & cap. massana, de electione, tùm quia inferior à Papa non potest habilitare laicos ad tractandum causas spirituales, nisi esset data potestas Concilio à Papa, per notata in dicto cap. decernimus, & cap. quanto, de consuetud. tùm quia, quando agitur ad depositionem, est causa criminalis, vt dicto capit. decernimus, nec Concilium potest derogare iuri positiuo, vt in Clementina ne Romani, ibi glossa, & dicitur infrà in quæstione prædicta vtrùm Concilium possit tollere constitutionem Papæ.

SVMMARIVM.

1 *Vocatus ad Concilium an habeat ius reuocandi domum.*
Quid in ciuilibus, & quid in criminalibus num. 3.
Et quid in Concilio Prouinciali, vel Episcopali, vel Generali, ibidem.
Auctoris opin. de mente Doctorum.
Petri de Anchar. opin. num. 4.

ARTICVLVS IX.

An vocatus ad Concilium habeat ius reuocandi domum.

1 Item quæro an eo casu, quo quis est vocatus ad Concilium habeat ius reuocandi domum? Dicit Anton. in dicto cap. graue, quod si est vocatus quis super aliquo crimine, tenetur respondere, nec habet ius reuocandi domum, sed in alijs causis, pro quibus non est quis vocatus, habebit ius reuocandi domum. Et hoc inducit ad intellectum, capit. primi, de iudic. dicens, quod ideò fuerat. Quouultdeus ibi interrogatus, quia habebat ius reuocandi domum, quia non fuerat specialiter vocatus pro illo negotio, ad quod est tex. in cap. fin. de dilat. Innocen. in dicto cap. graue, dicit quod in Concilio omnes tenentur respondere de singulis querelis, ac si citati essent dist. 18. cap. propter Ecclesiasticas, & cap. quoniam quidem, Et in hac opinione fuit Petr. de Perusio in dicto cap. graue, secundùm quod refert ibi Ioan. de Immol. Qui tunc respondet ad cap. 1. de iudic. quod ibi fuit facta interrogatione posset posteà Concilium recusari, sed in criminali secus, quia habebunt ius reuocandi domum nisi sunt citati, & in citatione expresse sint crimina, super quibus vocantur, quinta quæstione secunda capitulo vltimo. Et quod dicitur, quod in ciuilibus tenetur quis respondere, refert quosdam intelligere de Concilio Prouinciali, vel Episcopali, sed secus in generali quia in illo cuilibet competit, ius reuocandi domum, argumen. cap. fin. de dilat. & cap. fin. de foro competen. ipse tamen concludit contrarium, scilicet idem esse in generali, quod Prouinciali, allegatione secunda quæstione septima §. Symmachus. Martinus Laudentius in tractatus de principibus quæst. 502. tenet simpliciter, referendo Innocent. in dicto capitulo graue, quod competat ius reuocandi domum.

Concludendo tu dic secundùm Ioann. Andr. & fuit mens ipsius Innoc. & Hostien. quod siue generale, siue particulare Concilium pro aliquibus specialibus negocijs emergentibus conuocetur, in alijs, siue criminalia, siue ciuilia sint, competit ius reuocandi domum, vt in dicto cap. fin. de foro compet. & cap. fin. de dilat. Si verò non pro specialibus causis, sed indistinctè, & generaliter fieret conuocatio, siue

siue sit Generale, siue Prouinciale, vel Synodale Concilium, non habet locum ius reuocandi domum, si agatur de ciuilibus dicto cap. propter Ecclesiasticas, & cap. quoniam quidem, & voluit glossa secunda in cap. 1. de iudic. in verbo interrogatus, ibi quia omnes causæ tunc in Synodo tractabantur. In criminalibus autem competit, quia in illis non tenetur quispiam respondere, nisi ad hoc specialiter sit citatus, expressis etiam criminibus, super quibus accusatur quinta quæstione secunda capitulo fin. Et idem in effectu tenet Ioann. de Immol. in dicto cap. graue. Super quo vide Abbat. in cap. 2. de dilat. & eumdem in dicto cap 1. in vers. alia solut. de iudic. Qui in effectu concordant in præmissis. Et idem etiam Alexand. in cap. de Concilijs distinct. 18. in fin. Petrus de Anchar. in
3 dicto capitulo graue, videtur velle in penult. colum. quod si existentes in Concilio accusentur. Semper tenentur respondere, quia Concilia principaliter celebrantur pro reformatione morum, vt in cap. in singulis, de statu Monach. Sed dictum eius posset esse verum, quando Episcopus accusaretur de aliquo crimine notorio, & scandaloso subditis eius, de quo Episcopus impeteretur à subditis, sed secus esset, si ageretur de aliquo crimine, de quo specialiter, & à certa persona impeteretur ad deponendum ab Episcopatu, & non venisset paratus, quia non fuisset ab illa persona ad Concilium citatus. Pro quo facit illud, quod dicunt ibi Doct. quod ideò Concilium cognoscit de criminibus non seruata forma, capitulo qualiter, & quando de accusat. quia Concilium agit super reformatione morum, & ex officio, & quia modico tempore sunt moraturi. Vide Petrum de Anchar. ibi in dicto capitulo graue, in primo quæsito.

SVMMARIVM.

1 *Concilium an possit se constituere iudicem, & se constituere generale Concilium.*
Vsa fallen. de mente Felin. num. 5.
Quam auct. non probat. num. 6.

2 *Concilium iudicat an crimen obiectum Papæ, spectet ad eiusdem cognitionem, & iurisdictionem.*

3 *Qualitas certa vbi dat iurisdictionem non habenti, si de dicta qualitate dubitatur, ipse cognoscit de ea, an sit vera, vel non summariè, vt possit posteà procedere ad decisionem causæ.*
Et ideò si dubitatur, an Papa sit hæreticus cognoscit Concilium, non quod sit supra Papam, sed tamquam præparans sibi fundamentum iurisdictionis cognoscit, an Papa sit hæreticus, vel non ibid.

4 *Iudex datus super notorio, cognoscit an sit notorium.*

ARTICVLVS X.

1 Consequenter quæro vtrùm Concilium possit pronuntiare se iudicem, & se constituere generale Concilium. Et dicendum est, quod quando Concilium est legitimè congregatum, & Papa requisitus detractat interponere auctoritatem, sicut potest ipsummet Concilium auctorizari in facto proprio, vt dictum est supra in illa quæstione, quis congregat Concilium, ita poterit pronunciare se iudicem competentem, & se constituere Concilium, & in se esse iurisdictionem. Ita dicit Petrus de Monte in suo libello de Papa, 17. col. ibi sexto quæro quot personæ, & refert Feli. in cap. super literis in 18. col. de rescrip. Et hoc etiam ponit Dom. in tract. schismatis, qu. 8. & ita fuit practicatum in Concilio Const. in 1. cap. tertiæ sessionis, & aliquid diximus supra in prædicta quæstione quis congregat Concilium.

Quinimò plus voluit Felin. in dicto cap. super literis, quod Concilium est iudex in
2 cognoscendo, an crimen obiectum Papæ sit tale, quod eius iurisdictio, & cognitio spectet ad Concilum, per prædicta, & quia iudex causæ præparantis, est etiam iudex causæ præparatæ l. ordinarij, in verbo, ab eodem iudice C. de rei vend. l. minor in fi. princ. ff. de mino. Quod & dicunt in simili Doct. in cap. 1. §. notoria de cens. in sexto. Super quo adducit plura similia Card. post Lapum, in sexta quæstione, in Clement. præsenti de censib. Et quod dicitur in cap. primo, de offic. deleg. in sexto post glos. & post glos. in cap. accusatus, de hæret. in sexto & in Clement. secunda, de iudic. Et plura, per quæ potest iudicari de connexis, & Bald. in cap. si pro debilitate de offic. deleg. l. secunda & ibi Angel. de iurisdict. omnium iudic. Et quod ponit Ludou. cons. 332. incipit quo ad primum, vbi ait quod licèt Papa ex decreto Concilij Constantien. non possit derogare statutis illius Concilij, nisi ex magna causa, rationabili, & euidenti, tamen ad Papam spectat hoc arbitrari. Ad quod facit quod ponit Alexan. in summa dist. 15. char. 18. reprehendendo Abbatem, qui pro fundamento quod Concilium cognoscat de alijs causis, quàm solius hæresis contra Papam, assumit, quod etiam cognoscit de causa Papæ, cum dubitatur, an sit hæreticus, vel non, & sic quod non sit bona ratio quod ideò Concilium cognoscat de causa hæresis, quia Papa cùm est hæreticus desinit esse Papa, vt in cap. Achatius, &c. audiuimus 27. qu. prima. Quia respondet Alexan. quod ista qualitas, quod Papa sit hæreticus dat iurisdictionem Concilio ad cognoscendum de
3 ea, quia vbi certa qualitas dat iurisdictionem non habenti, si de dicta qualitate dubitetur, ille cognoscit de ea, an sit vera, vel non, summatim vsque ad finem, vt possit postea procedere ad decisionem ipsius causæ, cap. si clericus laicum, & ibi communiter Doctores, de foro competen. maximè Anton. & ipsemet Abb. ibi, & Bart. in leg. præscriptione C. si contra ius vel vtil. publ. ideò non mirum quando dubitatur an Papa sit hæreticus, si cognoscat Concilium non tamquam habens iurisdictionem supra Papam, sed tamquam præparans fundamentum iurisdictionis, quam sibi prætendit competere, cognoscat an Papa sit hæreticus

vel

vel non. Et in hoc secundùm eum fuit deceptus Abbas in suo fundamento. Facit etiam quod dicitur post Innoc. per Ioannem Andream, & alios in dicto cap. Romana §. notoria, supra allegato, de censi. in sexto, quod vbi data est aliquo casu potestas iu-
4 dici procedendi super notorijs, si dubitetur vtrum quippiam sit notorium, ipsemet iudex hoc cognoscet. Et de hoc vide bonam gloss. in capitulo primo de offic. deleg. in sexto, quæ dicit de conseruatoribus, quod si sit dubium vtrùm excessus sit notorius, & consequenter an sit eorum iurisdictio, cognitio erit ipsorummet conseruatorum, qui summariè examinabunt. Et illam glossam commendat etiam Abb. in cap. si clericus laicum, in sexta columna de foro compe-
5 tenti. Et hoc in fine intelligit Feli. dummodo constet priùs de negligentia Cardinalium in congregatione Concilij, per id quod dicit Cardin. in capitulo licèt, de electione, & in consilio 150. incipit sæpè quæsitum, quia ista congregatio Concilij spectat ad Cardinales, & ipsis negligentibus ad Imperatorem, & eo negligente prælati conueniunt petendo licentiam ab asserto Papa, & ea etiam non obtenta discedere poterunt secundùm Petrum de Monte, vt ipse dicit. Sed ista restrictio non conuenit
6 ad quæstionem, quia nos non quærimus quomodo sit congregandum Concilium, sed postquam est legitimè congregatum, an possit pronunciare se competentem iudicem, & iudicare quod crimen obiectum Papæ est tale, quod eius cognitio spectat ad Concilium. Tamen pro ista conclusione, quod Concilium hoc cognoscere habeat, tenet Ægidius in cap. licèt de elect. vbi vult quod si capiatur ille, qui dicitur Papa in pertinacem hæresim lapsus, an fuerit pertinax, erit cognitio ipsius Concilij, similiter quando, est dubium vtrùm quod Papæ impingitur sit vera hæresis, quia non reperitur damnatum ante iudicium contra Papam, Concilium met habebit cognoscere vtrùm illud tale sit hæreticum. Et de hoc supra dixi in artic. an Papa possit accusari de hæresi, vel simonia.

SVMMARIVM.

1 *Concilium Generale, an possit recusari, vt suspectum.*
Et quid si celebretur sine Papa. num. 4. & 9. 12.
Et si cùm Papa. num. 10.
2 *Papa nulli suspectus est, nisi causa sit eius propria.*
Et in Papam verisimiliter non cadit suspicio. ibidem, & num. 10.
3 *Concilium Prouinciale potest recusari, vt suspectum.*
Imò tota vniuersitas. num. 5.
Et omnes Doctores Ciuitatis. ibid.
Dummodo ex iusta causa. ibidem.
6 *Capite consilij suspecto, vel maioribus de consilio, an possit totum recusari, & declaratio. num. 8.*
Et quid in maioribus Concilij Prouincialis. ibidem.
Et intellectus. Abb. ibidem.
7 *Ordinarius, an allegetur suspectus propter suspicionem Assessoris, quando ordinarius arctatur pronunciare de consilio Assessoris*
11 *Glos. in cap. 1. de iudic. in verb. interrogatus intellectus.*
Concilium Generale, quòd non possit recusari. limita. num. 12. & 13.
14 *Concilium licèt possit errare, non sequitur, quòd possit recusari.*
15 *Concilium licèt non possit recusari, possunt, tamen recusari aliqui suspecti, vt remoueantur donec causa tractatur.*
16 *Concilium licèt non possit recusari possunt tamen Præsidentes absente Papa.*
16 *Concilia inferiora, quando, & vtrùm possint reuocari remissiuè.*

ARTICVLVS XI.

1 AN autem Concilium Generale possit recusari, vt suspectum, Doct. post glos. in cap. 1. de iudic. dicunt, quòd non, & maximè, vt dicit ibi Abb. quando ibi præest Papa, qui est ordinarius ordinariorum. 9. quæst. 3. cuncta per mundum, & in cap. per principalem, & idem Ant. de But.
2 ibi, quia Papa nulli suspectus est, nisi sit causa propria, vt not. in cap. cùm venissent, de iud. Idem etiam Card. Floren. ibi, quia tota Ecclesia non potest errare. 24. quæst. 1. à recta. Et idem ibi Ioan. de Imo. quia in Papam verisimiliter non cadit suspitio. Item, etiam dicit Lanfrancus in cap. postremò. in 8. quæst. de appel. Pro-
3 uinciale, tamen benè potest recusari, vt dicunt Doct. in cap. licèt ex suscepto de foro compet. & glos. & Doct. in cap. in singulis de statu Mona. & Lanfran. in dicto cap. postremò. Et ex his infero, ex quo
4 Doct. ibi loquuntur de Concilio, cui Papa præest, quod quantumcumque Abb. ibi loquatur per dictionem maximè, quæ est implicatiua, vt in l. etiam. C. de eo, qui pro tutore, nihilominùs si consideramus Concilium sine Papa ipsum poterit recusari, vt suspectum, sicut dicitur de Concilio Prouinciali, ibidem in dicto cap. 1. & in cap. in singulis de statu Mona. Et hoc voluit Catald. in allegationibus factis ad confutandum monitorium decretum per Basilienses contra Æugenium in 18. char. Et ex hoc etiam apparet, quod glos. in dicto capitulo 1. relata ad text. ibi, qui loquitur in Synodo non generali secundùm dict. Abb. ibi, non sit vera, & ita communiter reprobatur à Doctoribus, ibi. Licèt saluari possit dicendo, quod loquuta fuerit de Concilio Generali, vt ibi dicit Abb. & in cap. licèt ex suscepto in 3. notabili de foro compet. In inferioribus Concilijs igitur non est vera, glos. quia imò tota vniuersitas
5 potest recusari, vt in cap. licèt, in fin. de foro comp. & in clem. Pastoralis, in §. Notorium, ibi, Pisanaque ciuitas, de re iud. 3. quæst. 5. quia suspecti, & in Specu. tit. de requisitione consilij 4. col. vbi dicit, quòd quis potest recusare suspectos omnes Doctores Ciuitatis, & Abb. in 2. parte statutorum, quæst. 100. & Abbas in dicto cap. licèt. Et intelligo, verum, quando ex iusta sit

fit recusatio, aliàs præsumeretur fieri in fraudem, vt dicit Bald. in l. hoc modo, ff. de cond. & demonst. & ad idem est, quòd dicit Cald. cons. 6. in tit. de appell. Eo ipso enim, quòd caput Synodi est suspectum, & tota Synodus est suspecta, dicit Bald. in l. prima, in 2. colum. C. si rector prouin-
6 ciæ, & quando maiores de Concilio sunt suspecti, vel etiam caput, vel Metropolitanus, est suspecta Synodus, siuè Concilium totum. 3. quæst. 5. quia suspecti, & de procur. cap. consulti, secundùm Vincen. & Hostien. & refert Ant. in dicto cap. 1. Qui dicit, quòd si principale caput, vt Metropolitanus, non est suspectum, forent tamen alij maiores suspecti, esset relinquendum arbitrio Iudicis, vt ponderaretur qualitas personæ, an esset multum constans caput, quòd de facili non moueretur ad dicta aliorum, vt per hoc non posset recusari, aliàs sic. Quòd intelligit, dict. Abb. in dicto cap. 1. secus, quando remotis suspectis remaneret Synodus in perfecto numero, qui requiritur secundùm qualitatem causæ, quia propter suspicionem quorumdam non poterit tota Synodus recusari, arg. cap. fin. de procu. & cap. dilecto, de testibus, & regul. vtile in 6. & quòd notatur in cap. gratum de postul. Prælat. & in l. sicut, ff. quod vniuscuiusq; vniuersit. in omne cùm ius aliorũ recusatorum remaneat in non recusatis, vt in dictis iuribus. Quòd etiam dicit d. Ant. in dicto cap. 1. procedere, quando teneremus, quòd assistentes capiti in Concilio essent simplices consultores, quia tunc habenda esset ratio, vtrùm caput esset multùm constans. Sed quia in Concilio prouinciali sunt assessores, vel coniudices, sine quorum consensu non iudicat Archiepiscopus, iuxta nomen per Innoc. de Præben. graue, & 15. quæst. 7. Episcopus, & glos. in cap. licèt, de offic. Ordin. & per Host. de libel. obla. cap. 1. ista de causa poterit Archiepiscopus aliàs non suspectus recusari propter suspicionem aliorum de Concilio, quòd est notabile, & inducit ad quæstionem, an quan-
7 do ordinarius arctatur ad pronunciandum secundùm consilium assessoris, si assessor est suspectus, possit ipse ordinarius allegari suspectus, de quo per eum, & Abb. Siculum ibi. Et per hoc patet, quòd non sit vera opinio illorum, qui simpliciter voluerunt, quòd Synodus non possit recusari, illa ratio, ne quia, ex quo ex diuersis diœcesibus confluunt Episcopi, videtur impossibile, quòd omnes sint concordes, sed secus in Ciuitate, quæ est corpus mixtum, d. c. licèt, & §. notorium respondendo ad c. quia suspecti. 3. q. 5. quod illud Concilium fuit, ibi principaliter contra Io: Chrys. Quia immò tantùm adducitur ibi in exemplum, & bene probat ille text. quòd synodus potest recusari, cùm loquitur de Athanasio Episcopo Barenorum, qui vocatus ad synodum recusauerat ire, eò, quòd inimicus esset, qui iudicabat, quam excusationem admisit Chalcedonen. Synodus. Quinimò dicit Bald. in l. 1. C. si rector prouinciæ, quod propter caput suspectum potest to-
8 tum Collegium recusari. Quod vltimum est intelligendum, quando vniuersitas subesset ei, per notata per Ioan. And. in addit. specul. in titulo, de iudice delegato, §. fin. versic. item, quod ex pluribus, quem omnino vide, & quando illud caput esset ita potens, quòd illi vniuersitas non auderet contradicere secundùm Bald. in d. cap. 1. de iud. & refert ibi Felin. Sic etiam si vnum de vniuersitate habeo suspectum; porero, petere illum remoueri, quamuis alij possint ferre iustam sententiam, secundùm Abb. in cap. causam quæ, de offic. delegat. quòd inducit ad scholarem debentẽ intrare examen, & habentem aliquem ex Doct. suspectum, & dicit se credere, quòd potest petere ipsum remoueri, quòd & ponit Lanfrancus, in cap. cum speciali in 8. quæsito in princ. de appel. Et sic limito, quòd idem Abb. dixit in d. cap. primo, & retuli supra, videlicet quando remotis suspectis remanet concilium perfectum, tunc non possit recusari, debent tamen illi, qui essent suspecti, si petatur remoueri quamdiù examinabitur causa illius, qui habet iustam cau-
9 sam suspicionis, per prædicta. Et ex his infertur, quòd etiam concilium generale, in quo Papa non est præsens, poterit recusari suspectum, sicut alia concilia prouincialia, & facit ratio, quia habetur, ad quem tunc possit haberi recursus, scilicet ad Papam, loquendo, quando est vnus indubi-
10 tatus Papa. Sed secùs erit, quando in illo præest Papa, ex quo tunc non est dare superiorem, ad quem possit haberi recursus, vt in cap. licèt de elect. & in §. pater, 3. quæst. 1. & ex quo tunc Episcopi in concilio existentes sunt, tamquam assistentes, & conciliarij, de præben. graue per Innocen. & quia Papa non potest recusari suspectus, vt dicit Abb. post Hostien. & alios in cap. querelam in glos. prima de elect. Ideò tunc concilium non potest recusari. Et hoc credo verum, licèt Doct. in d cap. primo, transeant sub silentio in concilio generali, in quo Papa non præest, Et credo, quòd glos. ibi malè reprehendatur, quæ dicit, quòd concilium non potest recusari, quia propriè eius intentio fuit loqui, de concilio ge-
11 nerali Papa præsente, quia ille text. est ex concilio Africano. Item patet, quia in text. ibi videbatur agi de Episcopatu per illa verba, nam adimi ei Episcopatum &c. quem adimere non poterat concilium prouinciale, quòd licèt possit cognoscere de causis criminalibus Episcopi, non tamen potest aliàs definire, vt tertia quæstione 6. quamuis, & dicitur in dicto capitulo graue, de præben. Et multò minùs vbi agitur de adimendo Episcopatum, vt ibi in capitulo inter corporalia de translat. prælat. & capit. quod translationem de offic. leg. in gl. de quo latissimè per Butrium in d. cap. primo de iudic. in quinta oppositione.
12 Limito etiam prædicta, nisi concilium esset legitimè congregatum contra Papam, quia esset hæreticus, vel quia ageretur de causa Papatus, quia tunc non poterit concilium recusari, tum quia concilium non potest errare, quia Ecclesia non errat, quæ nihil est, quàm conciliũ, quia Christus orauit pro Ecclesia sua, vt in capit. maiores

de

de bapt. 24. quæst. prima, à recta, & capitulo pudenda. Tum etiam quia si tunc posset recusari esset aperire viam impeditiuam concilij contra Papam, saltem protractiuè, quia illicò recusaretur concilium suspectum argumen. capituli nonnulli, de rescript. & capituli ex tenore eodem tit. & l. properandum, C. de iudic. cum simil. tum etiam, quia tunc concilium est supra Papam, vt per Abbatem, & alios post eum in capitulo significasti de electione, & nullum tunc habet superiorem, nisi Deum, à quo immediatè dicitur habere potestatem, vt in gestis concilij Constantien. in quarta sessione, & dicetur infra in illo art. quis sit maior, vtrùm concilium, an Papa.
13 Tum etiam quia tunc non est superior, ad quem possit haberi recursus. Et sic restringo Doctor. in dicto capitulo 1. de iudic. qui volunt, quòd concilium generale non possit recusari, quia intelligo, quando in illo præest Papa, vel quando est legitimè congregatum contra Papam.

Et sic dicatur, quòd concilium non est propriè Ecclesia, nisi repræsentatiuè, quia Ecclesia vniuersalis constituitur ex collectione omnium fidelium, vt in capitulo Ecclesia, de consecr. distinct. 1. Et quod de illa vniuersali dicitur, quòd non potest errare, quia potest fides remanere in vno, sicut fuit in Beata Virgine in passione Domini, & sicut collegium remanet in vno, vt in cap. Osius, de elect. & in cap. gratum de postul. prælat. Et quòd isto modo intelligitur, quòd Ecclesia non potest errare, quia Christus orauit pro ea, & non de concilio generali, quod potest errare, vt 36. quæst. 2. cap. placuit, & ibi glos. cap. caus. & quæst. de puellis, & ead. caus. & quæst. cap. 1. iuncto cap. fin. præcedentis quæst. scilicet cap. de raptoribus, glos. & ibi Archid. 20. dist. cap. 1. & patet in concilio Ariminen. quod est perpetuò damnatum. 15. dist. cap. sancta in princ. & 24. quæst. 1. aduocauit, vbi Imperator cassauit gesta concilij, & latè prosequitur Abb. in c. significasti, de elect. Respondetur, quòd ex quo quando concilium iudicat contra Papam, iudicat super cōcernente hæresim, non videtur, quòd possit errare tam faciliter, quàm
14 in alijs non notorijs, & si potest errare, non sequitur, quòd propterea possit recusari vt suspectum, vt in simili patet in matrimonio in c. tenor, & c. lator, & c. consanguinei, de re iud. cum simil. Item quando agitur de causa contra Papam hęret. per Concil. tunc clauis iurisdictionis est solum penès Concilium, vt voluit Ægid. cons. 99. & dixi suprà, eum referendo in illo artic. an clauis iurisdictionis sit penès Concilium: & ideò meritò non debet posse recusari, & per alias rationes supra tactas, & quia tunc non habet superiorem, nec hoc casu reperiuntur iura disponentia, quòd sit procedendum ad electionem arbitrorum, vt in cap. cùm speciali, de appell. & in cap. legitima eod. tit. in 6. cùm concordant.
15 Crederem tamen si Papa aliquos, de Concilio iustè haberet suspectos, quòd illi possent, & deberent quamdiù eius causa tractaretur remoueri, per dicta suprà cùm retuli Abb. in cap. causam quæ de offic. delegat. quia hoc non esset recusare Concilium, ex quo remanet subsistentia Concilij, per ea, quæ ponit Abb. in d. cap. de iudic. & supra retuli. Adde tamen prædi-
16 ctis, quòd licèt Concilium non possit recusari vt suspectum, tamen præsidentes in Concilio bene possunt recusari vt suspecti, vt ponit Abb. Siculus in cap. penul. in glos. super verbo, & appellatione de statu Monach. Quod intellige quando in Concilio non præsidet Papa, qui non potest recusa-
17 ri, vt dictum est suprà. De alijs autem inferioribus vtrùm, & quando possint recusari, & quomodo, vide Doct. in c. cùm speciali de appell. in l. apertissimi C. de iudic. & ibi in princ. vide remissiuè Alber. & in d. cap. quia suspecti 3 quæst. quinta, & Summistas in titulo de appellation. & capitulo secundo requiris eodem tit. & in cap. legitima eod. tit. in 6. & cap. iudex, de offic. delegat. eodem lib. cum similibus.

SVMMARIVM.

1 *Concilium an possit adiri per viam querelæ.*
Et quid in Concilio generali.
Et quid in prouinciali.
Et quid si præest Papa in Concilio generali.
Et quid si in eo non præest Papa.

ARTICVLVS XII.

1 Vlteriùs hìc quæro vtrùm, Concilium possit adiri per viam querelæ? Non reperio istum articulum tactum à Doctoribus, sed tantùm Brixien. in verbo Concilium, dicit quòd sic: pro quo dicit esse text. in cap. generalis in fin. 54. dist. Sed ille tex. hoc non probat, quia est tex. Gelasij, & verba diriguntur in eum, cùm dicit si super hac re cuiusquam verax nos querela pulsauerit: vnde nihil loquitur de Concilio. Quinimò prima facie videtur dicendum quòd non, sicut videmus in Metropolitano, qui non potest adiri per viam querelæ, vt in cap. Pastoralis de offic. ord. & 9. quæst. 3. quasi per totum, & cap. Romana, de foro competen. in 6. Dom. in cap. de Concilijs 18. dist. loquendo in Concilio prouinciali, dicit, quod potest adiri per viam querelæ, & ibi est text. de hoc. Vnde idem videtur dicendum de Concilio generali, quòd si præsupponamus in eo Papam præsidere, nulli dubium est cap. grauis de restit. spoliat. cap. tùm ex literis cum vulgaribus, de restit. in integr. 9. quæst. 3. conquestus de foro compet. conquestus, de ferijs conquestus, cum infinitis similibus: Si ibidem non præest Papa, sed legatus nomine Papæ, videtur idem per cap. primum, de offic. legat. vbi legatus potest adiri per viam querelæ: & maximè si tenemus Concilium, cui præest legatus habere eamdem iurisdictionem, quam habet Concilium Prouinciale, vt in cap. graue, & ibi Ioan. de Immol. de præbend. & diximus suprà. Sicut ergo potest adiri per viam querelæ Concilium Prouinciale, pariformiter, & multò magis Concilium generale. Si autem

tem loquimur eo casu, quo potest esse, & est Concilium sine Papa, quia fortè contra eum fuit legitimè congregatum, eodem modo videtur dicendum, cùm tunc repræsentet vniuersalem Ecclesiam, vt suprà diximus in illo articulo, quam iurisdictionem habeat Concilium.

SVMMARIVM.

1 *Concilij intitulatio quomodo facienda sit.*
Et an debeat apponi locus.
Et an dici debeat in Concilio generali.
Et an loci locus particularis.

ARTICVLVS XIII.

1 Sed quæro quomodo gesta Concilij, quę mandantur literis, intitulantur? vtrùm sufficiat ponere gesta in tali generali Concilio, an sit necesse quòd exprimatur locus, in quo celebratur Concilium? Cardin. in procem. Cle. in 3.col. dicitur sentire, quòd non. Et idem tenet Fel. in cap.1. in 4.col. de sponſ. pro quo allegat gloſ. in cap. vbi periculum, de elect. in 6. Sed certè si benè inspiciatur, nec Card. nec gloſ. hoc dicit, sed quòd debet exprimi, quòd gesta sint in Concilio generali, quia Papa celebrat generale Concilium, 17. dist. per totum: Et ideò quando dicitur in eo, quòd dicit in Viennen. Concilio, congruentiùs fuisset dictum in generali Concilio, non per hoc dicitur, quòd non debeat poni locus. Quinimò ostendit Card. contrarium, cùm sumit argumentum, quòd locus debet exprimi in instrumento, & clariùs probat gloſ. in d. cap. vbi periculum, vbi ad verbum Concilio, addit scilicet generali, & edito Lugduni. Et hoc dico verum, quia opus est scire, vbi fuerit editum generale Concilium, sicut videmus in Concilio generali Viennenſ. &c. Non tamen credo, quòd sit opus exprimere locum loci, sed quo ad Lateranenſ. propter notorietatem Episcopatus Papæ sufficit expressio loci generalis, in alijs autem antiquis inuenitur expressus etiam locus particularis, vtpotè in quibus interdum vltra hoc, quòd est positus locus ciuitatis, etiam reperitur positus locus Ecclesiæ, in qua fuit celebratum generale Concilium.

SVMMARIVM.

1 *Acta Concilij sub cuius nomine dictari debeant, an Papæ, vel Concilij.*
Aliquando sub nomine Papæ, & Concilij, num. 2.
Aliquando nomine Concilij tantum, num. 3.
Aliquando sub nomine Papæ tantùm, num. 4.
Aliquando nomine Papæ per approbationem Papæ ad constitutionem Concilij, num. 5.
Aliquando per relationem constitutionis Conciliaris, & noui iuris editionem nomine Papæ, & approbationem Concilij, num. 6.
7 *Constitutio Concilij, quòd sub nomine Papæ edi debeat arg.*
Et ratio est, quia constitutio sumit robur à confirmante, num. 8.
9 *Confirmans quando dicatur dare remissiuè.*
10 *Excommunicatio lata per inferiorem approbata à Papa, dicitur Papalis excommunicatio quoad absolutionem.*
11 *Papa confirmans beneficium manuale datum Monacho, ex certa scientia ille Monachus non poterit amoueri ad nutum Abbatis.*
12 *Res denominatur à digniori.*
Abbatis distinctio quando constitutio debeat edi nomine Papæ, & quando nomine Concilij, num. 13. quam auctor reprobat, num. 14.
15 *Papa Concilio communicat auctoritatem, & ideò constitutio edita in Concilio per quamdam communicationem ita attribuitur Concilio, sicut Papæ.*
Comprobatio auctoris ex gestis plurimorum Conciliorum, num. 16.
Et respondet Auctor ad contrarium, num. 17.
Distinctio an Papa sit præsens, vel non, num. 18.
19 *Concilium vbi Papa est præsens nihil potest statuere sine auctoritate Papæ.*
Et vbi Papa est præsens ei adscribuntur acta Concilij, ibid.
Fallit, nisi Papa aliter voluerit fieri, n. 20.
Vbi verò Papa non est præsens, acta dictantur sub nomine Concilij, & transmittuntur per Papam approbanda, num. 21.
22 *Papa an Concilium debeat præferri in ordine scripturæ, in subscribendo.*
23 *Papæ subscriptio ad acta in Concilio licèt videatur aliquando postposita, fuit ex humilitate, vel in principio nascentis Ecclesiæ, vel quia sibi sic placuit.*
24 *Concilium dicitur facere id, quòd facit Papa in Concilio, & maximè absente Papa.*
25 *Concilium licèt in pluribus casibus subscripserit sub nomine vniuersali, hoc fuit ex humanitate, & tollerantia Papæ, & ad maiorem firmitatem.*
Et quòd sit per Concilium sit virtualiter per Papam, ibid. in fine.
26 *Papa confirmat constitutionem Concilij, quòd est signum superioritatis.*

ARTICVLVS XIV.

1 Sed hic quęro, qualiter debeat edi constitutio in Concilio, vtrum sub nomine Papæ qui ibi præest, an sub nomine Concilij, & sub cuius nomine dictari debeant acta Concilij. In hoc iura variè reperiuntur loqui, quia aliquando editur nomine Papæ, & Concilij: nam aliquando
2 dicitur sacro approbante Concilio, vt in cap. sacro. de sententia excommunic. & in suprascrip. cap. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. & in Clementina ad nostrum, de hær. in Clement. prima de Magist. in Clement. prima de vsuris: in Clementina attendentes de statu Monach. & de elect. lib. 6. in capitulo vbi periculum in versiculo hoc sacro. vbi hoc not. Domin. quòd in edenda constitutione conciliari Papa est ille, qui principa-

cipaliter statuit, & concilium se habet approbatiuè. Dicit etiam Hostiens. in cap. qualiter de elect. & refert Fel. in capitulo primo in tertia ampliatione, de constit. & in capitulo primo in fin. de tregu. & pa. & in cap. primo in fin. princ. de pac. Item dicitur aliquando sacri Concilij approbatione statuimus, vt in cap. pro humani, de homic. in 6. & in Clem. prima de hær. Aliquando hoc sacro Concilio attestante, vt in Clem. quia contingit, de relig. Domib. Aliquando sicut statuimus in Concilio, & in cap. cùm tu de vsur. Aliquando cum sancto Concilio deliberatione præhabita, vt in cap. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. Aliquando suadente Concilio, vt in cap. fin. de Bapt. Aliquando de Consilio fratrum nostrorum, & sacri approbatione Concilij, vt patet in cap. licèt, de elect. Aliquando sacri authoritate Concilij prohibemus, vt cap. nimis de iureiur. Aliquando, decernente nobiscum sancta synodo, vt in cap. scelus 2. quæst. 1. Aliquando de consilio Concilij in d. cap. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. Aliquando apparet con-
3 stitutio edita nomine Concilij tantùm, vt in exemplis infra positis. Nam aliquando dicitur commune totius Concilij anathema prolatum est, vt in cap. de laicis 12. q. 2. Aliquando placuit sancto Concilio, vt in cap. de ijs, & in cap. placuit 12. dist. Aliquando sancta synodus dixit, vel sancta synodus respondit, vt in cap. bene quidem 96. distinct. Aliquando placuit huic sancto Concilio, vt in cap. fin. 30. dist. & in cap. quamquam 23. dist. Vel ab vniuersis Episcopis dictum est satis placet, eadem dist. capitulo illud. Aliquando statuit hęc sancta synodus, vt in capit. quidam Monachi 16. q. 1. Vel placuit omnibus residentibus in sancta synodo, vt in cap. 1. ead. caus. & quæst. & in cap. 1. de iud. Aliquando vniuersi de synodo dixerunt, vt in cap. 1. de pac. Aliquando ad interrogationem si omnibus placet statuite, synodus respondit, placet, vt cap. Osius de elect. & d. cap. bene quidem. Et sic de multis similibus, vbi in persona Concilij gesta loquuntur, vt in cap. quoniam, & in cap. interdixit 32. dist. & in cap. definit. 17. quæst. 4. 45. dist. cap. de Iudæis 47. dist. cap. quoniam multi, vbi dicitur iustè censuit sancta, & magna synodus. Ad idem cap. 3. de rebus Eccles. non alien. & in cap. 1. de oblig. ad ratiocin. de officio custod. cap. fin. de successionib. ab intest. cap. 2. 22. quæst. 5. decreuit 12. quæst. 2. Apostolicos 21. quæst. 2. si quis iam translatus, & 21. quæst. 3. cap. vnio, cum multis
4 similibus. Aliquando sub nomine Papæ tantùm, vt patet pro maiori parte in omnibus iuribus editis in Concilio generali, vt in cap. nonnulli de rescript. in cap. ne pro defectu, cùm duobus sequentibus, de elect. in cap. cùm sit, de ætat. & qualitat. in capitulo quoniam contra de prob. in cap. vt debitus, cùm duobus sequentibus, de appell. in cap. nulla, de conces. præben. cap. de multa de præbend. cùm sequent. in cap. in aliquibus, cum duobus sequentibus, de decim. in capit. sed nec, & capitulo sententiam sanguinis, Ne clerici, vel mona. & in cap. non debet, de consan. & affi. & in multis alijs similibus in 6. vt in capi primo, & cap. vbi periculum, cum multis alijs sequen. de elect. & cap. primo, de re iudic. & alijs pluribus, & idem in Clemen-
5 tinis. Aliquando apparet edita constitutio nomine Papæ per approbationem Papæ ad constitutionem concilij, vt in cap. Lateranen. de præben. in cap. aduersùs de immun. Eccles. iuncto cap. non minùs
6 eod. tit. Aliquando per relationem constitutionis conciliaris, & noui iuris editionem nomine Papæ, & approbationem concilij, vt text. 16. quæstio prima cap. in canonibus iuncta suprascrip. vbi Symmachus Papa statuit ex authoritate Gangrensis concilij, & synodus approbauit, vt patet ibi in fin. illius text. vbi vniuersa synodus surgens acclamauit, vt ita fiat rogamus, dictum est octies exaudi Christe, Symmacho Papæ vita sit, dictum est duo decies. Sicut reperitur aliquando acclamatum Imperatoribus, in concilio Martini, & in Chalcedonen. & Agathonis.

Quid dicendum Petrus Card. Cameracen. in tract. de potest. Eccles. & Papæ, vide-
7 tur velle quòd sub nomine Papæ, à quo omnis virtus, & authoritas concilij procedit, & quod poterit addi sacro approbante concilio, sicut in alijs concilijs antiquitus obseruabatur, allegat capitulum damnamus de summa Trin. in §. nos autem, & in cap. vnico, de summa Trinit. in 6. & in Clement. prima eod. tit. & Clem. ad nostrum de hære. & Clem. 1. de vsur. Vndè simpliciter dicendum videtur prima facie, quòd omnis constitutio quæcumque sit facta in concilio debeat edi nomi-
8 ne Papæ, quia constitutio sumit robur à confirmante, non à concedente, ad hoc text. in cap. si Apostolicæ, de præben. in 6. omnia enim nostra facimus, quibus nostram authoritatem impartimur, dicit Imperator in l. prima C. de veteri iure enucle. Ad idem facit, quòd dicit Bald. in l. ex placito 3. column. C. de rerum permutat, quòd statuta Spoletana confirmata per Papam, dicuntur statuta Papalia. Facit, quòd dicitur in l. more, maximè per Iasonem, ff. de iur. omnium iudicum, in
9 glos. vbi ponitur materia; quando confirmans dicatur dare, & in l. si cæterum. §. fin. ff. de testamen. milita. Facit gloss. in capitulo ex frequentibus, de institut. quæ
10 vult quod excommunicatio lata per inferiorem, approbata à Papa dicitur Papalis excommunicatio, quoad absolutionem. Vide quòd dicitur in Specul. in titul. de sententijs in §. vt autem in 8. column. versic. quid si Papa. Facit quod dicit Innoc. & alij in cap. 1. de confirm. vtil. vel inutil. & text. in cap. si Apostolicæ Sedis Legatus, de præbend. in 6. gloss. 8. quæst. 2. in summa. Sic tutor datus filio emancipato à Patre in testamento, & à Prætore confirmatus, non dicitur testamentarius, sed datiuus, dicit gloss. in §. fin. instit. de tutelis. Et optimè facit illud, quod ponunt Doct. in cap. ad audientiam, & in capit. porrecta, & in cap. examinata de confirm. vtil. vel inutil. & Felin. in cap. per tuas de

maior. & obed. & Milis in verbo beneficium manuale, & remissiuè idem Felin. in cap.
11 constitutus de rescrip. quod si Papa confirmat beneficium manuale datum Monacho, & hoc ex certa scientia, non poterit amoueri ad nutum Abbatis, quia sumit vires à potestate, & authoritate confirmantis, qui ex certa scientia potest, & facit ipsum perpetuum, & eius naturam mutat. Vndè cùm concilia sumant omne robur à Papa, vt in cap. significasti de elect. nec possint haberi aliqua concilia rata sine Papæ authoritate, vt patet. 17. distinct. per totam, & statuta concilij confirmentur auctoritate, & constitutione Papæ, vt in cap. bene quidem 96. dist. in versic. quòd si, & canones editi ab alijs Pontificibus, non confirmentur per concilium, sed per Papam, vt in cap. qualiter, & quando el 2. de accus. quia inferior non confirmat gesta superioris, vt in cap. 1. & 2. de confirmat. vtil. vel inutil. & solus Papa præsente concilio deponat Imperatorem, vt in cap. ad Apostolicæ, de re iudic. notat. Aretin. in dict. capit. qualiter, & quando, videtur quod omnia edita in concilio de-
12 beant denominari à Papa. Ad idem facit quod res denominatur à digniori gloss. in cap. 1. in verbo fratribus de renun. in 6. in cap. 1. de offic. leg. in 6. Facit quod dicitur, in cap. quòd in dubijs de consecr. Ecclesiæ, vel altaris, & in cap. vnico eod. tit. in 6. & in cap. si is cui de præben. in 6.
13 Abbas in cap. Osius in 3. notabili de elect. in cap. idest de pac. in vlt. notabili dicit, quod debet lex, vel constitutio edi sub nomine concilij, & non nomine Papę, tamen, quia ibi text. nullam facit mentionem de Papa, qui ibi præsidebat. Dicit tamen, quòd quando materia legis originatur à Papa, licèt concilium approbet, tamen lex edenda est nomine Papæ à quo sumpsit vigorem, & originem, nam & sine concilio Papa potest legem condere, cap. cuncta per mundum 9. quæst. 3. gloss. in cap. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. Quando autem materia legis à concilio originatur, tunc nomine concilij est lex edenda; nam in concilio interest Papa vt caput, pro hoc cap. Osius de elect. & 1. quæst. 7. conuenientib. Quinimò dicit quod maioris roboris est constitutio totius Ecclesiæ, quàm solius Papæ tantùm; allegat. cap. cum dilecti de elect. & quòd notat Archid. 18. dist. in summa. Sed de hoc infra latiùs dicetur in loco suo. Idem etiam replicat Abb. in cap. consensus de rebus Eccles. non alien. & idem ibi Alexand. qui dicit, quòd vbi aliquid statuit Papa ad motum, seu suasionem consilij, illud adscribitur concilio, & non Papæ, secus si Papa sit principalis promotor, quia tunc adscribitur Papæ, & non concilio, vt in cap. licèt de elect. & in cap. aduersùs de immunit. Eccles. & dict. cap. ad Apostolicæ de re iud. in 6. iunctis suprascrip. Sed si rectè aduertatur ista
14 dist. nihil est, quia semper Papa, vel alius præest concilio, & à capite debet regulari, & ei attribui, quòd fit per concilium, argumento, §. religiosum institutio. de rerum diui. & l. cum in diuersis ibi Bart. ff. de religio. & sumpt. fun. 13. quæst. secunda, in ecclesiastico ibi glos. & vt dictum est supra res denominatur à dignioribus. Bal. tamen l. 2. C. de manumiss. vindicta, dicit quòd non est vis vtrùm pronunciantes sententiam in concilio dicant, nos concilium, vel nos Archiepiscopus de consensu concilij nostræ Ecclesiæ, & allegat Archid. 17. dist. cap. generalia. Et loquitur in concilio prouinciali, dicens, quòd à tali constitutione, siue sententia poterit solus Archiepiscopus sine concilio absoluere, & eius suffraganeus suum subditum, quia est sententia iuris, per cap. nuper de sent. excommun. vbi idem Dom. & latè Alexand.
15 in fin. Immol. tamen in capit. 1. de pac. vult quòd constitut. edita in concilio, ita attribuitur etiam concilio per quamdam communicationem, sicut & Papæ, quia Papa communicat concilio authoritatem. Et idem notat ibi Anton. de Butrio, qui dicit, quòd licèt Papa ibi sicut caput, tamen potestas legis condendæ dependet ab ipso solo, sed etiam à concilio.
16 Et hoc videtur probari ex gestis plurimorum conciliorum, in quibus apparet, quòd sub communi nomine Papæ, & concilij sunt edita, & gesta. Patet ex gestis Chalcedonensis Concilij in depositione Dioscori, quia postquam Dioscorus tertiò monitus noluit comparere, tunc Paschasius Legatus Leonis Papæ ad synodum dixit, volumus edi scere à vestra sanctitate qua pęna dignus sit Synodus dixit, quę placita sunt canonibus fiant. Paschasius dixit iubet reuerentia vestra, vt vltione canonica contra eum vtamur consentitis, an aliud placet. Sancta Synodus dixit etiam, consentimus, nullus dissentit, totius synodi voluntas est. Vndè Iulianus Episcopus Hipponen. dixit ad Legatos Leonis, petimus vestram sanctitatem, in eo quod magis inter cæteros eminetis, habentes locum sanctissimi Papæ Leonis, iustam in contumacem promulgare vindictam, ac regulis insitam contra eum ferre sententiam, omnes enim nos, & sancta Synodus concors efficitur sententiæ vestræ sanctitatis. Paschasius dixit, quod placet beatitudini vestræ vnanimiter proferatur, & maximus Antiocheuus Episcopus dixit, quod videtur sanctitati vestræ censendum, in hoc concordes efficiuntur simul. Et post hoc Legati Apostolici pronunciauerunt sententiam in Dioscorum, & postea Anatholius Episcopus Constantinopolit. & omnes de Concilio sententiam dederunt, dicendo eum alienum iudico Sacerdotalis, siue Episcopalis dignitatis. Ex his apparet, quod Legati Apostolici in concilio, qui primo loco existunt, primo proferunt sententiam, si synodus iubet, & post illos omnes alij secundùm ordinem, & ex vnitate voluntatis, & concordię dependet vigor sententiæ, & sic ità constitutio, & decretatio tribuitur concilio, sicut Legatis Papæ, & sub nomine omnium concordi-
17 ter editur. Nec obstat, quòd legitur act. 15. cap. vbi Iacobus, qui erat Episcopus Hierosolymitanus, etiam præsente Petro protulit sententiam, dicens, ego iudico

non

non inquietari eos, &c. & epistola ibidem scripta sumit exordium ab Apostolis, & concilio, dicens, Apostoli, & seniores ij, qui sunt Antiochiæ &c. & iterum placuit nobis simul collectis in vnum eligere, &c. & iterum sequitur visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere, & nihil dicere sub nomine Petri, qui erat præsens. Quia respondetur, quòd ita fuit ibi non contradicente, sed volente Petro, & quia actus originabatur ab ipso concilio, vel, & aliter quòd ibi non fuit aliqua constitutio edita, sed quædam ordinatio facta pro tunc per omnes Apostolos, & ideo ab illis sub nomine omnium alijs intimata. Vel potest aliter responderi, vt infra in fi-
18 ne huius articuli dicetur. Vnde potest dici, quòd quando papa est præsens, tunc acta concilij debent dictari sub nomine Papæ, qui est caput concilij, vt in capit. Osius, & cap. significasti de elect. 1. qu. 7. cap. conuenientibus, ipse enim est vniuersalis concilij præsidens, vt patet in suprascript. in capitu. si quis 35. quæst. 2. & 2. quæst. 7. cùm pastoris 25. quæst. vlt. cap. si quis dogma, 35. quæst. 9. cap. quòd quis cap. 1. in suprascrip. de simon. cap. in nomine Domini, 23. dist. Quinimmò concilium petit à Papa, vt constitutionem faciat, 12. quęst. 2. cap. Ecclesiarum seruos. Et concilium debet consentire iustis statutis, vt est text. 12. quæst. 2. si Episco-
19 pus. Et vbi Papa est præsens, concilium nihil potest statuere sine authoritate Papæ, vt est text. in cap. bene quidem in versic. quòd si cuiuslibet 96. dist. Vndè dicit sanctus Thom. contra impugnantes religionem in 4. cap. in antepenult. column. quòd sancti Patres in concilio congregati, nihil statuere possunt sine authoritate Papæ. Et vbi Papa est præsens, ei ascribuntur acta concilij, argumen. cap. ij qui de præben. in 6. quod ponit Alexan. in cap. Anastasius, circa fin. 19. dist. Habito autem consensu concilij dicitur sacro approbante concilio, vt ostendunt iura supra primo loco allegata. Et istam conclusionem posteà positam reperiui per Petr. Card. Cameracen. in tractat. de potest. Eccles. & Pap. in 2. quæst. tertiæ partis, versic secundo quæritur, & bene probat text. iuncta glos. in
20 cap. ex gestis de cler. non resid. Nisi Papa aliter fieri voluerit, videlicet, quòd sub nomine vtriusque, videlicet suo & concilij decretum edatur. Ad quòd facit gestum in concilio Martini vbi subscribendo damnationi Sergij, Constantini Pyrrhi, & Pauli processit per viam subscriptionis, subscribendo, videlicet Martinus sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ vrbis Romæ Episcopus, huic definitioni confirmationis Orthodoxæ fidei, & damnationi Sergij, Constantini Pyrrhi & Pauli, statuens subscripsi, & sic etiam Maximus sanctæ Aquileien. Ecclesiæ Episcopus, confirmando, damnando, & statuendo vnà cum 3. Episcopis se subscripsit, quilibet in eadem forma. Sic in concilio, cui præfuit Gregorius iunior tempore Constantini iunioris Imperatoris Romæ, videlicet Gregorius sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Vrbis Romæ Episcopus, huic constituto à nobis promulgato subscripsi, & omnes pari formiter subscripserunt. Et idem in Symmacho, qui tempore Thedorici Regis in synodo per eum habita cum 218. Episcopis præsidens in 6. actione dixit, sanctorum Patrum statuta firmantes expressis sententijs sancimus &c. & Symmachus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit, quod si aliqui hæc transgressi fuerint, & talia præsumpserint, quòd consedissent manifestare. Cùmque surrexissent, & paulò post iterum super his vobis videtur pari abiuratione dixerunt, si quis hæc hodie in hac Synodo prohibita infringere præsumpserit, si clericus fuerit gradu proprio careat, si monachus, vel laicus communione priuetur. Et infra dum resedissent facto silentio vniuersa Synodus dixit, quisquis clericorum, aut Monachorum, vel laicorum tam maioris ordinis, quàm inferioris post hanc formam à nobis prolatam his decretis contraire præsumpserit, statutis canonicis, velut schismaticus percellatur, & subscripserunt. Symmachus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Vrbis Romæ huic constituto à nobis inspirante Domino peracto subscripsi. Similiter Episcopus Mediolanensis, & alij sub eadem forma subscripserunt. Et iterùm in eadem 6. actione, quando dicit aliqua statuta renouanda, subscripsit, & alij omnes pariformiter subscripserunt. Similiter in Concilio Aphricano capit. 6. & in Concilio Papiæ habito per Bonifacium, & his similibus fuit, quia ita voluerunt illi Pontifices ex humilitate procedere.

21 Sed vbi Papa non esset præsens in Concilio, tunc acta dictabuntur sub nomine concilij, & postea transmittentur per Papam approbanda, & ita procedunt iura secundo loco adducta. Et ita videtur fuisse factum in Concilio Chalcedonen. celebrato absente Papa. Et ita respondet præfatus Card. ad iura, quæ dicunt Concilium definit, quòd loquuntur, vel quando dicitur Papa à fide deuius pertinaciter, vel vbi Papa non fuerat præsens, sed aliàs authoritatem præstabat, sicut in concilio contra Symmachum in 5. hinc etiam, 17. distinct.
22 Et ex his patet quis debeat præferri in ordine scripturæ, verùm Papa, an Concilium. Quia videtur, quòd Papa, vbi Papa in Concilio præfuit, alioquin Concilium, quia confirmatio sequitur editionem constitutionis, vt per totum, de confirm. vtili, vel inutili, & d. l. 1. C. de ve. iure enucl. Quicquid videatur Brix. dubitasse in repertorio in verbo Papa, & pro Papa allegat de consecrat. dist. 2. cap. in quibus, in suprascrip. vbi dicitur Leo Episcopus, & sancta Synodus. Et allegat ad idem epistolam Athanasij ad Marcum Papam, & epistolam Stephani Archiepiscopi ad Damasum Papam, & epistolam Aurelij Carthaginen. Episcopi ad Innocentium Papam, & text. de consecrat. dist. 2. ego Berengarius, & de eo, qui cogno. consang. vxor. suæ, cap. cùm haberet, 11. quæst. 3. Theugualdum.
23 Et vbi quandoque Papa postponitur, dicit hoc factum ex humilitate Papæ, allegat,

12. quæst. 2. dilectissimus, 97. dist. victor. Facit, quod dicit tex. de Beato Gregorio in cap. si quis super his, 2. quæst. 7. & quod dicitur in capit. nihil, de præscript. Et ista videtur fuisse mens præfati Card. Cameracen. quòd vbi hoc factum reperitur sub nomine Concilij, illud processerit ex humilitate Papæ. Et de Brixien. in dicto verbo Papa, facit mentionem Felin. in postilla ad Monarchiam Petri de Monte circa fin. in vers. his expeditis, quando examinat quæstionem quis sit maior, vtrùm Papa, an Concilium. Et ad præmissa facit text. in cap. noli, & in cap. ego, 9. dist. Et ideò si aliquando in Concilio, vbi Papa præfuit, reperiatur lex edita sub nomine Concilij, & non Papæ, vel illud fuit in principio nascentis Ecclesiæ, vel ex humilitate Papæ, vel quia sic ei placuit edi nomine Concilij, sequuta approbatione ipsius Papæ. Ad præmissa facit text. in cap. quamuis, iuncto cap. prouida de elect. in 6. vbi
24 probatur, quòd Concilium dicitur facere id, quod facit Papa in Concilio, quod etiam probat text. in cap. non minùs, iuncto capit. aduersùs de immunit. Eccles. Et maximè hoc procedit, quando Concilium tenetur in absentia Papæ, & constitutio mittitur confirmanda ad Papam, & videtur, quòd constitutio originatur à concilio, & sub nomine concilij edenda Papa approbante, & ideò meritò videtur præponendum nomen Concilij tamquam necessarium, ex quo gestum à Papa, videlicet confirmatio necessariò debet sequi, iuxtà notata in cap. examinata, & in cap. venerabilis de confir. vtil. vel inutil. & in cap. inter dilectos de fide instrum. Et si dicatur, quòd cùm agitur de reformatione in capite, & in membris, necessariò deberet edi sub nomine Concilij. Respondet præfatus Card. quòd non est alius, qui possit authoritatem præstare, quàm ipsemet Papa, quia non est dare superiorem, & tit. C. ne quis in sua causa ius sibi dicat, non habet locum in Papa, vt in cap. si Papa, 40. dist. & dicitur in cap. cùm venissent de iud. & ideò si aliter hoc casu factum reperitur, etiam non de necessitate, sed ex humilitate processit. Ægidius tamen in Clem. dudum de sepul. in prin. in 4. notabili dicit, quòd li-
25 cèt Concilium generale possit instare apud Papam, vt constitutionem faciat, vel approbet, vel gratam, & ratam habeat, tamen Concilium non debet constitutionem facere, & dicit hoc colligi ex illo tex. clē. à contrario sensu. Quod intelligit, nisi in casibus, in quibus Concilium iudicare potest de Papa, vt in causa hæresis, vt in capit. in fidei de hæret. in 6. & in causa Papatus, 79. dist. si duo, & similibus. Et hoc intelligo, quando Concilium vellet sine authoritate Papæ, vel contra eius voluntatem aliquid statuere de non concernentibus fidem. Facit, quòd dicitur in glos. in cap. in istis, 4. dist. Et ratio est, quia concilia sumunt robur ab authoritate Papæ, cap. significasti de elect. Et cum ista opinione Ægidij videtur esse glos. & Doct. in d. cap. vbi periculum, & glos. & Innoc. in d. cap. ex gestis, quia solus papa habet potestatem authorizandi, & statuendi, & non Concilium, vt refert Abbas Siculus ibi. Non obstat, quòd legitur act. 1. vbi electio Matthiæ ad Apostolatum fuit facta ab omnibus Apostolis, & adscribitur Apostolis cùm dicitur, statuerunt duos, & non dicitur, quòd Petrus statuit. Similiter act. 6. cùm dicitur, quòd Apostoli conuocantes multitudinem discipulorum dixerunt non est bonum derelinquere nos verbum Dei, & subiungitur constituamus super hoc opus, & deinde imposuerunt eis manus, & non dicitur, quòd Petrus imposuit. Ad idem act. 8. vbi dicitur, quòd miserunt Petrum, & Ioannem. Ad idem actuum. 15. vbi Iacobus iudicauit, & epistola dicitur facta non nomine Petri, sed Apostolorum, & Seniorum fratrum. Ad idem act. 21. quando Paulo fuit iniunctum à congregatione Seniorum, vt se conformaret in ceremonijs Legis Mosaicæ, actio ibi notatur communis, cùm subditur hoc ergo fac, quod dicimus, & in omnibus prædictis capitulis, videlicet in 1. 6. 15. & 21. Apostoli erant conciliariter congregati. Istis enim respondetur, quòd licèt sub nomine vniuersali fuerit decretatum, non tamen ex hoc sequitur, quòd constitutio debeat edi nomine concilij, sicut quando dicitur placuit sancto Concilio, non ex illo innuitur, quòd constitutio sub nomine Concilij debeat edi de necessitate, sed potuit si aliquando secùs contigit, ex humanitate, & tolerantia Papæ fieri ad maiorem firmitatē, quia quod fit per Concilium, virtualiter fit per Papam, qui illi præest. Vnde dicit Hostien. in cap. qualiter el 2. de accusat. quod Concilium non confirmat constitu-
26 tiones, sed approbat, sed Papa est, qui confirmat, quia confirmatio est actus superioritatis, vt ponit Bald. in l. fin. C. de ll. & Card. in capit. significasti in 10. contrario de elect. & Felin. in cap. 1. de treu. & pac.

SVMMARIVM.

1 *Constitutio facta in vno concilio, & renouata in alio, à quo denominanda an à priore, an à sequenti.*

2 *Innouans non dicitur aliquid de nouo facere, sed vetus conseruare.*
Fallit si illud fuisset penitùs cassum, ibid.

3 *Constitutio aliquando tribuitur duobus Pontificibus, intellige, quando secundus aliquid addit.*

4 *Subscriptiones de quibus hic, an faciant constitutionem Papæ, an concilij, &c.*

ARTICVLVS XV.

1 Vlteriùs quia contingit interdum, quòd constitutio renouatur in alio Concilio, quæro, à quo congruentiùs denominabitur, à priore concilio, an à sequenti, Felin. in cap. 1. de pac. dicit, quòd congruentiùs denominatur à secundo, allegat glos. in verbo Concilio in capit. vbi periculum de elect. in 6. Sed illa glos. non ita simpliciter loquitur, sed dicit, quòd ex

quo

quo illa constitutio fuerat reuocata per Adrianum, & Ioannem, potiùs sumit vigorem ex renouatione Cœlestini Quinti,& ex approbatione Bonifacij. Quinimò contra hoc videtur tex. in cap. quia intentionis, de priuileg. in proœm. 6. & in cap. 1. de
2 præb. eod. lib. vbi dicitur, quòd qui innouat nihil de nouo facit, sed vetus confirmat,idem text. in capit. ex parte de priuileg. Vnde Abbas in d. cap. quia intentionis, distinguit, quòd vbi ius antiquum esset penitùs sublatum tunc dicitur de nouo dari, aliàs secùs quando non esset sublatum. Et sic concordat cum glos. in verbo Concilio, quæ dicit, quòd constitutio illa erat penitùs reuocata, & meritò sumit robur ab innouatione. Et pro hoc facit tex. in argum. in cap. 1. de postul. Prælat. vbi innouans postulationem cassatam, dicitur de nouo postulare. Pro Felino facit, quòd dicit text. & ibi Doctor. in verbo cùm adijcit in l.1. §. si quis simpliciter, ff. de verbor. oblig. vbi cùm additur, vel detrahitur primę dispositioni,dicitur creari noua dispositio, l. ius ciuile, ff. de iustit. & iure. Sed hoc parùm facit, quia nos loquimur in nuda innouatione, & non cùm adijcitur primæ. Ad quod facit text. in capit. non minùs, iuncto cap. aduersùs de immunit. Eccles. Posset saluari quod dicit Felin. eo casu, quo prima constitutio, vel non seruabatur, iuxta cap. 1. de tregu. & pac. vel fuerat abolita per contrarium
3 vsum. Interdum tamen idem canon attribuitur duobus Pontificibus, vt 12.quæst.1. in cap. necessaria. Quod intelligit Felin. in d.cap.1. de pac. quando secundus aliquid addidit, allegat l. fin. ff. de operibus publ, Item adde prædictis, quòd vbi Papa
4 dicit, statuimus de consensu Concilij, vel nobiscum decernente Concilio, iuxta cap. scelus 2. quæst. 1. & capit. nimis de iureiuran. cum simil. tunc illa est potiùs constitutio Concilij, quàm Papæ, secundùm allegat Archi. 17. dist. in princ. ponit Felin. in cap.1. de pac. & in cap.eam tex.25.col. de rescrip. vbi videtur magis dicere, quòd sit potiùs vtriusque, quòd mihi placet per notata in d.cap.graue, de præb. Item adde quòd per ista verba sacro approbante Concilio dicitur constitutio conciliaris, secundùm Dom. in cons. 44. quod intellige per quamdam communicationem, secundùm Anton. in cap.1.de pac. & Immol. ibidem. Si tamen dispositio continet aliquot capitula, in quibus non est replicata ista clausula, tunc in illis alijs capitulis non dicetur dispositio conciliaris, sed Papalis, vt ipse dicit in dicto consil. nec dicetur tunc Papa facere contra Concilium reuocando constitutionem in illis alijs capitulis, vt dicit ibidem Domin. Item adde prædictis, quòd per ista verba in constitutione posita, videlicet sacro approbante Concilio, non probatur, quòd constitutio fuerit edita in Concilio, sed quòd fuerit postea approbata per Concilium,dicit Ioan.Monac. Ioan. Andr. & Dom. in cap. vbi periculum de elect. in 6. Ita dicit, & refert esse singulare Felin. in cap.1. in 4. colum. de spons. Sed si bene aduertatur, Dominicus hoc non dicit, sed quòd Concilium se habet approbatiuè in constitutionibus conciliaribus, & quòd Papa principaliter statuat, bene probat Ioan. Andr. Dic vt dixi in quæstione precedenti qualiter debet edi constitutio in Concilio.

SVMMARIVM.

1 *Papa, an possit tollere statuta Concilij.*
Et communis est quod sic. num.6.
Et quomdo intelligen. num.10. 11. & 12.
2 *Papa debet instituta Patrum, vsque ad animam, & sanguinem tueri.*
Et quomodo intelligen. num. 24. 25. & 26.
3 *Auctoritas Rom. Pontificis semper excepta intelligitur in statutis conciliaribus.*
4 *Par in parem non habet imperium.*
5 *Papa interdum interpretatiuè, interdum limitatiuè, interdum dispensatiuè, interdum penitus tollendo constitutiones conciliares, procedit.*
Et non tantùm, hæc facit Papa, sed tollit, & damnat Concilia. num. 8. & ponit exempla.
7 *Concilium non confirmat, sed approbat constitutionem Papæ.*
8 *Concilia per Papam reprobata.*
Distinctio auctoris, an, & quæ statuta Concilij possint per Papam tolli. num.9.
10 *Papa non potest tollere statuta Concilij in his, quæ pertinent ad articulos fidei. potest tamen in his, quæ sunt quasi iuris positiui, vt in exemplis. num.12.*
Papam non dispensare contra quatuor Euangelia, quomodo intelligendum. ibidem.
Fallit interpretando. num.11.
Dummodò interpretatio non contineat aliam fidem, sed eamdem magis expositam, num.14.
13 *Papa potest restituere, quos Concilium damnauit.*
15 *Oportet verbum importat honestatem.*
16 *Canonum genera, in quibus Papa dispensare, & in quibus non ex mente Sanct. Thom.*
17 *Papa, an possit tollere stat. concilij in his, quæ licèt sint de iure diuino, non tamen sunt circa articulos fidei Sancti Thomæ opin. num.18.*
19 *Præcepta moralia, & iudicialia, quæ manserint integra, & quæ non, & in quibus Papa dispenset.*
Et quomodo intelligen.
20 *Essentialia Sacramentorum, & accidentalia quæ, & quæ possint per Papam immutari. & num.21.*
Et de forma Sacramentorum, quæ possit per Papam immutari, & quæ non. num.22.
24 *Forma ab Apostolis data in consecratione Episcoporum, an Papa, vel Concilium Sede vacante posset mutare.*
In formis Sacramentorum videtur varietas inter Theologos, & Canonistas. numero 24.
25 *Cap. contra statuta. 25. quæstione 1. intellectus.*
26 *Appellantes ad futurum concilium declarantur hæretici.*
27 *Decretum Concilij Constantiensis locale tantùm.*

Et

Et non ligat Papam. num.28.

29 *Conf. Ludouici 380. declaratur.*

30 *Papa contra statuta Concilij dispensat cum difficultate, & magna subsistente causa.*

ARTICVLVS XVI.

1 SVccessiuè, vtrùm Papa possit tollere statuta Concilij. Videtur, quòd non. Et pro hoc est text. in cap. sicut. 15. distinct. vbi dicit text. quod statuta Concilij sunt suscipienda, & veneranda, sicut quatuor Euangelia, sed contra quatuor Euangelia Papa non potest dispensare, vt dicit glos. & Doct. in cap. proposuit de conces. preb. 25. quæst. 1. cap. sunt quidam. 19. dist. capitul. ita Dominus. §. Hoc autem, ergò, nec contra statuta Concilij. Et considerandum est, quod verba illius text. sunt verba Beati Gregorij, qui erat Papa, sicut autem ipse debebat venerari talia statuta Concilij, sic & successores. Nec obstat, quòd text. dicto cap. sicut, loquitur de 4. Concilijs principalioribus, quia text. sequens, qui incipit sancta Romana Ecclesia, postquam locutus est similiter de dictis quatuor Concilijs, postea subiungit, sed & si qua sunt Concilia à sanctis Patribus instituta, post illorum. 4. authoritatem custodienda, & recipienda decernimus. Et ad idem videtur text. in cap. contra statuta. 25. quæst. 1. vbi dicit text. quòd contra decreta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem sedis potest authoritas. Et hoc videtur velle glos. in cap. legimus. 93. dist. & fuit definitum in Concilio Constantien. & quod Concilium habet immediatè potestatem à Deo, & quod quilibet etiam Papa tenetur obedire præceptis, & ordinationibus Concilij in quinta sessione Constantien. Ad idem sunt plura iura. 25. quæst. 1. vbi dicitur, quòd

2 Papa debet instituta Patrum, vsque ad animam, & sanguinem tueri in cap. sunt quidam, & alia similia in cap. seq. & cap. violatores, & cap. prima salus, & cap. quæ ad perpetuam, & cap. nulli fas, & cap. à sanctis, & ferè per totam illam quęstionem, & 20. dist. cap. decretales, & cap. de libellis. 4. dist. cap. in istis. 16. dist. cap. sancta octo. 19. dist. §. Ex hoc autem. Ad idem est authoritas Leonis Papæ ad Martianum Imperatorem, qui scribens de canonibus Nicœnæ Synodi, dicit quòd nulla possunt improbabilitate conuelli, nulla nouitate violari. Et subdit, in quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo necesse est me perseuerantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulę sanctionum, quæ spiritu Dei spirante sunt conditæ, me, quòd absit, conniuente violentur. Et quod non possit Papa tollere statuta Concilij, consuluit in effectu Lud. Consil. 380. vbi vult, quòd Papa non potuerit prouidere de dignitate electiua contra constitutionem Concilij volentis eo casu Ecclesiæ prouideri per viam electionis. Ad quod facit, quod ponit Arch. post glos. 15. dist. cap. sicut, videlicèt, quòd Papa non potest reuocare statuta Concilij contra salutem, & statum vniuersalis Eccl.

3 Sed in contrarium, quòd imò Papa possit tollere statuta Conciliorum, est text. in cap. significasti de elect. vbi dicitur, quòd in statutis Conciliorum semper excipitur authoritas Romani Pontificis, cùm Concilia sumant robur ab authoritate Papæ, & Romanæ Ecclesiæ. Et licèt text. loquatur de Romana Ecclesia, tamen in Papa idem dicit text. in cap. benè quidem circa fin. 96. dist. Et hoc dicit glos. in cap. vbi periculum in verbo Concilio Generali, de elect. in 6. vbi dicitur, quòd Adrianus Papa, & posteà Ioannes. 21. licèt non fuerit ęquum, potuerunt reuocare illam constitutionem editam in Concilio, videlicèt cap. vbi periculum, etiam sine requisitione Concilij, Idem, ibi, Ioan. And. Domi. & glos. in dicto cap. sicut. 15. distin. Ad idem est text. in cap. cùm in cunctis, iuncto cap. innotuit de elect. vbi patet, quòd licèt dispositio, dicto cap. cùm in cunctis, fuerit edita in Concilio Generali, & concerneret decorem Ecclesiæ, nihilòminùs Papa in dicto

4 cap. innotuit dicit, quod, quia par in parem non habet imperium, successor non potuit ligari, nec arctatur ad obseruantiam illius, cap. si nolit. Ad idem cap. 2. iuncto cap. proposuit de conces. Præben. & cap. 2. eodem titulo in 6. Ad idem cap. nonnulli de rescrip. iuncto cap. statutum eodem titulo in 6. vbi reuocatur factum in Concilio. Ad idem cap. statuimus, iuncto cap. constitutionem de sentent. excomm. in 6. vbi declaratur gestum in Concilio per solum Papam. Ad idem text. in cap. vt circa iuncto cap. qui contra de elect. in 6. vbi restringitur à Papa constitutio conciliaris. Ad idem cap. licèt canon iuncto cap. statutum eodem titulo, & lib. Ad idem cap. ne pro defectu de elect. iuncto cap. quamquam eodem tit. in 6. Ad idem d. cap. licèt canon, iuncto cap. cùm ex eo, & cap. commissa de elect. eo tit. & lib. Quę constitutio conciliaris fuit postea reuocara per Bonifacium 8. per extrauagantem piæ sollicitudinis, vt vide decis. Dominorum. 199. incipit item, licèt. Ad idem cap. subdiaconus, & seq. & cap. Episcopus. 77. dist. quæ etsi sunt iura Concilij, etiam tolluntur per cle. generalem de æta. & quali. Ad idem text. in cap. ideò, cunctis duobus. §. Immediatis. 25. quæst. 1. cap. regulæ. 29. distinctione 1. quæst. 7. cap. necessaria, & capitulo requiris, eadem causa, & quæst.

5 Et multa his similia reperiuntur in iure, in quibus interdum interpretatiuè, interdum limitatiuè, interdum dispensatiuè, interdum tollendo pęnitus constitutiones conciliares, iura procedunt. Vndè quod

6 Papa possit tollere constitutionem conciliarem sine alio Concilio, tenent communiter Doct. in cap. significasti de elect. vbi Ioan. Ant. & alij post eum volunt, quòd possit illas immutare sine consensu Concilij, & tollere, & limitare, & idem Doct. in dicto cap. vbi periculum eo titu. in 6. maximè Domin. in glos. super verbo Concilio. Similiter dicitur, quòd solus Papa confirmat Constitutiones Concilij non è contra Concilium Constitutionem Papæ, quia

quia confirmatio est actus superioritatis, vt dicit Card. in cap. significasti. in 10. contrario de elect. ponit Feli. in cap. 1. in fin. de treug. & pac. & in cap. 1. in 3. ampliatione de const. Bald. in l. 1. C. de l. 1.
7 Vndè Concilium non confirmat, sed tantùm approbat constitutionem Papæ, vt ibi dicitur. Et quòd possit tollere statuta Concilij præterquam in concernentibus fidem ponit Fel. in d. 3. ampliatione. Pro hoc facit, quia, quod plus est, non solùm
8 tollit, & limitat constitutiones conciliares, sed damnat concilia, vt patet in Concilio Ariminen. in quo, vt dicit Hierony. in dialogo aduersùs Luciferianos, sub nomine vnitatis, & fidei infidelitas scripta est; quæ omnia per Damasum Papam condemnato Liberio annullata sunt. Vndè August. vocat illud Concilium, latrocinium. De cuius Concilij damnatione, text. in cap. sancta in §. in primis 15. dist. Sic est etiam de Concilio Ephesino secundo, quod annullauit Leo Papa in Chalcedonensi Concilio. Sic videmus de Concilio Aquisgranen. vt in cap. placuit 36. quæst. 2. quod à Hieron. improbatur in cap. tria eadem causa, & quæst. Sic & de Concilio Constantinopolitano 330. Episcoporum tempore Constantini de imaginibus Dei, & sanctorum tollendis, quod postea Stephanus Papa Romæ reprobauit, quòd ponit Vincentius Historialis lib. 24. cap. 174. vbi etiam de alijs similibus Concilijs reprobatis in eodem lib. diffusè ponit, de quibus etiam ponit diffusè Cardinal. de Turrecr. in tractat. de potestate Papæ lib. 3. cap. 62. Licèt ad ista posset responderi, quòd illa concilia sic reprobata, fuerunt concilia sine Sedis Apostolicæ authoritate congregata.
9 Et pro conclusione huius quęstionis dic, quòd in statutis Conciliorum dupliciter aliqua continentur, quia quædam sunt, quæ concernunt ius diuinum circa fidem, sicut in Nicęna Synodo contra Arium statutum fuit, quòd filius esset æqualis, & consubstantialis patri, & sicut in Concilio Constantinopolitano determinatum est Spiritum sanctum esse verum Deum, & sic de alijs, vt patet. 15. d. cap. 1. Et talia sic determinata non potest Papa tollere, vel
10 contrarium statuere, quia non potest tollere statuta Concilij in ijs, quæ pertinent ad articulos fidei. Et sic intelligitur quod dictum est, quòd debent statuta quatuor Conciliorum seruari, sicut quatuor Euangelia, & quòd Papa non dispensat contra quatuor Concilia principalia, vt in dicto cap. sicut. 15. dist. ibi glos. Et ita intelligitur, quod dicitur quod Papa debet requirere, & statuere cum consilio Episcoporum, vt in cap. Anastasius. 19. dist. ibi glos. Quod qualiter intelligatur, vide quod latiùs dico, infra proxima quæstione. Et hoc vult sanct. Thom. in secunda secundę, qu. 1. art. vlt. & idem sanctus in quodlibeto. 4. art. 13. Et sic intelligitur quod dicitur quòd Papa non dispensat contra quatuor Concilia, nec contra dictum Apostoli, nec contra quatuor Euangelia, vt est glos. in cap. proposuit de concess. præbend. in capitulo post translationem de renunc. in gloss. & gloss. in capitulo literas de restit. spoliat. & glos. in capitulo, quæ ad perpetuam, & glos. in capitulo sunt quidam 25. quæstione 1. & gloss. in capitulo cùm ad Monasterium de statu regul. & glos. in cap. ex multis. 1. quæst. 3. ponit Hostiens. in summa in tit. de dispensat. in §. 1. versic. alicuius, quod etiam ponit Abb. in cap.
11 quòd translationem de offic. leg. Et in cap. maiores de baptis. & in d. cap. post translationem est casus, quòd etiam contra vnum ex quatuor Concilijs principalioribus disponit interpretando. Sic videmus etiam interpretari contra verba Euangelij, vt quod in ore duorum, vel trium stet omne verbum, vt in capitulo in omni de testib. & tamen in depositione Cardinalis requirit maiorem numerum vt 2. quæst. 5. cap. 1. & 2. Et si contra Euangelium, eodem modo contra illa quatuor Concilia, quæ sunt seruanda, sicut quatuor libri Euãgelij. Quod intelligendum est præterquam in ijs, quæ sunt de articulis fidei, quia in præmissis casibus non disponitur de articulis fidei, & ita dicunt Doct. in d. cap. post translationem, quia in alijs, quàm in articulis fidei dicit ibi Ioann. And. & refert Pet. de Anchar. est supra omnia concilia per d. cap. significasti, & in illis anima eius manica eius, & quia ista quatuor concilia repræhendant omnes fideles, vt dicit Alex. in cap. in nomine Domini 23. dis. in 2. colum. verùm etiam in ijs, quæ concernunt articulos fidei possit Papa interpretari, & modificare sine concilio generali, vide, quod latè pono infra in quæstione verùm Papa in causa fidei teneatur semper congregare Concilium.
12 Quædam verò continentur in ipsis statutis Conciliorum tamquam instituta iuris positiui, puta de ætate, & qualitate ordinandorum, vt ex 6. synodo in cap. subdiaconis 77. dist. ex Carthaginensi Concil. in cap. placuit ead. dist. ex Agathen. Concilio, in cap. Episcopus ead. dist. ex Concilio Toletano in cap. in veteri, ead. dist. quæ omnia sunt sublata per Clementem in Cle. generalem de ætat. & qualit. Et de gradibus impedientibus matrimonium, & his similia concernentia reformationem morum, correctionem, & punitionē criminum. Et ista propriè dicuntur statuta conciliorum, quia quoad illa, quæ sunt fidei, potiùs Concilium declarat illa, quæ implicitè erant in sacra scriptura, quàm de nouo aliquid instituat. Et isto secundo modo intelligitur, quod communiter dicunt Doctores, videlicet, quòd Papa potest tollere statuta Concilij. Ad hoc, quod dicitur in cap. in istis 4. dist. 34. dist. cap. fraternitas 82. dist. capit. presbyter 9. quæst. 3. aliorum ibi glos. Pro quo vide quod dico infra in proxima quæstione, & dicit Dom. in cap. in istis circa finem 4. dist. & in cap. sicut in fin. 15. dist. Sic dicitur
13 quod Papa potest restituere quos Concilium damnauit, vt in cap. conuenientibus, 1. quæst. 7. quia à Papa Concilia capiunt robur, vt d. cap. significasti, & non possunt congregari sine Papa, 17. dist. per totum,

& post congregationem confirmat statuta, & definita in concilio, vt in d. cap. bene quidem, 96. dist. & in cap. 1. 25. quæst. 1. Et ponit sanctus Thom. in quæstionibus de potentia quæst. 10. art. 4. vel & meliùs materia 10. qu.4. in respon. ad 13. argu. vbi dicit, quòd sicut posterior synodus potestatem habet interpretandi symbolum à priori synodo conditum, ac ponendi aliqua ad eius explanationem, ita & Romanus Pontifex hoc sua authoritate potest, à quo sententia synodi confirmatur, & ad
14 ipsum à synodo appellatur, Ex quo innuitur, quòd ad Papam etiam pertinet in ijs, quæ sunt in quatuor Concilijs statuta circa fidem, declarare dubia, quę emergere contingeret, dummodo declaratio, siuè interpretatio, siuè explanatio non contineat aliam fidem, sed eamdem magis expositam. Et ita voluit idem Sanctus Thom. in secunda secundæ, quæst. 1. art. 10. in respons. ad secundum argum. & hoc ideò, quia Romani Pontificis authoritate congregantur, & in eis statuta confirmantur. Quod & patet ex gestis Chalcedonen. Concilij, vbi Nuncij Apostolici ad subscriptionem, & confirmationem requirebantur. Vnde in 6. actione dicitur in omnibus synodis Apocrisarij Apostolici decreti sententias, primò propter summam authoritatem eiusdem Sedis confirmabant, quia aliàs nullum robur habebant, 25. quæst. 1. cap. 1. & ibi glos. cùm dicit, quòd verbum
15 oportet, importat honestatem, & non necessitatem ibi, quia statuta Concilij concernentia ea, quæ sunt iuris positiui, non ex necessitate, sed de honestate, Papa tenetur seruare. Et hanc distinctionem ponit, Domin. in d. cap. sicut, 15. dist. Hanc distinctionem etiam posuit sanctus Thomas in tractatu contra impugnantes religionem in c. 4. in penul. colum. Vbi etiam inquit, nec tamen Papa, quando aliquid aliter facit, quàm à sanctis Patribus statutum sit, contra eorum statuta facit, quia seruatur intentio statuentium, etiam si non seruautur verba statutorum, quæ non possunt in omnibus casibus, & in omnibus temporibus obseruari seruata intentione statuentium, quæ est vtilitas Ecclesiæ, sicut & in omni iure positiuo accidit. Et idem Sanctus in quodlibeto 4. art.
16 13. dicit, quod est vnum genus canonum, qui instituti sunt iure diuino, sicut pertinentes ad articulos fidei, ad substantiam Sacramentorum, aut manifestam habentes connexionem ad legem diuinam, siuè naturalem, & in talibus Papa dispensare non potest, quia isti habent efficaciam ex institutione diuina. Secundum genus canonum est eorum, quos instituerunt Patres de iure positiuo, licèt enim Canones à Sanctis Patribus vnanimiter instituti, dicantur conditi à Spiritu sancto, non tamen omnes dicuntur pertinere ad legem naturæ, vel legem diuinam, sed ad ius humanum, siuè positiuum, & in hoc genere canonũ Romanus pontifex potest dispensare à quocumque, sint conditi, etiamsi ab Apostolis Ita enim refert Card. in 3. lib. cap. 54. licèt verba Doctoris S. non ita per omnia habeant.

Et hoc videntur sentire omnes illæ glossæ suprà allegatæ, maximè glos. in verbo durum in d. cap. post translationem, & Abb. & alij in d. cap. proposuit, & in cap. significasti de elect. Et hoc etiam ponit Dom. in cons. 44. incipit Dominus noster Papa, vbi voluit, quod Martinus PP. V. potuerit de nouo concedere exemptiones concessas per Gregor. XII. quæ fuerant in Concil. reuocatæ. Et præallegatam distinctionem posuit etiam Aug. de Ancona in tract. de potest. Papæ quæst. 10. artic. 8. Et hoc est clarum, quòd in ijs, quæ concernunt mores, correctionem, & punitionem criminum, Papa potest tollere statuta Concilij. Verùm quia, sunt aliqua, quæ licèt non sint de iure positiuo, sed de iure diuino, tamen non concernunt directè articulos fidei, vtrùm in talibus possit Papa tollere statuta Concilij. Et in istis est considerandum secundùm casuum exigentiam, vtrùm in totum tollat, vel limitet, vel declaret, vel dispenset, & vtrùm causa subsistente, vel nuda voluntate. Exemplum, in decimis, vt traditur in cap. à nobis de decim. in monacho, quòd possit habere proprium, vt in d. c. cùm ad Monasterium de stat. mon. Et in matrimonio in gradibus diuina lege prohibitis, vt in cap. literas de restit. spoliat. post glos. Et quod quis possit habere duas vxores, vt in c. vlt. de transa. vt fuit in aliquibus Patriarchis tempore veteris legis, dicitur in cap. gaudemus de diuor. Item in matrimonio non consumato, vt in cap. ex publico de conuer. coniugat. Super Bigamia, vt in cap. lector, 34. dist. & in cap. 2. post glos. de bigamis, & in iuramento de voto, vt in cap. quanto, post glos. de iureiuran. & in cap. 1. de voto Contra Apostolum, in cap. sunt quidam, 25. quæst. 1. Contra vniuersalem statum Ecclesiæ, in cap. quæ ad perpetuam in glos. ead. causa, & quæst. & d. glos. in cap. proposuit de concess. præbend. & glos. in d. cap. literas. Item ex aliqua magna causa, quòd monialis, vel Monachus contrahat matrimonium, vt d. cap. cùm ad monasterium, & aliquos similes casus vide per Specul. in tit. de dispensat. in §. nunc breuiter, versiculo penultimo, & sic de alijs similibus, in quibus potest interdum aliquo modo vti potestate Papali, maximè interpretando, & declarando, vt in capitulo licèt ex quadam de test. 34. dist. cap. lector. 77. dist. cap. placuit, & cap. subdiaconus, cap. nec licuit, 17. dist. ibi glos. & in cap. sancta 15. dist. cum similib. etiam vbi res concernit vniuersalem Ecclesiam, vt in terminis, cap. non debet de consan. & affin. & circa hæc non insisto, quia sicut poterit circa ea dispensare, ita circa disposita de illis poterit modificare, vel declara-
18 re statuta conciliaria, & propterea considerari potest vna generalis doctrina, quam ponit sanctus Thom. in dicto articulo 13. quodlibeti 4. vbi dicit, quòd Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita quod circa omnia, quæ sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ Prælatos Papa dispensat, quia hæc dicuntur esse iuris positiui, circa ea verò, quæ sunt iuris diuini,

vel

vel naturalis non dispensat, quia habent efficaciam ex institutione diuina, & vltra inferiùs dicit, quòd in ijs solis, quæ sunt de lege naturæ, idest preceptis moralibus, & articulis fidei, & sacramentis nouæ legis non dispensat, quia hoc non esset posse pro veritate, sed contra veritatem. Et idem in effectu sentit Petrus de Pal. in
19 tract. de potest. eccles. art. 5. Et circa præcepta moralia considerare oportet, quòd illa manserunt integra, iuxta illud Matth. 5. non veni soluere legem, sed adimplere; non sic de iudicialibus, & ceremonialibus, vt in c. translato de const & in Epistola ad
20 Galat. ferè per totum. Et circa Sacramenta attendere oportet, quòd essentialia Sacramentorum, sicut est materia, & forma, sunt de iure diuino; sed accidentalia, vt sunt ritus, & ceremoniæ, sunt de iure positiuo, sicut & alia, quæ adhibentur circa Sacramenta, vel vsum eorum, sicut vasa, vestes, tempora, & similia, de quibus de consecrat. dist. 1. per totum. Et sic attendendum est quomodo dicatur, quòd non dispensat contra præcepta moralia, nec contra Sacramenta nouæ legis. Dicit tamen Hug. & Laur. & refert Archi. in capitulo porrò, 66. dist. quòd Papa potest immutare formam traditam ab Apostolis circa ordinationem Episcoporum, vt videlicet possit vnus, vel cum socio alio consecrare Episcopum, licèt ad minus ex ordinatione Apostolorum non à paucioribus, quàm tribus debeat Episcopus ordinari. Et idem dicit Archi. posse Concilium Sede vacante, quòd pro nunc de Concilio, Sede vacante non ita simpliciter affirmo. Et vlteriùs dicunt, quòd Ecclesia potest omnem formam immutare præter panis, & vini in Missa, & baptismi, de consecrat. distinct. 2. capit. liquidò. Sed in ista materia Episco-
21 pus Brixien. antea Torcellanus in tract. quando Papa possit dispensare contra ius diuinum, dicit in respons. ad 14. argum. quòd essentialia Sacramentorum sunt de iure diuino, vt est materia, & forma, & in aliquibus Minister, & circa ista Papa non dispensat, nec immutat, accidentalia autem sunt de iure positiuo, vt sunt ritus, & ceremoniæ, & circa ista certo modo dispensat, & mutat. Vnde dicit idem Episcopus, & idem Petr. de Pa. vbi supra, quicquid dixerit Archi. in d. cap. porrò, quòd quicquid est de substantia Sacramentorum, est de iure diuino, & immutabile per Papam, & quòd in hoc conueniunt Doctores, allegat Henricum in 5. quodlibeto quæst. 36. Idem tamen quòd Archi. tenet Dom. in d. cap. porrò. Et idem videtur tenere Innoc. Ioan. Andr. & Anton. de Butrio in cap. fin. de sacram. non reiterandis, vbi dicunt, quòd de ritu Apostolorum reperitur in epistola ad Titum, quòd tantùm imponebant manus ordinandis, & orationem fundebant, nec erat alia forma, sed ab Ecclesia postea statutæ sunt aliæ formæ, quæ sunt de necessitate seruandæ, & ideò Papa, & Ecclesia in talibus formis, potest statuere, & constitutiones facere non contrarias constitutionibus Dei. Possent concordari di-
22 cendo, quòd quando Episcopus improbat Archi. in d. cap. porrò intelligit, de formis Sacramentorum inuentis à lege Dei, & tales formæ tamquam de substantia Sacramenti sunt immutabiles à Papa, & quòd dixit Archid. quòd Papa potest mutare formas Sacramentorum præter baptismi, & Eucharistiæ, intellexit de formis ab Ecclesia inuentis, & hæc conueniunt ad id, quod dicunt Doct. in dicto capit. fin. Aduertendum tamen est, quòd Archid. ibi di-
23 cit de forma data ab Apostolis in consecratione Episcopi, quòd debent adesse ad minus tres Episcopi, & tamen dicit, quòd Papa, vel Concilium Sede vacante posset illam formam immutare, & sic loquitur de forma data à lege, & iure diuino, per quod videtur, quòd concordia supra data non quadret. Vnde Augus. de Ancona, q. 58. art. 3. dicit, quòd in formis Sacramentorum non cadit dispensatio, sed illis debet vti Ecclesia, quibus ipse Christus immediatè vsus est, vel Apostoli, qui ab ipso acceperunt, vnde videtur esse contra Archid. Dicit tamen in eadem quæst. art. 5. quòd bene potest dispensari in ritu Sacramentorum: vnde in formis Sacramentorum videtur varietas inter Theologos, & Canonistas, sed de hoc dic vt dico in fine sequen-
24 tis quæstionis, quæ adde hic. Non obstat cap. sacrosancta, 15. dist. ibi, sed & si qua sunt Concilia à sanctis Patribus instituta post illorum quatuor authoritatem, custodienda decernimus, quia intelligitur, vbi Concilia concernerent articulos fidei, vel si acciperetur dictum de alijs, in quibus Papa dispenset, intelligitur de inferioribus, quòd ipsi debent ea custodire. Item & circa quatuor Concilia dicit August. de Ancona in tract. de potest. Papæ, quæst. 60. art. 8. quòd licèt Papa contra illa non dispenset in ijs, quæ spectant ad explicationem fidei, tamen in ijs, quæ spectant ad ordinationem, & dispensationem status fidelium, pro illo tempore currentis bene dispensat. Et ibi respondet ad cap. contra statuta, quod vel loquitur de humilitate, quia sicut Christus Sacramenta, quæ Ecclesiæ mandauit seruanda primùm suscepit, idem dicendum in Papa non necessitate obsequendi, sed humilitate, & authoritate imperandi, vel secundò respondet, vt infra
25 proximè dico. Sic capit. contra statuta, 25. quæst. prima, cùm dicit nec huius Sedis potest authoritas, intelligitur de statutis Patrum concernentibus ea, quæ sunt fidei. Ad hoc bene tex. in cap. si quis præest, 16. quæst. 3. Ad illud, quod dicitur de Concilio Constantien. respondetur, quòd illud non fuit factum in generali Concilio, nondum enim erant ex tribus obedientijs omnes in eadem sententia. Imò Patres aliarum obedientiarum reclamauerunt, quando illud statutum fuit per Patres obedientiæ Ioannis 23. & ideò stante dubio casu schismatis non potuit poni pro authentico decreto. Ita dicit Card. de Turrecrem. in tract. de potest. Papæ, lib. 2. cap. 99. in princ. & reperio, quòd eum refert supradictus Episcopus Brixien. in quodam suo tract. in quæstione vtrùm Papa possit dispensare contra ius diuinum

in respons. ad primum, & vsque ad quartum argum. Et si dicatur de Martino Quinto, & Eugenio, quòd steterunt illi decreto. Respondet Episcopus prædictus, quòd si hoc fecerunt ex sua humilitate, non potuerunt præiudicare successoribus, allegat 2. qu. 7. nos si incompetenter, & quod fecit Symmachus in 5. hinc etiam 17. distinct. & Sixtus 2. quæst. 4. mandastis, pro quo est text. in cap. innotuit de elect. De quo vide, quòd dico infra in illo art. vtrùm Papa possit transferre, & dissoluere Concilium pro libito voluntatis, vbi teneo contra Rosellum, ibi vide rationes contra dictam constitutionem frequens, quæ adde hic. Et plus dixit idem Episcopus, quasi præscius eorum, quæ nunc occurrunt, quòd nisi illa decreta verbis, vel clara intelligentia moderentur, aut vt meliùs loquar, prout iacent, reuocentur, in futuro poterunt scandalum generare. Quòd hodie videmus, & propterea excitentur, qui aures habent, vt
26 sicut innouarunt bullam Pij, per quam declarantur hæretici appellantes ad futurum concilium, ita quòd pluris refert procurent declarari non validum dictum decretum, & tamquam de facto factum re-
27 uocari, & annullari. Repugnat enim decretum illud dictis multorum sanctorum Patrum, qui ponunt Papam vniuersalis Ecclesiæ Caput & Principem: repugnat, quia videtur tollere Monarchiam Ecclesiæ, quæ est in vno capite, de qua diximus in illa quæstione, vtrùm Papa possit Cardinales creare sine consensu Cardinalium. Illud decretum in aliquibus vult Papam tenere principatum, deinde vult eum subesse concilio, quantumcumque iura, & sancti Patres, & antiqua concilia, velint Papam dare authòritatem, & robur concilijs. Illud decretum deponit Papam à Papatu, & sua superioritate & præeminentia, etiam si concilium non sit congregatum contra eum. Ex quo videtur patere, quod solummodò fuit editum, vt habetur locum in illo concilio Constantiensi ad tollendum schisma, quia tunc in Ecclesia non erat vnus indubitatus Papa, sed tres quorum quilibet gerebat se pro Papa, cùm nullus remanserit, nec iudicatus fuerit verus Papa: propterea magis fuit locale, & particulare illius concilij Constantiensis ad sedandum schisma quàm vniuersale. Verba sunt dubia, quæ præstant occasionem congregandi conciliabula, & generandi schisma. Quid magis scandalosum in Ecclesia, an quod admittatur, & toleretur appellatio ad futurum concilium, quòd intelligitur, in quo præest Papa, vel alius eius nomine, quòd facere fuit, & rectè interdictum ad comprimendum temerarios, an tolerare statutum, quòd Papa teneatur, obedire concilio, etiam circa reformationem Ecclesiæ, audebit quiuis fraterculus congregare conciliabulum, & asserere Papam ei subesse. Et quod decretum illud fuerit tantùm locale, ostendit verbum in ipsius decreti principio, cum dicitur quod ipsi synodo in Spiritu sancto congregatæ, quilibet etiam si Papalis dignitatis existat obedire tenetur, ergo de illa tãtùm synodo Constantien. loquitur. Idem etiam ostendit confirmatio facta per Martinum, cum instantia, & protestationibus petita ab Oratoribus Regis Poloniæ, & Ducis Lituaniæ ante dissolutionem, siue in ipsa dissolutione concilij in 45. sessione, vbi Papa decreta in materijs fidei conciliariter facta, approbat & ratificat, & non aliter, nec alio modo, fecitque illud iteratò dici per Fiscalem Aduocatum Consistorij. Ex quo ostendit, quòd noluit ratificare illud decretum, quod tantùm erat factum per partem obedientię Ioannis XXIII. & non per alios, & sic non conciliariter, & non erat de mate-
28 ria fidei. Multa possent adduci quare illud decretum non liget Papam, vnde infra in dicta quæstione vtrùm Papa possit dis-
29 soluere concilium sua nuda voluntate. Et per hęc patet responsio ad consilium Ludo. 380. qui fuerat Basilien. quòd concilium non fuit receptum, siue eius decreta non fuerunt recepta plusquam reperiebantur statuta. Vide tamen Card. de Turrecrem. in dicto tract. in lib. 2. cap. 99. & capit. sequen. vbi ponuntur improbationes illius decreti, tam in consilio Constantien. quàm postea in concilio Basilien. repilogati. Deleatur igitur de libro illud decretum, vt dixit dictus Episcopus, ne parua scintilla serpendo, si non statim opprimatur incendat totum orbem, cap. resecandæ 24. qu. 3.
30 Adde tamen prædictis, quod licèt Papa dispenset contra statuta per concilium, tamen hoc facit non ita de facili, sed cum magna difficultate, & causam subsistente, vt est text. in cap. post translationem circa fin. de renunt. & dico aliquid in illa quæstione vtrùm sufficiant clausulæ generales ad tollendum statuta concilij. Vtrùm autem dicatur constitutio conciliaris ex eo solo, quòd in ea dicitur sacro approbante Concilio, Dominic. in d. consil. 44. dicit quòd sic, quia omnia nostra facimus, quibus authoritatem impertimur, vt in l. 1. C. de veteri iure enuclean. & cap. si Apostolicæ de præbend. in 6. Quòd intelligo per quamdam communicationem, vt dicit Anton. & Immol. in cap. 1. de pac. & non quòd magis propriè, & principaliter attribuatur authoritati, & potestati conciliari quàm Papæ, vt suprà dixi in quæst. qualiter debeat edi constitutio in Concilio, & in proxima supra quæstione.

SVMMARIVM.

1 *Concilium an possit tollere constitutionem Papæ.*
2 *Concilium recipit potestatem à Papa, est inferiùs Papa iure subordinationis &c.*
3 *Concilium generale sede vacante an possit tollere iura positiua, vel contra illa disponere, quòd sic.*
Quòd non num. 4.
Limitat auctor remissiuè, num. 5.
Et intellectus cap. porrò 66. dist. per auctorem, num. 6.
7 *Sententia Papæ, & Concilij si contrariantur, potius standum est sententiæ Papæ.*
8 *Concilium etiam volente Papa, non potest eius voluntatem restringere.*

Quia

Quia eius potestas à Deo est.
Fallit num.9.
10 *Cardinales sede vacante an possint dispensare contra constitutiones Papæ, vel eis addere, aut minuere.*
11 *Capitulum dicitur successor Episcopi.*
12 *Archiepisc. in cap. portò 66. dist. reprehenditur per Card.*
13 *Consecratio Episcopi, cum tribus Episcopis an sit de forma, & an Papa solus possit consecrare.*
Et an istam formam Papa possit immutare, num.14.
15 *Papa in causa fidei an semper teneatur congregare Concilium.*
16 *Factum à Papa dicitur factum à Sede Apostolica.*
17 *Papa an sine Concilio possit determinare quæstionem fidei.*
18 *Idem committere iudicio vnius periculosum est.*
19 *Papam non permittit Deus errare in decisione eorum, quæ ad fidem pertinent.*
Quòd intellige vt suprà num.18. in fine.
20 *Papa errare non potest considerata prouidentia Dei, qui Ecclesiam suam Spiritusancto dirigit, vt non erret; & ideò in his, quæ ad fidem pertinent errare non potest.*
21 *Differentia inter sententiam Papæ, & opin. Et an standum sit potiùs sententiæ Papæ, quàm totius Concilij, num.21.*
23 *Papa an possit, contra omnes clericos, tollere canonem si quis suadente.*
Et an possit sibi eligere successorem, n. 24.
Et an Concilium possit facere talem constitutionem, num.35.
25 *Episcopi Ecclesiæ Orientalis an peccent matrimonium contrahendo.*
26 *Lex principis quantumcumque dura seruanda est, & intellectus huius reg. per auctorem ibid.*
27 *Articuli fidei sumuntur strictè, largè, & largissimè.*
Et in quibus procedat potestas Papæ, n. 28. & num.31. & 32.
29 *Falsa sunt respuenda, vera tenenda, dubia tamdiù sunt credenda, donec aliud doceat ratio, vel contrarium præcipiat sanctæ Romanæ matris Ecclesiæ auctoritas.*
30 *Papam posse addere supra illa, quæ sunt fidei dupliciter intelligitur.*
33 *Tibi dabo claues regni cælorum, per hac verba; quid intelligamus datum &c.*
34 *Papa an possit etiam vni laico, committere causam fidei.*

ARTICVLVS XVII.

1 VLteriùs quæro vtrùm Concilium possit tollere constitutionem Papæ, Glos. & ibi Doct. in Clement. 2. in verbo inferior de elect. dicunt quòd non, nec directè, nec indirectè, vt in cap. venientes de iureiur. secundùm Pet. de Anchar. in d.
2 Clem. ne Romani. Et ratio est, quia potestas Concilij recipit vigorem à potestate Papæ, vt in cap. significasti de elect. & in cap. cuncta per mundum 8. quæst. 3. Aliquando enim potestas à superiore non recipitur, sed est inferior quis per quamdam subordinationem, vt quòd ab inferiore appelletur ad superiorem, puta ab Episcopo ad Archiepiscopum, qui habent iurisdictiones distinctas, quia licèt Episcopus sit inferior, non tamen recipit potestatem ab Archiepiscopo, vt in cap. pastoralis in princ. de offic. ordin. & dicit Cardinal. d. Clem. 2. Sed Concilium non solùm dicitur inferius Papa iure ipsius subordinationis, sed etiam quia recipit potestatem à Papa, & ideò non potest tollere legem Papę, quinimò nec potest confirmare constitutionem Papæ, vt dicit Hostiens. in cap. qualiter de elect. quia confirmatio est actus superioritatis, vt dicit Bald. in l.fin. versic. vlteriùs notat. C. de l.ponit Fel. in cap.1. in fin. de treu. & pa. & in cap.1. in 3. ampliatione de constit. Et ad hoc, & ad præcedentem quæstionem faciunt ea, quæ ponuntur in illa quæstione vtrùm Papa sit maior Concilio. Dicit tamen Archid. in cap. porro 66. dist. quòd Concilium generale sede va-
3 cante potest disponere contra iura positiua, & illa tollere. Et idem ponit Dominic. de sancto Gemin. in cons.65. incipit discutiam, vbi dicit quòd licèt sede Apostolica repleta Concilium generale sit inferioris Papa præterquam causa hæresis, quadragesima distinct. si Papa, tamen quando sedes Apostolica vacat, Concilium generale habet potestatem disponendi, sicut Papa etiam contra ius commune editum à Papa, allegat Arch. in d. cap. porrò; & ibi consuluit, quòd valuerit confirmatio facta per Concilium de concessione facta per Benedictum Papam Chartusiensibus. Item quòd Concilium possit disponere contra legem Papæ, ponunt Innoc. Ioan. And. & Anton. in cap. fin. de sacram. non reiteran. vbi idem dicere videntur. Facit in simili, quia sicut capitulum sede vacante reuocat constitutionem Episcopi, vt ponit Feder. de Senis consil. 16. pariformiter videretur dicendum de Concilio ad Papam: licèt secus sit in Cardinalibus, qui recipiunt facultatem condendi legem à Papa, vt dicitur in d. Clem. ne Romani. Quinimò Archiepisc. plus videtur velle, quòd sede vacante vniuersalis Ecclesia, siue Concilium potest mutare formam traditam in consecrandis Episcopis ab Apostolis, videlicet quòd vbi ordinauerunt Apostoli neminem consecrandum in Episcopum, nisi ad minùs cum tribus Episcopis, exemplo Iacobi, qui fuit ordinatus à Petro, Iacobo, & Ioanne, Ecclesia, & Concilium posset istam formam mutare, & statuere quòd vnus, aut duo Episcopi possent ordinare Episcopum, quia vt ipse dicit, potest Ecclesia vniuersalis mutare omnem formam sacramentalem, præter formam panis, & vini, & baptismi. Et cùm cap. porrò sit tex. Anacleti Papæ, videtur quòd Concilium possit tollere statutum Apostolorum confirmatum authoritate Papæ. Et tamen vult idem Archiepisc. quòd Papa si hodie vellet ordinare Episcopum, non posset solus, nec cùm vno Episcopo consecrare illa forma durante. Et sic videtur, quòd maior sit potestas Concilij, quàm Papæ. Et idem refert, & sequitur ibi Dominic. in d. cap. por-

porrò. Vnde videtur, quòd Concilium possit tollere constitutionem Papæ, & Apostolorum. Et fuit ista originalis opinio Lau. ibi. Item quòd non nisi cùm tribus Episcopis fiat consecratio, est tex. Concilij Toletani in cap. Episcopus, 23. distin. Ad idem tex. Lucij Papæ in cap. si Archiepiscopus de temp. ordin. Et sic Concilium tollit constitutionem Apostolorum per Concilium, & plures Romanos Pontifices comprobatam. Ad idem tex. in cap. Episcopi, qui est Nicæni Concilij, & text. in cap. comprouinciales, qui est tex. Anitij Papæ, 64. dist. De isto articulo vide etiam, quæ dicta sunt suprà in proxima quæstio-
4 ne, de quo etiam infrà. Text. tamen probat contrarium, quòd Concilium sede vacante non possit tollere constitutionem Papæ, in cap. 1. de libel. oblat. vbi Concilium ad hoc, vt posset reclamanti canonicè respondere, petijt, vt ipse seruaret legem canonicam. Et ille tex. facit pro glos. illa in verbo inferior in d. Clem. ne Romani, quæ idem vult, videlicèt quòd Concilium non possit etiam sede vacante tollere constitutionem Papæ. Et hoc mihi placet, quia Concilium debet seruare canones antiquos, vt in cap. in nona 16. quæst. 7. Imò potest ad obseruandum cogi per Papam. vt probatur ex tex. cap. si quis 25. quæst. 2. Item Concilium tenetur consentire iustis statutis, vt in cap. si Episcopus in fi. 12. q. 2. Et istam opinionem disputando per plures chartas tenuit Barbatius in Clem. ne Ro-
5 mani de elect. Istud tamen limita, vt pono infra in illa quæstione vtrùm Concilium sede vacante possit disponere contra iura
6 positiua. Et quòd dicitur in cap. porrò, intelligo quòd illud, quòd immutatur sede vacante approbetur tacitè, vel expresè postmodum per Papam cum Concilio, quia semper in ijs, quæ statuuntur in Concilijs intelligitur excepta authoritas Papæ, vt in cap. significasti, de elect. & dicit August. de Anco. in tract. de potest. Papæ quæst. 60. art. 8. in respons. ad secundum argument. Ad consilium Dominici potest responderi, quòd ipse ibi loquitur in confirmatione facta per Concilium, & non de tollenda constitutione Papæ. Et quòd dicit quod possit cõtra ius commune, intelligo similiter quia illud est postea expresè, vel tacitè approbatum per Papam: confirmare autem, quòd est concessum à Papa non iure superioritatis, sed per modum executionis, fieri potest etiam per inferiorem. Et pro ista opinione facit, quòd dicit glos. in cap. in istis 4. dist. & glos. in cap. nemo 9. qu. 3.
7 vbi dicitur, quòd potiùs standum est sententiæ Papæ, quàm Concilij si contrariantur, & in glos. in capit. quodcumque 24. quæst. 1. De qua quæstione dicemus infrà latiùs. Non enim potest Concilium restringere voluntatem Papæ sine eius consensu, Ioan. And. in capit. nouit de iudic.
8 Imò nec eo consentiente, vt dicit idem Ioann. And. in cap. Ecclesia de constit. & notatur 21. distin. in §. nunc autem, quia eius potestas est à Deo, vt in §. hinc etiam 17. dist. & in cap. sacrosancta 22. dist. Et ideo dicitur, quòd non potest præscribi contra eius supremam potestatem; quia esset præscribere contra Deum, non recognoscendo Vicarium eius in superiorem, vt dicit in capit. quòd translationem de offic. legat. in cap. bonæ de postul. Prælat. Baldus in l. 1. C. de emancipa. liber. & in l. 2. C. de serui. & aqua. Et idem intelligo non solùm si Concilium expresè abrogare vellet constitutionem Papæ, sed etiam si non abrogando expresè, facere vellet constitutionem contrariam constitutioni Papæ, non posset, vt probat illa
9 glossa in dicta Clement. secunda. Et est verum vbi non tractatur de causa fidei, quia causam fidei Papa debet determinare cum consilio concilij, vt dicit glos. in cap. Anastasius, & ponit ibi Domin. 19. dist. & idem Domin. in cap. sicut 15. dist. Et sic intelligo gloss. 96. dist. in cap. legimus.
10 De Cardinalibus autem vtrùm Sede vacante possint dispensare contra constitutiones Papæ, vel addere aut minuere, dic quod non. Et hoc ponit Archiep. Flor. in 3. parte tit. 22. cap. 2. §. Collegium Cardinalium, post Aug. de Anco. Et ibi quam iurisdictionem habent Cardinales Sede vacante. Ad illud quod dicitur de capitulo, quod reuocat constitutionem Epi-
11 scopi, respondetur quòd ideò est quia capitulum est successor Episcopi, vt in c. 3. de supplen. neglig. Prælat. in 6. & ita respondet Barbatius in dict. Clem. ne Romani in 6. column. in notabilibus. Non
12 obstat quod dicit Archi. in dict. capit. porro, quia eius opinio est reprobata per Card. & per Alexand. ibi inquantum voluit, quod Papa non posset consecrare Episcopum solus, vel cum vno Episcopo forma illa durante, quia immò contrarium est veritas, quia vt dicit Card. ibi, illa forma non est meri iuris diuini, & cùm Papa consecrat solus, vel cum vno, tacitè dispensat, vt dicitur in cap. diuersis fallacijs de cleric. coniugat. & in cap. veniens de filijs presbyt. cum simil. Et istam opinionem sequitur Alexand. in cap. Archiepiscopus 66. dist. dicens quod per illa ver-
13 ba formam dantibus, posita ibi in text. cap. porro, hoc inductum est pro forma, quia si non esset cap. porro non haberetur pro forma, & quod non sit de forma quod adsint tres Episcopi, sed potiùs ex quadam reuerentia ipsius sacramenti, probat multis rationibus Card. in dict. cap. porro, quem postea refert Alexand. in dict. cap. Archiepiscopus. Illud autem, quod traditum est nobis ab Apostolis, est potiùs quidam ritus, quàm de forma, vel substantia. Et idem dicunt Innoc. Io. An. & Anton. in cap. si quis de sacram. non reite. quoad ordinem presbyteratus, dicentes formas adinuentas per Ecclesiam, quia ab Apostolis tantùm habemus quòd manus imponebant; & orationem fundebat super eos, vt in epistola ad Titum, vnde si non fuissent aliæ formæ ab Ecclesia statutæ, sufficeret dicere, sis presbyter. Sed Ægid. Bellamera in cap. presbyteri 68. dist. dicit quod regulariter omnia illa, de quibus non constat vtrùm sint de substantia, vel non, inuenitur tamen in iure, quod debent fie-

ri,

ri, talia dicuntur esse de substantia, nisi inueniatur in iure expressum, quod non sint de substantia. Notat Rayn. in summa tit. de ætate ordin. §. quid si aliqua, & Roffre. eod. tit. §. vnctionem autem, & Hostiens. in summa de sacra vnctione, §. à quo versic. consimilium. Ad quod vide, quæ dicta sunt supra in proximè præcedenti art.

14 Sed quicquid sit, siue hoc sit de forma, & substantia, siue non, omnes Doct. volunt & ipsemet Archi. in dict. cap. porro, quod Papa potest immutare istam formam quòd adsint tres Episcopi, & idem de alijs formis in presbyteratu dicunt Doct. in dict. cap. de sacram. non reite. Dispensat ergo Papa in istis sacramentalibus: præterquam in forma Sacramenti panis, & vini & baptismi, vt dicit ibi Archidiac. Sed quicquid sit, ex dicto Arch. sequitur, siue sit ex forma Ecclesiæ, & constitutionũ Summ. Pontificũ siue ab Apostolis, quòd Concilium potest reuocare tales constitutiones Sede vacante. Sed ad dictum Archid. respondeo, vt supra dixi, quòd si Concilium Sede vacante aliquid immutat ex aliqua causa de constitutionibus Pontificalibus, in illa immutatione intelligitur excepta authoritas successoris in Papatu, & sic dependet ex voluntate Papæ, an sit rata vel non. Vnde quod facit Concilium, est potiùs reuocatio per modum consilij, quàm alicuius authoritatis. Si tamen contingeret casus ineuitabilis necessitatis Ecclesiæ, cui aliter non posset prouideri, puta quia non reperirentur Episcopi, dicerem eo casu posse Concilium reuocare constitutionem Papalem, de quo dic vt infra proxima quæst.

15 Et per hoc transitur ad aliam quæstionem, vtrùm Papa in causa fidei teneatur semper congregare Concilium Episcoporum. Text. in cap. maiores de baptis. probat quod non, vbi dicitur maiores causæ fidei referuntur ad Sedem Petri. Idem dicit text. in cap. quotiens, 24. quæst. 1. & text. in cap. omnes 22. dist. vbi dicit text. quòd Romana Eccclesia dicitur magistra fidei, & ad eam recurrit Hieronymus in cap. hæc est fides 24. quæst. 1. Facit text. in cap. nec licuit 17. dist. & cap. sicut 23. q. 4. & ponit sanctus Thom. in secunda secundę, quæst. 1. art. 10. Vnde Dominus noster Iesus Christus Lucæ 22. dixit, ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus cõfirma fratres tuos. Vna enim debet esse fides totius Ecclesiæ, iuxta Apostolum primæ ad Cor. 1. & text. in cap. loquitur 24. quæst. 1. Constat autem, quod dicitur de Sede Apostolica

16 idem intelligi de Papa, quia id quod facit Papa, dicitur facere Sedes Apostolica, & è contra, vt ponit Ioann. Andr. in cap. si Abbatem de elect. in 6. & Card. in Clem. quia contingit de relig. Dom. in 5. quæsito. Et quod hoc possit Papa sine Concilio, voluit gloss. in cap. quòd translationem de offic. leg. Et bene prosequitur, & tenet August. de Ancon. in tract. de potestate Papæ quæst. 10. art. 1. & 2. vbi ponit quòd ad Papam spectat determinare, quid est hæresis, & in 3. quòd ad Papam spectat aliquid addere, vel diminuere ad ea, quæ sunt fidei. Sed in contrarium facit text. in capit. habeo librum 16. dist. & tex. in cap. sicut 15. dist. & dict. cap. Anastasius 19. dist. & act. 15. vbi in contentione, an conuersi deberent circumcidi, vocati sunt Apostoli, & congregatum Concilium, & non fuit delata quæstio Petro, nec conclusa per eum tantùm, sed per ipsum cum alijs. Ad hoc est etiam, quod dicit Archid. 12. dict. cap. non decet, vbi referendo beatum Bernard. dicit quod Papa non est Dominus Episcoporum, sed vnus de Episcopis, ergo ipse cum Episcopis hoc

17 facere debet. Ad quod facit quod quatuor concilia principaliora, quæ concernunt fidem, & sunt seruanda sicut Euangelium, vt in cap. sicut 15. dist. repræsentant omnes fideles, vt dicit Alexand. in cap. in nomine Domini 23. dist. in 2. columm. Vnde videtur, quod sine Concilio Papa de fide determinare non possit. Et hanc opinionem, quòd Papa sine Concilio non possit, simpliciter tenuit Barbat. in dict. cap. quòd translationem. Et respondet ad cap. hæc est fides 24. quæst. 1. & ad cap. in istis 4. dist. & ad cap. aliorum 9. quæst. 3. quod illa iura non loquuntur, quando Papa vellet decidere articulum fidei, & ad cap. maiores, quod causa fidei referenda est Papæ, scilicet tamquam capiti, & non vt per ipsum solum decidenda. Pro eo facit quia, quod non est à Papa inuentum, non debet ad eum spectare determinare, sed illa, quæ sunt fidei non sunt à Papa inuenta vt patet 1. Petri 1. quod non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, ergo. Item facit illud 1. Ethic. vnusquisque bene iudicat de ijs, quæ nouit, & horum est bonus iudex, sed plures sunt in Ecclesia Magistri, & Doctores, qui meliùs sciunt illa, quæ sunt fidei, quàm Papa ergo ad eos magis spectat, & sic ad Concilium. Item fides est communis omnibus fidelibus, & cum agitur de fide, causa vniuscuiusque fidelis agitur, ergo ad omnes fideles spectat determinare, quæ sunt fidei. Ad hoc text. in cap. vbinam legistis 96. dist.

Circa hoc dicendum est, quod interdum potest occurrere dubium maximum circa fidem, & tunc debet congregari Conci-

18 lium, quia vt dicit Dominicus in d. cap. Anastasius, committere fidem nostram iudicio vnius, est valde periculosum. Quod maximè est verum quando dubium esset maximum apud Papam cum Cardinalibus. Et hoc ponit Alexand. in dicto cap. Anastasius, & 15. dist. in princ. Quod etiam intelligit, quando Papa vellet statuere circa fidem, contra illud, quod esset aliàs statutum in Concilijs, quia tunc deberet conuocare Concilium, vt dixi supra in præcedenti quæstione, & idem Alex. ponit dist. 15. cap. sicut, & Abb. Siculus in dicto cap. maiores de bapt. quod & sentit Aug. de Ancona in tract. de potest. Papę qu. 60. artic. 8. Alioquin quando non occurreret maximum dubium, etiam causas fidei potest solus Papa, vel cum Cardinalibus decide-

cidere, vt est text. in dicto cap. maiores.
19 Deus enim non permittit Papam errare in decisione eorum, quæ ad fidem pertinent, vt legitur in Chronicis de Leone Papa. Pro hoc gloss. 24. qu. 1. cap. quodcumque. text. 24. qu. 1. in Sede, & cap. hæc est fides, & cap. quoniam vetus. Et licèt gloss. in cap. à recta 24. qu. 1. videatur innuere contrarium, intelligit sanctus Thom. in quolib. 9. art. vlt. secundùm quod refert Brixien. in quibusdam responsionibus factis contra Panormit. in illa parte ibi vlteriùs idem Reuerendissimus, &c. circa finem,
20 quod intelligitur considerata persona ipsius Papæ secundùm se, sed considerata prouidentia Dei, qui Ecclesiam suam Spiritu sancto dirigit vt non erret, sicut Dominus promisit Ioann. 16. quod Spiritus adueniens doceret omnem veritatem, certum est, quod iudicium Papæ in ijs, quæ ad fidem pertinent errare non potest. Vnde & Caiphas quamuis nequam, tamen quia Pontifex legitur prophetasse. Et ibi infert
21 ex dicto S. Thomæ, quod magna est differentia inter opinionem Papæ, & sententiam Papæ, quia opinio, quæ est de ijs, quæ pertinent ad personam Papæ potest errare, sed in ijs, quæ pertinent ad sententiam Papæ, quod est ratione officij publici, non permittitur assistente Spiritu sancto errare, quia potiùs operabitur quod sententiam feret contra illud, quod opinabatur, sicut euenit in Caipha, qui non intelligebat, quod ex morte Christi deberet saluari genus humanum. Sicut legitur etiam de Liberio Papa, qui deprauatus Arianorum perfidia, quibus fauebat in gratiā Constantij Imperatoris, progressus in Concilium ea intentione, vt pro Arianis sententiam ferret, subitò à Deo percussus graui dysenteria expirauit, sicut beatus Hilarius ei prædixerat, & sic non permisit Spiritus sanctus, quod veritati fidei contradiceret. Facit quod dicitur Ioann. 11. hoc non dixit à semetipso, sed ex suo officio cùm esset Pontifex anni illius. Et probatur hoc ex illo text. cap. hæc est fides, ibi si Apostolatus tui iudicio comprobatur. Vnde voluit idem Brixien. quod si contrariatur sententia Papæ sententiæ Concilij, potiùs sit standum sententiæ Concilij, pro hoc glos. in c. in istis, 4. dist. & gloss. in c. quodcumq; 24. q. 1. Quid de hoc sentiam dicam posteà, quia illæ gloss. concludunt contrarium, sed gloss. in cap. legimus dist. 93. & gloss. in cap. nemo 9. quæst. 3. benè dicunt, quod sit standum potiùs sententiæ Concilij. Et quia ista conclusio videtur, directè contraria textui, & ijs, quæ ibi dicuntur in cap. si Papa dist. 40. vbi quando Papa est hæreticus, potest accusari, & declarari depositus, quod si in his staretur sententiæ eius potiùs, quàm totius Concilij, fieri non posset, quia semper se tueretur ex sua sen-
22 tentia, ideò Dominic. in d. cap. in istis dist. 4 dicit, quod si Papa vellet aliquid statuere contra fidem, quod certitudinaliter appareret contra fidem, tunc staretur sententiæ Concilij, quia isto casu Concilium habet iurisdictionem in Papam allegat. d. cap. si Papa. Quinimmò hoc casu, quo certitudinaliter esset contra fidem, etiam si vellet statuere cum consensu Episcoporum de Concilio, non posset, vt in cap. quæ ad perpetuam 21. quæst. 1. & dicit Alexander in dicto cap. in istis. Et idem dicit, quod præualeret sententia Concilij quando vellet aliquid statuere contra vniuersalem statum Ecclesiæ iuxta notata in cap. nulli de sententia excommunicationis, & per Antonium in cap. quanto de consuetudine.
23 Vnde non posset tollere contra omnes Clericos canonem si quis suadente 17. quæst. 4. quia esset statuere contra vniuersalem statū Ecclesiæ sed de hoc, quia est merè de iure positiuo, esset meliùs cogitandum, sed secus de priuilegio fori, quia illud bene est de iure diuino, vt est gloss. in cap. si Imperator dist. 96. & ponit Cardinalis, in repet. cap. perpendimus, & refert Alexand.
24 in dicto cap. in istis. Et idem dicit, si vellet statuere, quod possit eligere sibi successorem, quia præferretur sententia Concilij vt in §. his omnibus 8. quæst. 1. in gloss. vel si vellet deponere omnes Episcopos de mundo, vt dicit gloss. in cap. per principalem 9. quæst. 3. Si verò vellet aliud statuere, tunc etiam, si non conueniret consuetudini regionis, Concilium posset con-
25 tradicere, sicut patet de continentia in Ecclesia Orientali non recepta ab Episcopis quia non peccant matrimonium contrahendo, vt in cap. cùm olim de cler. coniug. dist. 32. cap. Nicæna. Sed ista intelligo simpliciter in casu illo cap. Nicæna, in quo noluerunt illi de Ecclesia Orientali renuntiare iuri suo, cum ageretur de ipsorum præiudicio, nam etiam si contra consuetudinem regionis Papa ex causa statueret, dicerem præferendam sententiam Papæ sententiæ Concilij per cap. ad nostram de consuetudine, & ea, quæ ponuntur in cap. fin. de sponsa duorum. Dicit tamen Domin. quod si Papa resisteret expresè contradicendo, deberet seruari sententia Papę etiam eo casu, quo esset contra consuetudi-
26 nem regionis, quia lex principis quantumcumque dura, seruanda est leg. prospexit ff. qui & à quibus, & cap. in memoria dist. 19. & maximè statuendo in ijs, quę pro animaduersio, ne criminum sunt edita, quia in his reuocat statuta Concilij, vt dictum est supra, nisi reuocando statueret, quod esset irrationabile omninò, vel impossibile dist. 4. cap. erit autem, & vltra dictam gloss. in dicto cap. in istis dist. 4. quæ vult sententiam Papæ præferri sententiæ totius Concilij, adde aliam gloss. in cap. quodcumque 24. quæst. 1. & aliam in capit. nemo 9. quæst. 3. in contrarium vide gloss. in cap. legimus dist. 93. Sed de ista quæstione alibi latiùs dicam. Sed ad quæstionem vtrùm debeat cum Concilio in prædictis statuere, adde quod dicit Archid. Domin. Alexand. in cap. canones dist. 15. & Ioann. Andr. & Anton. de Buttrio, & Ioann. de Ana. post Alanum, & Vincent. in cap. cùm Christus de hæret. in illo artic. an Papa possit facere nouos articulos fidei, vbi
27 dicunt, quod articuli fidei sumuntur strictè, largè, & largissimè. Articuli strictè sumpti sunt omnes, qui continentur in sym-

symbolo Credo in Deum, &c. quos fideles explicitè scire tenentur, & circa hos Papa nihil potest disponere, vel ordinare, largo autem modo sumitur articulus, cùm vltra contenta in symbolo comprehendit definitiones factas per Romanos Pontifices, vel per Concilia, quale est tres personas esse æquales, & alia plura, vt dist. 15. cap. 1. 2. & 3. Et quo ad hos articulos creditur sufficere, quod laici eos implicitè credant, sed à Clericis habentibus curam animarũ, qui habent alios docere, & à Prælatis debent sciri explicitè, & in istis Papa disponere non potest, quatenus respiciunt fidem sine Concilio, ex quo sunt iam determinata per Concilia dist. 15. cap. sicut dist. 19. §. hoc

28 autem. Largissimè verò sumitur articulus, secundùm quod respicit omnem veram sententiam circa fidem nondum definitam, & de qua ante definitionem licet dubitare sicut licuit ante definitionem de iam definitis 24. quæst. 3. dixit Apostolus. Quæ Specul. in titul. de legato §. nunc breuiter, versic. 2. vocat articularia fidei, & refert Anton. in dicto cap. cùm Christus, & in istis procedit potestas Papæ, & ad ipsum spectat talia determinare, vt in dicto cap. maiores de bapt. & in cap. hæc est fides 24. quæst. 1. & hoc figuratum fuit in Moyse, qui fuit rector hebræorum, sicut Papa rector Christianorum, & cui reseruabantur quæstiones emergentes de lege determinandæ, iuxta illud Exod. 18. esto tu populo in ijs, quæ ad Deum pertinent, vt ostendas eis ceremonias, & ritum colendi. Vnde Augustinus, ego non crederem Euangelio si non crederem Ecclesiæ. Et Cyrillus in lib. Thesau. vt membra maneamus in capite, in nostro Apostolico Throno Romanorum Pontificum maneamus, à quo nostrum est quærere quid credere, & quid tenere debeamus. Vnde August. de Ancona in tract. de potestate Papæ quæst. 10. art. 3. referendo Beatum August. in lib. de vera religione cap. 16. dicit, quod in ijs, quæ sunt fidei

29 talis regula est seruanda, quod falsa, & damnata semper sunt respuenda, vera verò, & approbata semper sunt tenenda, dubia autem tamdiu sunt credenda, quamdiù aliud doceat ratio, vel contrarium præcipiat sanctæ Matris Ecclesiæ auctori-

30 tas. Vnde dicit, quod Papam posse addere supra illa, quæ sunt fidei dupliciter potest contingere, vel quantum ad dubiorum determinationem, & interpretationem, vel quantum ad occultorum, & implicitorum explicationem. Et vtroque modo Papa potest aliquid addere supra illa, quæ sunt fidei. Adducit textum 24. quæst. 1. cap. quotiens, & dist. 14. cap. sicut quædam.

31 Et hoc modo intelligo, quod dicitur, quod Papa potest solus facere nouos articulos fidei, videlicet, quod est verum secundùm vnam acceptionem articuli, id est de tali, quod credi oportet, cùm priùs hoc non oporteret. Sed secus si accipiatur strictè, vt dictum est, quia quod hoc modo est articulus, semper fuit articulus, & ideò constitutio de illo disponens, semper trahitur ad præterita, vt dicitur in dicto cap. cùm Christus, & in cap. cum tu de vsur. Et sic intelligo etiam sanctum Thomam in secunda secundæ quæst. 1. art. 10. Et eumdem Sanctum in quæstionibus de potentia Dei quæst. 10. art. 10. vel & meliùs materia 10. quæst. 4. in respons. ad 13. argument. vide-

32 licèt, quod Papa possit solus nouos articulos facere declarando, vel addendo, sed secus tollendo aliquid de articulis iam firmatis. Et si dicatur, quod etiam Athanasius composuit symbolum, & tamen non erat Papa, ergo videtur, quod possit multò magis hoc fieri per Papam. Respondet idem sanctus, quod Athanas. non fecit hoc per modum symboli, sed potiùs per modum cuiusdam doctrinæ, quæ quia integram fidei veritatem continebat, auctoritate Pontificum est recepta, vt quasi regula fidei habeatur. Non obstat, quod dicitur, quod non debet spectare ad Papam, quod non est à Papa inuentum, quia respondetur, quod sicut per homines Deo ordinante sunt nobis data diuina eloquia, ita & per homines dubia ipsius fidei declarantur. Ad illud, quod dicitur, quod vnusquisque benè iudicat, quæ benè nouit, dicendum est sicut dicitur dist. 20. cap. decretales, quod aliud est causis terminum imponere, aliud scripturas sacras diligenter exponere. Vn-

33 de in quæstionibus insurgentibus circa fidem, non solùm est necessaria scientia, sed etiam potestas, iuxta illud, tibi dabo claues Regni Cœlorum, in altera dans ei scientiam discernendi inter lepram, & lepram, in altera dans potestatem eijciendi aliquos ab Ecclesia, vel in eam recipiendi. Ideò conueniens est, vt per Papam cum aliquibus Doctoribus, & Magistris ei adiunctis, dubia circa fidem decidantur. Ad illud de cap. vbinam legistis, dicitur, quod aliud est scire tantummodò quid homo credere debeat ad adipiscendam vitam beatam, quę non est, nisi æterna, aliud est, scire quemadmodum hoc ipsum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quia primum pertinet communiter ad omnes fideles, secundum verò ad Summum Pontificem, & alios maiores de Ecclesia. Et ita respondet Augustinus de Ancona, qui hoc posuit in dicto tractatu de potestate Papa qu. 10.

34 art. 1. Sed videtur etiam obstare, quod Papa potest etiam vni laico committere causam fidei, vt in cap. in Synodo, ibi Bellamera post gloss. 63. distinct. Sed dic, quod aut est causa fidei, in qua non reuocatur in dubium, an sit hæresis, sed potiùs dubitatur de facto, quàm de iure videlicèt an per istum sit commissa hæresis. Et talem causam potest Papa committere laico facit gloss. in §. verùm distinct. 32. Aut dubitatur de iure, videlicèt an sit hæresis, vel non, & non debet Papa committere laico, quia scandalizaret Ecclesiam, quod ei nõn permittitur. Vide Alexan. in dicto cap. in Synodo.

35 Verùm autem Concilium possit facere constitutionem, quod Papa possit sibi eligere successorem, vide in illa quæstione vtrùm Concilium possit Sede vacante disponere contra iura positiua, & post quæstionem vtrùm Concilium possit immutare constitutionem Papæ. Et ad istam quæstio-

stionem adde quæ dicta fuerunt supra in illo art. ex quibus causis debet congregari Concilium.

SVMMARIVM.

1 *Statuta Concilij an dicantur statuta hominum.*
An Dei, & num.4.
Et an dicantur ius diuinum, vel humanum, ibidem.
2 *Ius diuinum magis stringit, quàm humanum.*
3 *Lex Canonica in parte dicitur diuina, in parte positiua.*
5 *Lex humana quando ex contrauentione non liget ad peccatum remissiuè.*

ARTICVLVS XVIII.

1 Sed hic quæro vtrùm statuta Concilij dicantur statuta hominum, Abbas Siculus in capitulo licèt ex quadam in penultimo notabili de testibus ex illo text. dicit, quod statuta Concilij dicuntur statuta hominum non Dei, & sic quantumcumque dicantur à Deo promulgari per ora Principum, vt in cap. quo iure 8. dist. & Spiritus sanctus præsumatur loqui per os eorum, qui sunt in Concilio generali, vt in cap. si ille, 50. dist. & text. in cap. violatores 25. dist. 1. non propterea dicuntur ius diuinum, sed humanum. Pro hoc bonus text. in cap. non debet de consang. & affin. ius enim editum à Præsidentibus in Ecclesia militanti, non dicitur diuinum, sed hu-
2 manum text. dist. 1. in princ. Ius tamen diuinum magis stringit, quàm humanum, vt, in cap. literas de restit. spoliat. quia præcepta Dei sunt præcepta iuris naturalis, quæ sunt de necessitate salutis, sed statuta humana sunt de ijs, quæ non sunt per se de necessitate salutis, sed solùm ex institutione humana, & ideo possunt esse aliqua impedimenta, propter quæ aliqui ad obseruanda huiusmodi statuta non teneantur, vt dicit Archid. post sanctum Thom. in cap. vtinam, distinct. 76. de quo per Doct. in cap. nam concupiscentiam de constit. Idem tamen Abb. in cap. 1. de iuram. calum. dicit legem
3 canonicam in parte dici diuinam, & in parte positiuam, allegat. cap. qualiter el 2. de accusat. & cap. nimis de iureiuran. quia habito respectu ad causam efficientem immediatam, dicitur humana, sed respectu causæ efficientis, quia diuinitùs per ora principum promulgata, dicitur diuina, dicto cap. quo iure dist. 8. l. fin. C. de præscript. longi temporis. Dicerem quod si
4 constitutio Conciliaris disponit circa articulos fidei, tunc dicitur ius diuinum, vt in cap. sicut, 15. dist. si circa concernentia moralem Philosophiam, dicitur ius humanum. Ad hoc quod dicit Calderin. in procem. Gregoriano, potest etiam dici humana respectu causæ efficientis, licèt etiam contineat in se aliquid concernens legem diuinam, & sic probat text. in præallegato cap. non debet de consang. & affinit. & ad hoc faciunt ea, quæ dicta sunt in illo artic. vtrùm Papa tollat statuta Concilij. Quan-
5 do autem lex humana ex contrauentione non liget ad peccatum mortale, vide Felin. in cap. quoniam contra de probat. in vlt. notabili.

SVMMARIVM.

1 *Papa quando tollit statuta Concilij, vel contra illa dispensat, vtrùm sufficiant clausulæ generales ad tollenda statuta Concilij.*
2 *Constitutio conciliaris censetur habere clausulam derogatoriam ad postea concedenda.*
Immò etiam alia, num. 10.
Auctoris præmissa multa, in quibus agitur, an per clausulas generales tollatur constitutio, num. 3. & 4.
5 *Papa procedendo per viam constitutionis, vel legis per clausulas generales tollit statuta conciliaria, sicut alia.*
Limita duobus modis, num. 6. & 7.
Quid si procedit per viam priuilegij, numero 8.
9 *Differentia inter constitutionem conciliarem, & ius commune, & num. 23.*
Opinio Auctoris, num. 11.
Vbi approbat opinio. Archidiacon. in capit. 1. de constit. in 6. & num. 12.
12 *Rescriptum, certis casibus non valet non facta mentione iuris contra quod impetratur.*
13 *Constitutio conciliaris si habet clausulam derogatoriam ad postea concedenda, vel decretum irritans, vel formam ad futura concedenda, non tollitur per clausulas generales, immò nec speciales, nisi fiat mentio in indiuiduo, limita num. 22.*
Et quid si apponatur clausula motu proprio ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, num. 26.
Es idem si non habet clausulam derogatoriam, quia ad eam tollendam non sufficit clausula generalis, sed debet fieri mentio de Concilio generali, num. 14.
Licèt non in indiuiduo, ibid.
Et ponit Auctor exempla.
15 *Testamentum inter liberos non tollitur per secundum habens clausulam generalem, cassans, & irritans, sed requiritur specialis mentio.*
16 *Innoc. in cap. ex parte de capell. monach. intellectus.*
Et alius num. 17.
Et alius num. 18.
Et alius, num. 20.
19 *Obreptio ad hoc vt euitetur, oportet facere mentionem de iure in rescripto emanante contra ius.*
Non autem vt euitetur subreptio, ibid.
21 *Constitutio conciliaris, an tollatur per clausulam generalem non obstante.*
24 *Papa, si sacro approbante Concilio reuocet omnes concessiones, siue exemptiones à prædecessore factas, cum clausula quod non intendit alias concedere, nisi sub certa forma, si concedat sine illa forma, an dicatur facere contra constitutionem Concilij.*

Eccle-

25 *Ecclesia Romana non priuilegiat aliquem contra se.*

ARTICVLVS XIX.

VLteriùs quia dictū est quod Papa tollit statuta Conc.& contra illa dispensat,vt in c.1.& ibi Doct.de const.in 6.vbi ex sola editione secundæ constitutionis, vel legis reuocatur prima, quia Papa censetur scire iura,& habere ea in scrinio pectoris sui
1 quid si prima constitutio est Conciliaris, vtrùm sufficiant clausulæ generales ad tollendum statuta Concilij. Archid. in cap. 1. de constit.in 6. dicit quod non, quia quando aliquid impetratur contra Concilium generale, vel Concilium Lateranense, debet de eo fieri mentio aliter quàm per clausulas generales, & pro hoc est text. in cap. ex parte, & in cap. fin. de capel. Mona, & in cap. eam text. de ætat. & qualit. & in cap.nonnulli de rescrip.& ratio assignatur, quia constitutio Conciliaris censetur habe-
2 re tacitam clausulam derogatoriam ad postea concedenda. Facit text. in cap. vnico de excess. Prælat. in 6. & quod dicitur in l. si quis in principio testamenti. ff. de legat. tertiò, & in l. fin. C. si contra ius, vel vtilit. pu. Et de isto dicto Archid. facit mentionem Ioannes Andr. in d. cap. vnico de excess. Prælat. in 6. Ad idem facit etiam de eo mentionem Bal. in l. humanum C. de legibus. Idem Ludou. in l.si verò §. de vero in 23. fallentia ff. solu. matrim. & Ioan. de Ana. in cap. cùm in Diœcesi in vlt. colum. de vsur. & Aluarottus in capitulo 2. post princ. in tit. constitutiones feudales, & Oldr. consil. 326. incipit quod articuli dati, & consil. 328. ad idem primò. Et Ludou. consil. 436. in 7. colum. ibi sexta principalis ratio, & Vitalis in clausulis suis fol. 5. & Benedictus consil. 157. fuit dispensatum. De quibus etiam meminit Felin. in d. cap. nonnulli 6. colum. vbi assignat rationem, quia fit multorum auctoritate, & fuit ratio Ludou. in d. consil. Ad quod l. dubium C. de repud.& cap.prudentiam de offic. delegat. Item illa ratio, quæ assignatur,quod constitutio conciliaris habet tacitam clausulam derogatoriam ad postea concedenda, vt dictum est virtualiter est, Innoc. & Hos. in cap. penult. de cap. mona. secundùm iura, quæ in fine allegat Innoc. Et licèt ante videatur dicere, quod non sit differentia inter constitutionem conciliarem, & alias non conciliares, expresè tamen Felin. in d. cap. nonnulli, videtur aliquo modo impugnare dictum Archid. primò propter Innoc. in d. capit. penult. qui dixit quod quantum ad faciendam mentionem, non est differentia inter constitutiones Concilij, & alias alterius iuris, secundò quia Archid. non videtur sentire illud ad quod allegatur, tertiò quia iure non probatur, quartò quia si hoc esset verum, non oportuisset in d. cap. nonnulli, ponere clausulam derogatoriam ad rescripta,per quod dicit quod etsi specialiter hoc fuit factum ibi in d. cap. nonnulli,& in certis alijs iuribus, secus tamen est in alijs constitutionibus Concilij. Dicit nihilominùs finaliter, quod non esset tutum discedere à dicto Archid.

3 Quid dicendum? Dico aduertendum quod ista est materia multum sparsa in iure quia aliquando agitur, quando secundū rescriptum tollat primum habens clausulam derogatoriam ad postea concedenda per clausulas generales, & est materia capituli primi de rescript. Et de rescripto ad lites est materia capituli cæterum, & capituli Pastoralis eo tit. De literis ad beneficia in capitulo eam te, & capitulo capitulum de rescript. in cap. tibi qui eo tit. in 6. & in cap. si propter, & cap. duobus, eo tit. & lib. capit. ex parte el primo de offic. delegat. & cap. ei cui, & in cap. quodam de præben. in 6.cum simil. Aliquando agitur, quando priuilegium habens clausulam derogatoriam tollatur à rescripto, vt in cap. cùm ordinem de rescript. & in cap. primo eodem tit. & 25. quæst. secunda in summa. Aliquando in vltimis voluntatibus, vt in d. l. si quis in principio testamenti. Ioan. Andr. in regula quod semel, in mercuria, & Aug. consil. 313. & generaliter in contractibus, & vltimis voluntatibus Domi. in d. cap. primo de constit. in 6. Aliquando de rescripto ad ius commune, vt d.cap. nonnulli & in cap. primo de constit. in 6. & l. fi. C. si contra ius, vel vti pu. Aliquando de rescripto ad indulgentiā, de quo per Archid. in summa. 25. quæst.2. Aliquando de constitutione ad ius commune, vt in cap. cùm dilectus, & in cap. cùm ad hoc de cleric. non resid. & in cap. 1. de excess. Prælat. in 6. Aliquando de iure ad ius, vt in cap. 1. de constit. in 6. & l. sed & posteriores ff. de ll. & l. non dubium C. eod. tit. Aliquando de priuilegio ad ius commune, & vide multa, quæ allegat Ioan. Andr. in rub. de priui. & post eum Doct. in capit. 1. de excess. Prælat. in 6. & in specul. de instru. edi. §. nunc autem versic. & scias, & in tit. de rescript. præsentatione §. ratione, versic. item quod est contra. Aliquando de priuilegio ad priuilegium, vt in cap. veniens de rescript. & in clem. 1. de sepul. Et multa alia consilia de similibus, vt Calder. cons. 2. de priuil. Cardin. cons. 52. Federic. consil. 134. & Cardin. cons. 142. Paul. de Castro cons. 53. & consil. 312. & Cardin. consil. 137. Ludou. consil. 327. & 436. Cardin. consil. 104. & Feder. cons. 47.

4 Istis omissis solùm tangendo casum vtrùm per clausulas generales tollatur constitutio Concilij generalis, Credo considerandum,per quem modum Papa procedat, quia si procedit per viam constitutionis,vel legis, satis erit generalis clausula non obstante quacumque constitutione in contrarium faciente, sicut in tollendo alia iura,
5 quæ non essent conciliaria. Et hoc per id quod dicit Bal. in l. humanum C. de legibus, & quod dicit Abb. in dicto capitulo nonnulli, & Domi. in capitulo vt officium in §. denique de hæret. in 6. & Immol. in Clementina prima in vltimo notabili, de sepul. & dicit glos. in verbo noscatur in cap. primo de constit. in 6. & Paulus de Castro in l. fin. C. si contra ius, vel vti. pu.

Nec Archid. loquitur quando constitutio conciliaris tollitur per secundam constitutionem, sed quando aliquod impetratur contra constiturionem Concilij generalis. Et isto vno modo potest intelligi dictum Innoc. in dicto cap. ex parte, cùm vult quod non sit differentia in faciendo mentionem inter constitutionem conciliarem, & aliud
6 ius scriptum. Et hoc etiam limito, vt procedat, secundùm quod ponit Paulus de Castro in d. l. fin. nisi lex præcedens haberet clausulam derogatoriam ad sequentẽ, quia tunc non valeret lex sequens nisi faceret specialem mentionem illius, seruata certa
7 forma, vt ponit Bal. & alij in l. humanum, C. de ll. Secundò etiam limito, nisi prima constitutio esset facta in priuilegium alicuius personæ l. 2. §. legatis. ff. de iudic. quia istis duobus casibus deberet fieri specialis mentio. Ad hoc est, quod dicitur post gloss. in capit. graue de offic. Ordin. & in §. si qua verò C. de Iustinia n. C. de cõfirmando.

8 Si autem procedit per viam priuilegij, vel rescripti, in hoc videtur differentia ex dicto Archid. quia si ius commune non habet clausulam derogatoriam ad sequentia tollitur per clausulas generales l. fin. C. si contra ius, vel vtili pub. cap. si Apostolica de præben. in 6. Sed secus videtur in constitutione conciliari, quia ex quo est edita à pluribus videtur facta cum maiori maturitate, & propterea videtur habere clausulam derogatoream ad sequentia, & non tolli per clausulam generalem non obstantiarum, per dictum Archid. sicut non tollerentur iura, quæ specificè haberent clausulam derogatoriam ad sequentia, vt in dicto cap. 1. de exces. Præl. in 6. in d. capit. cùm dilectus, & in capit. cum ad hoc de cler. non resi. Vnde Archid. in hoc videtur
9 facere differentiam inter constitutionem conciliarem, & ius commune, quia nisi ius commune habeat clausulam derogatoriam ad sequentia, & in eo id specialiter caueatur, vt in exemplo, dicti capituli primi, & cap. cùm dilectus, & cap. cum ad hoc non habet eumdem effectum quem habet constitutio conciliaris, quæ licèt non habeat aliter clausulam derogatoriam, nec specificè id in ea caueatur, continet tacite in se clausulam derogatoriam, & ideò simpliciter posita continet maius robur, quia difficiliùs ei derogatur, & non sufficit clausula generalis non obstante quacumque lege in contrarium faciente. Sed certè si rectè inspiciamus iura, quæ allegantur pro constitutione Conciliari, nõ probant quod constitutiones conciliares videantur habere maiorem efficaciam, vel maius robur
10 quàm alia iura, quia quælibet lex, vel canon censetur habere clausulam derogatoriam, vt in l. nec damnosa, & in l. rescripta C. de precib. Imperat. offe. & in l. fi. C. si contra ius, vel vti. pu. Et quo ad id quod dicitur in d. cap. ex parte, & alijs iuribus, quod quia non est facta mentio de constitutione conciliari, rescriptum censetur surreptitium, non dicitur quod contrarium fit in alijs, iuribus non conciliaribus.

11 Reuera difficile est iudicatu quidnam sit tenendum. Et ideò considerando dictum Archid. & iura, dicerem sic. Et primò quo ad dictum Archid. dico contra Felinum quod immò Archid. hoc clarè sentit quod ad derogandum constitutioni conciliari in rescripto, vel priuilegio, non sufficit ge-
12 neralis mentio per clausulam non obstante &c. dicit enim Archid. quod certi sunt casus, in quibus non valet rescriptum, nisi fiat mentio de iure, contra quod impetratur, vt in cap. nonnulli de rescript. in cap. eam te de ætat. & qualit. in capitulo cùm dilectus, & in capitulo cum ad hoc de cler. non resid. Quod specialiter intelligi potest, quando impetratur contra Concilium generale, vt de rescript. nonnulli, vel Lateranense, vt in capitulo penultimo, & vltimo, de capel. monacho. Et subiungit idem dicendum de quolibet iure, in quo istud specialiter continetur, & idem quando iuris ordo peruertitur, vt in capitulo causam quæ de rescript. Et per eadem verba replicat istud dictum Domi. in capitulo primo, in septima opinione de excessibus Prælatorum in sexto. Nunc ergo in proposito ex dicto Archid. satis colligitur mens eius, quod quando rescriptum vult tollere constitutionem conciliarem etiam non habentem clausulam derogatoriam ad postea concedenda, requiritur quod faciat mentionem de constitutione conciliari, & non sufficiunt clausulæ generales, & æquiparat constitutionem conciliarem in hoc alijs iuribus habentibus clausulam insertam, quod de eis debeat fieri mentio, quæ est clausula derogaroria ad postea concedenda.

Et sic dictum Archid. est satis clarum in se, & si hoc non sentiret, non fuisset ad hoc allegatus à tot Doctoribus quos supra retuli. In hoc tamen fateor quod aliqua iurium, quæ allegat, possunt in aliquo retorqueri contra eum, vt cap. nonnulli de rescript. quod est constitutio conciliaris, & ibi dicitur quod non valeat rescriptum contra illum text. nisi in eo fuerit facta expressa mentio de illo iure conciliari. In hoc nulla resultat maior specialitas in constitutione conciliari, quàm in alijs iuribus quia vbi in alijs iuribus est apposita clausula, quod non valeat rescriptum, vel priuilegium, nisi fecerit expressam mentionem de illo iure, non valebit rescriptum contrarium habens tantùm clausulam generalem non obstante, vt in hoc potest poni exemplum in dicto capitulo primo de exce. Prælat. in 6. Ad idem l. 1. C. si nuptiæ ex rescripto, petantur, & in l. ratas C. de rescindenda vendi. Et in l. prima C. de naturalibus liberis, & satis benè text. in leg. humanum in fine. C. de legibus, & in l. secunda C. de summa Trinitat. in quibus exemplis idem est quod in constitutione conciliari, quia non sufficeret clausula generalis non obstanre aliqua constitutione in contrarium faciente, sicut nec in terminis dicto cap. nonnulli.

13 Nunc ergo ad conclusionem quæstionis dico quod interdum constitutio Concilij generalis habet clausulam derogatoriam ad postea concedenda, vel decretum irritans

tans, vel formam ad futura concedenda, & isto casu non solùm non sufficit specialis puta dicendo non obstante aliqua lege conciliari, sed requiritur indiuidua mentio vt in dicto capitulo nonnulli, quia debet dici non obstante constitutione in Concilio generali edita, ne quis possit trahi vltra duas dietas. Et in hoc non facio differentiam inter constitutionem conciliarem, & Pontificalem. Et ita seruat stylus curiæ, cùm in literis apponit clausulam non obstantibus constitutionibus de vna, vel duabus dietis, dummodo non vltra tres in concilio generali dicto capitulo nonnulli, & per Bonifacium, capitulo statutum eodem titul. editis. Vnde consuetudo ostendit, quod ita sit necessaria indiuidualis mentio de constitutione Bonifacij, sicut de constitutione Concilij generalis. Et idem seruatur de constitutione generali in Concilio Viennensi in Clement. prima de Regularibus, & de extrauaganti Martini quinti idem disponentis, quia indiuidualiter vtrique derogatur, habet enim dicta Clement. decretum irritans, quod sapit clausulam derogatoriam ad postea concedenda cap. si eo tempore de elect. in 6. cùm similibus. Item etiam derogatur in indiuiduo Concilio Viennensi in Clement. qui contingit de religi. domi. quia habet certam formam committendi hospitalia. Et hoc etiam modo potest intelligi dictum Innoc. in dicto capitulo ex parte de capel. Mona: cum vult, quod non sit differentia inter ius commune, & constitutionem conciliarem quo ad faciendam mentionem. Aliquando
14 constitutio conciliaris non habet aliquam clausulam derogatoriam ad postea concedenda. Et tunc dico etiam non sufficere fieri mentionem ad derogandum per generales clausulas, videlicet non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in contrarium &c. vel non obstante aliqua lege in contrarium faciente, sed debet fieri specialis mentio de Concilio generali, ita quod dicatur non obstante aliqua lege, vel constitutione etiam in Concilio generali edita in contrarium disponente. Nec requiro quod faciat nominatim indiuidualem mentionem de continentia, vel de canone, sicut in præcedenti casu, vbi dicitur de vna, vel duabus dietis &c. fit mentio de Concilio generali, & Concilio Viennensi in indiuiduo, sed sufficit specialis, scilicet non obstante aliqua constitutione conciliari in contrarium edita. Ita intelligo capitulo ex parte, & capit. fin. de capel. mona. & cap. cum te de ætat. & qualitat. Et ita intelligo dictum Archid. in dicto capitulo primo de constitutione in 6. Et ita videtur velle Ioannes Andr. in capitulo primo de exces. Prælat. in 6. in distinctione, dum dicit in primo membro distinctionis, aut non nominatim, sed per æquipollentiam nominis, quasi dicat quod æquipollet dicere non obstante tali lege, vel non obstante aliqua lege conciliari, quia ex quo exprimitur quod constitutio est conciliaris. Satis videtur specialis mẽtio facta de illa, maximè cum idem Ioannes Andr. referat verba Archid. in vltima opinione, videlicet de constitutione conciliari, extendendo capitul. ex parte, & capitul. fin. ad omnem casum, quo impetraretur contra Concilium generale. Et benè probant illa iura. dicta causa cum te, & dicto capitulo penult. & fin. vbi ostenditur quod nulla mentio erat facta de constitutio. conciliari capitulo 2. de statu Monac. Vnde nec generaliter, & sic nullo modo poterat Papa instrui. & ideò tanquam surreptitiè impetratum non valebat, quod secus fuisset, si potuisset Papa instrui per generalem clausulam non obstante constitutione Concilij generalis in contrarium edita, tunc enim tanquam eo certificato de æquipollentia verba, cessasset surreptio. Et idem videtur sentire Dom. in effectu, cum refert distinctionem Ioannis Andr. in dicto capit. primo de exces. Prælat. in 6. & idem Paulus de Castro in dicta l. fin. C. si contra ius, vel vtil. public. in 3. columna cum allegat. Ioannem Andr. Pro hoc facit quod quando fit testamentum inter liberos, illud tacitè dicitur continere clausulam derogatoriam ad alia subsequentia,
15 vt in auth. hoc inter libros. Codic. de testam. Ita quod per subsequens testamentum non censetur reuocatum primum nisi in secundo fiat specialis mentio de primo, vt ponit Paulus de Castro, & Cor. in d. auth. hoc inter liberos, & Soc. in l. si mihi, & tibi §. in legat. de leg. 1. & Clar. in consil. 163. in 7. colum. nec sufficit clausula generalis cassans, & reuocans omne aliud testamentũ &c. Pariformiter dicendum videtur in constitutione conciliari, quæ vt dictum est habet in se tacitam clausulam derogatoriam ad sequentia rescripta, quod non sufficiat clausula generalis, non obstantibus legibus, & constitutionibus Apostolicis, nisi dicatur non obstante aliqua lege etiam si sit conciliaris. Licèt quod dicitur de testamento sit diuersa materia, de qua in l. si quis in principio testamenti ff. de leg. 3. & in regula mercuriali, quod semel, vt supra dixi. Et ista clausula non obstante quando fit mentio in ea de Concilio virtualiter, quia non est omnino generalis, & vaga, sed derogatiua constitutionis conciliaris contrarium disponentis, videtur includere in se potiùs specialem mentionem quàm generalem. Et ideò Archid. in dicto suo, & cum sequentes, dicunt esse idem in constitutione conciliari. quod in iure, in quo specialiter id cauetur quod debeat illi derogari, vt tollatur, iuxta dictum cap. primum de exces. Prælat. & d. l. 1. C. si nuptiæ ex rescripto pe. & d. l. ratas C. de rescin. ven. cum alijs supra allegatis, æquiparando istos duos casus, & in eis similiter ponendo clausulam generalem derogatoriam legi, dicendo specialiter non obstante l. prima si nuptiæ ex rescripto petantur, vel & meliùs, quia illa mentio esset plus quàm specialis, & quasi indiuidua secundùm Bart. in d. l. fin. dicendo non obstante lege Theodosiana in contrarium disponente. Videtur alio modo posse intelligi
16 dictum Innoc. in d. cap. ex parte, quod non sit differentia in faciendo mentionem constitutionis conciliaris, vel alterius iuris,

ris, quia ita debet fieri mentio specialis alterius iuris habentis clausulam derogatoriam sicut constitutionis conciliaris, & ista per æquipollentia verba erit specialis mentio, & non generalis, quia per illam potest princeps instrui, qui concedit rescriptum. Et isto modo intelligo etiam Bald. in d. l. fin. C. si contra ius, vel vtil. pub. & hoc clarè ponit Paulus de Castro in d. l. fin. in 3. colum. & idem Paulus in consil. 53. in princ. Nec credo quod sit necesse, vt expressè nominetur lex, vt dixi in primo exemplo, quia illa videtur quædam spe-
17 cialissima, & indiuidua mentio, quæ non requiritur secundùm Paulum de Castro. Verum est, quod Salice. in dicta l. finali dat alium intellectum ad dictũ cap. ex parte, vt intelligatur, & habeat locum non tantùm in constitutione Conciliari, sed in quocumque iure, quia intelligit illum tex. quando illud contra, quod rescribitur foret statutum pro salute eorum, ad quorum petitionem nunc rescribitur contrarium, quia requiritur tunc specialis derogatio, ad hoc, quod illud ius tollatur, & ita erit in alio iure communi, sicut in constitutione Conciliari. Similiter Ant. de Butr. dat alium
18 intel. in dicto cap. ex parte, non ponendo differentiã inter constitutionem Conciliarem, & alia iura, videlicèt, quod ius commune quantùm ad tollendum vitium præsumptæ falsitatis, & obreptionis semper censeatur habere clausulam derogatoriam ad rescripta. Vndè dicit, quod vt excusen-
19 tur literæ à vitio falsi, vel obrepti necesse est facere mentionem de iure in rescripto emanante contra ius, sed vt excusentur à vitio surreptionis non. Et ita intelligit illum tex. in dicto cap. ex parte, allegat. Innoc. in cap. cùm dilecta. de rescript. Sed
20 Innocen. & Card. in dicto cap. ex parte dant alium intellectum, quod ibi Papa non ponit pro constanti, sed loquitur dubitatiuè per verbum credimus. Quicquid dicatur, ille tex. & alia iura Conciliaria probant benè intellectum Arch. in dicto capit. de constitut. in 6. Et de intellectu etiam illius tex. vide eundem Fel. in dicto cap. nonnulli, in 6. char. in vers. sed contra, & in 8. char. 2. colun. Et per hoc patet quando gratia censeatur surreptitia, cùm non facit specialem mentionem de constitutione Conciliari, de quo etiam vide Milis in verbo gratia, vbi licèt à principio dicat gratiam simpliciter surreptitiam, postea videtur concludere contrarium, cùm allegat Innocentium in dicto cap. ex parte, & Ioan. And. in dicto cap. nonnulli, & Anton. in dicto cap. ex parte. Sed ad concordandum dic, vt supra dictum est. Aliquando
21 ponitur generalis clausula non obstãte. Et in hoc Bar. in dicta l. fin. ponit triplicem modum derogandi legi, quia aliquando dicitur aliquo in contrarium non obstante, vel non obstante aliqua lege. Quod in his casibus non sufficit, quia est nimis vaga, sed opus est, quod dicatur non obstante quacumque lege, quæ in contrarium loqueretur. Nec esset necesse specificare, siue exprimere legem, quia illa esset indiuidualis. Sed Paulus de Castro dicit idem si dicatur non obstante quacumque lege, quia subintelligitur, scilicet contrarium disponente. Vndè per istam clausulam non obstante quacumque lege in cõtrarium disponente, vel per illam non obstante quacumque lege, tollitur lex contraria, & satis est facta mentio ad illam tollendam, quantumcumque quælibet lex dicatur habere clausulam derogatoriam generaliter, secundùm l. nec damnosa. C. de precibus Impera offe. Et ideò benè Bald. in d. l. fin. dicit. quod aliquando lex prohibet impetrari in specie aliquod rescriptum in contrarium, & requiritur mentio, siuè specialis clausula non obstante, quæ habet vim specialis expressionis, vt in exemplis proximè supra positis. Aliquando prohibetur rescriptum generaliter per viam regulæ, l. nec damnosa, & tunc sufficit generalis derogatio, siuè generalis clausula non obstante, siuè generalis mentio. Quod intelligo modò non sit multùm incerta, & vaga, vt in primo exemplo Bart. videlicet non obstante aliquo in contrarium faciente, nulla facta mentione de lege. Et his casibus quando clausula est generalis non obstante aliqua lege numquam censetur derogatum constitutioni Conciliari, licèt benè censeatur derogatum alijs legibus non habentibus clausulam derogatoriam ad posteà concedenda, & in hoc est differentia inter alia iura, & constitutiones Conciliares. Et hoc modo non potest habere locum dictum Innoc. in dicto cap. ex parte, quia immò est differentia inter alia iura, & iura Conciliaria in faciendo mentionem, quia ista vltima mentio per clausulas generales sufficit quoad alia iura, quæ non sufficit quo ad ius Conciliare. Et hoc probant iura ibi in dicto cap. ex parte per Inn. in c. ex fine adducta, videlicet, cap. eam te. de æta. & qualit. & cap. nonnulli, de rescrip. Et sic intelligitur Archi. & qui eum referunt in dicto cap. 1. de consti. in 6. Istud tamen posset limitari, secundùm
22 Aretinum in cap. at si Clerici in §. de adulterijs, de iudi. & refert Felin. ibi, nisi constitutio Conciliaris impersonaliter permitteret facultatem dispensandi, quia tunc sufficeret clausula generalis, sicut in alijs iuribus absque expressione Concilij, & sic restringitur dictum Arch. Et ratio est, quia ex quo à Concilio permittitur facultas dispensandi, Papa redditur facilior ad dispensandum contra Concilium, & faciliùs eliditur per clausulas generales constitutio Concilij, quæ licèt in dubio dicatur habere clausulam derogatoriam ad concedenda, cessat tamen tunc hæc ratio, quia ipsa constitutio dat facultatem dispensandi, & tollere videtur clausulam derogatoriam ad concedenda, ex quo ex se habilitat ad concedenda; faciunt, quæ dicuntur in cap. cognoscentes, & in cap. fin. de consti. Et ideò isto casu sufficeret clausula generalis non obstante quacumque contraria constitutione, vel lege, absque eo, quod adderetur Conciliari, quia sicut tollerentur aliæ leges contrariæ, ita, & Conciliaris, & hoc alio modo posset intelligi verum dictum Innoc. in dict. cap. ex parte. Et istam limitationem existimo veram in proposito, & notan-

notandam. Et per hæc sit expeditus iste articulus vtrùm Concilium tollatur per clausulas generales, & vide quo ad istam vltimam limitationem, quod dico infrà in 2. proxima quæstione. Item adde prædictis, quod non obstat, quod dicitur, quod dispositio habens tacitam clausulam derogatoriam tollitur per clausulas generales, per dicta Bald. in l. humanum in secundo quæsito, in versic. aduertatis, & Bartol. in l. fin. in princ. ff. de lega. 2. quos refert Felin. in dicto cap. nonnulli in 16. col. in 3. fallentia, quia non loquuntur in derogatione
23 constitutionis per rescriptum, sed in derogatione constitutionis per aliam constitutionem, siuè statuti, vel reformationis per statutum, vel reformationem, ad quod, vt dictum est sufficit generalis derogatio, vt dicit ibi Bald. & non est differentia eo casu inter constitutionem conciliarem, & ius commune, vt dictum est. Quod autem dicit Bar. in dict. l. fin. ibi non fuit, nec tacita, nec expressa voluntas testatoris, vt ipse dicit in l. si quis in principio testamenti. de legat. tertiò, & refert Felin. in dicta tertia fallentia item ibi Bartol. loquitur in priuata dispositione priuati hominis, qui debet apertiùs legem dicere, vt l. veteribus, ff. de pactis, & dicit Bald. in dicta leg. humanum.

24 Sed pone, quod Papa sacro approbante Concilio reuocet omnes exemptiones concessas à prædecessore, addendo, quod non intendit nouas concedere sine certa forma, vtrùm si Papa posteà illas concedit sine illa forma, dicatur facere contra constitutionem Concilij. Istam quæstionem determinat Dominicus cons. 44. incipit dominus noster Papa, & ibi concludit, quod non dicitur facere contra constitutionem Concilij, quia licèt, quo ad eam partem, in qua reuocantur exemptiones dicatur constitutio Conciliaris, non tamen, quo ad illam, in qua dat formam posteà concedendis, quia clausula sacro approbante Concilio, in priuata parte posita, non debet referri ad sequentem dantem formam concedendis, quia alioquin videretur Papa, se subijcere Concilio, quod non præsumitur
25 quia Ecclesia Romana, non priuilegiat aliquem contra se, vt in cap. cùm instantia, de censi.

Vtrùm autem, si in rescripto apponatur
26 clausula motus proprij, & ex certa scientia, & plenitudine potestatis, iuncta cum clausula non obstante, dicatur derogatum constitutioni Conciliari non habenti clausulam derogatoriam ad posteà concedenda, dicerem, quod sic, maximè addita clausula, quæ communiter apponitur, non obstantibus constitutionibus, per quas gratia posset impediri, vel differri, per ea, quæ ponuntur per Doct. post Lapum in capit. quamuis, de rescrip. in 6. & ponit Milis in verbo motus proprius, quod & sentit Felin. in dict. cap. nonnulli in 4. fallentia primæ regulæ, & 4. fallentia secundæ regulæ.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus, legatus, vel alius inferior à Papa, an dispenset contra Concilium, quod non, num. 3. quod sic, num. 5. & quomodo, num. 22. & limitationes, num. 23. 24. 27. 28. & 30. sublimita n. 25.*

2 *Episcopus in quibus dispensat, & in quibus non remissiuè, & nu. 12.*

4 *Episcopus, vel legatus non potest constituere, vt minor triginta annis possit eligi in Episcopum.*

Vel quod quis possit habere duo beneficia curata, contra Concilium generale.

6 *Episcopus dispensando non dicitur facere contra Concilium, sed exequi Concilium.*

7 *Episcopus dispensat contra constit. conciliarem, quantumque constitutio non det facultatem dispensandi, ex quo non prohibet, etsi delictum sit inferius adulterio.*

8 *Episcopus in criminibus maioribus adulterio non dispensat, nisi expressè ei sit indultum. Fallit, nu. 9. & 10.*

11 *Crimina maiora adulterio, quæ dicantur, remissiuè.*

13 *Episcopus ex causa potest facere constitutionem contra ius Canonicum.*

14 *Episcopus non dispensat cum filio, vt succedat immediatè patri in beneficio, nisi subsistente aliqua Ecclesiæ vtilitate.*

Et nisi sit ex legitimo Matrimonio natus, & num. 24.

15 *Verba enunciatiua impersonaliter prolata in dubio referuntur ad eum ad quem illud factum spectat de iure.*

16 *Constitutio Conciliaris quando concedit facultatem dispensandi operatur duos effectus.*

17 *Clausula generalis non obstan. non sufficit ad tollendam constit. Concilij.*

18 *Approbante Concilio, vel in Concilio, si istæ clausula sint in constitutione, non tamen dicitur constitutio conciliaris.*

An sit verum ibidem.

19 *Cap. nuper, de sent. excom. intellectus, & num. 21.*

20 *Episcopi non possunt dispensare, nisi vbi est concessa dispensatio.*

Nec contra iura per ipsosmet condita licèt possint illa tollere, vel limitare, ibidem.

25 *Necessitas ineuitabilis, & magna, & periculum in mora facit, quod quis potest propria auctoritate facere, quod aliàs non posset.*

Maximè si Superioris non est copia, limita, num. 26.

29 *Papæ proponenti in præsentia Concilij, nemo contradicit, secùs alijs, sed non approbatur per Auctorem, ibid.*

31 *Episcopus, an possit facere aliquam constitutionem synodalem, præter modum indultum à constitutione Conciliari, vt in exemplis per Auctorem, ibid.*

32 *Consuetudo licèt in casu possit introduci contra ius scriptum, non tamen potest contra ius conciliare.*

Etiam, quod consuetudo esset rationabilis, ibidem.

33 Con-

33 *Consuetudo nutritiua peccati non valet. Nec inducens aliquid contra concilia generalia Summorum Pontificum numero 35.*

34 *Cap. 2. de concess. præb. non habet locum in hospitalibus.*

ARTICVLVS XX.

1 SEd vtrùm Episcopus, vel Legatus, vel alius inferior ipso Papa, dispensat contra Concilium generale, ista est materia de qua in cap. at si Clerici in §. de adulterijs de iudi. per gloss. quæ tenet, quod non & Doct. in capit. dilectus el 1. de præben. & idem glos. & Doct. in cap. cùm dilectus, de electio. & in cle. 1. in verbo eligatur, de elect. de tempor. ord. cap. dilectus. ibi Innoc. de filijs presbyt. in cap. fin. & in c. 1. eod. tit. Io. de Ana in cap. cum in Diœcesi, de vsu. Archi. 15. dist. sicut 27. quæst. 1. Virgines, 56. dist. in summa, per Ludou. remissiuè in cons. 325. inci. quod ad primum, latè per Io. An. in cap. 1. in gloss. pen. de suppl. negli. Præla. in 6. in nouella. & per Spec. in tit. de dispensatione, in §.
2 nunc. de Episcoporum, vers. verùm, vt tanta opin. varietas. Et vbi simpliciter ponit reg. in quibus Episcopus, dispensat, & in quibus non, postquam posuit infinitos casus, in quibus potest, & in quibus, non, dat reg. quod in adulterio, & in ijs, quæ sunt illo minora potest Episcopus dispensare, nisi reperiatur prohibitum, in maioribus adulterio, numquàm potest dispensare nisi inueniatur expressè concessum. Sed ista est reg. generalis, in proposito autem nostro vtrùm dispenset contra constitutionem conciliarem videndum est. Et breuiter procedendo per conclusionem, in §. de adult.
3 Ant. de Butr. dicit, quod Episcopus non dispensat cõtra constitutionẽ conciliarem, quod maximè videtur procedere, si constitutio contineat Canonem latæ sententiæ, vel inhabilitatem, vel aliquam pœnam. Et idem tenet, dictus Anton. de Butr. in cap. nonnulli de rescr. videlicèt, quod in illo c. Episcopus non dispensat per dict. glos. in dicto cap. dilecti. de elect. & idem dicit in cap. de multa. de præben. quod in illo non dispensat, quia est cõstitutio Conciliaris. Pro quo vide tex. in cle. 2. iuncta suprascrip. de elect. & idem Io. And. in cap. fin. de of-
4 fic. Primice. post Hostien. Vndè non posset legatus, vel Episcopus statuere, quod minor. 30. annis possit eligi in Episcopum, vel quod quis possit habere duo beneficia curata contra Concilium generale. Et idem tenet Abb. in cap. dilectus de filijs presby. etiam in legato de latere, scilicèt quod non dispenset contra Concilium, nec contra canonem Concilij. Vnde non dispensat contra Concilium Pictauien. cùm filijs sacerdotum, quod possint promoueri, vt succedant in Ecclesia paterna immediatè, siue sint filij sacerdotis in sacerdotio geniti, siue ante sacerdotium, vt dicit Abbas in dict. cap. dilectus, & in cap. fin. de filijs presby. & latè Domi. post Archi. 56. dist. in summa, etiam si sit legatus, & adsint merita personæ, cùm qua petitur dispensari, nisi aliàs subesset necessitas, siue vtilitas Ecclesiæ, vt dicit Dom. ibi in summa, & Abbas post alios in dicto cap. fin. & dicto cap. dilectus.

5 Sed contra Ioan. Andr. & Anton. de Butrio tenet Abb. in d. §. de adulterijs, qui dicit quod vbicumque constitutio conciliaris concedit facultatem dispensandi, Episcopus semper poterit contra illam dispensare arg. cap. nuper de sent. excom. nisi fuerit dictum, quod tantùm per Papam possit dispensari, & ratio est quia cùm in constitutione conciliari semper intelligatur excepta auctoritas Papæ, vt in cap. significasti de elect. oportet intelligere quod
6 videatur concessa inferiori à Papa. Adducit etiam quod dispensando non dicitur Episcopus facere contra concilium, sed potiùs exequi voluntatem Concilij. Facit quod dicit gloss. in verbo tolli in Clem. ne Romani de elect. quod benè potest adiuuari constitutio pœnam adijciendo, & idem ponit Ioan. Andr. in dict. cap. finali. de filijs presbytero. quod sentit gloss. in cap. quisquis de elect. & glos. in cap. postulasti de Cler. excomm. minis. & in cap. in quibusdam de pœnis, & Abbas Siculus in omnibus dictis locis, qui allegat ad hoc Innocen. in cap. dilectus de temporibus ordin. Item quod dispensatio respectu personæ dispensantis est fauorabilis, quia sæpiùs est necessaria, vt in cap. vt constitueretur, & in cap. Domino sancto 50. dist. & 1. q. 7. exigunt, & cap. dispensationes. Secus tamen si concilium non indulgeret facultatem dispensandi, sed generaliter statueret, tunc enim Episcopus non posset. Et ita dicit loqui iura per dict. Ant. allegata, & intelligit prædicta etiam si constitutio Concilij contineret canonem latæ sententiæ, ex quo ipsamet constitutio indulget dispensationem. Sed hoc est potiùs limitare, & declarare opinionem Ioann. Andr. & Ant. de But. quàm contrariari. Et hoc idem ponit Abb. in cap. quisquis in glossa fiat, quam recitat pro vltima, de elect. Et intelligit, etiam si constitutio conciliaris concedens dispensationem non dixit per quem, quia cum de Papa non dubitetur, oportet intelligere inferioribus à Papa concedi. Vide dictam gloss. id dicto cap. quisquis, quæ ex alio mouetur, quare in casu illo Episcopus etiam dispenset, quia
7 erat casus inferior adulterio. Ex quo infertur vnum, quod quantumcumque constitutio conciliaris non daret facultatem dispensandi, ex quo non vetat, si delictum est inferius adulterio, Episcopus dispensabit etiam contra talem constitutionem conciliarem, vt infra dicetur. Illud tamen quod dicit, quod quando constitutio conciliaris impersonaliter loquitur de facultate dispensandi, Episcopus potest dispensare, prima facie videtur durum, quia in omni constitutione prohibitiua videtur reseruata facultas dispensandi quamuis in illa nihil dicatur de dispensatione, quia intelligitur, scilicèt per eũ, qui habet aliàs facultatem dispensandi, quia semper videtur reseruata potestas superioris, & exceptum

ceptum istud ius speciale c. venientes cum concordan. in gloss. adductis de iureiuran. c. dudum. de præben. in 6. cum simil. Sed de hoc dicendum est, vt latiùs infra dico referendo opinionem Felini contrariam Aretino. Aliquando tamen constitutio Concilij
8 loquitur generaliter, nec permittendo, nec vetãdo dispensationẽ. Et tunc dicit Abb. in d. §. de adulterijs, quòd in adulterio, & alijs ferioribus criminibus dispensabit Episcopus nisi reperiatur ei prohibitum, in alijs autem maioribus criminibus regulariter non poterit dispensare, nisi expressè videatur ei indulta facultas dispensandi. Et ita intelligit Archidiac. 15. distinct. sicut, & dicit cõmuniter hoc teneri adducitur text. in c. dilectus de temp. ordin. Et ratio huius est quia dispensatio vulnerat ius superioris, & illud tollit 23. quæst. quarta, cap. displicet prima quæstione septima §. nisi rigor. in glossa contra notata, in Clementina secunda de electione, & capitulo cùm inferior de maioritate, & obedientia. Quod non procedit sine dubio, vt supra dixi, & infra
9 dicetur. Quod etiam limita verùm excepta excommunicatione, in qua quamuis sit conciliaris constitutio, quæ nec vetat, nec permittit, poterit Episcopus dispensare, dicit Milis in verbo, dispensare non potest Episcopus, referendo Anton. de Butrio in dicto §. de adulterijs, in penultima columna, in versiculo conclude &c.
10 Posset fortè addi alia limitatio, nisi ex consuetudine præscripta aliter per Episcopum factum reperiretur, vt in cap. fin. de consuetud. quia consuetudo facit dispensationem valere, quæ aliàs non valeret ar. de celebr. miss. cap. perniciosus, dicit specu. in tit. de dispensatione §. nunc de Episcoporum, versic. verùm, vt tanta, &c.
11 Quæ autem dicantur maiora crimina adulterio, vide Doc. ibi in dicto §. de adulterijs post gloss. Vbi autem esset constitutio conciliaris non disponens circa crimina, & nec permitteret, nec vetaret dispensationem, per istam distinctionem non deciditur. Vnde sequendo opinionem Anton. & Ioann. de Lignano in dict. §. de adulterijs, etiam dico quod non poterit dispensare contra concilium generale, & hoc ponunt Domini de rota in decis. 5. incipit item in religioso de iurepat. Et idem videtur sentire Innocen in cap. dilectus de tempo. ordi. qui tantùm dat ei facultatem dispensandi in casibus à iure permissis, &
12 ibi ponit omnes casus permissos, & prohibitos Episcopo. De quo in specu. in tit. de dispensatione, in §. nunc de Episcoporũ per totũ. Et idem quod non possit dispensare tenet Card. in Clem. de elect. qui dicit quod nec legatus de latere poterit dispensare cõtra illã Clem. quę est constitutio cõciliaris. Et idem quod Dom. de Rota tenent Immo, & Abb. in dict. Clem. prima, & videtur idem tenere glossa ibi in verbo eligatur. Quinimmò, nec per viam vnionis Episcopus poterit contra illam constitutionem dispensare, vt sentit Petrus de Anchar. post Paulum de Liazarijs ibi in dict. Clem. Et tenet etiam Andreas Siculus ibi idem quod Do-
13 mini de Rota supra, licèt aliàs Episcop. ex causa posset facere constitutionem contra ius canonicum allegat. Bal. in l. omnes populi ff. de iustitia, & iure, & Dominos de Rota decis. 155. & Abb. in capit. at si clerici in §. de Adulterijs, de iudi. Et quod nec legatus de latere dispenset, tenet. Immo. in ca. officij de elect. refert, & seq. Lanfranc. in c. nullus de elect in 6. Et ibi vide vtrum saltem cùm tacitè professo dispenset Episcopus ad Prælaturam sui ordinis subsistente causa, quia c. nullus requirit expressam professionem, vt quis possit eligi, ibi vide. Et idem tenet Abbas in ca. dilectus de filijs presb. Vnde non dispẽsat quod filius succe-
14 dat immediatè Patri in Ecclesia eius, nisi ex aliqua causa concernẽte vtilitatẽ ipsius Ecclesię, vt dicit ibi ipse post Hostien. & nisi talis sit filius, qui ex legitimo matrimonio sit natus, aliàs secus. De quo dic, vt plenè per eum in cap. fin. de filijs presb. & vt supra dictum est. Aretinus tamen dicto §. de adulterijs, sequendo opinionem dicti Anton. dicit corroborando illam, quòd verba enunciata impersonaliter in
15 dubio referuntur ad eum, ad quem illud factum spectat de iure, vt in l. si seruus la tertia §. qui Margaritam, & ibi notat. ff. de lega. primo, & in authen. quandò C. de constit. pecu. Et quod sumitur ex regula in cap. primò de rescript. videlicèt quod verba priuilegij, vel legis si possunt aliquid operari, debent reduci ad ius commune, in quantum fieri potest, vt in cap. cùm dilectus de consue. Vnde dicit quod hoc casu quando constitutio conciliaris
16 concedit facultatem dispensandi, operabitur duos effectus, primò quod licèt non sufficiat clausula generalis ad tollendam constitutionem conciliarem, vt dicit Archi. in cap. primo de consti. in 6. & Bald. in l. humanum C. de l. & dixi supra proxima secunda quæstione, isto casu sufficiet generalis, & alius effectus erit, quòd Papa erit facilior ad derogandum, & dispensandum contra constitutionem conciliarem, vide quod dixi supradicta proxima quæstione. Sed Dominus Felin. in dicto §. de adulterijs, sequendo opinionem Abbatis impugnat quod dicit Aretinus, primò per text. in cap. in quibusdam de pœnis, ibi, nisi cum eis fuerit dispensatum, & dicit glossa ibi per Episcopum, & tamen illa constitutio est constitutio conciliaris, & per tex. in cap. quisquis de elect. ibi nisi cum ipso fuerit dispensatum, & gloss. dicit ibi scilicèt per Episcopum, & dicit ibi Abb. nota, quòd Episcopus dispensat contra constitutionem Concilij, item quia dictum Archi. in dicto capitulo primo, & Bal. in dicta l. humanum, ipse non habet pro vero. Sed ego dico, quòd illud est verissimum, vt dico supra in penult. præcedenti quæstione. Et ex ibi dictis patet responsio ad cap. nonnulli, de rescript. per quod ipse arguit hìc à speciali ad impugnandum dictum Archi. quia vt supra colligitur ex dictis meis, non potest argui à speciali ex illo tex. & alijs similibus iuribus, quia illa non solùm requirunt mentionem generalem, sed specialem, & quasi indiuiduam. Et ideò remanet

conclusio Arch. vera, quòd in omnibus
17 constitutionibus conciliaribus non sufficit ad illas tollendas clausula generalis non obst. sicut in alijs iuribus, quia constitutio conciliaris tacitè continet in se clausulam derogatoriam ad concedenda. Et licèt non placeat ista vltima ratio eius, tamen per tex. & gloss. quas allegat contra Aretin. pro opinione Abb. placet mihi eius opinio, quòd quãtumcumq; impersonaliter constitutio cõciliaris det facultatẽ dispensandi, nihilominùs etiam Epis. poterit dispensare, & hoc per notata in c. nuper de sententia excõmunicationis ibi glossa, quia censetur cõcessa facultas dispẽsandi inferiori à statuẽte, lege dies cautioni §. duas ff. de dam. infec. & d. cap. nuper, & hoc expressè dicit glossa in c. quisquis de elect. in verbo fiat. Item placet mihi simpliciter quod dicit Aretinus, quòd vbi ex constitutione Conciliari est permissa alijs dispensatio, si Papa dispensat contra illam, sufficit clausula generalis ad tollendum illam. Vndè satis erit si dicatur non obstante aliqua lege in contrarium disponente. Nec erit necesse facere mentionem de Conciliari quia ex quo Concilium habet clausulam permissiuam dispensandi, cessat tunc ratio dicendi, quòd constitutio Conciliaris continet clausulam derogatoriam ad posteà concedenda, ex quo habet clausulam permissiuam ad dispensationes faciendas. Vndè eo casu non potest dici habere clausulam derogatoriam, sed magis permissiuam. Et hanc limitationem ad dictum Archidiac. in cap. 1. de constit. in 6. pono in supradicta proxima quæstione circa fin. Contra opinionem Abbatis, quam sequitur Felinus in dicto §. de adulterijs, & cum opinione Aretini simpliciter transit Decius in dicto §. de adulterijs. Et respondet ad capit. in quibusdam de pœnis, & capit. quisquis, iura allegata in contrarium, quod non sunt Conciliaria, nam
18 licèt dicatur talis in Concilio, vel talis approbante Concilio, non propterea dicitur constitutio Conciliaris, vt declarat Abb. in cap. 1. de sponsal. in 5. notabili, & in capit. 1. de pact. in vltimo notabili, & remittit se ad dicta per eum in capit. 1. de iudic. Sed hæc responsio non placet, quià nec Abb. hoc dicit in dictis locis, & dicto capit. in quibusdam, & cap. quisquis sunt Conciliaria, vt patet in suprascript. & patet in pluribus iuribus Conciliaribus contrarium eius, quod ipse dicit. Sed contra opinionem Abbatis, & rationem supra assignatam, dùm allegatur per me cap. nuper, de sentent. excommunicat. quod ex quo non est reseruata per Concilium potestas dispensandi, censetur concessa inferiori, & sic Episcopo, quantumcumque impersonaliter Concilium loquatur, facit, quod dicit Cardin. in capit. dilectus, de temp. ordin. vbi dicit, quòd text. in dicto
19 capit. nuper, de sentent. excommunicat. dùm vult, quòd quando conditor canonis non reseruat sibi absolutionem, videtur alijs concedere facultatem relaxandi, loquitur in absolutione ab excommunicatione, & non habet locum in dispensatione, quia dispensatio est iuris communis relaxatio, vt in gloss. §. nisi rigor 1. qu. 7. & in Specul. tit. 2. §. dispensatio, in princ. & Anton. in cap. per venerabilem, qui filij sint legit. idem & Cardin. in dicto capit. dilectus in 2. quæst. & ponit Ludouic. in cons. 325. incipit quoad primum. Et ideò semper intelligitur prohibita, nisi reperiatur permissa. Absolutio autem ab excommunicatione fit secundùm ius, ideò intelligitur permissa, nisi reperiatur prohibita. Pro quo etiam facit gloss. in cap. cupientes in §. cæterùm, in verbo suspensos, de elect. in 6. vbi non vult, quòd cap. nuper, habeat locum in dispensatione, sed tantùm in excommunicatione. De quo tamen vltimo ibi pleniùs per Domin. per Doctor. in Clem. 1. de hæret. post gloss. & per Abb. in cap. 2. de solut. & in cap. tam literis, de testibus: vndè dicit Archidiac. in capit. licèt canon, super verbo carere, quòd superstitiosa, & inutilis est obiectio de cap. nuper, quia non loquitur in dispensatione, quæ vulnerat ius commune. Et ibi referendo opinionem Innocent. cum illo tran-
20 sit, quòd Episcopi non possunt dispensare, nisi vbi est à iure concessa dispensatio, & quod non possunt dispensare etiam contra iura condita à Papa. Et ibi plùs dicit, quòd nec Episcopi possunt dispensare contra iura per ipsosmet condita, nec contra approbatas consuetudines, licèt illa possint aliàs tollere, vel limitare, de quo ibi latiùs per eum. Sed ad hoc respondetur, quòd dictum Cardin. & Archidiac. intelligitur quando constitutio non concedit dispensationem, cuius contrarium est in proposito, quia quando constitutio Conciliaris concedit dispensationem, ità habebit locum in dispensatione illud, quod dicitur in cap. nuper, sicut in absolutione ab excommunicatione; & ita voluit Innocent. & refert idem Cardin. in dicto capit. dilectus, de temp. ordin. Item contra illud, quod dicit Cardin. tenet Specul. in tit. de dispensat. vers. 23. & refert Ioan. de Imol. in capit. post translationem, de renunciat. secundùm quod ponit Andreas Barbatius in cap. quod translationem, de offic. legat. qui pro hoc adducit gloss. in cap. postulasti, de Cler. excommun. minist. quæ exten-
21 dit cap. nuper ad dispensationem, & gloss. in capit. præterea de vsur. & in capit. atsi Clerici in §. de adulterijs, de iudic. & in cap. de simoniacæ de simon. & idem gloss. in dicto capit. nuper, & gloss. & Innocent. in dicto cap. dilectus, & idem gloss. in dicto cap. quod translationem, de offic. leg.
22 Et per hoc infertur, quòd Legatus de latere possit dispensare contra Concilium; quod & voluit gloss. secundùm eum in capit. quæ de causa, secunda quæstione quinta; & in cap. mandata, de præsumpt. Sed illæ glossę non dicunt aliquid de constitutione Concilij; sed quòd ipse dicit intelligo simpliciter verum, quando Concilium concedit dispensationem, quia si poterit Episcopus, multò magis Legatus de latere. Sed vbi Concilium non concedit, neque prohibet expressè dispensationem etiam Legato de latere, gloss. communiter tenent,

nent, quòd non possit dispensare cōtra Conciliarem constitutionem. Hoc voluit glos. in cap. dilectus, il. 1. de præb. iuncto c. 2. de concess. præb. & glos. in cap. penult. de filijs Presb. & glos. in cap. cùm dilecti, de elect. & gloss. in Clem. 1. de elect. Quod & tenet Abbat. in dicto cap. cùm dilecti, de elect. qui allegat text. in cap. post translationē, de renunciar. vbi Papa reddit se difficilem in dispensando contra Concilium. Et idem Abb. in cap. dilectus, de filijs Presbyt. & Domin. in summa dist. 56. Ad idem etiam ipse Abb. in dicto capit. post translationem allegat Specul. in tit. de Legato, & in tit. de dispensatione in §. & consequenter, versic. & generaliter. Et idem Speculat. in eodem tit. de Legato, §. nunc tractemus. versic. de illo. Et hoc etiam est potiùs declarare, & limitare opinionem Ioan. Andr. in dicto capit. fin. & Anton. in dicto §. de adulterijs, quàm contrariari. Adde etiam, quod dicit Bald. in tract. schismatis in rubrica si quis aliquem testamen. prohib. quod Cardinales non possunt dispensare, nec suspendere constitutiones Concilij, quia non habent iurisdictionem talem, & tantam, per quam, si haberent, possent perturbare vniuersalem statum Ecclesiæ, vndè non possunt dissoluere illud, quod pro totius Mundi vtilitate sancitum est, & sacro Concilio illudere, allegat text. in Clement. ne Romani. Et idem refert Andreas Siculus in capit. translato in penult. colum. de constitut. Et ex hoc colligitur vnū notabile, quòd quoad hoc minus potest Collegium Cardinalium, quam Episcopus, ratio, quia si mortuo Papa debent vacare acceleratæ electioni futuri Pontificis, vt in dicta Clement. ne Romani, si loquimur viuente Papa, sine eo non erit Collegium perfectum. Et sic vnus Cardinalis Episcopus plùs poterit in Episcopatu suo, quàm Collegium Cardinalium, & poterit solus plùs, quàm cum Collegio. Sed ista illatio non videtur bona, quia Collegium est etiam antequàm intrent Conclaue, & Collegium Cardinalium dicitur etiam sine Papa, quia est Collegium, siue Capitulum vniuersalis Ecclesiæ, vt dicit Bald. in leg. penult. Cod. de bonis, quæ liberis, circa medium. Vide quod dicit Alexan. in cap. in Synodo dist. 13. Et ideò bona est ratio, quam assignat Bald. in dicta rubr. C. si quis aliquem testari prohibuerit. Adde tamen præmissis multa bona dicta Ioannis Milis circa facultatem Episcopi in dispensando, quæ ponit in verbo dispensatio, in vers. dispensare non potest Legatus, cum 22. versiculis sequentibus, quorum maior pars concernit casus contra constitutiones Conciliares.

23 Limita tamen prædicta in Legato de latere, nisi hoc faceret de expresso, & speciali mandato Papæ, quia tunc valeret eius constitutio etiam si esset contra Concilium, quia, vt dicit d. Ant. in d. cap. penult. de filijs Presb. in sexto illud, quod facit legatus de latere ex speciali commissione Papæ, non tam factum Legati, quàm Papæ dicitur, secus si ex generali. Allegat gloss. in cap. literis de rescript. facit text. in cap. si Apostolicæ de præben. in 6. & dicunt Doctor. in cap. quod translationem, de offic. leg.

24 Limita etiam secundò omnia prædicta, quòd illud, quod dicitur, quòd Episcopus, vel Legatus non potest dispensare contra Concilium, est verum, nisi ex magna causa necessitatis, vel vtilitatis. Ita limitat Abbas Siculus in dicto §. de adulterijs, & idem Abbas in cap. cùm dilectus de electione, qui allegat ad hoc decision. Rotæ 255. aliàs 253. incipit item in Religioso & est in tit. de iurepat. quinta. Allegat. prima quæstion. septima cap. tali, & cap. exigunt, & cap. exposuisti de præbendis, & Ioan. de Lignau. qui dicit ita seruari. Et Abbas in dicto cap. dilectus, & cap. fin. de filijs Presb. & ibi cæteri Doctor. qui dicunt, vt tactum est, quod licèt aliàs Episcopus non dispenset, quòd filius Sacerdotis succedat in Ecclesia paterna, illud est verum, nisi vbi subesset necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ. Et sic ex aliqua magna causa necessaria poterit dispensare. Eamdem limitationem posuit etiam Bald. in l. omnes populi ff. de iustitia, & iure, qui vult, quòd ex magna causa Episcopus possit statuere contra canones. Quam etiam limitationem ponit Milis in verbo dispensare potest Episcopus. Allegat dictam decisionem, ad quam etiam se remittit ad cognoscendum, quæ sunt magnæ causæ. Eamdem etiam limitationem ponit Spec. in tit. de dispensatione, in §. nunc de Episcoporum, ver. vtrùm autem cùm illegitimis, vbi dicit, quòd licèt aliàs Episcopus non possit dispensare cum illegitimis, tamen ex magna causa poterit dispensare, vt promoueantur ad ordines sacros, & ad beneficia minora simplicia. Eamdem limitationem post dictam decis. posuit Ludou. cons. 325. incipit quoad primum in colum. 3. Qui intelligit hoc vbi oriretur aliqua vrgens causa de nouo, & incognita verisimiliter Concilio tempore editæ constitutionis, argument. l. si hominem ff. mandati. Per quod dicit Abbas multùm limitari prædicta adducit in simili, quod notat Innocent. in cap. quòd super ijs, de voto. Et istam limitationem ponit Pontanus in singulari suo, quod incipit, sed an possit Episcopus, & Felinus in cap. 1. in 7. fallentia de con-
25 stit. & in d. §. de adulterijs. Quam limitationē intelligit veram, vbi de facili Superior consuli non posset, aliàs secus, per l. Diui Fratres ff. de pœnis, & per l. Diuus Pius Claudio ff. de falsis, vbi enim superior non potest adiri de facili, & imminet magna necessitas, ineuitabilis, & periculū est in mora, potest etiam propria auctor. quis venire contra iuramentum proprium vt dicit Innoc. in cap. venerabilem de elect. & Bald. in l. non dubium Cod. de legibus pro quo facit text. in cap. 1. de Clerico ægrot. in 6. vbi ratione distantiæ locorum conceditur Episcopo indigenti Coadiutorem, sibi assumere vnum, vel duos de consensu, & consilio sui capituli, vel maioris partis absque hoc, quòd veniat ad Sedem Apostolicam, ad quam aliàs venire teneretur, vt ibi dicit text. & hoc propter dis-

dispendia, & necessitates, & ad idem text. in c,1.in fin.ne sede vacante in 6.vbi si Episcopus esset in remotis, non expectatur eius consilium, quod aliàs requiritur, & expectatur. Hanc etiam conclusionem, quòd Episcopus dispenset quando de facili non potest adiri superior, & periculum est in mora, sentit Aretinus in d. §. de adulterijs in 4. colum. allegat in argumentum, quæ habentur in cap. nihil de elect. & quæ ponunt Doctor. post Innoc. in cap. licèt ex suscepto de foro competent. Sed contra istam limitationem adduco Ioann. Andr. & Petrum de Anchar. in cap.1. de ætate, & qualit. in 6. & Domin. ibi, qui impugnantes Arch. ibi & in cap. licèt canon. de elect. in 6. volunt, quòd Episcopus etiam ex magna, necessaria, & vtili causa, &etiam cum causæ cognitione non dispensat cum patiente defectum ætatis in dignitatibus curatis propter Concilium generale cap. cum in cunctis, in §. inferiora de elect. Cum qua opinione etiam transit ibi Philippus, & cum Ioann. Andr. ibi, vt refert ipsemet Archid. in dictis locis dicit referendo Hostiens. pro opinione sua, quòd licèt idem, quod ipse sentiat Hostiens. in cap. cùm dilectus, de elect. tamen dicit, quòd in contrarium est Curia Romana, & quòd sic pronunciauit Bonifacius Papa in facto electionis Episcopi Eduen. Sed licèt pro opinione Archid. multa possent adduci, quæ ipse ponit in d.cap. licèt canon, & cum eo sit Hostiens. in d. cap. cùm dilectus, & Benedictus Capra in d. cap.1. de ætate & qualitate in 6. tamen contra Archid. est communis opinio, vt dicit Domin. in d. cap. licèt in glos. in verbo carere, quæ etiam est contra Archid. contra quem est etiam Io. Monach. in cap. cupientes in §. denique eod. tit. & lib. de elect. & etiam Benedictus in d. cap. licèt canon. transit contra eum, dicit oppositam opinionem esse communem, & cum ista sunt communiter Doct. in d. cap. cùm dilectus Vnde ista opinio apertè destruit istam limitationem, nisi dicamus, quòd aliud sit quando imminet magna, & ineuitabilis necessitas, & periculum est in mora, & ad istum casum restringatur ista secunda limitatio, quod est directè contra opinionem aliorum supra allegatorum, vt constat per eorum exempla. Vnde posset dici, quòd ideò in casu Archid. non conceditur dispensatio etiam ex magna necessaria, & vtili causa, quia Concilium generale prohibet Episcopis, & punit contrafacientes, vt patet circa finem d. cap. cùm in cunctis

26 de electio. & ideò non conuenit huic limitationi; quæ est quando Concilium, vel permittit dispensare, vel quando loquitur impersonaliter, nec vetando, nec permittendo dispensationem, nec imponendo aliquam pœnam, quia vbi imponit pœnam restringuntur dictæ limitationes, vt patet infra prox. restrict.

27 Limita etiam & tertiò, nisi canon Concilij esset canon pœnitentialis, quia cùm pœnitentiæ sint arbitrariæ, vt in cap. Deus qui de pœnit. dist.1. poterit Episcopus in tali canone dispensare, vt in cap. quem pœnitet de pœnit. dist.1. & dicunt Doct. post gloss. in d. §. de adulterijs. Quod intelligo, nisi casus de se esset reseruatus Papę per notata in cap. quod translationem de offic. leg. & in d. §. de adulterijs. Et qui sint isti casus pœnitentiales reseruati Papę, habetur in capitulo secundo de pœnitentia & remissione in 6.& per Hostien. in summa de pœnitentia, & remissione in §.2.

28 Aliam, & quartam limitationem videtur ponere Felinus in capitulo primo de sponsl. nisi constitutio Conciliaris non originaretur principaliter à Concilio, sed à Papa, approbante Concilio, quia tunc Episcopus poterit dispensare, vt sunt illæ, quæ in suprascriptione haberent nomen Papæ, quia dicit, quòd maioris ponderis, & maturitatis sunt illæ, quæ originantur à Concilio, vt sunt illæ, in quibus dicitur, ex Concilio tali, & his similia, & hoc propter concursum multarum opinionum in idem allegat. l. tertia Cod. de fideicomm. & capitulum prudentiam de officio delegati. Quia in

29 propositis per vnum de Concilio, datur cuilibet libera facultas contradicendi 31. distinctione, capitulo Nicæna, quod secus videtur in propositis per Papam in præsentia Concilij, in quibus non videtur affuisse tanta maturitas, tùm propter reuerentiam Papæ, cui cæteri pro parte assistunt, iuxta capit. primum in verbo humani moris est decimasext. quæstione secunda, & quod notant Innocentius, & Baldus in capitulo, quod super ijs de maioritate, & obedientia, tùm quia data discrepantia inter Papam, & alios, præualet Papæ sententia, vbi de fide non agitur secundùm glos. in cap. in istis dist.4. & cap. ex multis 4.qu.3. gloss. 24. quæst.1 cap. quodcumque distin.15. sicut. Sed istæ rationes videntur ridiculæ, quia vel præsupponunt existentes in Concilio Papa præsente non habere libera vota, vel quòd sint tot bestiæ, quot Episcopi. Item contrariantur etiam dispositioni multorum iurium, & glossarum, de quibus feci mentionem in illa quæst. qualiter debeant edi constitutiones in Concilio, in quibus apparet, quò eduntur approbante Concilio, & tamen Episcopus in illis non dispensat. Et ideò ipse non firmat pedem, & contrarium allegat gloss. & quod ibi notat Abb. in Clem.1. in verbo eligatur, de elect.

30 Alias insuper duas limitationes collige supra in secundo membro distinctionis. Restringe tamen dictas limitationes, nisi canon Concilij pœnam indiceret, quæ non posset imponi, nisi per Papam, exemplum in depositione Episcopi 3. quæst. 6. capit. quamuis, & in cap. multum, & cap. dudum. Tunc enim sicut solus Papa potest deponere, ità videtur conueniens, quòd solus Papa possit dispensare. Ità dicit Hostien. & declarat Anton. de Butrio in vlt. colum. in cap.2. de biganis, quod & ponit Aretinus in dicto §. de adulterijs in 3. columna. Quod videtur verum, quando quis non potest imponere pœnam ex defectu potestatis, secùs si ex priuilegio personæ, quia tunc videtur, quòd possit dispensare ob cessantem rationem. Anton. de Butrio, quia

quia tali casu, qui non potest condemnare, potest absoluere, vt ex text. Bartol.& Bald. in leg.fin. C. vbi Senatores, vel Clarissimi. Ne illud, quod inductum est in fauorem, retorqueatur in odium. Ità dicit Decius in dicto §. de adulterijs in 4. col. Restringe etiam similiter dictas limitationes, nisi essemus in casibus Papæ tantùm reseruatis, iuxtà notata in cap. quod translationem, de offic. legat. & in cap. sicut vnire, de excess. Prælat. & in Specul. in tit. de dispens. in §. nunc breuiter. Quia in his se non intromittit alius inferior, nisi ex speciali commissione Papæ, vt dicto capit. quod translationem, & per dicta in 3. limitatione, quod & ponit Io.Andr. in dicto cap.1. de supplen.neglig.Prælat.in 6. & Specul. in dicto versic. verùm vt tanta, &c. Amplia omnia supradicta habere locum in constitutione Concilij facta etiam Papa proponente, vt vult illa gloss. in verbo eligatur in Clement. 1. iuncta suprascript. de elect. & in Clement.ne Romani, iuncta suprascr, eodem tit. An autem Episcopus possit fa-
31 cere aliquam constitutionem Synodalem declaratiuam circa probationes, vel numerum testium præter modum inductum à constitutione Conciliari, vt puta, quod per vnum testem de visu, & duos de auditu, vel fama, vel per quatuor testes singulares, vel confessionem extraiudicialem coram quocumque Presbytero, possit conuinci quis de prauitate vsuraria, vel circa cautionem præstandam tollendo, vel mutando, de qua fit mentio in Concilio Lugdunen. in cap. quamquam, de vsu in 6. vel dando certam formam, vt quod restitutio vsurarum non possit fieri per manus Episcopi, & his similia. Vide, quæ ponit Ioann. de Anan. in capit. cùm in Diœcesi, de vsuris; & vide Bald. in leg. eos, C. de
32 vsuris. Et ex præmissis elici potest vna conclusio, quòd in casu, in quo consuetudo potest introduci contra ius scriptum, vt traditur in cap. fin. de consuetud. & in capit. consuetudinis dist. 11. & in leg. de quibus, ff. de legibus, & in leg.2. C.quæ sit longa consuetudo, & in capit. consuetudo dist.1. & in cap.leges dist.4. cum similibus. Non ità de facili poterit introduci contra ius Conciliare, quantumcumque esset consuetudo in se rationabilis, quia si esset irrationabilis nullo modo valeret, vt dicitur in locis supra allegatis, nec valeret contra Concilium generale, de quo in cap. quia in omnibus, de vsur. & in terminis Clement.1. de vsur. quod dicit Bald.in tit. de pace Constant. in §. nos Romanorum in 8.col. vers.vndè non valet, nec etiam de vsuris minimis, vt in leg. eos, ibi Doctor.
33 Cod. de vsuris. Et hoc est generale, quòd numquam valet consuetudo quando est nutritiua peccati, nedùm quando est contra Concilium, vt in capit. ex parte, de consuetud. Et ideò fortè non valeret consuetudo contra Concilium generale, de quo in capit.2. de concess. præbend. Sicut dudum quærebatur in Rota, vtrùm esset bona materia, quæ deducebatur per Fratrem Hierosolymitanum, quod in Præceptorijs, & Prioratibus Religionis ex illius consuetudine erat introductum, quod non habebat locum Concilium generale, de quo in cap. 2. de concess. præben. Et videbatur dicendum, quòd non, quia quòd in beneficijs non habeat locum deuolutio contra Concilium generale, non posset introduci consuetudo, quia Concilium habet clausulam derogatoriam ad posteà cōcedenda, & videtur continere tacitum decretum irritans, ex quo videtur prohiberi consuetudo, iuxtà dictum Archidiac. in cap. cùm de beneficio, de præbend. in 6. & quia talis consuetudo videtur irrationabilis, quia illud decretum est factum ad obuiandum vacationibus beneficiorum, & contra negligentes, sicut & in capit. ne pro defectu, de elect. & ideò, vt ibi dicitur in dicto capit. 2. verum est, quod in casu proposito bona videbatur materia ex alio
34 capite, videlicet, quia in Hospitalibus non habet locum capit. 2. de concess. præbend. vt voluit Calderinus in consil. 1. de supplend. negligent. Prælat. & Felinus in capit. de quarta, de præscription. & isti appellantur hospitalarij, & eorum præceptoriæ, balliuatus, prioratus, & beneficia sunt quædam administrationes. Vnde ista saltem ratione in istis posset introduci consuetudo contra Concilium generale, quia proprie non sunt beneficia, vt loquitur Concilium, & sunt manualia. Sed hoc non tollit deuolutionem, vt in clemen. 1. de supplen. neglig. prælat. Adde prædictis, quòd Ioannes Andreas in cap. cum laicis, & in cap. nonnulli de rebus Eccles. non alie. & Bald. in tit. de pace Constant. in 4. colum. in verbo nos Roma-
35 norum, volunt simpliciter quod nihil valet consuetudo aliquid inducens contra Concilia generalia summorum Pontificum. Et idem refert, & sequitur Iason in leg. de quibus in 18. col. ff. de legibus.

SVMMARIVM.

1 *Concilium an possit limitare Constitutionem Papæ.*

2 *Concilium vnum an possit limitare, vel tollere constitutionem alterius Concilij.*

ARTICVLVS XXI.

1 SEd vlteriùs quæro vtrùm possit Concilium limitare cōnstitutionem Papæ. Text. videtur sentire, quòd sic in cap. Presbyter 82. dist. vbi modificat canones Apostolorum, de quibus in cap. Presbyter 81. dist. ergo à pari, & Papæ, probat text. in cap. de libellis dist. 20. vbi primò ponit canones Conciliares, postea Pontificum, postea sanctorum Patrum. Sed de hoc dic vt dixi supra tertia proxima quæstione. Non obstant ista iura, quia intelliguntur de constitutionibus editis in Concilijs, in quibus Papa præfuit, vel quas Papa approbauit.
2 vnde dic, vt ibi dixi. Vtrùm autem vnum Concilium possit confirmare, vel limitare, vel in totum reuocare constitutionem alterius Concilij, text. & Doct. in c. quoniam quidem dist. 18. dicunt quod sic. Et in

dubio

dubio dicit ibi gloss. quod nisi de primo decreto, siue prima constitutione primi Concilij, fit facta mentio in secundo, statur primo, dummodo sit solemnis, & potioris auctoritatis. Quinimmo plus voluit gl. 25. qu. 2. in summa, quod etiam simpliciter in dubio videtur standum primo. Sed gloss. in cap. Domino sancto dist. 50. & in cap. in canonicis dist. 19. dicunt illud procedere quando illa decreta essent particularia, secus autem si generalia, quia tunc standum est posteriori. Quod declarans ibi Alex. in dict. cap. quoniam, dicit quod si sunt decreta particularia, vt potè edita in Concilijs prouincialibus, quæ sunt incorporata in volumine decretorum, tunc eligere debemus, quod est potioris auctoritatis, & illi standum est, si autem sunt generalia Concilia, cùm illa sint æqualis auctoritatis standum est Vltimo, de quo vide, quæ latiùs dicuntur in illa quæst. quando est diuersitas inter diuersa Concilia, vel inter Patres, cui sit standum. Et vtrùm, & quando vna constitutio reuocet aliam, & an debeat fieri mentio de prima in secunda, & quid in statutis, & quid in rescriptis, & quid in priuilegijs, & testamentis, vide post gloss. in dict. cap. quoniam, & Doct. in cap. 1. de constit. in 6.

SVMMARIVM.

1 *Concilium an possit statuere, vt Papa possit sibi eligere successorem.*

2 *Papa potest tractare cum Cardinalibus de electione futuri Pontificis, non autem eligere.*

3 *Papa an possit statuere quod sibi, & alijs Pontificibus liceat eligere successorem, remissiuè.*

ARTICVLVS XXII.

1 VLteriùs quæro vtrùm Concilium possit statuere quòd Papa possit sibi eligere successorem. Videtur quod sic, quia Petrus elegit Clementem sibi successorem, vt 8. qu. 1. si Petrus, dic contra, vt ponit Bald. in cap. licèt in vltima, quæst. de elect. & tenet gloss. in §. his omnibus 8. quæst. 1. quæ loquitur in Papa, & Archid. dist. 79. si transitus, & Abbas in cap. accepimus, de pac. Licèt Brix. teneat contra in verbo an Papa. De exemplo quod dicitur de Beato Petro dic vt per Alexan. in dict. cap. si Petrus. Et hoc adde infrà in quæstione vtrùm Concilium sede vacante possit disponere contra iura positiua, versic. vtrùm autem. Et pro opinione Bald. bene facit quod ponit Alexan. in cap. in nomine Domini, dist. 23. in 2. col. in princ. in notabili, in quo tradit quòd conuenientiùs per electionem proceditur ad creandum Papam, quàm per successionem, vel per sortes, vt de omni gente possit esse vnus Papa, & ab omni gente approbari. Et ibi respondet ad factum Moysi, & Aaron circa Sacerdotium, & ad electionem Matthiæ, de quo supra in quæstione, an duobus contendentibus de Papatu, admittatur iudicium sortis.
2 Tractare tamen benè potest Papa cum Cardinalibus, de electione futuri successoris, non autem eligere. Vide Doct. in dict. cap. si transitus dist. 79. Et vtrùm conueniètiùs per prædecessores daretur successor quàm per electionem Cardinalium, & an per sortem, sicut in electione Matthiæ, vide quando multùm amplè per plures quæstiones dicit Cardin. S. Sixti in cap. in nomine
3 Domini dist. 23. Et vtrùm Papa posset statuere quòd liceat sibi, & alijs Pontificibus eligere successorem, vide Doct. in cap. licèt, & in Clemen. 2. de elect.

LIBER

LIBER SEXTVS.

TRACTATVS DE CONCILIO.

SVMMARIVM.

1 *Papa quod habuerit auctoritatrm à Concilijs argumenta.*

2 *Papa quod habuerit auctoritatem immediatè à Christo, & non à Concilijs argumenta, & confirmatio Auctoris, num.6.*

3 *§. Hinc etiam dist.17. in illo verbo tradidit expositio, idest traditam esse ostendit.*

4 *Omnis potestas à Deo quomodo intelligatur.*

5 *Tibi dabo claues designant electionem.*

Pasce oues meas designant confirmationem ibidem.

7 *Concilia non dicuntur dare auctoritatem Papæ effectiuè, siuè causaliter, sed tantummodò exequutiuè & declarauit, & declarat per exempla, ibidem.*

8 *Potestas qua quis absoluitur, vel ligatur in anima in foro poli, non debet dependere ab illis qui eadem potestate ligantur, vel soluuntur.*

9 *Concilia non possunt restringere potestatem Papæ, etiam ipso volente quia eius potestas à Deo est immediatè.*

ARTICVLVS PRIMVS.

1 Vlteriùs quæro vtrùm Papa, habeat auctoritatem à Concilijs generalibus. Texr. in §. hinc etiam dist. 17. videtur innuere quòd sic, cum dicit Conciliorum venerandorũ auctoritas singularem in Ecclesijs tradidit potestatem. Ad idem videtur text. in cap. dudum 3.qu.6.ibi quoniam S.Rom.Ecclesiam primam omnium Ecclesiarum esse voluerunt, & text. in cap. in nouo dist. 21. ibi ipsumque Principem suum esse voluerunt, vbi videtur quod ab Apostolis data fuerit Petro potestas. Sed in contrarium facit
2 text. in cap. sacrosancta dist.22.vbi dicitur quòd Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed à Christo Saluatore nostro primatum obtinuit, & text. in cap. quamuis dist. 21. vbi dicitur quòd nullis synodicis constitutis Romana Ecclesia cæteris Ecclesijs est prælata. Ad idem text. in capit. omnes dist. 22. vbi dicitur quòd Christus solus fundauit Romanam Ecclesiam. Ad idem in cap. aliorum 9. qu. 3. vbi dicitur quòd Ecclesiæ Romanæ omnes subijciuntur. Et dicit gloss. in dict. cap. dudum, & in dicto §. hinc etiam quòd principaliter Ecclesia Romana sumpsit robur, & habuit auctoritatem à Christo, sed secundariò à Concilijs. Quod & videtur voluisse Ioannes Andreas in cap. significasti super gloss. in verbo auctoritas, de elect. & in cap. nouit de iudi. Nec est verum quod ab Apostolis Petrus primatum acceperit, sed à Deo, vt sæpiùs dictum est, & est text. in cap. rogamus 24. qu. 1. & text. in cap. decretis circa fin. dist. 21. Quæ iura probant Petrum electum à Domino in summum sacerdotem supra alios Apostolos, vnde dicit Chrysostomus super illud Ioannis vlt. pasce oues meas, præteriens autem Dominus alios, Petro loquitur, eximius enim Apostolorum erat Petrus, & os discipulorum, & vertex Collegij. Et ideò videtur quòd prællegata iura non sint inter se contraria, vt dicit
3 Archidiac. in dicto §. hinc etiam, & exponit, tradidit, id est traditam esse ostendit quasi velit quòd Concilia declarauerunt à Christo Ecclesiæ datam auctoritatem, & ita allegat tenere Ioann. de Fan. ibi quòd & Cardin. in dicto §. hinc etiam Quinimmo secundum eumdem Archidiac. text. ibi probat, ex eo quod dicit iussione Domini, quòd iussio Domini primò dedit auctoritatem Ecclesiæ, & sic sentit idem, quod gl. in dicto §. hinc etiam, & gloss. in dict. cap. dudum. Sed quod potestas Papæ sit à Deo simpliciter, non à Concilijs, notat Domin. in dict. cap. quamuis dist. 21., & Abb. in cap. 1. de translat. prælat. & idem Anton. de Butrio, & Cardin. Florent. ibidem. Qui respondet ad illud, quod dicitur ad Ro. 13.
4 quòd omnis potestas est à Deo, & refert ibi Hostiens. quod intelligitur largo modo, & hoc modo dicitur potestas Imperatoris esse à Deo, sed non immediatè, sicut potestas Papæ, de quo videndum quod dicitur in cap. nouit. de iudic. & in cap. per venerabilem qui filij sint legit. gloss. tamen in dict. cap. primo dicit quod Imperator habet potestatem à populo, & est text. institut. de iur. nat. in §. sed quod Principi, allegato in gloss. Et ista potestas data fuit Papæ secundùm Innoc. ibi in dict. cap. 1. per illa verba, tu es Petrus &c. & tibi dabo claues regni cœlorum Matth. 16. Et per hoc data fuit Petro potestas ligandi, & soluendi dist. 21. cap. in nouo, & cap. quamuis. Aliqui tamen dicunt datam potestatem per illa

illa

illa verba Ioann. vltim. pasce oues meas. Tancredus in cap. significasti de elect., & refert ibi Ioannes Andreas dicit, quòd per
5 illa verba tibi dabo claues fuit electus, & per illa pasce oues meas fuit confirmatus. De hoc dic vt dicitur in cap. translato de constit. & de ista materia alibi ad plenum dicetur in illa quæstione vtrùm Papa sit maior Concilio.

6 Sed quo ad principalem quæstionem vtrùm potestas Papæ sit data à Concilijs an sit à Deo immediatè, placet mihi opinio quòd sit à Deo immediatè, & hoc videtur clarum per dicta iura supra allegata, & vbi reperitur, quòd Concilia aliquid disponant in fauorem auctoritatis Papæ, illud est magis per viam cuiusdam declarationis, siue demonstrationis, & replicationis, siuè commemorationis, & exequutionis potestatis à Deo datæ per supradicta uerba, & ideò quod nullam Papa à Concilijs receperit potestatem. Et placet expositio Ioann. de Fantucc. in dicto §. hinc etiam, dum dicit tradidit, id est traditam esse ostendit, secundùm quod refert ibi Archidiac. Et hoc ostendit Nicolaus Papa, qui scribens Michaeli Imperatori dicit, ista ergo priuilegia huic sanctæ Ecclesiæ à Christo sunt donata à synodis non sunt donata, sed solummodo celebrata, & venerata, per quæ non tam honor, quàm onus nobis incumbit, item in eadem epistola dicit proinde aduertendum est, quòd non Nicæna, non denique vlla synodus quodquam Romanæ Ecclesiæ contulit priuilegium, quæ in Petro nouerat eam totius iura potestatis pleniùs meruisse, & cunctarum Christi ouium regimen accepisse, sicut Beatus præsul Bonifacius attestatur, vniuersis Episcopis per Thessaliam constitutis scribens. Vnde ex his dicendum
7 est, quòd Concilia effectiuè, siue causaliter non dicuntur dare auctoritatem Sedi Apostolicæ, sed tantùm executiuè, & declaratiuè, executiuè quidem per actus, qui sonant potiùs in pati, quàm in agere, & ex quibus nulla vis dispositiua resultat. Agatho. Papa in suggestione, quam sextæ synodo misit, ita scripsit. Beati Petri auctoritatem, vt potè Apostolorum omnium Principis semper omnis catholica Christi Ecclesia, & vniuersales Synodi fideliter amplectentes in cunctis sequutæ sunt. Declaratiuè verò dicuntur dedisse, quia maximè per vniuersalia Concilia declaratum est Christiano populo quanta sit eminentia Apostolicæ Sedis, vnde in Concilio Constantinopolitano scribitur; veneramur secundùm scripturas, & canonum definitiones Sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum, primum esse, & maximum Episcoporum. Quinimmò nec ab vniuersali Ecclesia hæc Papalis potestas pendere dici
8 potest, quia absonum est potestatem, qua quis absoluitur, vel ligatur in anima in foro poli dependere immediatè ab illo, vel illis, qui eadem potestate ligantur, vel soluuntur, cum ergo Papalis potestas Petro, & successoribus eius data extendat se ad soluendum, & ligandum omnes de militanti Ecclesia, impossibile est ab aliquibus de Ecclesia, immò, nec à tota Ecclesia potestatem clauium Petro collatam causaliter de-
9 pendere. Et ex hoc infertur secundùm eumdem Ioann. de Fantucc. in dict. capit. dudum, quòd Concilia non possunt restringere potestatem Papæ, ex quo à Concilijs illam non habuit, quod & sequitur Alex. in dict. cap. dudum. Quinimmò, nec cum consensu Papæ possunt Concilia restringere eius potestatem, vt dicitur in cap. nunc autem dist. 21., & ponit Ioannes Andreas in cap. Ecclesia, de constit. quia eius potestas est à Deo immediatè, dicit Brix. in suo repert. in verbo Concilium non potest. Facit cap. nouit. de iudi. ibi, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, & text. in cap. per venerabilem, qui filij sint legit. ibi constitutus à Deo iudex viuorum & mortuorum. Et faciunt, quæ dicuntur in illo articulo de promissione facta in conclaui de non creandis Cardinalibus, & quod dicitur infrà, an Papa possit se submittere alterius iurisdictioni. Et si benè consideretur, de hoc quod Papa non receperit auctoritatem aliquam à Concilijs, videtur text. in dict. cap. significasti de elect. cum dicit, quòd in omnibus Concilijs censetur excepta auctoritas Papæ, & ibi cùm omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & benè text. in capitulo benè quidem circa fin. dist. 96.

SVMMARIVM.

1 *Papæ, an Concilij sententia sequenda sit, si adinuicem contrariantur.*
Et argumenta quod sententiæ Concilij.
Secundum argumentum n. 4. Tertium, n. 5. Quartum num. 6. Quintum num. 9. 11. 14. 23. 26. 27. 28. 29. 30. 32. 34. 35. 38. 40. 41. ad quæ respon. num. 97. cum pluribus sequent.

2 *Rectius est iudicium, quod plurimorum sententijs roboratur.*
Et per ampliores homines perfectissima veritas reuelatur, ibidem.
Et plus vident oculi, quàm oculus, ibidem.
Et melius est regi communitatem à pluribus sapientibus virtuosis, quàm ab vno, ibidem.

3 *Regimen Aristocraticum est naturale, & æquiparatur Monarchico.*
Et incipit corrumpi, quando sapientes ex continua administratione reipublicæ diuites effecti, voluptatibus vacantes, iudicium peruertunt, & pauperes opprimunt.

7 *Facta per Concilium dicuntur facta per Spiritum sanctum, qui errare non potest.*
Et vbi est Spiritus sanctus ibi est veritas.

8 *Fides Ecclesiæ non est in sapientia hominum, sed in virtute Dei, & num. 16.*

10 *Turpis est pars, quæ non congruit vniuerso.*

12 *Apostoli significantur per montes, & prædicatores.*

13 *Petrus quando claues accepit Ecclesiam sanctam significauit.*

15 *Christus dicit se orasse pro Petro vt non deficeret fides eius, quomodo intelligendum.*

Fidem

ARTICVLVS II.

1 Consequenter quæro, quæ sententia debeat præferri, vtrùm Papæ, an Concilij, si inuicem contrariantur? Et videtur prima facie quod stetur sententiæ Concilij.
2 Primò quia rectius est iudicium quod plurimorum sententijs roboratur cap. prudentiam de offic. deleg. & 64. dist. cap. extrà conscientiam, & dicit tex. in l. vlti. ad finem C. de fideicomm. quod per ampliores homines perfectissima veritas reuelatur, & Aristot. in politicis dicit, quod plus vident oculi, quàm oculus, & tex. in capitu. de quibus 20. dist. dicit seniores Prouinciæ congregate, & eos interrogate, faciliùs namque inuenitur, quod à pluribus senioribus quæritur. Accedit maximè consideratio conditionis personarum, quæ interueniunt in Concilio, quia interueniunt Episcopi, qui tenent vicem Apostolorum cap. in nouo 21. dist. item multi prædicatores, qui habent consuetudinem euangelizandi populo similiter excellentes Doctores, qui occulta Sacræ Scripturæ mysteria elucidant instar prophetarum, & alij viri excellentiores totius orbis, quibus verisimiliter conuenit illud Apostoli 1. ad corin. 12. vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij verò scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu. Et hi Spiritu sancto ducuntur, vt in cap. violatores 25. quæst. 1. ex quo dicit Apostolus 1. ad Corin. 14. spiritus autem est, qui loquitur mysteria. Accedit, quod dicit Aristot. in politicis quod vbi sunt homines liberi pollentes ingenio, & virtute, melius est regi communitatem à pluribus sapientibus virtuosis, quàm ab vno, tum quia in tali regimine iudicium est magis liberum à passionibus timoris, concupiscentiæ, inuidiæ, amoris, vel odij, tum quia in iudicio plurium meliùs cognoscitur quid sit iustum, aut iniustum,
3 bonum, aut malum, & propterea regimen aristocraticum, hoc est plurium sapientum, est naturale, intantum vt ferè concurrat cum regimine monarchico, hoc est vnius, cùm impossibile sit quod vnus per se omnia videat, ordinet, definiat, & exequatur. Quinimò, vt dicit idem Philosophus regimen aristocraticum tunc corrumpitur, & definit esse rectum, quando sapientes ex successu temporis continua administratione reipublicæ diuites effecti, voluptatibus, & solatijs vacantes peruertunt sæpè iudicium, & pauperes opprimunt. Hoc autem cum non possit contingere in Concilio generali, eò magis videtur excellentius hoc conciliare aristocraticum regimen, & consequenter præferri Monarchico. Accedit quod dicit Sanctus Bernardus, quod lepra proprij consilij eò perniciosior est, quò magis occulta, & quantò magis ea quis abundat, tantò sibi sanior esse videtur. Hæc illorum est, qui zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam, sequentes errorem suum, & sic obstinati in eo, vt nullis velint consilijs acquiescere, hi sunt vnitatis diuisores, inimici pacis, charitatis expertes, vnitatem timentes, placentes sibi, & magni in oculis suis, quæ maior superbia, quàm vt vnus homo toti congregationi iudicium suum præferat tamquam ipse solus habeat iudicium Dei, idolatriæ scelus est nolle acquiescere, & quasi peccatum idolatrandi. Secundò pro hoc est tex. iuncta glo. in cap. legimus
4 93. dist. vbi dicitur, quod orbis maior est vrbe, & ibi glo. infert quod sententia, & statutum Concilij præfertur sententiæ Papæ. Ad idem glo. in cap. nemo, in verbo ab omni Clero 9. qu. 3. & gl. in cap. sicut 15. dist. Tertiò probatur à simili in Epi-
5 scopo, & capitulo quia sicut se habet capitulum cum Episcopo sic se habet Conciliū cum Papa, qui est caput Concilij, vt sæpiùs dictum est cap. ita Dom. 19. dist. & cap. rogamus 24. q. 1. sicut Episcopus est caput Capituli, vt in capit. nouit de ijs, quæ fiunt à præla. sine Conf. cap. Sed sic est quod sententia Episcopi non est maior sententia capituli, etiam si habeat secum aliquos de capitulo, dummodo non faciant maiorem partem, vt notatur in capitu. postulastis de concess. præben. & in cap. à collatione, & ibi Ioan. And. de appel. in 6. ergo & à pari discordante Concilio, sententia Papæ non debet præualere, sed Concilij. Quartò pro
6 ista parte facit illud act. 15. cùm orta est contentio vtrùm adhuc oporteret, vti circumcisione, vbi Apostolis cum Petro, & senioribus ad tollendam seditionem congregatis in Concilio loquutus est Petrus, ac deinde Iacobus, ex cuius sententia posteà dicitur tunc placuit Apostolis, & senioribus

cum omni ecclesia eligere viros ex eis &c.
ac demum fratribus Antiochiæ, Syriæ, &
Ciliciæ scribentes de ijs, quæ statuerant,
dixerunt visum est Spiritui sancto, & nobis
&c. Ex quibus apparent duo, primum quod
non ex sententia Petri, sed potiùs Iacobi
Concilium statuit, & sic sententia Concilij
non sub nomine Petri prævaluit. Quinimò
Iacobus protulit determinationem dubij,
& non Petrus, & licèt in sententia non essent
discordes Petrus, & Iacobus, tamen
magis determinatio dubij processit à Iacobo,
quàm à Petro, & conclusio fuit à
Concilio, & non à Petro, vnde fuit magis
sententia Concilij, & ex voluntate Concilij
quàm Petri, quantumcumque esset caput,
& si Concilium contradixisset, fortè non
fuisset sententia Petri obseruata. Vnde videtur
illorum exemplo, quod sententia Concilij
debeat præferri sententiæ Papæ. Item
7 infertur secundò ex illo quod quicquid fit
per Concilium dicitur fieri per Spiritum
sanctum, cùm dicitur visum est Spiritui
sancto, &c. Ex quo sequitur quod Concilium
non potest errare, quia vbi est Spiritus
sanctus, ibi veritas. Et fides Ecclesiæ
8 non est in sapientia hominum, sed in virtute
Dei, vt dicitur 1. ad Corin. cap. 2. Papa
autem, ex quo quotidie errat, sequitur quod
Concilij sententia Spiritui sancto munita
9 debeat præferri. Quintò demonstratur
quadam naturali ratione. Nam quemadmodum
naturalis capitis operationes nullæ
sunt solutis, aut separatis, vel resilientibus,
siue impeditis omnibus alijs membris, vt
in cap. cum non liceat de præscrip. sic in
mystico corpore Ecclesiæ non debet posse
Papa caput Ecclesiæ disponere membris
alijs omnibus resilientibus, sicut nec è contra,
quia vt dicit tex. in cap. illi offerunt
1. quæst. 1. frustra truncato capite fidei,
quis cætera membra habere se iactat. Concilium
autem vt vnum corpus mysticum,
quod repræsentat Ecclesiam, comprehendit
Papam, qui est caput, & etiam comprehendit
membra hoc est prælatos, & alios,
ergo videtur maior auctoritas Concilij,
caput, & totum corpus repræsentantis,
quàm partis scilicèt capitis repræsentati,
quia partes per se non habent plus auctoritatis
suo toto integrali, vel maiori parte
integrali, argumento l. quod maior ff. ad
municipales. Inde dicit tex. in cap. quæ
10 contra 8. dist. & in capit. fin. de sponsa
duorum, quod turpis est pars quæ suo non
11 congruit vniuerso. Sextò facit quod Christus
videtur Ecclesiam constituisse non in
solo Petro, quem Apostoli videntur constituisse
Principem 21. dist. capit. in nouo,
sed in omnibus Apostolis, iuxta illud psal.
86. fundamenta eius in montibus sanctis,
12 per montes significans Apostolos, & prædicatores,
quibus tota huius Ecclesiæ cura
commissa videtur, vt in d. cap. fundamenta
de elect. in 6. & in cap. ita Dominus 19.
dist. & in cap. 1. de reliquijs, & vene. sanc.
eod. lib. Pro hoc est quod dicitur Ioa. 20.
cap. ibi. accipite Spiritum sanctum, quorum
remiseritis peccata remittuntur eis, &
quorum retinueritis retenta sunt. Quæ
verba omnibus simul congregatis dicta
fuerunt, vt ostenderet quod parem omnibus
tribuerit potestatem, vt dicit text. in cap.
loquitur 24. qu. 1. Ad idem text. in cap. in
nouo. 21. dist. ibi cæteri verò Apostoli cum
eodem, pari consortio honorem, & potestatem
acceperunt. Ergo Ecclesia non est
in solo Petro. Quia ergo Ecclesia fuit constituta
non in solo Petro, quia Christus
fundauit Ecclesiam super Petrum, non tamquam
in se vnum, sed in persona Petri nomine
totius Ecclesiæ, vt in ipso vno significatiuè,
& figuratiuè vna significaretur Ecclesia.
24. qu. 1. cap. quodcumque, & sic ex
hoc denotaretur vna Ecclesia non plures
24. qu. 1. cap. loquitur, potiùs dicendum
est ipsam in omnibus Apostolis constitutam
fuisse, licèt in Petro vt in vno figuratiuè,
quæ erat tamen in omnibus Apostolis
principaliter substantialiter, & effectiuè, iuxta
illud Aug. super Ioannem homilia. 50.
13 Petrus quando claues accepit Ecclesiam
sanctam significauit. Ex quo videtur quod
substantialiter, & effectiuè potestas clauium
principaliter sit in Ecclesia, & in Petro
significatiuè. Vnde sequitur quod
maior est sententia Concilij, quàm Papæ.
14 Septimo facit tex. in cap. sicut sancti 15.
dist. cum dicit de Concilijs generalibus
dum vniuersali sunt constituta consensu
se, & non illa destruit quisquis præsumit
absoluere, quos ligant, aut religare quos absoluunt.
Et pro hoc facit, quod statutum
fuit in Concilio Aphricano, videlicèt vt in
omni periculo Ecclesiæ deberet conuocari
Concilium, & non dimisit ista pericula decidenda
summo Pontifici soli, vt probatur
in Concilio Chalcedonen. in 62. capit. dum
dicit in hoc enim, & alijs fidem tangentibus
statutum est vt ad Concilium recurratur.
Vnde sequitur quod maior est sententia
Concilij, quia de causa fidei tamquam
grauissima iudicat, & non solus Papa, &
in causa hæresis, & schismatis recurrendum
est ad Concilium 15. dist. cap. sicut 19. ci.
Anastasius, ibi Archi. qui dicit quod periculosum
est causam fidei vnius hominis
iudicio committere. Ad quod facit quod
Papa solus, qui est homo potest peccare in
cap. Achatius 24. qu. 1. & 21. distin. cap.
nunc autem, & dict. capit. Anastasius. Sed
Concilium, idest Ecclesia, & collectio fidelium,
non potest errare 24. qu. 1. à recta,
& de bap. cap. maiores, & in capitu. quod-
15 cumque 24. qu. 1. quia Christus redemptor
noster orauit pro Ecclesia, ne deficeret fides
eius 21. dist. cap. 1. in fin. dum dixit, ego
pro te oraui Petre, ne deficiat fides tua.
Quæ auctoritas debet intelligi non de fide
personali ipsius Petri, quia aliquando errauit,
tum quando Christum negauit, tum
quando Paulus restitit ei ad faciem, vt in
§. item Paulus 2. qu. 7. & in cap. Paulus
ead. causa, & qu. Vnde illa auctoritas debet
intelligi de fide Ecclesiæ, pro qua Christus
orauit, vt dicit glo. in cap. à recta. 24.
16 q. 1. fides enim Ecclesiæ non est in Sapientia
hominum, sed in virtute Dei, vt 1. ad
Corin. capit. 2. Et quod Concilium errare
non possit, tenet Ioan. Ant. post Hostien.
in cap. à nobis de sen. excom. Nec obstat
quod dicitur quod, & Apostoli omnes erra-

rarunt, & fides remansit tantùm in Beata Virgine, & ideò quod Concilium errare potest. Quia respondetur quod quando Apostoli errauerunt, non erant conciliariter congregati, vnde non erat Concilium, & si fuissent congregati conciliariter, posset probabilitèr argui, quod fides non in sola Beata Virgine remanserit, quod dicere fortè non esset alienum à fide, cùm Christus rogauerit pro discipulis, vt seruarentur à malo, vt patet Ioan. 17. quomodo autem fuissent seruati à malo, si fidem perdidissent, quam qui perdit, non habet vltrà quod perdat. Similiter Lucæ 22. cum dicit Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribaret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ex qua auctoritate elicitur quod licèt Petrus
18 negauerit tunc Christum, tamen quia illico pœnituit, & foras exiuit flendo amarè, ex tunc fidem retinuit. Ad quod facit quod dicit text. Ambro. 15. dist. in cap. fidelior, quod Petrus post negationem factus est fidelior, & quia fidem se perdidisse defleuit, ideò maiorem gratiam reperit, quàm amisit, & ideò committitur ei confirmare fratres suos. Ex quo patet, quod nec fratres eius coapostoli fidem omninò amiserunt, quia confirmatio præsupponit permanentiam in fide, vt in ca. 1. ante finem de sacra vnctione, & ideò non dixit conuerte fratres tuos, sed confirma, quia persistebant in fide, sed non ita constantes, sicut Petrus post negationem. Quod patet quia postquam Christus respexit Petrum, recordatus est Petrus verbi Iesu, & exiuit, & fleuit amarè, firmiorem fidem per conuersionem retinens. Et si dicatur quod si erant dubij in fide, satis dicebantur infideles, vt in c. 1. de hæret. Respondetur quod non erant inconstantes, & dubij per quamdam pertinaciam, sed per quamdam cogitationem, & dubitationem ex primis motibus fortè propter eius mortem, propter quod non defecerant à fide, & hoc modo dubius in fide non dicitur infidelis, secundùm Ioa. And. & alios in d. cap. 1. Idèm patet ex eo quod Christus commendauit matrem suam Beato Ioanni Euangelistæ in cruce, vt patet Ioann. 19. videretur autem temerarium dicere quod Christus commendauerit matrem fidelissimam homini infideli, immò contrarium ostenditur, cùm euangelista dicit, cum vidisset Iesus discipulum stantem, quem diligebat, quomodo diligebat si erat infidelis, quod verbum, vt in pluribus quando loquitur scriptura de Ioanne, repetitur, item communiter asseritur de Sancto Ioanne quod perseuerauerit semper in innocentia, absque culpa mortali, constat autem quod non permansisset innocens si in sola Beata Virgine remansisset fides, quia non potest dici innocens is, cui deficit fides, quia impossibile est sine fide placere Deo, vt dicit Apostolus ad hebræ. 11. item patet quia post resurrectionem cùm nunciatum fuisset Apostolis quod Dominus resurrexisset cucurrerunt ad sepulchrum, quomodo si non credidissent ita cucurrissent. Similiter Matth. 28. cum apparuisset Mariæ Magdalenæ, & alteri Mariæ dixit nolite timere, ite & nunciate fratribus meis, vt eant in Galileam, ibi me videbunt, & similiter Ioann. 20. vade ad fratres meos, & dic eis ascendo ad Patrem meum, &c. Si fuissent infideles, quomodo vocasset eos fratres suos? Et si dicatur quod Marci 16. dicitur, quod cum Maria Magdalenæ nunciasset Apostolis de resurrectione Christi, & quod eum vidisset, illi non crediderunt, immò vt dicitur Lucæ 24. verba mulierum visa sunt sicut deliramenta, ante Apostolos, & non crediderunt illis. Facilis est responsio, quod non tenebantur credere mulieribus in re tam ardua, non quod non haberent fidem quod Dominus esset resurrecturus, benè autem crediderunt Petro, cui credere tenebantur, & ad quem ex officio pertinebat docere. Vnde Lucæ 24. dicitur, quod duo ex discipulis cùm redirent de Emmaus inuenerunt congregatos 11. & eos, qui cum ipsis erant dicentes, quod surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni; vnde cum non credidissent mulieribus, confirmauit eos Petrus, & rectè verificatum est verbum Christi, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Item cùm multi alij essent, qui credid. in Christum, qui fuerant ab eo sanati, vt de Samaritana Ioann. 4. de Centurione Matth. 8. de Chananæa Matth. 15. de Regulo Ioann. 4. cæco illuminato Mar. 10. & Lucæ 18. & Ioann. 9. & de aliis pluribus Matth. 14. & Ioann. 11. quorum aliqui absentes non habuerunt infra illud triduum notitiam passionis Christi, dicemus ne illos perdidisse fidem. quomodo etiam Cēturio alius dixit in passione, verè homo iste filius Dei erat, confitendo humanitatem, & diuinitatem in vnitate eiusdem personæ. Sed quia vt plurimum dicitur, quod in sola beata Virgine in passione Christi remansit fides, vt dicit sanctus Thom. in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 2. ad primum argum. & ponit Guliel. Durandi rationali diuinorum officiorum in quinta feria hebdomadæ palmarum, & Archiep. Floren. qui hoc ponit multum assertiuè in 4. parte summæ ti. 15. cap. 41. in §. 1. posset concordari dicendo quod in beata Virgine semper man-
22 sit firmissima fides sine aliqua dubitatione, quæ sonat infirmitatem fidei, sed tantùm fuit in ea dubitatio admirationis, dum considerabat eum, quem tam dignè genuerat sic ignominiosè tractari, & quod in Apostolis fuerit aliqualis titillatio, & primus motus dubitationis, cui non assentiebat ratio, in qua verificatur, quod Christus dixerat, quod Satan cribraret eos. Similiter non obstat quod habetur 36. quæst
22 fi. cum dicitur, quod rapta non possit contrahere matrimonium cum raptore, quæ fuit constitutio conciliaris, & tamen contrarium voluit Hieron. in capitulo tria & Ambro. in capitulo denique eadem causa, & quæst. Quia respondetur quod illi statuto fuit derogatum, vt in cap. accedens de rap. & idem erat de iure ciuili quod erat statutum in Concilio. vt in l. 1. C. de raptu Virgin. Ex hoc autē quod fuit illi

illi statuto derogatum, non propterea sequitur, quòd dicatur Concilium errare, nam statuta interdum variantur secundùm qualitatem temporum, vt in cap. non debet de consan. & affi. Et interdum reuocatur ab vno Concilio ex aliqua causa, quod statutum fuit in alio Concilio, vt patet in cap. vbi periculum de elect. in 6. nec per hoc conuincitur errare, sicut & Papa variat, & reuocat constitutionem prædecessorum, & aliquando suam. Octauò
23 faciunt pro ista parte omnia illa, quæ adducuntur pro parte Concilij in illa quæst. quam Petrus de Monte appellat mare magnum, & procellosum, vtrùm Concilium sit supra Papam, quam infra amplissimè pono, & de qua latissimè per Alex. 15. distinctione in summa, & tex. in dist. cap. sicut 15. di. vbi vult statuta Concilij seruari, sicut quatuor Euangelia, & tex. in cap. sancta Romana ea. dist. quæ dicit Concilia alia si qua sint vltra illa principaliora etiam recipienda, & custodienda, ergo & à Papa, ergo sententia Concilij præferenda est sententiæ Papæ. Ad idem tex. in c. contra statuta 25. quæst. 1. qui dicit nec huius sedis authoritas potest immutare decreta Patrum, ergo maior est sententia Patrum, quàm Papæ. Similiter tex. in ca. manet, & cap. memor. 24. quæst. 1. In
24 quibus iuribus videtur probari quòd contra vniuersalem statum Ecclesiæ Papa non potest aliquid facere, sicut in simili dicitur quòd non posset tollere priuilegium canonis si quis suadente 17. quæst. 4. vt dicit Ioan. An. & Doc. in cap. nulli de senten. excom. & Cardi. in repeti. cap. perpendimus eo. tit. & Anton. de Butrio in cap. quanto de consue. Sed de priuilegio canonis si quis suadente potest dubitari, vt aliàs dictum est, quia illud clerici habuerunt ab Ecclesia, vt vide pulchrè Innoc. qui connumerat priuilegia concessa Ecclesiæ in cap. nouerint de senten. excom. Sed de priuilegio fori quod non possit tollere, dicitur in dist. cap. nulli, & est gloss. in cap. si Imperator 96. di. & dicit Alex. in cap. in istis 4. di. de quo vide etiam infra. Nec deponere omnes Episcopos, vt gloss. 9. quæst. 3. capit. per principalem. Nec subijcere clericos iurisdictioni iudicis secularis, vt ponit Abb. in cap. 2. de maior. & obe. Allegatur gloss. in cap. si Imperator 96. dist. ponunt legistæ maximè Moderni in l. est receptum ff. de iuri. omnium iudi. Et facit bene tex. iuncta gloss. in cap. quanquam de censi. in 6. Et de ista quæstione an possit deponere om-
25 nes Episcopos, & an possit deponere vnum solum Episcopum sine causa, vide quod latissimè examinat Barbatius per plures chartas in cap. quod translationem de offi. lega. & multa his similia, quæ contra vniuersalem statum Ecclesiæ Papa non potest facere, vt in cap. proposuisti ibi Doc. post gloss. de concess. præben. Ergo videtur quòd omnium Episcoporum sententia præferatur sententiæ Papæ maximè cum iudicent de Papa vt in vulgari
26 cap. si Papa Nono facit ad hoc argum. de Concilio prouinciali ad Archiepiscoporum. Qua ratione enim iudicat Concilium prouinciale de Archiepiscopo, & præualet prouincialis Concilij sententia sententiæ Archiepiscopi, vt in cap. sicut post gloss. 2. quæst. 7. & in cap. multis 17 dist. & in cap. si quis clericus 11. quæst. 1. eadem ratione sententia generalis Concilij dicenda est maior & præferenda senten-
27 tiæ Papæ Decimò pro hoc facit exemplum Apostolorum act. 8. & de sacra vnctione cap. 1. cum dicitur, cum audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis quod recepit samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem. Ex quo videtur quod Apostoli, qui repræsentabant Ecclesiam, & mittebant Petrum, erant maiores Petro, & eorum sententia præualebat, ergo & sententia Ecclesiæ id est Concilij, in quo repræsentatur Ecclesia, debet præferri sen-
28 tentiæ Papæ solius. Vndecimò facit quia hoc videtur decisum in Concilio Constantien. in quinta sessione vbi dicitur, quòd Concilium habet potestatem à Deo immediatè cui quilibet etiam papalis dignitatis tenetur obedire. Si ergo Papa tenetur obedire Concilio, sententia Concilij præ-
29 ualet sententiæ Papæ. Duodecimò facit quia vt legitur in chronicis beatorum Clementis, Lini, & Cleti, Petrus elegerat Clementem in suum successorem in Papatu, sed postea Concilium generale considerans hoc non conuenire, vt quis possit sibi eligere successorem spreta electione facta per Petrum elegit Linum, postea Cletum, & deinde iterum assumptus fuit Clemens. Ex quo constat quòd sententia Concilij præfuit sententiæ Beati Petri. Et sic videtur quòd sententia Concilij debet præferri sententiæ Papæ. Facit quod dicitur in gloss. in cap. si Petrus 8. quæst. 1. & in §. his omnibus ea. cau. & quæst. & in cap. si transitus 79. di. & Abb. in cap. accepimus de pac. & in cle. ne Romani de elec. per Doc. & legitur in epistola eiusdem Clementis ad Iacobum Apostolum. Decimoter-
30 tiò facit, quia si Concilium generale potest resistere Papæ turbanti statum vniuersalis Eccl. vt dicit Ant. de Butrio in c. quãto de cons. dũ vult quòd requiratur Consiliũ Cle. sine Cõcilio non possit Papa tollere dictum canonẽ si quis suadente, supplendo ad dicta Innoc. ibi, videtur ex hoc quòd si Concilium sentiat vnum, puta si dicat, quod ex eo quod facit Papa turbatur status vniuersalis Ecclesiæ, & Papa dicat contrarium, præferenda sit sententia Concilij, ex quo potest Papæ resistere 25 quæst. 1. c.
31 quæ ad perpetuam maximè cùm Concilium repræsentet Ecclesiam vniuersalem, vt dicunt Doc. in cap. significasti de elec. & vide bonam gloss. in §. nisi rigor. 1. q. 7. Quæ plus voluit, quod non solum quando turbatur status vniuersalis Ecclesiæ non potest per Papam dispensari, sed etiam si in aliquo decoloratur status Ecclesiæ non poterit per eum dispensari, quod & posuit Archi. in cap. sunt quidam 25. q. 1. Igitur sententia Concilij sentientis contra Papam, & dicentis decolorari vel turbari statum Ecclesiæ, semper debebit præferri ex quo tunc potest illi resistere. Et maximè

mè hoc videretur verum, quando cum sententia Concilij concurreret aliquod capitulum alterius Papæ prædecessoris, quia contrarium fuisset aliàs statutum eius quod hodie Papa sentiret, & sic tunc concurreret cum sententia Concilij etiam sententia Papæ, & posset dici sententia vniuersalis Ecclesiæ, scilicèt capitis, & mem-
32 brorum, Decimoquartò pro ista parte facit quia clarum est quòd caput Ecclesiæ est Christus vt patet ad Colos. cap. 1. ibi omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est caput corporis Ecclesiæ. Et ibi supplet gloss. interlinearis quia vnita est Christo gratia, & natura vt capiti. Et dicit ibi Aug. cap. Ecclesiæ idest, corporis, quia ita se habet ad Ecclesiam sicut caput ad corpus. Et iterum Apostolus in eodē 1.c. adimpleo ea quæ desunt passionū Christi in car. mea procorpore eius, quod. Eccl. Ecce appellat Eccl. corpus Chr. saltē mystici & si Eccl. corpus Christi mysticum est, oportet quod Christus sit eius caput. Et idem Apostolus ad Ephe. 4. veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia qui est cap. Christus, exquo totū corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis &c. Et ibi supplet gloss. corpus idest, Ecclesia, cum de illa loqueretur Apostolus, quod patet ex præcedentibus, cum dicit, & ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationē Corporis Christi donec occurramus omnes in vnitatem fidei &c. Et ibi supplet gloss. Nicolai in ædificationem Corporis Christi, scilicèt mystici quod est Ecclesia. Et iterum ad Ephe. cap. 1. clariùs idem Apostolus dicit, & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Ad idem Apostolus 1. ad Corint. 12. ibi sicut enim corpus vnum est & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus Vbi gloss. exponit ita, & Christus caput, & corpus dicitur propter ineffabilem vnitatem capitis, & membrorum. Est ergo caput Ecclesiæ, & erit vsque ad consummationem seculi, vt partet Matth. vlt. c. ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Quod est
33 verum. quia si solus Papa esset immediatū caput Ecclesiæ, mortuo Papa Ecclesia remaneret sine capite, quod dicere non est longum ab hæresi, vt dicitgloss. in c. 1. de schisma. in 6. in verbo sede vacante, allegat c. 1. & 2. 22. dist. Et quod Christus etiam sit caput Ecclesiæ secundùm, quod homo, ponit S. Tho. in 3. par. quæst. 8. art. 1. & in tertio sentent. dist. 13. quæst. 2. art. 1. & 2. tex. in cap. 1. de voto lib. 6. & extrauagans Bonifacij, incipit vnam sanctam, & Apostolus ad Ephe. 5. cap. quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Et rursùs, sed sicut Ecclesia subiacta est Deo in Christo, ita & mulieres viris & cæt. Et iterum sicut Christus fouet Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius, Si ergò Christus, est caput Ecclesiæ, & sic Concilij, quod repræsentatiue dicitur Ecclesia, sequitur quòd iudicium Concilij est iudicium infallibilis veritatis, quia vbi Christus, ibi veritas, iuxta illud Ioan. 14. ego sum via veritas & vita. Et consequenter videtur quòd iudicium, sententia Concilij debeat præferri iudicio, sententiæ Papæ, tamq; iudicium veritatis, cum Papa possit errare. Quod autē Concilium dicatur probatur act. 15. vbi dicitur placuit Apostolis, & senioribus, & omni Ecclesiæ, & tamen ibi non erat tota omninò Ecclesia, & ponunt Doct. in capit significasti de electio. Decimoquintò, pro ista parte facit illud Matth. 18. cùm Christus volens solue-
34 re Apostolis quæstionem de superioritate dixit, si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum, si te audiuerit, lucratus eris fratrem tuum, si autem te non audiuerit, adhibe tecū adhuc vnum, vel duos &c. quod si non audiuerit, eos dic Ecclesiæ si autem Ecclesiam non audiuerit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, & non dixit die Petro, & vltimum iudicium reseruat Ecclesiæ tamquam iudicium supremum, ergo maius est iudiciū Ecclesiæ, patet, quia illa verba dirigebantur Petro, si ergo voluit Petrum recurrere ad iudicium in eo quod dixit dic Ecclesię seq. quod iudicium Ecclesiæ quàm Papæ. Quod maximè Ecclesiæ sit superius. Quod, & clariùs patet, quia illi auctoritati etiā persona Papæ est supposita, vt dicitur in c. si Papa quadragesima dist. & in c. nouit. de iudic. Ergo quo ad eum intelligere oportet dicta verba dic Ecclesiæ scilicèt vniuersali, quæ cùm non possit tota congregari, oportet intelligere de Ecclesia repræsentatiuè, & sic de concilio. Et sic patet quod expositio glossæ. Nicolai ibi cùm exponit dic Ecclesiæ, idest Prælato non potest verificari in persona Papæ, qui est superior omnibus, & non habet Prælatum superiorem, vt in cap. licèt de elect. Vnde necessariò oportet intelligere de Ecclesia, idest de concilio. Et consequenter sententia siue iudicium Concilij, debet præferri iudicio Papæ. Deci-
35 mosextò facit quòd Concilium aliquando iudicat Papam, vt in cap. si Papa 49. di. cap. Anastasius 19. di. cùm concor. ergo maius est iudicium concilij, & debet præferri sententiæ, & iudicio Papæ. Nec obst.
36 tex. ibi dum dicit quòd nullus mortalium eum iudicat, quia respondetur quod loquitur singulariter, hoc est quod nulla singularis persona potest eum iudicare, & non loquitur de concilio. Et similiter dicitur ad capitul. nemo, & capit. facta. 9. q. 3. Confirmatur hoc naturali ratione, Papa enim dicitur caput concilij, in corpore autem humano caput est ordinatum ad directionem, & gubernationem membrorum, nec debent membra recedere à capite, idest ab obedientia capitis, & tamen si caput in corpore humano efficiatur languidum, seu infirmum, licitum est membris illud ligare, & cauterizare, ne totum corpus languor inuadat, si non fuerit

rit in capite curatum. cap.ecce autem 24.
q.3.ita etiam si Papa efficeretur furiosus,
& habens ensem in manu exiret palatium,
& quos sibi obuiam reperiret occideret,
vtique liceret subditis inferioribus eum ca-
pere, & ligare. Si igitur Papa sentiret ali-
quid,quod non conueniret honesto, quare
concilij sententia non deberet præferri
iudicio Papæ, quamuis concilium sit in-
ferius Papa, non obstat quod dicitur Sum-
37 mus Pontifex, quia vt dicit Bernardus in
libro de consideratione ad Eugenium,Pa-
pa est summus non consummatiuè, sed
comparatiuè, non comparatione merito-
rum, sed ministrorum, est enim summus
inter ministros, & summus Pontifex res-
pectu aliorum Pontificum. Decimosepti-
38 mò facit quod legitur act. 15. iuncto eo
quod dicitur ad Galat, 2.Nam in Concilio
tertio habito cum Apostolis in dicto capi-
tulo 15. cum exortasset quæstio de obser-
uatione legalium, & an gentiles tenerentur
tur ad obseruandam circumcisionem Pau-
lo, & Barnaba asserentibus quod non,fuit
determinatum Gentiles non teneri ad ob-
seruationem legalium, sed quod abstine-
rent à contaminationibus simulachrorum,
& fornicatione, & suffocatis, & sanguine.
Et ita fuit determinatum in illo Concilio,
vt patet ibi, tunc placuit &c. Et in dict.
cap.2. ad Galat. Paulus restitit Petro ad
faciem, quia dabat occasionem, vt alij fi-
deles non obseruarent decretum dicti Con-
cilij tertij,de quo in dict. cap.15. act.red-
dens causam resistentiæ, quia reprehen-
sibilis erat, eò quod non ambularet ad ve-
ritatem euangelij, ex quo habetur quod
decretum concilij debet seruari,sicut euan-
gelium, & quod debet præferri auctorita-
ti, & sententiæ Papæ. Quod patet quia
non reperiebatur saltem expressè contine-
ri in Euangelio id, super quo Paulus repre-
hendebat Petrum. Facit quod dicitur in
cap. sicut 15. dist. vbi dicitur quòd illa
39 quatuor concilia debent venerari vt qua-
tuor Euangelia.Et forte quod illud dictum
Gregorij posset dici sumptum ex illo ver-
bo Apostoli in d.cap.2. nisi essent verba,
quæ sequuntur in dict.cap.sicut.illa videli-
cet, quia in his,velut in quadrato lapide fi-
dei structura consurgit. Patet igitur po-
tiùs seruandum, quod est in Concilio de-
cretum, quàm quod per Papam in contra-
rium attentaretur, & sententiam Concilij
præferendam esse sententiæ Papæ. Deci-
40 mo octauò facit quod legitur actuum 10.
& 11.cap.vbi apparet quod tempore Apo-
stolorum in tanta veneratione erat conci-
lium,& congregatio Apostolorum & senio-
rum, quod putabatur non licere etiam
ipsi Petro quicquam ardui facere absque
aliorum Apostolorum, & seniorum deli-
beratione. Et propterea cùm Petrus ba-
ptizasset Cornelium, qui erat gentilis,
vt legitur act.10.quia cum eo comederat.
quando fuit reuersus, vbi erat congrega-
tio Apostolorum, obiecerunt ei, quod in-
troisset ad viros præputium habentes, &
manducasset cum illis, & Petrus fuit coa-
ctus se coram illis excusare, & ostendere,
quod illud fecerat ex reuelatione diuina.

Ex quo patet quod concilium iudicabat de
Petro, & quod Petrus tenebatur ad obser-
uationem decretorum per Concilium, &
sic quod maior est sententia Concilij, &
præferenda sententiæ Papæ. Decimononò
facit, quia si præferimus sententiam Papæ
sententiæ Concilij, cùm concilium repræ-
41 sentet Ecclesiam vniuersalem, sequeretur
quòd Ecclesia vniuersalis posset errare,
cùm tamen Christus orauerit pro ea, quod
non deficeret fides eius, nec potest errare,
vt in cap. à recta 24.quæst. 1.ibi glossa. Et
sic sequeretur quod articulus, & vnam
sanctam catholicam Ecclesiam, non esset
verus, quia si errat,non est sancta. Et quod
iudicium Ecclesię praferatur iudicio Papę,
ostendit epistola directa per concilium
Aphricanum Papæ Cælestino,vbi inter alia
dicitur. Deprecamur, vt deinceps ad ve-
stras aures hinc venientes non facilè ad-
mittatis, nec à nobis excommunicatos in
communionem vltra velitis recipere, quia
hoc etiam in Nicæno Concilio definitum
esse facilè animaduertet Venerabilitas tua.
Nam si de inferioribus clericis, vel laicis
videtur ibi præcaueri, quantò magis hoc
de Episcopis voluit obseruari, ne in sua
prouincia communione suspensi à tua san-
ctitate temerè, vel festinatò præpropere,
vel indebitè videantur communioni resti-
tuti?presbyterorum quoque,& sequentium
clericorum improba refugia,sicut te dignũ
est,repellat sanctitas tua, quia & nulla pa-
trum definitione hoc Ecclesiæ derogatum
est Africanæ, & decreta Nicœna inferio-
ris gradus clericos, siue Episcopos ipsos
suis Metropolitanis Episcopis apertissimè
commiserunt. Prudentissimè enim iustis-
simèque viderunt quæcumque negotia in
suis locis, vbi orta sunt finienda, nec
prudentiæ alicuius gratiam Spiritus Sancti
defuturam, qua æquitas à Christi sacerdo-
tibus, & prudenter videatur, & constan-
tissimè teneatur. Maximè quod vnicuique
concessum est,si iudicio offensus fuerit co-
gnitorum, ad concilia suæ prouinciæ,vel
etiam vniuersale prouocare, nisi fortè
quisquam est, qui credat vni cuilibet pos-
se Deum nostrum examinis inspirare iusti
tiam, innumerabilibus congregatis in
Nicœnum Concilium sacerdotibus dene-
gasse. Nam vt aliqui tamquam à tuæ
sanctitatis latere mittantur in nulla inue-
nimus Patrum synodo institutum, quia
illud quod pridem per eumdem coepisco-
pum nostrum Faustinum tamquam ex par-
te Nicœni Concilij exinde transmisistis,
in concilijs verioribus, quæ accipiuntur
Nicææ à Sancto Cyrillo Coepiscopo nostro
Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Atti-
co Constantinopolitano Episcopo ex au-
thentico missis, quæ etiam ante hac per
Innocentium presbyterum,& Marcellinum
subdiaconũ,per quos ad nos ab eis directa
sunt,venerabilis memoriæ Bonifacio Episc.
predecessori vestro à nobis transmissa sunt,
tale aliquid non potuimus reperire. Exe-
cutores etiam clericos vestros quibusque
petentibus nolite mittere, nolite conce-
dere ne famosum typum seculi in Eccle-
siam Christi, quæ lucem simplicitatis, &
humi-

humilitatis diem Domini videre cupientibus præfert, videamur inducere. Finis epistolæ, & alia manu Dominus noster sanctitatem vestram æuo longiore orantem pro nobis custodiat domine frater, &c. Ex huius Epistolæ serie patet, quòd iudicium Ecclesiæ, siue concilij præfertur iudicio Papæ, quia non est credibile, quòd vnicuilibet Deus inspiret examinis iustitiam, & deneget innumerabilibus sacerdotibus in Concilio congregatis, & frustra Ecclesia, & concilia congregarentur, si Papæ iudicium deberet præferri, & concilia ei in sententijs subderentur, & pro hoc facit, quia vt aliquid dicatur factum ab Episcopo, & Capitulo, requiritur quòd maior pars capituli concurrat cum Episcopo, vt de ijs quæ fiunt à maior. parte cap. per totum sic vt aliquid dicatur factum à Papa, & concilio, debet interuenire maior pars concilij, aliàs parùm, vel nihil esset de authoritate conciliorum. Et hoc videtur sentire glos. in cap. nemo 9. quæst. 3. Et pro ista parte videtur tex. in cap. puto 2. q. 7. vbi dicitur, quòd vnius Episcopi, vel vnius prouinciæ auctoritas non potest tollere, quòd per vniuersę Ecclesię statutū firmatum est, & paulò ante dicitur, quòd Petrus à Paulo fuerit reprehensus. Ita quod tex. ille loquitur de quocumque Episcopo etiam Romanæ Ecclesiæ, & sic de Papa. Et sic sententia concilij maior est, quàm Papæ.

42 In contrarium facit, quòd si concilia sumunt robur à Papa, vt in capitulo significasti de elect. & in cap. benè quidem. 96. distinct. & dicit sanctus Thom. in secunda secundæ, quæst. 1. art. 10. & probant omnia illa iura 16. & 17. dist. sequitur, quòd omne iudicium Concilij descendit ex authoritate Papæ, ergò standum est potiùs sententiæ Papæ, cuius est principalior authoritas, quam Concilij, quod ab eo authoritatem recipit. Facit cap. volentes de offic. legat. c. super quæst. §. Porrò de offic. delegat. cap. si à sublegato eodem tit. in 6. cum concordant, in regula accessoriorum

43 in 6. Item, quòd præferatur sententia Papæ, facit illud Deuteron. 17. quod habetur in cap. per venerabilem, qui filij sint legit. cùm dicit Dominus, si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter causam, & causam, sanguinem, & sanguinem &c. vade ad locum, quem elegerit Dominus, veniesque ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit in illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quicquid tibi dixerint, qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur homo ille.

44 Quam authoritatem exponendo, text. in dicto cap. per venerabilem dicit locum esse Romam, & sacerdotes leuitici generis esse Cardinales. Iudex ergo, & sacerdos super eos est Papa, qui ostenditur per dictam authoritatem habere supremum iudicium, quando discordant sacerdotes, & sic quòd statur iudicio Papæ discordantibus Patribus ab eius iudicio. Nec obstat, quòd illa authoritas loquitur, quando difficultas oritur ex iudicio minorum iudicium, à quibus recurritur ad maiores sacerdotes leuitici generis, item quòd loquitur quando sententia sacerdotum concurrit cum sententia iudicis summi sacerdotis, & non quando discordat, vt in proposito. Quia respondetur satis esse, quòd ex illo text. innititur, quòd sit supremus sacerdos, ad quem etiam discordantibus sacerdotibus leuitici generis, & sic Prælatis Cardinalibus, debet haberi recursus, cuius iudicio stari debet. Et ad hoc facit illud, quod dictum fuit Moysi, vt constitueret iudices in populo, qui quicquid magni esset referrent ad Moysem. Ad idem text. iuncta glos. cap. nemo. 9. quæst. 3. vbi dicitur, nemo iudicabit primam Sedem, neque enim ab Augusto, neque ab omni Clero; neque à Regibus, neque à populo Iudex iudicabitur. Et ibi glos. dicit, quòd si

45 totus mundus in aliquo negocio sentiret contra Papam, standum esset potiùs sententiæ Papæ. 24. quæst. 1. cap. hæc est fides. Ad idem faciunt omnia illa motiua, & rationes, quæ inducuntur pro Papa in illo art. vter sit maior, vtrùm Papa, an Concilium. Et hoc tenet glos. in cap. in istis. 4. dist. & videtur sentire glos. in cap. quodcumque. 24. quæst. 1. Facit cap. enim verò, 19. dist. & de summa Trini. cap. 1. in fin. & de bap. cap. maiores. Et hanc eamdem opinionem tenet, Alex. in d. cap. in istis. Quam etiam tenet Ioan. And. in cap. significasti, & refert ibi Abb. Siculus, de elect. Et eamdem tenet ibi Abb. quando Papa moueretur melioribus rationibus, & authoritatibus, quàm Concilium. Quia Concilium potest errare, sicut dicitur errasse super matrimonio contrahendo inter raptorem, & raptam; vndè dictum Hieronymi fuit Prælatum statuto Concilij. 26. quæst. 2. cap. tria, iuncto cap. placuit. Et pro ista parte do bonum tex. in cap. dudum 3. quæst. 6. vbi Apostoli constituerunt supremam potestatem esse in Papa, nec quicquam præter scientiam Romani Pontificis decerni debere etiam circa Concilia. Ex quo sequitur, quòd Apostoli, qui constituebant Concilium, vt patet act. 6. & 15. voluerunt Romani Pontificis sententiam præferri sententiæ Concilij. Et hoc firmat text. in cap. fin. 10. dist. vbi factum Papæ

46 præualet facto omnium Episcoporum. Et istam videtur tenere Ioan. And. in cap. licèt de consti. in 6. Et tandem ponit Milis in verbo Papa est maior Concilio. Idem, & Hostien. in cap. proposuit de concess. Præben. & glos. in cap. contra morem. 100. dist. 8. quæst. 3. cap. nonne 11. d. cap. nobilite. Facit text. in cap. non decret. 12. dist. Hanc etiam dicit communiter teneri à Doctoribus Dom. de Sancto Gemi. in dicto cap. in istis, videlicet potius standum sententiæ Papæ, quàm Concilij. Et hanc partem tenuit Archiep. Floren. in 3. parte summæ in titu. 3. de superbia, in cap. 11. vers. schisma autem. Hanc etiam tenet Feli. in cap. 1. de pact.

Quid dicendum in ista materia? Docto-

47 res considerant aliquos casus. Primùm si sumus in causa fidei, & Papa vult aliquid statuere contra fidem, standum est potiùs

 sen-

sententiæ Concilij. Quod & ponit Archiep. vbi supra, & omnes in dicto cap. proposuit, & Card. in cap. significasti in 10. contrario de elect. & Feli. in cap. 1. de pact. & in cap. 1. in 3. ampliatione de constiut. & Spec. in tit. de dispensa. §. 1. vers. alicuius etiam, & glos. in cap. ex multis. 1. quæst. 3. & in cap. quodcumque. 24. quæst. 1. Quia Papa non
48 dispensat contra quatuor principaliora Concilia, quæ continent normam fidei, vt in cap. sicut. 15. dist. & ibi glos. & Archi. & in cap. post translationem de renun. & in cap. Anastasius. 19. dist. Imò etiam
49 omnibus Episcopis consentientibus non posset Papa contra articulos fidei statuere, vt in cap. quæ ad perpetuam. 25. quæst. 1. Et quod non dispenset contra quatuor Concilia, vide glos. in §. Nisi rigor. 1. qu. 7. & glos. in cap. proposuit de concess. Præben. Nec contra dictum Apostoli. 25. quæst. 1. sunt quidam, & glos. in §. his omnibus. 8. quæst. 1. Quod intelligit glos. in d. cap. proposuit, in ijs, quæ concernunt fidem pro hoc. 11. quæst. 3. cap. si is, qui præest, & tenet Abb. in dicto cap. proposuit. In istis, quando Papa vult hoc facere, debet præualere sententia Concilij sententiæ Papæ. Alius casus est quando Papa sentiret
50 vnum, per quod turbaretur status vniuersalis Ecclesiæ, & Concilium contradiceret ne turbaretur Ecclesia vniuersalis. Et standum esset etiam isto casu potius sententiæ Concilij, quàm Papæ. Allegatur cap. sunt quidam. 25. quæst. 1. Non enim debet ei pareri, quando ex eius mandato multa mala oriri possunt, vt notat Innoc. in dicto cap. inquisitionis. Quia ipse Papa summè
51 curare debet, vt salus vniuersalis Ecclesiæ salua sit. 25. quæst. 1. quæ ad perpetuam, & cap. contra statuta, & cap. si eadem. 25. quæst. 2. Et ista est causa, quare Papa non potest deponere omnes Episcopos. 9. qu. 3. cap. per principalem. Nec tollere priuilegium canonis, si quis suadente. 17. qu. 4. vt dicit Dominic. in dicto c. in istis. & Doct. in cap. nulli de senten. excomm. Sed quoad hoc priuilegium, vt supra dictum est, dubitat Alexan. quia est merè iuris positiui, licèt dicat aliud de priuilegio fori, quod est concessum Clericis de iure diuino, vt dicit glos. in cap. si Imperator. 96. dist. & declarat Card. in cap. perpendimus in repe. de senten. excomm. Et in hoc potest poni aliud exemplum, de quo vide Abb. Siculum in cap. 2. de maio. & obed. Similiter quando vellet statuere, quòd possit sibi eligere successorem, quia non valeret. 8. quæst. 1. §. His omnibus. Quia istud esset mutare statum vniuersalis Ecclesiæ secundùm Domin. ibi in cap. in istis. Similiter quando decoloraretur status vniuersalis Ecclesiæ, quia præualeret sententia Concilij sententiæ Papæ, quando Papa tale quid sentiret, glos. in §. Nisi rigor. 1. quæst. 7. quę allegat. cap. etsi illa eamdem causam, &
52 quęst. Similiter, quando Papa vellet aliquid, quod esset contra ius diuinum, vel naturale, vel vellet tale quid, quod esset peccatum lege naturali, vel diuina, tunc sententia Concilij contrarium sentientis præferretur sententiæ Papæ, vt notant Doct. in dicto cap. proposuit de concess. Præbend. Et hoc, quia Papa non dicitur statuere quæ inducerent peccatum, & ideò non posset statuere, quòd liceret adulterari, quia est contra præceptum legis diuinæ Exod. 20. non mœchaberis &c. ad hoc text. in cap. et si Christus de iure iurando. Posset tamen aliquando, vt euitetur maius malum permitti aliquid, quod est prohibitum lege diuina, vel naturali, puta lege diuina prohibitum est homicidium, vt patet Exod. eodem 20. cap. ibi non occides, & tamen lex positiua pluries permittit, & mandat hominem occidi, vt in cap. cùm homo, & in cap. si homicidium. 23. quæst. 5. Et ratio est tunc, quia lex est, &
53 non homo, qui occidit, quando mandatur occidi, qui dignus est morte. l. palàm, ff. de ritu nup. & cap. homicidas eadem caus. & quæst. Et tunc non est propriè homicidium, vt dicto cap. si homicidium, cap. qui malos eadem caus. & quæst. Secus si non esset dignus morte, quia non valeret tunc mandatum. C. vt nemo priuatus, l. 2. & C. de ijs, qui ad Ecclesias confu. l. si seruus. Sic etiamsi lex, vel Papa vetaret sine causa, ne filio præstarentur alimenta, non valeret mandatum, sed cum causa sic, vt si esset Hostis Ciuitatis, l. minimè, ff. de Relig. & sump. fun. Si verò illud, quod præ-
54 cipitur esset tale quid, quod esset peccatum lege positiua, tunc semper præferretur sententia Papæ, qui est supra ius, & non ligatur legibus iuris positiui, dicto cap. proposuit, l. digna vox, & l. princeps legibus, C. & ff. de ll. cùm simil. & dicit Arch. in dict. vers. schisma autem. Si verò esset tale quid,
55 quod esset dubium, an esset contra fidem, vel esset peccatum lege Dei, vel naturæ, & sententia Concilij aduersaretur sententiæ Papæ; tunc si esset solus Papa in sua sententia, & Concilium Generale in alia, adhuc præferretur sententia Concilij sententiæ Papæ. Sed secus si cùm Papa con-
56 curreret sententia Concilij Patriarchij eius, videlicet Concilij Prouincialis Romani, & Sedes Apostolica, siuè Romana Ecclesia, hoc est Papa cum Cardinalibus, & suo Prouinciali Concilio, sentiret contrarium eius, quod sentiret Concilium Generale, quia tunc præferretur sententia Papę, ex quo Papa non est solus, siuè cum paucis in sua sententia, sed cùm sententia Romanæ Ecclesiæ. 24. quæst. 1. cap. quoniam vetus. Quod debet intelligi de fide eius, idest Ecclesiæ ei specialiter commissæ, cap. hæc est fides. 24. quæst. 1. & cap. à recta eadem caus. & quæst. Et pro hac conclusione allegat glos. in cap. quodcumque 24. quæst. 1.
57 Nam quando aliæ Ecclesiæ dissentiunt ab Ecclesia Romana, tunc dicitur schisma, & Ecclesia nullo modo potest dici Ecclesia, in qua est schisma, cap. pudenda in fine. 24. quæst. 1. Sed cum oporteat semper esse Ecclesiam, quia non deficit eius fides, vt in dicto cap. à recta, sequitur, quòd illa erit vera Ecclesia, in qua Apostolicæ Sedis sententia sit, quæ hominum malitia extingui non potest dicto cap. pudenda, & cap. omnes in fin. 22. dist. Quia ex quo est dis-
58 sensio in vniuersali, remanet veritas in

Eccle-

Ecclesia specialiter Petro commissa, videlicèt in Ecclesia Romana d. cap. pudenda, & cap. omnes. & de hoc sanctus Thom. in secunda secundæ. quæst. 1. art. 10. Ex quibus elicit conclusionem, quòd si iudicandus est vnus Episcopus, illum Papa iudicat non Synodus Prouincialis, 7. quæst. 1. cap. quamuis; Item si est dissensio inter Archiepiscopos, vel in Ecclesia de causis fidei, Sedes Apostolica iudicat, etsi est dissẽsio inter vniuersalem, & Romanam Ecclesiam, in qua præest Papa, attenditur iudicium Sedis Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ, nisi vniuersalis Ecclesia, siuè Generale Concilium habuisset aliquando iudicium Sedis Apostolicæ, à quo nunc ipsa Sedes Apostolica discreparet, quia tunc præferretur sententia Ecclesiæ vniuersalis, siuè Concilij Generalis, quòd habuit aliàs decisionem, vnà cùm Papa, & Sede Apostolica; item si esset contentio inter Episcopos, vel Concilium, & illuc conuenientes, tunc sententia Sedis Apostolicæ attenderetur, & illorum, qui cùm ea sentirent, & non aliorum, qui ab ea discreparent. Et finaliter concludit, quòd in tribus tantùm casibus subijcitur
59 iudicium, & sententia Papæ iudicio, & sententiæ Concilij, videlicèt in casu hæresis, schismatis, & vbi agitur de bono vniuersalis Ecclesiæ principaliter, & non secundariò, & ità dicit fuisse statutum tempore suo in Concilio Constantiensi. Sed si benè aduertatur ista doctrina videtur aliqualiter diminuta, tùm quia posset occurrere casus, qui concerneret bonum vniuersalis Ecclesiæ, & ex contraria illius decisione non turbaretur status vniuersalis Ecclesiæ, vt exemplum in cap. Nicena 31. dist. vbi solus Pafnutins contradixit Nicœnæ Synodo volenti statuere, quod Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cùm vxoribus, quas antè consecrationem duxerant non dormirent, & præualuit eius sententia. Et ibi glos. sumit argumentum,
60 quòd vnus potest contradicere toti vniuersitati si allegat rationabilem causam, vt in cap. 1. de ijs, quæ fiunt à maior. par. cap. Tùm quia posset esse casus, in quo esset dubium, vtrùm concerneret bonum vniuersalis Ecclesiæ, quòd posset dependere ex futuro euentu, & non turbaretur status vniuersalis Ecclesiæ ex illius decisione, vt exemplum, si Papa vellet alienare aliquod dominium temporale Ecclesiæ per quod diminueretur multùm dominium Ecclesiæ fortè ad habendum pecunias pro sustinendo bello, cuius euentus est dubius, & dubium, vtrùm sit iustum bellum, vel iniustum, certè ex huiusmodi alienatione posset sequi bonum, & malum Ecclesiæ Romanæ, non tamen sequeretur scandalum in vniuersali Ecclesia.

61 Vndè potest addi prædictis, quòd aut loquimur in iudicio discretiuo, aut in iudicio voluntatis iuncto cum plenitudine potestatis ipsius Papæ. Si loquimur de iudicio discretiuo, tunc si sumus in causa fidei, aliàs per Concilia definita, dicendum est, vt dictum fuit supra, quòd illius sententia præponitur, quæ innititur decisioni aliàs factæ in illis quatuor Concilijs principalioribus, quæ sunt tenenda, vt quatuor Euangelia, vt in cap. sicut 15. distin. Et si Papa solus inniteretur decisioni aliàs factæ, licèt totum Concilium teneret contrarium, sequenda esset sententia Papæ, vt 24. quæst. 1. cap. hæc fides. Et in hunc
62 sensum intelligenda est glos. in cap. nemo. 9. quæst. 3. quæ vult, quòd si totus orbis sentiret contra Papam, standum esset sententiæ Papæ. Et pro hoc facit, quòd principatus datus fuit Petro, cui terreni simul, & cœlestis imperij iura Deus commisit, vt in cap. omnes. 22. distin. Et bonus text. 22. dist. in cap. 1. in fin. & 7. quæst. 1. cap. mutationes. 80. dist. cap. in illis in fin. & 22. dist. 5. prima ergò Sedes. 2. quæst. 7. puto 21. distin. cap. in nouo cap. considerandum. 50. dist. cap. sacrosancta. 22. dist. Et Chrysostom. super illud Lucæ 22. ego pro te rogaui Petre, & cap. dicit omissis alijs venir ad Petrum cœteris Prælatum. Item August. super illud Petrus ambulabat super aquas ait, dicit primo Apostolo, idest Petro in ordine Apostolorum firmo, & præcipuo. Idem text. in cap. fundamenta in prin. de elect. in 6. Archi. 22. dicto cap. sacrosancta, & text. in cap. cùm beatissimus, 24. quæst. 1. Et bonus text. in cap. ita Dominus. 19. distin. ibi, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Et sicut in su-
63 perioribus est vnus Deus, vt in cap. 1. & cap. damnam us, de summa Trini. ita & in terris debet esse vnus Dei Vicarius, cui alij omnes inferiores pareant, sicut, & in cœlis diuersi Angelorum ordines parent. 89. dicto cap. ad hoc. Et ideò Deus vnam Ecclesiam constituit non plures. cap. loquitur 24. quæst. 1. vt vnus esset Dei Vicarius, & Ecclesiæ sponsus, & non plures, quia Ecclesia militans similis est triumphanti, teste Ioanne in Apoca. cap. 21. & dicit glos. in clem. ad nostram de hære. Item vnus solus
64 priuatus, qui moueretur melioribus rationibus, & authoritatibus noui, & veteris testamenti, deberet præferri omnibus alijs etiam sententiæ Papæ, vt dicit Abb. Siculus in cap. significasti in 2. colum. de elect. & maximè, vbi illius iudicium confirmatum reperitur per alia Concilia. Nam, &
65 possibile esset, quod fides Christi remaneret in vno solo, sicut, & ius vniuersitatis in vno solo remanet, vt in cap. gratum de postul. Prælat. sicut, & remansit fides post Passionem Christi tantùm in Beata Virgine, nam omnes alij scandalizati sunt, & tamen, quia Christus ante Passionem orauerat pro Petro, vt non deficeret fides eius, non dicitur defecisse, si remansit in vno solo, nec dicitur errare, si veritas remanet in vno solo. Vndè dicit glos. in cap. quamuis. 21. dist. quòd vbi sunt boni, ibi est Ecclesia Romana, & ita dicit Abb. in dicto cap. significasti in secunda, & tertia columna. Si ergò hoc contingere potest in vna priuata persona, quantò magis in Papa? qui est Caput Ecclesiæ, Christi Vicarius, & qui habet potestatis plenitudinem, & cui verisimiliter magis assistit Spi-

ritusſanctus, ex quo aſſumpſit eum in Vicarium. Quòd ſi in priuato, & in Papa ſolo poteſt hoc contingere, vt ſententia eius præferatur ſententiæ Concilij propter meliores rationes, & authoritates noui, & veteris teſtamenti, quantò magis quando Papa, & eius ſententia concordat cum Concilijs Generalibus, cùm tunc non ſit tantùm ſententia Papæ, ſed etiam Concilij, maximè loquendo de Concilijs principalioribus concernentibus fidem, & multò magis eſſet verum, ſi Papa ita vellet de plenitudine poteſtatis. Si autem ſententia
66 Concilij in cauſa fidei cõcurreret cum eo, quòd aliàs fuiſſet determinatum in Concilijs, maximè in quatuor principalioribus Concilijs, & eſſet approbatum iam per Sedem Apoſtolicam, tunc præferretur ſententia Concilij ſententiæ Papæ, quantumcumque Papa etiam ex plenitudine poteſtatis vellet contrarium, quia in ijs, quæ ſunt fidei iam ſemel approbata, Papa ſubijcitur iudicio Concilij, vt in cap. Anaſtaſius. 19. diſt. & in cap. ſi Papa. 40. diſt. & cap. ſicut, & cap. ſancta. 15. diſt. cùm ſimil. Licèt enim Papa habeat plenitudinem poteſtatis, tamen illam debet ſic commenſurare, vt clauis non aberret, vt dicit Innoc. in cap. quanto de conſue. & in cap. cùm ad Monaſterium de ſtatu Mona. & in cap. ad Apoſtolicæ de re iudi. in 6. Quinimò,
68 ex quo aliqua pertinentium ad fidem ſunt in Concilijs determinata, ſi contrarium velit Papa determinare, non poteſt. Imò poſſet accuſari tanquam hæreticus ſi contrarium pertinaciter aſſereret. 40. diſt. cap. ſi Papa. Quinimò Dom. in cap. habeo librum. 16. diſt. dicit propter verbum oportet ibi poſitum, quod importat neceſſitatem, vt in cap. cùm ab vno de re iudi. in 6. quòd Papa ſine Concilio non promulgat canones fidei, & multò minùs reuocat ſtatuta Concilij Generalis diſponentis circa fidem, vt dicit idem Domin. poſt Hugo. in cap. ſancta Octo 16. diſt. Et dicit, ibi eſſe
69 caſum pro gloſ. in cap. ſicut. 15. diſt. quòd Papa non reuocat ſtatuta Concilij circa fidem ſine conſenſu Concilij. De quo vltimo dic, vt dictum eſt ſupra in loco ſuo proprio, in illo art. vtrùm in cauſis fidei Papa ſemper teneatur congregare Concilium.
70 Si verò loquimur in cauſa fidei ſuper articulo emergenti nondum definito, & loquimur in iudicio diſcretiuo, in dubio videretur regulariter potiùs ſtandum iudicio vniuerſalis Concilij contra Papam ſolum contrarium ſentientem. Quod videtur, velle gloſs. in dicto cap. Anaſtaſius. Pro hoc text. in cap. ſicut in fin. 15. dicto cap. contra ſtatuta, & cap. ſunt quidam. 25. quæſt. 1. Vndè dicit Archi. in dicto cap.
71 Anaſtaſius, quòd periculoſum eſſet fidem noſtram committere arbitrio vnius hominis, & idem dicit, & ſequitur Dom. ibi in dicto cap. Anaſtaſius. Quia in ijs, quæ concernunt fidem Papa debet ſtare iudicio Concilij, vt in dicto cap. ſicut. 15. diſtin. Hinc ſumpta occaſione Dominus Cardinal. & Alex. in dicto cap. Anaſtaſius,
72 dicunt quòd licèt aliàs cauſæ fidei nondum deciſæ referantur ad Sedem Apoſtolicam. 24. quæſt. 1. cap. quotiens, & ſic ad Papam, vt in cap. ſacroſancta. 22. diſt. & in cap. maiores de bap. & in cap. hęc eſt fides. 24. quęſt. 1. vbi Papa ſolus corrigit errores circa fidem, tamen vbi eſſet maximum dubium circa fidem, ita quòd Papa cum Cardinalibus dubitaret, tunc non deberet Papa ſine Concilio decidere, ſed conuocare Concilium vniuerſale Epiſcoporum, & ità dicit, intelligit gloſs. in dicto cap. Anaſtaſius. Similiter quando Papa vellet aliàs ſtatuere, vel decidere contra aliàs ſtatuta per Eccleſiam circà fidem, tunc debet conuocare Concilium, quòd & ponit idem Abb. in dicto cap. ad maiores. Et iſto modo poteſt intelligi, quod ſententia Concilij præfertur ſententię Papę. Et in ſimili caſu dubio facta fuit congregatio in Hieruſalem ſuper circumciſione, vt legitur act. 15. Nec per hoc innuitur, quòd Concilium ſit ſupra Papam, vel quod minuatur poteſtas Papę, quia tunc eius poteſtas includitur in Concilio, quia tota poteſtas eſt apud Eccleſiam, ſed Papa eſt caput totius corporis Eccleſiæ. Alioquin ſi dubium circà fidem non eſſet magnum, Papa poſſet illud decidere ſine Concilio, & cùm nuſquam reperiatur, nec in veteri, nec in nouo Teſtamento, quòd Concilium ſit ſupra Papam non errantem, etiam in cauſa fidei, vel quod Concilium neceſſariò ſit vocandum, vel quod Papa teneatur ſequi eius iudicium, ſi Papa etiam in factis fidei moueretur melioribus, rationibus, & authoritatibus, & definitionibus, quàm Concilium, ſtandum eſſet ſententiæ Papæ, vt per Abb. in cap. ſignificaſti de electiou. Quia Concilium poteſt errare, vt patet in Con-
73 cilio Ariminenſi, & Epheſino ſecundo. Patet etiam in Aphricana Synodo celebrata tempore Cypriani, de qua facit mentionem Auguſt. in lib. 7. de vnico baptiſmo. Et in alijs multis, vt in Concilio Aquileien. quod recuſauit recipere fidem in Concilio Conſtantinopolitano canonicè traditam, vt dicit Vincentius in hiſtoriali cap. 21. & cap. 26. & in Concilio Aquiſgranen. in cap. placuit. 36. quęſt. 2. iuncto capitulo tria, eadem cauſa, & quęſt. & ibi gloſ. & tenet gloſ. & Archi. in capit. 1. 20. diſt. in verbo illorum.
74 Nec obſtat ſi dicatur, quòd Eccleſia non poteſt errare, vt in cap. à recta. 24. quęſt. 1. quia intelligitur de Eccleſia vniuerſali, vt de conſecrat. diſt. 1. Eccleſia. Sed Concilium repreſentatiuè dicitur Eccleſia, in Concilio enim verè non eſt vniuerſalis Eccleſia, vt dicit Abb. in dictis locis. Vel poſſet dici, quòd Concilium non poteſt errare, quando eius geſta aliàs per vniuerſalem Eccleſiam, vel ſaltem per Romanam Eccleſiam aliquando fuiſſent recepta. Conceditur tamen, quòd in dubio Concilium, & Eccleſia ſpecialis non pręſumitur errare, vt dicit Ioan. And. in cap. à nobis in verbo Eccleſię de ſentent. excommunic. & quod ſit neceſſariò probandus error, maximè de Eccleſia Romana, quo errore probato reuocatur eius ſententia, vt in cap. cùm olim de do. & contu. vt dicit idem Ioan. Andr. in d. cap. à nobis, de quo in cap. tum ex literis

75 literis de in integ.restit. Tamen illud quod dicitur, quòd Ecclesia non potest errare, intelligitur de Ecclesia vniuersali, & generali, quæ simul congregata non potest errare, vt in dicto capitulo à recta, & dicit Ioan. Andr. in dicto capitulo à nobis, & in capitulo significasti de electión. Si verò
76 cùm Papa concurreret sententia, siuè iudicium Sedis Apostolicę, hoc est Cardinalium, & Concilij Prouincialis ipsius Papę, tunc etiam si dubium circà fidem emergens esset arduum, & maximum, pręferretur sententia Papę. Vbi autem dubium non esset arduum, & maximum, & totum Concilium sentiret contra Papam, nec appareret quis fundaretur melioribus authoritatibus, tunc licèt sententia Concilij videretur pręferenda per dictum Archi. in dicto cap. Anastasius, quia iudicium discretionis pręsumitur eminentius, & verius in pluribus, quàm in vno, vt in cap. prudentiam cùm concor. de officio delegati, cùm non magis præsumatur vnus habere spiritum veritatis, quàm omnes alij simul in Dei nomine congregati, & in vnum iudicium concurrentes, tamen si Papa nollet assentire decisioni ipsius Concilij, Concilium non posset statuere contra voluntatem, & sententiam Papę, quia deficeret potestas in Concilio, quod sumit robur à Papa. Et ideò de plenitudine potestatis Papa posset impedire Concilium, ne statutum desuper promulgaret. Et hoc videtur sentire Cardi. de Turrecre. in 3. lib. cap. 64. in secunda colum. Quid autem tunc esset faciendum, & obseruandum circà dictum dubium emergens, hoc non reperio decisum; sed crederem, quòd quia teneret, & obseruaret vnam, vel aliam partem non propterea esset damnatus, si in ea obseruatione, & opinione moreretur, antequam decisio esset firmata per Ecclesiam cum Papa, per id, quod in simili ponit Abb. in rub. de schisma. in fin. & Arch. Flor. in secunda parte summę, in tit. 3. de superbia in cap. 11. vers. sed quid cùm duo, vbi disputando dicit, quòd tempore schismatis Vrbani, & Clementis non erant in peccato, qui adhęrebant vni, vel alteri parti, propter dubium quis esset verus Papa. Ad hoc facit in argum l. regula; & l. 2. ff. de iuris, & facti ignor. & cap. ad Apostolicæ de cler. excommunic. vel interdic. minis. & capit.
77 vt animarum de constitut. in sexto. Barbatius tamen in capit. quod translationem in 11. colum. dicit, quòd licèt etiam inferiori à Papa se intromittere super articulis fidei, declarando rudibus vt in cap. 1. 80. dist. Sicut, & capitula Ecclesiarum Sede vacante procedere possunt contra hæreticos, & declarare eos errasse in fide, & illos punire, vt in cap. ad abolendam de hæret.
78 Tamen si oriretur aliqua difficultas super articulis fidei non decisis licèt glos. in d. cap. quòd translationem simpliciter dicat, quòd talis causa sit referenda ad Papam, qui solus potest nouos articulos non decisos facere, & nihil dicat de Concilio, tamen ipse dicit, quòd solus Papa sine Concilio non potest decidere causam fidei, & ideo oportet congregare Concilium. Primo hoc probat per text. in cap. habeo librum 16. dist. vbi text. vtitur verbo oportet necessitatem, vt in cap. cum ab vno de re iudic in 6. Item per text. in cap. sicut, 15. dist. Item, quia videtur absurdum, & periculosum committere causam fidei arbitrio illius, quem Ecclesia potest iudicare hæreticum, vt in cap. si Papa, 40. dist. Et quia orbis maior est vrbe, vt in cap. legimus, 93. dist. Et per glos. quæ dicit hoc
79 formaliter in d. capitulo Anastasius, 19. dist. Et dicit, quod illud, quod dicitur in euangelio dic Ecclesiæ, vt in cap. nouit de iudic. fortiùs erit dicendum Ecclesiæ, idest Papæ, & Concilio, quando agitur causa fidei, quia Papa, & Concilium repræsentant Ecclesiam vniuersalem, quæ errare non potest, vt dicit, glosa in capitulo maiores de bap. Nec per hoc diminuitur potestas Papæ, nam & ipse includitur in Concilio tamquam Princeps, & caput. Item ad idem est, quod dicit beatus Bernardus, quem refert Archid in cap. non decet. 12. dist. quòd Papa non est Dominus Episcoporum, sed est vnus ex Episcopis, ergo Papa cum Episcopis debet decidere causam
80 fidei, & sic cum Concilio generali. Ad hoc cap. mulier el. 2. 33. quæst. 5. vbi Episcopus dicitur Vicarius Dei, quòd est intelligendum in parte, non in totum, sicut dicitur in sacerdote, vt dicit ibi glos. & probatur in cap. inter, de pæni. dist. 3. ideo Episcopi habent interesse cum Papa in causa fidei. Adducit authoritatem Euangelij, quòd vos, qui sequuti estis me sedebitis iudicantes duodecim tribus Israel, sicut ergo Christus iudicabit cum discipulis, ita & Papa cum Episcopis qui successerunt eorum loco, vt in c. in nouo, 21. dist. Adducit etiam, quod dixit Dominus Petro, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, designans, quod potesta sit in Ecclesia, & consequenter, quod Ecclesia sit illa, quæ habeat decidere causas fidei vnà cum Papa Ecclesiæ capite. Item adducit illud act. 15. vbi in illo Concilio Petrus primò locutus est tanquam principalis, ac post Iacobus, qui vsus est verbo, iudico, & placuit cæteris, quod non fieret circumcisio, & scripserunt ad eos, qui erant Antiochiæ sub ista conceptione verborum, placuit nobis collectis in vnum &c. Ex quo elicit, quòd si solus Petrus potuisset illum articulum fidei decidere Apostoli, qui erant pleni Spiritu sancto, nullatenus se intro-
81 misissent. Ad idem est, quòd Paulus pręcipiebat seruari præcepta Apostolorum, & seniorum: verbum autem præcepta sonat iurisdictionem contentiosam capit. eam te de rescrip. Et similiter act. 16. cùm Paulus, & Timotheus transirent per Ciuitates, monebant conuersos, vt custodirent dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Ierosolymis; verbum autem decreta important iurisdictionem contentiosam, l. 1. §. 1. in verb. vel cognoscens decreuit, ff. de constit. princ. dist. 4. in fin. §. hæc etsi legibus, versic. decretum verò

verò necessitatem facit. Ergo, vt iudices Apostoli, & Seniores iudicarunt causam fidei. Ad idem adducit, quòd legitur act. 20 vbi Paulus dixit maioribus natu Ephesiorum, attendite vobis, vniuerso gregi, quo vos spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Vnde non ad solum Papam, sed ad eum cum Concilio spectat decisio causæ fidei. Non obstat cap. maiores de bap. vbi dicitur quod causa fidei referenda est Papæ, quia intelligitur vt capiti. Non ob-
82 stat cap. hæc est fides, 24. quæst. 1. & quod voluit glos. in cap. in istis 4. dist. & capit. aliorum, 9. quæst. 3. vbi dicitur, quòd solus Papa potest confutare errores fidei, quia non loquuntur, quando Papa, vellet decidere articulum fidei secundùm eum.
83 Sed ista modicùm obstant, quia ad primum respondet glos. in d. cap. cum ab vno, quod verbum oportet non semper importat necessitatem, sed aliquando honestatem 25. quæst. 1. cap. primo. Ad cap. sicut, dicitur, quòd loquitur de articulis fidei iam decisis. Ad alias authoritates, quæ innuunt, quod cum Concilio Papa debeat hoc facere, respondetur, quod non negant quin solus Papa hoc possit, maximè cum Collegio Cardinalium, in quibus repræsentatur specialis Ecclesia, videlicet Ecclesia Romana, vt supra aliquando dictum est. Et ipsemet in fine non videtur negare, quin Papa cum Cardinalibus hoc possit. Et ideo Papa solus, poterit etiam articulum fidei non decisum de nouo facere, vt latè dicitur in cap. 1. 15. dist. per Alexand. & dixi supra.
84 Aut agitur non de causa fidei, sed dubio an aliquid esset peccatum lege Dei, vel contra ius naturale, & tunc illius sententia
85 præfertur quæ conformatur legi diuinæ, & legi naturali. Et quando Papa, vel alius superior mandat aliquid, quod est peccatum, vtrùm sit illi obediendum materia est in capit. ad aures de tempor. ordin. & in cap. non semper cum tribus sequent. & in cap. qui resistit 11. quæst. 3. & in cap. non decet, 12. dist. & per Hostien. in summa de maior. & obed. in §. & ad quid ad fin. vers. ad huius, & in cap. literas per Doct. de re-
86 stit. spoliat. Et in proposito loquendo quando Papa præciperet aliquid extraiudicialiter, quod de se euidenter esset peccatum, dicendum est, quòd obediendum est Deo magis, quàm ei, & vide bonas rationes quare tunc non sit obediendum Papę per
87 Alex. in cap. sit Dominus, 11. quæst. 3. Sed si esset dubium, an quod præcipitur sit peccatum, vel non, dicendum est, quòd si is, cui precipitur habet conscientiam, quod præcipitur, debet ponere conscientiam, alioquin si non potest illam deponere, nec se conformare cum conscientia Papæ, debet sequi conscientiam, suam propriam, vt in cap. per tuas de simon., & tolerare patienter si Papa eum puniat, vt in d. cap. literas, & in capit. inquisitioni de sentent.
88 excommunicat. Quando autem illud, quod præcipitur est de se iustum, licèt cui præcipitur videatur iniustum, & quando aliquid pręcipitur per viam iudicij, & sententiæ quid dicendum, dic vt per Siculnm in d. cap. ad aures, & Doc. in locis supra allegatis. Et ex his apparet, quando hoc casu præfertur sententia Concilij, quia quando præcipitur aliquid euidenter iniustum per Papam præfertur, sententia Concilij iustum sentientis, sed si esset dubium vtrùm esset iustum, vel non, præfertur sententia Papæ, quæ etiam præfertur omni casu, quo Concilium vellet aliquid apparenter iniustum, & Papa illud, quod esset iustum. Et similiter vbi cum sententia Papæ concurrit sententia patriarchij eius, siue prouincialis Concilij, vt dictum est supra. Et vbi appareret, quòd Papa melius sentiret cæteris omnibus, præfertur sententia Papæ, sicut in simili fuit in c. Nicena, 31. dist. in Pafnutio Confessore, qui contradixit vniuerso Concilio, & præualuit eius sententia.
89 Aut agitur de materia, in qua est differentia inter Papam, & Patres Concilij, quæ est iuris positiui. Et tunc aut est differentia
90 super condendo ius nouum, & tunc si lex, quam Papa vult edere, non habet qualitates legis, de quibus in capitulo erit autem lex, 4. distinct. nec conuenit religioni, nec disciplinæ, nec consuetudini patriæ nec loco, & tempori; præfertur sententia Concilij contradicentis editioni talis legis, & possunt Episcopi in concilio existentes contradicere, quia non conuenit lex consuetudini regionis; nec habet suas qualitates. Ita vult glos. & Domin. ibi in d. cap. in istis, 4. dist. sicut fuit factum in Ecclesia orientali, quæ non recepit legem de continentia seruanda, ex quo non peccant Episcopi, & alij in sacris constituti, qui matrimonio vtuntur, vt in cap. cùm olim de cler. coniugat. & in dicto capitnlo
91 Nicæna. Quod est verum, quando Papa non contradiceret, sed taceret, quia si expressè contradiceret Episcopis, seruanda esset sententia Papæ, ex quo sumus in ijs, quę sunt iuris positiui, quia lex principis quantumcumque sit dura, seruanda est l. prospexit, ff. qui & à quibus, 19. dist. cap. in memoria, & maximè si vellet statuere in ijs, quæ tendunt in animaduersionem criminum, cùm in ijs Papa possit venire etiam contra iam statuta per Concilium, dicit Archid. in capit. sicut decimaquinta distinctio. in principio, & ita dicit Dom. in dicto capitulo in istis, & Cardinal. Ale-
92 xand. ibi in fin. Si autem lex, siue constitutio habet qualitates legis, quia honesta, iusta, rationabilis, iuxta naturam, & consuetudinem patriæ, loco, & tempori conueniens, vtilis, & necessaria tunc præfertur sententia Papæ, quia præeminet vniuersis, vel Prælatus, magister, & princeps, & potestatis habet plenitudinem, secunda quęstione sexta capitulo decreto; & de authoritate, & vsu pallij capitulo ad honorem. Et quia lex habet suas qualitates, ab omnibus custodienda est, 12. distinctione capitulo secundo. Et hoc tenet Hugo, & Archid. in dicto capitulo in istis. Et vbi subditi nollent acceptare rationabilem constitutionem, posset eos ad hoc compellere, & ita dicit factum Archiep. in capitulo, de

ligu-

93 liguribus 23. quæstione 5. & refert Card. de Turrecremata in d. cap. 64. Quinimò etiam si constitutio non haberet suas qualitates, quia non conueniret consuetudini regionis, & esset dura, si Papa de plenitudine potestatis vellet eam seruari, possent subditi compelli ad obseruandum, vt dictum est d. l. prospexit.

94 Aut agitur de iure antiquo tollendo. Et tunc si Concilium vult, quòd lex tollatur, & Papa contradicit, standum est sententiæ Papæ, dicto capitulo in istis 8. quæst. 2. cap. illud, & cap. dilectissimi, glos. in cap. veniam, 35. quæst. 6. & 24. quæst. 1. nec est fides. Sed si Papa vellet tollere constitutionem factam à Concilio, quod posset, vt dictum fuit supra in articulo proprio, si Concilium contradiceret, quia quod Papa vellet facere esset irrationabile, vel impossibile, & lex edenda per eum non haberet qualitates requisitas, standum esset sententiæ, siue contradictioni ipsius Concilij. Ita dicit Domi. in dicto cap. in istis in fin. Quod intelligo verum, quando esset omnino impossibilis, quia inpossibilium nulla est obligatio. Sed si non esset impossibilis, sed aliàs dura, & Papa vellet omnino tollere antiquam constitutionem à Concilio editam, & nouam edere, fortè sibi fauorabilem, & Romanis pontificibus pro tempore, & de nuda voluntate, & potestatis plenitudine ista statueret, crederem seruandam esse sententiam Papæ. Et ita vult expressè gl. quam Doctores sequuntur in cap. vbi periculum, in verbo Concilio generali

95 de elect. in 6. Facit text. in capit. conuenientibus, 1. qu. 7. vbi Papa restituit quos Conc. damnauit. Et ex hoc apparet, quòd posset poni exemplum, quòd si Papa vellet, solus posset tollere constitutionē, frequens,

96 in Concilio Constantien. editam. Aliquando, & tertio, Papa aliquid vult de plenitudine potestatis, & procedit dispensando, & Concilium contradicit. Et hoc casu prefertur sententia Papæ in ijs, in quibus potest dispensare; nam non potest Concilium restringere potestatem Papæ sine eius consensu, vt dicit Ioan. And. in cap. nouit de iudic. Imò nec cum eius consensu, quia potestas eius est à Deo, vt in §. hinc etiam 17. dist. & in cap. sacrosancta, 22. dist. ita dicit Ioann. Andr. in cap. Ecclesia de constit. Et ideò in dispēsando prefertur sententia Papæ. Facit text. in capit. veniam, 35. quæst. 6. & vide quæ dicta fuerunt in illo art. vtrùm Papa reuocet constitutiones conciliares. Et prædicta procedunt, quando concurrit diuersitas iudicij inter Concilium, & illum, qui est verus, & Catholicus Papa, quia si esset hæreticus, vel non habitus pro vero Papa, & in controuersia Papatus, tunc sine dubio sententia Concilij semper præferretur, vt in c. si duo 79. dist. & in d. cap. si Papa, 40. dist.

97 Restat respondere ad contraria, ad quæ ex prædicta distinctione apparet responsio. Ad primum, quòd rectius est concilium, quod plurimorum sententijs roboratur, respondetur illud esse verum, nisi aliquis probabilioribus, & melioribus rationibus moueretur in contrarium, quia tunc illius solius sententia, & non plurium præferretur, vt dictum est supra. Pro hoc tex. in l. 1. in vers. sed neque, C. de veteri iure enucl. & tex. in cap. 1. de ijs, quæ fiunt à maior. par. cap. & in cap. Nicæna, 31. dist. Sæpè enim Deus reuelat aliqua paruulis, quæ abscondit sapientibus, vt in cap. esto subiectus 95. dist. Et ita respondet Abbas Siculus in cap. 1. de const. in vlt. columna.

98 Ad illud, quod dicitur de aristocratia, & regimine plurimorum, quòd sit melius, negatur hoc, quia finis regiminis est pax, pax autem, & vnitas subditorum meliùs conseruatur per vnum, quàm per multos. Ita dicit sanctus Thomas in opusc. 20. scilicet de regimine Principum, à capit. 2. vsque ad 8. & 1. contra Gen. cap. 42. Item Philosophus, 12. metaphy. dicit, quòd multitudo Principatuum est mala, & refert Abb. Siculus in cap. nouit in 3. colum. de iudic. Et idem sanctus Thomas in quarto senten. dist. 20. art. 4. quæstiuncula 3. vbi agit de indulgentijs, dicit quòd Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, sicut Rex in regno, penès quem tota potestas residet. Et quòd ista potestatis plenitudo melius resideat in persona vnius, quàm plurium, probat text. in cap. legimus, 93. dist. vbi ponitur quare fuit institutum, quòd vnus præesset omnibus. Ad id, quod dicitur,

99 quòd Papa potest errare, respondetur, quòd non est verisimile, quòd Deus hoc permittat. Pro hoc glos. in capit. quodcumque, 24. quæst. 1. & in capit. in Sede, ead. caus. & qu. Et licèt glos. in cap. à recta ead. caus. & qu. dicat, Papam posse errare, intelligitur secundùm se, & considerata ipsius persona, & non tamquam Vicarius Dei, cui dat scientiam intellectus, iuxta illud Sapient. 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & dedit illi scientiam Sanctorum. Et ita respondet Brixien. in quibusdam suis allegationibus confutantibus allegationes Abbatis factas in Concilio Basileen. Item etiam Concilium potest errare, vt dictum est supra de Concilio Ariminensi, & alijs. Et ad id, quod dici-

100 tur, quòd Ecclesia non potest errare, vt in cap. à recta, 24. quæst. 1. respondetur, vt sæpiùs supra in proposito dictum est, illud esse verum de Ecclesia vniuersali, hoc est de collectione omnium fidelium, de consecr. dist. 1. cap. Ecclesia, quia Deus non permitteret, quòd omnes fideles errarent in fide. Nam & remansit fides in Beata Virgine alijs deficientibus post Passionem, vt ostenderetur, quòd non posset deficere fides, pro qua Christus orauit, cùm dixit Petro, & ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, vt dicit glos. in d. capitulo à recta, & 21. dist. capitulo primo. Et non intelligitur de Ecclesia representatiuè, sicut est Concilium, quod repræsentat Ecclesiam vniuersalem, non quod in eo sit vniuersalis Ecclesia, quia impossibile est, omnes simul fideles congregari. Ita dicit Abb. in d. capitulo significasti, de elect. & dicit Ioann. Andr. in capit. à nobis, in verbo Ecclesia de sentent. excommunicat.

Qui

101 Qui dicit, quòd etiam pro Ecclesia spe-
ciali præsumitur, quòd non erret, nisi error
probetur, allegat, de frigidis, cap. fraterni-
tatis, & maximè loquendo de Ecclesia spe-
ciali, hoc est de Romana Ecclesia, pro qua
in dubio semper præsumitur, de reliqu. &
vener. Sanct. capitulo primo. Facta tamen
fide de errore, bene eius sententia reuoca-
tur, vt capitulo cùm olim, de dolo, & con-
tum. secundùm Ioan. And. ibi ad hoc cap.
tum ex literis, de in integr. restit. Item & si
dicatur, quòd Ecclesia non potest errare in
ijs, quæ sunt fidei, non sequitur, quòd sen-
tentia Concilij generaliter in omnibus de-
beat præferri sententiæ Papæ; maximè in
ijs, quæ sunt iuris positiui, quæstio autem,
de qua agitur est absolutè posita, quæ sen-
tentia præferatur, vtrùm Papæ an Conci-
lij: vnde posito, quòd in articulis fidei præ-
feratur sententia Concilij, non ita erit in
alijs, vt patet ex supradictis. Ad secundum,
102 quòd orbis maior est vrbe, dicitur, quòd
non obstat, quia Papa præest orbi, & vrbi,
orbi generaliter, vrbi specialiter. Ita Do-
min. in capitulo nemo, nona quæstione 3.
103 Ad dictum sancti Bernardi respondetur,
quòd non præsupponimus sententiam
Papæ superbam, & irrationabilem, sed ra-
104 tione fulcitam. Ad tertium de Episcopo,
& Capitulo, respondetur quòd similitudo
non est bona, quia Capitulum habet autho-
ritatem à iure communi, & non sumit ro-
bur ab authoritate Episcopi, sicut Conci-
lium sumit robur ab authoritate Papæ, vt
in dicto capitulo significasti, de elect. item
Episcopus non potest solus actum exercere
sine Capitulo, sicut Papa potest solus sine
105 Concilio. Ad quartum ex act. 15. respon-
detur, quòd licèt præualuerit sententia Ia-
cobi, & illam Concilium sequutum sit, non
tamen Petrus contradixit sententiæ Iaco-
bi, sed illam potiùs approbauit, ex quo
apparet, quòd non potest induci in propo-
sito quæstionis nostræ, quando sententia
Papæ contradicit sententiæ Concilij. Et
quod dicitur; quòd sententia Concilij,
106 tamquam munita Spiritu sancto debeat
præferri, respondetur illud verum quando
cum Concilio Papa, & omnes sunt concor-
des, sicut ibi fuit, quia vbi sunt plures con-
cordes congregati in nomine Domini, Do-
minus in medio eorum est, Matth. 18. Sed
vbi sententia Papæ discordat à sententia
Concilij, non dicitur, quòd sententia Con-
cilij sit sententia Spiritus sancti. Ad quin-
tum respondetur, quod licèt sub nomine
107 Concilij comprehendatur caput, non se-
quitur, quòd sine capite dignior sit sen-
tentia Concilij, & conuenientius est, quòd
membra non dissentiant à capite, quàm
econtra in cap. cùm non liceat, de præscr.
& cap. non decet, 12. dist. Et dignius est
caput, quàm residuum corporis sine capi-
108 te, quia locus efficitur religiosus, vbi ca-
put est humatum licèt membra sint alibi
sepulta, vt in l. cùm in diuersis, ff. de relig.
& sump. funer. instit. de rerum diuis. §. re-
ligiosum, ibi glos. Ad illud quod dicitur,
109 quod debet totum præualere parti, & sic
Concilium totum Papæ, qui est pars Con-
cilij, respondetur quod illud debet intelli-
gi, quando illud totum est vnitum ipsi par-
ti, sed vbi discrepat caput, idest Papa à
Concilio, tunc non est concursus totalis,
cùm potestas Papæ non sit à Concilio, sed
à Deo, vt in cap. nouit de iud. sed bene po-
testas, & voluntas Concilij dependent à Pa-
pa, vt 17. dist. per totum, qua cessante
Concilium nihil potest. Ad sextum respon-
110 detur, quòd potestas principaliter data
fuit Petro, non solùm significatiuè, vel fi-
guratiuè, sed verè principaliter, & funda-
mentaliter. Christus enim constituens
vnam Ecclesiam, vnum voluit esse caput,
& Principem, 24. quæst. 1. loquitur, & 21.
dist. capit. 1. vbi probatur, quòd Christus
Petrum Ecclesiæ præfecit, vt conseruaret
vnitatem. Et sicut apud Apostolum vnum
est corpus, vnus spiritus, & vna spes voca-
tionis nostræ, & vnus Dominus, vna fides,
vnum baptisma &c. vt est text. 24. quæst. 1.
d. cap. loquitur, ita vnus est Dei Vicarius
in terris, & vna Ecclesia, & vnum corpus
mysticum, 3. quæst. 4. Engeltrudam. Et vt
Christus vnitatem manifestaret, vnitatis
eiusdem originem ab vno incipientem sua
authoritate disposuit. Et licèt Apostolis
omnibus post resurrectionem, suam parem
potestatem tribuat dicens, sicut misit me
Pater, & ego mitto vos, tamen ad vnum
loquutus, super vnum ædificat Ecclesiam,
vt dicit tex. in d. cap. loquitur, ideo quia
111 Ecclesia vna, vnum & non plura capita
debet habere, quòd est Papa, 9. quæst. 3.
aliorum, & ideò Petrus solus designatus est
caput Ecclesiæ, vt in capit. rogamus, 24.
quæst. 1. & ideo Petrus dictus est Cephas,
quod interpretatur Petrus, hoc est lapis, vt
legitur Ioan. capit. 1. Est igitur Christus
principale Ecclesię fundamentum, qui eam-
dem primò fundauit in Petro, & de Petro
112 in successoribus. Et quod fundamentum
Ecclesiæ fuerit in Petro probatur, quia si
Ecclesia non fuisset fundata in Petro so-
lùm, sed super totam Ecclesiam vniuersa-
lem, sequeretur quòd ipsa Ecclesia esset
fundamentum sui ipsius, quod dicere est
113 absonum. Quod autem Christus sit prin-
cipale fundamentum, demonstrat Aposto-
lus 1. ad Corinth. 3. & 1. quæst. 1. cap. cùm
Paulus, ibi fundamentum aliud nemo po-
test ponere præter id, quod positum est,
quòd est Christus Iesus, capit. veniens de
presb. non baptiz. & cap. fundamenta, de
elect. in 6. Quòd autem Christus primò, &
114 principaliter fundauerit Ecclesiam in Pe-
tro, & successoribus, probat text. in cap. 1.
de homic. in 6. & alijs iuribus infra proxi-
mè adducendis, & in capit. cùm beatissi-
mus, 24. quæst. 1. vbi dicitur, quòd Petrus
à Domino principatum accepit. Quòd
autem post Petrum in Apostolis, & succes-
siuè in alijs Episcopis, dicit text. 21. dist.
cap. 1. ibi simpliciter verò maiorum, & mi-
norum Sacerdotum in nouo Testamento
discretio ab ipso Christo sumpsit exor-
dium, qui 12. Apostolos tamquam maio-
res Sacerdotes, & 72. Discipulos quasi mi-
nores Sacerdotes instituit. Petrum verò
quasi in summum Sacerdotem elegit, dum
ei præ omnibus, & pro omnibus claues re-
gni cœlorum tribuit, & à se Petra, ei Petri
nomen

nomen imposuit, atque pro eius fide se specialiter rogasse testatus est, & vt ipse cæteros confirmaret, subiunxit dicens, ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et quòd principaliter in Christo, & de Christo primùm in Petro, & successoribus, deindè in Apostolis, & successiuè, ac consequenter in Episcopis, qui succedunt loco Apostolorum, vt in capit. Ecclesiæ Principes, 35. dist. probat text. in cap. ita Dominus, 19. dist. ibi sed huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, & ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet. Appel-
115 lat ergo Petrum caput, & Apostolos corpus. Et ibi, hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat Dominus voluit nominari dicendo, tu es Petrus, &c. vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret. Ad idem per omnia text. in cap. fundamenta, in princ. de electione in sexto. Et si dicatur, quòd tex.
116 ibi referendo Psalmum 86. scilicet fundamenta eius in montibus sanctis, dicit per montes Apostolos, & Prædicatores Ecclesiæ insinuari, quibus tota huius ædificij fabrica confidenter innititur; sicque videtur inferri, quòd non in vna persona Petri fundamentum collocatum sit, sed in omnibus Apostolis, & Prædicatoribus, & sic in Ecclesia vniuersali, cùm Psalmus iuxta vulgatam editionem dicat fundamenta eius, & non fundamentum, & in montibus sanctis, & non in monte sancto, sicut & alibi dicitur, leuaui oculos meos ad montes
117 vnde veniet auxilium mihi, ad montes spirituales, idest ad sanctos dicit glos. & Archidiac. in capitulo sacrosancta, 22. dist. Dic dicendum, quòd non obstat, quia illud intelligitur secundariò post Petrum, idest quod Apostoli post Petrum fuerunt secundaria fundamenta. Et ideo Petrus dicitur primus, qui ordinatus fuit Sacerdos, & primus conuertit populum ad fidem, & alij omnes ab eo habuerunt confirmationem, & potestatem prædicandi, & conuertendi populum, vt dicit Domin. in d. capit. in nouo. Quinimmo tanta fuit differentia inter Petrum, & alios Apostolos, quanta est hodiè inter Papam, & alios Episcopos, vt dicit Domin. in capitulo sacrosancta, 22. dist.

118 Ad id, quod adducitur ex 2. cap. ad Ephesios, scilicet dum dicit superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, similiter respondetur vt sup. videlicet, quòd intelligitur secundariò. Quod ostendunt verba sequentia, ipso summo angulari lapide Christo Iesu in quo omnis ædificatio constructa crescit vbi dicit August. ne Apostoli, vel Prophetæ, in quibus fundata est ciuitas se tenerent in se, in Christo totum innititur primo fun-
119 damento, quod fundamentum in summo est, & non in imo, vt in corporali fabrica. Igitur fundata Ecclesia primò in Christo, & postea in Apostolis cum Petro, sed principaliter in Petro, & ideo fundamenta eius in montibus sanctis, videlicet in Apostolis, prædicatoribus, & Doctoribus Ecclesiæ, inter quos est primus Petrus, cui datus fuit principatus. Et ideo in Christo principaliori fundamento, & post Christum in Petro principaliter eiusdem Christi Vicario, & successore, vt ab ipso capite electo dona sua in corpus omne, videlicet aliorum Apostolorum, Prædicatorum, & Doctorum, diffunderet, vt in dicto capitulo fundamenta de electione in 6. Papa enim, qui vices Dei tenet in terris, vt in capitulo 1. vt Ecclesiastica beneficia, & in capitulo ad Apostolicę de re iudic. in sexto à Deo potestatem sumpsit, vt in capitulo nouit de iudic. quia Christus potestatem dimisit Petro Vicario suo, & per ipsum successoribus eius, vt in cap. quanto de
120 translat. prælat. & in cap. licèt eod. tit. & cap. solitæ de maior. & obed. Et consequenter cùm Petrus, & successores idem tribunal habeant cum Christo, & sic eamdem iurisdictionem, quia omnia possunt, quæ Christus claue non errante, vt dicit Hostien. in d. cap. quanto, de translation. Prælat. & Innoc. in cap. quanto de iureiuran. & refert Abb. in cap. proposuit, de concess. præbend. meritò principaliter in Petro Ecclesiæ fundamentum à Christo constitutum est. Sic & Vicarius Episcopi
121 eamdem iurisdictionem, & tribunal habere dicitur cum Episcopo, & in iurisdictione maximè cæteris alijs præponitur, vt in capit. 1. de offic. vicar. in 6. Fuerunt
122 ergo Apostoli æquales in ordine, non tamen in iurisdictione cum Petro, in quo principaliter Ecclesia in omnibus à Christo fundata est. Sic Papa etsi in ordine parem habet potestatem cum Episcopis, solus tamen habet iurisdictionem in omnes, & à nemine iudicatur, vt in cap. nemo, 9. qu. 3. cum sequen. & solus cæteris alijs in omnibus præpositus est, & ei tantùm Dominus verba dirigit, & caput designat, d. cap. loquitur, 24. qu. 1. & in Extrauaganti vnam sanctam, ibi glos. Pauini. Et hoc bene probat ille text. in d. cap. fundamenta, & tex. in d. cap. sacrosancta, vbi dicitur, quòd non ab Apostolis, sed à Saluatore Christo Petrus primatum obtinuit. Quod ostendunt verba Domini, Ioan. vlt. Simon Ioannis amas me? Et cùm Petrus respondisset, ter dixit illi pasce oues meas; quæ verba ad Petrum tantùm dicta sunt. Et quòd Christus dixit ad Petrum, in Petro dixit ad successores ipsius, dicit text. in capit. solitæ, de maioritate, & obedientia. Et Petro tantùm dictum fuit, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Matth. 16. Petra autem erat Christus, & ita exponit glos. Nicolai. Et sic primum fundamentũ est Christus prima quæstione prima, cùm Paulus, qui & Ecclesiam postea fundauit in Petro principaliter, vt dictum est, relinquens in Petro Ecclesiæ fundamentum. Vnde dicit text. 22. dist. cap. 1. quòd
123 omnes dignitates Ecclesiæ à Romana Ecclesia instituuntur, illam verò solus Dominus ipse fundauit, & super petram fidei

mox nascentis erexit, qui Petro æternæ vitæ clauigero, terreni simul & cœlestis imperij iura commisit. Ad idem bonus text. in Extrauaganti vnam sanctam. Non
124 obstat, quod dicitur in capitulo in nouo, 21. distinct. & in capitulo sacrosancta, 22. distinctione, quòd cæteri Apostoli pari consortio cum Petro honorem, & potestatem acceperunt, & in capitulo loquitur, 24. qu. 1. ibi hoc erant vtique cæteri Apostoli, quòd Petrus fuit pari consortio præditi potestatis, & honoris. Quia debet intelligi in ordine, non in administratione, & iurisdictione, vel potest dici, quòd ante Passionem Discipuli erant sub Christo, & non sub Petro, & ideo cum Petro erant tunc in pari consortio, sed post Passionem fuerunt sub Petro, & ei deferebant. Vnde in Pentecoste primum sermonem fecit Petrus, vt legitur act. 2. Et hoc vult glos. Archid. & Domin. in d. cap. nouo. Non ob-
125 stat, quod dicitur in capit. in nouo, & Apostoli ipsum in Principem habere voluerunt, quasi non à Christo, sed ab Apostolis principatum acceperit. Quia respondetur, quòd similiter intelligitur secundariò, quia primò à Christo principatum acceperat, vt dicit Archid. in cap. sacrosancta, 22. dist. & dicit ibi clarè text. Simili-
126 ter dicitur, quòd à synodis Romana Ecclesia accepit potestatem, 17. dist. §. hinc etiam, vers. deinde. Quia debet intelligi secundariò, non principaliter, vt dicit ibi, glos. in verbo, potestatem, & Arch. in d. cap. in nouo, in princ. & ibi Ioan. de Fan. Vel debet intelligi declaratiuè non collatiuè, 3. quæst. 6. cap. dudum. Petrus enim in administratione, & iurisdictione fuit maior omnibus Apostolis, 80. dist. cap. in illis, quòd probat text. 24. quæst. 1. cap. est aliud. Vbi Beatus Ambros. dicit, quod est aliud piscandi genus, quo genere solum Petrum Dominus piscari iubet, dicens, mitte hamum, & eum piscem, qui primò
127 ascendet, tolle. Intelligens per hamum iurisdictionem, in qua Petrus præfuit alijs Apostolis, quia hamo, idest ferro putridæ carnes abscinduntur. Ita dicit ibi glos. & 81. distinct. cap. plurimos. Item soli Petro Luc. 5. dicitur, quòd ducat in altum, cùm alijs dictum fuerit, quòd laxent retia, quia ipse solus Petrus debet ducere in altum, scilicet disputationum, vt 24. q. 1. cap. non turbatur, quia ei soli reseruantur maiores causæ, de bapt. maiores, & 17. distinct. cap. multis, 24. quæst. 1. capit. quotiens.
128 Sic Moyses, & Aaron fuerunt pares in consecratione, sed in administratione Moyses fuit maior, 22. distinctione, capitulo
129 sacrosancta. Vnde cùm dicitur, quòd potestas fuit concessa toti Ecclesiæ, debet intelligi sub Petro, & non principaliter etiam Ecclesiæ, quia est vna potestas, & non duæ, & est in solidum in Papa: sed in alijs tanquam vocatis in partem sollicitudinis, nisi quando Papa esset hæreticus, cùm tunc perdat dignitatem ipso iure, & non sit Papa. Et potestas ista tunc in hoc casu contra eum remanet in Ecclesia, vt in cap. si Papa 40. dist. & in cap. in fidei, ibi Doct. de hær. in sexto. Quòd enim extra Ecclesiam non possint haberi claues Ecclesiæ, est bonus text. in cap. audiuimus 24. quæst. 1.
130 Alioquin ista potestas tota non est in Ecclesia vniuersali, Papa existente catholico & sede Petri non vacante, aliàs duo in solidum istam potestatem possiderent, quod est impossibile, & esset ponere in Ecclesia duo principia, quod similiter est inconueniens, vt 24. quæstione vlt. capitulo quidam §. Cerdoniani. Non obstat quòd di-
131 citur, quòd Ecclesia haberet plura fundamenta, quia respond. quod tamen vnicum est fundamentũ in Ecclesia scilicet Christus: quòd Christi fundamentum idem est, quod Petri, ex demandatione Christi, qui ascensurus ad Patrem, ne Ecclesia sine Pastore desereret Petro curam Ecclesiæ commisit, vt suæ stabilitate fidei cæteros in Christiana religione firmaret, vt dicit text. in d. cap. primo de Homic. in 6. Idem text. in cap. primo 22. dist. ibi, illam verò solus ipse fundauit, & super Petram fidei mox nascentis erexit, qui Beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cęlestis iura imperij commisi. Idẽ tex. in c. ita Dominus 19. dist. ibi hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum id, quòd ipse erat Dominus voluit nominari, dicendo tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret. Nec per hoc dicuntur plura principia, vel plura capita vt clarè ostendit extrauagans Bonifacij vnam sanctam: ibi igitur Ecclesiæ vnius, & vnicæ vnum corpus, vnum caput, non duo capita, quasi monstrum Christus videlicet & Christi Vicarius Petrus, Petrique successor, dicente Domino ipsi Petro, pasce oues meas &c. Et ibi per 5. argumenta ostendit vnitatem Pręsidentis. Ad quod vide, quod dico infrà in quæstione, quis sit maior vtrùm Papa, an Concilium in 5. motiuo pro parte Papæ: vbi latè vtrùm sit vnum, vel plura fundamenta. Et bene in proposito text. in cap. loquitur 24. quæst. 1. Præ-
132 terea si diceres summam potestatem datam Ecclesiæ vniuersali, & non Petro tanquam capiti; & eam esse apud Concilium ipsam repræsentans, sequeretur quod dissoluto Concilio, quod etiam rarò teneri consueuit, cessaret totius fidei, & Ecclesię fundamentum; & cùm ardua quotidie dirimenda occurrant, non esset, qui definire posset, cùm ad totam Ecclesiam vniuersalem aditus sit impossibilis, quia impossibilis est congregatio omnium fidelium orbis, & Ecclesiæ collectio per Concilium non est facilis. Ideo dicendum est, quòd potestas omnimoda etiam maiorum causarum sit in Petro, & consequenter in Papa, & sede Apostolica d. cap. maiores, & dicto
133 cap. multis. Ad authoritatem Ioan. 20. respondetur, sicut supra dictum est, quòd illa authoritas respicit dignitatem ordinis, in qua omnes Apostoli cùm Petro fuerunt pares, vt dictum est d. cap. in nouo. Et ideo ad illum text. in capit. audiuimus 24. quæst. 1. cùm text. ibi dicit, quòd Petrus pro omnibus, & præ omnibus accepit potestatem, dicit glos. pro omnibus dictum

ad

ad denotandum vnitatem, quia vna est Ecclesia, & est illa, quæ capiti est vnita, vt in cap. loquitur 24. quæst. 1. præ omnibus dicit glos. dictum ad denotandum prælationem, & præeminentiam. Et bene etiam ostendit ibi tex. quod quo ad ea, quę erant ordinis dederit parem authoritatem Apostolis, cùm dicit; vnde cum omnibus discipulis parem ligandi, atque soluendi potestatem Dominus daret, Petro pro omnibus, & præ omnibus &c. Vnde hæc paritas tantùm est in potestate absoluendi, & ligandi, & in illa etiam præeminentia quædam Petro data est, & idem videtur sentire glos. in cap. Rogamus in ead. caus. & quæst. & diximus aliquando supra, & non in iurisdictione, & administratione, vt dictum est, quia illa tantùm Petro conuenit, cui ambæ claues datæ sunt, & ordinis, & correctionis, siue administrationis. Non ob-
134 stant verba homiliæ sancti August. cùm dicit, quòd Petrus quando claues accepit Ecclesiam sanctam significauit cap. quodcumque 24. quæst. 1. Quia verum est, quòd significauit Ecclesiam in vnitate, ideo enim dabantur vni, quia vna est Ecclesia, vt d. cap. loquitur 24. quæst. 1. Non tamen figuratiuè, & significatiuè; sed quia pro omnibus, & præ omnibus verba ad eum dicta sunt, vt d. cap. audiuimus 24. quæst. 1. significauit Ecclesiam propter quam dabatur ei potestas clauium, quia si non significasset Ecclesiam, in quam potestatem clauium exercere debebat, frustratoria fuisset potestas ei data nisi fuissent, in quos deberet potestas exerceri. Et ideo intelligitur passiuè, argum. eorum, quæ ponuntur in l. prima ff. de iurisd. omnium iudic. & l. secunda §. post originem, versic. post hæc ff. de origine iuris; de qua authoritate latiùs dicetur infrà in illo articulo, quis sit maior vtrùm Papa, an Concilium. Item intelligitur, quòd datæ fuerunt claues Petro, non vt ipse solus illam potestatem haberet, quia si Petro tantùm datæ fuissent claues, iam non esset in Ecclesia, qui absoluere posset, nec aliqua reconciliatio hodie fieret in Ecclesia. Ideo datæ fuerunt in omnibus Prælatis, & futuris successoribus in Ecclesia per deriuationem ab eo in eos. Ideo dicit Ambros. quòd in beato Petro omnes nos Sacerdotes claues accepimus. Et hoc ipsum est Petrum cùm claues accepit Ecclesiam sanctam significasse, vt dicto capitulo quodcumque 24. quæst. 1. Vnde dicit ibi Archidiaconus si hoc tantùm Petro dictum est, vt eius personam non transgrediatur, non facit hoc Ecclesia, id est eius authoritas. Et ideo pro omnibus Apostolis, quia omnes Apostoli receperunt potestatem ordinis, sicut, & Petrus, & parem Petro, vt dicto capitulo audiuimus, & in cap. loquitur ead. caus. & quæst. & d. cap. in nouo. Et pro hoc est illud Ioan. 20. & cùm hæc dixisset, insufflauit, & dixit eis, accipite Spiritumsanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt &c. Et illud Matt. 18. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram erunt ligata, & in cęlo, & quæcumque solueritis super terram erunt soluta, & in cælo. Ideo pro omnibus Apostolis, quia & pro alijs Prælatis, & cæteris Episcopis, qui succedunt loco Apostolorum, in cap. Ecclesiæ principes 35. dist. & in cap. videntes 12. quæst. 1. Et pro sa-
135 cerdotibus vniuersalis Ecclesiæ, vt in cap. primo de summa Trinit. & in capit. absit 11. quæst. 3. quia etiam sacerdotes succedunt loco Apostolorum, quò ad sacramentorum dispensationem, vt vide glos. & concordantes in d. cap. videntes. Ideo etiam datæ sunt ei claues præ omnibus, quia præpositus est in administratione, & iurisdictione: ista igitur potestas iurisdictionalis data est ei vni, quia vnum voluit Christus Pastorem, & Vicarium, qui eius vices teneret in terris, vt in cap. 1. cum concordan. de homil. in 6. Et istam solutionem sentit Ioann Andreas in capitulo ad liberandam in 6. columna de Iudæis.

Et per hoc solutum est sextum argumentum, cui solutioni adde, quæ dico in illo artic. Vtrùm Concilium possit cognoscere de omnibus litibus, & controuersijs occurrentibus in Concilio sine Papa, & quam iurisdictionem habet Concilium, & latissimè vide ad plenum omnia examinata in illo artic. quis sit maior vtrùm Papa, an Concilium. Et non obstat illud Ioann. 20. capitulo, & in cap. audiuimus 24. quæst. 1. nec notat. Innoc. in dicto capitulo nouerit, quia loquuntur de potestate ordinis, vt patet ex verbis ipsiusmet Innocent. qui connumerat priuilegia concessa Ecclesiæ.
136 Ad septimum de capitulo sicut sancti respondetur, quòd loquitur in causa fidei: item illa authoritas loquitur de Concilijs cum authoritate Papæ; & sic non est ad propositum, in quo loquimur quando contrariatur sententia Concilij sententiæ Papæ: item interdum solus Papa reuocat etiam constitutiones Conciliares, vt diximus suprà in quæstione propria. Similiter ad illud de Concilio Aphricano, quòd in omni periculo Ecclesiæ debeat conuocari Concilium, respondetur quòd non sequitur ergo sententia Concilij debet præualere sententiæ Papæ, nec quod Papa non possit definire, quæ in Concilio definiuntur præter causas fidei, vt suprà dictum est. Et licèt Concilium iudicet de causa fidei, & Papa etiam iudicat de causa fidei, vt in dicto capitulo maiores, de baptis. & suprà dictum est.

Ad illud, quòd Papa potest errare, & quòd periculosum est committere causam fidei iudicio vnius, patet responsio ex dist. suprà data, quia interdum reuelatur minori, quod maior nescit, vt in capit. esto 95. dist. & in capitulo si habes, 24. quæst. 3. Et Papa si moueatur melioribus rationibus etiam in causa fidei, quæ non reperitur decisa, debet præferri, vt suprà dictum est.

Et quòd dicitur Ecclesiam non posse errare, dictum est supra illud intelligi de Ecclesia vniuersali, cùm Concilia sæpiùs reperiantur errasse 36. quæst. 2. capit. tria, iuncto capitulo placuit. Et licèt illi capitulo fuerit derogatum, non sequitur quòd Concilium non errauerit. Et plura alia

Concilia reperiuntur erraſſe, vt ſuprà dictum eſt: item hoc magis fortificat reſponſionem, quia capitul. accedens, de raptor. eſt conſtitutio Papalis, & cap. placuit, fuit conſtitutio conciliaris: ergo ſolus Papa reuocauit conſtitutionem conciliarem: & ſic præfertur ſententia Papæ ſententię Con-
137 cilij. Ad octauum reſpondetur, quòd illa iura non probant, quod quando ſententia Papæ contrariatur ſententiæ Concilij, debeat præferri ſententia Concilij, quia in illis iuribus, & ſtatutis Conciliaribus interuenit etiam ſententia Papę, quia edita ſunt per Concilia cum authoritate Papæ, & ſic ibi concurrit ſententia Papæ, cum ſententia Concilij iam terminata; & ideo non poſſunt per ſolum Papam tolli, niſi cùm diſtinctione ſuprà poſita. Ad no-
138 num reſpondetur, quòd non eſt bona ſimilitudo, quia Archiepiſcopus ſi iudicatur à Concilio Prouinciali, poteſt habere recurſum ad ſuperiorem, videlicet legatum, vel Papam: quòd non eſt in Papa, qui non habet ſuperiorem, vt in capitulo licèt, de electione, cùm ſimilibus. Facit quod diximus in articulo ſubmiſſionis, capitulo nos ſi incompetenter, 2. quæſt. 7. & in l. eſt receptum, ff. de iuriſdictione omnium iu-
139 dicum. Ad decimum ex act. 8. reſpondetur quod non ſequitur, Apoſtoli miſerunt Petrum, & Ioannem, ergo erant maiores Petro. Quia enim tunc incipiebat publicari fides, & gentes opere, & exemplo inducebantur ad credendum, miſerunt Ioannem, & Petrum propter vitæ ſanctitatem, & miraculorum poteſtatem, nam ad Petri vmbram ſanabantur infirmi, vt legitur Actuum 5. & Petrus exemplo Chriſti ſe humiliauit, vt induceret illos ad fidem.
140 Vel aliter reſpondetur, quòd vna eſt miſſio, quæ fit per authoritatem, ſicut quando Papa mittit legatum, & rex ballium. Alia, quæ fit conſulendo, & ſuadendo: & iſta poteſt fieri ab inferiore de ſuperiore, & talis fuit illa miſſio Petri, ſicut ſi de conſilio conſiliariorum regis mitteretur rex aliquò pro ſalute populi. Et iſto modo reſpondet Archiepiſc. Flor. in illo art. quis ſit maior vtrùm Papa, an Concilium; imò in illo articulo de poteſtate iuriſdictionis in Eccleſia, in tertio lib. tit. 23. cap. 3. §. 7.
141 Ad vndecimum reſpondetur, quòd illa ordinatio illorum Conciliorum non reperitur approbata, niſi in ijs, quæ concernunt fidem, & Concilium Baſileen. non fuit verum Concilium, vt ſæpiùs dictum eſt. Et ideo non potuerunt ſtatuere tale quid, per quod reſtringeretur poteſtas Papæ, penès, quem eſt plenitudo poteſtatis, vt in c. cùm ex eod. de pœnit. & remiſſ. & in cap. pro-
142 poſuit, de conceſ. præben. Vel debet intelligi, quòd quilibet etiam Pontificalis dignitatis tenetur obedire in ijs, quæ concernunt articulos fidei iam per Eccleſiam, & Concilia declaratos, vt in capit. ſicut 15. diſt. Ad duodecimum reſpondetur,
143 quòd omnia fuerunt facta de voluntate Petri, & Clemens renunciauit Pontificatui: ergo ſi non renunciaſſet, vt dicit ibi gloſ. in cap. Petrus 8. quæſt. 1. ſequitur quòd ſententia Petri præualuiſſet; & ſic illud non fuit factum per Concilium, ſed quia ſic voluit Clemens. Item illud poteſt dici habitum fuiſſe pro bono, & receptum ad tollendum malum exemplum, ne quis eligeret ſibi ex teſtamento ſucceſſorem, non ad impugnandam ſententiam Petri. Ad tertium-
144 decimum reſpondetur, quòd ex reſiſtentia non denotatur maioritas niſi de facto, ex reſiſtentia autem facti, quis non dicitur maior de iure, imò potiùs innuitur contrarium, quia reſiſtentia propriè eſt inferioris contra ſuperiorem, vt in cap. qui reſiſtit. 11. quæſt. 3. & gloſ. in verbo obedientiam, in cap. ad aures de temp. ord. Sicut cùm quis reſiſtit iudici volenti eum de facto ſpoliare, vt dicitur in l. iuſtè poſſidet ff. de acquir. poſ. C. vnde vi. l. prima, in fin. & gloſ. penult. in cap. ex literis de offic. deleg. cum ſimilib. Ad quartumdecimum, reſpondetur, quòd licèt Chriſtus ſit caput Eccleſiæ, & conſequenter Concilij, non ſequitur quòd ſententia Concilij diſſentientis à Papa ſit præponenda, quia non eſt Concilium, niſi authoritate Papæ congregatum, vt dicunt iura 17. diſt. per to-
146 tum; tunc ergo eſt Concilium, quando Papa eſt cum Concilio, & Chriſtus eſt ca-
147 put. Item quando dicitur, quòd Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, intelligitur de Eccleſia vniuerſali. Et licèt etiam ſit caput Concilij, non tamen ſequitur, quòd Concilium habeat immediatè authoritatem à Chriſto, & quod ſententia Concilij ſit infallibilis, & præponenda ſententiæ Papæ,
148 ſicut ſententia Chriſti; ſed imò Concilia ſumunt robur à Papa, vt in d. cap. ſignificaſti, & in d. 17. diſt. per totum. Imò, & confirmantur à Papa, vt ab alijs cuſtodiantur 25. quæſt. 1. cap. primo. Et ſemper in Concilijs excipitur authoritas Romanæ Eccleſiæ, vt in d. capit. ideo permittente 25. quæſt. 1. Et licèt Chriſtus dicatur caput Eccleſiæ vniuerſalis, non ſequitur ergo iudicium Concilij eſt iudicium infallibilis veritatis, quia vt ſupra dictum eſt, Concilia ſæpè errauerunt. Et illa authoritas, quòd Eccleſia non poteſt errare, intelligitur de Eccleſia vniuerſali, & non de repræſentante, vt dicitur in dicto capitulo ſignificaſti per Siculum. Et illa authoritas
149 ex actor. decimoquinto intelligitur de Eccleſia repræſentata per Apoſtolos, & ſeniores, & alios ibi congregatos, & non de vniuerſali. Nec ſequitur ſi etiam ſub nomine Eccleſiæ veniat Concilium, quòd iudicium Concilij debeat præponi iudicio
150 Papæ: tùm quia vbi eſt diſſenſio cum capite, Concilium non repræſentat Eccleſiam, quando caput eſt Catholicum, quia non eſt Concilium ſine capite, vt in c. multis cum concordant. 17. diſtinct. Tùm quia ibi actor. 15. Petrus fuit in concordia cum alijs Apoſtolis, & ſenioribus: & ideo non poteſt inferri, quòd ſicut ibi ſententia Concilij fuit approbata, ſimiliter debeat præponi ſententia Concilij ſententiæ Papæ diſcordantis à Concilio, quia ſi Petrus diſcordaſſet, & non aſſenſiſſet ſententiæ Concilij, non præualuiſſet ibi ſententia Concilij. Ad quintumdecimum ex Matth. 18. reſpondetur, quòd illa authoritas dic Ecclе-

clesiæ, intelligitur de Prælato, vbi agitur de inferiori à Papa,& ita omnes exponunt vbique, & in capitulo nouit de iudic. Et conceditur, quòd quando Papa non est hæreticus, illa authoritas non conuenit personæ Papæ, nec potest in eo habere locum,vt sæpiùs dictum est,& dicit Hostiensf. & alij in c. proposuit de concessio. præben. Quòd ideo est, quia Papa est superior ipsa Ecclesia repræsentata, & ideo per illud potiùs probatur, quòd sententia Papæ debet præferri sententiæ Concilij. Et de intellectu illius authoritatis, latè in illo articulo quis sit maior vtrùm Papa, an Concilium.

152 Ad sextumdecimum dicendum, quòd loquitur in causa fidei, quando Papa est hæreticus, & amisit dignitatem Pontificalem.

Ad illud quòd quando caput est languidum, & discrepat à membris, licet illud cauterizare, respondetur quod modicum facit ad propositum, quia illud intelligi debet, quando indigeret cauterizatione, & esset talis ęgritudo,per quam totum corpus destrueretur si illud non fieret, hoc autem non contingit in Papa, nisi tantùm in casu hæresis: licèt enim aliàs committat tale quid, per quòd scandalizatur Ecclesia, non est tale delictum inPapa,propter quòd possit deponi; nec tale quid propter quod possit ab eo recedi, vt supra dictum est, sed magis esset ei resistendum de facto. Et quando sententia Papæ non est fundata in aliqua ratione, dictum est in supradicta distinctione, in ijs, quæ sunt fidei præferendam esse sententiam Concilij iudicio discretiuo: at nos non loquimur, quando Papa est hæreticus, vel scandalosus vniuersali Ecclesiæ, sed quando est catholicus & eius sententia differt à sententia Conci-

153 lij. Ad decimumseptimum de controuersia super obseruatione legalium ex actorum 15. & ad Gal. 2. respondetur, quòd in eo, in quo Paulus reprehendebat Petrum, bene dicitur quod Petrus non ambulabat ad veritatem Euangelij virtualiter, quia discrepabat à nouo testamento, licèt expresse illud non contineret Euangelium; & ideo ex illo non infertur, quod debeat præferri sententia Concilij sententiæ Papæ, sed magis quod sit resistendum sententiæ Papæ scandalizantis Ecclesiam.

154 Ad decimum octauum respondetur,quod Petrus sæpè ex humilitate consentiebat, & permittebat aliqua fieri per Concilium, sicut quando fuit missus à Concilio, vt legitur act. cap. 8. & in cap. vnico, de sacra vnctione, & dictum est supra in respon. ad 10. contrarium. Sæpè enim Petrus communicabat cæteris Apostolis,quod potuisset solus facere, vt patet act. capitulo tertio. Item respondetur, quòd licèt Petrus propria voluntate voluerit se purgare, non per hoc notatur,quod maior sit sententia Concilij, sicut patet in Leone Papa, vt est text. in cap. auditum 2. quæst. 4. Ad deci-

155 mumnonum respondetur, quòd si loquimur in iudicio auctoritatis, siue potestatis iurisdictionis, ex quo isto iudicio nullum reperitur maius, vt in cap. patet 8.quæst.3. Papa præferendo se in authoritate huius iudicij omnibus alijs fidelibus, qui siue sint congregati, siue non, eius sunt oues, quia in illa potestate data Petro pasce oues meas,non est distinctum inter has,vel illas, vt in extrauaganti vnam sanctam,& in cap. solitæ de maior. & obed. non per hoc præfert se vniuersali Ecclesiæ, quæ est corpus cum capite suo, sed bene præfert se vniuersali Ecclesiæ, prout vniuersalis Ecclesia nominat corpus vniuersitatis fidelium subditorum ipsi Christi vicario. Tùm quia si loquimur de iudicio discretionis, si etiam Papa in aliquo casu, vel aliqua materia præfert iudicium suum iudicio aliorum existentium in Concilio, non per hoc existimat vniuersalem Ecclesiam posse damnabiliter errare. Tùm quia quando Papa catholicus discrepat à Concilio, non dicitur Concilium repræsentare vniuersalem Ecclesiam, ex quo non est perfectum Concilium sine capite,vt 17.dist. multis. Tùm etiam quia licèt vniuersalis Ecclesia non possit errare, vt in cap. pudenda, & in cap. à recta 24.quæst. 1. non sic est in Concilio, quod reperitur pluries errasse, vt de Ephesino secundo, & Ariminensi supra dictum

156 est. Tùm etiam quia non omnis error est damnabilis, aut obuius sanctitati, cùm Ecclesia in multis fallat, & fallatur, vt in cap. à nobis el. secundo de sentent. excom. & tamen hoc non derogat sanctitati militantis Ecclesiæ; & sic non peccat in articulum fidei,& vnam Sanctam catholicam Ec-

157 clesiam. Ad epistolam Concilij Aphricani respondetur, quòd potiùs illa innuit contrarium, quòd sententia Papæ præferatur, cùm Concilium supplicat Papæ. Et cum infertur, quod non est verisimile,quod Deus magis vnicuilibet, inspiret iustitiam quàm omnibus sacerdotibus in Concilio congregatis, satis responsum est supra in solutione ad primum contrarium &c. Ad capitulum puto secunda quæst. septima re-

158 spondetur, quòd per argumen. à contrario concludit contrarium in alijs, quàm in articulo fidei. Nam cum arguit, quòd Petrus, qui tenebat principatum Apostolatus fuit reprehensus à Paulo, & quod sententia Pauli fuit prælata, & sic quod Petri, quia erat vnus etsi summus, sententia fuit correcta: sicque multò minùs vnius Episcopi, vel Prouincialis Concilij sententia debet pręferri iudicio Concilij vniuersalis, respondetur quòd correctio Petri facta per Paulum, fuit super articulo fidei, quia agebatur de obseruatione legalium; & ideo etiam in hoc potuisset sententia Concilij vniuersalis, præferri sententiæ ipsius Petri, vt supra actum est: in alijs autem,quę non sunt fidei secus, quia Petrus habebat principatum. Et sic argumentum illud Augustini ab exemplo Pauli, qui reprehendit Petrum, conuenit tantùm in articulo fidei, in quo vel vnius Episcopi, etiam si Romanæ Ecclesiæ, vel vnius Prouincialis Concilij iudicium non erit pręferendum iudicio vniuersalis Concilij, nec posset contra illud, quod iam, per vniuersale Concilium statutum, & firmatum esset, contrarium disponere, & maximè quia text. loquitur in articulo iam firmato per Concilium vni-

uersale. In alijs autem cùm exemplum de Petro, & Paulo non conueniat, videlicet in ijs, quæ non essent de articulis fidei, cùm tex. dicit vel vnius Episcopi authoritati, non potest intelligi de Episcopo Romanæ Ecclesiæ, & sic de Papa, sed de alijs inferioribus Episcopis. Et hæc expositio conuenit rubro ibi posito per Gratianum. Sed
159 pone, quod Papa in fraudem facit aliquos Episcopos titulares ad hoc, vt vel stetur sententiæ suæ, vel eo casu, quo esset propter hæresim abijciendus, vt impediat Concilium. Dic quòd isti tales Episcopi poterunt per Concilium excludi, argumen. ff. de eo, quod certo loco l. non vtique. & glos. 40. distin. si Papa. Et idem esset, si de nouo erigeret plures Ecclesias cathedrales, quas eo casu, quo tractaretur de hæresi Papæ, forte non posset erigere ante absolutam quæstionem, argum. l. de statu. ff. de testam. & glos. in §. fin. institut. quibus est permis. facere testamentum, l. 1. in princ. ff. de leg. tertiò. Faciunt quæ dicuntur in cap. inter dilectos, de exces. Prælat. & in cap. accedens de accusat.

SVMMARIVM.

1 *Concilijs pluribus discordantibus, vel etiam Patribus concilij, cui parti sit adhærendum.*
Et quid in concilijs generalibus, & quid in particularibus num. 7.
2 *Præualet id, quod à maiori parte fit.*
3 *Conciliorum sententiæ si sunt contrariæ, standum est illi, cuius antiquior, & potior extat auctoritas.*
Et quomodo intelligatur potior, & antiquior, ibid.
4 *Canon ille tenendus est, quem Sedes Apost. approbauit.*
Et cæteris paribus standum est illi, qui melioribus, & efficacioribus rationibus innititur, ibid. & num. 6.
5 *Grauitas personarum æquipollet ampliori numero ex aduerso consistenti.*
8 *Concilia generalia si discordant in materia fidei, quod absit, standum est antiquioris sententiæ, siue sententiæ prioris, si tamen illud habuerit requisita, de quibus ibid.*
9 *Fides est simplex, & incommutabilis.*
10 *Spiritus postulat, ista verba quomodo intelligantur.*
11 *Concilium Ephesinum primum, & secundum contraria, concordata per Chalcedonense.*
12 *Concilia declarare dicuntur alia concilia.*
13 *Concilia si discordant circa ea quæ sunt iuris positiui, cui magis standum.*
14 *Priora sæpe à posterioribus emendantur: modis, de quibus ibid.*
15 *Clerici fornicarij dispositio moderata.*
16 *Concilium vniuersale, & prouinciale si discordent in materia fidei, cui standum.*
Et quid si discordent in alia materia, quàm fidei, num. 17.
18 *Canon generalis non extenditur ad res, vel loca, in quibus specialiter est prouisum.*
19 *Concilia prouincia, siue particularia si discordent inter se, cui standum.*
Et quid in celebratis in diuersis Prouincijs, in materia fidei discordantibus.
Et in celebratis in eadem Prouincia, nu. 22.
Et quid si non apparet, quod sit prius, quod posterius, num. 23.
Et quid si sententiæ sunt contrariæ, & vna recipitur à pluribus, alia à grauioribus, cui standum, num. 24.
Et quid quando prima est generalis, secunda specialis, vel è contra.
Et quando secunda tollat primam, & quando limitet.
Et quid quando sunt à diuersis, vel ab eodem.
Et quid quando adsunt clausulæ derogatoriæ, vel non.
Et quid quo ad statuta contraria, ibid.
20 *Raptorem post peractam pœnitentiam posse matrimonio copulari cum rapta ex Concilio Melden. contra Aquisgran.*
21 *Causas fidei quis possit definire.*
25 *Patribus in Concilio diuersas sententias habentibus, cui standum sit.*
Et standum illi, quæ habet affinitatem, cum allàs definitis in sacra pagina: ibidem.
In Concilijs generalibus non semper attenditur maior pars numero, sed sanior, ibidem.
26 *Maioritas numeri in concilijs attenditur quando concurrit sanioritas.*
Sed an sufficiat maioritas numeri, & an illi semper stetur, num. 27. & num. 42. & in dubio maior numero præsumitur sanior num. 44. Auctoris opinio, num. 45.
Vbi pro & contra remissiuè.
Compostel. opinio, aut agitur de gerendo actum, aut de impediendo, ne actus fiat. num. 27.
28 *Reprehenditur Dom. in cap. Nicena 31. dist.*
29 *Cap. Nicena 31. dist. plures intellectus.*
30 *Continentia suaderi, imperari autem non potest.*
31 *Vniuersitas si faciat statutum derogans iura singularũ personarum requiritur consensus omnium, nec sufficit consensus maioris partis.*
32 *Maior pars vniuersitatis, an possit imponere onus grauans singulos de vniuersitate.*
Et distinguitur, an ex causa necessaria, vel voluntaria, ibid.
33 *Contradictio vnius impedit relaxationem banni, vel pœnæ.*
Et ibi plura similia.
Et vnus cum iustitia potest impedire vniuersos, num. 35.
34 *Contemptus potest agere de contemptu ad retractandum actum, & illius solius contradictio hoc operatur ratione cõtemptus.*
36 *Factum à maiori parte quod valet fallentias remissiuè vide ibid.*
Et quod valeat etiam in Concilijs vniuersalibus, num. 39. Alias fall. vide num. 40.
37 *Innoc. in cap. in nostra de iniurijs declaratur.*
38 *Cap. 1. de his quæ fiunt à maiori par. cap. intellectus, & ad glos. ibi in verbo constitutum, num. seq.*
41 *Papa mandante electionem fieri concorditer, an vno contradicente dicatur satisfactum mandato.*
43 *Gloss. in cap. Ecclesia el 2. de electione intellectus.*

46 In

ARTICVLVS III.

1 VLteriùs quæro si est contrarietas inter diuersa Concilia, vel Patres in Concilio existentes sunt discordes inter se, cui parti sit adhærendum. Et videtur quod standum erit maiori parti, quia existentes in Concilio sunt ibi vt vniuersitas, ideo
2 præualet quòd fit à maiori parte, vt in cap. 1. de ijs quæ fiunt à maior. part. cap. l. quòd maior. ff. ad munic. l. aliud, §. refertur, ff. de regu. iuris 65. distin. capit. 1. 2. & 3. Ita dicit Abb. Sicul. in cap. 1. tertio notabili de pactis.
3 Latiùs potest dici quòd interdum sententiæ sunt contrariæ in diuersis Concilijs generalibus, & tunc illius Concilij debet teneri sententia, cuius antiquior, & potior extat authoritas 51. dist. cap. Domino sancto in fin. Et intelligo potiorem dignitate, & authoritate, & non quòd tantùm sit antiquior tempore, quia tunc sententia recentioris Concilij esset seruanda secundùm Hugonem ibi & refert ibi etiam Domin. Facit quod in simili dicit text. in cap. in Canonicis 19. dist. vbi dicitur quod
4 in canonibus illa sententia, & ille Canon tenendus est, quem Sedes Apostolica approbauit, & si aliqui Canones sint, qui sunt recepti ab omnibus Ecclesijs, præponantur illis quos quidam non receperunt eis verò, qui ab omnibus non recipiuntur, præponas eos, quos plures, grauioresque recipiunt. Quod intellige dummodò æquali rationi innitantur, aliàs autem standum foret illis qui meliori, & efficaciori rationis inhærent, etiamsi essent minoris authoritatis, vel à paucioribus recepti secundùm Hug. in dict. cap. in Canonicis, l. 1. §. sed quia. C. de veteri iure enucle. cap. 1. de ijs, quæ fiunt à maiori parte capituli. Facit, quòd dicitur, quòd electionibus non tantùm maioritas numeri requiritur, sed & sanioritas, vt in capitulo, quia propter
5 cum similibus, de electione. Vnde fit quòd grauitas personarum æquipollet ampliori numero ex aduerso consistenti. Vnde dicit Hugo in dict. cap. in Canonicis, quod si Papa statuit contra statuta alicuius Concilij, vel Papæ, vel Augustini, vel alterius, præualet eius constitutio, argument. 18. distinct. quoniam quidem, præterquam si statueret contra articulos fidei, vel contra præceptum alterutrius testamentorum, vel contra generalem statum [illegible] clesiæ, contra quæ Papa statuere non potest: nisi declarando, vt in cap. sunt quidem 25. quæst. 1. Diximus supra, quando Papa possit tollere constitutiones Conciliares, vbi vide vtrùm declarando. Vndè Leo Papa ostendens in similibus non attendendam tantùm numerositatem, sed potiùs authoritatem, scribens Anatholio Episcopo dicit; nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur, neque trecentis illis, & 18. Episcopis quantùmlibet copiosior numerus Sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre cùm tantò diuinitùs priuilegio Nicena sit synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitùs authoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit consti-
6 tutione diuersum. Vnde patet quod non sufficit, quod sit maior numerus, nisi sit potior, & dignior authoritate, & melioribus innitatur rationibus. Et idem sentit idem Leo scribens Episcopis in Chalcedonen. synodo congregatis. Idem etiam Nicolaus Papa in epistola ad Michaelem Imperatorem, vt habetur in 8. synodo contra Photium, & suos qui arguebant depositionem Ignatij factam cum Episcopis, quot fuissent in Niceno Concilio. Respondet enim, nos quidem non numerosum tantùm sanctorum Episcoporum Collegium Niceni, vel Chalcedonen. Concilij, cæterorumq; sanctorum Patrum synodicas sequi-

constitutiones sequimur, sed eorum libera-
les venamur iustas, & diuinitùs inspiratas
sententias, & non tantùm pro suorum mul-
titudine obseruatur à nobis, quia reuera
multi in personis fuere, sed in validissimis
sententijs eos perpendimus plures.
7 Vnde sequendo dicta Card. & Alexand.
post eum in dict. cap. Domino sancto, quæ
in effectu eadem sunt, quæ ponit idem
Card. in tract. de potest. Papæ lib. 3. c. 63.
& idem ipse Card. in dict. cap. Domino
sancto dicendum est, quod aut loquimur
in Concilijs vniuersalibus, aut in particu-
laribus, siue prouincialibus. Si de vniuer-
salibus, tunc aut inter se, & consideran-
dum est an discordia inter illa sit in mate-
ria fidei, an in alijs statutis positiuis per-
tinentibus ad bonum regimen Ecclesiæ, &
ecclesiasticam disciplinam. Primo casu
8 in materia fidei si discordia inueniretur
inter Concilia vniuersalia, quod non
credimus, standum esset sententiæ anti-
quioris, siue prioris Concilij, dum ta-
men fuerit vniuersale, plenarium, & Ro-
mani Pontificis approbatione fulcitum, &
roboratum. Cùm tale Concilium in fide,
stante diuina assistentia errare non possit,
quia Christus orauit pro Ecclesia, vt supra
dictum est ex Luc. 22. cap. & cap. à recta,
& cap. pudenda 24. quæst. 1. iuxta illud
Saluatoris quodcumque petieritis Patrem,
&c. cui præmittitur, si duo ex vobis con-
senserint super terram, &c. iterum vbicum-
que duo, vel tres congregati fuerint in no-
mine meo, ibi ego sum in medio eorum,
vt in cap. audiuimus ead. causa, & quæst.
& iuxta illud Matth. vltim. ego autem vo-
biscum sum vsque ad consummationem sę-
9 culi. Et cùm fides sit simplex, & in com-
mutabilis, vt ait August. & Leo Papa, non
potest sequens Concilium priori in veri-
tate fidei aduersari, nisi alterum ipsorum à
veritate fidei deuiaret, quia à vero non nisi
falsum dissonat. Aut ergo controuersia
vera non est, quod magis credendum est,
aut aliquod illorum catholicum non est
quòd magis de posteriori præsumendum
esset, ex quo primum totius Ecclesiæ ac-
ceptatione approbatum esset, quod si in
eo statuta vera non fuissent, nullatenus
Deus permisisset approbari, quia vniuer-
salis Ecclesia non potest errare, vt dictum
est, quia à Spiritu sancto fulciri, & moue-
10 ri ad postulandum censetur, iuxta illud
Apostoli Spiritus postulat: idest postulare
facit, & Spiritus impetrat, vt dict. cap.
audiuimus, & text. in cap. violatores 25.
quæst. 1. ibi & à sancto Spiritu instinctu
11 cuius, ac dono dictati sunt, &c. Ad quod
patet exemplum de Concilio Ephesino I.
in quo Nestorij impietas est reprobata,
cuius Concilij gesta approbata fuerunt, vt
in capitulo sicut 15. distin. & in cap. san-
cta octo 16. distin. & de Ephesino Secun-
do, quod definiuit contraria, & fuit re-
probatum per Concilium Chalcedonen.
Vnde sanctus Thom. in 4. contra gen. c. 25.
12 dicit quod cum dicitur in Chalcedonen.
Concilio, quod Patres apud Constantino-
polim congregati doctrinam Nicenę syno-
di roborauerunt, non est intelligendum
per modum additionis, quasi aliquid mi-
nus esset inferentes, sed per modum decla-
rationis, ea, quæ de Spiritu sancto dicta
sunt contra eos, qui eum Dominum re-
spuere tentauerunt, scripturarum testimo-
nijs roborantes, vnde & beatus Hilarius
lib. 5. de synodis in defensione synodi
Chalcedonensis, contra quosdam crimi-
nantes eamdem synodum, quia aliqua vi-
debatur addidisse, quæ non erant in Nicę-
no Concilio, ita dicit nescientes regulam,
& consuetudinem Conciliorum sic noua
posterioribus, concilijs prout necessitas
emergentium hæresum exigit sanxisse de-
creta, vt tamen illæsa permaneant, quæ
dudum antiquioribus Concilijs contra
veteres hæreticos fuerunt promulgata: nam
si post Nicęni Concilij statuta nihil am-
pliùs liceret recipere, qua authoritate
Spiritum sanctum vnius gloriæ cum Patre
auderemus asserere, quod ibi constat om-
niuo tacitum fuisse. Si verò Còncilia re-
13 periūtur dissonantia, & contraria circa ea,
quæ sunt iuris positiui, circa regimen hu-
manæ vitæ, aut disciplinam Ecclesiasti-
cam, magis standum videtur posteriori-
bus, l. non est nouum, ff. de legibus, cap. 1.
de cognat. spirit. quia eorum materia est
variabilis, cap. non debet de consang. &
affin. sæpe enim priora suplentur mode-
14 rantur, & corriguntur. Vnde August. in
lib. 2. de baptis. contra Donatistas dicit,
sæpe priora à posterioribus emendantur,
cum aliquo rerum experimento aperitur,
quod clausum erat, & cognoscitur quod
latebat, sine vllo typo sacrilegę superbiæ,
sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine
vlla contentione liuidæ inuidię, sed cū san-
cta humilitate, cum pace catholica, cum
charitate Christiana. In talibus ergo non
habet locum antiquitas, quoniam aliqua
superioribus temporibus erant conuenien-
tia, quæ nostris valdè inconuenientia fo-
15 rent, & dispendiosa. Sicut patet in Ca-
nonibus Apostolorum, circa dispositio-
nem de clerico fornicario, cuius pœna erat
depositionis, hodie autem est mitigata per
Gangren. Concilium, vt 82. dist. cap. pre-
sbyter. Similiter de Concilio Nicęno, vbi
Sedes Alexandrina habebat primum locum
post Romanam Ecclesiam, & per Conci-
lium Constantinopolitanum sextum, Sedes
Constantinopolitana est pręposita Alexan-
drinæ, vt in capitulo renouantes, 22. dist.
dicitur, & in capitulo antiqua de priui-
16 leg. Si verò loquimur de vniuersalibus
Concilijs in comparatione ad prouincia-
lia, siue particularia, tunc si discordia est
inter generale Concilium, & prouinciale, &
est discordia in materia fidei semper, præ-
ferenda est sententia Concilij generalis, si-
ue illud sit prius, siue posterius, vt in ca-
pitulo submittitur 21. dist. & ponit san-
ctus Augustinus in lib. 2. de baptis. contra
Donatistas, ibi, & ipsa concilia, quæ per
singulas regiones, vel prouincias fiunt,
plenariorum Conciliorum authoritati, quę
fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vl-
lis ambagibus cedere. Et infra loquendo
de Cypriano inquit, si autem Concilium
eius attenditur, huic est vniuersæ Ecclesiæ
poste-

posterius Concil. præponendum, cuius se membrum esse gaudebat: nam, & Concilia posteriora prioribus apud posteros sunt præponenda, & vniuersum partibus sem-
17 per optimo iure præponitur. Si verò discordia inter generale Concilium, & prouinciale sit in alia materia, quàm fidei, vt quia in ijs, quę spectant ad disciplinam Ecclesiasticam, dicendum est quod in loco suo standum est sententiæ, siue statutis concilij prouincialis si sit antiquius, quàm illud Concilium generale, nisi in Canonibus Concilij generalis posterioris contineatur clausula derogatoria prioribus localibus, dum tamen statuta prouincialia
18 sint rationabilia. Et ratio est quia canon generalis non extenditur ad res, vel loca, in quibus specialiter, est prouisum, l. sanctio legum, ff. de pœnis, cap. 1. de constit. in 6. Si tamen statuta Concilij prouincialis fierent post Concilium generale, non valent quatenus sunt contraria statutis in Concilio generali, per id quod habetur in capitulo, quòd super ijs de maiorita. & obed. & cap. cùm omnes de constitutionibus.
19 Si verò loquimur de Concilijs prouincialibus siuè particularibus inter se tunc, aut loquimur de celebratis in diuersis prouincijs, aut de celebratis in eadem prouincia successiuè. Et primo casu in materia fidei illud est præferendum, quod authoritati sacræ scripturæ, aut sanctorum Patrum innititur, probatur ex capitulo placuit cum
20 gloss. 36. quæst. secunda vbi statur determinationi Concilij Melden. dicentis, quòd raptor potest post peractam pœnitentiam sibi Matrimonialiter copulare puellam raptam, & non Concilij Aquisgranen. dicentis contrarium. Et hoc quia sententia Concilij Melden. conformis est sententia diuinæ legis, vt patet in capitulo tria eadem causa, & quæstione; vbi sententia Hiero. ideò præfertur, quia roboratur authoritate diuinæ legis, & authoritate Melden. Concilij, vt dicit ibi gloss. in capitulo si autem, eadem causa, & quæstione, secundùm Alexan. in dicto capitulo domino sancto. Sed ista iura modicum faciunt in proposito nostro, quia loquimur in Concilijs prouincialibus, & particularibus. Concilia autem illa fuerunt generalia circa concernentia disciplinam Ecclesiasticam quo casu illud Concilium debet præferri, quod iuuatur authoritate veteris, vel noui testamenti, vt in capitulo de libellis, ibi gloss. 20. distinctione quæ allegat, dictum capit. tria, & cap. placuit 36. quæstione secunda. Et quod illa fuerint Concilia generalia, apparet quia quando Doctores dicunt, quod generalia Concilia aliquando errauerunt, adducunt iura prędicta, in capitulo significasti de electione. Præterea
21 causas fidei nullus potest definire nisi sedes Apostolica, aliquando sine, aliquando cum Concilijs generalibus, quando dubium esset maximum, vt patet in capitulo maiores de Bap. & vigesima quarta quæstione prima quoties nam istud est de reseruatis Principi, vt vide gloss. & Docto. in capitulo, quod translationem, de offic. legati. Et ideò, non videtur ista bona distinctio quando inter Concilia particularia est discordia in articulis fidei, sed probant illa iura potiùs, quod quando est discordia inter generalia, & agitur de ijs, quæ concernunt Ecclesiasticam disciplinam, illius sententia præfertur, quæ innititur decisioni sacræ scripturæ, quod & voluit illa gloss. in dicto capitulo de libellis, vigesima distinctione. Et istam conclusionem ipsemet Alexand. ponit in sequenti membro, cum dicit, si verò discordia sententiarum sit circa alia, puta regimen vitæ, & disciplinæ Ecclesiasticæ, sit ista conclusio sexta, quod vtriusque Concilij sententia habebit vigorem in, loco, siuè Prouincia sua, licèt sint contrariæ, dum tamen non sint contra ius naturale, aut diuinum, & sic illius erit tenenda sententia, quæ innititur authoritati iuris diuini, & sacrarum scripturarum allegat cap. illud, 12. distinct.
22 Si autem sententiæ sint Conciliorum eiusdem prouinciæ, tunc sententiæ posterioris Concilij est standum, quia secunda constitutio tollit primam capitulo primo de constitutio. in sexto l. sed & posteriores, ff. de legibus, & in capitulo cum in, & in capitulo cùm omnes, de constit. ponit Bartol. in extrauaganti ad reprimendum, in verbo non obstantibus. Si autem non apparet
23 quod sit prius, vel posterius, aut præstantioris authoritatis, illa sententia erit sequenda, quæ est maioris pietatis, & misericordiæ, nona distinctione, capitulo sana, secundùm eundem Alexand. Posset addi,
24 & alius casus quando sententiæ sunt contrariæ, & vna recipitur à pluribus, & alia à grauioribus. Et tunc dicit tex. in capitulo in Canonicis, æqualis tamen authoritatis eas habendas puta, de pluribus legibus, & constitutionibus contrarijs loquens. Et quando secunda tollat primam, & quando limitet, & quid quando prima est generalis, secunda verò specialis, vel è contra, vide Bartol. in extrauaganti ad reprimendum, in verbo non obstantibus, & Doct. maximè Domi. in capitulo primo, de constitu. in sexto. Et ibi quid de extrauaganti ad ius, & quid quando sunt à diuersis, vel ab eodem, & quid quando adsunt clausulæ derogatoriæ, vel non, & in capitulo primo, de excessibus Prælator. in sexto, in l. fin. C. si contra ius, vel vtili. publi. Et quid quo ad statuta contraria, ibi Domi. & de statutis Bar. in l. omnes populi. ff. de iustitia, & iure, & Domi. ibi in dicto cap. primo. Cyn. in l. secunda, Cod. de testam. tute. Bartol. in l. Gallus, in §. quidam rectè, in fi. ff. de lib. & posthu. & Domi. in cap. primo, de iureiur. in 6. & in pluribus, alijs locis.
25 Interdum sententiæ sunt diuersæ inter Patres in Concilio existentes. Et tunc dicendum est, quod aut materia super qua est controuersia inter Patres, habet concomitantiam, vel affinitatem cum aliàs definitis in sacra pagina, & illorum sententia est pręferenda, quæ innititur authoritati sacrarum scripturarum, & Canonum, quamtumcunque alia pars esset maior numero, quia non est sanior, nec semper in Concilijs generalibus attendi debet maioritas numeri. Et hoc probat ille tex. in dict. capitulo

pitulo domino sancto, per argu. à minori. 50. dist. facit, quod dicitur in capit. 1. de ijs, quæ fiunt à maio. par. cap. & cap. quia propter, & in cap. Ecclesia, el secundo, de elect. & bonus tex. in proposito in capitu. Nicena. 31. dist. Et patet exemplum de Ariminen. Concilio, vbi cum inter patres numero 830. fuisset dissensio, & maior pars esset in errore, vt patet ex historijs, non fuisset consultum stare decisioni maioris partis. Vndè, & Damasus Papa scribens Episcopis per Illyricum constitutis dicit. nec enim præiudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat nec Romanum Episcopum, cuius ante omnia decebat expectare decretum, nec Vincentium, qui tantis annis Episcopatum inuiolabiliter custodiuit, nec alios talibus præbuisse assensum. Et idem patet in Concilio Ephesino secundo, & pluribus alijs Concilijs, quæ errauerunt, in quibus maior pars, declinabat à vero. Et
26 per hoc patet, quod in actibus Conciliaribus attenditur maioritas numeri, quando cum maioritate numeri concurrit sanioritas; esset enim valdè absonum, quod vbi appareret euidens ratio veritatis, staretur multitudini contrarium asserenti, nec semper arguendum est à multitudine, & ideò Ioannes Chrysostomus arguens Iudæos, qui conuenerant, vt multitudine vincerent, quem ratione superare non poterant, ait, à veritate se nudos professi sunt, qui se multitudine armauerant. Et ideò vbi non esset, nisi solus numerus, si ex contrario appareret de euidenti ratione veritatis, illa attenderetur, Et licèt Ioan. Andr. in dicto capitulo Ecclesia il secundo in materia electionis voluerit, quod requiratur maioritas, & sanioritas, quicquid dixerit gloss. in dicto capitulo in Canonicis, quæ voluit, quod in electionibus semper numerus præiudicet, licèt maior sit dignitas, & maius meritum ex parte altera, tamen sola sanioritas non sufficit sine maioritate numeri in electione secundùm Io. Ant. Et sic erit differentia in hoc quo ad Concilia. Archi. in capitulo Nicena 31. distinctione allegat prò & contra, & quod sufficiat solùm maioritas numeri, allegat capitulum primum secundum, & tertium distinctio. 65. Sed quod non semper stetur maiori parti, allegat dictum capitulum Nicena, & cap. Ecclesia el secundo, de election. Et soluit dicendo, quod licèt regulariter stetur maiori parti in omni dispositione, vel ordinatione vniuersitatis, in authoritatibus sanctorum, in datione tutoris, in remissione facienda à creditoribus, & similibus, intelligendo maiorem partem, eam, quæ maiori ratione, & pietate ducitur, vt dist. 19. sana, & 40. dist. multi, in fin. tamen in dubio præsumitur pro pluribus 61. dist. nullus, nisi specialiter probetur contrarium, in capit. dudum, & capitulo congregato de elect. Et sic videtur, velle quod illa dicatur maior pars, quæ maiori ratione, & pietate ducitur, & hanc dicit fuisse opinionem Tancredi, & Philippi in capitulo primo de ijs, quæ fi. maio. parte capituli.

Et hanc opinionem tenet Compostel. in d. cap. Ecclesia secundùm quod refert Do-
27 mi. in dicto capitulo Nicena. Qui finaliter dicit quod si agitur non de gerendo actu, sed de impediendo, ne actus fiat per vniuersitatem, tunc quantum ad impediendum sufficit contradictio minoris partis, immò vnius solius magis rationabilem causam assignantis, quàm assignet maior pars, vt dicit esse casum in dicto capitulo Nicena, & in d. capitulo primo, de ijs, quæ fiunt à maiori parte capituli. Si autem agitur de actu gerendo ad finem, vt valeat, tunc sequendo glos. in capitulo cùm omnes de constit. distinguit, quod aut spectat ad plures vult singulos, & tunc requiritur omnium consensus ff. de serui. rusti. prædi. profundum. Aut spectat ad plures non tamen, vt Collegium, sicut contingit in pluribus Patronis vnius Ecclesiæ, & tunc requiritur maior pars non respectu omnium habentium ius, sed respectu aliorum partium, quæ essent minores, vt notant Doct. in cap. quoniam de iurepatr. & in cap. Ecclesia de elect. Aut spectat ad plures, vt Collegium, & tunc requiritur maior, & sanior pars, vt patet in d. cap. Ecclesia el 2. Fallit in elect. Papæ, vbi duæ partes requiruntur, vt in capitulo licèt de electione.
28 Sed si rectè consideretur istud quod dicit Domi. quod quando agitur non de gerendo actu, tunc contradictio vnius cum ratione sufficit, nihil est, quia nunquam est dare contradictionem in tractandis in
29 Collegio, quin agatur de gerendo aliquo actu, & propterea Doct. in cap. cùm olim de cler. coniug. dant alios intellectus ad capitulum Nicena, quod ad istud propo-
30 situm allegat ipse. Et inter cætera dicunt quod ideò Papa etiam cum maiori parte Concilij non potuit indicere continentiam Ecclesiæ Orientali, ipsa reluctante, quia continentia est res, quæ potest suaderi, imperari autem non 30. quæst. prima capitulo integritas. Nam erat inducere vitam valde arctiorem, & strictiorem ipsis clericis promotis, contra notata in cap. gesta 74. dist. & regula quod omnes tangit in sexto de regul. iuris. Et ideò bene dicit text. in d. cap. cum, olim quod Ecclesia orientalis non admisit votum continentiæ, quia noluerunt, renunciare iuri suo, nec se obligare illi voto, neque expresse, neque tacitè approbare legem illam Nicæni Concilij de qua in d. cap. Nicena, & cap. aliter 31. distinctione. Pro hoc facit quod dicit Domi. in cap. ab exordio 35. distinctione quod licèt clericis iam promotis non possit superior indicere asperiorem vitam eis inuitis, vt habetur in cap. proposuisti 82. dist. & regula quod omnes, tamen si indicit statum asperiorem redeundo ad statum antiquum à quo erant collapsi, non requiritur consensus omnium, vnde sequitur quod in cap. Nicena, vbi non erat redire ad statum antiquum, ex quo volebant indicere vitam asperiorem requirebatur consensus omnium. Et vide in proposito quod notatur per Innoc. in cap. super eo de regularibus, & dictum Ant. Ioan. de Immo. & Abb. Sicul. post Hostien. in cap. cùm dilecti

lecti, quod metus causa, & Archid in cap. gesta 74. dist. & Lapum allegatione 85. in prima col um.

31 Et ideò vbicumque vniuersitas vult facere statutum derogans iuri singularem personarum, requiritur consensus omnium & non sufficit consensus maioris partis. Et ita consuluit Ange. in consil. 270. inci-
32 pit visis, & examinatis, de quo dicetur infra. Et facit ad quæstionem vtrùm maior pars vniuersitatis possit per impositionem oneris grauare singulos de vniuersitate, de quo per Bart. Immo. & Ludou. in l. quarta §. actor. ff. de re iudic. & gloss. in l. aliud §. refertur ff. de reg. iu. & Bart. in l. secunda C. quæ sit longa consu., & in leg. etiam C. de execut. rei iudic. Et videtur concludi; si sit ex causa necessaria, quod possit, secus si ex causa voluntaria, de quo vide Felin. in cap. cùm dilecta in 43. colum de rescript. Similiter quando fieret actus in fauorem personarum non imminente necessitate, sed ex sola voluntate, secundùm Ioan. Andr. in cap. vnico de rerum perm. in 6. & glos. Innoc. Host. Ioan. Andreæ, Ant. & Ioan. de Immol. in capitulo cùm omnes de const. & idem Ioan. Andr. in regula quod omnes in 6. Ex quo infert d. Ant. in d. cap. cùm omnes quod contra-
33 dictio vnius impedit relaxationem banni, vel penæ, quia tales, & similes actus non sunt necessitatis. Inde etiam Innoc. in cap. humilis, in 2. colum. de maior. & obed. dicit, quod non valet transactio capituli, nisi omnes consentiant, cum sit actus voluntarius, nisi euidenter tenderet in vtilitatem Ecclesiæ. Inde etiam Compostel. quem refert, & sequitur ibi Abb. siculus, in 2. colum. in cap. cùm Vintoniensis de elect. dicit, quod vbi agitur de admittendo ad vocem in capitulo vnum extraneum, vnus solus impedit voluntatem aliorum. Item
34 contradictio vnius tunc impedit quando est cum contemptu, quia tunc plus operatur contradictio illius contempti, quàm pro uisio plurium, vt in cap. bonæ, el 2. de electione. Nam contemptus potest agere de contemptu ad retractandum actum, vt in cap. quod sicut de elect. ponit Ioann. de Immol in cap. 1. in princ. notabili de ijs, quæ fiunt à maior. par. cap. Fateor tamen quod vbicumque minor pars in actibus collegialibus fundaretur ratione, posset impedire decretum maioris partis. Et hoc not. Ant. in d. cap. 1. & idem Io. de Imola ponendo exceptionem ad regulam, quando factum à maiori parte valeat, quia facilius actus gerendus impeditur à minori parte, quàm efficiatur, vt aliquid statuatur. Et ideò quando minor pars allegat rationabilem causam, cur aliquid nō debeat fieri, impedit ne actus fiat, vt dicunt Doct. in
35 d. cap. 1. vnde dicit Bald. in cap. fin. de præsumpt. quod vnus cum iustitia potest impedire vniuersos; allegat Archid. in cap. Episcopum 61. dist. Et idem quod dicit Archid. dicit, & Domi. in d. cap. Nicæna. Et quod dicitur quod factum à maiori parte valet, intellige quando agitur de actu gerendo nouiter, sed secus si agatur de actu gesto refirmando, puta si fortè semel Concilium elegisset aliquem in certum casum, & eo deficiente electio expirasset, & postea iterum vellet eumdem reeligere, quia tunc non posset etiam vno tantùm de Concilio contradicente. Ita notabiliter ponit Ludou. cons. 352. incipit quæritur in 3. colum. Sicut dicitur, quod in refirmando officialem requiritur omnium consensus, & vno de vniuersitate contradicente impeditur actus, in authen. de defenso. ciu. ad fin. & ponit Abb. & Lanfrancus in cap. constitutus de appel. & Iason in l. iuris gentium §. fin. ff. de pac. post Angelum, & Ludou. in rubr. de arbitris. Sic erit in proposito, quod si semel Concilium elegisset, & decretasset, in faciendo contrarium requireretur cōcursus voluntatis omnium, & vnus contradicens, actum impediret, vt
36 dicit Ludou. in d. cons. 352. De quo etiam per Felin. in cap. cùm omnes de constitution. & vbi vide fallentias ad dictam regulam quod factum à maiori parte valeat. Sed huic vltimæ conclusioni videtur obstare quod dicit Abbas, quod etiam si agatur ad destructionem eius, quod fecit vniuersitas, valet quod fit à maiori parte, qui etiam dicit quod iura quæ allegantur quando de eo quod factum est concorditer nemine discrepante dicitur, quod non possit contrarium statui, nisi pariter omnes consentiant, nullo modo probant, id ad quod allegantur, aut quod loquuntur in casibus specialibus, & dicit quod text. in præallegato autenticho, continet casum specialem. Et licèt Abb. & Ludou. fuerint eiusdem voluntatis contra Eugenium, tamen in hoc fuerunt directè contrarij, quia Abb. vult quod maior pars Concilij potuerit reeligere locum in Auenione, non obstante quod Auenionenses cessassent in solutione septuaginta millium aureorum promissorum pro galeis, ex quo ex causa distulerant, vt decretaret Concilium de decima eis danda pro securitate recuperationis dictorum 70. millium, & quia non longa fuerat eorum contumacia. Sed Ludouicus vult quod nullo modo maior pars Concilij, nec omnes vno tantùm contradicente, potuerit reeligere eum locum in Auenione, sed quod debuisset procedi ad electionem alterius loci, sicut fuerat comminatum in decreto priùs facto in euentum cessationis, in solutione dictorum septuaginta millium. Imò quod minor pars potuisset eligere alium locum etiam contradicente maiori parte, quia fecisset se alienam, & ius fuisset deuolutum ad minorem partem, immò etiam ad vnum contradictorem, vt posset alium locum eligere. Quid dicendum in casu ipsorum? Mihi placet opinio Ludouici non obstantibus allegat Abb. quia credo quod Concil. in illo casu non potuisset procedere iterum ad reeligendū locum pro Concilio in Auenione, contradicente minori parte ipsius Concilij, cui erat ius quæsitum eligendi alium locum simul, atque cessatum fuit in solutione, virtute ipsius decreti. Et ad di-
37 ctum Innocentij in cap. in nostra, de iniurijs, respondet ipsemet Ludouicus quod intelligitur quando minor pars non contradicit, cum maior pars contrarium statuit.

Ad capitulum primum, de iis, quæ fiunt à
38 maiori parte capit. dicitur quòd verus est sensus quem ponit Abbas, videlicet quod quantumcumque aliquid sit factum, vel statutum vniuersaliter ab omnibus de vniuersitate concorditer, nihilominus si maior pars vniuersitatis postea statuat contrarium valet, quia refertur ad omnes, quod fit à maiori parte, vt in l. aliud §. refertur ff. de
39 regu. iur. Quæ regula etiam vendicat sibi locum in Concilijs vniuersalibus, vt valeat quicquid fit à maiori parte, vt dicit ipse Abb. & probatur ex statuto Niceni Concilij in capitulo sanct. 65. dist. etiam si tendat ad præiudicium aliquorum, in quorum fauorem erat in prima vnanimi ordinatione. Et in hoc sit, vt ipse dicit maledicta illa glos. credo eum hoc dicere de glos. in verbo constitutum in d. capit. primo, quæ videtur velle contrarium. Sed pro illa glos. allegat Ludou. Bald. in l. veterem C. de auctor. præstan. qui tenet contrarium. Sed ipsemet Abb. in dicta glos. in verbo constitutum, dicit quod illa glos. non loquitur ita generaliter, sicut solet allegari, sed restringit se ad casum, quo statutum concernit præiudicium absentium. Et in hoc dicit eam notandam, quod in præiudicium absentium non possunt præsentes aliquid statuere, licèt duæ partes essent præsentes. Et sic ipsemet sentit, quod maior pars in præiudicium aliorum non sufficit, nam & vocare absentes esset superfluum, nisi eorum præsentia posset impedire statutum in contrarium, & in hoc, videlicet in iure quæsito minori parti, & in præiudicio ipsius, & in vtilitate vniuersalis Ecclesiæ fundat se Ludouicus, & etiam quia agitur de reeligendo locum, quem non poterant reeligere per illum text. in authen. de defensor. ciuil. §. fin. Item & quia schedula, quæ fuerat confecta cùm Aueniouensibus fuit ad concordandum Patres dissidentes, quorum aliqui nolebant venire ad decretationem loci, & aliqui contra, & propterea in schedula dictum est, quod nisi Auenionenses infra certum tempus soluissent pro galeis mittendis in Græciam dicta 70. millia, Concilium deberet procedere ad nouam electionem loci, ex quo fuerat quæsitum ius illis volebant eligere nouum locum. Quinimmo ipse idem Abb. inter cætera fundans se super iure quæsito Auenionensibus, quibus fuerat intimatum quod Concilium elegerat locum in Auenione, & Auenionenses acceptauerant, & ad multa se parauerant, vult quod propterea non poterat Concilium illam loci electionem reuocare, seu illos ad tam angustum tempus astringere ad soluendum tantam quantitatem pecuniarum sine quacumque competenti cautela. Allegat Bartol. in l. qui absenti ff. de acquirenda possessione, & Doct. in capitulo prima de concessione præben. Et propterea verior videtur opinio Ludouici in illo casu, quam etiam repilogat Petrus de Monte in responsionibus factis, per eum ad Abbat. in 20. char. in versic. multùm deuotè &c.

40 Sed quicquid sit, ex his possunt colligi plures limitationes ad regulam quod factum à maiori parte teneat. Et primò quando agitur de iure finito renouando in alterius præiudicium, dict. §. fin. Item quando agitur de negotijs multùm arduis, quia non sufficerent duæ partes præsentes in præiudicium alterius partis absentis, vt dicunt omnes in dicto capitulo primo. Item si agatur de compromittendo in aliquem, potestatem eligendi, quia non possunt reliqui de collegio, etiam vno tantùm contradicente, quia non possunt ius singulorum deteriorare eis inuitis, dicit Abbas, in capit. cum Auinionensis, in primo notabili circa fin. de elect. & dicitur in capitulo licèt eodem tit. Item quando aliquid concorditer, nemine discrepante est statutum, non reuocatur ad alicuius præiudicium, nisi, vel causa subsistente si hoc fit à maiori parte, vt in dict. cap. primo. Et innuit Abb. vult quod si omnes deberent esse præsentes, & concordes, sequeretur inconueniens, quod si subesset aliqua vrgentissima causa non posset ob contradictionem vnius solius aliquid statui, & per indirectum auferretur potestas statuendi, cum tamen quotidie statuta variantur humana, vt in capitulo non debet, de consanguin. & affin. Item fallit quando ageretur de ponendo supernumerarium pœnitentiarium qui Cardinales sede vacante, quia tunc requiritur quod fiat nemine discrepante vt in clementina ne Romani §. co tamen, iuncta gloss. de elect. in verbo cætus. Et ibi vide Doct. quid si Papa mandat electionem celebrari
41 concorditer, & vnus contradicit, an sit satisfactum mandato. Et ibi vide Barbatium in in primo notabili quando dicatur quid factum concorditer. Item si electo vltramontano vnus contradicat, non poterit administrare, vt electus in concordia, vt in cap. nihil de elect., & gloss. in cap. cupientes §. ad hæc, In verbo concordem eodem tit. in 6. Vide Cardinalem, & Barbatium ibi in dict. Clement. ne Romani in §. co tamen, de elect. Idem restringitur dicta regula, vbi subest necessitas, vel vtilitas statuendi, alioquin cessante necessitate, vel vtilitate, oportet quod omnes consentiant vt voluit gloss. Innoc. & Abb. in dict. cap. cum omnes, de constit. & Abb. in dicto capitulo cum Vintoniensis, & vno contradicente isto casu non potest Collegium nuda voluntate aliquid statuere, vt dicto capitulo cùm omnes. Item quando vniuersitas vellet aliquid statuere cōtrarium iuri communi, vt dicit Bald. in dicta leg. vetere C. de auctor. præstan., & dicitur in cap. humilis secundùm vnum intellectum, de maiorit. & obed., & ponit Ludo in d. consi. 352. Idem etiam quando vellet statuere ad reuocationem eius, quod erat ordinatum in honorem, & vtilitatem Ecclesiæ, quia tunc maior pars non potest contradicente minori, vt ponit Innoc. in cap. accedentibus de priuileg. dicitur in dict. cap. cùm omnes, & Lud. in dict. consil. 352. Item fallit dicta regula quando requiritur iudicium plurium per viam consilij, quia cùm requirens non teneatur illud sequi, vt in cap. cùm in veteri de elect. & Barb. in lege prima §. si plures ff. de exercitoria, potest minorem

norem partem præferre maiori, nec actus vitiatur, ponunt Doct. post Ioannem Andream in cap. nec Episcopi de temp. ordi. & Angelus, & Immo in leg. ad Principem ff. de appel. & Angelus in leg. maiorem, ff. de pac. & Ioannes Andreas in regula nullus ex consilio de reg. iur. in 6. & Bald. in leg. prima, in 6 qu. ff. de offic. consul. refert Felinus in 11. fallentia, in dict. cap. cum omnes. Ex qua fallentia infertur vnum, quod cùm existentes in Concilio sint consultores respectu Papæ, vt dicitur in cap. graue, de præbend. quicquid. faciat Papa etiam cum minori parte illorum, præualebit maiori parti aliorum. De quo vide quod dictum est in illa quæstione, quæ sententia præualeat, vtrùm Papæ, an Concilij. Alias fallentias ad dictam regulam vide per Felinum dict. cap. cùm omnes, quæ non ita conueniunt ad casum Concilij. Item adde quod quando ageretur de actu gerendo in Concilio per præsidentes loco Papæ, tunc non sufficeret, quod fieret à maiori parte præsidentium, quinimmò hoc casu contradictio vnius ex præsidentibus inficit totum, licèt aliàs sit secus in contradictione minoris partis totius Concilij, siue capituli, in quibus standum, est dispositioni plurimorum. Ita dicit Abb. in cap. in singulis, in gloss. in verbo in istis de statu regularium, allegat ita intelligi text. dist. 65. cap. 1. Item dictam regulam intellige veram esse, nisi maior pars esset priuata propter delictum suum, quia tunc potestas totius vniuersitatis residet in non delinquentibus capitulo bonæ, & capitulo cum nobis, cum similibus, eodem titulo, & capitulo gratum, de postul. prælat. dicit Abb. Siculus, in dicto capitulo primo, in gloss. in verbo rationabiliter, de ijs, quæ fiunt à maior. par. cap. Et ad præmissa faciunt, quę dicta fuerunt in illo articulo quot personæ debeant esse præsentes, vt faciant Concilium, ibi vide.

42 Quod autem in electionibus non solùm sit considerandus numerus, sed etiam habenda sit consideratio ad auctoritatem, videlicèt quod sit sanior pars, tenet gloss. in cap. Ecclesia il. 2. de elect. Immò quod sola sanioritas præponderet numero, nisi in numero esset magnus excessus, & quod sufficiat sanioritas sola in electionibus etiam si non sit maior pars, tenet Compostel. in dict. cap. Ecclesia, & Innoc. in cap. scriptum, & in cap. quia propter de elect. Sed contrarium, quod requiratur ad validitatem electionis concursus maioris, & sanioris, partis capituli, tenent Abb. antiquus, Ægidius Hostien. & Ioannes Andreas in dict. cap. Ecclesia. Vnde si vna pars sit maior respectu numeri, & alia sit maior respectu sanioritatis, & inter istas duas discordes electiones non detur excessus, sed quædam æqualitas, ita quod vna pars eligentium non excedat in duplo alteram partem iuxta, cap. si quando de elect. in 6. & sanioritas non sit tanta, quod appareat excedere numerum, tunc neutra illarum debebit confirmari secundùm gloss., & Abbatem Siculum, in dict. cap. Ecclesia il. 2. de elect. Et fuit opinio Hostien. ibi & Vincentij, vt refert Ioannes Andreas. Sed

43 benè considerando gloss. in dict. cap. Ecclesia non ponit istum casum, licèt ad hoc eam alleget Abb. Siculus ibi, quia non loquitur, quando ex vna parte est numerus, & ex alia sanioritas, sed quando numerus, & sanioritas simul hincinde sunt æquales, & in vtraque concurrit idem numerus, & eadem sanioritas, quo casu clarum est, quod propter concursum neutra poterit confirmari, leg. duo sunt Titij ff. de testa. tute. ff. de vsufru leg. quotiens. Assignat gloss. rationem, quia nulla dicitur facta à maiori parte, vt in cap. Cumana, & in cap. Ecclesia il. 1. & in cap. in Genesi, de elect. Sed Vincentius, & Hostien. simpliciter dicunt quod quando ab vna parte est solùm numerus ab alia sanioritas, neutra poterit confirmari, non prima, quia non est facta à maiori parte. In dubio autem illa pars,

44 quæ est maior numero præsumitur sanior, vt in cap. de quibus dist. 20. & in cap. dudum il. 1. de elect. possit dict. Anton. in cap. ea noscitur, de ijs, quæ fiunt à prælat. & Alber. in leg. 1. versic. sed neque C. de veteri iure enucl. Et ex his sequitur vnum, quod dictum Archidiac. & Domin. in dict. cap. Nicæna, & Doctorum in dict. cap. 1. & Bald. in dict. cap. fin. de præsumpt. videlicet, vbi volunt quod quando minor pars allegat rationabilem causam, etiam vnus solus impedit expeditionem actus, non habebit locum in electionibus, quia in illis sufficit quod sit maior pars, & contradictio minoris non sufficit, si maior pars excedat in numero in duplo, quamuis minor sit sanior, vt dicit text. in dict. cap. si quando de elect. in 6. Quia intantum iura præsumunt pro excessu in magno numero, quod non admittunt probationem in contrarium, nisi velimus saniorem partem intelligi, non respectu sanioris iudicij, sed tantùm dignitatis, zeli, & meriti personarum, vt notat Abb. in cap. dudum in 3. notabili de elect. tunc enim sic capiendo, etiam in electionibus esset vera opinio prædictorum in dict. cap. Nicæna, & Bald. & aliorum in dict. cap. fin. Item sequitur aliud ex proximè dictis, quod quantumcumque minor pars sit sanior, & excedat in sanioritate, vt quia in maiori parte nulla datur sanioritas, non propterea poterit confirmari electio minoris partis, quia non concurrunt duo, videlicet excessus in numero, & sanioritas, quæ duo requiruntur in electionibus copulatiuè, & sic sanioritas nihil operatur, vbi non est maior pars, nisi ad impediendum confirmationem electionis factam à maiori parte. Vnde conclusiuè dicendum est prout dicunt Doctor. in dict.

45 c. Ecclesia il 2. quod aut numerus multum excedit, & tunc sufficit numerus, nec habetur respectus zeli, & meriti, & auctoritatis, vt in dict. cap. si quando. Aut numerus non in tantum excedit, & tunc si auctoritas, & meritum alterius partis non multum excedunt, debet præferri numerus, quia ille modicus excessus non sufficit ad hoc, vt numerus confutetur, argum. cap. etsi quæstiones, de simonia. Aut auctoritas, & meritum multùm excedunt, & tunc ele-

electio maioris partis non debet confirmari, nec etiam electio sanioris partis, quia non concurrunt illa duo copulatiuè, secundùm quòd communiter volunt Doct. in
46 dict. cap. Ecclesia. In electione autem Papæ non requiritur ista sanioritas, quia nec in cap. licèt, nec in cap. vbi periculum in 6. nec in Cle. ne Romani, de elect. aliquid dicitur de sanioritate. Immò inquantum illa iura volunt quòd non possit eligentibus opponi aliqua exceptio excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, secundùm quòd dicit illa Clem. circa fin. cõtrarium innuitur. Et hoc clariùs ostendit text. in dict. cap. licèt, in ver. ex hoc tamen, dum dicit quòd non vult præiudicare ex hoc alijs Ecclesijs in quibus maior, & sanior numerus requiritur. Et ratio potest esse in electione Papæ, quia debet fieri à duabus partibus, vt in dict. cap. licèt, vndè propter excessum numeri non habetur respectus ad sanioritatem.
47 Vtrùm autem tã in alijs actibus capitularibus, quàm in electionibus requirantur ista duo copulatiuè, gloss. in leg. vbi absunt, ff. de tutor. & curat. datis ab ijs, tenet quod non, immò quod dignitas, & auctoritas præferatur numero, & idem Bartol. in leg. Pomponius, ff. de re iudic. In contrarium faciunt omnia illa iura, quæ volunt quòd in actibus collegialibus factum à maiori parte valet, vt in leg. nulli, ff. quod cuiusque vniu. nom. leg. quòd maior, ad municip., & leg. nominationum C. de decur. lib. 10. Immol. in cap. 1. de ijs, quæ fiunt à maior. par. cap. vult quòd non solùm sufficiat maioritas numeri, sed etiam debeat concurrere auctoritas, & sanioritas, & idem Immol. in leg. Pomponius, in 4. colum. ff. de re iudic. & damnat consuetudines, & statuta, quæ contrarium disponunt, etiam si sint iuramento firmata. Et idem indistinctè voluit Abb. Siculus in omnibus vniuersitatibus in cap. Ecclesia il. 1. de elect. dicens esse casum in dict. cap. 1. de ijs, quæ fiunt à maior. par. cap. Et ex hoc videtur dicendum quòd in quibuscumque vniuersitatibus Ecclesiasticis debẽt illa duo copulatiuè interuenire, videlicet maior numerus, & sanioritas, in quibuscumque actibus capitularibus, vel vniuersitatis, per dictu capit. 1. Et ita intelligitur gloss. in
48 §. nunc quæritur, dist. 63. & in dicto cap. ea noscitur, & ibi Doct. & Abb. Siculus in cap. quia propter, de elect. Et in vniuersi-
49 tatibus secularibus idem dicendum videtur, si sumus in terris Ecclesiæ per d. cap. 1. sed in terris imperij sufficit maioritas numeri sine sanioritate per notata in dict. l. nominationum, & alijs iuribus supra allegatis. Alber. tamen in authen. hoc ius porrectum C. de sacrosanctis Ecclesijs dicit vidisse obseruari, quòd attenditur maioritas numeri sine sanioritate, & loquitur in vniuersitate Ecclesiastica. Sed contra illud est text. in cap. præsentium post princip. de testib. in 6. & text. in dict. cap. 1. Et si dicatur quòd idem videretur dicendum de
50 iure ciuili, quia vbi defecit ius ciuile super sanioritate, suppleuit canonicum, & propterea debet seruari in vtroque foro, vt in cap. si in adiutorium dist. 10. & in cap. 1. de noui operis nunc. Respondetur quòd illud procederet, vbi in illa specie ius ciuile nihil disponeret, secus in proposito vbi specificè in casu reperitur dispositio iuris ciuilis. Pro quo est text. in cap. 1. & ibi Innoc. de rebus Ecclesiæ non alie. in 6. licèt loquatur in casu conuerso, in quo ius ciuile requirit maiorem solemnitatem, dicendo, quòd authen. hoc ius porrectum non seruatur quo ad maiorem solemnita-
51 tem in alienatione rei Ecclesiasticæ. Vnum tamen scias circa locum eligendum quòd quando Patribus data est potestas eligendi locum pro futuro Concilio, intelligitur de prima electione, nec poterunt variare vlteriùs. Pro quo est text. in leg. boues §. hoc sermone ff. de verborum significat. refert Felin. in cap. innouamus de treu. & pace. Et omnia præmissa adde ad ea, quæ dicta fuerunt in quæstione quot debeant esse præsentes in Concilio, & quæ dicuntur in quæstione vtrùm vnum Concilium possit confirmare, vel limitare, vel reuocare, constitutionem alterius.
52 Sed hìc pone, quod actus explicandus sit per corpora nationum, vel Officiorum, vel Collegiorum vtrùm dicetur maior, & sanior pars illa, in qua reperientur plures voces, non habito respectu, nisi ad capita nationum coniunctim, an erit habendus respectus ad maiorem partem cuiuslibet nationis, vt dicatur haberi vox illius nationis, ità quod si sunt decem collegia, vel nationes, sex dicantur facere maiorem partem, & ab illis sex collegijs sint vota maioris partis alicuius collegij, & non coniungantur vota minoris partis alicuius collegij cum votis maioris partis alterius collegij, vel nationis. Istam quæstionem mouet, & examinat Abbas Siculus in cap. scriptum in 8. notabili, de elect. Et dicit, quòd licèt aliàs, vbi diuersa corpora coniunguntur in vnum ad aliquem actum explicandum non vt diuersæ vniuersitates, sed vt faciant vnum corpus, computentur voces per capita, & non secundùm corpora, vt ibi in dicto cap. scriptum, secùs tamen est quando diuersa corpora conuenirent ad aliquem actum explicandum, tamquam corpora diuersa, non vt faciant vnum corpus, quia tunc ad validitatem actus non sufficit maior pars singulorum, sed oportet, vt conueniat maior pars ipsorum corporum, vt si sunt tria corpora, conueniat saltèm maior pars duorum corporum, allegat ad hoc text. iuncta glos. in capit. pastoralis in primo responso, de rescript. Et ideò Io. Andr. ibi dicit, quod si electio spectaret ad certum Prælatum pro tertia parte, & ad Capitulum pro alia tertia parte, & ad Clerum Ciuitatis pro alia tertia parte, non sufficit ad validitatem electionis, quod electus habeat totum Clerum, & minorem partem Capituli, licèt ipsi sint plures numero, quia tunc non concurrit, nisi vna vox, quia Clerus totus non habet, nisi vnam vocem, Capitulum verò aliam, sed non potest dici Capitulum, vbi non est maior pars, vt in allegato capit. 1. de ijs, quæ fiunt à maiori par.

Capi-

Capituli. Item si Prælatus, & maior pars
Capituli eligerent vnum, & Clerus cum
reliqua parte Capituli eligerent alium,
valeret electio facta à Prælato, & à maiori
parte Capituli, licèt in numero persona-
rum ipsi esset pauciores alijs, quia, vt di-
ctum est, tunc habetur respectus ad corpo-
ra, & non ad capita personarum. Adde
Abbatem in d. cap. Pastoralis, de rescript.
in fin. princip. Et pro his vide d. Anton.
in dicto cap. scriptum in 5. col. & Ioann.
de Imola in 2. colum. & eumdem Anton. in
capit. 1. de Paroch. & eumdem Abbatem in
cap. postulasti, de concess. præben. Cardin.
autem Alexand. dist. 15. cap. 1. circa finem,
non admittit, quòd dicit Abbas, quia in
53 Concilio non congregantur nationes ex
Christianis tamquam diuersa corpora na-
tionum, sed congregantur omnes tam-
quam oues vnius Pastoris Christi, apud
quem non est distinctio Græci, & Latini,
ideò debet attendi maior pars respectu
totius, & singuli à Pastore suo, & Patre-
familias videntur in consideratione ha-
bendi, allegat in simili, quod dicunt Legi-
stæ in leg. fin. C. de impuber. & alijs sub-
stit. per leg. Lucius, §. Titius testamento,
de legat. 2. Dicit tamen, quod si esset con-
suetudo explicandi vota in Concilijs per
nationes, vt in Constantien. & Pisano, &
alijs factum est; tunc opinio Abbat. esset
vera. Et adducit gloss. in cap. vnic. ne sede
vacante in 6. & Salycet. in leg. quoniam,
Cod. de appellat. Tu adde, quod ad pro-
positum dicit Bald. in leg. si ad scribarum
ad fin. C. de appellat. quod quando actus
54 debet expediri à duobus collegis, non
sufficit vnum collegium cum minori parte
alterius, sed requiritur maior pars vtriuf-
que, & minor pars non reputatur mem-
brum collegij, ergo actus expeditus ab
vno collegio, & minori parte alterius, non
censetur factus ab vtroque collegio. Alle-
gat notata in cap. à collatione, de appell.
in 6. per Io. Andr. cùm reprobat opinio-
nem Hostien. in dicto capit. postulasti, de
concess. præbend. quod & ponit Federic.
in cons. 1. Ad idem similiter Abbas Sicu-
lus in consil. 57. incipit ex infrascriptis
literis, in 1. volum. in 8. colum. dicit quod
si Papa mandat Episcopo Senensi, vt ali-
quid expediat cum Consulibus, non suffi-
cit, quod Episcopus cum Consulibus fa-
ciat maiorem partem, sed requiritur ipse,
& maior pars Consulum, per illum text.
in dicto capit. Pastoralis, de rescript. Ad
quod etiam vide Felin. in cap. cùm omnes
in 19. colum. de constitut. vbi dicit, quod
ex varijs coniecturis discernetur; & ex
subiecta materia, quando conueniant, vt
diuersa corpora, & quando vnum corpus,
& idem Abb. in dicto capit. scriptum. Et
pro hoc facit gloss. & Io. Andr. in cap. 1.
ne sede vacante in 6. & in cap. à collatio-
55 ne, de appellat. in 6. vbi dicitur, quod si
Episcopus, & Capitulum habent aliquid
agere, non valet actus, nisi cum Episcopo,
quia veniunt, vt duo corpora separata.
56 Et in hoc reprobatur opinio Hostien. in
dicto cap. postulasti, de concess. præbend.
Et idem dicit Abbas Siculus in dicto cap.
postulasti, & sentit Io. Andr. & Doctor. in
capit. statutum, de elect. in 6. vbi limitat
præmissa, nisi vbi conuenirent duo corpo-
ra in vnum, vt facerent in illo actu vnum
corpus, quia tunc staretur iudicio maioris
partis personarum. Et hoc sentit Bartol.
in leg. final. ff. de collegijs illicitis. Et de
ista materia potest inspici, quòd dicitur in
tract. de beneficio Ioan. de Sylua in 2. par.
qu. 17. vbi adducuntur aliqua similia; &
quæ ponit Felin. in dicto capit. Pastoralis
in fin. vers. vbi duo corpora. Et dudum in
quadam causa Papien. Cappellaniæ, vbi
erant patroni descendentes à diuersis, &
ab vna parte tres, ab alia quatuor, quan-
tumcumque vnus vltrà illos tres, qui fa-
ciebant medietatem haberet vnum ex illis
quatuor, ex quo alij tres remanentes non
consenserant in eumdem ab alijs præsen-
tatum, sed in alium, Domini non habue-
runt respectum ad illum vnum, ex quo non
fuerat maior pars illorum quatuor con-
currens cum illis tribus alterius partis,
sed canonizarunt gratificationem præsen-
tati à tribus ex quatuor. Et inter alia etiã
allegabatur Cardin. in Clement. plures, de
iurepatron. & Rochus in tract. de iurepatr.
in 2. quæst. ad fin. in versic. ipse, vel is, à
quo &c. Verum est, quòd licèt causa fuerit
sic votata, non tamen fuit pronunciatum
propter alia, quæ in causa occurrerunt.
Sed si benè aduertatur, conclusio Domino-
rum non transit sine dubio, quando iuspa-
tronatus originaretur ab vna persona, quia
tunc ex quo agitur de vna voce originali-
ter, quæ propter plures à diuersis filijs
descendentes diuiditur in plures, illi plu-
res non videntur conuenire; vt plura cor-
pora, sed confunduntur in vnum. Et quod
allegat Rochus in vers. ipse, vel is, à quo,
quod hoc dicat Cardin. in Clement. plures,
de iurepatron. malè videtur allegare, quia
Cardin. loquitur quando iuspatronatus
originatur à pluribus, & non ab vno tan-
tùm. Et si benè aduertatur, cùm Cardinalis
ponit exemplum de decem habentibus vnã
vocem, & duobus habentibus aliam, sen-
tit, quod præsentatio facta à minori parte
de decem cum vno ex illis duobus, non
valeat. Et considerandum est, quod quia
sumus in patronis laicis, qui præsentant,
vt singuli, valet præsentatio facta à maio-
ri parte comparatione minorum, vt in cap.
quoniam, de iurepatron, & in c. Ecclesia, de
elect. alioquin si requireretur maior pars
ab vtroque latere, tunc non diceretur facta
præsentatio à maiori parte, sed ab vtraque
parte, & sic habere ambas voces, & non
maiorem partem. Et hoc videtur sentire
Io. de Sylua in d. 17. qu. in fin. & videtur
Feder. consil. 1. cùm respondet ad contra-
ria, approbare quæstionem, siue exemplum
positum in iurepatronatus.
57 Quomodo autem cognoscatur quando
conueniant, vt facientes vnum corpus; vel
diuersa corpora, dicit Abb. in dicto capit.
scriptum, quod ex varijs circumstantijs
poterit deprehendi. Nàm si dantur voces
in vnum, non potest dici, quòd conueniant,
nisi tamquàm in vnum corpus, & idem Ab-
bat. in dicto cap. Pastoralis. Item discer-
nitur

nitur ex verbis statuti, & materiæ subiectæ, vt ponit idem Abb. in cap. Pastoralis. Sed Decius ibi videtur impugnare Abbat. cùm vult, quod quando duo corpora conueniunt, vt separata, requiritur maior pars amborum, sed quando, vt faciant vnum corpus, sufficit maior pars omnium simùl iunctorum, quia, vt ipse dicit, idem videtur in vna conclusione, quòd in alia, per rationem Abbatis, volentis, quòd à maiori parte totum corpus repræsentetur. Sed iudicio meo ipse non benè concepit mentem, & rationem Abbat. quæ fuit, quòd illud, quòd fit à maiori numero personarum vtriusque collegij simùl, non dicitur factum à duobus collegijs separatis, quia non est maior pars numeri vtriusque collegij de per se, sed ab vno ex confusione, & vnione amborum, sicut patet, ad sensum, vt ipse Abbas dicit. Et ex his patet quomodo numeranda sint vota in Concilijs. Vbi autem materia, super qua est controuersia non esset clara, & euidens, vt oppositum per rationem, & auctoritatem sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum definitionem manifestè ostendatur falsum, sed habet probabilem rationem ad vtramque partem, tunc regulariter statur maiori parti, quæ in dubio præsumitur sanior, vt dictum est, & dicitur in dicto cap. scriptum. Vbi enim est maior pars, ibi præsumitur esse Ecclesia, vt dist. 56. cap. Apostolica. Et ideò in Toletano Concilio dicitur ordinatum, quòd cùm qualibet Synodus agitur, aut pacificè inter Pontifices quicquam definitur, si pauciores per nescientiam, vel contentionem fortè dissentiunt, aut commoniti plurium sententiæ cedant, aut ab eorum cœtu cum dedecore, & confusione abscedant, aut excommunicationis annuæ luant pœnam.

58 Sed quid si contingeret difficultas, quod vota essent in plures, & varias partes diuisa, & non posset dari maioritas numeri in vna plusquam in alia, nec rationis, nec auctoritatis? Tunc dicerem attendendam esse distinctionem, quam ponunt Doctor. maximè Ioann. de Imol. in Clemne Romani in 2. col. de elect. & Mathesil. in suo tract. quando sunt variæ opiniones Doctorum, quæ sit tenenda. Ex qua distinctione possunt elici aliquæ conclusiones in proposito. Sed, vt cessaret ista varietas, voluerunt, & obseruarunt antiqui Patres, vt veritas dilucidaretur in Concilijs, in intimatione Concilij exprimere materiam, super qua foret disceptandum, mandando, vt Episcopi priùs in suis prouincialibus Concilijs deliberarent, & quid fuisset visum Patribus in Prouincialibus Concilijs congregatis, per Nuncios ad vniuersale Concilium mittendos explicarent. Quòd patet ex auctoritate Augustini contra Donatist. qui dicit, non enim potuit res ista tot altercantium nebulis inuoluta ad plenarij Concilij illustrationem, confirmationemque deduci, nisi priùs diutiùs per Orbis terrarum regiones multis hinc, atque hinc disputationibus, & collationibus Episcoporum pertractata esset. Et

59 hoc vltimum posset contingere quando Papa non esset præsens in Concilio, quamuis eius auctoritate fuisset congregatum, sed si Papa sit præsens, videtur impossibile, quod iste casus occurrat, nisi esset casus de articulo fidei nondùm deciso, in alijs autem non videtur, quod possit occurrere. Et ratio est, quia Episcopi in Concilio, vbi præest Papa, sunt sicut Consultores, vt dicitur in capit. graue, de præbend. & gloss. in capit. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. & diximus supra. Et quando requiritur iudicium plurium per viam consilij, tunc requirens consilium non tenetur illud sequi, vt in cap. cùm in veteri, ibi Doctor. de elect. & in cap. cùm olim, de arbitr. Bart. plenè in leg. 1. §. si plures, ff. de exercit. cum concordant. Nam potest minorem partem præferre maiori, nec actus vitiatur, secundùm Io. And. & alios in cap. nec Episcopi, de temp. ordinan. post Innoc. quem etiam sequuntur Imol. & Angelus in leg. ad Principem, ff. de appellation. & Angelus in leg. maiorem, ff. de pact. & Ioann. Andr. in cap. nullus ex consilio, de regul. iur. in 6. & Bald. in leg. 1. in 6. qu. ff. de offic. Cons. Et hoc verum est, nisi requirens teneretur sequi consilium ex statuto, vel consuetudine, quia tunc non sufficeret minor pars, sed requireretur necessariò, quod haberet maiorem partem, vt dicitur in dictis locis. Sed hoc non reperitur statutum in iure, quod Papa teneatur de necessitate sequi vocem maioris partis Episcoporum in Concilio consulentium, si votum eius concurreret cum alia parte minori. Proptereà videtur, quod vbi præest Papa, contingentibus istis diuersitatibus, & difficultatibus, quia vota essent diuisa in plures partes, illa pars esset tenenda, quam Papa vellet.

60 Sed si non essent diuisa vota, nisi in duas partes, & res esset secundùm vtramque partem dubia, & Papa esset cum minori parte, vtrùm deberet præualere pars minor propter auctoritatem Papæ? quasi minor pars tunc dicatur sanior, & quia Papa requirens vota habet Episcopos in Concilio tamquam Consultores. In hoc existimo, si non ageretur de causa fidei, neque de causa contra Papam, quod illa pars præualeret, in quam Papa inclinaret; quia si hoc est quando solus Papa vult vnum, & totum Concilium aliud, quòd Papa præfertur secundùm dicta supra in proxima quæstione, multò magis quando cùm aliqua parte Concilij Papa sentiret, debet præferri eius voluntas, siue iudicium. Et ad hoc facit, quod voluit Hostien. in dicto cap. postulasti, de concess. præbend. quod quando Episcopus in actu explicando cùm consilio capituli habet interesse, vt Episcopus, tantam vocem habet ipse solus quantam vniuersum Capitulum, & quod si cùm Episcopo est vnus solus Canonicus, eius sententia debet præualere; Et licèt eius opinio ibi communiter reprobetur, tamen esset vera in persona Papæ respectu Concilij, hoc est, quòd non solùm tanta est vox Papæ, sed quòd etiam præponderat voci vniuersalis Concilij, nisi, vt supra dictum est, in causis fidei, & de hoc dictum

est

est supra in quæstione, quæ sententia præferatur vtrùm Papæ, an Concilij. Non obstat si dicatur, quod Episcopi, qui sunt in Concilio sunt tamquam participes officij, ex quo videtur, quod tunc quando actus est explicandus cum eo, qui est particeps officij, si dicitur, quod cum illius consilio fiat, tunc consilium capitur pro consensu, vt in capit. venerabili iuncta gloss. de offic. delegat. & ideò, quod de necessitate Papa teneatur sequi vota maioris partis Episcoporum existentium in Concilio. Quia respondetur, quòd Episcopi existentes in Concilio non sunt participes auctoritatis, sed, vt dictum est, tamquam Consultores, quia omnis auctoritas Concilij dependet ab auctoritate Papæ, & à Papa eius gesta confirmantur, vt decimaseptima distinctione per totum, & capitulo significasti, de elect. & dictum est supra.

SVMMARIVM.

1 *Congregato Concilio iam, & Sede vacante, quam auctoritatem habebit Concilium.*
Et quod possit omnia quæ Papa argument. num. 2. 3. 5. 6. 9. 10, 11. 13. 14. 19. resp. ad primum num. 42.
3 *Ecclesia vniuersalis repræsentatur, per Concilium, Sede vacante, & num. 9.*
Et mortuo Papa, Ecclesia non dicitur esse sine capite, quia eius caput est Christus.
4 *Papa licèt moriatur tamen Sedes Apost. non moritur.*
5 *Concilium Constantiense Sede vacante confirmauit Archiepiscopos, dedit Indulgentias, dispensauit super irregularitate: & exercuit reseruata Papæ.*
Quod dicitur de indulgentijs declaratur, num. 44.
7 *Electoribus Papæ mortuis Pontificalis auctoritas residet in congregatione fidelium.*
8 *Vacante imperio succedit Papa.*
10 *Facta in Concilijs dicuntur facta suggestione. & instinctu Spiritus sancti.*
Et Spiritus sanctus loquitur per ora eorum qui sunt in Concilio ibid.
11 *Papa mortuo Cardin. & Clerici, & laici Deum timentes, qui nihil aliud sunt, quàm Concilium, excommunicant intrusum in Papatum.*
12 *Pœna nulla maior in Ecclesia quam Anathematizatio.*
15 *Dic Ecclesiæ verba exponuntur.*
Et quomodo intelligantur in Papa, numero seq.
Et meliùs declarat Auctor resp. ad contra num. 18.
17 *Duplici iure quis aliquando potest fungi, neque absurdum est hoc.*
19 *Concilium deposuit Cardinalem.*
Et restituit Episcopos num. 21.
20 *Episcopus recusans respondere in Concilio ipso facto est depositus.*
22 *Ecclesia est nomen iurisdictionis.*
Et non perdit suam iurisdictionem per mortem Papæ ibid.
Et quomodo intelligatur num. 74.
23 *Ecclesia habet Senatum.*
Et quomodo intelligendum num. 76.
24 *Papa non potest sibi successorem eligere.*
25 *Legati de latere iurisdictio non expirat mortuo Papa.*
26 *Papa mortuo Cardin. succedunt in iurisdictione.*
27 *Concilium dicitur ordinarius iudex ordinariorum.*
28 *Concilium Sede vacante, quòd non possit omnia quæ Papa arg. & respondet ad contraria num. 12.*
Et iterum, quòd non possit omnia, quæ Papa num. 44.
Solutio ponitur num. 47.
29 *Sede vacante officia conquiescunt, plures iurisdictiones suspenduntur.*
30 *Administrantes omnes debent à Papa, & eius successoribus deriuari.*
31 *Concilij robur deriuatur à Papa.*
33 *Claues datæ fuerunt Petro non tantùm figuratiuè, sed principaliter, & fundamentaliter.*
34 *Cap. omnis 24. quæst. 1. declaratur.*
35 *Potestas quæ est in Ecclesia, est descensiuè in Prælatis Ecclesiæ à Petro.*
Et alio etiam modo exponitur num. seqq.
Et alio num 37.
36 *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, istorum verborum expositio.*
38 *Cap. quodcumque 24. quæst. 1. intellectus.*
Et dictum Ang. ibid.
39 *Ecclesiæ vniuersali datæ sunt claues, non in omnibus membris eius, sed in aliquibus tantùm.*
Et plenitudo potestatis data est illi in vno membro tantùm, quod est caput in corpore.
Et est. Rom. Pontifex.
40 *Ecclesia dicitur facere, quod eius ministri faciunt, secundùm instituta.*
41 *Caput vtitur vna voce cum membris licèt ea, quæ dicuntur ad diuersa referantur.*
Quædam soli capiti.
Quædam solis membris.
Quædam capiti, & membris.
Et eorum quæ membris conueniunt.
Quædam præteritis.
Quædam præsentibus.
Quædam futuris.
Quædam perfectis.
Quædam imperfectis.
Et nihilominus in tanta diuersitate vna vox est.
43 *Claues quomodo datæ sint Petro remissiuè.*
45 *Ecclesiam habere vtrumque gladium quomodo intelligendum.*
Ouile non debet pascere, sed pasci, nec occupare officium pastoris.
47 *Concilium Sede vacante, an possit omnia, quæ Papa potest. Auctoris opinio.*
48 *Sede vacante potestas Vicarij Christi non transit in Concilium.*
49 *In necessitatibus vnum membrum vtitur officio alterius, & non aliter,*
50 *Capitulum in casu necessitatis fungitur vice Episcopi.*
51 *Card. Sede vacante propter hæresim Papæ, vel schisma inueteratum, possint exercere reseruata Papæ.*
Et cum duabus limitationibus ibid.

ARTICVLVS IV.

1 SEd pone, quòd congregato Concilio vacet Sedes Apostolica, vtrùm Concilium possit omnia facere, quæ poterat Papa, vel quam potestatem habeat. Et vide-
2 tur, quòd omnia, quæ Papa poterat possit Concilium, nam Concilium generale repræsentat vniuersalem Ecclesiam, vt in cap. sicut in fin. dist. 15. ponit Abbas in cap. significasti de elect. & in Concilio Constantiensi in pluribus principijs plurium sessionum, & Alexand. in cap. 1. distin. 15. Sed vniuersali Ecclesiæ data est potestas clauium, cùm data est Petro, vt in cap. quodcumque 24. quæst. 1. vbi dicitur, quod quando Petrus accepit claues, Ecclesiam sanctam significauit. Ergo videtur, quòd Ecclesia vniuersalis sic synodaliter congregata, possit Sede vacante omnia administrare, ad quæ potestas clauium se extendit, quia cùm potestas data Petro, & per Petrum consequenter Ecclesiæ, per Papam exerceatur, & explicetur, vacante Sede, videtur penitùs residere tale exercitium in Ecclesia, quæ poterit iustum habitum potestatis reducere in exercitium, & in ope-
3 rationem. Secundò Ecclesia vniuersalis repræsentatur per Concilium, & mortuo Papa non dicitur remanere Ecclesia sine capite, quia caput eius est Christus. Si ergo Christus ascensurus in Cœlum dimisit pastorem, quem sciebat moriturum, non est verisimile, quòd voluerit Ecclesiam sine potestate exercendi necessaria, & contingentia in Ecclesia dimittere, cùm autem non dixerit, ad quem possit haberi recursus in reseruatis Papæ mortuo Papa, videtur necessariò dicendum, quòd dicta potestas remaneat in vniuersali Ecclesia, & consequenter in Concilio. Pro quo facit gloss. in cap. 1. de schismat. in 6. in verbo vacante, & benè text. in cap. si gratiosè de re-
4 scrip. in 6. vbi licèt Papa moriatur, tamen Sedes Apostol. non moritur, per quam designatur dignitas Pontificalis secundùm Lapum ibi. Si ergo dignitas non moritur, necessarium est penès aliquem illius executionem existere, & in nullo conuenientiùs quàm penès Concilium. Sicut in simili de Episcopo fit deuolutio administrationis ad capitulum cap. ijs quæ, & cap. cum olim de maior. & obed. gloss. in cap. 2. ne prælat. vices suas, cùm simil. Tertiò facit,
5 quod ita videmus obseruatum in aliquibus Concilijs. Constantien. enim Concilium Sede vacante confirmauit Archiepiscopum Lugdunensem, dedit etiam indulgentias, & dispensauit super irregularitate, & sic exercuit reseruata Papæ, vt in cap. quod translationem de offic. Legati. Et idem dicendum de Concilio Senensi, quod dedit indulgentias. Quod & refert Gerson. in 11. consideratione in tractat. de potestat. Ec-
6 cles. Quartò facit, quod Cardin. in tract. vnionis in quæst. 1. dicit, quòd penès vniuersalem Ecclesiam vacante Papatu cõsistit vniuersale regimen, eò quod est congregatio fidelium, vt in cap. Ecclesia de consecr. dist. 1. cap. debitum de bigam. cap. fundamenta de elect. in 6. Dicit etiam Bald. in l.
7 non ambigitur ff. de legibus, quòd mortuis Electoribus Papæ Pontificalis auctoritas residet in congregatione fidelium, quia Catholica Ecclesia est ipsa fidelium collectio, & ibi in præcedenti quæstione vult, quòd mortuo Imperatore succederet populus Romanus si non esset Papa. Si igitur penès Ecclesiam vniuersalem, ergo, & penès Concilium, quia Ecclesia vniuersalis repræhesentatur per generale Conciliũ, quo congregato consistit potestas penès ipsius Concilij potiorem partem. Ergo Concilium succedit in regimine, & administratione vniuersalis Ecclesiæ. Quod videtur velle Pauinus in tractat. ne Sede vacante in præludijs, in vers. præmitto sextò

in

8 iti colum. 2. Sed quòd vacante Imperio succedat Papa, est extrauagans Ioann. 22. quę incipit si fratrum, & Coepiscoporum, quę fuit solenniter glosata per Ægidium Bella-
9 mera post Zenzelinum. Quintò facit, quòd Concilium generale habet potestatem immediatè à Christo, vt patet in Concilio Constantien. in quinta sessione, & quod Concilium repręsentat vniuersalem Ecclesiam, quòd intelligitur Sede vacante, vel quasi. Quæ sic coadunata, tamquam habens omnem Pontificalem dignitatem potest sibi ipsi auctoritatem interponere, quia tunc apud eam residet omnis potestas Papæ, nec dicetur tunc acephala, siue Concilium acephalum, cùm eius caput sit Christus ex quo Sedes vacat. Ergo si Pontificalis potestas est tunc in Concilio, sequitur, quod omnia poterunt per Concilium expediri, quæ per Papam possent, si Sedes non vacaret, alioquin sequeretur, quòd mortuo Papa Ecclesia remaneret sine pastore aliquo in terris, quod non est præsumendum, vt dixi supra. Et possent contingere multa grauissima, in quibus oporteret vti plenitudine potestatis, & de Papa non posset ita de proximo prouideri, quod non est dicendum, quia Christus omnia benè disposuit tamquam bonus paterfamilias secundùm Innocen. in cap. pro huma-
10 ni. de homic. in sexto. Sextò facit, quod ista, quæ fiunt à Concilijs, dicuntur fieri suggestione, & instinctu Spiritus sancti, vt in cap. si quis Diaconus in princ. &c. si ille dist. 50. & text. in cap. violatores 25. quæst. 1. Et dicit Bald. in tract. schismatis in princ. quod Spiritus sanctus loquitur per ora eorum, qui sunt in Concilio, per d. cap. si ille dist. 50. & probatur action. 15. ibi visum est Spiritui sancto, & nobis, & in pluribus sessionibus in Concilio Constantien. dicitur sancta Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata. Præsumitur enim ibi interuenire Spiritus sanctus, iuxta illud vbi duo, vel tres congregati fuerint, &c. cap. audiuimus 24. quæst. 1. dicit Alexand. in cap. illa dist. 12. Ex quibus patet, quòd si recipit potestatem à Spiritu sancto, & à Christo, qui est tunc caput ipsius Concilij, & sic est, quòd vbi inhabitat Spiritus sanctus, & Christus ibi est omnis potestas, iuxta illud Matth. 28. data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra, quia omnis potestas est à Deo qu. 23. cap. 1. quid culpatur, & Apost. ad Rom. 13. sequitur, quòd vacante Sede omnis potestas remanet in Concilio, cuius caput est Christus, & in quo Concilio habitat Spiri-
11 tus sanctus. Septimò adducitur text. in cap. si quis pecunia distinct. 79. vbi patet, quòd mortuo Papa, Cardinales, & alij Clerici, & laici Deum timentes, qui vt supra sæpiùs dictum est, & nihil aliud sunt quàm Concilium, quod ex Cardinalibus, & alijs Prælatis, ac Clericis Deum timentibus constat, excommunicant inuasorem & intrusum in Papatum, & sic collectio Clericorum, hoc est Concilium exercet iuris-
12 dictionem vacante Sede Romana. Et maior pęna non est in Ecclesia quàm anathematizatio, vt in cap. corripiantur 24. qu. 3. ergo cùm possint maiora, possunt, & minora,
13 de decim. ex parte, il 3. Item facit text. in Clem. ne Romani, vbi Cardinales prohibentur vacante Papatu aliquid exercere de spectantibus ad Papam, & de Concilio nihil dicitur, ergo Concilium poterit Sede vacante omnia exercere, arg. l. cùm prætor, ff. de iudic. & cap. nonne de præsumpt.
14 Octauò adducitur auctoritas Christi apud Matth. 18. si peccauerit in te frater tuus,
15 &c. & si non audierit eos dic Ecclesiæ, de qua in cap. nouit de iudic. & in cap. si peccauerit, 2. quæst. 1. in qua auctoritate designatur data potestas Ecclesiæ exercendi iurisdictionem, quia frustrà diceretur Ecclesiæ, si Ecclesia non reciperet iurisdictionem, & coercitionem. Et si restringeretur ista auctoritas exponendo dic Ecclesiæ; idest Prælato, vt in cap. nouit, de iudic. & sic restringendo ad Prælatum tantùm; sequeretur quòd vbi non esset Prælatus, cui diceretur, non esset locus illi auctoritati, & sic fuisset Christus diminutè loquutus, & non prouidisset in omni casu, quod dicere est hæreticum. Item sequeretur quòd in Papa, qui non habet superiorem, auctoritas illa esset frustratoria, cuius contrarium dicunt Doct. post glos. in cap. si Papa, 40. dist. & Hostien. in cap. proposuit, de concess. præben. qui dicit quòd in
16 Papa illa auctoritas intelligitur dic Ecclesiæ, hoc est oret Ecclesia Deum pro eo. Ergo verè intelligitur illa auctoritas de Ecclesia vniuersali, & consequenter de Concilio repræsentante Ecclesiam vniuersalem. Item cum Christus loqueretur Petro, non est verisimile quòd voluerit vt diceret sibi ipsi, nisi saluando vellemus dicere, quòd quando dicebat si peccauerit in te, loqueretur tamquam Petro, & non tamquam Prælato, & cum diceret, dic Ecclesiæ, tunc etiam loqueretur ei tamquam Prælato &
17 superiori, cùm non sit absurdum, quod quis fungatur duplici iure, iuxta not. in l. si consul. ff. de adopt. Sed per hoc non efficeretur quin sequeretur, quod illa auctoritas in Papa, qui non habet superiorem, esset superflua. Quinimmò rectiùs videtur intelligenda propriè de Concilio, propter difficultatem, & impossibilitatem congregandi Ecclesiam vniuersalem. Si igitur propriè intelligitur de Concilio, sequitur, quòd Concilium possit exercere etiam ea, quæ sunt Pontificalis dignitatis, quia posset illa auctoritas exerceri contra Episcopos, Archiepiscopos, & alios Maiores, quorum depositio spectat ad sòlum Papam, vt in cap. quod translationem, de offic. legat. & in cap. 1. de translation. Præ-
18 lator. Et si dicat quòd tunc illud dic Ecclesiæ, intelligeretur de Ecclesia simùl cum Papa, quòd est Præpositus Ecclesiæ, vt in cap. ita Dominus, 19. dist. & in cap. sacrosancta, 22. dist. & cuius est auctoritas, & potestas deponendi Episcopos, sequeretur quod tunc, mortuo Papa, ista auctoritas non haberet locum, neque posset exerceri respectu totius vniuersalis Ecclesiæ, quantumcumque immineret casus, & periculum esset in mora si expectaretur creatio noui Pontificis, quod dicere est absurdum,

Clem. cum sit de magistris, cap. ex ore de priuil. & l. 3. cum simil. C. de condit. inser.
19 Nonò adducuntur iura. primo text. in cap. ex gestis de cler. non resid. vbi Concilium deposuit Cardinalem quod est proprium Papæ, vt in cap. 1. de schisma. Item Concilium potest deponere Episcopos, & excommunicare 19. qu. 2. cap. fin. incipit si quis Episcopus; 9. qu. 2. cap. nullum in fin. cum seq. 11. qu. 3. cap. si quis Episcopus, & cap. certum, & 18. distinct. si quis autem.
20 Item Episcopus qui recusat iudicium Concilij generalis, & recusat ibi respondere, ipso facto est depositus, vt in cap. quisquis, 4. qu. 5. Item Papa existens in Concilio generali sententiam priùs à toto Concilio latam promulgat, & exequitur, 12. qu. 2. de
21 laicis. Item Concilium etiam Episcopos depositos in Synodo restituit, vt in cap. certum, & cap. irritam, & cap. Episcopus, 11. qu. 3. Et tamen ista sunt de reseruatis Papæ, vt in cap. 1. & 2. de translat. Prælat. & cap. quod translationem ibi gloss. de offic. legat. & cap. sicut vnire ibi gloss. de excess. Prælat. & cap. maiores de bapt. Item text. in cap. si duo, 79. dist. vbi quando est dubium quis sit Papa, tunc iudicium est Concilij, vt dicit ibi glos. & sic Concilium est iudex in casu dubio, ergo multò magis quando nullus est Papa, potest exercere iudicium, & est iudex in rebus concernentibus pontificalem dignitatem, & potestatem eius. Immò & potest induci etiam à minori, quia si iudicat de eius dignitate, hoc est de Papatu, iudicando quis sit Papa, multò magis de ijs, quæ ad Papam spectant. Item pro hoc text. in cap. si transitus, 78. dist. vbi olim Concilium eligebat Papam, & prouidebat de Papatu, multò magis ergo de spectantibus ad Papam se poterit intromittere. Item facit, quod legitur act. 1. vbi patet quod vacante Episcopatu Iudæ proditoris, omnes Apostoli, & Discipuli simùl tractauerunt de successore, & elegerunt duos ex omnibus, scilicet Barnabam & Matthiam, & cecidit sors super Matthiam. Si ergo Petrus, qui erat plenus Spiritu sancto passus est vt omnes prouiderent in communi, præsumendum est quòd hæc potestas erat penès Concilium Apostolorum. Et licèt tunc non essent Episcopatus sicut hodie distincti, vt in cap. olim, 95. dist. & dicitur in cap. cùm causam de probat. benè tamen habebant Episcopatus in cura, 1. qu. 1. Christus, vnde dicitur act. 1. de Iuda, & Episcopatum eius accipiat alter. Item facit quod Apostoli euntes per mundum ordinabant Presbyteros per singulas Ecclesias act. 14. propè fin. Et per presbyteros vniuersalis Ecclesia gubernabatur, vt in dicto cap. olim, dist. 95. Et per Ecclesiam fuit ordinatum, vt ex presbyteris eligerentur qui essent supra alios, & appellarentur Episcopi, vt dicto cap. olim, & cap. legimus, 93. dist. Ergo etiam sine Papa Ecclesia sola vtebatur ista potestate promouendi Episcopos, igitur dicendum est, quòd Sede vacante possit ista, & his similia, licèt aliàs Papæ reseruata. Vlteriùs pro ista parte adducitur text. in cap. vnico de schismat. in 6. vbi Sede vacante prohibetur Collegio Sedis Apostolicæ admittere illos Cardinales per Bonifacium VIII. priuatos ad futuram electionem. Ergo si hoc non fuisset prohibitum Collegium potuisset. Et nullus dubitat, quòd illud erat de arduis, iuxta cap. 2. de Cler. non resid. Ad idem facit, quòd mortuo Papa, Collegium potest
22 quicquid potest Papa viuens, quia Ecclesia est nomen iurisdictionis. Sed Ecclesia non perdit iurisdictionem suam per mortem Papæ, cap. si gratiosè, de rescript. in 6. ergo quicquid iurisdictionis erat in Papa viuente erit in Collegio, & multò magis in Concilio, in quo sunt etiam Cardinales. Immò, vt dicit Andreas Siculus in capit. translato, in penult. col. de constit. Collegium poterit etiam facere legem vniuersalem, per text. 16. qu. 1. cap. Ecclesia habet Senatum, iuncto cap. Constantinus dist. 96.
23 vbi patet, quòd Ecclesia habet Senatum: sed Senatus habebat facultatem condendi legem vniuersalem, vt in §. Senatus consultum, instit. de iure naturali, gentium, & ciuil. ergo & Senatus Apostolicus, hoc est Collegium Cardinalium. Igitur à pari, & fortiori ipsum Concilium. Sed Andreas non firmat pedem in eo, quod dicit de lege vniuersali, & non est sine dubio, & pro nunc de Collegio sine Papa non videtur verum. Sed si est dubium de Cardinalibus tantùm, non videtur dubitandum in Concilio, vbi sunt Cardinales, & Episcopi.
24 Item facit, quod Papa non potest sibi successorem eligere 8. qu. 1. cap. si Petrus, & cap. Moyses, sed Collegium Cardinalium potest Papam eligere, ergo saltèm quantum ad hoc potest aliquid, quod non potest Papa viuens. Item mortuo Papa Collegium Cardinalium fungitur vice Metropolitani, vt in capitulo in nomine Domini distin. 23. quod debet exponi, idest vice Papæ, qui etiam dicitur Metropolit. vt in c. sua, de off. Vic. nec alius tunc potest esse Metropolitanus Romanæ Ecclesiæ. Item facit quòd si iurisdictio legati de la-
25 tere non expirat mortuo Papa, vt in cap. 2. de offic. lega. in 6. minùs in Collegio Cardinalium, quod non minorem iurisdictionem habet, quàm legatus, quia non duraret iurisdictio legati, si Collegium Apostolicum non censeretur, & si hæc dicuntur in Collegio Cardinalium, multò magis in concilio generali tunc congregato, in quo Cardinales interueniunt, & sunt eius pars l. quæ de tota ff. de rei vind. & quod mor-
26 tuo Papa Cardinales succedant in iurisdictione, tenet Bar. in l. vbi absunt ff. de tutor. & curat. datis ab ijs, de quo videndum in illo artic. quando Papa efficitur inutilis, vel est captus, vel demens &c. Et si Cardinales multò magis Concilium. Accedit quod vbi est schisma in Ecclesia, & contentio inter duos de Papatu, tunc dicitur sedes quasi vacare, vt dicitur in capit. vnico de schisma in 6. Et si eo tempore ordinarij exercent reseruata Papæ, licitè faciunt, & valent gesta. Hoc expressè consuluit Petrus de Ancha. in consil. 410. incipit viso, & diligenter inspecto, & idem Petrus ponit in tract. schismatis circa fin.

Igitur

Igitur si hoc faciunt validè ordinarij, multò magis concilium, in quo resident om-
27 nes ordinarij, ità quod potest dici ordinarius ordinariorum. Et istam partem videtur velle Felinus in cap. querelam circa fi. de iureiur. cùm allegat Pe. de Monte in sua Monarchia, quod concilium licitè potest se intromittere de spectantibus ad Papam si in expectanda successione noui Pontificis imminet magna necessitas.
28 Sed quòd Concilium non habeat facultatem exercendi ea, quæ spectant ad Papam sede vacante, facit, quòd mortuo Papa dicitur sede vacare, vt in Clem. ne Romani de elect. cum simil. de quo vide, quæ infra ponuntur in propria quæstione, & si vacat, sequitur quod non possit quis exercere papalem potestatem, ex quo non reperitur statutum, quòd sede vacante ad aliquem deuoluatur ista potestas Pontificalis. Et accedit dispositio illius Clem. quæ vult, quòd ad Cardinales non deuo-
29 luitur, & habet quòd officia conquiescunt, & plures iurisdictiones suspenduntur. Item pro hoc facit illud Ioann. 15. sine me nihil potestis facere, quod adducitur per Aug. de Ancona in tract. de potest. Papæ quæst. 3. art. 9. Item patet quia exercitium istius potestatis fuit commissum Petro tamquam capiti à quo hæc potestas in alios diffunderetur, vt in cap. ita Dominus 19. dist. & in cap. loquitur 24. q. 1. & in ca. fundamen-
30 ta de elect. in 6. Ex quo patet quod omnes administrantes debent à Petro, & sic à Papa eius successore deriuari, cùm verò Ecclesia vniuersalis mortuo Papa remaneat, vt corpus sine capite, à quo habet procedere eius auctoritas, & à quo debet diffundi ista potestas, sequitur quòd illo mortuo penès concilium nulla remanet iurisdictio, siue potestas administrandi ea, quæ non reperiuntur commissa, nec demandata, & maximè, quæ sunt reseruata in signum priuilegij singularis ipsi Romano Pontifi-
31 ci. Item quia omne robur Concilij deriuatur à Papa, vt in cap. significasti de elect. quo mortuo videtur tunc remanere concilium sine robore, vt ibi iuncta dicta Clem. ne Romani. Et istam partem, quod Concilium sede vacante non possit exercere reseruata Papæ, nec succedat in eius vicariatu, ponit Abb. Siculus in Clem. ne Romani super gloss. in verbo non consonam de elect. Non obstat, quod dicitur
32 quod Petro fuerunt datę claues figuratiuè, quia Ecclesiam significauit, vt in c. quodcumque 24. q. 1. Quia, vt supradictum est in illo artic. cuius sententiæ sit standum, vtrùm Papæ, an Concilij, & plenius dicetur in illo articulo quis sit maior vtrùm Papa,
33 an Concilium, non tantùm figuratiuè, sed verè principaliter, & fundamentaliter datæ fuerunt claues Petro. Et cùm dicitur quod cùm Petrus claues accepit Ecclesiam sanctam significauit, intelligitur quod non accepit pro persona sua tantùm, sed etiam successorum, & pro omnibus alijs prælatis futuris per deriuationem ab eo in eos. Et ideo dicit glossa super illud Matth. 16. quodcumque ligaueris, quòd habet claues omnis Ecclesia in Episcopis, & Presbyteris, & hoc dicit Ioann. Andr. in cap. ad liberandam, in 5. colum. de Iudæis. Sed
34 obstat tex. in cap. omnibus 24. quæst. 1. qui dicit quòd ista domus Dei per quam designatur Ecclesia, etiam accepit claues, ergo non tantùm pro successoribus, sed vniuersaliter pro omnibus. Non reperio aliquem, qui illum tex. allegat in hoc, nec aliquid de hoc ibi dicit Archi. Sed potest responderi, quòd Petrus recepit claues pro se, & Successoribus, & etiam pro vniuersali Ecclesia descensiuè ab eo, vt ab ipso quasi quodam capite, Deus dona sua, velut in corpus omne diffunderet, vt dicit tex. in capitulo ita Dominus 19. distinct. & in cap. fundamenta de elect. in 6. Et sic quod
35 potestas, quæ est in Ecclesia sit descensiuè in Prælatis Ecclesiæ à Petro, & sic intelligitur Ecclesia recepisse claues eò quod Episcopi, & alij Prælati vniuersalis Ecclesiæ, & consequenter Concilium illam potestatem recipiant à Papa, & non quod omnimoda potestas sit in Ecclesia sicut in Papa, & non quod principaliter, & authoritatiuè, sicut Petro claues ei datæ censeantur. Ad quod facit ille tex. in cap. in nouo, dum dicit qui autem spernit eos, eum, à quo missi sunt, & cuius funguntur legatione spernit, & ipse indubitanter spernetur à Domino. Secundò potest intelligi quòd
36 Ecclesia receperit claues ex illo Ioan. 20. sicut misit me Pater, & ego mitto vos, hæc cùm dixisset insufflauit, & dixit eis, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, vt in cap. audiuimus, & in cap. loquitur 24. quæst. 1. Et illa verba sunt respectu ordinis, in quo Apostoli, & consequenter alij Episcopi fuerunt pares Petro, vt dicto cap. loquitur, & dicitur in dicto cap. in nouo 21. di.
37 Vel tertiò dicendum est, prout dico infra in proxima quæstione circa finem, & latius in quæstione illa quis sit maior vtrùm Papa, an Concilium vbi disputatur vtrùm Concilium habeat iurisdictionem coercitiuam, & etiã declaratur illa auctoritas Aug.
38 Non obstat si dicatur, quòd successores Pontifices, & futuri Prælati, & Sacerdotes non soli repræsentant vniuersalẽ Ecclesiam, vt est text. in c. Eccl. de consecr. dist. 1. quia Ecclesia consistit in vniuersitate omnium fidelium, & ideò non verificatur d. August. in dicto c. quodcumque, qui dicit, quod Ecclesiam significauit. Quia respondetur quòd propter vnitatem ipsorum membrorum in ipso corpore Ecclesiæ, ipsum corpus Ecclesiæ dicitur sæpe recipere, habere, & exercere, siue operari, quæ officialia eius membra, vel aliquod etiam vnum membrorum, recipit, habet, aut operatur, licèt illud tale conuenire non possit toti vniuersitati membrorum, nec veraciter dici possit de ea, nisi per figuram synecdochen, denominando totum à parte. Vnde in simili est illud Apostoli primæ ad Corin. 10. sedit populus manducare, quod exponit in gloss. 1. quidam de populo, totum pro parte ponendo. Vnde di-
39 cendum est quòd vniuersali Ecclesiæ datæ sunt, claues non in omnibus membris eius,

sed

sed in aliquibus membris eius tantùm, &
plenitudo potestatis data est illi in vno
membrò tantùm, scilicèt principali, quòd
est caput in corpore, quod est Romanus
Pontifex. Vnde Ambrosius in lib. de pœ-
nitentia dicit, quòd ius ligandi, & soluen-
di solis sacerdotibus est permissum, quod
& dicit text. in cap. 1. in §. vna verò de
summa Trin. & fidei cathol. & facit tex. in
cap. noua de pœnit. & remis. Et idem Am-
bros. vbi supra ius ligandi, & soluendi ha-
bet Ecclesia, quæ verò habet sacerdotes.
Vnde Archidiac. in cap. Ecclesiæ charitas
de consecrat. dist. 4. dicit. Ecclesia dicitur
40 facere quod eius ministri faciunt secun-
dùm instituta, puta paruulos baptismo of-
ferre, baptizare, & peccata dimittere. Pro
hoc facit gloss. Psal. decimiseptimi, quæ est
August. quæ dicit, attende regulam vnita-
tis capitis, & corporis, quasi enim vna
41 persona est caput, & corpus, ideoque vna
voce vtitur caput cum membris, licèt ea,
quæ dicuntur ad diuersa referantur, quæ-
dam enim soli capiti conueniunt, quædam
solis membris, quædam capiti, & membris,
item, quæ membris conueniunt, quædam
præteritis, quædam præsentibus, quædam
futuris, quædam perfectis, quædam imper-
fectis conueniunt, & tamen in tanta diuer-
sitate vna vox est, & quasi vna persona lo-
qui videtur. Vnde respondendo ad pri-
42 mum motiuum in contrarium dicitur,
quòd claues datæ sunt soli Petro, & in eo
successoribus eius. Vnde dicit Beatus Cy-
rillus, Christus plenissimam potestatem
Petro, & eius successoribus commisit, &
nulli alij, quàm Petro quod suum est ple-
num, sed ei soli dedit, alij enim in par-
tem sollicitudinis sunt vocati, vt in capit.
decreto 2. quæst. 6. & cap. ad honorem de
43 author. & vsu pal. Et hoc quomodo claues
datæ sint Petro, latiùs quàm alibi exami-
nabo in illa quæst. quis sit maior vtrùm
Papa, an Concilium. Et quòd Concilium
44 non succedat in reseruatis Papæ, facit
quod dicit Cardin. in Clement. ne Roma-
ni §. irritum, in versic. quartò quæro, vbi
dicit, quòd licèt mortuo Papa potestas dã-
di indulgentias remaneat penès Roma-
nam Ecclesiam, quæ mori non potest nec
vnquam potest esse nulla, vt in cap. puden-
da 24. quæst. 1. non tamen in exercitio.
Vnde infert Cardinal. ibi, quod exercitium
talis potestatis interim dormitat, seu quod
45 est sine executione. Sicut dicitur in simili
quòd Ecclesia habet vtrumque gladium,
sed temporalem non in exercitio, vt infra
in propria quæstione dicetur. Ex quo se-
quitur, quòd nec etiam Cardinales sede
vacante possunt dare indulgentias, vt in
dicta Clementina ne Romani, ponit Brix.
in repertorio in verbo indulgentia. Quod
intelligo vltra indulgentias centum die-
rum eis ex consuetudine concessas, quia
sede vacante non credo eos priuatos pri-
uilegijs illis competentibus aliàs ex tole-
rantia Pontificum, vel aliàs de iure com-
muni, ratione dignitatis Cardinalatus, sed
quando vellent concedere maiores, vel ple-
narias, & de hoc vide infrà in solutione
ad tertium contrarium, & in vltimo mo-
tiuo contra Concilium infrà cùm refero
Ioannem Gerson. Vnde patet quòd dato,
quòd ista potestas remaneret penès Con-
cilium tamquam repræsentans Romanam,
& vniuersalem Ecclesiam in habitu, tamen
non in exercitio, pro quo facit, quòd cùm
Ecclesia militans habeat vnum caput in-
star Ecclesiæ triumphantis, vt dicit illa
glossa in capit. ad nostram de hæret. & in c.
ad hoc 99. distinctio, quæ habet vnum ca-
put, idest Deum, qui omnia gubernat, &
omnia administrat, sic & Ecclesia militans
habet vnum caput scilicèt Papam, qui om-
nia administrat, & sine quo potestas Papa-
lis exerceri non debet Præterea ouile
debet esse distinctum à pastore, Ecclesia
autem est loco ouilis, & Papa loco veri
pastoris, scilicèt Christi, cuius locum te-
net in terris, vt in cap. vnico vt Ecclesia
benè & cap. quanto de translat. præla. &c.
ad Apostolicæ de re iudic. in 6. & c. pro
46 humani de homi. in 6. Non ergo debet
ouile pascere, sed pasci, nec occupare offi-
cium pastoris. Pro hoc cap. in sancta
2. quæst. 7. Pro hoc etiam facit quòd Vi-
cariatus fuit datus solum Petro, & succes-
soribus, vt supra gloss. in verbo consonam
in cle. ne Romani de elect. Ad hoc cap. li-
cèt de transla. præla. & in cap. vbi pericu-
lum §. cæterum de elect. in 6. & cap. fun-
damenta in §. ipsa quoque, de elect. eo-
dem li. Si secus diceremus, sequeretur ab-
surdum, quòd non esset necesse eligere Pa-
pam, ex quo penès omnes alios, & sic
Concilium, resideret Petri potestas, & ita
in simili dicit gloss. de collegio Cardin. in
d. cle. ne Romani, & Immol. ibi post alios.
47 Pro solutione huius dubij dicit Cardi.
de Turrecre. in tract. de po. Pa. in 3. li. in
41. cap. quod Concilium vniuersale con-
gregatum sede Apostolica vacante, ante
creationem Romani Pontificis possit, &
valeat exequi omnia, quæ necessariò occur-
rerent pro regimine, & tuitione Ecclesiæ
vbi per dispositionem iuris non posset pro-
uideri, & quæ sine magno dispendio pro-
48 rogari non possent vsque ad creationem
futuri Pontificis. Abb. in cle. ne Romani
dicit quòd sede vacante Vicarij Christi
potestas non transit in Concilium. Postea
argui tex. capit. quodcumque 24. quæst. 1.
Ait tamen gloss. ibi facere pro prima opi-
nione, & de hoc esse cogitandum. Tamen
idem, quod Cardinalis concludit Abb. qui
dicit se non vidisse alicuius authoritatem
super isto dubio, & vult quòd isto casu se-
de vacante Concilium erit administrator
necessarius non voluntarius. Pro quo fa-
cit quod sicut in necessitate vnum mem-
49 brum vtitur officio alteriùs & non aliter,
vt in cap. ad hæc, & cap. singula 89. dist.
ita & totum corpus, hoc est Concilium
necessitate instante debet fungi officio
capitis, quod est Papa, vt in cap. rogamus
24. quæst. 1. & in cap. sacrosancta 22. dist
& in cap. ita Dominus 19. dist. Ita vide-
50 mus in cap. quod in casu necessitatis fun-
gitur vice Episcopi qui est caput, vt in c.
nouit, &c. quanto de ijs, que fiunt à præ.
ad idem cap. fin. de supplen. negli. præla.
in 6. Et istam conclusionem etiam sequi-

tur

tur Pet. de Monte in monar. in q. an in aliquo casu Concilium sit supra Papam, in 6. conclusione, & ponit Feli in d. capitulo querelam de iureiuran. Et pro ista parte facit tex. in cap. vbi periculum in §. ijdem quoque de elec. in 6. vbi licèt Cardinales nihil possint sede vacante exercere de reseruatis princip. vt in §. irritum in cle. ne Romani, tamen vbi subesset necessitas pro defensione terrarum Ecclesiæ, vel ubi aliquod grande, & imminens periculum occurreret, tunc possent se intromittere si omnes essent concordes per verbum, ibi omnibus, & singulis, & ita dicit ibi, glos. Ex quo idem videretur dicendum in Concilio, quod si omnes de Concilio essent concordes quando imminet necessitas pro regimine Ecclesiæ, possent se intromittere. Et pro ista parte facit quod multum amplè per plura motiua ponit Pe. de Anch. in allegationibus factis pro Concilio Pi-
51 sano in 6. quæst. vbi quærit vtrùm Cardinales vacante sede propter hæresim Papæ, vel schisma inueteratum possint exercere reseruata Papæ. Et ibi dicit, quòd licèt non sit ista materia clarè decisa per textus, tamen ipse sentit quod iurisdictio deuoluatur ad Cardinales cum duabus limitationibus, videlicèt in casu quo subest necessitas, & vtilitas Ecclesiæ, secundò quãdo Cardinales adhibent omnẽ curã ad extirpandum hæreses, schisma. Et ad cap. vbi periculum, & cle. ne Romani, respondet quod ibi est sermo in casu, quo vacatio sedis est modico tempore duratura, sed in extirpando schismate, & hæresi, quæ non ita de facili extirpantur, diù sedes vacat & ideò succedunt Cardinales in administrando reseruata Papæ cum illis duabus restrictionibus. Et ibi ponit quod possunt constituere vnum Vicarium generalem in temporalibus, & spiritualibus. Item constituere rectores, & præsides in terris Ecclesiæ, item confirmare electionem Prelatorum, & conferre beneficia reseruata Papę. Quæ omnia non habeo ita sim-
52 pliciter pro veris, vt dixi supra, & infra in pluribus sequentibus quęstionibus, & maximè supra in illo arti. quid quando Papa efficitur furiosus, vel inutilis. Et cùm dict. clemen. velit, quod quando imminet periculum grande tunc possint se intromittere, dummodo omnes sint concordes videtur dicendum idem requiri in Concilio, vt dictum est. Vnde primò antequam Concilium apponeret manum ad ea, quæ sunt reseruata Papæ, priùs esset facienda discussio, an casus imminens indigeret propter periculum cleri, remedio, & an in hoc omnes essent concordes postea autem quando discuteretur de modo prouidendi illi necessitati, fortè non esset necesse quod omnes concordarent, sed sufficeret maior pars sicut, in alijs actios, hoc esset satis conueniens propter difficultatem concordandi omnes in Concilio existentes. Et ex hoc colligerentur duo, primò intellectus illius tex. in §. ijdem quoque, quod non requireretur, quod Cardinales omnes essent concordes in deliberatione de modo prouidendi, sed sufficeret maior pars, & quod tex. ille cum dicit, vel nisi aliquod tam grande, & tam euidens periculum immineret, quod omnibus, & singulis Cardinalibus præsentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum, intelligatur quod omnes, & singuli haberent esse concordes, quod illi casui occurrenti propter imminens periculum esset necessarium prouidere, non expectata creatione futuri Pontificis propter periculum in mora, & quod non requireretur quòd essent concordes in modo prouidendi, sed satis esset quòd fieret per maiorem partem. Et hoc conuenit rationi illius text. qui prouidet acceleratæ prouisioni futuri Pontificis, quia in modo prouidendi posset esse discordia, sicut in simili dicit gloss. in verbo non consonam, in fin. cum allegat. capituli quia diuersitatem, in clem. ne Romani de electió. ob quam discordiam non posset prouideri imminenti periculo, & esset causa dilationis futuræ electionis, & faciliùs possunt Cardinales concordari in isto articulo quòd casus imminens sit periculosus, & indigens accelerata prouisione, quàm in modo prouidendi. Et hoc credo verum, cùm etiam conueniat verbis illius text. quæ videntur sonare quòd vnanimis concordia sit in deliberando, si casus imminens sit talis, cui sit celeritèr prouidendum antè electionem futuri Pontificis. Et similiter dico in casu clem. ne Romani §. irritum, cum datur facultas eligendi, siue surrogandi pœnitentiarios sede vacante, quia sufficeret maior pars in eligendo personam pænitentiarij postquam esset deliberatum priùs concorditer necessariam esse surrogationem nullo discrepante. Et idem videtur dicere Cardi. in §. irritum in 8. quæsito. Et notandum est hoc, quia ibi Doctores nihil enucleant, nec hoc tangunt. Et si illud est determinatum in Cardinalibus sede vacante quando non est concilium congregatum, idem videtur dicendum in Concilio congregato, ad quod spectat prouidere in occurrentib. tempore vacationis sedis, quòd videtur succedere in locum Cardinalium in prouidendo necessitatibus imminentibus Eccle-
53 siæ, sede vacante. Et ex hoc sequitur aliud, quod ille tex. in dict. §. ijdem quoque non habet locum quando congregatum reperiretur Concilium tempore vacationis sedis. Quinimò eo casu posset satisfieri vtrique casui, quod Cardinales se non intromitterent, nisi acceleratæ electioni futuri Pontificis, & Concilium prouideret immineti necessitati Ecclesiæ. Licèt in hoc vltimo sit plus dubietatis, quia Cardinales sunt pars Concilij, cum quibus videtur prouidendum imminenti necessitati Ecclesiæ. Et hoc considera, quia nihil dicunt ibi Doctor. de Concilio, nec etiam Cardinalis, nec Abbas sed tantùm, quòd Concilium potest se impedire si necessitas magna vrget nec aliter potest prouideri, nec potest expectari creatio futuri Pontificis. Nec dicunt si in hoc omnes de Concilio habeant esse concordes, vt vult ille tex. in Cardinalibus in dict. §. ijdem quoque. Et ideo idem videtur dicendum in

Con-

Concilio, quòd in Cardinalibus, cum non sit dare rationem diuersitatis, bonam Ioannes Gerson Cancellarius Parisien. in
54 tract. de potestate Eccle. in 12. considera-tione dicit cum quærimus vtrùm Papa mortuo, vel eiecto possit Concilium exercere omnia, quæ potest Papa, primò dico, quod potest constituere sibi Papam vnum, modo solito per electionem Cardinalium, vel alio modo per compromissum, vel per viam Spiritus sancti, item dico, quod potest multa alia, sicut practicatum est in Concilio Constantien. in diuersis sententijs, & decretis respicientibus iurisdictionem coactiuam, vt in vocatione, & dispositione Papæ. Sed quo ad hoc potest responderi, quod illud fuit propter schisma inueteratum, quod sapiebat hæresim. Idem dicit practicatum in excommunicando, interdicendo, & absoluendo, & relaxationibus interdicti, vt fuit in causa Tridentina, & Argentina. Dicit tamen quod circa gerenda sunt aliqua quæ non possunt exerceri, nisi per suppositum determinatum Vnde distinguendo dicit, quòd aut illa sunt talia, qualia nullus potest exercere nisi sit Papa, nec per commissionem, nec aliter, vel sunt talia quæ committi possunt per aliquem vel aliquos per quos hæc exerceri non possent, sed alius capax est, ponit exemplum de Curato non sacerdoti, qui potest committere simplici sacerdoti, non habenti, plebem aliquam, vt in cura sua celebret missam, audiat confessiones, absoluat, & ministret Eucharistiam. (& sic de reliquis spectantibus, ad sacerdotium, poterit igitur, similiter Concilium committere sacerdotibus, vt agant talia, quæ Concilium per se nec illi sacerdotes sine commissione, vel licentia Concilij possent exequi saltem licitè. Quo autem ad primum membrum, an sint talia, quæ nullus possit exercere, nisi sit Papa, dicit ex communiori Doctorum sententia, quòd quo ad ea, quæ sunt ordinis nulla sunt talia, quia potestas ordinis est æqualis omnibus sacerdotibus, comprehendendo more Apostoli Episcopatum sub sacerdotio non enim videtur inquit, quòd sit aliquis actus ordinis, inquem possit Papalis authoritas, quin in illum possit de facto potestas Episcopalis. Circa illa autem, quæ sunt iurisdictionis, dicit quod Concilium in defectum Papæ possit illa exercere, vt in subijciendo Episcopo tales populos quales voluerit per sacramentorum licita & rata ministratione. Et ita dicit practicatum in eodem Concilio circa Samaritas, legatos eis dando, qui licitè possunt omnia quæ sunt ordinis, & spiritualis iurisdictionis. Et subiungit quo ad indulgentias, quo cùm hæc potestas respiciat claues quod ad forum pœnitentiæ, si hæc potestas non fuerit per superiorem, quo ad vsum limitata, cum conueniat cuilibet Episcopo, poterit etiam dare indulgentias & cùm Concilium habeat curam communitatis Ecclesiæ, ei conuenit sicut Papæ. De quo dic, vt supra conclusum est, & infra dicetur.

55 Restat respondere ad contraria. Ad primum satis dictum est supra. Ad secundùm dicitur fatendo, quod ex ista conclusione satis est prouisum Ecclesiæ. Et cum dicitur, quod mortuo Episcopo fit deuolutio administrationis ad capitulum, respondetur negando assumptum in ijs, in quibus est administratio solius Episcopi, quia fructus reseruantur successori, vt in capitulo quia sæpè de elect. in 6. Et si beneficiorum collatio spectat ad solum Episcopum sine capitulo, mortuo Episcopo capitulum se non intromittit, vt in cap.
56 1. ne sede vacan. in 6. Item regula affirmatiua, quòd succedat capitulum in administratione tamquam legitimus, & necessarius administrator, intelligitur salua in prohibitis ratihabitione successoribus eligendi, & promouendi, ac in necessitate ineuitabili, & euidenti vtilitate Ecclesiæ, & bonorum eius, attenta etiam distantia locorum & diuturnitatis vacationis, vel quasi, verè vel fictè, & alijs pensatis, quæ in dispensationibus, & alijs similibus attendi consueuere, saluis quoque priuilegijs, consuetudine vel præscriptione & nisi sedes Apostolica, aut Prælatus impeditus aliter duceret prouidendum; sunt
57 enim multæ fallentiæ ad dictam regulam vt vide in tract. ne sede vacante per Paulinum. Et ideo ex illa regula non potest formari contrarium, quia sicut Concilium dicitur necessarius administrator, & non voluntarius, ita, & capitulum respectu Episcopi, & ideo non potest allegari pro contrario. Et ad id quod dicitur, quod non est verisimile, quod Christus dimiserit Ecclesiam sine administratore, etiam respondeo per omnia sicut dicit illa gloss. in verbo non consonam in cle. ne Romani de
58 ele. Ad tertium, quod ita fuerit seruatum in aliquibus Concilijs, respondetur. Et primò quo ad Concilium Constantiense dicitur quod id, quod factum fuit tunc, cum factum fuerit tantum per vnam obedientiam, scilicèt Ioan. 23. quæ apud alias duas obedientias scilicèt Gregorij, & Benedicti non credebatur facere Concilium vniuersale, siue Ecclesiam Catholicam repræsentare, non est multùm curandum, sicut nec alia multa decreta, quæ ibi facta fuerunt. Et ideo quando Martinus Quintus approbauit gesta illius Concilij, tantùm approbauit in ijs, quæ concernebant fidem. Item & datur quo ad indulgentias
59 alia responsio quod indulgentiæ concessæ in illo Concilio non fuerunt plenariæ, quæ reseruantur Romano Pontifici, vt in cap. cùm ex eo dem. pænit. & remis. & gloss. in Cle. 2. eo tit. in verbo pœna probatur in cap. ad liberandum de Iudæ. & Oldra. con. 271. incipit quæstio talis est, & dicitur in dist. cap. quod translationem de offi. leg. ponit S. Thom. in 4. sen. dist. 20. art. 4.
60 quæstiuncula 3. Concilium autem bene potest dare suffragia orationum, & indulgentias sicut alij Præl. vt in cap. quod autem. & in cap. cùm in eo de peni. & remis. Quinimò dicitur quod Concilium generale potest etiam dare indulgentias plenarias per dicta Inno. in cap. quod autem de pœni. & remis. Et idem dicit dict. Abb. in

cle.

Cle. 2. de pæni. & remiſ. & Feli. in ſermone de indulgētia plenaria ſimpliciter tranſit cum Abbate Siculo. Sed eius opinio
61 non videtur vera; & contrarium ſentit Card. de Turrecre. in tract. de po.Pa.in 3. lib. in cap. 43. & Ioann. Au. in cap. ad liberandam de Iudæ. in 6. colum. Et quod non ſit vera opinio Abbatis, apparet ex ijs, quę dixi in illa quæſtione vtrum Concilium habeat iuriſdictionem cognoſcendi de litibus, & cauſis & de hoc fortè in-
62 fra latiùs dicam. Et iſta opinio placet, videlicèt, quod Concilium non poſſit dare plenarias indulgentias, non obſtante opinione Ioan.Gerſon,&Abb.Felini,& Pauini,quos ſaluo tantū in alijs indulgentijs, non plenarijs iuxta c. cùm ex eo de pœn.& remiſſ. Ad id, quod dicitur de Concilio Baſileen. reſpondetur, quòd in illo Concilio multa præſumptuosè in totius Eccleſiæ perturbationem facta ſunt. Ad illud de Concilio Senenſi,ſuper quo ſe fundat etiam Abb. in d. ſermone maximum, reſpondetur, quòd illud fuit de mente, & voluntate Martini Papæ, & ſub Bulla eiuſdem, & ita refert Card. in d. cap. 43. in fin. ſe etiam audiuiſſe ſæpiùs Baſileæ ex bonæ memoriæ Domino Paduano, qui fuerat vnus de præſidentibus in dicto Senenſi Concilio. Ad
63 quartum negatur aſſumptum, & quod dicit Bald. in d. l. non ambigitur, intelligitur quoad electionem de Papa mortuis electoribus, & eſt quæſtio, quam ſupra examinauimus, vtrùm electio deuoluatur ad Concilium, an ad Clerum Romanum, vide ibi dicta. Ad quintum reſpondetur, quod
64 ex hoc,quod Concilium poteſt aliquo caſu ſibi ipſi authoritatem interponere fortè contra Papam hæreticum, non ſequitur, quòd omnis pontificalis poteſtas remaneat in Concilio, niſi reſpectu cognitionis cauſæ hæreſis contra Papam, vt in capit. ſi Papa 40. diſt. cap. fraternitatis de hæret. & in cap. in fidei eod. tit. in 6. Ad illud quod poſſent contingere vacante Papam aliqua grauiſſima &c. reſpondetur, quod eſt prouiſum per ſupradictam concluſionem, quia Concilium tunc eſt neceſſarius adminiſtrator, vt ſupra dictum eſt. Ad ſextum reſpondetur, quod motiuum non concludit,
65 quia dato quod inhabitet Spiritus ſanctus Concilium, non ſequitur quod aliam poteſtatem recipiat, quàm à Spiritu ſancto datam, non reperitur autem, quòd data ſit poteſtas pontificalis Concilio Sede vacante. Item authoritas, Matth. 28. loquitur in Chriſto, ideo non ſequitur, quòd eadem poteſtas ſit in Concilio. Sicut dicimus de Papa ad Concilium, quia maior eſt authoritas Papæ, quàm Concilij, & quantumcumque Papa præſit,non tamen Concilium recipit ipſius poteſtatem omnimodam. Item & Concilia ſæpiùs errarunt, vt ſupra aliàs dictum fuit. Ad ſeptimum de cap. ſi quis pecunia, reſpondetur,quod ſi illo caſu, quo aliquis eſt notorius intruſus in Papatum, conceditur Concilio eiectio illius, non ſequitur, quòd vacante Sede omnis pontificalis poteſtas ſit in Concilio, quia
66 non ſit extenſio de vno caſu ad alios in materia iuriſdictionali, l. magiſtratibus, l. eum qui, & l. fin. ff. de iur. omnium iud. Vel reſpondetur quod illud ſit illo caſu ex vi facultatis conceſſæ ex illo textu. Et iſtam vltimam ſolutionem ponit Card. in Clement. ne Romani in §. irritum in 2.oppoſit. Sed prima plus placet. Ad Clem.ne Romani reſpondetur de regula brocardica,quòd caſus omiſſus habetur pro omiſſo, l. commodiſſimè de liber. & poſthum. Ad
67 octauum de authoritate,Matth.18.reſpondetur quod ex illa non ſequitur, quòd poteſtas pontificalis remanet in Concilio. Item mortuo Papa etiam illa authoritas poteſt per Prælatos in Eccleſia vniuerſali exiſtentes exerceri, & quoad Epiſcopos, & Archiepiſcopos, quando eſſet periculum in mora, & caſus non reciperet temporis dilationem, eſt ſatis prouiſum per ſupraſcriptam concluſionem. Ad nonum, & pri-
68 mò ad cap. 2. de cler. non reſid. reſpondetur, quod illud fuit factum à Concilio præſidente Papa. Et ad iura ibidem allegata, dicitur quod loquuntur de Concilio cum Papa, vel de eius mandato, voluntate,
69 vel ratificatione. Ad cap. ſi duo, dicitur quod ſi habet cognitionem in aliquo caſu, non ſequitur ergo omnem poteſtatis plenitudinem, patet in Cardinalibus in capit. licèt de elect. qui eligunt Papam tamen Sede vacante non poſſunt ſe intromittere de ſpectantibus ad Papam, d. Clement. ne
70 Romani. Ad illud quod legitur act. 1. reſpondetur quod in illo Concilio fuit etiam Petrus, & ipſe tamquam principalis propoſuit negotium, & fecit hoc ad maiorem firmitatem, & propter Eccleſiæ nouitatem. Nam & poſtea ipſe ſolus prouidet de Epiſcopatibus, vt in cap. in illis, 17. diſt. & Apoſtoli receperunt prædicandi poteſtatem ab eo, vt eum in ſuperiorem recognoſcerent, licèt Dominus miſiſſet omnes, vt dicit Archid. in capit. ita Dominus, 19. diſtinct. Poteſt enim Papa exercere aliqua maximè ardua cum Concilio, vt d. cap. ex geſtis, & in cap. ad Apoſtolicæ de re iud. in 6. cum ſimil. Ad illud ex act. 14. capit.
71 quòd Apoſtoli euntes per mundum ordinabant presbyteros, per quos vniuerſalis Eccleſia gubernabatur, & quod per Eccleſiam fuit ordinatum, vt ex presbyteris eligerentur, qui eſſent ſupra alios, & Epiſcopi appellarentur, vt in allegato cap. olim, 95. diſt. Reſpondetur, quod totum fiebat authoritate Petri; & ideo non ſequitur, quòd vacante Sede, ſola Eccleſia poſſit il-
72 lud facere. Ad cap. ſi tranſitus, datur reſponſio, quod loquitur ſecundùm illa tempora, ſecundùm quæ interueniebat vniuerſus Clerus in electione Papæ, vt in cap. in nomine Domini, 23. diſt. & cap. obeuntibus, cum pluribus ſimilibus ibidem, 63. diſtinct. Vel quod illi religioſi vocabantur ad conſenſum præſtandum electioni factæ, & non faciendæ, vt ſic concordet cum d. cap. in nomine Domini. Item ex hoc non ſequitur, quod Concilium ſuccedat in omnibus caſibus Papæ reſeruatis Sede vacan-
73 te. Ad illud ex capitulo primo de ſchiſm. in 6. & ad plura motiua, quæ ſequuntur, dic vt per gloſ. & Doct. ibi in verbo vacante. Ad illud quod Eccleſia eſt nomen iu-

74 risdictionis, & quòd ipsa non perdit iurisdictionem mortuo Papa, conceditur quod non perdit omnimodam iurisdictionem, sed differtur exercitium administrationis vsque ad creationem alterius futuri Ponti-
75 ficis. Ad illud quod Collegium Cardinalium habet facultatem condendi legem vniuersalem, quod dixit Andreas Siculus, dic quod opinio contraria est verior, quam ponit ibidem, d. Anton. in d. cap. transla-
76 to. Nec obstat, quòd Ecclesia dicitur habere Senatum, quia hoc sonat, quòd Cardinales cum Papa faciunt Senatum, & Papa solus in foro canonico potest facere legem vniuersalem, quia ipse solus in hoc habuit potestatem à Deo de translat. Prælat. cap. I. & qui filij sint legitimi, cap. per venerabilem. Quo autem ad laicos Principes, Senatus, & Populus Romanus, l. non ambigitur, ff. de ll. secundùm d. Anton. in d. cap. translato, & Decium ibidem. Ad
77 illud, quod Collegium eligit Papam, quod non potest Papa viuens, respondetur quod illud, quod facit Collegium, facit non sua propria authoritate, sed Papæ, & Concilij, vt in cap. licèt, de elect. & cap. vbi periculum eod. tit. in 6. & cap. in nomine Domini, 23. dist. Et ita his vltimis motiuis respondet Augustinus de Ancona, quæst. 3.
78 art. 9. in tract. de potest. Papæ. Ad opinionem Bartol. in l. vbi absunt, respondetur quod illa est reprobata, vt ibi dicit Alex. de Immola. Non omitto, quod illud, quod dicit Petrus de Anchar. cons. 410. incipit viso, quod sequitur Alexandrinus in cap. per venerabilem, in §. quod autem, qui filij sint legitimi, in 21. & 26. char. vi-
79 delicet quod vbi est schisma in Ecclesia Ordinarij possunt exercere omnia, quæ sunt Papæ reseruata. Et idem dicit de Cardinalibus maximè in ijs, quæ concernunt bonum animæ, & sic quod Sede vacante, & Cardinales, & alij Ordinarij hoc possunt, ex quo videretur idem dicendum de Concilio. Sed dic quod illud dictum fortè non procedit ita simpliciter, & sine dubio, sed in casu, qui concerneret periculum animæ, & quod idem est de Concilio. Et eorum dictum intellige, vt supra dixi, quando imminet necessitas, & res non recipit temporis dilationem. Et ibi dispensans adstringebat dispensatos ad petendam confirmationem à Papa vero, cessante schismate. Item ibi Alexander Papa confirmauit omnia illa, igitur si non confirmasset, fortè non valuissent, nisi ad illos excusandum à pœna, l. furti, §. qui iussu, ff. de infamibus in glos. ff. de aqua pluuia arcen. l. quamquam in princ. de reb. eorum, l. sed si pecunia, §. 1. ff. quod falso tutor. & act. l. interdum, l. & generaliter, ff. de noxalibus, bonus text. in l. fin. C. de magistratibus conueniendis, iuncta glos. text. cum glos. in cap. 1. 27. distinct. & cap.
80 Diaconi, 28. dist. accedit quod videmus in istis reseruatis principi, nec ciuitatem, nec aliquem inferiorem posse manum apponere, l. 1. §. de qua, ff. de postulando, ponitur in cap. cùm te de re iudic. post Innoc. l. fin. C. de ijs, qui veniam ætat. impetrauerunt, in auth. quib. mod. natur. effi. legit. §. quoniam, de quo per Doct. in cap. quòd translationem de offic. legat. Nec talia principi reseruata possunt quæri consuetudine, cap. bonæ el 2. de postul. Prælat. per Doct. de præscript. cap. cum nobis post glos. & post Bartol. in l. testamenti fact. ff. de testam. & in Auth. sed hodie, C. de natalibus restit. Et si sic, ergo non obstat consilium Petri de Anchar.

SVMMARIVM.

1 *Concilium simpliciter loquendo, idest etiam Sede non vacante, an possit facere, quæ ad solum Papam pertinent.*
Argum. quod sic, num. 2.
2 *Translatio Episcopi, de Ecclesia ad Ecclesiam potest fieri de licentia concilij.*
Concilium imponit pœnam presbytero fornicario.
Deponit Cardinalem.
Deposuit Patriarcham Constantinopolitanum, quòd excommunicauerat Leonem Papam.
Deposuit plures Episcopos, & restituit.
Facit statuta generalia de electione Papæ.
Et de salute animarum.
Transfert iurisdictionem in Papam etiam priuatiuè quoad alios Episcopos, &c.
Cognoscit de depositione Papæ.
Decernit censuras.
Concedit Pedagia, Guidagia, & Salinaria, quæ nonnisi à principibus conceduntur. ibidem.
3 *Concilium viuente Papa non potest exercere ea, quæ Papæ reseruata sunt.*
Et ibi respondet ad contraria allegata per totum. num. 2.
4 *Cap. Episcopus de loco.*
Et cap. mutationes.
Et cap. ex gestis de cler. non resi. 7. quæst. 1. intellectus.
Et cap. Ioannes in princ. & in §. Asclepius, 50. dist.
5 *Glos. in cap. clerici, de cler. excommun. ministr. probatur ratione.*
6 *Duo insolidum eamdem rem possidere non possunt.*
7 *Papa dicitur Sponsus Ecclesiæ.*
Et quomodo intelligendum. num. 13.
Vir sicut caput est mulieris, sic Papa Ecclesiæ.
Sponsus sicut præest sponsæ, ita Papa præest Ecclesiæ vniuersali.
Sponsus eodem tempore non potest esse, nisi vnicus.
Ecclesia incorrupta est, & pudica, vnam domum nouit, vnius cubiculi castitatem casto pudore custodit.
8 *Papa solus vocatus in plenitudinem potestatis, cæteri Ecclesiæ Prælati in partem sollicitudinis.*
9 *Papa quomodo dicatur habere plenitudinem potestatis remissiuè.*
10 *Papa ita gubernat generalem Ecclesiam, & gregem Dominicum, sicut vir bona vxoris.*
11 *Potestas eodem tempore non potest esse penès Gubernatorem, & gubernatum.*
Quia sequeretur vnum absurdum. numero sequenti.

14 Cap.

14 *Cap. super quibusqdam de verb. signif. & ibi Abb. declarat.*
15 *Auctoritas debet praecedere actum.*
16 *Cap. in omnibus 24. quaest. 2. intellectus.*
17 *Papa habet iurisdictionem temporalem in habitu, & exercitium est translatum per Ecclesiam in Imperatorem.*
Et declaratur, quando etiam Papa habeat exercitium. num. 18.
19 *Ecclesia vtrùm habeat vtrumque gladium, & exercitium eius quando vult.*
20 *Concilium viuente Papa indubitato non potest ea, quae sunt Papae reseruata.*
Et quae sint enumerat Auctor. ibidem.
Ecclesia est nomen iurisdictionis.
21 *Et quomodo intelligendum.*
Papa vero, & indubitato existente ponit Auctor, ad quae sit necessaria Concilij congregatio.
23 *Cap. sicut excellentiam. 23. quaest. 4. intellectus.*

ARTICVLVS V.

1 QVaero consequenter vtrùm Concilium possit absoluere dispensare, & alia facere, quae ad solum Papa pertinent, sim-
2 pliciter loquendo etiam Sede non vacante. Et videtur dicendum, quod sic. Et de hoc videtur text. in cap. Episcopus de loco, 7. quaestione 1. Episcopus, vbi de licentia Concilij potest transferri de Ecclesia ad Ecclesiam. Et tamen translatio Episcoporum est de reseruatis Papae, vt in cap. quod translationem de offic. legat. & in cap. 1. & cap. quanto de translat. prelat. Ad idem videtur text. in cap. presbyter 82. dist. vbi imponitur poena depositionis presbytero fornicario. Item deponit Cardinalem, vt in cap. 2. de cleric. non resid. Item deposuit Patriarcham Alexandrinum, qui fuit ausus excommunicare Leonem Papam, item plures reperiunturEpiscopi depositi, & restituti à Concilio, vt in capitulo Ioannes 50. dist. & cap. si quis Episcopus 11. quaest. 3. cap. nullus Episcopus 5. quaest. 4. & 2. quaest. 2. cap. scelus. Item facit statuta generalia de electione Papae, & de salute animarum, cap. in nomine Domini, 23. dist. & cap. ex multis, 1. quaest. 3. & cap. virgines, 20. quaest. 4. cap. visis 16. quaest. 2. Item dedit primatum Ecclesiae Romanae, 17. d. §. hinc etiam, c. dudum 3. quaest. 6. cap. aliorum, 9. quaest. 3. Transfert quoque in Papam iurisdictionem etiam priuatiuè ad alios Episcopos, d. cap. dudum, & cap. quamuis, 3. quae. 6. cap. sacrosancta, 22. dist. de penit. & remis. cap. cùm ex eo. cognoscit de depositione Papae, vt in c. nunc autem 21. dist. & c. si Papa 40. dist. Item Concilium decernit censuras, vt in c. si quis Episcopus, & c. sicut de haeret. Et multa his similia reperiuntur per Concilia gesta, quae sunt Papae reseruata, de quibus etiam vide supra proxima, quaestione in nono contrario. Et hoc tenet Ioan. Gerson. Cancellarius Parisien. in tract. de potest. Eccles. in 11. consideratione, qui dicit, quòd saepiùs fuit practicatum in Concilio Constant. de diuersis sententijs, & decretis respicientibus exercitium iurisdictionis coercitiuae, sicut in vocatione, & depositione Papae, sicut excommunicatione, & interdicto, relaxatione, & absolutione factum fuit in causa Tridentina, & Argentina, in quibus omnibus introducitur sancta synodus loquens, decernens, & definiens, sicut inuenitur in primis Concilijs tempore Apostolorum, & aliorum, quod Concilium loquebatur, & non Papa etiam dum viuebat, vt legitur act. 15. & cap. 6. ita dicit ipse in dicta 11. consideratione. Et ista conclusio etiam videtur approbari per text. in cap. super quibusdam de verbor. signif. ibi, vel Lateranen. Concilij largitione concessa. Quem in hoc dicit esse singularem Abb. Siculus ibi, vbi patet, quòd Concilium generale concedit Pedagia, Guidagia, & Salinaria, quae nonnisi à principibus conceduntur, vt ibi, & in capitulo innouamus de cens.

3 Sed tu tene, quod contrarium est veritas, quia non potest Concilium viuente Papa se intromittere de reseruatis Papae. Et pro hoc est glos. ab omnibus approbata, quam allegat pro singulari Petrus de Monte in vltima quaestione, & vltima conclusione suae Monarchiae Papae, quae est in cap. 2. de cler.
4 excommunicat. minis. Non obstat text. in d. capit. Episcopus de loco, quia secundùm Hugonem ibi debet intelligi de Synodo congregata authoritate Papae. Et ibi refert Domin. post Archidiacon. & Ioann. de Fan. quod illud debet intelligi factum cum authoritate Papae, & quod concilium à se non posset. Et ita debet intelligi cap. mutationes, 7. q. 1. vbi si interuenit Concilium, interuenit cum authoritate Sedis Apostolicae. Et de hoc est text. quod si debet fieri per Concilium, tunc debet fieri cum authoritate Papae, in capitulo sicut alterius circa fin. eadem causa, & quaest. Et ita etiam potest intelligi text. in capitulo ex gestis de cler. non resid. vbi in Concilio fuit priuatus Cardinalis, quia illud fuit factum authoritate Papae, qui quando vult potest exercere ardua cum Concilio, vt dicit ibi Innocent. & text. in capitulo ad Apostolicae de re iudic. in 6. Et eo modo potest responderi ad cap. Ioannes, in princ. & in §. Asclepius 50. dist. & in §. pen. & fin. qui text. ex palea. Ad alia autem iura supra allegata, & ad illud, quòd Concilium dedit primatum Ecclesiae Romanae, dictum est in quaestione vtrùm Papa, & Romana Ecclesia sumpsit robur à Concilijs. Et quod cognoscat de causa Papae supra, & infra dicitur, quando, videlicet in causa haeresis, vt d. cap. si Papa, & in cap. in fidei, de hae-
5 ret. in 6. Et ista opinio illius glos. in cap. Clerici, de Cleric. excom. min. probatur ratione, quia si Concilium posset exercere reseruata Principi, iam esset ponere duo principia, siue duo capita in Ecclesia, quod est directè contra multa iura, vt in cap. loquitur, cap. audiuimus, cap. alienus, cap. omnibus, 24. quaest. 1. cap. quoniam de
6 offic. ord. Pro quo facit, quòd duo insolidum eamdem rem possidere non possunt, l. tertia §. si duobus vehiculum, ff. commodati. Sed Papa verus, & vnicus est insoli-

dum in quasi possessione exercendi,& concedendi ista similia in signum superioritatis reseruata, d. cap. quòd translationem, de offic. legat. in glos. & dicto cap. primo, de translat. prælat. cum similibus: ergo non potest esse penès Concilium eodem tempore. Accedit, quòd Papa dicitur sponsus Ecclesiæ, 97. dist. cap. Ecclesiæ meæ & cap. quòniam, de immun. Eccles. in sexto. Et sicut vir caput est mulieris, vt in cap. cum caput, 33. quæst. 5. & sicut vxor est subdita viro, vt in cap. hæc imago, & in cap. mulier., ead. caus. & quæst. sic & Ecclesiæ caput est Papa, vt in cap. aliorum, 9 quæst. 3. Sicut, & Petrus datus fuit caput Ecclesiæ, vt in c. rogamus, 24. quæst. 1. Ipsi enim datus est principatus, vt in cap. ita Dominus 19. dist. cum simil. & in eo successoribus, vt d. cap. ita Dominus, & in cap. fundamenta de elect. in 6. & in cap. sacrosancta 22. dist. Et sicut sponsus præest sponsæ, vt in d. cap. mulier, & cap. hæc imago, ita Papa præest ecclesiæ vniuersali, vt in cap. significasti, de elect. Et sponsus eodem tempore non potest esse, nisi vnicus, & sponsa Christi Ecclesia incorrupta est, & pudica, vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem in casto pudore custodit, vt dicit text. in cap. loquitur, 24. quæst. prima. Et solus Papa vocatus est in plenitudinem potestatis, cęteri alij in Ecclesia Prælati, vocati sunt in partem sollicitudinis, vt in cap. decreto, & cap. sequen. secunda quęstione sexta, & in cap. ad honorem, de authorit. & vsu pal. Et quomodo Papa dicatur habere plenitudinem potestatis, & Episcopi assumpti in partem sollicitudinis quasi iudices singulis ciuitatibus præpositi, propter, quod soli fratres ab eo appellantur, vide S. Thom. in 4. sentent. distin. 20. art. 4. quæstiuncula 3. Item sicut vir administrat bona vxoris, & gubernat vxorem, vt in l. si ego ff. de iure dotium, cap. per vestras de dona. inter virum & vxor. l. doce Ancillam C. de rei vendic. cum simil. sic Papa gubernat vniuersalem Ecclesiam, & gregem Dominicum, quia Petro, & successoribus in eius persona dictum est pasce oues meas, non distinguendo inter has, & illas, vt patet Ioan. vlt. cap. in c. solitæ de maior. & obed. & in Extrau. vnā sanctam Ipse enim est Vicarius Christi successor Petri Rector Ecclesiæ vniuersalis, & Dominici gregis director, vt dicit text. in capitulo vbi periculum in §. cæterum de elect. in 6. Et multa his similia vide infra in quęstione verùm Papa ligetur voto suo, & iuramento, & alia quæstione quis sit maior vtrùm Papa an Concilium. Non ergo potest esse eadem potestas eodem temporè penès superiorem, ac gubernatorem, & gubernatum, alioquin esset dare confusionem, & dicere Ecclesiam Militantem non esse adinstar Triumphantis, quæ habet vnum caput, quod omnia gubernat, vt glos. & ibi Doc. in cle. ad nostrum dehæret. Et si eadem esset in Ecclesia vniuersali, siue in Concilio potestas, iam non esset in Papa potestatis plenitudo, nec esset superior Concilio, sicut videbimus, in quæstione, propria, contra text. in d. cap. significasti. Nec esset Ecclesiæ vnum caput, & Monarchia, contra illud, quod dicit S. Thom. in prima parte, quæst. 103. art. 3. & multitudo principum mala est, & principatus optimus est, vbi vnus principatus, vt dicit philosophus, 2. poli, & refert Abb. Siculus in capitulo nouit de iudic. Et contra text. in capitulo in apibus, 7. quæstione prima & capitulo quoniam, de offic. ord. & in cap. loquitur, 24. quæst. 1. Item non esset tam necessaria, acceleranda electio Pontificis, si Concilium posset omnia administrare, sicut in Collegio Cardinalium dicit glos. & Doct. in Clementina, ne Romani in verbo consonam; de electione.

7

8

9

10

11

12

13 Et si dicatur, quod Papa non est sponsus Ecclesiæ, sed Christus, vt ex text. in d. cap. loquitur in fin. 24. quæst. 1. dicendum est secundùm S. Thom. in tract. contra impug. relig., quòd sponsus Ecclesiæ propriè Christus est, de quo dicitur, Ioann. capitulo tertio, qui habet sponsam sponsus est, ipse enim de Ecclesia suo nomine filios generat, alij autem dicuntur sponsi, sicut ministri sponsi exteriùs cooperantes prędicationis verbo, aut dispensatione sacramentorum ad generationem filiorum spiritualium, quos quidem non sibi, sed Christo generant. Qui quidem ministri in tantum sponsi dicuntur, in quantum vicem veri sponsi in tota Ecclesia gerunt, qui vniuersalis Ecclesiæ sponsus dicitur. Sic, & rector dicitur sponsus suæ Ecclesiæ, & Ecclesia vxor Rectoris, vt in cap. sicut 21. qu. 2. Et tota ciuitas, & Diœcesis dicitur vxor Episcopi, vt in cap. sicut alterius 7. quæst. 1, vnde dicit Hostien. in d. cap. ad Apostolicæ, de decim. in princ. quod tota ciuitas, & diœcesis censetur vna parochia Episcopi, & quilibet potest ab eo Sacramenta recipere, sicut à Parochiano, & speciali Rectore, vt in cap. officium, de offic. Archipresb. & 50. disti cap. in capite. Et ipse dicitur sponsus, & in signum desponsationis portat annulum, & Ecclesia eo mortuo dicitur viduata, vt in cap. ne pro defectu, & in cap. quia propter de elect. Et vide Domin. & Card. & Alexan. post eos in d. cap. sicut alterius, 7. quæst. 1. Et vide Aug. de Ancona in tract. de potest. Papæ, quæstione 10. artic. 1. qui idem dicit quod S. Thom. vbi supra, & Felin. in cap. 1. de

14 constit. Et ad text. in cap. super quibusdam, & Abbatem. ibi, responde, quod intelligitur, quando Concilium fuit legitimè congregatum authoritate Papę, vel cui pręfuit Papa. Et ita notat ibi Abbas, quòd si ipse Papa, qui habet iura suprema sibi reseruata concedit illa solus, multò magis eo existente in Concilio concedet cum Concilio, quod sumit robur ab authoritate ipsius Papæ, d. cap. significasti de elect. Ad quod facit quod ibi in d. c. super quibusdam, est sermo de Concilio Lateranen. in quo præfuit Alexander, secundùm glos. fin. in Clemen. vnica, de immunit. Eccles. & idem si fuit Innocentius tertius, vt ibi dicitur. Vbi autem non præesset Papa, nec eius authoritate, essent concessa pedagia, non credo, quòd posset solum Concilium illa

illa concedere, tum quia non reperitur iure cautum, tum quia vt dicit S.Thom. in trac. contra impu.relig.refert & seq.Card.S. Sixti in tract. de potest. Papæ quæst. 56. existentes in Concilio non possunt aliquid statuere sine authoritate Papæ, quod & ponderat Felin. in cap. primo, in 4. col.
15 de sponsa. Authoritas autem debet præcedere actum, in l. obligari in §. tutor, ff. de author. tutorum., & Bart. in l. si quis mihi in §. iussum ff. de acquiren. hæredit. Innocent. & alij in cap. cùm consuetudinis, de consuet. Sed videtur obstare text. in
16 capitulo omnibus 24. qu. prima vbi dicit tex. quod Ecclesia etiã claues accepit, ergo videtur, quòd pariformiter possit vti plenitudine potestatis, sicut Petrus. Sed ad hoc respondetur per id, quod subijcit idem text. videlicet, ac potestatem ligandi, & soluendi, quod soluit contrarium, hoc enim est dicere in ijs, quæ sunt ordinis, in quibus Apostoli fuerunt pares Petro, vt in cap. in nouo. 21. dist. & sæpiùs suprà dictum est. Sicut etiam dictum fuit respondendo ad authoritatem Aug. cum dicit, quòd quando Petrus claues accepit Ecclesiam significauit, vt in capitulo quodcumque 24. quæst. prima, quòd intelligitur eum accepisse pro se, & successoribus, & alijs futuris Prælatis, quia aliàs Sede vacante non esset, qui posset absoluere, & expirasset potestas cum Petro, de quo latè videndum in quæstione, quis sit maior, vtrùm Papa an Concilium: posset etiam dari alia solutio. Si enim volumus tenere, quòd omnis potestas sit data Ecclesiç etiam respectu potestatis iurisdictionalis, posset dici, quod talis potestas data censetur Ecclesiæ in habitu, sed quòd, quo ad actum, & exercitium ipsius, viuente Papa indubitato, sit tantùm pœnès Papam, qui solus tunc dicitur habere plenitudinem potestatis. Facit quod dicitur in cap. causam quæ qui filij sint legit. & in cap. nouit. de
17 iudic. vbi patet quod licèt Papa habeat iurisdictionem temporalem in habitu, tamen exercitium ipsius iurisdictionis est translatum per Ecclesiam in Imperatorem: ideo non potest Papa Imperatore viuente exire in actum iurisdictionis temporalis, & quod habet in habitu deducere in exercitium, quia Christus dixit Petro, qui exemerat gladium, & percusserat Malchum, vt gladium mitteret in vaginam, vt legi-
18 tur Ioann. 18. cap. Nisi casu aliter ex aliqua magna causa, & ardua, quia tunc bene poterit eam in exercitium deducere ex authoritate Dei, vt in cap. pro humani. de homi. in 6. & text. ibique notatur, in capitulo per venerab. qui filij sint legitimi. Posse enim ex aliqua magna causa priuare aliquem Principem sæcularem, sicut est text. de Rege Franciæ in cap. alius 15. q. 6. Item & mortuo Imperatore Ecclesia bene poterit deducere ad actum huiusmodi iurisdictionem, quam habet in habitu, vt in capitulo licèt ex suscepto, de foro competenti. Et intellige sanè in terris Imperij, quia in terris Ecclesiæ semper potest exercere temporalem iurisdictionem, vt in capitulo si duobus, de appel. & ibi notatur.

19 De hoc tamen vtrùm Ecclesia habeat vtrumque gladium, & exercitium eius, quando vult, vide infra in proprio loco in penultima quæstione. Et ex hoc patet quod viuente Papa Ecclesia non potest exercere, quæ sunt Papæ reseruata, sed bene mortuo Papa, & necessitate subsistente, vt dictum est in quæstione præcedenti. Et per hoc facit bene text. in capitulo, per venerabilem, qui filij sint legit. ibi, is verò super eos Sacerdos, siue iudex existit cui Dominus inquit in Petro, quodcumque ligaueris super terram erit ligatum in cœlis, eius Vicarius, qui est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, constitutus à Deo iudex viuorum, & mortuorum, vbi apparet, quòd Papa est iudex super omnes alios Prælatos, & Cardinales, quos dicit Sacerdotes Leuitici generis. Vnde pa-
20 tet ex præmissis, quòd viuente indubitato Papa non poterit Concilium de reseruatis Papæ se intromittere, quia illud exercitium iurisdictionis est solùm in Papa, vt in terminis canonis si quis suadente 17. quæst. 4. Nec dispensare in secundo, & tertio gradu consanguinitatis, nec cum irregularibus, vt vult illa gloss. in dicto cap. clerici de Cler. excomm. minis. Nec poterit pallium dare Archiepiscopis, quod sumitur de corpore B. Petri, & in cap. significasti, de elect. & sic de similib, reseruatis Papæ. Et sic non poterit se intromittere de creandis Cardinalibus, quia est de arduis, vt dicitur in cap. super eo, post Ioan. Mon. de hære. in 6. & in dict. cap. ex gestis, quia etiam creare Cardinales est potestatis Papæ. Sunt enim in Papa aliqua per modum potestatis, & aliqua per modum iurisdictionis, vt dicit Imol. in Clement. ne Romani, in princ. de elect. Idem videmus in Collegio Cardinalium, quod licèt habeat facultatem eligendi, & creandi Papam, tamen non potest, nec Sede vacante creare Cardinales, vt est gloss. & ibi omnes Doct. in dict. Clement. ne Romani, in verbo potestatis, de elect. licèt sit minus, quàm creare Papam. Et hanc conclusionem ponit simpliciter Aug. de Ancona in quæst. 3. art. 9. in tract. de potest. Papæ. Et ibi respondet ad aliqua
21 contraria, maximè ad illud quod Ecclesia est nomen iurisdictionis, sed Ecclesia numquam perdit iurisdictionem, per mortem Papæ, ergo quicquid iurisdictionis erat in Papa, eo mortuo est in Ecclesia. Quia respondet, quòd Ecclesia non perdit iurisdictionem, sed bene perdit ad tempus dictæ iurisdictionis actualem administrationem, quia actualis administratio non fit nisi per Papam, mortuo igitur Papa cessat illa actualis administratio vsque ad creationem alterius. Et pro hoc facit quòd ponit Alexand. 15. distinct. in summa q. 35. vbi ponit minus præiudicij esse, quod exercitium iurisdictionis differatur vsque ad creationem noui Pontificis quàm quod eius suprema potestas ad aliquem deuoluatur. Et pro ista conclusione idem Augusti. adducit illud Ioan. decimoquinto, cùm Christus dixit Apostolis suis sine me nihil potestis facere, & vide quæ dico latiùs

tiùs infra in proxima quæstione, & hæc adde ad dicta in illa quæstione de quibus causis, & litibus possit cognoscere Concilium, vbi inter cætera dicitur, quòd ex quo Concilium sumit authoritatem à Papa, tantùm potest, quantùm fuerit ei concessum à Papa, quando est vnus indubitatus, & verus Papa in Ecclesia, qui præest, vel cuius authoritate commissarius in ipso
22 Concilio præest. Etsi dicatur ergo ad quid proderit congregatio Concilij, quando est indubitatur Papa, frustratoria enim videtur determinatio, cap. illa, 12. distinct. vbi dicitur quod saluberrima est commendata authoritas Conciliorum in Ecclesia, si omnia dependent à voluntate Papæ. Est dicendum quòd est saluberrima authoritas Conciliorum, quia cum maiori maturitate censentur edita eius statuta, quia rectum est iudicium, quod plurimorum sententijs roboratur. Itidem ideò saluberrima, quia concorditer cum Papa indubitato, & sic interueniente Spiritu sancto statuuntur Conciliorum decreta, vt in capitulo si quis Diaconus, & in capitu. si ille 50. distinct. & act. 15. ibi visum est Spiritui sancto, & iuxta illud, si duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, &c. vt in cap. audiuimus 14. quæst. 1. item est saluberrima Conciliorum congregatio, quia si Papa vellet aliquid minùs honestum, posset per Concilium prouideri per illa remedia, quæ dicta sunt supra, quando est incorrigibilis, videlicet resistendo, & alia faciendo ibi dicta: item est saluberrima, quia iudicium multorum potest trahere sententiam Papæ malè sentientis ad veritatem à multis aperiendam, argumen. notatorum in capitulo quoniam de iurepatron. Non obstat si dicatur quod Concilium reuocat Sede vacante ea, quæ sunt iuris positiui, vt vult Archidiaco: in capitulo porro 66. distinctio. Quia respondetur vt dictum est in illa quæstione vtrùm Concilium possit reuocare constitutionem Papalem: dic vt ibi, quia declaratur dictum Archid. ibi, & vide quod
23 statim sequitur. Non obstat text. in capitulo sicut excellentiam 23. quæst. 4. vbi Concilium promouet aliquem ad Episcopatum, quia ibi illud fuit factum authoritate Papæ.

SVMMARIVM.

1 *Concilium Sede vacante, an possit disponere contra iura positiua, & illa tollere,*
Et tenet Auctor quod non.
Et limitat. ibidem.
Et iterùm limitat. num. 2.
3 *Concilium, an possit facere constitutionem, quòd Papa possit sibi eligere successorem.*
Et determinat Auctor quod non.
4 *Nec potest in suo regno determinare in vita sua, quis debeat esse Rex post mortē suam.*
5 *Concilium non potest conferre beneficia, fallit. ibidem.*
Et roboratur conclusio ista.
Et infra. num. 7.
Et distinguit Auctor, si Papa verus existat in Ecclesia, vel non.
6 *Cardinales Sede vacante, nec ipsorum collegium se intromittunt de Episcopatibus, & alijs, quæ sunt Papæ reseruata.*

ARTICVLVS VI.

Diximus quod Concilium Sede vacante non se intromittit de reseruatis
1 Papæ, quæro vtrùm Concilium Sede vacante possit disponere contra iura positiua, & illa tollere: istam quæstionem examinaui in illo artic. vtrùm Concilium possit tollere constitutionem Papæ: dic vt ibi dixi. Quibus adde, quod notat Abb. Siculus in dicta Clementina ne Romani, qui notat illam glossam pro singulari in verbo inferiorem, ad hoc, videlicet, quòd non possit Concilium Sede vacante, nec tollere, nec contradicere, vel aliter violare constitutionem Papæ. Quod limitat nisi in ijs, in quibus Concilium esset supra Papam, quia tunc habet potestatem à Deo, quod quando sit, allegat. 19. distinctione. Anastasius & capit. si Papa 40. dist. Adde etiam quod posset bene adiuuare legem Papæ adijciendo pœnam, vt dicit gloss. in dicta Clementina in verbo tolli, & ponit Ioann. Andr. in capitulo final. de offic.
2 Archipresbyteri: item adde quòd illud, quòd ponit gloss. in verbo inferiorem, quod Concilium non possit Sede vacante violare constitutionem Papalem, limitarem, nisi esset aliqua magna, & vrgens causa, quæ non reciperet aliquam temporis dilationem, ita quod non posset expectari creatio noui Pontificis, quia tunc posset Concilium venire contra constitutionem Papæ. Hanc limitationem colligo ex ijs, quę dixi immediatè pręcedenti quæstione, & quę dixi in illa quęstione vtrùm Legatus, & Episcopus, dispensent contra Concilium generale, vbi multa ad propositum allegata, vide.
3 Vtrùm autem Concilium posset facere constitutionem, quod Papa posset sibi eligere successorem, quod non, ponit Bald. in capitulo licèt de elect. & refert Barbatius in Clementina ne Romani de elect. & ibi, quid de Cardinalibus etiam cum Papa, ibi vide eum in principio: nona columna, & vide istam quæstionem latiùs infra 3. sequenti quæst. incipit, sed hìc vlteriùs quęro, de quo etiam supra post quæstionem, vtrùm vnum Concilium possit limitare, & tollere constitutionem alterius Concilij.
4 Rex tamen potest determinare in regno suo in vita sua, quis erit rex post mortem suam, vt dicit Bald. in proœmio Gregoriano, & refert Barbatius in dict. Clem. ne Romani in 9. col. Vide omnino supra post illam quæstionem vtrùm vnum Concilium possit confirmare, vel limitare alterius constitutionem.
5 Et ista faciunt ad quæstionem vtrùm Concilium possit conferre beneficia, & cōcluditur quod non, nisi præsidente Papa, de qua quæstione vide per plura motiua, & columnas in tract. de beneficio Domini Ioann. de Syluagalli in secunda parte & in 2. quæstio, & vide quæ dicta sunt in quæstione

ſtione vtrùm Concilium poſſit exercere reſeruata Papæ. Vnde ſi loquimur Papa vero in Eccleſia exiſtente, clarum eſt quod hæc poteſtas conferendi maiores dignitates, vt Epiſcopatus, Abbatias, & ſimiles pertinet ad ſolum Papam, vt dicitur poſt gloſ. in cap. quamquã de elect. in ſexto, & in cap. in illis octuageſima diſt. vbi patet, quod ſolus Petrus prouidebat de maioribus dignitatibus, ad idem 22. diſtinctione capitulo primo, De alijs inferioribus beneficijs poteſtas prouidendi fuit data Epiſcopis, vt in cap. omnes Baſilicæ, qu. 7. & 10. decimaſexta quæſt. prima capitulo regenda. Si loquimur Sede vacante, ſicut capitulum quod repræſentat Eccleſiam Cathedralem, vt capitulo relatum, de teſtam. ex ſecundo, non ſuccedit in poteſtate conferendi beneficia ſpectantia ad collationem, ſolius Epiſcopi, vt in cap. vnico ne Sede vacante, in ſexto, & dicitur, in cap.
6 cum olim de maior. & obed. & ſicut vacante Sede non intromittunt ſe Cardinales, nec ipſorum collegium de epiſcopatibus, & alijs, quæ ſunt reſeruata Papæ, vt in Clement. ne Romani de elect. & in cap. vbi periculum eodem titulo, in ſexto, ita nec Concilium, quod repræſentat Eccleſiam, Sede vacante ſe intromittit de epiſcopatibus, & alijs dignitatibus, & iſtam concluſionem
7 poſuit Abbas quod non poteſt dici plenum Conc. nec plena Eccleſia ſine Papa decimaſeptima diſt. cap. multis, & capit. ſignificaſti, de electio. quia non poteſt Concilium ſine Papa infringere antiquas ordinationes, nec iura, & præeminentias Papæ violare, cap. quæ ad perpetuam, & capit. nulli vigeſimaquinta, quæſtione, prima gloſs. in verbo inferiorem, in dicta Clement. ne Romani dixi ſupra in quæſtione vtrùm Concilium poſſit tollere conſtitutionem Papalem, & aliquid ſupra proxima quæſtione. Faciunt, quæ dicuntur, in capitulo per venerabilem, qui filij ſint legit. & in cap. licèt, de elect. Et eſt generaliter verum in omnibus, quæ voluntariè geruntur per Concilium, quod Sede vacante, & ſine vero Papa non poteſt, ſicut nec capitulum Sede vacante ſine Epiſcopo, vt dicitur in cap. vnico de maiorit. & obed. in 6. & in Clement. 1. de hæret. ita dicit Abb. in tract. de beneficio, in diſt. 2. quæſtione ſecundæ partis.

SVMMARIVM.

1 *Concilium ſede vacante ex cauſa neceſſaria, vt in exemplis per Auctorem, an poſſit creare Cardinales.*
Et mittere legatum inuitum, numero 13. & 14.
Et quod ex cauſa neceſſitatis poſſit, numer. 7. & num. 10. 18. 20. & ſeq.
Quem caſum non poſſe contingere dicit Auctor, num. 23.
2 *Cardinales ſede vacante non poſſunt creare aliquem Cardinalem, licèt poſſint eligere Papam.*
3 *Cardinales ſede vacante non tenent locum capitis, ſed tantùm vicem Curiæ.*
4 *Lex non debet adaptari ad vnum caſum tantùm, ſed debet eſſe generalis.*
5 *Cardinales ſede vacante quemadmodum non poſſunt creare aliquem Cardinalem de nouo, ita nec iam Cardinalem poſſunt creare legatum inuitum, benè tamen volentem, & nu. 12.*
6 *Cardinales non poſſunt reuocare legatum à Papa creatum.*
Et limitatur, ibidem, & nu. 15.
8 *Neceſſitas non habet legem.*
Et vbi eſt neceſſitas ibi ceſſat lex.
9 *Neceſſitatis cauſa, iuris diſpoſitio ommittitur, ſiuè ſuſpenditur.*
Et ratione neceſſitatis fit diſpenſatio.
10 *Concilium ſede vacante poteſt intruſum in Papatum anathematizare, & hoc propter neceſsitatem, quia non eſt, ad quem poſsit recurri, ita ex neceſſitate dicendum, quod poſsit creare Cardinales.*
11 *Concilium duobus contendentibus de Papatu cognoſcit, cuius ſit Pontificatus, ergo poteſt creare Cardinales.*
16 *Clem. ne Romani de elec. & c. vbi periculum §. ijdem quoque, de elect. in 6. intellectus, & num. 17.*
19 *Sacerdos in cauſa neceſsitatis poteſt etiam non Parochianum ſuum abſoluere ab omni peccato, & ab omni ſententia.*
Et quomodo hoc ſibi liceat, nu. 24.
Et tali caſu poſſet etiam hoc facere laicus, ibid.
Quod an ſit verum, ibid. remiſsiuè, & nu. 25.
Hoc nihilominus verum eſt, quod in caſu neceſsitatis poteſt confiteri laico.
Et idem de baptiſmo in caſu neceſsitatis, quod poſsit à quocumque dari etiam à muliere.
21 *Concilium, viuente Papa, an poſsit creare Cardinalem.*
Et ibi vide plures caſus poſitos per Auctorem.
Et vide limitationem, num. 22.
27 *Clauis iuriſdictionis etiam fuit data Apoſtolis, ſed mediate perſona Petri. Quia principaliter Petro.*
Et ſucceſſoribus, quod declar. num. 37.
Et ideò Concilium poteſt facere, ea, de quibus ibi per Auctorem.
Concilium iudicat de Papa.
Depoſuit Cardinalem, & propterea dicitur, quod poteſt creare.
Depoſuit Patriarcham Alexandrinum, excommunicat, & hæc quomodo intelligenda, num. 42.
27 *Apoſtoli receperunt poteſtatem immediatè à Deo.*
Et probatur multipliciter.
Sed quomodo intelligendum num. 28.
Vbi Auctor reſpondet per quamdam diſtinctionem, & eam poſteà reprobat, numero 29.
Et meliùs, & magis particulariter reſpondet, num. 30.
31 *Matth. 18. cap. ibi, quodcumque alligaueritis, declar.*
32 *Gloſſa ordinaria Matth. 16. capit. ſuper verbo quodcumque ligaueritis declaratur, & num. 33.*
34 *Ioann. 10. cap. declar. ibi ſicut miſit me Pater. num. ſeq.*

Du-

Duplex potestas, ordinis, & iurisdictionis, ibid.

35 *Lucas cap.6.quæst.& 10. declar. in eo, quod dicitur, quod Christus misit discipulos, an dederit eis aliquam potestatem iurisdictionis.*

36 *Septuaginta duo discipuli missi à Christo, an fuerint facti sacerdotes sicut Apostoli.*

37 *Cap. in nouo 21.dist. declaratur.*

38 *Potestas data Apostolis est septuplex.*

39 *Ioannes cap.15.vos dixi amicos, illorum verborum declaratio.*

Psalmus 138. Nimis honorati sunt amici tui Deus, expositio, ibid.

40 *Apostoli septimam potestatem iurisdictionis sententiandi, quomodo habuerint.*

41 *Hamus quid significet, & illa verba aliud piscandi genus.*

43 *Hugonis opinio, in cap.nullus, 79.distinctio, restringitur, cuius opinio, est periculosa.*

Et ideò magis adhæret, Auctor, quod non sit dare casum necessitatis, quod Concilium possit creare Cardinales.

ARTICVLVS VII.

1 SEd pone, quod sede vacante immineat magna, & ardua necessitas, quæ fortè fert secum ineuitabile periculum, & non recipit negotium temporis dilationem, cui Concilium, non potest prouidere nisi per creationem vnius, vel duorum Cardinalium mittendorum ad aliquas partes longinquas, vel pone, quod Concilium est congregatum contra voluntatem Papæ, quia erat necessitas congregandi, & ipse detrectabat, & Concilium indiget aliquibus Cardinalibus, vtrum his casibus Concilium poterit creare Cardinales. Istam quæstionem non reperio ab aliquo posi-
2 tam. Bene habemus, vt supra dixi, quod sede vacante non possunt Cardinales creare aliquem Cardinalem, vt notat gloss. in verbo potestatis, & Doct. ibi clemen. ne Romani, quæ improbat opinionem Hugonis in cap. nullus.79.dist. quam refert Hostiens. in cap. licèt, de elect. quod etiam ponit collectarius, & Ioan. de Ligna. in d. cap.licèt de elect. Et Andreas Siculus in c. translato in penul.col.de consti. vbi improbat dicta Bar. in l. vbi absunt, ff. de tuto.& cura. datis ab ijs, in quantum voluit, quod sede vacante appelletur ad collegium Cardinalium, & similiter etiam improbat opinionem Hug. in dict. cap. nullus, ibidem, videlicet in dicto cap. translato, de consti. & vide gloss. in verbo vacante de schismat in 6. Et ad rationem per quam Hugo mouebatur, quod ex quo possunt Papam eligere, multò magis Cardinales, respondet Guliel. qui tenuit contra Hugonem, quod datur instantia, quia capitulum sede vacante eligit Episcopum, & non confert beneficia ad solius Episcopi collationem spectantia, capitulo illa, ne sede vacante, & capitulo vnico eodem titulo in 6. Vndè licèt vacet sedes, non dicitur propterea Ecclesia acephala, quia vt sæpiùs dictum est Christus est caput. Nec tenent locum capi-
3 tis ipsi Cardinales, vt voluit ibi gloss. in dicto capitulo nullus, & in dicto capitulo vnico de schisma. in 6. & in Clemen. secunda, in verbo. non consonam. de elect. sed tantùm vicem curiæ, l. nominationum, Cod. de decurio. secundùm Lau. & Arch. & Domi. ibi. Nec succedunt nisi in ijs, quæ tendunt ad accelerandam Papæ electionem. Nàm quod sedes vacet, & interim nullus sit, quod possit exercere, quod sunt supremæ iurisdictionis, non inconuenit, quia faciliùs, & citiùs potest Papa creari, quàm Concilium congregari, vt in simili dicit. Alexand. 15. dist. in 35. quæst. Et omnis potestas suprema fuit in Petro, & successoribus tantum nec legitur alteri data, vt dicto cap. ita dominus, & c. in nouo sæpiùs alleg.

4 Et licèt contingat casus, quod Concilium reperiatur congregatum, lex non debet esse posita, vt tantùm adaptetur ad vnum casum sed debet esse generalis, l. iura, & l. ex ijs, ff. de legibus, Vndè si Concilium non succedit Papæ mortuo generaliter in suprema potestate, similiter nec in creatione Cardinalium, quæ est de supremis, vt dicitur in dicta clemen. ne Romani, & in capitulo ex gestis, de Cler. non resi. & in capitulo super eo de hære. in 6. Et si non succedit Concilium in quo, etiam intersunt Cardinales suo iure, minùs videtur, quod succedat in casu particulari, quando est cōgregatum sine Papa, & quando dicitur casus necessitatis instantis, quia est defectus in potestate prima quæst. 7. Daibertum. Accedit, quod si sede vacante collegium Car-
5 dinaliū pro necessitate Ecclesiæ vellet creare aliquem Cardinalem, vel creare aliquem iam Cardinalem legatum, & cogere, vt iret in legationem, non posset eo inuito, quia hoc, scilicèt cogere Cardinalem, est de pertinentibus ad Papam, quæ non possunt exerceri, nisi per Papam, qui habet potestatem super Cardinales, vt dicit Paulus, & Cardi. & alij in dict. clem. ne Romani, licèt benè possent Cardinales creare legatum volentem, vt ibi dicitur. De quo supra dixi in illo articulo, quid si Papa esset factus inutilis, & furiosus, &c. & ibi vide opiniones de hoc. Similiter videmus, quod
6 collegium Cardinalium non posset reuocare legatum à Papa creatum, vt dicit Ioan. And. in addi. ad Spe. in tit. de legato, §. finitur, versic. sed numquid, nisi ex magna causa, vt dicit Hostien. in cap. tum ex literis in princ. de resti. in integ. De quo vide in dicta clemen. ne Romani. per Doct. & dixi in eadem quæstione, quid quando Papa esset effectus inutilis, demens, vel furiosus, &c. A pari videtur idem dicendum in Concilio, quia eadem ratio militat in eo, quia sunt reseruata Papæ.

7 Sed in casu proposito videretur dicendum propter necessitatem imminentem, & periculosam Ecclesiæ, quæ non reciperet dilationem, & cui aliter prouideri non posset, quod immò Concilium hoc possit facere, quia necessitas non habet legem de consecratio. distinctione prima capitulo sicut non alij 48. distinctione capitulo quoniam de consuetud. capit. quanto, & prima quæstione prima remissionem, in authentica, vt ij, qui oblig. se perhibent habere res mi-

no,

no.§. si verò tantum, ibi glossa cap. quod non est licitum, de regulis iuris capit. tertio, de furtis, cap. Pastoralis ibi glossa de officio ordinarij, & bonus textus in capitulo &si illa, prima quæstione septima, cum multis concordantibus. Cessat enim lex vbi necessitas imminet ff. de excusation. tutorum l. non solùm §. finali ff. de officio proconsulis, lege aliquando ff. ex quibus causis maio. l. sed & si per prætorem §. fin. ff. de offic. eius, cui mandata est iuris. l. 1. C. de operis libert. l. prima, ibi glo. in verbo consult. C. de testament. l. cùm antiquitas. ff. de manu. in testamen. l. qui potuerunt l. secunda §. quod diximus, ff. si
9 quis cau. cum similibus. Necessitatis enim causa iuris dispositio omittitur, siue suspenditur l. casus ibi Bald. C. de test. Et ratione necessitatis fit dispensatio, ait Innoc, in in cap. eam te. de æta. & quali. gl. in cap. exposuisti, de præbend. & ibi Host. qui vult quod Episcopus dispensat contra Concilium generale ex causa necessitatis. Et ad hoc in proposito possent infinita adduci.
10 Item facit ad hoc, quod si potest anathematizare intrusum in Papatum in cap. si quis pecunia 79. dist. quod & ponit Lau. & Card. in d. cle. ne Romani de elect. quæ pœna est maior pæna, quam habet Ecclesia vt in cap. corripiantur 24. quæst. 3. & hoc propter necessitatem, quia non est tunc Papa, ad quem possit haberi recursus, vt in §. patet. 3. qu. 1. poterit à simili in necessi-
11 tate creare Cardinalem vnum, vel duos. Item dicimus quando est schisma, & contentio inter duos de Pontificatu, quod Concilium cognoscit, cuius sit Pontificatus, & hoc propter necessitatem, quia non est alius superior, vt in cap. si duo 79. dist. Sed hoc est de maioribus causis, & supremis, vt dicitur in cap. vbi periculum de elect. in 6. Ergo, & ex vrgenti, & aliter ineuitabili necessitate poterit creare Cardina-
12 lem. Ad idem adduco Gundisal. de villa Diego, in tract. de potestate Cardinalium in 6. qu. vers. vlteriùs, qui in illa quæstione vtrùm sede vacante collegium Cardinalium possit aliquem Cardinalem creare Legatum, & compellere, dicit quod licèt aliàs pars negatiua sit vera, quam ponunt Paul. & Card. in d. cle. ne Romani, tamen vbi occurreret casus instantis necessitatis de occurrendo rebus Romanæ Ecclesiæ, qui differri non posset, & consuli non posset negotio commodè per alium, quàm per
13 Cardinalem, tunc posset compelli. Ad idem adduco §. ijdem quoque in dict. cap. vbi periculum, & §. irritum in d. clement. ne Romani, vbi propter imminens periculum conceditur Cardinalibus exercere re-
14 seruata Papæ. Ad idem etiam adduco conclusionem suprapositam, in illa quæst. vtrùm sede vacante Concilium possit exercere reseruata Papæ, vbi similiter est conclusio Abbatis Siculi, & Petri de Monte, & Card. de Turrecre. quod propter instantem necessitatem illud concedatur Concilio, quod aliàs non posset cessante necessitate. Pro ille text. in cap. &si illa, prima quæst.
15 septima. Ad idem adduco Hostien. in cap. tum ex literis de in integrum resti. & Specu. in titu. de Legato §. finitur, versiculo sed numquid. vbi concludunt quod ex magna, & euidenti causa collegium Cardinalium possit reuocare Legatum de latere, missum per Papam de consilio eorum, quia sæpiùs etiam minor reuocat factum superioris, vt in cap. accedens 50. dist. & hoc ex magna, & euidenti causa, & licèt Ioan.
16 And. in addit. ibi videatur dicere, quod hodie sit secus propter d. clem. ne Romani non videtur verum, quia imò clementina in casu necessitatis permittit aliqua Cardinalibus sede vacante, quæ prohibuit aliàs simpliciter, sicut & in §. ijdem quoque cap. vbi periculum de elect. in 6. Et licèt Petr. de Ancha. restringat. §. ijdem quoque ibi dicendo quòd habet locum in casu suo, videlicèt in necessitate pro defensione Ecclesiæ, tamen ille tex. in versiculo, vel nisi aliquid tam grande, videtur ampliare præcedens dictum, videlicèt si esset necessitas pro defensione ecclesiæ, ad aliud grande, & imminens periculum. Præterea §. ijdem quoque loquitur in Cardinalibus tantùm sede vacante, & non in Cardinalibus cum Concilio, vt in quæst. proposita.
18 Ad idem adduco consilium Petri de Anch. 310. incipit viso, & diligenter, qui dicit, quod vbi est schisma in Ecclesia, in ijs maximè, quæ concernunt bonum animæ possunt Ordinarij, & collegium Cardinalium exercere reseruata Papæ, & hoc propter necessitatem, & periculum animarum, quod dictum refert, & sequitur Alexandrinus in capitulo per venerabilem in §. quod autem, in vigesima septima carta, qui filij sint legiti. Ad idem est quod dicit idem Petr. de Ancharano in tractat. schismatis pro Concilio Pisano, in sexta quæst. in fine vbi concedit ratione schismatis Cardinales posse deputare Administratorem, siuè Vicarium in Papatu, qui exerceat reseruata Papæ. Et si ista sunt vera in Cardinalibus, multò magis in Concilio, quod est maius, cùm ibi etiam intersint Cardinales, & aliquando iudicat de Papa, nec in dicto capitulo vbi periculum, nec in dicta clement ne Romani, aliquid reperitur sede vacante
19 prohibitum Concilio.

Ad idem in simili adduco, quod videmus Sacerdotem, qui habet limitatam iurisdictionem, tam quod ad personas, quia non potest absoluere aliquem, nisi sit parochianus eius, vt in cap. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss. §. ecce 16. qu. 1. & cap. placuit, de pœni. dist. 6. quam etiam quo ad casus quoniam multi sunt casus reseruati, à quibus ipse regulariter absoluere non potest, in articulo necessitatis posse absoluere omnes homines, & ab omnibus peccatis, & ab omnibus sententijs, vt dicitur in cap. à nobis, & in cap. sacris de senten. excomm. & in capit. prudentiam in §. sexta de offic. delegat. & in cap. pastoralis §. præterea de offic. ordi. Quinimò secundùm glo. in dict. cap. à nobis eo casu poterit etiam laicus absoluere, & tamen non habet claues, vt in cap. 1. de summa. Trinit. & in cap. noua. de pœnit. & remiss. cum simil. Et vide glo. notabilem, & Doct. in d. §. præterea, vbi habetur quod laicus

potest illum, de quo ibi in confessione audire, non tamen absoluere. Sed de hoc vide Doct. in dictis locis satis est, quod necessitas facit, vt liceat confiteri laico. Sic dicimus in baptismo, quod in mortis articulo à quocumque, etiam muliere dari potest, vt in d. cap. 1. de summa Trini. 1. q. 1. c. quod quidam de consec. dist. 4. à quodam, & cap. Romanus, & 24. quæst. 1. cap. subdiaconus. §. sed istud. Et vide plures casus concessos laico tempore necessitatis in cap. quanto, de consue. Sic videtur dicendum in propo-
20 sito, quod propter instantem necessitatem Ecclesiæ cui aliter prouideri non potest, & negotium dilationem non recipit, sede vacante Concilium possit creare Cardinalem vnum, vel duos secundùm necessitatem, & maximè, si ad tollendum omnem dubietatem posteà illorum creatio confirmaretur
21 per futurum Papam. Sed quando est superstes indubitatus Papa, quantumcumque ipse retraxerit se à congregatione Concilij, & propterea pro necessitate Ecclesiæ fuerit Concilium congregatum forte isto casu, etiam si aliàs in casu necessitatis liceret, nullo modo liceret Concilio creare Cardinalem, quia tacitè videretur spoliare Papam potestate sua, argumen. eorum, quæ ponuntur in cap. querelam. de elect. & in cap. consultationibus de iurepatro. & in cap. 2. de integr. rest. cum simil. Facit, quod dicitur in cap. si diligenti, de præscrip. Si tamen esset causa tam grauis, quàm illa propter quam esset congregatum Concilium contra Papam, qui detrectabat ipsum congregare, vt puta si fortè Papa suspectus esset de hæresi, & posset si celeriter non prouideretur inficere totum orbem tali hæresi, & non posset aliter prouideri, quàm per promotionem alicuius in Cardinalem, qui posset sua authoritate, potentia, & scientia extinguere talem hæresim, & huic promotioni Papa nollet aliquo pacto assentire, & res non reciperet temporis dilationem, fortè posset Concilium isto casu, ex quo iam esset congregatum, & Papa detrectando faceret se suspectum, & causa esset tam grauis, quantumcunque viueret Papa indubitatus, procedere ad creationem vnius, vel duorum Cardinalium, pro ratione necessitatis in Ecclesia, tunc enim Concilium suppleret potiùs vices Papæ, quàm Papam spoliaret, ex quo immineret Ecclesiæ periculum, & res esset tempore peritura, argum. tex. in cap. si Episcopus, de supplen. negli. Præla. in 6. Sic etiam Cardinales non dicuntur spoliare Papam congregando Concilium ex quo ipse detrectat, licèt congregatio Concilij, sit de reseruatis Papæ, vt in cap. post translationem, in gloss. de offic. lega. & 16. dist. per totum, & supra dixi. Idem etiam diceremus quando esset contentio inter duos, de Papatu, nec appareret quis esset verus Papa, vt in dicto cap. si duo 79. dist. tunc enim Concilium si necessitas occurrit, vt supra dictum est, etiam poterit creare Cardinales his, & similibus casibus, quia vltima necessitas facit aliàs licitum, quod de se non est licitum 26. quest. 6. capitulo vltimo, de consecra. distinctione prima, sicut non alij, de offic. consul. l. prima, gloss. in l. prima, C. de operis lib. ff. de offic. proconsu. l. aliquando, ff. ad legem Cor. de sica. l. furem. 81. distinct. capitulo si Diaconus, de consecra. distinctione quarta ij, qui, & capitulo. baptismi, cum multis similibus supra alle-
22 gatis. Deberet tamen expectari posteà confirmatio per futurum verum Pontificem. Sic videmus, quod necessitas cogit Episcopum transferri, vt in capitulo nisi cum pridem, de renunciat. & in capitulo. mutationes, 7. quæst. 1. item est iusta causa dispensandi, de præben. exposuisti. Innoc. de æta. & quali. eam tex. 10. quæst. 3. vnio. Et Dauid comedit panes propositionis ex necessitate, quod non licebat nisi sacerdotibus, & Apostolos per sata spicas vellentes sabbatho contra legem, Christus innocentes vocauit, 25. quæst. 1. §. his ira, de
23 consecra. dist. 5. discipulos. Contingentia tamen casus sede vacante videtur impossibilis, in tàm modico enim tempore vacationis sedis imminere non potest tanta necessitas, cui per celerem electionem Papæ non posset prouideri, vel per alium modum quàm per creationem noui Cardinalis. Et conclusio in se præterea videtur periculosa, quia multa possent confingi alicuius Magni contemplatione, qui posset exponere Ecclesiam periculo, Ideò non videtur bona. Et verùm obstare quia si est verum, quod claues fuerunt datæ Petro, tamen respectum administrationis, & iurisdictionis, & non omnibus Apostolis, & consequenter nec Ecclesiæ vniuersali, vt supra dictum est, videtur, quod ob deficientem iurisdictionem Concilium nihil posset etiam subsistente quacumque necessitate, ad hoc, quod dicitur in l. vltima, C. si à non compe. iud. & in cap. at si clerici in prin. de iudic. & cap. ad audientiam, de consuet. & 2. quæst. 1. in primis, cum simil. quia deficiente claue non potest aliquid. Non obstat
24 quod supra dicitur de presbytero, qui absoluit in casibus reseruatis subsistente necessitate per dicta in cap. à nobis, & cap. sacris, supra allegatis, quia aliud est, quando quis habet potestatē limitatam, aliud est quando nullam. Nam presbyteris data est potestas ministrandi sacramenta, audiendi confessiones, absoluendi, & similia, vt in cap. 1. de sum. Tri. & cap. omnis, & cap. noua cùm similibus de pœni. & remis. Sed quidam casus sunt, qui reseruantur Papæ in prærogatiuam superioritatis ex institutione Ecclesiæ, & Pontificum, non quod sit defectus in persona ipsius presbyteri, immò antiquitus idem erat presbyter, quod Episcopus, 21. dist. cleros, 93. dist. legimus, Doct. post Innoc. in cap. 1. & 2. de peculio ele. 95. dis. olim, cum similibus, & Petrus Apostolus dicit se presbyterum in dict. cap. legimus 93. dist. Igitur non est mirum, ex quo presbyter habet executionem ordinis licèt in aliquibus solùm in habitu, si posteà subsistente necessitate deducatur ad actum. Sic in simili dicitur, quod vnus Episcopus demandat, & committit alteri Episcopo ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, quia per talem commissionem nihil ei de nouo tribuit, quoniam Episcop. cui committitur, ante

ante talem commiſſionem habebat omnia, quæ miniſterium conſecrationis deſiderat, ſed non poterat exercere in aliena Diœceſi quia non licet mittere falcem in meſſem alienam, 6. quæſt. 3. ſcriptum, cap. venerabilem, de elect. Ita dicit gloſs. in cap. aqua in fin. de conſecra. Eccleſ. vel alta. & gloſs. in cap. quanto, de conſue. Facit quod dicitur in cap. nouit de offic. lega. poſt gloſs. & in cle. 1. de foro compe. Sed ſecus, vbi

25 eſt omnimodus defectus in perſona, ſicut videmus in laico, qui in caſu neceſſitatis licèt poſſit audire confeſſionem, tamen propter defectum clauis ordinis non poteſt abſoluere, vt dicitur in dicto capit. paſtoralis §. prætereà, poſt gloſs. de offic. ordi. & vide gloſs. in cap. placuit. el 1. 16. qu. 1. Sic videtur dicendum in propoſito, ex quo clauis iuriſdictionis tantùm dicitur data Petro, & in hoc Apoſtoli non fuerunt pares Petro ſed tantùm in ordine, vt dicitur in cap. in nouo. 21. diſt. quod conſequenter clauis iſta iuriſdictionis non ſit in Eccleſia, & conſequenter nec in Concilio, & ſi nullo modo Eccleſia habet iſtius iuriſdictionis adminiſtrationem, videtur, quod mortuo Papa etiam ſubſiſtente neceſſitate quacumque non poteſt exercere iſtam iuriſdictionem, nec conſequenter creare Cardinales, quod eſt iuriſdictionis voluntariæ, dicto cap. quanto, & cap. aqua, & c. nouit. & l. 2. ff. de offic. proconſu. Et hoc videtur voluiſſe Auguſt. de Ancona, quæſt. 20. ar. 5. in reſpon. ad quæſitum, cum dicit, vndè Chriſtus eligendo Petrum paſtorem Eccleſiæ, dedit ei ſingularem poteſtatem clauium, vt dicit iuriſdictionem, quando dixit tibi dabo claues, ſed poteſtatem clauium, vt importat ordinis conſecrationem tradidit ei ſimul cum alijs, quando dixit, accipite Spiritum Sanctum. Dixi aliqua referendo dicta Ægid. in illa quæſtione vtrùm Concilium poſſit cognoſcere de omnibus litibus, & aliquid in alia quæſtione, quæ ſententia debeat præualere, vtrùm Papæ, an Concilij, & dicetur inf. in quæſt. quis ſit maior vtrùm Papa, an Concilium. Sed ad hoc poteſt reſponderi, quod immò,

26 & clauis iuriſdictionis etiam fuit data Apoſtolis, ſed mediante perſona Petri, quia principaliter Petro, & ſucceſſoribus, & deſcenſiuè per Petrum Apoſtolis, & per ſucceſſores alijs Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Prælatis Eccleſiæ. Et hoc voluit Archiepiſc. Floren. in ſumma ſua, in tertia par. in tit. 23. cap. 5. §. 3. incipit ſeptima, in 4. col. & Card. de Turrecre. in 2. lib. cap. 54. & pluribus ſequen. Alioquin ſequeretur, quod hodiè Epiſcopi qui ſucceſſerunt loco Apoſtolorum, vt in capitulo in nouo. 21. diſtinct. nullam haberent iuriſdictionem, cuius contrarium apparet in capitulo cùm Epiſcopus, & per totum, de offi. Ordin. in ſexto. Item ſi diceremus, quod Concilium, & Eccleſia non habet clauem iuriſdictionis, Concilium non poſſet iudicare de Papa, cuius contrarium apparet in dicto capit. ſi duo, & cap. ſi quis pecunia, 79. diſtin. Sic legimus Concilium depoſuiſſe Cardinalem, vt in cap. ex geſtis, de Cler. non reſid. & ſi poteſt deponere poterit creare, quia eius eſt inſtituere, cuius eſt deſtituere, vt in cap. cum ex iniuncto, de hæret. Similiter Concilium depoſuit Patriarcham Alexandrinum, quia præſumpſerat excommunicare Papam Leonem. Multos ſimiliter legimus Epiſcopos depoſitos, & reſtitutos per Concilium, vt in capitulo Ioannes, 50. diſtinctione 11. quæſtio. 3. cap. ſi quis Epiſcopus, quinta quæſtion. quarta, capitulo nullus Epiſcopus. Item Concilium excommunicat, & ſic exercet cenſuram Eccleſiaſticam, vt in capitulo ſi quis Epiſcopus, & in cap. ſicut. de hæret. Et text. in capitulo ſicut, 15. diſtinctione, dicit, quod ſe & non Concilia deſtruit, qui præſumpſerit abſoluere, quos Concil. ligauit, vel ligare quos abſoluit. & Apoſt. elegerũt Matthiam in Epiſcopum poſt Domini reſurrectionem, vt legitur act. primo, & in cap. cleros in princ. 21. diſt. & quod Matthias fuerit electus in Epiſcopum, patet ex auctoritate ſcripturæ, & Epiſcopatum eius accipiat alter, vt dicitur in Pſalm. 108. loquendo de Iuda. Et ſic de multis his ſimilibus. De quo etiam vide plura adducta in illo articulo vtrùm Concilium cognoſcat de om-

27 nibus cauſis, & litibus. His accedit, quod Apoſtoli receperunt poteſtatem immediatè à Deo auctoritate Matt. 18. quodcumq; alligaueritis, ſuper terram erit ligatum, & in Cœlis, vbi gloſ. interlinearis ſupplendo dicit vinculo anathematis. Et gloſ. Beati Hierony. ibi dicit poteſtatem tribuit Apoſtolis, vt ſciant cùm à talibus condemnatur, humanam ſententiam diuina ſententia roborari. Quod videtur probari ratione, nam nulli dubium eſt quod Apoſtoli, & alij Chriſti Diſcipuli omnem poteſtatem iuriſdictionis, quàm habuerunt non receperunt immediatè à Petro, ſed à Chriſto, quia Chriſtus eſt qui loquitur Apoſtolis dicto capitulo 18. & Ioan. 20. & Lucæ 6. vbi beatus Ambroſius dicit, quod ad propagandũ ſalutis humanæ auxilium per terrarum orbem ſatores fidei miſit. Et ſimile habetur Lucæ 10. de 72. Diſcipulis, quia apparent immediatè miſſi à Chriſto, & Lucæ cap. 9. ſimiliter Matth. 16. cùm Dominus loquitur ad Petrum dicens, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram &c. dicit ibi gloſ. ordinaria ſuper verbo quodcumque, habent quidem eamdem iudiciariam poteſtatem Apoſtoli quibus poſt reſurrectionem ait accipite Spiritum ſanctum quorũ remiſeritis &c. Et ſic declarat illud Ioann. 20. intelligi etiam de iudiciaria poteſtate. Et benè etiã probatur Matth. vlt. cum dicit, data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis, ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Et inter cætera mandata erat illud, quod dictum fuerat Matth. 18. ſi peccauerit in te frater tuus &c. & ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi, ſicut ethnicus & ſequitur incontinenti, amen dico vobis quæcumque alligaueritis, &c. Vnde beatus Cyril. ſuper illud Lucæ 16. rogate, &c.

dicit postquam dixit rogate Dominum messis, hoc fecit per seipsum, ita quod per seipsum misit eos, sed ipsa missio, vt videtur fuit collatio potestatis, ergo.

Et multum videtur facere text. in dicto cap. in nouo 21. dist. vbi postquam dixit quod Petro datæ sunt claues, subiungit, cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt. Noto illa duo verba honorem, & potestatem, quæ videntur inmere iurisdictionem, & ex quo continuatiuè postquam dixit de verbis dictis Petro refert de Apostolis, videtur loqui de eadem potestate, quæ data fuerat Petro, sed Petro data est vtraque clauis ordinis, & iurisdictionis, ergo & Apostolis. Idem text. in cap. loquitur 24. quæst. 1. vbi postquam dixit hoc erant vtique cæteri Apostoli quod Petrus fuit, subdit pari consortio præditi, & honoris, & potestatis. Noto primò quod dicit quod Apostoli idem fuerunt quod Petrus in auctoritate, si idem, ergo habuerunt vtramq; clauem ordinis, & iurisdictionis. Quod autem potestas idem sit quod iurisdictio, probatur in l. 1. ff. de offic. procon. & legat. & in l. 1. iuncta. glos. ff. de tutelis licèt aliquando possit esse potestas sine iurisdictione, vt notat Cardin. in Clementina ne Romani in §. irritum in primo notabili, de elect. Quod autem honor importet exercitium iurisdictionis, est text. & ibi ponunt Innoc. & Ioan. Andr. & Petrus Sanson, secundùm quod refert Albericus de Rosate in verbo honor in suo Dictionario, in cap. licèt causam de probat. quod videtur denotari, quia sicut Episcopi, qui successerunt loco Apostolorum habent ordinariam iurisdictionem in suis Diœcesibus, vt per totum de offic. ordin. ita videtur quod etiam Apostoli habuerunt iurisdictionem coercitiuam, & sic non solùm claues ordinis, sed etiam iurisdictionis. Et licèt glos. in d. cap. loquitur, & in d. cap. in nouo dicat quod omnes Apostoli fuerunt pares in ordine, sed secus in administrationis plenitudine, non dicit tamen quod Petrus solus haberit administrationem, sed quod Petrus fuit Prælatus in exercitio administrationis. Facit text. in cap. quamuis 21. dist. & text. in cap. ita Dominus 19. distinct. & in cap. fundamenta de elect. in 6. & optimus text. in cap. illis 80. dist. Item non reperitur quod Petrus dederit potestatem Apostolis, sed Christus, vt dicit textus in capitulo noua de pænit. & remiss. Ex quo sequitur, quod omnis potestas Concilij censetur haberi à Christo immediatè, & non à Papa. Et istam opinionem tenuit Cardin. Floren. in tractatu schismatis 45. quæstione per notata per Innoc. in capitulo quanto de iureiuran. & in capitulo quod super iis de voto.

28 Sed ad hoc potest sic responderi secundùm S. Thom. in primo sent. dist. 12. quod cum dicitur aliquis habere potestatem immediatè ab aliquo alio, potest intelligi duplici modo, vel quantum ad immediationem virtutis, vel quantum ad immediationem suppositorum agentium, à quibus habetur talis potestas, primo modo dicitur quod omnis virtus, auctoritas, potestas, & iurisdictio, quæ est in Papa siue in alio quocumque Prælato, est à Christo immediatè, hoc patet, quoniam à nullo alio possunt talis potestas conferri, nisi per potestatem existentem in Christo, siue collatam à Christo, sicut nulla causa secunda potest agere, nisi per virtutem causæ primæ. Si loquimur secundo modo de immediatione, quæ est ex parte suppositorum agentium, siue potestatem conferentium, quomodo tunc quis dicitur à Christo immediatè potestatem aliquam suscipere, quando inter accipientem potestatem; & ipsum Christum cõferentem non est aliquod medium, scilicet suppositum suscipiens à Christo, & conferens ipsam potestatem alteri, dicimus quod solus Petrus immmediatè à Christo potestatem iurisdictionis accepit, cui soli dictum est pasce oues meas, & tibi dabo claues regni cœlorum. Et sic cæteri Apostoli mediante Petro à Christo potestatem acceperunt, & non immediatè à Christo. Vnde Beatus Leo in sermone tertio dicit; Magnum, & mirabile dilectissimi huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, vt si quid commune cùm eo voluit cæteris esse principibus, videlicet Apostolis, numquid nisi per ipsum dedit, scilicet Petrum, quicquid alijs non negauit. Sed primo modo, videlicet quantùm ad immediationem virtutis, omnes Apostoli possunt dici habuisse potestatem iurisdictionis à Christo, quia ab eo proficiscitur omnis potestas Ecclesiæ. Et hoc modo potest etiam dici omnibus Prælatis Ecclesiæ immediatè data potestas iurisdictionis à Christo pro hoc cap. 1 §. vna verò, de summa Trinit. quia omnis potestas est à Deo, vt

29 in cap. quid culpatur 23. quæst. 1. Sed ista responsio, per istam distinctionem sic generaliter non satisfacit, quia non tollit contraria, per quæ apparet quod etiam loquendo de immediatione, quæ est ex parte suppositorum agentium, non probatur, quod à Petro cæteri Apostoli potestatem receperint, sed potiùs contrarium, quod immò immediatè à Christo. Vnde posito quod eo modo loquendo de immediatione suppositi agentis, sit verum dicere Petro principaliter datam esse clauem iurisdictionis, quia inter Christum, & Petrum nullo medio potestas data reperitur, non tamen probatur quod postea potestas data fuerit Apostolis mediante Petro, & quòd à Petro postea Apostoli receperint potestatem iurisdictionis. Nec respondetur ad auctoritates supra in contrarium adductas, per quas apparet contrarium, quod immò potestas iurisdictionis videatur data immediatè à Christo Apostolis, sicut & Petro. Et probatur hoc à simili ex hoc enim quod data est potestas clauium Petro, non sequitur quod successores in Papatu dicantur recepisse potestatem à Petro, siue à Deo, mediante Petro, quia immò potestas Papæ est immediatè à Deo, vt in cap. nouit de iudic. quia data est dignitati, executio autem personæ. Quod patet, quia Papa non dicitur Vicarius Petri; sed Dei, vt in cap. 1. Ecclesiæ benè, & bonus text. in cap. 1. de

de homic. in 6. Vnde magis firmiter & par-
30 ticulariter respondetur, & primò ad au-
ctoritatem Matth. 18. dicitur, quod vide-
tur propriè loqui de potestate iurisdictio-
nali ex contextura verborum, cum priùs
dicat dic Ecclesiæ, & deinde si Ecclesiam
non audierit sit tibi sicut ethnicus, & pu-
blicanus. Quæ auctoritas loquitur de po-
testate iurisdictionali, quia vt dicit ibi glos.
Nicolai super dic Ecclesiæ, tunc sunt indu-
cendi testes ad facti probationem, & ibi
sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, dicit
etiam glos. Nicolai, idest separetur ab alijs
fidelibus per excommunicationem, & cen-
suras, & post dicta verba ethnicus, & pu-
blicanus, subiungit immediatè, amen di-
co vobis quæcumque alligaueritis &c. Vn-
de apparet quod de eadem potestate iuris-
dictionali loquitur, de qua priùs loquutus
31 est. Vnde ad prædictam auctoritatem
Matt. 18. respondetur, quod per dictam au-
ctoritatem non habetur, quod sit tunc data
actu aliqua iurisdictio, sed benè promissa,
vel insinuata danda in futurum eis, & suc-
cessoribus, quia ante passionem, Christus
non dedit aliquam potestatem Discipulis,
quia tunc Christus per se regebat. Sicut
nec fuit tunc data Petro, sed tantùm pro-
missa Matthæi 16. videlicet tibi dabo claues
&c. Et quodcumque ligaueris &c. Et ita
dicit Archiepiscop. Florentinus in summa,
in tertiò lib. in vigesimotertio titulo, in
capitulo quinto, versiculo quantum ad
quintam. Et ad auctoritatem Beati Hie-
ronymi ibi cùm dicit quod potestatem tri-
buit Apostolis, respondetur quod exponi
debet, idest tribuere promisit, loquutus
est enim Hieronymus, more scripturæ de
potestate promissa, ac si data fuisset.

Sed istud non soluit contrarium, quia
illud Ioan. vigesimo, accipite spiritum san-
ctum quorum remiseritis peccata remit-
32 tuntur eis &c. fuit post passionem. Et glo-
sa. ordinaria Matth. capitulo decimosexto
super verbo, quodcumque, dicit per illa
verba datam Apostolis potestatem iudi-
ciariam, vt sup. dixi, & est ex auctoritate
Hieronymi cuius verba sunt ista, videlicet
habent quidem eamdem iudiciariam po-
testatem alij Apostoli, quibus post resurre-
ctionem, ait Dominus, accipite Spiritum
Sanctum, quorum remiseritis &c. quæ sunt
verba Ioan. 20. quæ fuerunt prolata post re-
surrectionem. Et subiungit glos. habet
etiam omnis Ecclesia in presbyteris, & Epi-
scopis, sed immò Petrus specialiter acci-
pit, vt omnes intelligant quod quicumque
ab vnitate fidei, & societate eius se separa-
uerit, nec à peccato solui, nec cœlum po-
test ingredi. Videtur difficile contrarium,
& non reperio aliquem, qui de illa glos. fa-
33 ciat mentionem. Sed ego responderem,
quod cùm glos. dicit quod Apostoli habent
eamdem iudiciariam potestatem, quam
Dominus promisit Petro in illo text. Matt.
16. per illa verba, & tibi dabo claues &c.
& quodcumque ligaueris &c. tantùm intel-
ligitur de iudiciaria potestate discernendi
inter peccata, & sic de potestate ordinis, &
non de iudiciaria fori contentiosi, tum
quia illa auctoritas, Matth. 16. loquitur de
potestate ligandi, & soluendi à peccatis
Tum etiam quia glos. vlteriùs postea se
magis declarat, cùm dicit homo cùm re-
conciliatur Ecclesiæ per iudicium Sacerdo-
tis: Et iterum infra, vt enim in homine
post febris purgationem debilitas quæ-
dam remanet, quæ febris non est, à qua non
citò purgatur, sic in homine post criminum
remissionem, pro qua iudicium Ecclesiæ
subijt, ipsius peccati debilitas remanet. Et
sic apparet, quod loquitur de iudiciaria
potestate discernendi inter peccata. Facit
quod dicitur in cap. per venerabilem, qui
filij sint legit. Et ideò S. Thom. respondens
34 ad illam auctoritatem Ioan. 20. dicit in
4. sent. distin. 19. art. 3. Ad absolutionem
peccatorum requiritur duplex potestas, sci-
licet ordinis, & iurisdictionis prima qui-
dē potestas est in omnib. Sacerdotib. æqua-
liter, non autē secunda, & ideò d. Domini
Ioan. 20. quo dedit Apostolis communiter
potestatem dimittendi peccata, intelligitur
de potestate, quæ sequitur ordinem. Vnde,
& Sacerdotibus quando ordinantur illa
verba dicuntur. Et si dicatur quod non
possit intelligi de potestate ordinis, quia
illam habuerant in cœna Domini cùm facti
sunt Sacerdotes, respondet S. Thom. in 4.
dist. 24. qu. 2. artic. 3. quod Dominus de-
dit discipulis suis Sacerdotalem potesta-
tem, quantùm ad principalem actum ante
passionem, quando dixit accipite, & man-
ducate, vnde subiungit hoc facite in mei
commemorationem, sed post resurrectio-
nem dedit eis potestatem Sacerdotalem
quantum ad actum secundarium, qui est li-
gare, & soluere. Potest etiam intelligi di-
ctum Domini, quantùm ad ostensionem
seu vsum dictæ potestatis, secundùm illum
modum loquendi scripturæ, quo consueuit
dicere rem fieri cùm innotescit secundùm
Petrum de Palude, & refert Archipiscopi
Flor. in summa in 3. par. in tit. 23. cap. 5.
in §. 2. Sed expositio Sancti Thomæ vide-
tur magis consona dictis Sanctorum se-
cundùm d. Archiep. Ad alias auctoritates
ex Lucæ 6. 9. & 10. respondetur, quod non
dicitur, cùm Christus misit discipulos quod
dederit eis aliquam potestatem iurisdictio-
nis, sed ea, de quibus loquebatur, vt prædi-
care, & infirmos curare, erant potiùs ad
bonum animæ, & ratione ordinis quàm
contentiosæ iurisdictionis, & missio erat ad
Euangelizandum & instruendum in fide,
iuxta illud Ioannis, 20. sicut misit me Pa-
ter, & ego mitto vos, vbi glo. Nicolai sup-
plet misit me. scilicèt ad veritatem fidei
docendum in Iudæa, & ego mitto vos ad
hanc veritatem publicandam per totum
mundum. Quinimò nec legitur quod 70.
discipuli etiam à Christo missi, vt patet
Lucæ 10. fuerint facti Sacerdotes per Chri-
stum sicut Apostoli, qui in cœna vltima,
cum dixit, hoc facite in mei commemora-
tionem, fecit eos Sacerdotes, vt patet Lucæ
22. & dicit Archiepi. vbi supra. Et licèt tex.
in cap. in nouo. 21. distinct. dicat quod
72. discipuli teneant locum Sacerdotum,
non sequitur ex hoc quod fuerint facti Sa-
cerdotes à Christo, nisi in figuram, vt sicut
discipuli illi erant sub Apostolis, ita pre-
sbyte-

sbyteri sub Episcopis. Ad tex. in cap. in
27 nouo respondetur quod licèt glo. ibi, & in cap. loquitur 24. q. 1. respondeat, quod est sermo de paritate quo ad ordinem, & Archiep. Flo. vbi supra in 2. §. dicat quod quamuis eamdem potestatem, & æqualem in conficiendo habuerint omnes Apostoli, & Episcopi, & Sacerdotes, tamen quantum ad potestatem ligandi, & soluendi, plenitudinem habuit Petrus potestatis, & iurisdictionis, & dicat sic intelligi cap. in nouo, & idem in §. tertio dicat, quod ait Anacletus 21. dist. in nouo, videlicèt quod cæteri Apostoli, cum eodem Petro pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, intelligendum quantùm ad potestatem cõsecrationis non quantùm ad administrationem, seù iurisdictionem, nihilominus secundùm inductionem supra factam ponderando verba, honorem, & potestatem, & intelligendo ea importare iurisdictionem, & exercitium iurisdictionis, non est bona responsio glossarum. Vnde potest dari alia responsio quod Apostoli fuerint pares in consortio in honore, & potestate, quia sicut Petrus recepit claues ordinis, & iurisdictionis, sic & Apostolis datæ fuerunt claues ordinis, & iurisdictionis, sed Apostolis iurisdictiones discernendi inter lepram, & lepram in foro animæ, & in hoc dicuntur pares, verùm aliter fuerunt in Petro, & aliter in Apostolis, quia in Petro immediatè à Christo, qui recepit tanquam caput plenitudinem potestatis, Apostoli verò mediante Petro receperunt potestatem iurisdictionis, tanquam in partem sollicitudinis asciti, vt in cap. decreto 2. quæst. 7. & in cap. ad honorem. de auctor. & vsu pal. Et per hoc erit responsio quod sicut hodiè Episcopi habent iurisdictionem ordinariã qui sunt loco Apostolorum, vt in cap. Ecclesiæ 35. dist. & d. cap. in nouo, sic intelligendum est de Apostolis, quod ipsi eo modo habuerunt potestatem iurisdictionis respectu Petri, quo nunc Episcopi respectu Papæ, quia Papa habet potestatis plenitudinem, Episcopi verò sunt in partem sollicitudinis vocati. Vnde Archiep. Flor. in sua summa in 3. par. in tit. 23. cap. 5. §. 1.
38 dicit quod Principatus, seù potestas data Apostolis est septuplex. primò potestas baptizandi, secundò potestas prædicandi, & temporalia accipiendi, tertiò potestas Sacerdotalis conficiendi, soluendi, & ligandi, quartò potestas Pontificalis confirmandi, & ordinandi, quintò potestas miracula operandi, sextò potestas rectè conuersandi septimò potestas iurisdict. sententiandi,
39 vnde psal. 138. dicitur de Apostolis, nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est Principatus eorum, vnde Ioa. 15. vos dixi amicos, & Apostolus ad Rom. 8. dicit quod primitias spiritus acceperunt, & sicut fuerunt priores tempore, dicit glo. ita potiores copia gratiæ. Nimis autem idest valde honorati sunt à Christo, & Ecclesia, constituti iudices seculi, lumina mundi, pastores primi Ecclesiarum, nimis etiam, idest valde confortatus, idest roboratus, & firmatus est Principatus eorum, idest potestas excedit enim omnem principatum
40 terrenum. Et circa septimam potestatem iurisdictionis notandum est quod Apostoli facti Episcopi habebant potestatem excõmunicandi fideles manifestè peccantes, quod facientes tradebant eos satanæ vexandos corporaliter, vt fecit Paul. Apostolus erga illum Corinthium, qui nouerca abutebatur. 1. ad Cor. 5. Istam tamen potestatem quæ ad iurisdictionem pertinet recognoscebant Apostoli se habere sub Petro. Ideò dicit Archiep. vbi supra in 7. potestate in d. tit. 23. in §. 3. in princ. quod potestatem iurisdictionis iudicandi, & sententiandi in foro pœnitentiæ, & foro contentioso, & si Apostoli omnes habuerunt à Christo, ita tamen vt essent sub Petro, ipse autem Petrus immediatè à Christo accepit omnem plenitudinem iurisdictionis. Et sic omnis eius successor, id est Papa plenitudinem potestatis habet à Christo, cap.
41 nouit. de iudi. alij autem Episcopi, & Prælati in parte habent, & omnes à Papa. Vnde
41 Ambrosius dicit est aliud piscandi genus, quo genere solum Petrum Dominus piscari iubet, dicens mitte hamum, & eum piscem qui primùm ascenderit tolle eum 24. quæst. Prima, est & aliud vbi glo. dicit per hamum intelligimus iurisdictionem, quia Petrus præfuit alijs, quia hamo, id est ferro resecantur carnes putridæ 82. dist. cap. plurimos, & ideò solus Petrus piscatur hoc piscandi genere, ipse enim potestatem ligandi, atque soluendi præ alijs habet. De his pleniùs dicam in illo articulo quis sit maior vtrùm Papa an Concilium, vbi omninò videndum est latiùs, quia ibi inferuntur plures aliæ pulchræ difficultates. Ad illud, quod dicitur, quod Concilium repe-
42 ritur deposuisse Cardinalem, & Patriarcham, & Episcopos, dicendum est illud fuisse, vel quia interfuit Papa, & deposuit cum consilio Concilij, vel fuit factum auctoritate Papæ, vide quod dixi in illo articulo vtrùm Concilium cognoscat de omnibus causis, & litibus. Sed adhuc posset dari alia solutio ad hæc, videlicèt quod quãuis nullam Apostoli recepissent iurisdictionem, & consequenter, nec Concilium, nec alius quàm Petrus, tamen in proposito ista iurisdictio, & auctoritas illo casu imminentis necessitatis data fuit per Papam per d. §. ijdem quoque, & consequenter ratione instantis necessitatis, cui aliter prouideri non potest, collegium sede vacante poterit creare vnum, vel duos Cardinales. Et ita posset restringi opinio Hugonis in cap. nullus 79. dist. Sed vt dictum est, conclusio Hugonis videtur periculosa, & magis tenendum est contrarium, quia stantibus alijs Cardinalibus satis posset per illos prouideri, & non videtur possibile, quod sit dare casum, cui non possit aliter prouideri, propterea conclusio, & dubium, de impossibili videtur.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Concilium an possit statuere quod Papa eligat sibi successorem.*
2 *Gl in §. his omnibus 8. qu. 1. loquitur in Papa.*
3 *Papa cum Cardinalibus possunt edere constitutionem circa formam eligendi Papam, non tamen quod Papa possit sibi eligere successorem, & redditur ratio. ibid.*
Nec Moyses etiam hoc fecit. ibid.
Papa nihilominus potest dare alij licentiam sibi eligendi successorem num. 4.
Sed an possit cum auctoritate Concil. ibid.
4 *Indulgere aliquando alijs possumus, quæ nobis reseruare non licèt.*

ARTICVLVS XXI.

1 SEd hìc vlteriùs quæro vtrum Concilium possit statuere quod Papa possit sibi eligere successorem? Bal. in cap. licèt in vult. quòd arguit primò quod non allegat
2 glo. 8. qu. 1. §. his omnibus. Sed illa glo. loquitur de Papa, posteà allegat alios contra, per cap. Adrianus 63. dist. Tandem concludit quod si Concilium vellet facere statutum generale de quocumque Papa, non posset. Et idem videtur velle si Papa vno cum Cardinalibus hoc vellet facere quod non posset, quia ius eligendi non est apertum eis ante obitum, sicut nec electores Imperij vnà cum Imperatore possunt mutare formam pro statu Imperij generaliter constitutam. Doct. communiter in
3 clement. ne Romani, de elect. dicunt quod licèt Papa cum Cardinalibus possit ædere constitutionem circa formam eligendi futurum Pontificem, vt ibi, & in cap. vbi periculum de elect. tamen non potest Papa facere constitutionem generalem, quod liceat Papæ eligere sibi successorem, quia nec Moyses hoc fecit, vt in cap. Moyses 8. q. 1. Et ratio huius est, quia aliud est potestatem Cardinalium restringere circa electionem, aliud sibi in posterum rescribere, & per constitutionem sibi reseruare, quod
4 non licèt, quia aliquando alijs indulgere possumus, quæ nobis reseruare non licet, cle. si vna de reb. Eccl. non alie. secundùm Petr. in d. clem. Et Abb. in cap. accepimus de pact. dicit, quod licèt Papa possit potestatem dare alteri eligendi sibi successorem 7. qu. 1. petisti, tamen non potest ipse facere generalem constitutionem de eligendo per seipsum sibi successorem. Quod autem de eligendo sibi successorem cum auctoritate Concilij statuere possit, faciunt in argumentum omnia illa iura, quæ loquuntur de forma eligendi Romanū Pontificem, quod sunt edita approbante Concilio. Sic videretur in proposito, maximè cùm Ecclesia etiam circa sacramentalia, quod plus est, possit aliquid immutare, siuè addere, vt dicitur in cap. vnico de Sacra vnctione, & dictum est supra. Propter inconueniens placet quod dicit Bald. nec debet trahi in exemplum quod facit Petrus 8. qu. 1. si Petrus, dicit Card. in d. clem. ne Romani. Vide in dicto cap. accepimus de pact. & supra in pen. quæst. præced. vbi vide omninò.

SVMMARIVM.

1 *Papa exauctorato per Concilium, quod fuerat congregatum contra Papam, ad quem spectabit electio noui Pontificis, ad Concilium, an ad Cardinales.*
Et quod ad Concilium ibid.
Et assignatur ratio, & num. 12.
Cum limitatione, num. 13.
Et assignatur ratio, num 14.
Sed cum interuentu Cardinalium, ne propter dubium emergens Cardinales viderentur priuati iure eligendi, & deuolueretur ad Romanos.
2 *Papæ electio, Papa priuato per Concilium quod fuerat congregatum contra Papam quod spectet ad Cardinales, & num. 5. & 9. & num. 15. remissiuè. & num. 16. & Abb. num. 17. resp. ad Contr.*
Auctoris opinio num. 20.
Et nullo iure cautum reperitur, quod Pontificis electio spectet ad Concilium, numero 22.
Et nihilominus ponuntur argum. pro vtraque parte, & quod spectet ad Cardin. & ad Concilium.
Et Ioann. Gerson opinio, quod spectat ad Concilium num. 4. & Ioan. de Imo. numero 8.
Quem Auctor saluat. ibid.
3 *Mors ciuilis operatur omnem modum quem mors naturalis, & dispositum in morte naturali habet locum in morte ciuili.*
6 *Capit. si duo 79. distinctio. in illis verbis vniuersitatis consensus declaratur, numero 21.*
7 *Cardinales habent multa specialia in eligendo Papam. tam ratione ipsorum, quàm in fauorem electionis.*
10 *Verbum, vacat, quomodò intelligatur.*
11 *Verbum mortis, de qua morte intelligendum.*
Et differt, an simus in his, in quibus est facienda stricta interpretatio, an in fauorabilibus. ibid.
14 *Mors ciuilis numquam æquiparatur naturali, nisi vbi à iure exprimitur.*
17 *Cap. susceptum de rescriptis intellectus.*
18 *Extensionis materia remissiuè.*
19 *Cap. si transitus 79. dist. declaratur.*
23 *Cap. vbi periculum de electio. in sexto, & clementina, ne Romani de electio. non disponunt, ad quem spectet electio, sed prouident de modo electionis.*
Auctoris expositio num. 25.
24 *Cap. licet. de elect. & cap. 1. 79. dist. disponunt quomodo vacante.*
Ecclesia Cardin. habeant procedere ad electionem, nec ponit aliquem vacationis modum.
Auctoris expositio, num. seq.
26 *Concilium an possit prouidere in casu, de quo in constit. frequens.*
Et Auctor dicit quod illa constitutio non seruatur.
27 *Martini electio in Concilio Constant. quare fuerit facta.*

ARTI-

ARTICVLVS IX.

1 Vlterius quæro, si in Concilio congregato contra Papam reperitur Papa exauctoratus, & depositus per Concilium, & debet fieri electio noui Pontificis, ad quem spectabit electio, vtrùm ad Conciliũ, an ad Cardinales. Abb. Siculus mouet quæstionem in cap. licèt, in quarta colum. de elect. & ibi tenet quod ad Concilium. Rationem assignat, quia iura, quæ dicunt electionem spectare ad Cardinales, loquuntur quando vacat Papatus, vel per mortem, vel per renunciationem. Sed quando vacat per priuationem, vel quia Concilium decreuit in discordia duorum nullum esse Papam, tunc spectat ad Concilium, quia hoc videntur velle iura antiqua in cap. si duo 79. dist. quæ iura in hoc casu non reperiuntur correcta. Dicit tamen fuisse super hoc disceptatum in Concilio Constantien. & Pisano, & quod ad euitandam discordiam fuit obtentum pro illa vice quod Concilium transferret potestatem suam in collegium Cardinalium, & ita Cardinales elegerunt ex auctoritate propria, & Concilij. Petrus Card. Cameracen. in tract. de potestate Eccl. & Pontif. mouet quæstionem in 12. propositione. Et ibi videtur concludere, quod licèt aliàs regulariter spectet ad Cardinales electio Papæ Sede vacante, tamen attento statu schismatis tunc currentis tempore Vrbani, Concilium interuenire debebat in electione Papæ, & quod Collegium Cardinalium non debebat totaliter excludi ab huiusmodi electione propter dubium, quod poterat oriri, tum quia non est clarum, quod per Concilium possent illo iure eis concesso priuari, tum quia si aliquo casu Cardinales essent priuati iure eligendi, remanet dubium, ad quos deuolueretur ius eligendi, quia aliqui magni Doctores tenerent, quod rediret ad Romanos, tamquam ad eos, qui hanc potestatem eligendi in electores Papæ transtulissent, vt ipse ponit in 9. 10. 11. & 12. conclusione. Concludit tamen ad sedandum scandala, quod Concilium deberet concordare cum Cardinalibus, ne daretur facultas malignandi, & alia schismata generandi. Et sic Card. Cameracen. habuit spiritum propheticum, quia ita secutum est. Sed idem Abbas mouet quæstionem in cap. ad petitionem in 3. notabili de accus. Et ibi nihil determinat, sed motiuum eius tendit ad hoc, quod spectet ad collegium Cardinaliũ per illum textum, vbi in inferioribus collegijs, si aliquis priuatur, electio reuertitur ad collegium, & non ad priuantem. Et ibi ponit, quod si aliquis Prælatus, vel Abbas priuaretur in curia Romana, beneficium vacaret in curia, allegat gl. quæ est in verbo mori, in clem. prima, vt lite pendente. Sed tu vide in hoc decisionem 33. in antiquis in tit. de præben. Verum idem Abbas. primò pro parte Concilij, quod valeat electio facta per Concilium allegat. cap. susceptum de rescript. in 6. vbi prouisio facta in casu mortis non includit alium casum vacationis, maximè quando venit correctiuè ad ius antiquum, quia non debet extendi iuris correctio ex similitudine rationis. Bar. in authen. quas actiones C. de sacrosanctis Eccl. regula, quæ contra, cum similibus, in sexto. Vnde quia iura antiqua non prouiderunt huic casui, remanebit electio apud Concilium, secundùm quod iura antiqua voluerunt potestatem eligendi cõsistere penès Concilium generale, vt in cap. si transitus 79. dist. & in cap. sacrosanct. 22. dist. vbi tex. notat quod Apostoli de nouo elegerunt Petrum in Pontificem, & in suum caput, & hanc formam suis successoribus, & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt, vnde Episcopi qui succedunt loco Apostolorum, vt in cap. Ecclesiæ distin 35. & 12. qu. 1. videntes, & 93. dist. legimus, & in cap. in nouo dist. 21. habebunt eligere Papam ex ordinatione Apostolorum, nam Concilium consistit ex ipsis Episcopis vt supra dictum est in quæstione, qui debeant interesse in Concil. Quod enim non reperitur innouatum, quare stare prohibetur l. præcipimus C. de appell. Item adducit tex. si duo 79. dist. & in d. cap. si quis pecunia, ead. dist. in quibus iura vtuntur verbis conuenientibus Concilio. Item probat, quia vacante Sede potestas eligendi residet in habitu, & in actu penès Concilium, ergo potest Concilium eligere, etiam in casu Cardinalibus concesso, & maximè, quia casus iste non fuit præuisus per Papam, cum dedit Cardinalibus potestatem eligendi, non enim cogitauit Papa de casu quo Concilium esset congregatum tempore electionis, & iura non trahuntur ad casum non cogitatum l. si hominem ff. mandati, & c. olim. de re iudi. Concludit tamen pro parte Cardinalium, & sic quod electio spectet ad Cardinales per text. in clement. ne Romani, iuncta gl. in verbo, moriente de electione, & quia illa dispositio fuit inducta ad celerem prouisionem futuri Pontificis, quæ ratio militat isto casu, quia difficilior foret prouisio per Concilium ratione multitudinis quæ parit discordiam, vt in c. nos ad fidem 96. distin. & in capitulo Adrianus, el. primo 63. dist. Item per theoricam Dyni. in l. ex eadem §. insulam, ff. de verborum obligationibus, quam refert Baldus in lege Deo nobis, Codice de Episcopis, & clericis,
3 quòd vbi mors ciuilis operatur omnem modum, quem mors naturalis, dispositum in morte naturali habet locum in ciuili, quę est per priuationem. Pro hoc dict. leg. Deo nobis de Episcopo, & cleric., & leg. intercidit ff. de condit., & demonstr., & in leg. actione §. publicationem ff. pro socio. De quo per Ioannem Andream in cap. cum sis, de conuer. coniug. qui licèt non approbet dictam theoricam, tamen illam dicit idem Abbas probari per dict. clem. ne Romani in gloss. Ioannes Andreas ibi. Et pro hoc text. in cap. in nomine Domini dist. 23. qui non fundat se in vacatione per mortem sed tantùm narratiuè prosequitur illum modum vacationis. Ad idem arguit ex iuribus

ribus volentibus ex identitate rationis fieri extensionem etiam in pœnalibus leg. 2. ff. ad Turpil. cap. si postquàm de elect. in 6. Vide Domin. in cap. 1. de temp. ordinan. in 6. & Doct. in Clem. 1. de elect. Item ex ratione, quia inferiora collegia eligunt in omni casu vacationis, vt in dicto cap. ad petitionem, ergò idem in proposito. Et cum hac vltima opinione per rationes proximè dictas transit, & concordat cum opinione sua, quam tenuit in cap. ad petitionem, de accusat. Et sic videtis quòd Abbas in hoc fuit sibi ipsi contrarius. Cancellarius Parisiensis, Ioannes Gerson in tractatu
4 de potestate Ecclesiast. in 11. consideratione dicit, vt supra tactum est, quòd mortuo Papa, vel eiecto, Concilium poterit sibi constituere vnum Papam modo solito per electionem Cardinalium, vel alio modo per compromissum, vel per viam Spiritus sancti si probabiliter speraretur, ita posse fieri,
5 quòd omnes concordarent in vnum, vel fortè per expectationem Diuini miraculi, sicut fuit in Matthia. Et concludit non esse dubium quin mortuo, vel eiecto Papa Concilium possit sibi facere vnum caput. Istam tamen vltimam opinionem Abbatis, quòd electio spectet ad Cardinales, tenet Aretinus in dicto capitulo ad petitionem, de accusat. ex theorica supra allegata, quæ traditur in leg. ea parte, §. insulam ff. de verborum obligatione, & Bald. in leg. Deo nobis C. de Episcopis, & cleric. Et hanc opinionem etiam sequitur Dominus Gundisaluus de Villadiego in tract. de Cardin. in quinto quæsito principali in 6. column. per illam gloss. in verbo moriente in dicta Clement. ne Romani. Et respondet ad cap.
6 si duo, quòd in quantum dicit vniuersitatis consensus, non loquitur de Concilio generali, sed de Collegio Cardinalium, aliàs cùm text. ille fundet se in electione facta in discordia, sequeretur, quòd Cardinales haberent debilius ius in electione Papæ, quàm alij inferiores in eligendo prælatum suum, quia Cardinales propter electionem factam in discordia essent priuati iure eligendi, & inferiora Collegia non, cum ta-
7 men in electione Papæ multa sint specialia inducta in fauorem eligentium, & electionis, vt patet in dicto cap. licèt, de elect. & in dicta Clement. ne Romani. Dominus Ioann. de Immol. in dicto cap. licèt, videtur tacitè sentire, quòd electio spectet ad
8 Concilium, dum in vltimo notabili improbando opinionem dicti Antonij, qui voluit quòd ex eo quòd Papa non habet superiorem, etiam non habebit superiorem, qui cognoscat de viribus electionis, & innitendo opinioni Cardinalis, tenet contrarium, quòd immò ad Concilium spectat cognitio, & debebit super hoc congregari Concilium per dict. cap. si duo, & ita dicit practicatum in Concilio in facto schismatico. Nisi saluemus Immol. dicendo, quòd eius dictum solùm loquatur respectu congregationis Concilij, & iudicij faciendi super discordi electione, & non quòd ad Concilium spectet electio in euentum annulationis vtriusque electionis. Et profectò in illo casu videtur vera opinio Ioann. de Immò, quia ratio, quæ assignatur per Antonium non est sufficiens videlicèt, quia Papa non habet superiorem, quia illud vendicat sibi locum in indubitato Papa, sed quando sunt duo, qui se gerunt pro Papa, quia vterque posset esse malè electus, & sic posset esse, quòd neuter haberet ius, tunc non habet locum, quòd non habeant Superiorem, quia vterque habent superiorem Concilium in articulo illo. Et immò tunc cognoscit Concilium, vt aliàs dictum est per dict. cap. si duo dist. 79. Pro prima opinione in fauorem Cardinalium contra Concilium, aliqui adducunt gloss. in cap. primo in verbo prædecessor de renun. in 6. quæ dicit, quòd Cælestinus dicitur prædecessisse, & tamen renunciauerat, vnde quo ad effectum ita dicitur mortuus, qui est depositus respectu dignitatis amissę, sicut ille, qui in rei veritate est mortuus naturaliter. Ad idem gloss. in cap. si propter tua debita de rescript. in 6. in verbo vacarent. Et
9 in ista opinione fuit Ioann. de Anan. & Felinus in dicto capitulo ad petitionem, qui dicunt, quòd illa gloss. in verbo prædecessor decidit casum pro Cardinalibus, Et quòd sub verbo vacationis includatur omnis modus, est gloss. in verbo vacationibus in cap. cupientes in princ. de elect. in 6. & in capitulo quia sæpè, de preben. eod. lib. Sed text. in capitulo susceptum de rescrip. in 6. in verbo, mortis, probat quòd in ijs, in quibus est facienda stricta interpretatio, priuatus, cedens, & similes non venirent sub verbo decedentis, vel morientis, vt declarat gloss in cap. quamuis il 1. de prebend. in 6. In alijs verò fauorabilibus fortè veniret sub nomine decedentis priuatus, & cedens, per ea, quæ habentur in leg. sed si mors in princip. ff. de donat. inter vir. & vxor. licet gloss. sentiat contrarium in loco allegato, allegat. 16. quæst. 1. cap. placuit il 2. secundùm Aretin. in dicto cap. ad
12 petitionem. Facit pro Concilio decis. 46. Fastoli, quæ vult, quod si mandatur prouideri de præbenda cedente, vel decedente tali, non veniat modus priuationis, & refert Felin. in cap. in nostra in 37. corolla-
13 rio. Sed illud limita, nisi etiam esset clausula, siue alio quouis modo, quia veniret etiam modus priuationis, vt dicit Lapus
14 allegatione 77. in 4. qu. Et ratio quare non veniat quando non est adiuncta clausula siue alio quouis modo, est quia numquam mors ciuilis ęquiparatur naturali, nisi vbi à iure exprimitur, vt dicit gloss. in dict. cap. placuit, & Ioannes Andreas in dicto cap. susceptum. Ad idem facit, quod si aliquis deliquit in alterius diæcesi, potest puniri ratione delicti ibi commissi per illum in cuius diœcesi deliquit, vt in cap. fin. cum similibus de foro compet., & dicit gloss. in cap. placuit il 1. 16. qu. 1. quæ vult quòd vterque iudex poterit illum punire. Ergò à pari si Concilium est, quòd illum deponit, satis videtur, quòd in eius manibus vacet, quia ratione delicti est effectus superior. item facit quod si Concilium habet facultatem priuandi, & destituendi eiusdem Concilij debet esse facultas instituendi capit. 1. & 2. de cappell. Monach. cap. cum

ex iniuncto; de hæretic. Item ratio ad obuiandum periculo diuturnæ vacationis, vt in dicto cap. vbi periculum, in dict. Clem. ne Romani, quando Concilium reperitur congregatum, videtur cessare, quia non expectat temporis dilationem, & ideò ex illa ratione non plùs conuenit, quòd Cardinales eligant quàm Concilium; istam opinionem pro Concilio, tenet Barbatius in cap. quòd translationem in 32. colum. de offic. leg. & in 33. colum. quia de iure antiquo electio Papæ spectabat ad Concilium, per cap. si transitus dist. 79. & quia Apostoli elegerunt Petrum in Pontificem, & suum caput dist. 22. cap. 2. & quia hanc formam tradiderunt successoribus tenendam. Et sic episcopi, qui sunt Apostolorum successores, vt in cap. videntes 12.q.1. & in cap. in nouo dist. 21. & in cap. Ecclesiæ dist. 35. & in cap. legimus dist. 93. habent eligere Papam ex ordinatione Apostolorum, quia ex ipsis constituitur Concilium. Et dicit esse casum in dicto cap. si duo dist. 79. vbi duobus contendentibus de Papatu, illis depositis electio spectat ad Concilium, & Cardinales, & sic non ad solos Cardinales. Sed ista ratio eius est nimis generalis, quia ita habet locum quando Papatus vacaret per mortem, vel resignationem, sicut quando vacaret per depositionem, priuationem, siue exauctoritationem. Mouetur etiam per illam auctoritatem Euangelij, si peccauerit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ, non dixit dic Collegio Cardinalium, & sic Ecclesia est illa, quæ habet eligere, Papa deposito, vel renunciante, vt ipse dicit. Et sic vult plus quòd Concilium habeat eligere, etiam quando Papatus vacaret per renunciationem, & sic quòd Cardinales habeât eligere tantùm in casu mortis, sicut loquitur Clem. ne Romani, cuius casum dicit non trahendum ad alios casus, & sic mortis ciuilis, & quod gloss. ibi in verbo moriente non benè loquitur, quando vult extendere casum mortis naturalis ad cessionem, & sic ad mortem ciuilem, idem

15 tamen Barbatius in Clement. ne Romani, in §. eo autem, examinans, hunc articulum & arguens ad partes per plures columnas, videtur tenere quòd electio spectet ad Cardinales, & respondet ad motiua in contrarium adducta, licèt in fine dicat, adhæreo tamen decisioni sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Vide eum, quia multa adducit, quæ confirmant opinionem pro Cardinalibus. Gloss.

16 tamen in dict. c. si duo super verbo contra fas ad terminos illius text. expressè dicit, quòd quando vtriusque electio est damnata, non propterea Cardinales erunt priuati iure eligendi, & sic expressè vult, quòd etiā eo casu, quo vacat Papatus cassatione electionis, ad Cardinales spectet electio alterius Pontificis. Quamtumcumque eadem gloss. voluerit, quòd iudicare vtrùm electio vnius, vel alterius sit bona, non spectet ad Cardinales, quia essent iudices in causa propria, sed ad Concilium. Et sic licèt Concilium casset vtramque electionem, tamen electio futuri Pontificis spectabit ad Cardinales, & non ad Concilium secundùm gloss. ibi Abbas, qui concludit

17 pro Cardinalibus, respondet ad contraria per eum primo loco adducta, & primò ad materiam capituli susceptum dicit, quòd procedat in ambitiosis, & odiosis, sed concessio facta Cardinalibus de eligendo Papam est fauorabilis, licèt afferat præiudicium Concilio, quia attenditur ad id, quod principaliter intendit, vt iudicetur constitutio fauorabilis, vel odiosa, allegat notata in leg. exceptionem, ff. de condit. in debiti, & gloss. in cap. sciant in cap. statutum, & in cap. fin. de elect. in 6. Adde Bald. in leg. illud C. de sacros. Eccles. qui not. post gloss., quòd quantumcumque lex prohibeat extensionem, tamen vbi subest eadem ratio debet fieri extensio, non obstante prohibitione legis, nisi per aliam legem esset determinatum contrarium in casu illo, assignat rationem, quia tunc non tam dicitur extensio, quàm inclusio in iure, allegat gloss. in capit. 1. de temporum ordination. in 6. Et vide eumdem in leg. ijs solis C. de reuocandis dona. Vbi autem lex apponeret pœnam, semper diceretur constitutio pœnalis, vt ibi per Bald. Et quo ad materiam cap. susceptum, quod sit odiosa, vide Domin. ibi & Felin. in cap. in nostra in 37. corol. & Bald. in cap. cum accessissent de constit. Et non obstat, quòd inducatur legum correctio, quia ius abrogatiuum non debet extendi ad correctionē alterius iuris per identitatem rationis, sed ius derogatiuum benè extenditur, quia vt ipse dicit potiùs declaratur mens constituentis ex identitate rationis, per dict. gl. in dicto capitulo 1. Bald. tamen in dict. leg. illud dicit quod non obstat text. in l. 2. C. de patribus, qui filios distraxerunt, vbi casus cassatos non possumus extendere, nec ampliare ad alios casus, quia aut agimus de fauore, & fiet extensio, secus si de odio, vt ibi per eum. Vide tamen plenè de ista

18 materia extensionis per Domin. in d. c. 1. Item responde ad cap. si duo, quia debet intelligi, quòd aut loquatur antequam potestas esset translata in Cardinales, aut quòd loquatur de Collegio Cardinalium, nam, & ipsi faciunt vniuersitatem, vel Collegium, vt in dict. Clement. ne Romani. ad illud, quod vacante sede potestas residet in habitu, & actu in Concilio, respondet quòd Concilium non debet se impedire de pertinentibus ad Papam, nisi vbi necessitas vrget. Item non potest tollere constitutionem papalem, vt dicitur in cap. significasti de elect. Ad cap. si transitus, respondet

19 quòd religiosi vocantur ad consensum electionis factæ, & non faciendæ. Vnde debet reduci ad terminos, cap. in nomine Domini dist. 23. Mihi videtur, quod ista

20 quæstio non meruit ita disputari, & quod illi Patres in illo Concilio quæsiuerunt nodum in scirpo, nam præsupposito etiam, quod cap. si duo loqueretur in electione discordi facta per Cardinales, non reperio iure cautum, quòd electio tunc debeat deuolui ad Concilium. Licèt enim gloss. ibi velit, quod eo casu, quo agitur de electione, quæ dicitur facta contra fas, iudex erit Concilium, non tamen Cardinales essent priuati iure eligendi, vt dicit ibi gl.

Et si

Et si essent priuati, non reperio, quod ad Concil. fieret deuolutio, quia potiùs electio deberet fieri secundùm ordinem datum in capit. in nomine Domini distin. 23. Facit, quod diximus in illa quæstione supra, quando essent mortui omnes Cardinales, ad quem tunc deuolueretur electio Papæ, quia conuenientiùs ad Clerum Romanum,
21 vt ibi dictum est. Immò rectè intuenti sensus illius text. in dicto cap. si duo, est. quòd duo erant de facto intrusi temeritate concertantium, non enim dicitur, quòd duo seruato ordine in eligendo fuerint in discordia electi, sed intrusi temeritate concertantium; & ideò subiungit text. nullum ex eis futurum Sacerdotem permittimus. Et ideò non dicit, quod debeat congregari Concilium ad iudicandum, vel ad eligendum futurum Sacerdotem, sed text. considerat intrusionem, & temeritatem amborum. Ideòque decernit neutrum ex intrusis habendum pro Papa, sed alium eligendum. Vndè subiungit text. sed illum solùm in Sede Apostolica permansurum censemus, quem ex numero Clericorum noua ordinatione Diuinum iudicium, & vniuersitatis consensus elegerit. Et sic est sensus, quod nullus, qui fuerit temeritate concertantium intrusus habeatur pro Papa, sed quierit electus formiter, quod denotant illa verba, [quem Diuinum iudicium, & vniuersitatis consensus elegerit.] Et sic, quod ex electione acquiratur Papatus, & non ex intrusione tumultuaria. Et benè ostendunt verba Gratiani ibi, quæ immediatè sequuntur, dùm declarat, quòd ille text. non debet intelligi de apostatico per apostasiam ordinato à Cardinalibus, & religiosis Clericis, & inthronizato. Nec
22 reperitur aliquis text. in iure, qui velit, quod ad Concilium spectet electio Papæ. Quinimò text. in cap. in nomine Domini dist. 23. secundùm illa tempora, secundùm quæ admittebantur etiam Abbates, & alij Religiosi, dicit, quod electio spectet ad Cardinales, qui habent vocare vocandos ad electionem. Et sic nihil de Concilio. Et similiter nec in cap. si transitus dist. 79. aliquid dicitur de Concilio, sed tantùm de electione, quæ fieret per Ecclesiastici ordinis personas, quod intelligitur de ijs, ad quos aliàs spectat. Et vbi vult Religiosos vocari ad consensum præstandum in electione, intelligitur de iàm facta, & non quod præstent consensum electioni faciendæ, & sic reducitur ad terminos capit. in nomine Domini distinct. 23. Et iura, quæ adducuntur, quòd loquantur in casu mortis, vel cessionis, malè adducuntur, quia text. in cap. vbi periculum, & Clement. ne
23 Romani, non disponunt ad quem spectet electio, sed tantùm prouident de modo electionis, & occurrentibus Sede vacante; & præsupponunt illa iura, quod ad Cardinales antè spectabat electio quomodocumque Sede vacante. Et ideò malè allegantur illa iura, quod loquantur tantùm in casu, quò per cessum, vel decessum spectat electio
24 ad Cardinales. Quinimmò text. in capit. licèt, de elect. nullum modum vacationis ponit, & disponit quomodò vacante Ecclesia Cardinales habeant procedere ad electionem; & text. in capit. in nomine Domini dist. 23. narrat factum, non quod disponat, vt tantùm quando Sedes vacat per obitum debeat procedi ad electionem. Quod patet, quia si aliter interpretaremur illum text. sequeretur vnum, quod, quomodocumque aliter contingeret vacatio Sedis, etiamsi per resignationem, vel alio quocumque modo, non prouidisset, quod procedi deberet ad aliquam electionem. Et sic fuisset prouisum Ecclesiæ, vt tantùm ageret de eligendo Papam, quando per obitum Sedes vacaret; & si alio modo vacaret, non posset procedi ad aliquam electionem; & sic Sedes deberet remanere perpetuò vacans, cùm tamen intentio conditoris illius Capituli fuerit prouidere omni casu Sedi vacanti. Similiter text. in capit. 1. dist. 79. qui prouidet de electione Papæ facienda per Cardinales, non ponit aliquem modum vacationis, sicut nec Capitulum licèt. Ergo videtur prouisum in quacumque vacatione Sedis, & quomodocumque vacet Papatus, quia vbi nullus modus vacationis exprimitur, tunc omnis modus comprehenditur secundùm Lapum allegat. 6. in colum. 2. decis. 1. in titulo de rescript. & gloss. in verbo vacationibus, in cap. cupientes in princip. de elect. in 6. & Domin. in dicto capit. susceptum, in penult. col. & ponit Felin. in d. cap. in nostra, in 32. & 37. corollario. Posset tamen
25 attentari secundùm vnam expositionem, quam pluriès supra feci ad capit. si quis pecunia dist. 79. quod per illud probetur, quod vbi non est facta concors electio, & Cardinales sunt taliter discordes, vt non possit inter eos conuenire, succedit Concilium in electione Papæ, quia, vt aliàs exponendo dixi illa verba illius text. liceat Cardinalibus, & alijs Clericis, & laicis Deum timentibus eijcere inuasorem, exponi possunt, idest Concilio, quod constat ex Cardinalibus, & alijs Clericis, & laicis Deum timentibus. Qui text. sic intellectus apertè probat, quod Concilium eo casu, quo aliquis Papa pellitur à Papatu, debet posteà eligere alium Papam per illa verba, [extrà Vrbem congregati in loco, in quo eis placuerit electionem faciant.] Sed ad illum textum est responsio, quod cùm text. dicit, quod si intrà Vrbem nequeunt electionem perficere in loco extrà Vrbem congregati, in quo eis placuerit electionem perficiant, intelligitur de ijs, quorum est electio, videlicet de Cardinalibus, & alijs Clericis, quia ius eligendi non potest cadere in laicum, cap. Sacrosancta, & cap. Massana, de elect. Vndè apparet, quod verus est intellectus gloss. datus ad illum tex. liceat Clericis, & laicis eum anathematizare, & expellere, videlicet, quod debent referri singula singulis, videlicet Cardinalibus, & Clericis anathematizare, quia est proprium Ecclesiasticorum, qui habent claues, vt in capitulo quanto de consuet. & laicis expellere humano auxilio à Sede Apostolica. Et per hoc apparet, quod non est vera opinio Alexand. ibi circa fin. qui voluit, quod etiam laicus anathematizet

auctoritate illius canonis, quia laicus non habet claues, neque ipsarum executionem, vt in cap.1. de summa Trinit. & dictum est supra, & dicitur in capit. noua, de pœnit. & remiss. & in capit.sicut, de hæretic. cum similibus dist.96. capit. benè quidem. Et dicit gloss. in verbo mortis, in cap. Pastoralis, de offic. Ordinar. quòd licèt in casu necessitatis laicus possit audire confessionem, non tamen poterit absoluere, quia
26 non habet claues. Vno tamen casu vult Constitutio, frequens, quod Concilium possit prouidere de Papa quando electio fuit aliàs celebrata per metum, & Cardinales denuò ad electionem processissent, quia tunc datur ibi facultas Concilio prouidendi de Papa. Quòd fortè non seruaretur, quia Constitutio illa non fuit per Martinum confirmata, vt alibi dico, & non seruatur, maximè in fine sui, sed de hoc alibi latiùs dicitur. Et ad prædicta omninò vide quæstionem, quam suprà pon. quid si Papa efficiatur furiosus, vel demens, vel inutilis, vtrùm, & per quem debeat prouideri de Coadiutore vtrùm per Cardinales, an per Concilium. Nec ob-
22 stat, quod in Concilio Constantiensi fuerit electio celebrata de Martino V. non solùm per Cardinales, sed etiam per Prælatos nationum, quia respondetur, quòd ideò ità fuit illa electio celebrata, quia sic fuerat ordinatum in eodem Concilio in 40. sessione. Et ibi assignatur ratio propter illud schisma, quòd ità fuerat antiquatum, & tunc extinctum, & quia omnes, qui gesserant se pro Pontificibus fuerant in eodem Concilio priuati, vt patet ex verbis ipsius Concilij, ibi cùm dicitur: [Et ne attento statu Ecclesiæ in posterum super dicta electione vlla retractio, vllusue scrupulus in mentibus hominum resideat, sed ex illa sequatur vnio certa, & perfecta Fidelium, de expresso consensu, & voluntate concordi Cardinalium statuit, quòd hac vice dumtaxàt ad eligendum Summum Pontificem, vnà cum Cardinalibus, sex Prælati de qualibet natione adiungantur.] Et sic ibi potiùs innuitur contrarium, cùm dicit, [pro ea vice dumtaxàt,] quòd bis replicat, scilicet in principio, & in fine, quia alioquin spectabat ad Cardinales. Et ratio potuit esse, quia tempore schismatis multi erant creati Cardinales de vnaquaque obedientia. Et hanc opinionem, quòd non pertineat ad Concilium, sed ad Cardinales, reperi tenere Ioannem de Syluagalli in tract. de beneficio in secunda parte quæst. 22. Et istam dico verissimam.

SVMMARIVM.

1 *Papa in depositione Regis, Cardinalis, vel Imperatoris, de necessitate an teneatur congregare Concilium.*
Et communis est, quòd possit num. 2.
3 *Papa an possit vnum Episcopum inuitum transferre.*
4 *Papa an possit omnes Episcopos deponere, vel etiam vnum tantùm sine causa remissiuè.*
5 *Et communis est, quòd sine causa non possit, ibidem.*
6 *Baldus tamen tenet contrarium, & assignat rationem num. 5.*

ARTICVLVS X.

1 Sed pone, quòd Papa vult facere aliquid arduum, putà deponere Regem, vel Cardinales, vel Imperatorem, vtrùm de necessitate tenebitur congregare Concilium? Dicendum est, quòd non. In Rege text.15. quæst.6. alius. In Cardinalibus in cap. 1. de schisma. in 6. Et in Imperatore text. in capit. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. Bartolus, & Baldus in leg. final. C. de legibus, & in leg. rescripta, C. de precibus Imper. offer. & text. in cap. duo sunt quippè dist. 96. Et in Patriarcha Constantinopolitano text. in capit. qua traditione distinct.22. Et ex hoc patet, quòd licèt Concilium debeat congregari propter grauia, & magna occurrentia in Ecclesia vniuersali, vt diximus supra; tamen vbi non tractatur causa fidei, quæ non possit decidi per eum, potest, si vult etiam illa ardua expedire non congregato Concilio. Sed contra præmissa est, quòd dicit Milis in verbo Papa, non potest Imperatorem, vbi dicit, quod Papa non potest deponere Imperatorem, licèt possit deponentibus consentire: allegat gloss.15. quæst.6. alius. Et idem dicit de Rege Franciæ: allegat Archidiacon. ibi in dicto capit. alius. Quinimò plùs ibi vult Milis, quòd Imperator possit benè deponere Papam, si Papa ad hoc se illi subijciat de consensu Cardinalium. Sed de hoc dic, vt dico infrà in quæstione, an Papa possit se subijcere alicuius iudicio. Innocentius, Ioannes Andreas, & alij in capit. ad Apostolicæ, de re
2 iudic. in 6. communiter tenent, quod Papa etiam sine Concilio potest deponere Imperatorem; debet tamen deponi ex magna, & ardua, & non leui causa. Et videtur velle Bald. in leg. non ambigitur, ff. de ll. & Doctor. post gloss. in cap. 1. si de inuestit. feudi inter Dominum, & Vassallum lis oriatur. Et Bald. in leg. fin. C. de ll. dicit, quod oportet, quod causa sit grauis, & notoria, ex qua turbaretur vniuersalis status Christianitatis, vel Ecclesiæ.
3 Sed vtrùm Papa possit transferre vnum Episcopum inuitum? Dicit Barbatius in capit. quod translationem, de offic. Legat. quod ipse vidit Constitutionem editam in Concilio Constantien. quod Papa non possit Episcopum inuitum transferre sine consensu maioris partis Cardinalium, de quo ibi vide; & in cap. nisi, de renunciat. & capit. 1. & 2. de translat. Prælat. Et ibi
4 etiam latè per eum, an Papa posset deponere omnes Episcopos, vel vnum etiam sine causa, de quo ibi latè per eum, & per Abbat. in cap. fin. de confirm. vtil. vel inut. & per eundem Barbat. in tract. de præstantia Cardinalium: de quo etiam vide latè Decium in dicto capit. fin. Et communis videtur opinio, quod sine causa non possit inuitum transferre, per Io. Andr. in reg.

quod

quod ob gratiam, in Mercur. & Abbat. in capit. fin. de postulat. Prælat. vbi dicit itá fuisse statutum in Concilio Pisano præsidente Alexandro. Et idem Abbas in cap. constitutus, de Relig. domib. dicit, quod idem fuit statutum in Concilio Constantien. Et idem tenet, & sequitur Ludouic. in cons.345. incipit, circa primum, qui refert itá statutum in Concilio Constantien. & in Concilio Pisano. Et idem dicit Brixien. in repertorio suo in verbo Papa an possit. Et idem Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum in 27. col. de constit. Bald. tamen
5 in leg. rescripta, de precibus Imper. offer. voluit contrarium, quia beneficia sunt manualia Papæ. Et pro eo facit, quod in eo semper præsumitur causa, vt dicto cap. quæ in Ecclesiarum, & gloss. in capit. per principalem 9. qu.3. quæ vult, quod possit Papa sine causa vnum Episcopum priuare, sed non omnes, quia turbaretur status Ecclesiæ. Sed si benè consideretur, illa gloss. non dicit, quod sine causa secundùm Cardin. immò etiam in beneficijs quicquid Papa facit debet facere cum iustitia, Cardin. cons.142. Materia est multùm examinata in diuersis locis, vide remissiones in locis præallegatis. Si non obstarent statuta in dictis Concilijs, fortè aliter esset tenendum in translatione, quàm in priuatione, quia per primam non ex toto separatur ab Ecclesia. Vide Milis in verbo Prælatus non transfertur, qui aliud dicit de iure, aliud de æquitate.

SVMMARIVM.

1 *Papa mortuo, ad quem remaneat potestas.*
2 *Plenitudo potestatis remanet in Ecclesia vniuersali multipliciter.*
3 *Papa mortuo, potestas Papalis remanet in ordinatione Diuina.*
4 *Papa mortuo, potestas Papalis remanet in Sede Apostolica.*
5 *Papa mortuo, plenitudo potestatis non dicitur extincta, sed vacare, sine administratore iuris, vel facti carere.*
Et est penès Christum num. 8.
7 *Papa mortuo, potestas Papalis remanet in Ecclesia habitualiter, & in potentia.*
8 *Nec propterea est minùs plenè prouisum Ecclesiæ propter breue tempus, quæ potest vacare administratio plenitudinis potestatis, inter mortem, & successoris electionem, ibid.*
Cardinalis de Turrecremata opinio, numer.7.

ARTICVLVS XI.

Vlteriùs quia diximus, quod Sede vacante Concilium non exercet reser-
1 uata Papæ, quæro mortuo Papa penès quem remaneat potestas, & si apud Ecclesiam vniuersalem, quæ numquam moritur, vt in cap. turbatur, 2. quæst. 4. iuxta illud Matth. 28. [ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi,] quare penès Concilium non sit exercitium plenitudinis potestatis, cùm non possit perpetuò esse penès Papam, qui moritur, & Concilium representet Ecclesiam vniuersalem, vt sæ-
2 piùs dictum est. Ad quod dicendum, quod plenitudo potestatis manet in Ecclesia vniuersali multipliciter, & primò considerato Pastore, & Capite principali, scilicet Christo, qui eam fundauit, vt in cap.1. & 2. distinct.22. cap. fundamenta, cum simil. de elect. in 6. Clement. Romani de iureiuran. Ipse enim est summus Sacerdos, & Caput principale Ecclesiæ, quæ est corpus eius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet, vt dicitur ad Ephes. 1. cap. vbi gloss. dicit ideo dicitur omnia in omnibus quia omnia ab ipso sunt, quia membra nihil conferunt, sed ipse omnia membris, quia eius virtute sunt quod sunt. Licèt enim deficiat Vicarius, non deficit principalis, de cuius potestate dicitur Danielis septimo, potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur, & Dauid Psal.109. [Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech,] qui panem, & vinum obtulit, vt patet Genesis 14. Sic & Christus in sacrificio Eucharistiæ panem, & vinum in corpus, & sanguinem suum consecrauit, cuius similitudinem præmisit Mel-
3 chisedech. Item dicitur potestas Papalis mortuo Papa manere in ordinatione diuina, sicut dicitur, quod dignitas episcopalis manet in aliqua Ecclesia etiam mortuo Episcopo. Pro hoc cap. quoniam Abbas de offic. deleg. quod intelligitur donec Sedes Apostolica, quæ instituit episcopatum in tali Ecclesia, vult quod talis dignitas maneat in illa Ecclesia, alioquin si Sedes Apostolica reuocaret dispositionem illam, iam dignitas episcopalis non diceretur esse vlteriùs in præfata Ecclesia, sicut patet de ciuitate quæ priuata est dignitate Episcopali, vt in cap. ita nos, 25. qu.2. Et facit quod dicitur in cap.1. de priuil. & in
4 Clement.1. de pœnis. Item dicitur, quod potestas Papalis etiam mortuo Papa manet in Sede Apostolica, vt in cap. si gratiosè, de rescript. in 6. vbi dicitur quia Sedes Apostolica numquam moritur. Vnde dicit ibi Archid, & Ioann. Monach. quod licèt habens Papatum, vel dignitatem Imperialem sit corruptibilis, tamen imperium, & dignitas papatus semper sunt, vt in Auth. quomodo oportet Episcopos, §. licentiam, colum.9. & dicto cap. si gratiosè.
5 Vnde mortuo Papa non dicitur extincta plenitudo potestatis, nec existere, sed vacare, siue administratore iuris, vel facti carere, de cócess. præbend. cap. cum nostris. Vnde beatus Leo in sermone consecrationis suæ dicit, quod in Sede Petri viuit potestas, & excellit auctoritas. Item dicitur
6 manere potestas Papalis, etiam Papa mortuo in Ecclesia habitualiter, & in potentia, quia in Ecclesia semper manet potestas ad eligendum personam, quæ succedit in tali dignitate, & exercetur aliquibus casibus, in quibus necessitas astringit ad illa exercenda, vt visum est supra in quæstione, vtrùm Sede vacante Concilium possit aliqua de reseruatis Papæ exercere. Ad hoc cap. si

duo,

duo, 79. distinct. Dicitur etiam manere suprema potestas quo ad actualem eius administrationem. Et tunc videtur dicendum, quod quo ad plenam administrationem plenitudinis potestatis, Papa mortuo, tale exercitium non manet in Ecclesia, vt in cap. 1. de schismat. in 6. & in Clement. ne Romani, de elect. & diximus supra, vnde dicitur tunc Sedes vacare, idest carere
7 administratore. Nec propter hoc quod nullus succedit Papæ in plenitudine administrationis potestatis eius sequitur, quod non sit sufficienter prouisum Ecclesiæ, quoniam nullum detrimentum patitur Ecclesia, si per paucos dies vacet administratio plenitudinis illius potestatis, maximè cùm per Cardinales, & alios Prælatos, & Episcopos vniuersalis Ecclesiæ, qui sunt vocati in partem sollicitudinis in alijs necessarijs prouideri possit Ecclesiæ in ijs, quæ non expectant temporis dilationem, maximè animam concernentibus. Nec si diceremus quod Sede vacante plenitudo potestatis manet in Ecclesia vniuersali, magis esset prouisum, quàm dicendo, quod remanet reseruanda futuro successori, quia vbi Concilium non reperiretur congregatum, deberet expectari eius congregatio, quæ esset longior, & perniciosior expectatio, quàm electio successoris modico tempore duratura, vt in capitulo vbi periculum, de electione, in 6.

Et si dicatur, quod posset remanere in Collegio Cardinalium, quod est Collegium Apostolicum. Respondetur quod nec sic esset meliùs prouisum, quia Cardinales Sede vacante debent incumbere acceleratæ prouisioni successoris, vt d. cap. vbi periculum, & dicta Clement. ne Romani, nec tunc possunt vacare expeditioni eorum quæ sunt Papæ reseruata. Item posset esse causa inducendi ad malignandum, & differendam futuram electionem. Item hoc dictis de causis eis est prohibitum, vt dicta Clement. ne Romani, & in §. Ijdem quoque, dicto cap. vbi periculum. Et si dicatur à simili, secundùm Arist. 3. polit. cap. 8. quod regimen Ciuitatis debet consistere secundùm ordinatam politiam apud valentiorem partem ipsius ciuitatis. Respondetur quod hic non agitur de regimine vnius ciuitatis, sed vniuersalis Ecclesiæ, & omnium Catholicorum, ideò non est bona similitudo, & argumentatio à parte ad totum, quia ratio diuersa, quia potestas ciuilis oritur à ciuibus, & à populo, potestas autem Papæ est à Deo, vt in cap. nouit, de iudic. ad hoc gloss. in cap. 1. de translat. Prælat. Item communitas ciuitatis benè est capax potestatis, & regiminis ciuilis, sed vniuersalis Ecclesia non est in omnibus suis membris capax potestatis Ecclesiasticæ, quia aliqui Reges, aliqui Imperatores, & Principes, aliqui Cardinales, & Patriarchæ, &c. quorum aliqui non sunt capaces administrationis dictæ potestatis. Vnde
8 Cardinalis de Turrecrem. in tract. de potestat. Papæ lib. 1. cap. 72. dicit, quod aliquando diuersitas fidelium in corpore Ecclesiæ accipitur per respectum ad perfectionem, quæ maximè attenditur secundùm charitatem, iuxta illud Apostoli ad Colos. cap. 3. super omnia charitatē haberet, quæ est vinculum perfectionis, prout quidam, alijs sunt perfectiores, aliquando per respectum ad actionem. Et hæc est distinctio officiorum, nam officium ab efficiendo, vna mutata litera, dicitur secundùm Isidorum in lib. etymol. efficere autem, à quo sumitur nomen officij, importat actionem tendentem in aliud, & ideo officia propriè dicuntur actus, qui referuntur ad alios, vndè in diuersis officijs esse dicuntur, qui ad diuersas actiones deputati sunt. Aliquando accipitur per respectum pulchritudinis Ecclesiæ, & secundùm hoc accipitur differentia graduum, prout scilicet in eodem statu, vel officio vnus est alio superior in officio, vnde Apostolus 1. ad Corinth. 12. dicit diuisiones gratiarum sunt, gloss. gratias hic appellat gradus, & ordines, qui sunt in officio Ecclesiæ, ista autem diuersitas non reperitur in ciuitate, igitur. Et
9 si dicatur, ergo mortuo Papa Ecclesia perdit iurisdictionem, dic quod licèt ad tempus perdat actualem administrationem iurisdictionis, non tamen extinguitur, quia est penès Christum, vt dicitur in cap. 1. de schism. & dicit Archiep. Flor. in 3. par. sum. tit. 22. cap. 2. §. 3. Adde quæ dico infra in 3. sequenti quæstione, vbi ponitur vtrùm Concilium habeat iura reseruata Principi, & supra in quæstione vtrùm Sede vacante possit omnia, quæ poterat facere Papa, cum duabus alijs sequen.

SVMMARIVM.

1 *Concilium dissolutum, an possit vlteriùs determinare id, quod sibi dum erat congregatum fuerat commissum determinandum.*

Et dicitur, quod non num. 2.

Acta tamen facta in Concilio faciunt fidem coram alijs iudicibus num. 3.

3 *Arbitrorum potestas extinguitur per illorum mortem.*

Et idem mortuo, vel reuocato iudice.

ARTICVLVS XII.

1 SEd pone, quod Sede vacante remittitut aliquid determinandum iudicio, vel voluntati ipsius Concilij, quod ante determinationem dissoluitur, vtrùm poterit vlteriùs per Concilium determinari, vel declarari, Domin. in consil. 65. in col. 4. incipit discutiam, dicit quod non, quia arbitrium determinandi remissum Conci-
2 lio extinguitur, sicut per mortem, & extinctionem arbitrorum extinguitur potestas arbitralis, de offic. delegat. cap. vno delegatorum l. item si vnus §. item si plures ff. de arbitr. Et idem esset, si referretur ad Concilium tamquam iudicem, quia mortuo, vel reuocato Iudice ordinario accidentali, sicut est Legatus, re integra expirat eius iurisdictio, vt in cap. 3. & fin. de offic. legat. in 6. Ita & Concilio dissoluto expirat eius iurisdictio, officium.
3 Quod mihi placet quo ad hoc, quod non pos-

possit causam definire, actitata tamen coram Concilio facerent fidem coram alijs iudicibus, & non dicerentur extincta, sicut actitata coram alijs iudicibus, iuxta l.2. Cod. de ædendo, & cap. quoniam contra de probat. & cap. fin. eod. tit. & l. cùm lite & l. cum apud ff. Iudicatum solui, & in Clement. sæpe de verbor. signif. & cap. causam quæ de test. & capit. inter dilectos cum simil. de fide instrum.

SVMMARIVM.

1 *Concilium in casu, quo potest de causa Papæ cognoscere, si Papam absoluerit, ac potuerit condemnare illos, qui Papam vexarant.*

Argum. quod sic num.2.

Et quod ratione connexitatis causæ num.3.

Sed intelligendum in eadem sententia non autem ex interuallo num.4.

ARTICVLVS XIII.

1 Sed hìc quæro pone, quod Concilium cognouit de causa Papæ, & absoluit ipsum, vtrùm poterit condemnare eos, qui indebitè eum vexarunt. Et intelligè eo casu quo Concilium potuit cognoscere de causa Papæ, vel quando Papa permisit ex humanitate, vt supra dictum est alioquin nullus iudicat de Papa, vt dist.17. §. hinc esset dist.21. cap. nunc autem, & dist.40. cap. si Papa, & 9. quæst.3. nemo cum pluribus capitulis seqq. Text. in §. hinc etiam
2 dist.17. inquantum refert Concilium restituisse calumniantes, siue accusantes Symmachum, probat quod sic immò plus, quod non solùm possit illos iudicare, sed illos restituere. Ad idem est quod legitur de Damaso, qui accusatus de adulterio, & facta Synodo purgatus est à 44. Episcopis, qui etiam damnarunt Concordium, & Calixtum Diacones accusatores eius, & proiecerunt eos de Ecclesia. Dic secundùm
3 Alexand. ibi in d. §. hinc etiam, quod tales poterit Concilium condemnare ratione connexitatis causæ per text. in l.1. Cod. de calumniatoribus. Et idem dicit de testibus falsum deponentibus cap. ad aures de pœ-
4 nis. Dicit tamen hoc fieri debere in eadem sententia, in qua absoluitur Papa, vt ipso officio mercenario Iudicis idest Concilij condemnentur, facit quod dicitur in cap. præterea de offic. delegat. Aliàs autem, si non in eadem sententia, sed ex interuallo, non Concilium, sed Papa solus, vel cum Concilio, vel alius eorum Iudex competens poterit eos punire, per ea, quæ dicit glos. quàm Doctores sequuntur in d. l.1. C. de calum. Quod autem dicitur de restitutione, & recuperatione prioris dignitatis, illud fuit ex misericordia, vt dicit ibi textus, quia schismaticus rediens ad vnionem priorem, non recuperat priorem dignitatem, vt notat ibi Domin. & dicitur in cap. quia diligentia de elect. Et illud fuit ex quadam concordia, & de voluntate Papæ, vnde non tam fuerunt restituti per Concilium quàm per Papam. Et ideò ibi Ægidius dicit, quod quando aliqui calumniosè discedunt ab obedientia Papæ facientes schisma, vt posteà concordetur negocium & restituatur obedientia Papæ pro pace Ecclesiæ in melius reformanda, expedit quod dispensatiuè, & misericorditer restituantur. Vbi dicit Alexand. quod multò magis illud expediret fieri, dum ageretur de pace Ecclesiæ in facto contendentium de Papatu. Facit quod dicitur in cap. in nostra de iniurijs, & in l. veniat. Cod. de in ius vocando, & in cap. quanto de iureiuran. cum simil. de bonis hinc inde restituendis facta pace.

SVMMARIVM.

1 *Papa an possit se subijcere iudicio Concilij, vel Imperatoris, vel alterius, &c.*

Et quando agitur de titulo Papatus, quod possit ibid.

Et licèt sit quæstio de Vicariatu, vtrùm sit penès vnum, vel alium, non tamen dicitur subijci dignitas Vicariatus, sed persona tantùm num.2.

Et maximè si iurasset num.9. vel esset casus irreparabilis, puta schisma ibidem.

3 *Plenitudo potestatis absolutè considerata est à Deo, sed in hoc vel illo est per cooperationem humanam, scilicèt per consensum eligentium, & electi.*

4 *Plenitudo potestatis non potest subijci.*

Et quomodo intelligendum ibid.

Et non per modum iurisdictionis num.5.

6 *Papa retinendo Vicariatum, non potest à se abdicare potestatem Vicariatus.*

7 *Lex pen. ff. de pact. quæ allegatur, quod nemo potest sibi legem imponere, à qua non liceat recedere.*

Immò nec sibi imperare l. pen. ff. de arbitris.

Harum duarum legum ad hoc propositum, declaratio.

8 *Papa subijcitur legi naturæ.*

Et ideò si renunciauerit, & recusat seruare, cum non habeat superiorem, nihilominus non cessat obligatio iuris naturalis, qua se astrinxit, & debitor esset seruare num. seqq.

11 *Legis qui fundos C. de omni agr. deserto declaratio.*

12 *Papa renunciando Papatui, quod teneatur requirere consensum Cardinalium.*

Et quomodo intelligendum.

Contrarium probat Auctor num.13.

Et pulchrum argum. num.17. 18.

14 *Papæ dispositiones non alligantur hominum consensu, immò nec Concilij generalis.*

Et cõsensus Cardinalium non requiritur nisi quando tractatur de eorum præiudicio num.15.

16 *Titulus Papatus sic inhæret Papæ, quod nullus alius in hoc participat.*

Et dicitur habere Papatum nomine suo non nomine Ecclesiæ ibid.

19 *Iustitiæ omnis creatura est subiecta.*

20 *Submissio admittitur etiam in eo, qui non recognoscit superiorem.*

21 *Ioannes de An. reprehenditur.*

22 *Papa potest in se prorogare iurisdictionem iudicis*

dicis secularis potiùs ex humiltate, quàm ex debito.
Quod an sit verum ibid. remissiuè.
Et quod non possit, nisi in casu conscientiæ ibid.

23 *Papa si impetiretur de hæresi, & esset paratus corrigi posset permittere Imperatori.*
Et si Laico vt caperet informationes.

24 *Papam posse se submittere argum.*
Et ratio quia habet plenitudinem potestatis, quod non potest Clericus in iudicialibus sine licentia sui Prælati.

25 *Papam non posse se submittere iudicio, nec Concilij, nec aliorum, nec supra se iudicem constituere argum. decem.*
Et alia 11. remissiuè num.29.
Et capitulo nos si incompetenter, & alia iura contraria intelliguntur ex quadam decentia, non autem de necessitate, num.26.

27 *Legatus de latere non potest se subijcere iudicio alicuius infrà Papam, nisi in iudicio animæ.*

28 *Cap. nos si incompetenter 2. quæst.7. tres intellectus, & num. seqq. & num.41. & num.47. & num.57.*

30 *Cap. Adrianus cum seqq. distinct.63. intellectus.*

31 *Card. inhærent Sedi Apost. sicut stellæ in firmamento Cœli.*

32 *Card. residentes in Curia non mouentur nisi motu Papæ.*
Card. verò Legati nutu Papæ.
Et quicquid faciunt præsumuntur facere nutu Papæ.

33 *Collegium Cardinalium dicitur Senatus Papæ.*
Et propter quod sine eis, Papa non possit se alicui subijcere.
Et circa hoc dictum Innocent. cum distinct num.seqq.

35 *Imperator licèt sit iudex in causa propria.*
Et non recognoscat superiorem, tamen potest se submittere iudicio alicuius tacitè, vel expressè.
Et hæc submissio fit, vel per viam compromissi, vel prorogationis, vel expressi, vel taciti consensus num.36.
Vbi patet, quod superiores iudices submittunt se inferioribus.
Et talis submissio parum operatur, quia si contingat aliquo casu appellari, causa nihilominus reuertitur ad manus superioris num.38. quod procedit in Papa, sed an idem in habentibus superiores ibidem.

37 *Angelus in l. est receptum ff. de iurisd. omn. iud.reprehenditur.*

39 *Papa potest se submittere alicui in foro pœnitentiali, & ibi assignatur ratio, & num.52.*
Non autem in foro seculari num. seqq.
Et quid in foro Ecclesiastico, & dicitur, quod non quando tractatur de persona Papæ iudicanda num.42.
Fallit num.43. 44. & 45.
Si verò non tractatur de persona Papæ, sed de iuribus concernentibus ius alicuius particularis Ecclesiæ num.46.
Et quod Papa non possit se alteri subijcere num.47.
Et ratio assignatur in Papa, & Imperatore num.48.
Opin. Millis num.49.
Alteriùs Doctor.num.50. Ægidius num.51. & 52.

41 *Papa potest committere laico causam spiritualem, maximè tamquam exequutori.*

53 *Legis est receptum de iurisd. omn. iud.*
Et legis ille à quo §.tempestiuum ff. ad Treb. declar.

54 *Imperator in causa propria, quod possit se submittere alicui quomodo intelligendum.*

55 *Papa non potest submittere iudicio alicuius si agatur de titulo Papatus inter duos.*
Et ratio assignatur ibid.
Et si esset contentio de Papatu inter duos quo casu, & quomodo posset se submittere num.56.

57 *Papa an possit se submittere iudicio alicuius conclusiones 13. vsque ad num.70.*

ARTICVLVS XIV.

1 Sed hìc quæro vtrùm Papa possit se submittere iudicio Concilij, vel Imperatoris, aut alterius. Et quod Papa possit se subijcere quando agitur de titulo Papatus, videtur, quod sic per l. est receptum ff. de iuribus omnium iudic. & notata in cap. in Synodo dist. 63. & cap. nos si incompetenter 2. quæst.7. & in cap. mandastis 2. qu.4. Ad hoc cap. sanè il 2. de offic. delegat. & cap. magnæ de voto, & cap. omnis de pœnit. & remis. per glos. in cap. innotuit de elect. & cap. cùm inferior. & maior. & obed. Pro hoc est gloss. in cap. venio 3. quæst.9. & gloss. in verbo Apostolicam in cap. in Synodo distinct.63. Secundò facit
2 quia quamuis sit quæstio de Vicariatu Christi, an sit apud vnum, vel alium, non per hoc subijcitur dignitas Vicariatus, sed persona. Nec enim est quæstio de Vicariatu Christi absolutè, an sit, vel talis potestas relicta, seu commissa fuerit, sed an apud talem personam existat. Facit quod notat Ioan. And. in cap.1. de renunt. in 6.
3 vbi dicit, quod plenitudo potestatis absolutè considerata est à Deo, sed est in hoc, vel illo per cooperationem humanam, scilicèt per consensum eligentium, & electi. Vnde potest renuntiare papatui ex iusta causa, & in vtilitatem reipublicæ. & pro exoneratione conscientiæ suæ. Quare ergo occurrente eadem causa, vel maiori non poterit se subijcere non dico simpliciter hominibus, sed veritati, vt videatur veritas, an apud eum existat papatus, & maximè si ageretur ad sedandum schisma 24. quæst.1. in summa, & in cap. didicimus eadem cau. & quæst. per glossam. Nec obstat si quis
4 diceret quod plenitudo potestatis non potest subijci, vt in cap. bonæ il 2. per Innoc. de postula. præla. & in cap. cùm nobis de præscrip. per Barr. & Doct. facit quod habetur in cap. volumus 16. quæst.4. Quia respondetur, quod sic subijciendo se veritati, non subijcitur per modum iurisdictionis. Facit quod notat Ioann. Andr. in cap.1. de renun. in 6. in quæstione quid si sit quæstio

quod

quòd Cardinales referunt Papam renuntiasse, & ipse contendit de contrario. Et ibi dicit illo casu Papam esse Iudicem, & habere cognitionem per modum iurisdictionis. Vnde oportet dicere hanc submissionem non esse per modum iurisdictionis, sed quadam naturali obligatione, qua etiam adstringitur Romanus Pontifex dist.1.ius naturale, & capit. ius gentium, & capit si homo, 27.quæst.1.& 19.quæst.2. duæ sunt, facit quod dicitur in cap.1.de
5 probat. Et quòd talis submissio non possit fieri per modum iurisdictionis constat, quia aut ista iurisdictio dicitur ordinaria, & est ei subalternata ca.decreto 2.quæst.6. cap.ad honorem de auctor. & vsu pal. aut delegata, & est eadem, licèt aliter apud delegatum, aliter apud delegantem. Primum probatur in cap. dudum de præben. in 6.secundum in l.more ff.de iuri.omnium
6 iudic. Non enim potest Papa retinendo Vicariatum, à se abdicare potestatem Vicariatus, facit quòd in simili ponit Innoc. in cap. in causis de elect. & in c.cùm super de offic.delegat. tex in l.legatus ff.de offic. præsid. Et si dicatur si sumus in simplici submissione quodam iure naturali tunc vi-
7 detur frustatoria, quia non poterit sibi legem imponere à qua non liceat recedere l.penult.ff. de pac.immò nec sibi imperare, vt in l.penul.ff. de arbi. Potest responderi illud verum esse in nuda dispositione, sed vbi transit in conuentionem tenetur seruare l.sicut ff. de act. & obliga. facit l.fin. C. de pac. inter empto. & vendit, & quod notatur per Ioann.And. in c.1.de proba. Ad idem c.noli.23.q.1.vbi hosti fides est seruāda immò graue est fidem fallere dicit tex. l.1 ff.de const.pecu.& in c. te de iureiuran. facit tex.in cap. ignorantes 22. quæst. 4. & cap.venerabilem de elect. Et maximè quando conuentiones sunt publicæ, eò magis sunt seruandæ de pac. l.conuentionem Pa-
8 pa enim subijcitur legi naturæ, faciunt, quæ ponuntur 25.quæst.1.cap.quæ ad perpetuam, & cap. quidam, cùm pluribus similibus capitulis illius quæstionis, quia, & lege, & exemplo tenetur subiectos in illa dirigere 24.quæst.1. cap.manet.& cap. officij. Sequitur ergo, quòd si voluntariè se subiecit, tenetur implere. Ad hoc quòd notatur in l.digna vox C. de l.& Bal. in l.qui se patris C.vnde liberi, & quod notat gloss.in cap.non liceat 12.quæst.2. Probatur 63.dist.cap. inter nos, vbi ponitur de facto Papæ, & Imperatoris quæ debent
9 mutuo seruari. Quod maximè videtur minus dubitabile, si iurasset se velle stare iudicio alicuius, vel si casus aliter esset irreparabilis, puta propter schisma, de quo iuramento alibi latiùs attingemus. Et facit quòd dicit Antonius de Butrio in cap. 1. de constit. Sed adhuc videatur obstare,
10 quia si recusat seruare postquam se submisit, nullum videtur remedium, quia quamtumcumque ex hoc peccet, nisi simus in casu hæresis nullus poterit esse executor, siue corrector, siue superior 40. dis. si Papa 9.quæst.3.aliorum cap. proposuit de concef. præben. Ad hoc respondetur quod non esset verisimile quòd vellet Ecclesiæ vniuersali illudere. Quòd si cessaret perseuerantia huiusmodi voluntatis, licèt non sit dare superiorem, non propterea cessaret obligatio iuris naturalis, qua se astrinxit, & debitor existit seruare dict.capit.1. de probat. Facit quòd dicitur in cap. cùm ad monasterium de stat.regul. & in c. quæ in Ecclesiarum de constit.& cap. quia plerique de immun.Eccles. & c. per venerabilem qui filij sint legi.& in ca.3.de schisma.
11 Et si dicatur quòd potest reuocare obligationem, vt in l.qui fundos C. de omni agro deserto, cùm simil. Respondetur, quòd ibi est sermo de priuilegio concesso subditis, quod potest reuocare, vt ponitur in ca: nouit de iudic. Et hoc verum ex iusta causa, vt in cap. suggestum de deci. cùm simil. secus si ex iniusta, & voluntaria causa. Et hoc quando per modum donationis, quia donationem non debet reuocare sine iusta causa cap.non enim 22. quæst.2.secus si per modum commissionis, vt notat Bald in l.qui se patris. C. vnde liberi. Et si dica-
12 tur quod ex quo agitur de honore sedis Apostolicæ, videtur necessarius consensus Cardinalium, qui cùm eo participant in honore, vt in cap.fundamenta de elect.in 6. quia sunt fratres, & pars corporis, vt in cap.per venerabilem in §. verùm, qui filij sint legi. Similiter si dicatur quòd ex quo agitur de præiudicio subditorum, requiritur etiam eorum consensus, sicut in simili dicit Innoc.in cap.auditis de præscrip.vbi dicit, quòd interest subditorum ne mutent Dominos. Et idem Innoc. in capit. quanto de iureiur. vbi quando tractatur de præiudicio populi, requirendus est ipsius consensus, vel maioris partis regni ab ipso rege. Facit quòd dicitur in cap fin.de rescrip. & in cap. dilecti de maior. & obe. & 96.dist. Constantinus, & in cap.intellecto, de iureiur. & in consi.Pauli de Castro 72.incipit quia frustra. Respondetur quod præmissa arguunt, quod non de necessitate, sed ex quadam decentia interueniant illorum consensus, vel Consilium. Facit. quod ponit Innoc. in fin. de maior. & obe. vbi in via voluntaria requiri debet consensus vniuersitatis, secus in via necessaria. Ad hoc cap. edoceri de rescrip. facit quod dicitur in cap.1. ne sede vacan. in 6. Item respondetur quòd illa procedunt in illis qui sunt astricti iure positiuo, sed Romanus Pontifex est solutus legibus, vt in cap. proposuit de concef. præben. Item non reperitur aliqua constitutio iuris diuini, quæ astringat Romanum Pontificem ad requirendum consensum Cardinalium, igitur videtur data libera facultas 2. quæst. 6. consuluisti, & de transla.Prælat.cap. inter corporalia. Facit quod dicit Archi. in cap.vbi periculum de elect. in 6. vbi dicit quòd si quam potestatem habent Cardinales habent ab homine non à Deo, si igitur à iure positiuo requiratur consensus, vel consilium, hoc non dependet à maiori, quàm sit Romanus Pontifex, qui non ligatur iurepositiuo, vt in dict.cap. propo-
13 suit. Item contrarium videtur verum, quia in agendis per Romanum Pontificem, nec consensus, nec consilium Cardinalium de necessitate requiritur, vt ponitur in cap. ad Apostolicæ ne re iudic. in 6. vbi glossa

Innoc. & Doct. & Archi. in cap. quamuis
de offic. ord. super verbo Concil. eod. lib. Et
probatur per cap. significasti de elect. vbi
14 dispositiones Papæ non alligantur homi-
num consensu, immò nec Concilij genera-
lis, quia si sententia Concilij generalis
contrariatur sententiæ Papæ, sententia
Papæ est præferenda, vt ibi dicit Ioann.
Andr. de quo latiùs dicitur supra in loco
proprio. Vnde vt dicit Bellamera in cap.
15 in Synodo 63. distinct. consensus Cardina-
lium non requiritur de necessitate, nisi
quando tractatur de eorum præiudicio,
quia non sunt propriè sicut Canonici, cùm
Episcopo suo, & idem dicit in cap. nullus
il 2. in fin. 79. dist. quia respectu Ecclesiæ
particularis Romani Canonici Sancti Pe-
tri, & Ecclesiæ Lateranen. sunt propriè
Canonici, respectu autem vniuersalis Ec-
clesiæ Concilium generale est Capitulum
Papæ. Dicit tamen quòd Cardinales sunt
assumpti consultores ipsius Papæ, non ta-
men quòd faciant vnum Collegium cum
Papa respectu vniuersalis Ecclesiæ, nec re-
spectu particularis Romanæ Ecclesiæ di-
cuntur Cardinales Collegium, & idem re-
16 fert Alex. in dict. cap. in Synodo. Item ti-
tulus Papatus sic inhæret Papæ, quod nul-
lus alius in hoc participat, vt in cap. fa-
ctus est Cornelius 7. quæst. 1. Et nomine suo,
& non nomine Ecclesiæ dicitur habere
papatum, vt plenè constat in cap. ex parte
de arbi. & cap. cùm super de causa posses. &
propri. notat Archi. in cap. vbi periculum,
in gloss. magna de elect. in 6. & Ioann. And.
in Clem. ne Romanii eod. tit. Nec in hoc ti-
tulo aliquis ex subditis potest sibi vendica-
re aliquid iuris, cum sit vnicus, qui ha-
bet plenitudinem potestatis, vt in cap. de-
creto 2. quæst. 6. & cap. ad honorem de au-
17 ctor. & vsu pal. Item si Papa se submittit
pro ueritate manifestanda, an ipse sit ve-
rus Papa, nullum fit præiudicium Vica-
riatui Christi, sed personæ submittentis,
quia non quæritur de Vicariatu, sed an sit
apud talem, & sic de præiudicio ipsius
personæ, & non dignitatis. Ad hoc cap.
penult. de re iudic. & quod notat Innoc. in
cap. dilectus il 2. de præben. vbi ponitur,
quod si inferatur quæstio instituto, vel con-
firmato super beneficio, non vocatur con-
ferens, confirmans, siue instituens, quia
est translatum plenum ius in institutum c.
penult. de præben. & cap. fin. de concess. præ-
ben. Sed electio Papæ non expectat aliam
confirmationem, vt in cap. in nomine Do-
mini. 23. distin. & capit. licèt de elect. igitur
non debet requiri alius consensus Cardi-
nalium. Similiter defensio tituli spectat ad
electum, siue prouisum, non ad eligentes,
vel prouidentes cap. cùm inter de elect. Et
frequenter tales prouisi se submittunt iu-
dicio alicuius cap. nisi essent, de præben.
cap. constitutus, & c. super eo de transac.
Facit quod notat Innoc. in cap. dilecti de
maior. & obed. cùm ponit distinctionem,
quando agitur de re, vel de persona, &
quod notat idem Innoc. in cap. cùm eccle-
siasticæ de excep. quando ponit de inte-
resse communi, vel priuato, & in cap. cùm
ex officij de præscrip. Et si agatur de quasi
communi, cum sit popularis defensio, vt
in cap. dudum el 2. de elect. & cap. super
ijs, de accusat. adhuc non omnes subditi
contradicentes admittuntur.
18 Et quòd Papa cùm agitur de papatu
possit se subijcere, facit vltra adducta text.
in cap. ex parte de verbor. sig. & cap. nos si
incompetenter. §. ita cùm Balaam, & §.
item Symmachus 2. quæst. 7. & c. nunc au-
tem. 21. dist. Cùm enim Cardinales tantùm
præstent consilium in gerendis, per Papam,
vt in cap. fundamenta de elect. in 6. graue
est, quòd astringatur Papa ad illorum
consensum. Nec obstat 96. dist. cap. vbi
loquitur de fide. Item facit alia ratio,
19 quia quando est dubium quis sit verus Pa-
pa, ad comperiendam veritatem nulla me-
lior via, quàm via iustitiæ, cui omnis
creatura est subiecta l. iustitia §. iuris præce-
pta ff. de iustitia, & iure. Hæc autem via
potest practicari per viam submissionis, &
est facilior, igitur illa amplectenda Cle-
ment. 1. de sum. Tri. C. de appel. l. ampliorē
ff. de auro, & argen. lega. l. pediculis §. La-
20 beo. Præterea quòd admittatur submis-
sio in eo, qui non recognoscit superiorem,
est tex. ibi in verbo subijcere potuit in cap.
per venerabilem, qui filij sint legit. Et per
illam literam dicit, Hostien. quòd licèt,
nec laicus possit se subijcere alterius iuris-
dictioni, sine consensu proprij Iudicis, il-
lud est verum in feudalibus, vt notat in
summa de arbi. in §. de qua re, sub §. im-
peditur, versic. sed numquid vasallus, se-
cus in alijs per illum tex. adhoc facit quòd
dicitur in cap. 1. de iudi. & in cap. penul.
21 de foro compe. Et istam partem affirmati-
uam tenuit gloss. in cap. in Synodo in ver-
bo Apostolicam 63. dist. & gloss. in c. nemo
9. q. 3. & Hugo, & Ioan. de Fan. & Dominic.
in c. nos si cōpetenter, & respondent quòd
Ioan. And. malè soluit in c. Ecclesia de con-
stit. quia eius solutio non cōuenit verbis il-
lis tex. in verbo terminentur, & in verbo de-
finitum. Et eamdem etiam sentit gloss. in
prox. 6. in verbo seruus. Et ibi Dominic.
22 in 7. column. dicit, quod Papa potest in
se prorogare iurisdictionem Iudicis secu-
laris, potiùs tamen ex humilitate, quàm
ex debito, & idem Archi. in cap. si quis
super his 2. quæst. 7. idem Hostien. Ioann.
And. & Ioann. de Ana. in c. cùm ex iniun-
cto, de hære. Et istam videtur tenere Alex.
in dicto cap. in synodo 63. dist. licèt tan-
dem remaneat dubium vtrùm possit se sub-
mittere alicuius laici iudicio, & se remit-
tit ad dicta in cap. inferior 21. dist. Et ibi
videtur simpliciter transire in partem ne-
gatiuam, quòd non possit se alteri subijce-
re, nisi in casu conscientiæ, & in dict. cap.
in synodo, dicit quòd longè minus vide-
tur, quòd possit se subijcere Imperatori,
quando agitur de causa hæresis, quia tunc
habetur pro priuato, & non pro Papa, vt
dicitur in cap. si Papa 40. dist. & sicut pri-
uatus clericus non potest se subijcere lai-
co, vt cap. si diligenti, & cap. significasti
de foro compe. ità, nec tali casu Papa, in
23 quo habetur pro priuato. Dicit tamen
quòd si tractaretur de hæresi Papæ, & esset
paratus corrigi, tunc posset hoc comitte-
re Imperatori, & sic laico, & etiam posset
permittere, vt caperet informationes de
hære-

hæresi sua, allegat ad hoc ibi Bellameram
24 in 6.& 7. colum. Item pro ista parte affirmatiua facit tex. in dicto cap. si quis super his 2. quæst. 7. & tex. in dict. cap. cùm ex iniuncto, cùm allegat exemplum de Christo, qui se submisit iudicio Iudæorum, cùm dixit, quis ex vobis arguet me de peccato, Et idem Pe. de Perusio ibi in dict. cap. cùm ex iniuncto, vbi dicit quod ex quo Papa habet plenitudinem potestatis, potest se submittere iudicio alterius, quòd nõ potest clericus in iudicialibus, sine licẽtia sui Prælati, vt in c. significasti de for. comp. Et facit etiam pro ista parte tex. in c. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. ibi parati eramus vocare Reges, Prælatos, & Principes, tam Ecclesiasticos, quàm seculares. Et tex. in c. 1. de renun. in 6. quia si potest renunciare, multò magis se submittere.

25 Sed in contrarium, quod Papa non possit se submittere iudicio, nec Concilij, nec aliorum, nec constituere aliquem Iudicem supra se, qui iudicialiter, & auctoritatiuè possit personam ipsius iudicare, siuè per modum commissionis, siue submissionis, facit primò, quòd electio summorum Pontificum, Deo est reseruata 17. dist. cap. electionem. Secundò quia in terris non est superior, qui Papam eijciat, vt in cap. licèt de elect. in fin. Tertiò, quia potestas Papæ est à Deo, & non ab homine, de iudic. cap. nouit. Quartò, quia per talem declarationem non potest constitui titulus in Papatu, quia licèt in inferioribus beneficiis prouideri possit officio superioris, in Papatu tamen nullo modo dicto cap. licèt; in fin. de elect. Quintò, quia, per istam viam Papa videtur sibi eligere successorem, patiendo alteri dari papatum, quòd esse non potest 8. quæst. 1. §. his omnibus, cùm glos. & 79. dist. si transitus. Sextò, quia non posset Papa cùm bona conscientia consentire, quòd papatus daretur alteri non vero Papæ, quòd posset euenire, & tale peccatum non esset committendum, etiam pro sedatione schismatis, 13. dist. ferè per totum. Septimò, quia etiam se submittendo, ab alio iudicari non potest 21. dist. dict. cap. nunc autem, vbi fuit necesse, quòd Papa ferret sententiam in seipsum. Octauò, quia de iure communi est clarum, quòd Papa non potest se submittere, nec ab aliquo Iudice iudicari quacumq; auctoritate fungatur 9. q. 3. c. nemo, & cap. aliorum. Nonò, quia quædam sunt, quæ impediunt submissionẽ, vt in c. si diligẽti, & c. significasti de foro compe. quæ ad hunc casum singulariter adaptari possunt. Decimò facit exemplum Alexandri tertij, qui expresse refutauit talem submissionem, & postea edidit tex. in capitolo licèt de elect. in Concilio Lateranen, vbi definit, quòd circa dubia electionis Papæ, non habe-
26 tur superior. Non obstat dictum capit. non si incompetenter, & alia iura concordantia supra allegata, quia ibi est sermo de quadam decentia non autem de necessitate, iuxta notata in l. digna vox C. de legibus. Et idem ibi Archidiac. post Vincentium exponit iudicio, idest discretione. Et addendo ad gloss. dicit, quod quidam dicunt per l. est receptum, ff. de iurisdict. omnium iudic. quòd ille, qui est supra omne forum, vt est Papa, potest se subijcere iudici seculari, quia, ipse potest destruere, forum, condere, & diminuere, quod dicit Vincentius non tenendum in capit. Ecclesia de constit. & quod, vt supra dictum est, tex. in cap. nos si incompetenter debet exponi iudicio idest, discretione. Et ita ipse transit plus etiam dicens post
27 Vincentium, quod legatus de latere non potest se subijcere alicui infrà Papam, nisi in iudicio animæ, quod est exceptum, vt in cap. ne pro dilatione de pœnit. & remiss. & hoc ponit Vincentius in capit. volentes, de off. legat. Et cum istis transit Ægidius Bellamera. Hanc autem conclusionem etiam ponit Martinus de Laude in tractat. Concilij, in quæst. 3. & remittit se ad dicta per eum in tract. de principibus in q. 368. Hanc etiam conclusionem tenuit Ioann. And. in cap. Ecclesia de constit. & Abb. eum refert, & sequitur in cap. significasti, in 5. colum. de foro compet. Et respondet ad cap. nos si incompetenter, 2. quæst. 7. & cap. mandastis, & cap. auditum, 2. quæst. 4. quod loquuntur de submissione ex humilitate, vt ostendunt verba, dicto cap. auditum in fin. dum dicit, hoc autem facientes non legem præscribo cæteris, qua id facere cogantur. Et idem ponit Aluarus de planctu Ecclesiæ, lib. 1. artic. 32. Et Abb. pro ista parte assignat rationem, quia cum non agatur de bono Papæ, sed Dei, ex hoc irrogaretur iniuria Deo si Vicarius eius iudicaretur à laico puta Imperatore, & ait, quod non potest renunciare illi priuilegio, & quod in cap. nos si incompetenter sumitur Iudicium pro discretione, & quod illud, cap. narrat factum, sed de iure fieri non potest. Et eamdem opinionem tenent Anton. Abb. Imol. & Domin. in dicto cap. Ecclesia, & Ioann. And. in cap. ad nostram de consuet. & Cardin. in cap. significasti in 2. oppos. de foro comp. Et ad cap. nos si
28 incompetenter, vltra supra dicta illis tribus modis, videlicet, quòd factum narrat, & quòd iudicium sumitur pro discretione, & quòd ex nimia humilitate Papa subiecit se iudicio Imperatoris, respondet ipse, quòd Papa subiecit se sponte volens recipere correctionem tamquàm monitionem, non quod fecerit illum suum iudicem. Et idem tenet Archid. in dicto cap. nos si incompetenter, & idem tenent Anton. Imol. & Domin. in dicto cap. significasti. Et idem Abb. in cap. at si Clerici in 13. colum. de iudic. qui dicit hoc notandum contra illos, qui rudi ter allegant illum tex. in capit. nos si incompetenter, & idem ipse tenet in cap. P. & G. penult. colum. de offic. deleg. Et ad l. est receptum, respondet Imol. in d. cap. Ecclesia, quòd ibi poterat superior prorogare iurisdictionem inferioris, quòd non est in casu isto, in quo Clericus non potest prorogare iurisdictionem laici. Sed melius potest responderi, quod dicta l. est receptum, loquitur in magistratibus, qui quamtumcunque sint de superioribus, tamen ipsi habent superiorem à quo possunt iudicari, sed Papa nullum habet superiorem, nisi Deum, vt in capit. nemo. 9. quæst. 3. & in cap. licèt in fin. de elect. Pro hoc facit,

cit, quod dicit Beatus Thom. in quarto sentent. distinct. 19. quæstione prima, artic. 3. quæstiuncula tertia, ad tertium, vbi probat, quòd quis non potest dare alicui potestatem, quòd eum excommunicet. Et eum refert Cardinal. de Turrecrem. in suo tractatu, de Potestate Papæ, quæst. 25. Et latiùs idem Cardinal. ponendo quæstionem
29 refert in cap. 104. in 2. lib. vbi per 11. motiua probat Papam non posse se submittere iudicio alicuius. Et respondet secundùm Vincentium, & Archiepiscop. ad capitulum nos si incompetenter, quod iudicium sumitur pro discretione, ita quod ad discretionem illorum dicebat Papa se velle omnia illa emendare, non autem dixit, quod iurisdictione illorum emendaret, item licèt dicat, quod Imperator mittat nuncios, qui inquirant, & examinent, quæ iudicata erant, non tamen dicit, quod illorum authoritate reuocarentur, ipse tamen respondet, quòd aut se submittit inquantum homo ex sua humilitate, non quod constituat sibi superiorem, & potest, & hoc voluit etiam Aluarus in tract. de planctu Ecclesiæ, aut se submittit alicui, vt possit iudicare de persona, & dignitate eius, & eum deponere, & non potest, benè tamen posset in aliquibus casibus, in quibus haberet cum aliquo controuersiam super aliquibus iuribus ad eum, vt personam priuatam pertinentibus ad tollendum controuersiam, se ex benignitate submittere se-
30 cundùm eum. Ad capitulum Adrianus cum capitulo sequenti, 63. distinctione respondetur, quod quantumcunque Papa dederit potestatem Carolo in electione Romani Pontificis, & Leo Othoni, non per hoc sequitur, quòd se subiecerit iudicio Imperatoris, sicut nec hodie subijcitur Cardinalibus, licèt ipsi habeant potestatem eligendi Papam, vt in dicto cap. vbi periculum cum similibus de elect. in 6. Et ex ista ratione, quia Cardinales habent ius eligendi, etiam respondetur, quod satis ex tali submissione dicitur tractari de Cardinalium præiudicio, & quod ideo requiri deberet ipsorum consensus, & quia sunt pars corporis Papæ, vt in dicto c. 1. de offi. leg. in 6. & quia faciunt collegium cum Papa, quia in administratione rerum vniuersalis Ecclesiæ congregantur vt Papæ consulant & eum in gerendis dirigant, licet fortè respectu particularis Ecclesiæ Romanæ non dicantur facere collegium secundùm Ale-
31 xan. in dicto cap. in synodo. Sunt enim Cardinales inhærentes sedi Apostolicæ, sicut stellæ in firmamento cœli dicit Bald. in l. cùm multa, Cod. de bonis quæ libe. Et, vt supra etiam relatum est, plus dicit idem Bald. in cap. bonæ, el primo de postula. Præla. quod Cardinales residentes in curia
32 æquiparantur stellis fixis, quæ non mouentur nisi motu orbis, sicut, & Cardinales non mouentur nisi motu Papæ, & Cardinales legati æquiparantur constellationibus, siuè planetis, qui mouentur motu proprio, nutu Dei, sicut & legati nutu Papæ. Et quicquid faciunt præsumitur facere nutu Papæ, vt in cap. primo de postula. Præla. Ideò dicuntur facere collegium cum Papa, & appellatur sacrum collegium, vt dicit Alexand. in dicto cap. in synodo. Facit, quod dicit Ioan. de Ana. post Hostien. in capit. ad liberandam de Iudæis, & in clemen. ne Romani de electio. & in cap. 1. in verbo sede vacante in gloss. de schisma. in 6. Et hoc respectu dicitur supremum collegium Ecclesiæ Romanæ. Et collegium
33 Reueren. dominorum Cardinalium potest dici senatus Papæ, licèt non per omnia habeant potestatem antiquorum senatorum, vt ponit Abb. in cap. cum tex. de re iudic. & dicitur in cap. Ecclesia 16. quæst. 1. Immò in aliquibus longè plus habent, quàm antiqui Senatores Romani, quia eligunt Papam, vt in cap. in nomine Domini, 23. dist. Senatores autem non eligebant Imperatorem, quia eligebatur ab exercitu, & populus obediendo admittebat, vt in cap. legimus, 93. dist. vndè ex his non videtur, quòd Papa sine Consilio Cardinalium possit se subijcere alicui. In-
34 nocentius tamen in cap. ex parte, de verbo. signifi. dicit quòd quando agitur cum Papa de rebus, vel iuribus, tunc sic est procedendum, quia Papa contra alium, vel alius contra eum mouet quæstionem super aliquibus rebus, vel iuribus, eligendi sunt arbitri pro vtroque, vt iudicium procedat sine suspicione. argu. 11. quæst. prima, si clericus, 3. quæst. 5. quia suspecti. Et licèt hoc sit honestum, tamen non negat, quin alicui posset causam delegare, sicut Imperator facit causas suas, & Imperij sui tractari per procuratores suos, qui ab eo sunt dati iudices, licèt sint iudices ordinarij, C. vbi causæ fisca. per totum C. si aduersùs fiscum, l. 1. & 2. Et ita dicit seruari de consuetudine, quia Papa similes suas causas delegat alijs. Pro quo bene facit tex. in cap. ad Apostolicæ de re iud. in 6. Si autem Papæ aliquis vellet crimen objcere, tunc dicit, quod de hoc nullus potest cognoscere, 9. quæst. 3. cap. facta, nisi de hæresi, vt in cap. si Papa 40. distin. Item quando de potestate, vel de sententijs eius agitur, nullus, nisi ipse solus cognoscit, 9. quæst. 3. capitu. isti sunt, cap. nemo, & cap. sequen. Et sic videtur, quòd Cardin. de Turrecrem. habuerit eundem spiritum in effectu cum Innoc. Et idem sentit Angelus in l. eit receptum, ff. de iuri. omnium iudicum, & idem Bald. &
35 Paulus de Castro, ibi. Et idem, quod dicitur de Papa videtur dicendum de Imperatore, qui licèt sint iudices in causa propria, & possint de causa propria per seipsos iudicare, vt in l. & hoc Tiberius. ff. de hæredi. insti. & in l. proximè, ff. de ijs, quæ in testamento delentur, & Doct. in l. 1. C. ne quis in sua causa, & in cap. cum venissent de iud. Et idem videtur in ciuitatibus non recognoscentibus superiorem, vt per Bald. in l. 1. ad fin. C. de sententijs, quæ sine cer. quantitat. & Bar. in l. si alius, §. bellissimè. ff. quod vi, aut clam. Et est tex. in cap. nouit. de iudi. vbi Rex Francorum qui non cognoscit superiorem iudicat de causa propria, quod est verum secundùm Siculum ibi inter subditos, nihilominùs etiam tales non recognoscentes superiorem poterunt se submittere iurisdictioni, & iudicio alicuius tacitè, vel expressè, vt dicunt Doct. in d. l. est receptum. Quod vt dicit ibi Bald.

fecit

fecit Imperator tempore, quo fuit facta pax constantiæ. Allegat ad idem Cypr. & Godofred. dicens, quod nõ propterea præiudicauit successori per l. prouidendum. Cod. de decu. lib. 10. Et hæc submissio fieri poterit,
36 vel per viam compromissi, vel per viam prorogationis, vel expressi consensus in aliquem, vel etiam taciti consensus. Vndè
37 vt dicit ibi Angelus in d. l. est receptum, si sunt duo domini vnius castri, qui habeant insolidum iurisdictionem, si vnus delinquat, tacitè videtur se submittere iurisdictioni alterius condomini. Cuius opinio in hoc non est vera, quia par in parem non habet imperium secundùm Paul. de Castro ibi, & contrarium tenent Bart. & Bald. in l. fin. ff. de ret. diui. & Bartol. in l. inter tutores, ff. de admin. tuto. & refert Alexand. de Imol. in dicta l. est receptum. Et ex hoc patet, quod etiam alij superiores iudices possunt se submittere iurisdictioni inferioris. Vndè Archiepiscopus posset se submittere iurisdictioni sui suffraganei. Facit benè, quod dicitur post glossã penult. in cap. cum inferior de maio. & obe. & quæstio, quam ibi ponunt Doct. vbi aliquo respectu Archiepiscopus potest subesse Archidiacono.
38 Quæ submissio si benè consideretur secundùm Albericum in l. est receptum, est nullius momenti, & parui effectus, quia si contingeret appellari à sententia, omninò causa reuerteretur ad manus superioris. Quæ consideratio est vera in Papa, sed in alijs habentibus superiores, fortè non procedit, quia per talem submissionem ipse superior efficitur inferior illius, & non appellaretur ad eum, sed ad alios superiores, & sic in illa causa si appellaretur, non appellaretur ab Episcopo suffraganeo ad Archiepiscopum, sed ad Patriarcham, vel ad legatum vel ad Papam. Et ratio est quia nullus appellat ad seipsum, vt patet in definitione appellationis, vt probatur in rubri. de appel. & in Specu. de appel. Et ideò non videtur bona consideratio Alberici, qui voluit restringere tex. in d. l. est receptum, dicendo, quod loquatur quando maior submittit se iurisdictioni minoris, qui non sit eius subditus, quia ille tex. debet intelligi indistinctè in inferiori à Papa. In Papa autem non potest habere effectum, quia non habet superiorem, nisi Deum, vt in dict. cap. aliorum 9. quæst. 3. Et in eo si nollet seruare sententiam, est verum, quod submissio eius esset nullius effectus, & hoc probat text. in c. mandastis, & c. auditum 2. q. 4.
39 Vnde in Papa, aut loquimur de submissione in foro pænitentiali, & dicendum est quod talis submissio fieri poterit, vt est gloss. in cap. nemo 9. quæst. 3. & gloss. in cap. sanè de offi. deleg. & dicunt Doct. in cap. omnis de pæn. & remiss. Et ratio est quia tunc confessor tenet locum Dei, & non à subdito iudicatur eius causa, sed à Deo, item vt dicitur infrà in 13. conclusione tunc Papa non subijcitur in quan-
40 tum Papa, sed vt priuata persona. Aut loquimur in foro iudiciali seculari, & nullo modo poterit se subijcere, quia faceret iniuriam Deo, vt supra dictum est, cùm non solùm non possit seipsum, sed nec clericos subijcere iudicibus secularibus, sic quod laici iudicarent omnes clericos generaliter, quia clerici hoc priuilegium habent à Deo, & turbaretur vniuersalis status Ecclesiæ, vt notatur per Cardin. in cap. perpendimus de sen. excom. & Abb. in ca. 2. de maio. & obe. & in cap. proposuit de concess. præben. & in cap. literas de resti. spolia. & in dist. cap. Ecclesia de consti. & & in dict. cap. at si clerici 14. col. de iud. Innoc. in dist. cap. 2. Ludo. in lib. si verò in §. de viro ff. solu. matrimo. Quia ea quæ sunt de iure diuino, Papa non potest tollere 25. quæst. 1. cap. sunt quædam bona glo. in cap. si Imperator 96. dist. &
41 in c. quamquam de censi. in 6. Causam autem spiritualem potest bene committere laico, maximè si committat tamquam executori, vt vide in cap. decernimus de iudi. Non obstat cap. nos si incompetenter, quia responsum est supra, quod ibi Papa non submisit se iudicio Imperatoris, sed sensit, si quid minùs bene reperiretur per eum in subditos gestum, quæ facta inquisitione diligenti per missos ab Imperatore, ipse esset paratus illa per se emendare, & non quod Imperator iudicaret de rebus gestis per Papam, & est potiùs quædam spontanea oblatio, ad demonstrandum, quòd nihil reperiretur, quod malè gestum per eum dici posset. Et eodem modo est tex. in dict. capit. ad Apostolicæ de re iudicata in 6. Et hanc conclusionem etiam ponit Ioan. de Ligna in dic. cap. Ecclesia dicens. quod cùm Papa sit Vicarius Dei, non potest diminuere potestatem sibi a
42 Deo traditam. Aut loquimur in foro ecclesiastico, tunc aut de persona Papæ iudicanda, & similiter non potest se submittere alicuius iurisdictioni, quia extra casum hæresis non potest ab aliquo iudicari vt in dict. cap. si Papa 40. dist. dicit Innocent. in dicto capitulo ex parte, & Docto. in capitulo in fidei, de hæresis. in 6, Et est conclusio sancti Thomæ in quarto senten. dist. 19., & Alberti Magni, & Bonauenturæ, & Richardi de media villa, vt refert Alexand. in dist. cap. nos si incompetenter vbi probat hanc conclusionem pluribus
43 rationibus. Fallit nisi Papa se subijcere vellet alicuius iudicio, ex quadam humilitate, vt de hoc est tex. quem ita intelligit Domi. ibi & Arch. post Hugonem in cap. si quis 2. quæst. 7. & est tex. Beati Gregorij, qui ex sua humanitate vt plurimùm de se loquendo loquebatur in singulari, vt patet in cap. nihil de præscrip. Vel intelligo illum text. non, quòd subiecerit se iudicio alicuius, qui eum haberet iudicare, cùm non posset vt supra dictum est, sed suæ propriæ correctioni, & emendationi Quod concipio, ex verbis illius tex. cum dicit veniat ad sedem Apostolicam, cùm tamen ipse esset caput sedis Apostolicæ, & ibi ante confessionem Beati Petri, & ibi sententiam suam, quasi dicat sententiam Beati Petri, & sic iudicium Dei, cuius iudicio tantùm Papa est suppositus, vt in capitulo aliorum cum ? præcedenti, & seq. 9. q. 3. Et sic propriè loquitur tex. in dist. cap. ad Apostolicæ, quia ibi Papa dixit se paratum congregare Principes, & quod si in aliquo Rex fuerat læsus per Ecclesiam,

clesiam, Ecclesia parata erat de consilio
Concilij ei satisfacere. Non dicit, quod
Concilium, vel Principes iudicare deberent
44 sed ipsamet Ecclesia. Item fallit nisi vel-
let se purgare ad conuincendum malitiam
æmulorum, & ad ostendendam ex super-
abundanti sua humanitate se Innocentem,
non tamen, quod subijceret se alicuius iu-
dicio, & ita procedit capitu. mandastis,
& capitulum auditum 2. quæst. 4. Item fal-
45 lit vbi esset contentio inter duos de titulo
Papatus, vel vbi esset schisma tale, quod
non posset discerni quis esset verus Papa,
quia fortè ita antiquatum, quod saperet
hæresim contra fouentes, sicut fuit tem-
pore Gregorij 12. & Benedicti 13. & Io-
annis 23. vel quando ageretur de titulo
Papatus contra illum, qui nunquam fuis-
set receptus pro Papa, vel quando in actu
electionis insurrexisset dubium, quis esset
verus Papa, Quia his, & similibus casibus
quando agitur contra dubitatum Papam,
quibus casibus est iudicium Concilij, vt
in capit. sic duo 79. dist. tunc poterit fieri
submissio Concilio generali, quia non est
propriè submissio Papæ, nec Papalis digni-
tatis. Facit, quod dicitur per Doctor. in
cap. cum super de causa possess. & propriè
& quod dico infrà ponendo modos, quibus
tollitur schisma, & quod ponit Cardin. in
cap. licèt de elect. & in consil. 105. incipit
46 quæsitum. Aut loquimur quando tracta-
tur non de persona Papæ, sed aliquibus iuri-
bus concernentibus interesse alicuius parti-
cularis Ecclesiæ, vel alterius personæ, vel
bonorum eius, & sic de simil. Et tunc po-
terit se submittere iudicio Concilij, vt est
text. in cap. ad Apostolicæ de re iudic. in
6. intelligendo, alio modo, quòd Princi-
pes, & Concilium congregandi deberent
esse Iudices. Item in similibus casibus po-
terit causam alteri delegare, vt dicit glos.
& ibi Doct. in capit. nullam 2. quæst. 4. in
li. bene à Zenone, quæ loquitur in Im-
peratore C. de quadrien. præscrip. & glos.
in capitulo cùm dilecta in verbo procura-
tricem circa fi. de confirmat. vtili vel inu-
tilis, & Abbas in cap. si quis contra cleri-
cum de foro compet. & Ludou. Consilio
509. incipit circa propositam, & Innoc.
in dicto capitulo ex parte de verborum
significat. facit quòd dicitur in cap. cum
venissent de iudic.

47 Et ad prædicta quod Papa non possit
se subijcere alteri, faciunt illa, quæ dicun-
tur infrà in illo articulo, an Papa ligetur
capitulis conclauis iuratis, & votatis. Nec
videtur sufficienter responsum ad capitu-
lum nos si incompetenter, dicendo, quòd
sumitur iudicium pro discretione, vel quòd
narrat factum ex humanitate, quia verba
text. ibi legitimo terminentur examine,
& ibi indiscussum vel indefinitum rema-
neat, ostendunt, quod text. loquatur de
de vero iudicio, & ita ibi Domin. ponde-
rat illum text. & videntur dicere Moderni
in dicto capitulo Ecclesia, & in dicto lib.
est receptum. Sed adhuc datur responsio,
quod illa verba non respiciunt iudicium
Imperatoris, cui Papa ibi se subijcit, sed
referuntur ad illum, qui pro informatio-
ne transmittitur, qui debet diligenter rem
examinare, vt vera possit fieri relatio. Simi-
liter capitulum primum de renunciat. non
obstat, quia per renunciationem Papa re-
manet sine Papatu, & ideo tunc non agitur
de præiudicando dignitati Pontificatus,
sicut ex submissione Papæ. Vnde pro con-
firmatione prædictorum Bal. in dict. li.
est receptum dicit allegando text. ad hoc
in capit. per venerabilem, qui filij sunt
legit. & li. apud Consilium, & quod vtro-
bique habetur C. de manum vindic. quod
48 ideo Imperator, siue Papa non potest se
subijcere inferiori, nisi in foro pænitentię,
quia cùm possit in propria causa iudicare
submittendo se derogaret suæ iurisdictio-
ni, quod non potest facere, argumen. lib.
sed & si seruum 5. si quis Iudex ff. de arbi-
quia ex quo per seipsum potest actum ex-
plicare non potest salua dignitate, & ho-
nestate sui Imperij alteri se submittere,
argument. lib. quia ratio ff. de condit. in-
stitut. Allegat Innocent. Odofred. Cyn.
& Thom. de Form. Ad quod facit, quod
potestas Papæ non est ab homine, sed à Deo
vt in capitulo nouit, de iudic. & ideo cum
tractatur de eius iurisdictione, persona,
vel dignitate, meritò non debet dici pos-
se subijcere, quia eius electionem, & iu-
dicium Deus sibi reseruauit, vt in c. aliorũ,
nona qu. tertia, & cap. facta, eadem causa
& qu. & in cap. electionem 79. dist.

Sed Milis in verbo Papa non potest Im-
49 peratorem in fin. videtur, velle simpliciter
si Papa subijciat se Imperatori de con-
sensu Cardinalium, quod possit per Impe-
ratorem deponi, allegat ad hoc gloss. in
Synodo 63. distinct. Sed postea se non
firmat, cum remittit se ad Archid. in di.
cap. nos si incompetenter, post gloss. pri-
mam ibi Quidam Doctor, qui edidit re-
pertorium ad Felinum, dicit quòd Papa
50 potest bene se subijcere Concilio generali
per illam gloss. in cap. nemo 9. quæst. 3.
& gloss. in dist. cap. nos si incompetenter,
quas dicit esse intelligendas, cum dicunt
quod Papa potest se subijcere intelligitur
scilicèt generali Concilio. Ad quod etiam
allegat gloss. in cap. Anastasius 19. dist.
quæ cum dicit, quod Concilium generale
est maius Papa, dicit quod debet intelligi
quando Papa se submisit Concilio genera-
li, & non aliter. Sed istius opinio est di-
uinatiua ad illas gloss. ideo tene cum dis.
supra posita. Hinc sumpta occasione vir-
tualiter respondendo ad adducta in con-
trarium, Decius in dict. cap. Ecclesia de
constit. dicit quod verior opinio in pun-
cto iuris est, quod Papa possit se submitte-
re, sed opinio communis est in contrarium
Sed tu dic. in omnibus, vt supra dictum
est, & responde ad motiua eius, quæ su-
pra sunt posita, prout etiam supra est re-
sponsum. Ægidius autem Bellamera in
capitulo in fidei, de hæretico. in sex-
to dicit, quod Papa non potest supra se
aliquem iudicem constituere, qui iudiciali-
ter, seu authoritatiuè possit personam ipsius
iudicare, & hoc siuè per modum commis-
sionis, siuè per modum submissionis hoc
facere velit, quia stante potestate Papali, &
Vicariatu Christi penès eum, si diceremus
cum honorem superiorem, implicaret con-
tra-

traditionem, quia si verus Papa est Christi Vicarius, de necessitate infertur, ergo super omnes, & etiam supra Concilium cap. significasti de elect. Facit cap. nemo iudicabit, & cap. quicumque cum seq. 9. quæst. 3. Sic ergo superior, qui personam eius iudicare habeat, esse non potest, quia sic esset illi inferior, & sic esset contradictio. Item iudicium fertur in inuitum, l. inter stipulantem, §. 1. de verbo. oblig. Et in iudicio quasi contrahitur, l. 3. §. idem scribit. ff. de peculio, & ex isto contractu nascitur obligatio, l. omnem, ff. de iudi. quæ de necessitate astringit, insti. de obli. in princ. Sed sub hac conditione si velit nulla contrahitur obligatiò, ff. de act. & obli. l. sub hac. Et ideò sententia debet habere necessariam executionem, ne sit delusoria, ff. de mino. l. minorem, 25. annis cui fidei commissum, & ff. de iudi. l. si prætor, & de rei vendi. l. qui restituere, & Ne vis fiat ei. l. 3. in princ. Sed Papa non posset aliquam commissionem, vel submissionem facere, quin eam reuocare posset. ff. de iudi. l. iudicium soluitur, ff. de lega. 3. l. si quis in prin. testa. quia sibi ipsi imperare non possit, ff. de arbi. l. penul. Item nec huiusmodi commissarius, siuè compromissarius posset in vi commissionis, vel submissionis Papam inuitum coarctare, vel contra eum sententiam executioni demandare, quia nullus homo potest verum Christi Vicarium, solius Dei iudicio reseruatum, iudicare, dicto cap. nemo, & capit. aliorum, 9. quæst. 3. & cap. nunc autem 21. dist. Ad hoc facit, quod hoc priuilegium sedis Apostolicæ, non est inductum solùm in fauorem personæ, sed in fauorem etiam Ecclesiæ; & principaliter, & sic per Papam renunciari non potest, dicto cap. si diligenti, & capit. significasti de foro compe. 11. quæst. 1. cap. non liceat. Et quod Papa non possit se

52 submittere iudicio alterius tenet Ioannes de Ligna. post Vin. in dict. cap. Ecclesia de consti. vt supra dictum est exponendo tex. vt supra, videlicet iudicio, id est discretione. Ad quod inducit quia cum sit Dominus omnium, à nullo potest iudicari, 9. q. 3. cap. cuncta per mundum, nisi in foro pœnitentiæ, cum tunc sacerdos fungatur vice Dei. Ita dicit Ioan. de Ligna. in dicto cap. Ecclesia. Si enim in se iurisdictionem non habet, non potest in alium transferre, regula nemo potest. Nec obstat, quod di-

53 citur, quòd iudex vnus potest se submittere iurisdictioni, & iudicio alterius, vt in l. ille à quo. §. tempestiuum, ff. ad trebellianum, & in l. est receptum de iuri omnium iudi. Quia illa submissio fit authoritate legis in inferiore à Principe authoritatem, publicam approbantis, quòd legis authoritas non potest habere locum in Papa quia est supra omnem legem, cap. proposuit cum similibus de concess. præben. nec per legem suam, vel prædecessoris eius, vel alicuius alterius astringi potest, cap. fin. de

54 Butrio, l. non potest, ff. de ll. Et licèt Iacob. rescrip. & Bald. in dict. l. est receptum, dicant, quod Imperator in causa propria potest se submittere, non loquuntur de submissione iudiciali, quò ad personam ipsius Imperatoris. Quod patet, quia ipsimet volunt, quod submissio, quam fecit Imperator tempore, quo facta fuit pax Constantiæ, non præiudicat successori, l. prouidendum, C. de decu. lib. 10. Facit, quòd dicitur in cap. per venerabilem, §. verùm, qui filij sint legit. Similiter non obstat, quod Imperator dat iudicem in causa, quam habet cum subdito, & deputat procuratorem fisci, & procuratorem Cæsaris, qui cognoscunt de causis, quæ vertuntur inter fiscum, vel Cæsarem, & subditos ipsius Imperatoris, quia licèt ex ordinatione Imperatoris tales sententiæ contra cameram fiscalem, vel Cæsaris mandentur executioni, sicut mandarentur contra priuatum, tamen personam Imperatoris personaliter non astringunt, quia sicut Imperator non potest astringere se per seipsum, ita nec per alium. Item non obstat, quod contractus initus per Principem cũ priuatũ de iure tenet, & Principem astringit, vt dicitur in dicta l. digna, vox. C. de legibus, & in cap. 1. de proba. Quia superioritas non arguitur ex contractu, quia ita potest maior, sicut minor contrahere, cum contractus sint iuris gentium, vt in l. ex hoc iure, ff. de iustitia

55 & iure. Nec poterit se submittere, si agatur de titulo Papatus inter duos, quia hæc iurisdictio cognoscendi de causa Papatus non est penès Papam, C. ne quis in sua causa in rubro, & nigro, sed est penès Concilium generale, vt patet ex ijs, quæ dicuntur in cap. si Papa, 40. dist. & in capit. licèt de elect. & 79. dist. capitu. si duo. Igitur non poterit istam iurisdictionem in alium transferre, argu. d. cap. significasti de foro compe. Et licèt ista ratio non militet in Papa, qui potest cognoscere de causa propria, vt in cap. cum venissent de iudi. & d. l. 1. C. ne quis in causa propria, & C. si aduersùs fiscum. l. 1. & 2. sicut diximus, & de Episcopo in causa suæ Ecclesiæ secundùm Bartol. in d. l. 1. tamen videtur vera vbi ageretur de causa hæresis contra Papam, quia propter hæresim si sit pertinax, habetur tãquàm priuatus, & perdidit ius Papatus, vt sæpiùs dictũ est, & dicetur in illo articulo, an Papa possit accusari de hæresi, & an possit deponi per Conci-

56 lium. Si tamen esset contentio inter duos de Papatu, posset etiam verus Papa consentientibus illis, quorum interest pro maiori scandalo vitando, & pro pace procuranda ac vnione faciẽda se submittere discretioni aliquarum personarum iuratarum, dummodo, & alius competitor idem

57 faceret. Et sic potest intelligi alio modo capit. nos si incompetenter secunda quæstione septima secundùm Ægid. in d. cap. in fidei. Quod intelligo, non quod tales haberent, exercere aliquam iurisdictionem, vel superioritatem in verum Papam, per ea, quæ dicta sunt supra, sed quod tractarent vnionem, & intrusum inducerent ad præstandum obedientiam vero Papæ. Facit, quod dicitur in capitulo nisi essent de prebend. in cap. cum pridem, de pac. & in cap. dilectus el secundo de Simon.

Et ex istis Dominus Cardinalis Pampilonen. posuit ad hue tredecim conclusiones infrascriptas, quas refert Ægid. in dicto capitulo in fidei, quarum aliquæ licet vi-

videantur præsupponere aliqua contraria præmissis, vt patet de secunda, & septima, tamen illas intelligere oportet secundùm præmissam distinctionem.

58 Prima igitur conclusio est, quod contentio de titulo Papatus non est principaliter contentio Romanæ Ecclesiæ, vel sedis Apostolicę, sed propria, & personalis ipsius, qui contendit, & dicit se Papam: probatur per l. Papinianus, §. si ex causa, ff. de inoffic. testament. & per l. si hæres ff. ad legem falci. & l. ratio, C. de hæred. vel act. vendi. per notata per Innoc. & Hostien. in cap. cum super. de causa possess. & propriet. & capitulo in literis de restitutione spoliatorum, & cap. dilectus el secundo de præbendis, & cap. ex literis de prob. capitulo ex parte de arbit. cap. quia. V. de iudicijs, cap. si gratiosè de rescriptis in 6.

59 Secunda conclusio est, quòd contentio, super falsitate, vel veritate criminum impositorum Papæ indubitato, non est Romanæ Ecclesiæ, vel sedis Apostolicæ, sed propria, & personalis ipsius Papæ. Probatur in cap. nos si incompetenter secundò quæstione septima, & §. item Hieronymus, & §. item Symmachus eadem causa, & quæst. & in cap. mandastis, 2. quæst. 4.

60 Tertia conclusio est, quod sententia declaratoria lata contra eum, qui dicit se Papam, & de Papatus titulo contendit, non cedit in infamiam, vel dispendium Romanæ Ecclesiæ, vel sedis Apostolicæ: sed sententia declaratoria lata contra Papam indubitatum cedit in infamiam Romanæ Ecclesiæ, vel sedis Apostolicæ propter iacturam eiusdem: Primùm probatur, quia non fuerat contractum vinculum spirituale inter eum, qui succubuit, & Romanam Ecclesiam. Secundum probatur, quia tunc fuerat contractum vinculum spirituale inter eum, qui succubuit, & Romanam Ecclesiam, vt in capitulo inter corporalia de translatione Prælatorum. Nam status eius non reuocabatur in dubium, & ignominia sponsi transit ad sponsam, & è contra. Non autem quando vinculum non fuit contractum propter carentiam tituli canonici, sicut apparet ex sententia declaratoria super statu lata, quæ facit ius quò ad omnes, vt in l. ingenuum, ff. de statu hominum, & vt ibi dicitur, ab omnibus habetur pro veritate. Probatur quod dixi de ignominia in l. 1. ff. rerum amo. & l. 1. in fine, ff. de iniurijs, & in l. aduersùs ff. de crimin. expila. hær.

61 Quarta conclusio est, quòd interest Romanæ Ecclesiæ tam pro honore, quàm pro vtilitate, & libertate ipsius Ecclesiæ, quòd feratur sententia declaratoria super statu contendentis de titulo Papatus, videlicet vt maneat in possessione pacifica, si canonicè est electus, vel vt ab omni possessione eijciatur, si sit intrusus: probatur per capitulum in nomine Domini vigesimatertia distinctione, & quod è contra interest Romanæ Ecclesiæ tam pro honore, quàm pro libertate ipsius Ecclesiæ, ne sententia declaratoria feratur contra Papam super criminibus ei impositis, nisi esset hæresis per capitulum Anastasius decimanona distinctione iuncto dicto capitulo mandastis: 2. quæst. 4. Probatur etiam, quia primo casu sententia ferretur contra eum, qui esset intrusus, & non Papa: secundo casu manifestè ferretur contra Papam verum, & indubitatum, qui etiam post sententiam maneret Papa licèt diffamatus.

62 Quinta conclusio est, quòd ad officium Papæ non pertinet contendere de titulo Papatus, sed ad personam ipsius Papæ, cui mouetur quæstio de titulo Papatus, pertinet contendere de Papatu, non nomine Papatus, vel Romanæ Ecclesiæ, sed nomine proprio ipsius se Papam esse contendentis: item quòd ad officium Papæ pertinet contendere de iuribus Papatus, & iura Papalia tueri. Vtrumque autem est necessitatis. Probatur in l. qui fundum, §. si tutor ff. pro empto, & in l. interdum, §. qui tutelam, ff. de fur. iuncta l. fin. ff. quod falso tutore author.

63 Sexta conclusio est, quòd vbi duo contendunt de titulo Papatus, & vnus est verus Papa, alter falsus, sed non potest discerni verus à falso propter magnos errores intercedentes argum. l. primæ, ff. de eo qui pro tuto. in principio, prout fuit tempore schismatis Benedicti, Ioannis, & Gregorij, ex necessitate salutis, & vinculo iuris humani, atque positiui debent se submittere inquisitioni veritatis, & declarationi finaliter in vim iustitiæ, vt cognoscatur, & discernatur verus à falso. Et hanc submissionem auidiùs cupere debet, qui de iure suo confidentiùs agit exemplo illius, quod legitur tertio Reg. tertio, & dicitur in capitulo afferte de præsumpt. de illa muliere, quæ feruentiùs petebat superstitem infantem consociæ dari: item pastor debet eripere oues de manibus luporum.

64 Septima conclusio est, quod sicut Papa indubitatus tenetur ex debito salutis, & ex bono iustitię ne lędatur, vel iacturam subeat inferior se veritati, & iustitię ministrandę submittere, capitulo cùm venissent de iudic. capitulo cùm nobis de pręscrip. & cap. cùm ad audientiam de confirma. vtili, vel inutili capitulo cùm dilecta, l. benè à Zenone circà medium, & ibi glos. C. de quadrien. præscriptio, & l. est receptum, & ibi glos. ff. de iurisdictione omnium iudicum, ita Papa dubitatus, & is, qui dicit se Papam, & de titulo Papatus contendit, ex debito salutis, & iustitię, ac vnionis se submittit iustitię. Probatur ex ęquiparatione, quę fit articulorum fidei, & status vniuersalis Ecclesię, vt notat Arch. in capitulo sicut sancti. decimaquinta distinctione. Constat autem, quòd vbi est quęstio de articulis fidei, Papa indubitatus subijcitur iustitię, vt in cap. Anastasius; decimanona distinctione. Ergò &, vbi est quęstio de totali statu vniuersalis Ecclesię subijcitur iustitiæ Papa dubitatus, cùm etiam si esset Papa indubitatus necessariò subijceretur: ne sit melioris conditionis dubitatus, quàm indubitatus, argumen. l. continuus. §. Cùm ita, ff. de verb. obligat.

65 Octaua conclusio est, quòd Papa dubitatus, & is, qui dicit se Papam, quando de Papatu contendunt subijciuntur iustitię, vt priuatę personę, & vt seruetur ęqualitas in exhibitione iustitię, & discussione ve-

veritatis nullus reputatur Papa à totali Ecclesia; licèt etiam tunc temporis nihil innouaretur super eo, quod diceretur quòd antè adhęserunt Cardinales vniquam alteri, argument. capitulo 1. vt lite pendente.

Sed quando Papa dubitatus, vel indubitatus contendit super iuribus papalibus, vel iuribus priuatis cum sibi subditis non referentibus ei quęstionem status, tunc subijcitur iustitię, vt Papa, & sic non vt priuata persona, sed vt publica, & principalis persona, & caput Ecclesiæ, vt dicto capitulo cum venissent; cum similibus. Pro quo est, quod notat Innocentius, & Hostiens. in capitulo in literis de restitutio. spoliator. vbi quæritur de subditis in beneficio, quod per intrusionem possidetur non referentibus quæstionem dominij super tit. pro quo l. 1. & per totum, ff. quod falso tutore authore.

66 Nona conclusio est, quòd Concilium generale in negotio schismatis, quando de titulo Papatus inter duos contenditur, est iudex competens, vt discernat præcedente debita inquisitione verum Papam à falso, vt notat glos. in capituli si duo 79. distin. quam sequitur Archi. argument. capituli si quis Episcopus el primo, 6. quæs. 4. quod intelligit, quando non est suspectum. Quòd probatur per dictum capitulum si quis Episcopus: nam quando synodus prouincialis est suspecta propter diuisionem Episcoporum in condemnatione, vel absolutione vnius ex Episcopis illius Prouinciæ, tunc habetur recursus ad Metropolitanum alterius prouinciæ, & aliquos ex suffraganeis, vt pariter residentes causam huius Episcopi definiant. Suspectum ergo meritò dicitur, quando omnes Episcopi orbis essent adhærentes duobus contendentibus de Papatu, nam sicut vnum caput ex duobus esset suspectum ad causam decidendum, quia in propria causa iudicaret, ita & omnes Episcopi ei adhærentes, & pro Papa eum reputãtes sunt suspecti capitulo insinuante, & ibi notatur, de offic. deleg. cap. accedens el 2. vt lite non contesta. l. vnica C. si quacumque prædi. potest. ibi cum sua, suarumque domo iurisdictionem eius euitare. Decima conclusio est, quòd

67 vbi Concilium generale propter adhæsionem est suspectum vtrique parti, non propterea deberet veritas manere occulta, & iniustitia, non iustitia ministrari. Nam licèt non sit dare superiorem, qui ad oculum monstrari possit, vt in cap. licèt de elect. & licèt Concilium generale sit suspectum, non propterea bonum iustitiæ est supprimendum, ex quo posset aliquo modo iustitia ministrari, sicut esset, si ex consensu ambarum partium certi numero deputarentur, vt in cap. iudices 11. quæst. 1. Tunc enim verum esset dicere, quòd verus Papa eos deputasset, ex quo ipsi ambo, quorum vnus est verus, & alius falsus, eos deputassent, & sic valeret l. 1. §. verbis edicti, ff. quod falso tutore auctor. Vel si ex consensu amborum, quorum principaliter interest essent electi iudices competentes propter necessitatem imminentem, quæ legi non subijcitur l. secunda, in principio, ff. ad legem Corneliam, de Iactu. Nam propter hoc dubium, & obstaculum, quod vertitur in contentione duorum de titulo Papatus contendentium tollendum per tramitem rectitudinis, eligenda est via, quæ tamen non sit præceptis Euangelicis contraria, nec decretis sanctorum Patrum aduersa, vt in capitulo sicut quondam, deci-

68 maquarta distinctione. Vndecima conclusio est, quòd iudices deputati per Papam indubitatum, vel etiam dubitatum, qui in vim iustitiæ se submisit, non procedunt aliqua sua propria auctoritate, & iurisdictione, etiam si per se haberent iurisdictionem ordinariam, sed solùm procedunt ex auctoritate ipsius Papæ deputantis eos: & sic non erunt superiores Papa, nec Papa eis inferior, vt in l. etsi præter ff. de offic. eius, cui mandat. est iurisdict. & glos. sentit in d. l. bene à Zenone: dum allegat dictam l. etsi præter. Et sic non obstat nona quęst. tertia nemo, & cap. aliorum. Imò & ipse Papa censetur sententiare per seipsum, quòd sententiatur per tales auctoritate eius deputatos, argumen. l. item §. si decuriones, ff. quod cuiusque vni. nom. & l. vna in fin. ff. de offic. præfect. prætor. Nec obstat capitulum nunc autem 21. dist. quia vel ibi non fuit facta submissio, vel si facta fuit ipsi iudices noluerunt vti ipsa submissione, qua poterant, nec vti sua auctoritate ordinaria, qua non poterant per dictum capitulum nemo. Duodecima conclusio

69 est, quòd duobus contendentibus de titulo Papatus, quorum quilibet suos habet adhærentes, submissio, quæ fieret non esset propter adhærentes submittenti, sed propter competitores, & eius adhærentes, qui dicunt eum non Papam, sed intrusum. Vnde vterque eorum reputatur ab altero persona priuata, & occupatrix sedis Apostolicæ: & hac consideratione vterque eorum reputat submissionem factam per competitorem esse factam per intrusum, & sic per priuatam personam iustitiæ suppositam, quæ potest se subijcere iurisdictioni alterius l. prima, ff. de iudic. l. si qui ex consensu, C. de Episcop. audien. Decimatertia

70 conclusio est, quòd Papa dubitatus, qui de titulo Papatus contendit, submittendo se iudicio humano, censetur se submittere, quemadmodum se submittit Papa indubitatus Confessori suo in foro pœnitentiali. Nam tenetur parere, & ligabit eum sententia illius, vt notatur in dicto capitulo nemo 9. quæstio. 3. Nam licèt Papa se submittat, effectus tamen submissionis concernit Papam, non vt Papam, sed vt hominem priuatum, quia Papa vt Papa non habet superiorem, sed vt homo, argum. capituli si gratiosè, de rescrip. in sexto. Et sic submissio ista fit per Papam, attamen effectus submissionis concernit Papam, non vt Papam, sed vt personam priuatam dicentem apud se esse Papatum. Eodem modo quando Papa alicui concedit, vt ipsi concedenti det indulgentiam plenariam: nam concessio est Papalis, sed executio concessionis terminatur in eum, vt hominem priuatum secundùm Cardinalem Pampilonens.

LIBER SEPTIMVS.

TRACTATVS DE CONCILIO.

SVMMARIVM.

1 *Papa si promisit Cardinalibus in capitulis conclauis, infra biennium congregare Concilium, quod sit elapsum, an Cardinales possint propter negligentiam Papæ congregare, & Papam citare. Et argum. quòd sic, vsque ad num. 8. per totum. Et quod dicti Cardinales non potuerint congregare. num. 9. 10.*

Et respon. ad contraria. num. 13. 14. 15. 16. 24.

Et quid si Papa congregauit concilium, & pronunciauit concilium per Cardinales congregatum nullum.

Et declarauit eos schismaticos.

Infra num. 2.

Et quid si mortuo Papa tales Cardinales sic declarati, velint interesse nouæ electioni.

Infra num. 3.

Et quid si Papa, sic declaratis illis Cardinalibus schismaticis, an potuerit alios creare sine consilio concilij tunc congregati.

Infra num. 4.

Septem dubia declarata per Auctorem.

Infra num. 5.

6 *Promissio iurata non admittit moræ purgationem.*

Et ibi plures effectus iuramenti.

7 *Negligens facere aliquem actum si per eius negligentiam potestas sit deuoluta ad alium, ille non potest se vlteriùs in illo actu intromittere.*

8 *Prauentionis vnus effectus.*

11 *Cardinales sine Papa capite non constituunt collegium.*

Nec possunt, vt singuli congregare concilium. ibidem.

12 *Contemptus vnius plus operatur, quàm contradictio plurium.*

41 *Cap. nunc autem 21. dist. intellectus.*

15 *Papa cùm congregat concilium, per alios congregatum fit irritum.*

16 *Concilium non potest imponere legem Papæ.*

Et constitutio frequens, in concil. Constanti. non fuit edita cum Papa, nec aliquando confirmata. ibid.

Et illius constitutionis declaratio.

Infra num. 18.

17 *Papæ potestas in Sampsone repræsentatur.*

18 *Consilium, vel præceptum ante sit remissiuè.*

19 *Dies interpellat pro homine huius regulæ declaratio.*

Infra. num. 22. & 25.

20 *Negligentia negligentia compensatur.*

21 *Mora quibus casibus purgari possit.*

Et infra num. 38.

Et ibi declarat. Aug.

22 *Difficultas in expeditione actus excusat.*

23 *Impedimenta excusant.*

26 *Moræ purgatio semper admittitur de æquitate Canonica in foro conscientiali.*

Et infra num. 37.

27 *Papa si tenebatur infra tempus congregare concilium, etiam per iuramentum, & non congregauerit in tempore, an si posteà indixerit censeatur se absoluisse, & secum dispensasse.*

Et infra num. 40.

28 *Iuramento multæ insunt conditiones.*

29 *In Papa semper præsumitur iusta causa.*

30 *Quicquid excusat à mora, excusat à periurio.*

31 *Princeps tollendo exceptionem dilatoriam non dicitur tollere ius.*

32 *Papa licèt non possit tollere vim iuramenti, quando aliquid ex eo, alteri quæritur, potest tamen concedere dilationem super ipsius obseruantia.*

33 *Princeps potest tollere etiam sine causa ea, quæ sint iure ciuili inducta.*

34 *Renunciatio licèt regulariter non valeat, nisi sit admissa per superiorem, valet tamen renunciatio Papæ, & ipsemet illam admittit, quia non habet alium superiorem.*

Et idem in quolibet non recognoscente superiorem.

Infra num. seq.

36 *Iuramentum impedit purgationem moræ.*

Et quomodo intelligendum,

Et facta exequtione à lege, vel ab homine impeditur purgatio moræ, declaratio, ibidem.

39 *Moræ purgatio non admittitur post requisitionem.*

Et quomodo intelligatur.

41 *Papæ creditur si alleget impedimentum aliquod sibi obstitisse, & illud impedimentum relinquit eius arbitrio, cùm non habeat superiorem, qui possit arbitrari.*

42 *Antonius in cap. 1. de const. declar.*

43 *Negligentia Papæ per neminem suppletur.*

44 *Papa apponens manus ad aliquod negotium ita dicitur illud ad se aduocare, quòd gesta*

test sine culpa non creditur, & quomodo intelligendum.

Et infra. num. 135.

112 Notorium debet probari etiam si parte absente procedatur tamquam super notorio.

113 Antonius de Butrio in cap. vestra. 2. quæst. 1. reprehenditur.

114 Iudex non dicitur scire aliquid, vt iudex, quando sciat aliquid notorium in alio loco, quàm in sua prouincia, vel loco sui iudicij.

115 Probatio in præiudicium partis non potest recipi, nisi ipsa parte citata.

116 Papæ assertioni in præiudicium alterius non creditur, nisi in his, in quibus habet supremam potestatem.

117 Papa si dicat aliquem ipso iure priuatum beneficio, & mandet illud alteri conferri, eò quòd sibi constiterit de certo eius crimine non admittetur probatio in contrarium.

Et quomodo intelligatur. ibidem.

118 Notorium licèt non admittat probationem in contrarium, nihilòminus admittitur probatio excusationis legitimæ.

119 Notorij probatio est modici præiudicij, & ideò fit parte non citata, sed probatio ipsius facti, quod notorium dicitur, non potest fieri parte non citata.

120 Defensio non potest tolli per legem humanam.

121 Clausula ex certa scientia, & de plenitudine potestatis non tollit defectus naturales.

Nec supplet in his, quæ non dependent à potestate Papæ.

Et istæ duæ clausulæ æquipollent inter se.

Et infra. num. seq.

123 Processus factus à Papa de plenitudine potestatis, & ex certa scientia non valet contra non citatum, etiam subditum.

124 Citatio in sententia declaratoria super censuris non requiritur, & quomodo intelligatur ibidem.

125 Notorium, quando est excusabile in quacumque materia requirit citationem.

126 Inexcusabile factum, quod sit.

127 Præterita ex sequentibus declarantur.

128 Notorium facti continui quod sit.

129 Notorium potest esse permanens licèt actus in se non sit permanens.

Et exempla ibidem.

130 Continuum quod dicatur.

131 Notorium facti permanentis non indiget probatione, sed sufficit quod allegetur secus in notorio iuris, vel facti transeuntis, quia ista requirunt probationem.

132 Papa in ordine iudiciario non subijcitur regulis.

133 Citatio per edictum valet sine personali apprehensione, quando constat nullam competere defensionem, & factum esse inexcusabile.

Et infra. num. seq.

136 A Papa non habetur recursus, nisi ad ipsum Papam.

137 Charitas non est ambitiosa, & reliqua verba Pauli prima ad Corint. 13. declarantur.

138 Concilium est iudex inter duos contendentes de Papatu, & hoc casu Ecclesia dicitur quasi vacare.

139 Concilij postquam est congregatum caput est Christus.

140 Concilium est iudex in causa schismatis in Ecclesia.

140 Concilium non potest esse iudex, quando sumus in vero, & indubitato Papa, quando non est congregatum auctoritate Papæ.

143 Cardinales declarati schismatici, in casu proposito per Auctorem, an sint admittendi in conclaui.

Et infra. num. 159. & 161.

Cautela pro Cardinalibus sic declaratis.

Et infra. num. 161. & 165.

Et an illos admittentes sint excommunicati. ibidem.

Et infra. num. 145.

143 Collegium Cardinalium Sede vacante, an possit restituere depositum per Papam.

Et an hoc sit verum.

Et infra. num. seq. remissiuè.

144 Lex non pro priuato commodo, sed pro publica vtilitate fit.

145 Card. non succedunt Papæ in iurisdictionalibus.

146 Punitiones sequutæ eos, qui cum schismaticis participarunt.

147 Schismaticis declaratis obstat exceptio hæresis in electione Pontificis.

148 Hæresis, an possit Papæ opponi, ad hoc, vt repellatur ab electione.

Et an postquam est electus possit contra eum excipi de hæresis. num. 149. remissiuè.

150 Hæresis exceptio non dicitur exceptio, sed esse nulla.

Vndè hæreticus electus in Papam non est Papa. ibidem.

151 Excommunicatus propriè non dicitur hæreticus.

152 Exceptiones, quænam possint opponi electoribus. & electo.

Et differunt inter se.

153 Sententia principis habetur pro lege.

Et quomodo intelligendum. ibidem.

Cap. 1. de schismat. in 6. plures declarationes. ibid. & num. 154.

155 Petrus, & Iacobus de Columna, an potuerunt admitti in conclaue in electione Pontificis.

Et an fuerint per Benedictum. 11. recept ad Cardinalatum. num. seq.

156 Sarra columna Cardinalis captus à piratis Diu remigauit.

157 Clemens sustulit constitutionem ad succidendos, de schismat. in 6.

Et an id fuerit receptum. num. 158.

Martinus itidem Columna, noluit hunc tex. deberi. num. seq.

190 Ius correctum licèt allegari non possit, tamen allegatur eius ratio.

162 Excommunicatus etiam inuitus aliquando ex causa, & nolens absoluitur.

164 Spoliato, quo casu non detur restitutio.

166 Lite pendente, non potest procedi ad electionem.

167 Lite pendente, quis non potest priuari vsu iuris

ARTICVLVS PRIMVS.

1 Sed quia diximus supra quid Sede vacante Concilium possit, pone, aliqui Cardinales discesserunt à Papa indubitato, & adhæserunt Regi Franciæ, qui tunc defendebat quemdam inimicum, & rebellem Papæ, cui Papa mouerat bellum, & asserentes Papam esse contumeliosum, & intolerabilem Cardinalibus, sæuum, & tyrannum, iuxta consilium Ludou. 523. Concilium congregari curauerunt, asserentes quòd Papa in capitulis conclauis promiserat Cardinalibus infra biennium post assumptionem suam congregare Concilium, & elapsum erat ferè septennium, & quòd ideò ipse vnà cum alijs Cardinalibus, qui cum eo erant, fuerat negligens, & contumax, cùm præsertim adesset necessitas congregandi pro ineunda pace inter christianos Principes, & pro reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris propter aliqua notoria crimina scandalizantia Ecclesiam, deindè ipsi citarunt Papam ad Concilium. Ipse autem Papa, vt ostenderet se non detrectare Concilium obtulit se paratum ad illud congregandum, & statim illud indixit per vniuersum orbem. Præfati autem Cardinales vocati ad Concilium congregatum per Papam, recusauerunt venire; quinimmò moniti, & iussi, vt desisterent à congregatione Concilij per eos nulliter congregati non destiterunt, allegantes non esse sibi tutum accessum ad Concilium congregatum per Papam, & Concilium esse à se rectè congregatum, eò, quòd ex negligentia Papæ congregatio ad eos deuoluta fuerat. Papa
2 his auditis processit contra illos, & declarauit eos schismaticos, & Concilium per eos congregatum esse conciliabulum, & processit ad creandum nouos Cardinales sine requisitione Patrum, qui erant in Concilio. Rebus sic se habentibus moritur
3 Papa, veniuntque Cardinales schismatici, & petunt se admitti ad electionem futuri Pontificis. Cardinales, qui erant in Concilio Papæ dicunt, quòd non possunt eos recipere, nec debent. nec etiam possunt illos restituere, declarati schismatici è contra allegant processum factum per Papam contra ipsos esse nullum, cùm ipsi nihil vnquam commisissent, nec machinati fuissent contra Papam. Item, quòd cùm voluissent comparere, non patuit eis tutus accessus, quinimmò cùm parati essent ad iter, vt comparerent, & nihil aliud expectarent, quàm saluum conductum, nullo dato eis responso, statim ex abrupto fuerat processum contra illos ad declarationem, quod aiebant potiùs factum ex odio, quia quæsierant reformationem in Ecclesia, quàm iuridicè, subiungentes, quòd stante
4 congregatione duplicati Concilij Papa non potuerat creare nouos Cardinales sine requisitione consilij Concilij, & quòd imò sic creati Cardinales non erant admittendi in conclaue. Modò ex his de multis dubi-
5 tatur. Primò, vtrùm isti Cardinales potuerint sic conuocare Concilium. Secundò, vtrùm potuerint legitimè recedere ab obedientia Papæ, maximè cùm allegarent metum, eò, quòd Papa consueuit incarcerare Cardinales, etsi non, tertiò vtrùm dicendi sint schismatici. Quartò, posito quòd processus factus per Papam contra illos fundatus fuerit super notoria subtractione obedientiæ, & congregatione conciliabuli, vtrùm possit dici nulliter, & iniustè processum per Papam stantibus præmissis, quòd nullo iuris ordine seruato fuerunt excommunicati, & declarati schismatici, & quia non fuerunt personaliter citati, & quia causæ, & notorietas narratæ in processu negantur. Quintò, quis de his cognoscere debeat, an Concilium per Papam congregatum, an alterum per dictos Cardinales congregatum, an ambo simul adunata, maximè cùm dicti Cardinales si non admittuntur, procedere velint ad electionem cum suo Concilio, quòd si fieret, apertum esset schisma, quia in vtroque Concilio assumeretur à diuersis Cardinalibus vnus in Pontificem, an sit expectandus futurus Papa. Sextò, vtrùm præfati Cardinales schismatici debeant admitti in conclaue in creatione futuri Pontificis, ne oriatur schisma de nouo. Septimò, vtrùm Cardinales creati per Papam durante Concilio dicantur veri Cardinales, & sint admittendi in conclaue, maximè, eò, quòd creati fuerunt sine requisitione Concilij, & in discordia aliquorum Cardinalium.

Et quoad primum vis dependet ab illo, vtrùm Papa & alij Cardinales, fuerint in tali negligentia, quòd fuerit deuoluta ista potestas ad eos, quia vt supra dictum est in illo articulo, ad quem spectet congregatio Concilij, quando sumus in vno indubitato Papa tunc clarum est, quòd sine eo non potest congregari Concilium, aliàs est Conciliabulum, acephalum, & conuenticulum, non Concilium, vt 17. dist. per totum maximè in cap. nullus, & hoc quando ipse vellet. Sed si nollet, & differret malitiosè, cùm tamen esset necessaria causa congregandi, tunc succedũt Cardinales omnes, vel maior pars, si omnes non concordant, & si maior pars negligit, potest minor pars collegij, vt in c. si quis pecunia, 79. dist. & cap. in nomine Domini, 23. dist. & diximus supra in quæstione propria. Et maximè vbi est præfixus terminus ad actum explicandum, sicut est in proposito, in quo fuit datum biennium, & sic alij videntur se fecisse alienos, vnde actus poterit explicari per minorem partem collegij præsentem, & minor pars poterit conuocare maiorem, dicitur in cap. in causis, & in cap. cum nobis de elect. & dicit Abb. in cap. cùm omnes, de constit. Et maximè loquendo in generali Concilio, in quo etiam minor pars congregat maiorem, vt dixi in illo articulo, quot debent esse præsentes in Concilio, Imò, & quilibet Catholicus quando omnes essent in negligentia, vt ibi dictum fuit, & in illa quæst. ad quem spectet congregare Concilium, quod omnes fuerint in negligentia, videlicet Papa, & alij Cardinales, est quod ipsi allegant, quia dies interpellat pro homine, vt in l. magnam, C. decontrahenda, & committen. stipul. l. traiectitiæ, §. de illo, ff. de act. & oblig. l. 2. C. de iure emphit. cap. potuit, de locat. l. & post tres, ff. si quis cautio, & in l. Celsus, ff. de stipul. seru. & l. insulam ff. de verbor. oblig. cum sini. Cum ergo non solum bienninm, sed septennium reperiatur lapsum, constat de notabili negligentia cap. 1. §. notoria, de censi. in 6. ex quo apparet, quòd per adiectionem diei non requirebatur alia requisitio Papę, vt ipse congregaret si volebat, vt ipso recusante, & similiter alijs Cardinalibus ipsi succederent, per dicta iura. Et maximè cùm

6 esset promissio iurata, quæ non admittit moræ purgationem, ponit Specul. in tit. de Aduocat. §. 1. vers. sed numquid is, qui iurauit, & Anton, in cap. breui, de iureiur. facit quod dicitur in l. nam, & postea, §. si is ff. eodem. Et multum bene Ange. in repet. l. insulam. ff. de verborum obligationibus in 6. columna in versiculo sexto fallit, assignat rationem, quia facta est executio irretractabilis, vt in l. si quis maior. C. de trans. Et eadem ad literam sunt verba Bald. in d. l. magnam in eodem versic. sextò fallit, C. de contrahen. & committen. stipul. Et latiùs Ioann. de Immola in l. insulam in 7. char. ff. de verbór. oblig. quia iuramentum habet vim clausulæ rato manente pacto & vim alterius clausulæ, si non valet, quòd ago, vt ago, vt ibi latè per eum, & Alexan. de Immola in d. l. insulam, in 20. colum. versic. duodecimo fallit. Nec poterat secum super tali iuramento, vel voto dispensare, vel se absoluere, vt ponit, d. Anton. in capitulo primo de constit. de quo dicetur latiùs infrà. Quod videtur indubitanter verum, quando iuramentum est directum ad vtilitatem tertij, cum quo contradixit; facit, quod dicunt Doct. in c. primo de probation. quod Papa ligatur ex contractu suo inito cum alio l. digna vox, C. de ll. & l. Cæsar. ff. de publica. Item facit, quòd omnino Papa ad hoc erat obligatus ex dictamine Constitutionis frequens editæ in Concilio Constantien. & ex promissione iurata ante, & post assumptionem. Facit quod dicitur post glos. in verbo pacta, in Clem. dudum, de sepultur, & in cap. constitutus de rescr. & quod funiculus duplex &c. & capitulo primo de treug. & pac. & materia cap. cùm accessissent de constit. Nec satisfit si dicatur, quod licèt lapsum esset biennium, non tamen sublata erat facultas congregandi, quia etiam post biennium poterat Papa congregare Concilium, cùm esset ad duo obligatus, scilicet ad congregandum Concilium, & infra biennium, si autem non fecit infra biennium, non erat sublatum, quin omnino post biennium teneretur, argumento capit. cùm dilecti de dol. & contum. & cap. bonæ de elect. & cap. constitutus de appellat. & in l. celsus, §. sed ipse ff. de arbit. & cap. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. Et si adhuc poterat, non videtur taliter contracta negligentia quòd priuatiuè esset deuoluta potestas ad alios Cardinales, & quin si ipse hodie velit, congregare possit, & moram purgare si velit, cùm quando vult possit Concilia congregare, transferre, mutare, & dissoluere pro libito voluntatis vt in cap. nec licuit, & in cap. nullus 17. dist. & diximus suprà. Vnde cùm Papa sit dispositus nunc habita oportunitate ad congregandum, videtur quod hoc facere possit. Quia respondetur, quòd ex facta deuolutione, deducta est res ad actum intimationis, non videtur quod possit se de congregatione noua intromittere, sed bene quòd teneatur intimato, & congregato authoritatem interponere, sicut fecit Symmachus, vt in §. hinc etiam 17. distinct. & patet in gestis Symmachi cap. 9. & dicit Anton. in d. tract. schismatis. Item facit, quod dicitur in cap. 2. de concess. præbend. & in cap. 1. de supplen. neglig. Prælat. in 6. & cap. 1. ne

7 sede vacant. eod. lib. vbi postquam est deuoluta potestas ad alium, non est facultas negligenti se vlteriùs intromittendi. Item obstat constitutio frequens, quæ prohibet loci mutationem sine causa. Item si sic posset postquam est ei intimatum Concilium, illud dissoluere, vel alibi conuocare frustra fieret Conciliorum conuocatio, quando fieret per inferiores contra Papam, quia nunquam posset Romanus Pontifex, etiam hæreticus condemnari, quia citatus per Concilium, confugeret ad flebile dissolutionis remedium. Et ex his quo ad primum, videtur quod d. Card. potuerint indi-

dicere, & intimare congregationem Concilij,& quòd post talem intimationem non licuerit Papæ postquam fuit præuentus, se intromittere, nisi in præstando authoritatem l. si quis postea, & l. vbi acceptum ff. de iudic. l.penult. ff. de iurisd. omnium iudicum. Non obstat etiam si dicatur,quòd ex quo Papa ipse volebat congregare Concilium, & iam citauerat omnes: ipsi debebant abstinere, eò quòd Papa apposuerat manum, argumento eorum, quę dicuntur in cap. vt nostrum de appell. & quod dicitur in l. secunda C. de relat. maximè cum tenere Concilia generalia sit capitis, hoc est Romani Pontificis, vt habetur dist.17. per totum. Quia responderi potest, quòd hoc bene staret, nisi præcessisset requisitio ex parte ipsorum Cardinalium,per præuen-
8 tionem autem fit, vt non possit vlteriùs mutari Concilium,iuxta dictam constitut. frequens. Et in hoc an erat mutandum, debebat esse iudex Concilium congregatum, vt dicit d. Anton. in d. tract. schism. & supra retuli. Et præsumitur ex quo Concilium congregabatur contra eum, quod ad illud intimauerit ipse animo protrahendi, & diffugiendi. Facit quod dicit Bald. in cap. olim in 4. char. de rescript. vbi videtur velle, quòd isto casu quando Concilium congregatur contra Papam, non requiritur eius authoritas, quia non est verisimile, quòd effectualiter teneret Concilium. Item possunt etiam dicere Cardinales, quòd locus per Papam deputatus non est eis tutus, qui non solùm debet esse tutus eis, sed etiam eorum Procuratoribus, & Aduocatis: nec sufficit si sit tutus Procuratoribus, nisi sit tutus etiam ipsis Cardinalibus, vt ponunt Doct. maximè Anton. & alij Moderni in cap. ex parte, de appell. ad hoc text. & ibi dicta in Clem. Pastoralis, de re iudic. Pro præmissis facit, quod voluit Milis in quibusdam allegationibus suis ad intellectum, cap. frequens contra Eugenium, quòd non potuerit mutare, vel transferre Concilium propter tria, quia in Concilio erat proposita causa hæresis, & reformationis Ecclesiæ in capite, & in membris,& pacificationis PrincipumChristianorum, quæ omnia sunt in isto edicto. Sed quoad illud primum dubium credo
9 contrarium verum, & præsuppono, quòd nos sumus in vno indubitato Papa, & pacifico possessore Papatus, qui secundùm quod iura volunt, congregat Concilia, & congregata disiungit, & disiuncta congregat, 25.quæst.2. §. ti ergo, dicit Catald. in allegationibus factis contra monitorium Basilien. decretum contra Eugenium. Ipse est, qui potest resoluere, & absoluere, quod Concilium malè damnauit 8. quæst.3. cap. cuncta per mundum. Et facta Papæ excusantur, quamuis videantur iniusta 16. dist. cap.1. Et licèt Papa faciat, quod nobis videtur iniustum, nihilominus est iustum, 23 quæst.4. §. de Tyrijs. Item considero, quod sumus in casu, in quo non est congregatum Concilium, sed tantùm indictum, sine scitu, & authoritate Papæ. Et in quo post indictionem Concilij factam, quàm primùm Papa cognouit illos Cardinales affectare Concilium, ante aduentum dici Concilij per Cardinales indicti, ipse tanquam caput, & ad quem spectabat verum Concilium congregare, publicauit ipsum tenendum in Laterano, & Principibus catholicis intimauit. His sic præsuppositis
10 dico, quòd non licuit Cardinal. indicere Concilium, & multò minùs indictum prosequi postquam Papa apposuerat manum: tùm quia nullibi in iure reperitur, quòd congregatio Concilij facta vnquam fuerit à Cardinalibus, cùm hoc sit de reseruatis principi, vt in cap. quòd translationem, de offic. leg. ibi glos. Et Cardinales prohibentur etiam sede vacante exercere aliqua de reseruatis principi, vt in Clem. ne Romani §. irritum de elect. Et quamuis possint ea,quæ ad celerem Pontificis prouisionem tendunt, vt cap. vbi periculum, §. ijdem quoque, de elect. in 6. sicut supplent communiter Doct. ad paragraphum irritum, & ponit Card. in capit. licèt de elect. hoc non conuenit in proposito, quia hi Domini non ideo intimauerunt Concilium, vt posset celerus Romanæ Ecclesiæ prouideri de Pontifice, quia extabat indubitatus Pontifex, nullaque ineuitabilis necessitas hoc fieri ex abrupto cogebat. Tùm
11 quia ipsi non constituebant collegium Cardinalium, quia non solùm erant sine capite, sed nec erant duæ partes totius collegij, imò nec dimidia, sed minima pars collegij, nec fuerunt collegialiter congregati, quia aliqui eorum erant absentes. Vnde dicit Bald. in cap. olim ex literis, de rescript. quòd Cardinales non possunt, vt singuli congregare Concilium, & idem refert Martinus Lauden. in secundo suo trac. de Cardinalibus. Nullius etiam termini præfixi collegio Cardinalium ad explicandum actum, qui alio tempore expediri non posset instabat finis, non ibi collegij locus, nulla aliorum de collegio ad Concilium congregandum requisitio, nullum erat in more periculum vniuersali Ecclesiæ allatura, non maior tunc, quàm priùs Romanæ Ecclesiæ necessitas erat. Vnde vt studeam breuitati pro his censeantur adducta omnia illa iura, quæ adducuntur in illo articulo, quot personæ requiruntur ad constituendum Concilium vniuersale. Item vbi Doctores volunt facultatem cõgregandi Concilium deuolui ad Cardinales ob negligentiam, vel denegationem, vel detrectationem Papæ nunquam dicunt deuolutionem fieri ad singulares de collegio Cardinalium. Nec etiam de Episcopis, vel Presbyteris, vel Diaconis Cardinalibus, sed tantùm de collegio loquuntur, vt latè omnia applicata sunt in illo articulo, ad quem spectet congregare Concilium, quæ similiter breuitatis causa quatenus ad propositum faciunt hic censeantur repetita. Nulli ibi aderant authoritate Papæ ad celebrandum Concilium suffulti, contra ea, quæ habentur 17. dist. per tot. & in §. porrò 3. dist. Nulla facta est scrutatio votorum
12 collegarum,cùm tamen in his plus sit contemptus vnius,quam contradictio plurium

13 cap. bonæ el 2. de elect. Nec quispiam, obijciat aliquando factum in antiquis Concilijs, vt quando à seipsis Patres congregati contra Marcellinum Papam, de ipsius causa consultarunt 21. dist. cap. nunc autem: Nec quòd ita factum fuit in Constantiensi Concilio, & quòd sine Papæ authoritate, aliquando per Cardinales, aliquando per Patriarchas, vel Imperatorem, vel Prælatos, Reges, seu Principes, & per quemlibet catholicum datur facultas Concilij congregandi, vbi Ecclesiæ vrget necessitas, sicut in Cardinalium edicto allegatur. Quia facilis est responsio, quòd cõtrà notorium idolatram, sicut fuerat Marcellinus, quamuis Papam vnicum, & pacificum possessorem, etiam sine ipsius authoritate congregari potuit Concilium per alios, si fuit in negligentia congregandi intra tempus, intra quod potuisset congregare. Facit, quòd dicitur in cap. Romana §. notoria, de cen. in 6. & quod dicit Bald. in l. 1. in 7. quæst. C. qui admitti, & ad aliud propositum, idem Bald. in l. emancipata C. qui admitti: quia contra hæreticum notorium, qui non est Papa, & qui non habet facultatem authorandi, congregatio requiritur solum ad eum declarandum, vt dictum fuit in illo artic. ad quem spectet congregatio Concilij in vers. sed pone: & latiùs infra in quæst. vtrùm Papa deponatur propter hæresim. Et sic intelligo Doct. volentes, quòd quando congregandum est Concilium contra Papam, si agitur ad eum exauthorandum non requiritur eius authoritas in congregando, vt vult Bald. in capit. olim de rescript. & Ægid. in Clem. dudum de sepul. & Alex. 17. dist. capitulum Synodum, & Catal. in quibusdam allegationibus pro Eugenio contra monitorium per Basilienses decretum. Quia intelligo in Papa notoriè hæretico, in quo secundùm aliquos concurrere debet etiam negligentia, quam incurrit, simul, atque incidit in hæresim, & non congregat. Sed in proposito non obijcitur Papæ notoria hæresis. Quinimò aliqui voluerunt etiam in notorio hæretico, quòd nisi sit priùs requisitus non dicatur negligere, & quòd non dicatur negligens in congregando antequam sciamus, an velit corrigere se, & reuocare errorem suum. Et ideò in casu nostro nulla commissa est negligentia. Vnde non videtur conuenienter dici eum non esse requirendum, quòd videtur voluisse Alex. in c. si Papa 40. distin. & Card. de Turrecrem. in cap. 8. de Concil. Et sic intelligo, & respondeo ad cap. nunc autem, quia Marcellinus publicè thurificauerat idolis, & sic erat idolatra notorius; & propterea illi sine eius requisitione seipsos congregauerant. Et secundùm illos, qui volunt, quòd concurrat negligentia, fortè quòd Marcellinus fuerat requisitus & negligens, & non procurauerat congregari Concilium intra tempus, intra quod potuisset congregari, cap. 1. §. notoria, ibi Doctor. de censib. in sexto, licèt hoc vltimum sit diuinare ad illum text. Item intelligitur ille text. quòd post congregatum Concilium ibi Papa interposuit auctoritatem suã, quam censetur interponere, simul, atque scit causam suam agitari, & tacet l. cùm pater. §. libertis ff. de legat. secundò. Nec obstat, quod dicitur de Concilio Constantien. tùm quia illud fuit congregatum auctoritate Ioan. 23. à principio: tùm quia erat schisma & aliqui detrectauerant congregare Concilium; & sic poterat congregari per alios, vt dictum fuit aliàs per capitulum si duo 79. dist. Quòd intelligitur in pluribus contendentibus de Papatu, quorum nullus est possessor saltem integræ obedientiæ, quia sic secundo modo possunt intelligi prædicti Doctores volentes non requiri auctoritatem Papæ, quando agitur contra eum ad eum exauctorandum, quòd voluit, Anch. in responsionibus factis in Concilio Pisano ad Oratores Regis Franciæ. Vnde multò magis, quando sunt à principio duo contendentes de Papatu, & neuter eorum possessor, vt propriè loquitur, d. capitulum si duo. Et sic non est bona allegatio de Concilio Constant. vbi fuerat schisma inueteratum, & plures contendentes de Papatu, & negligentes in concordando circa congregationem Concilij, vt satis dictum fuit in illo articulo ad quem spectet Concilij conuocatio. Et per hoc patet non obstare quod in edicto intimationis, & requisitionis allegatur, quod quando agitur de congregando Concilio pro reformatione capitis non pertinet Concilij congregatio ad Papam. Quia ex præmissis apparet hoc esse notoriè falsum, & contra text. in dicto §. hinc etiam, & contradicta Doctorum, quæ pro maiori parte loquuntur in casu notoriæ hæresis, qui non est casus noster, in quo quamuis in edicto Imperatoris, vel Regis allegetur causa hæresis, illa allegatur quò ad alios in diuersis mundi partibus, & tunc omninò ad Papam esset recurrendum, & requirendum, vt congregaret Concilium vt in capitulo, vbi nam legistis, & in capitulo nos ad fidem 96. distinctio. & patet in gestis Conciliorum, & in capit. Adrianus el. primo, cum similibus distin. 63. & omnes dicunt. Quinimò etiam si esset congregandum in casu hæresis non notoriæ contra Papam, similiter esset requirendum, vt congregaret, & ad eum pertinet, vt dicunt Doctores, & dixi in articulo ad quem spectet congregatio Concilij, vbi etiam in notorio hæretico secundùm aliquos dixi quod omninò debet fieri requisitio. Et in illo, cui simpliciter obijciebatur hæresis est text. in §. hinc etiam 17. distinctio. & in §. item Symmachus 2. quæst. 7. nam, & Symmacho fuit obiecta hæresis secundùm quod dicit Butrius in suo tractatu schismatis, & dicunt Doct. in dicto §. hinc etiam. Et si dicatur quod satis fuit requisitus, quia dies interpellat pro homine, vt ipsi allegant, respondeo, vt infra. Et si præsupponimus in dicto §. hinc etiam Concilium congregatum à seipso, & interpositam auctoritatem à Papa, idem est effectus, quòd etiam vbi agitur de hæresi occulta, requiritur in Concilio, vt subsistere possit quod Papæ auctoritas interueniat. Minus etiam est

bona allegatio Concilij Basilien. quia illud cœpit exordium ab authoritate Papæ, & postea post obitum Martini, Eugenius illi adhæsit, vt patet in gestis illius Concilij. Quinimò allegare illud Concilium est contra Cardinales, quia postquam Papa Eugenius illud quæsiuit dissoluere, & illud transtulit, fuit effectum conciliabulum, vt sæpiùs dixi supra referendo Cardinalem de Turrecre. & Archiep. Flor. hoc dicentes. Et ponit Catal. in dictis allegationibus. Et licèt Multi tunc scripserint contrarium, maximè Abbas, tamen moti sunt eo quod Concilium erat congregatum, & iam Eugenius citatus, & processus inchoatus contra eum, & sic erat fundata iurisdictio Concilij, & super istas rationes se fundant, quod non est in casu nostro, in quo nondum est congregatum aliquod Concilium. Et post-
15 quam Papa indicit Concilium, illud, quod Cardinales egerunt fit irritum, cum ad eos non spectet, vbi Papa ipse vult congregare, quia ipse est caput, & nullus potest ei dicere, cur ita facis 83. dist. nemo. Et in eo semper præsumitur causa capit. quæ in Ecclesiarum de constit. Et eius potestas est à Deo 21. dist. quamuis 22. distin. omnes, & in capit. nouit de iudi. Nec similiter ni-
16 tuntur bono fundamento cùm allegant constitutionem frequens editam in Concilio Constantien. quia ipsi sciunt, vel scire debent, quod Papa non ligatur illa constitutione Conciliari, quia vt videbimus in loco proprio ipse est supra Concilium cap. significasti de elect. & ipse tollit, mutat, & reformat constitutiones conciliares, vt ibi dicitur, & diximus scilicet in proprio loco. Nec potuit illud Concilium imponere legem Papæ, vt dict. §. hinc etiam, nec illa constitutio reperitur edita cum Papa, nec aliquando confirmata, ideo non ligatur illa. Et si poneremus Concilium sine Papa, quia tunc erat sedes vacans, vel quasi vacans propter schismata, & diceremus tunc Concilium habuisse potestatem à Christo, qui solus propriè dicitur, & nullus alius caput Ecclesiæ, ad Ephe. cap. 1. 24. qu. 1. cap. loquitur glo. in capit. vnico de schisma. in sexto, & prima quæst. 1. cùm Paulus, adhuc non potuissent edere constitutionem, per quam Papa ligaretur, quia par in parem non habet imperium, vt in capitulo innotuit. de electione. Ipse enim est Dei Vicarius 79. dist. si quis, & à Deo habet plenitudinem potestatis 82. distinct. capitulo proposuisti. Et vt dicit Bal. in l. rescripta. C. de precibus Imperat. offer. maior est Papæ potestas, quàm Sanctorum, vt in cap. de libellis 20. dist. Et si vellit Concilium dissoluere, vel mutare, vel transferre, si sit catholicus non prohibetur vt fuit conclusum per clarissimos iuris interpretes de translatione facta per Eugenium de Concilio Basilien. Item dicta constitutio in nullo conuenit in casu nostro, quia non prohibet ne Papa mutet locum, & transferat Concilium, si bene ponderentur illius verba, quæ solum loquuntur de loco aliàs ante in præcedenti Concilio assignato pro futuro Concilio celebrando, & iste non est casus noster. Item dicta constitutio dat Papæ facultatem mutandi locum de consensu duarum partium Cardinalium, quod seruatum fuit, quia de consensu Fratrum indixit Papa Concilium, & nullibi in dicta constitutione est data facultas inferiori à Papa indicere Cõcilium. Et maximè debent considerari in proposito, quod nec in casu negligentiæ, vt quis possit supplere, & Concilium indicere statuitur aliquid, quia cõstitutio considerauit, quod si quando est vnus indubitatus Papa daretur facultas inferiori indicendi Concilium, id esset causa creandi schismatis, cum tamen mens constitutionis fuerit tollere schisma, vt in d. §. si verò. Et bene est ponderandum, quod cùm constitutio velit Concilium teneri de decennio in decennium, & locum assignari in Concilio, nihil tamen statuit quid si in dicto tempore Papa nollet tenere, vel nón teneret Concilium, & hoc ideò quia noluit apponere manus ad fortia & ad ligandum Sampsonem, in quo Papæ potestas repræsentabatur secundùm Isidorum Iudi. 13. vel secundùm Grego. & veriùs, Iudicum 16. Quia vbi est vnus indubitatus Papa, eius potestatem restringere, vel per viam deuolutionis in alium transferre, non poterat cap. significasti cum materia de elect. Et cùm dicit nullatenus, prorogetur cùm impersonaliter loquatur, comprehendit ipsummet Concilium, & magis est consilij, quàm præcepti, nec vltra procedit deuoluendo in alium ius congregandi. Facit quod dicit S. Tho. in secunda secundæ qu. 186. articulo, nono quem allegant Abbas, & alij Moderni in capit. nam concupiscentiam de constit. vbi discutiunt quando constitutio, vel lex sit consilij, vel præcepti. Et quod sequitur in §. si verò in d. constitutione totum concernit casum, quo est schisma, & quæstio inter plures de papatu, quo casu est iudicium Concilij, vt in cap. si duo. 79. distinctione sæpiùs allegato. Et in hoc ita reperio responsum Oratoribus Regis Franciæ à deputatis in Concilio Florentino, cùm Oratores peterent dari tertium locum pro tertio Concilio celebrando fundantes se super constitutionem frequens in §. si verò. Et similiter non est casus noster, quia illa constitutio loquitur de Concilio congregato non mutando. At in casu nostro nullum est congregatum Concilium, sed tantummodo hinc inde indictum, & per Papam auctoritatiuè, vt 17. dist. per totum, quod à Cardinalibus fieri non poterat, etiam si Papa denegasset congregare Concilium, ex quo non omnes erant concordes, & maior pars, immò ferè omnes erant cum Papa, & si aliter fuisset, etiam non potuissent, nisi per viam denunciationis, & monitionis, vt diximus in articu. de modo citandi ad Concilium, quia non agitur in casu schismatis, vel contra Papam notoriè hæreticum. Et si patet quod Milis in præmissis non contrariatur, quia loquens in Concilio iam congregato ex illis tribus causis, & cum auctoritate Papæ, dicit quod propter scandalum non potest mutari. Et per hoc etiam patet quod non obstat quod dicitur, quod Concilium habeat cognoscere an sua sit iurisdi-

 risdi-

risdictio, vt Feli. ponit in capitulo super literis de arb. sicut iudex eligit arbitros ad cognoscendum de causa suspicionis, vt in capit.cum speciali.de appell.quia adhuc non est Concilium. Quod autem dicitur
19 in intimatione, quod dies interpellat pro homine, & quod dicitur negligens,quando in die præfixa non congregauit, vt est glo. in verbo negligentiam in clem. quia contingit de relig. domib. Dico esse verum, sed non liberat hominem ab obligatione, vt in l. si mandato §. Paulus, & ibi Bartol. ff. mandati, vnde dato, quod cesserit dies biennij, non liberabatur ab obligatione Concilij congregandi, ad quod congregandum tenebat vigore capitulorum, & per constitutionem frequens, & quod non fecerat, idest biennium, poterat facere etiam post biennium, nec erat subtracta ei facultas. Et quia ipsi etiam fuerunt ne-
20 gligentes, compensanda est hinc inde negligentia, l. si ambo. ibi Doct. ff. de compensa. Facit quod dicit Bar. in l. si duo §. fin. ff. de constit. pec. & Dominus Mathesil. in notabilibus suis, notab.51.& Pau. de Castro, Alexan. de Imo. & refert Iason. in 8. notabili in l. si quis maior. C. de transact. & ideo congregare remant Papæ cap. in pari. de reg. iur. in 6. facit quod dicitur in cap. cùm Ecclesiasticæ, & capit. dilecti. de excep. ipsi enim prætendentes ad se factam deuolutionem congregandi, non plus temporis habere poterant, quàm eis Papa statuerat clem.1. ibi Doctores, de supplen. negli. Præla. Facit quod dicitur in cap. 2. de concess. præbend. & in cap. statutum de præben. in 6. & Ioan. And. in regula contra eum in mercu. de reg.iur. in 6. & in cap. ne pro defectu de elect. Vnde iam præterisset tempus duplicatum, non minùs ipsi,ad quos deuolutio facta fuisset fuissent negligentes, quàm Papa. Et licèt dies interpellet pro homine ad actum expediendum, non reperio quod propterea causet deuolutionem expediendi actum in alios in stipulatione non comprehensos. Et si causaret, vt dixi, vtique ista mora ita per ipsos fuisset contracta, qui tanto tempore tacuissent, sicut per Papam, nec potuissent procedere ad congregandum Concilium nisi priùs requisito Papa, vt congregaret, & nisi de nouo Papam morosum redidissent. Facit, quod ponit Bar. in l.
21 item illa in versic. quæro quid erit ff. de constit. pecul. Et quod dicitur in cap. significante de pigno. Et vbi non interesset alicuius particulariter,in extraiudicialibus semper admittitur purgatio moræ, ex quo non fit ius alterius deterius, vt dicit Imm. in l. insulam ff. de verbo. obligatio. Item in obligationibus, in quibus post moram non succedit obligatio ad aliud,semper admittitur purgatio moræ l. si seruus §. sequitur l. interdum §. fin. ff. de verbo. obli. ita Bartholom. de Sali. in l. semel mora in 4.char. ff. solu. matr. Item vbicumque dies est variabilis ad voluntatem promittentis, semper admittitur purgatio moræ, quia quamdiù variare potest non dicitur, sic in mora, vt purgari non possit. Ergo in proposito licèt Papa promisisset infrà bienniū congregare Concilium, cum esset in potestate eius diem ex causa differre, quia ista sunt de eius suprema potestate, vt in dicto cap. quod translationem, sine interpellatione non dicitur mora contracta l. ita stipulatus, versic. quod si ab initio ff. de verbo. oblig. ponit Imo. in d. l. insulam ff. de verbo. obl. Et quod dies esset variabilis, dicitur in qu. vtrùm Papa possit contrauenire suæ promissioni, & in illa vtrùm possit Concilium transferre. Item quo ad alios Cardinales quibus nulla reperitur præfixa dies, non potest dici,quod sine requisitione dicantur fuisse negligentes, cùm dies non
22 constituat eos in mora. Item numquam dicitur quis in mora quantumcumque dies eum interpellauerit, quando est difficultas in expeditione actus l. si vehenda §. penult. ff. ad leg. rho. de iac. l. prima, §. frater ff. de collat. bonorum l. mora. ibi glos. & Flo. ff. de vsuris,& in l. quod te. ff. si cert.
23 petat. impedimenta enim excusant. capitu. ex ratione de appellationibus, & capit. commissa de electione, in sexto, cum similibus. An autem fuerint Domino nostro impedimenta,& difficultates,qui fuit semper occupatus in recuperandis bonis Ecclesiæ, notorium est. Similiter non obstat
24 quod obligatio fuit facta Cardinalibus, & sic tertiò, & sic obligatur ex contractu suo, vt in cap. primo, de prob. Quia hìc non est aliqua stipulatio, per quam quæratur aliquid cuiquam singulariter,sed quædam capitulatio, quæ non arctat Papam nisi ex concedente pro bono regiminis Ecclesiæ. Et si esset singulariter quæsita actio,faceret contra eos, quia non potuissent deuenire ad agendum,& consequenter ad Concilium congregandum sine alijs Cardinalibus, qui non fuerunt in negligentia, & nisi perita venia, vult glo. approbata in l. bene à Zenone C.de quadriennij præscrip.Facit quod dicitur in glos. in l. 4. C. de obsequijs patro. præstan. quod subditus non potest superiori litem mouere,nisi priùs illo requisi-
25 to. Item ad excusandum à mala fide, & à peccato dies apposita non impedit purgationem moræ, & ad causandum malam fidem, & peccatum, dies non interpellat pro homine, ponit Hostien. in summa de præscript. & refert Abbas in capitulo finali, de præscription.ponunt legistæ in l. si ex legati causa ff. de verborum obligationibus. Ad idem facit quod vbi lex mandat aliquid fieri, intelligitur, si fuerit petitum, vt dicit Paulus de Castro in l. vniuersa. C. de precibus Imperato. offe.Et quis non incurrit pęnam etiãsi sit adiectum tempus,si non fuit requisitus, vt ponit Pau. de Castro in consilio 116. incipit videtur, & ibi dicit quod non dicitur in mora. Item facit quod in capitulis factis tempore Gregorij XII. erat appositus mensis, & tamen Doct. scribentes contra eum fundantes se in mora, dicunt quod fuit requisitus, vide Petrum de Anchar. consilio 282. Item semper admittitur purgatio moræ ex æquitate canonica in foro conscientiali,vt in l. si seruum §. sequitur ff. de verborum obligatio. ponit Bald. in consilio 114. in fin. in quinto volum. incipit super primo puncto. Quinimo

mo rectè intuenti hic non conuenit quære, vtrùm admitatur purgatio moræ, sed potiùs vtrùm Papa ex non congregatione
27 Concilij in tempore inciderit in periurium, & si sic, vtrùm simulatque postea indixit, censeatur se absoluisse, vel secum dispensasse.

Et profectò articulus in se non videtur magnæ difficultatis, quia si fuit iusta causa, propter quam distulit, excusatur à periurio, vt in capit. peruenit de iureiuran. In
28 iuramento enim multæ sub intelliguntur conditiones, videlicet re in eodem statu manente, item facultas, item commoditas, & aliæ his similes, de quo in cap. quemadmodum de iureiurando. Ad hoc quod dicitur per Bald. in l. fin. C. de non numer. pecun. & d. l. si vehenda §. 1. versic idem iuris ff. ad l. rho. de iac. cap. querelam de iureiuran. cap. significante de pigno. & Innoc. in capit. super ijs de accus. de eo, qui iurauit soluere, & non potuit. Et si in inferiore statur iuramento eius si dicat se fuisse impeditum, vt vult decis. 303. in antiq. multò magis in Papa, in quo semper
29 præsumitur iusta causa ex quo ita distulit vt in d. cap. quæ in Ecclesiarum cùm materia de const. & Cy. & alij in l. rescripta C. de preci Imper. offe. & maximè quia quælibet leuis, & minima causa excusat à dolor. l. igitur §. potest ff. de liber. causa l. plagij la secunda C. ad l. Fauiam. de plagi. & in dubio non debet præsumi, quod voluerit incurrere periurium. Et posito quod nulla subesset causa, dico quod sicut in iuramento præstito in conuentione, & pacto ab inferiore intelligitur excepta auctoritas, superioris, videlicet nisi superior aliter duxerit faciendum, vt in capit. venientes, & ibi Doct. de iureiuran. & in leg. Imperatores in principio ff. ad municip. glos. & Doct. in cap. constitutus de rescript. glos. in cap. de forma 22. quæst. vlt. & sicut iussus iudicis excusat à mora, vt notatur in l. fin. ff. de lege commiss. secundùm Bal. in cap. fin. de seques. posses. & fruct. &
30 consequenter excusat à periurio, quia quicquid excusata mora excusat à periurio vt in cap. breui. de iureiuran. Bart. & Doctor. in l. quod te ff. si cert. pet. & l. Labeo in fin. ff. de iureiurando, quod autem iussus iudicis excuset à periurio, ponit Hostien. in summa in titul. de iureiurando, §. quot species, versic. item si iuro, ita multò magis videtur in proposito, quod Papa non sit periurus, ex quo ipsemet potest arbitrari, an infra dictum tempus fuerit tenendum, vel non, quia per hoc non fiebat, non deberet congregare, nec capitula auferebantur, sed in hoc differebantur. Facit quod dicitur in l. quotiens de preci-
31 bus Imperator. offer. & in cap. ex parte tua de offic. delegat. quia princeps tollendo exceptionem dilatoriam, non dicitur tollere ius. Pro hoc facit quod licèt iuramentum auferat facultatem purgandi moram, vt allegata l. si quis maior C. de transact. & dixi supra non est verum in foro pœnitentiali, quia non efficitur periurus, qui iurauit soluere ad tempus, & fouit post glos. in cap. apud misericordem 32. quæst. prima Ludou. in singularibus in verbo iuramentum. Vnde licèt non possit Papa
32 tollere iuramētum, per quod alteri aliquid quæreretur, tamē quando non tollit vim iuramenti, sed dilationem aliquam concedit super ipsius obseruantia, potest, quia differens non dicitur trangressor hoc expresse ponit Domi. in cap. secundo de renunc. & refert Felin. in cap. constitutus in 14. colum. in versic. generaliter de rescript. Multò magis ergo in proposito, ex quo est iuratū in materia in qua nihil quæritur alteri, & in qua agitur de ijs, quæ sunt Principi reseruata, quo casu ex quo sumus in materia in qua est excepta Papæ auctoritas, semper poterit dispensare etiam sine causa, vt dicit Domi. in d. cap. secundo de renunc. allegat Ioann. Andr. in cap. quanto de iureiurando, & dicit Felin. in d. cap. constitutus, vbi supra, & in 13. colum. versic. limita secundò. Et hoc in persona alterius multò magis videtur voluisse in persona sua, ne incurrat periurium, facit etiam quod
33 dicitur quod princeps potest tollere bona, quæ sunt quæsita ex temporis cursu, hoc est ex præscriptione, quia iste modus acquirendi est iure ciuili inductus, vt instit. de vsu cap. in princ. & ideò princeps potest illa tollere etiam sine causa, vt dicit Angelus in l. Lucius ff. de euic. & Bald. in l. fin. C. sententiam rescindi non posse, & dicit Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum, in versic. quarta declaratio de constit. Sic ex dilatione istius congregationis, ex quo nullum præiudicium est generatum congregationi Concilij, non dicitur incurrisse periurium, quia credendum est, quod noluerit incurrere, & quod secum tacitè dispensauerit. Nec dicat aliquis, ex quo agitur de facto eius proprio, quod non possit vti sua auctoritate Pontificali in seipsum quia istud esset diminuere auctoritatem Papæ, qua dicitur esse supra ius in ijs, quæ concernunt personam eius, vt notatur in cap. proposuit de conces. præben. Et hoc ostendit apertè text. in cap. 1. de renunc.
34 in 6. nam licèt aliàs non valeat renunc. nisi sit admissa per superiorem, vt in capitulo admoner, & cap. quod in dubijs de renunc. tamen valet renuntiatio Papæ, & ipsemet illam admittit, quia non est alius superior, vt in cap. licèt de elect. Si autem esset verum, quod non posset in personam suam exercere auctoritatem in concernentibus personam eius non valeret resignatio. Quinimò ipse solus est, qui seipsum iudicat, & qui authorizatur in facto proprio, vt in §. hinc etiam 17. dist. in cap. nunc autem 21. dist. & in cap. cùm venissent, vbi de hoc, de iudic. & dicitur in l. 1. ff. de offic. procur. Cæsa. Quinimò non
35 solùm Papa, sed quilibet alius, qui non habet superiorem, si aliquid iurauit in materia dispensabili potest seipsum absoluere & secum dispensare, vt ponit Pe. de ancha. in cap. venerabilem de elect. & dicit Felin. in cap. 1. 17. colum. de constitut. de quo latiùs dictum est in artic. proprio. Et dispensare videtur hoc ipso quod habet notitiam iuramenti, & certam scientiam actus, vt dicitur in d. cap. constitutus, & in lege

quidam consulebat ff. de re iudic. quando actum contrarium facit. Pro quo sunt duo vltima consilia Oldradi cum rationibus eius, & dicitur in cap. 2. de schisma. & in capit. diuersis fallacijs de cleric. coniugat.

36 Non obstat quod dicitur, quod vbi est iuratum non admittitur purgatio moræ, quia est facta executio à lege, quod & ponit Bart. in l. qui ob rem. ff. de condit. indeb. & clariùs in l. si insulam ff. de verbor. oblig. in versic. vltim. in materia. Quia licèt sit verum, quod quando est facta executio à lege, vel homine non admittitur purgatio moræ, non tamen est illa ratio, quando interuenit iuramentum, quod non admittitur, quia est facta executio à lege, quia cùm hodie in quocumque contractu simpliciter apponatur iuramentum, sequeretur quod in terminis cap. potuit de loca. post biennium non admitteretur purgatio, quod est falsum. Et ideò dico quod non admittitur purgatio moræ, non ex vi executionis factæ à lege, vt voluit Angelus in d. l. si insulam, sed ex vi ipsius iuramenti, quod importat validitatē actus omni meliori modo, prout in l. cùm pater in §. filius matrem ff. de legat. 2. Vnde pro executione obligationis iuramentum quod operatur executionem actus omni meliori modo quo potest, purgationem moræ impedit, cùm sit perinde, ac si ille, qui se obligauit, se adstrinxisset, quod mora esset impurgabilis, iuxta l. sancimus ibi nisi pacti C. de fideiuss. Et hoc

37 cessat ex æquitate canonica in foro pœnitentiali, in quo semper admittitur purgatio moræ, vt latè ponit Alex. de Imol. in d. l. si in suam in 20. colum. in versic. 12. fallit ponit Bald. in l. qui crimen. 11. quęst. C. qui accusat. non pos. & Moderni in l. si quis maior C. de transact. Sicut in simili etiam dicimus de pœna in foro pœnitentiali, quæ non potest exigi, vt dicit Abb. in cap. suam de pœnis. Et ratio rationis est, quia correcto, & pœnitenti nunquam denegatur venia. de pœnit. dist. 1. in princ. & per totum dicitur in regula peccati venia de regula iur. in 6. Et Ecclesia nunquam claudit gremium redeunti, vt in

38 cap. super eo de hæret. Nec est verum quod per lapsum diei in contractu, vbi est appositum iuramentum dicatur facta executio à lege, nec respectu facti, siue obligationis nec respectu pœnę in contractu stipulatæ, quia licèt quis incurreret periurium ex lapsu diei, non tamen sequitur quod sit facta executio obligationis, vel pœnę, si esset adiecta. Et hoc esse verum ostendit expressè Bart. in d. l. si insulam in versic. vltim. in materia, vbi distinguendo primò ponit quod aut est facta executio à lege, vel ab homine, & non admittitur purgatio morę aut non est facta executio, & tunc aut est appositum iuramentum, & non admittitur purgatio &c. Ex quo apparet quod diuersum est, quando est facta executio à lege, & quando est appositum iuramentum, ergo non est vera ratio, quod vbi est iuramentum, per lapsum diei dicatur facta executio à lege, nisi intelligatur Angelus respectu incursi periurij, quod vt dictum est non videtur voluisse incurrere ex tali dilatione.

Pro facto enim Papæ semper præsumit. vt in cap. non nos 40. dist. & dicit Bal. in l. rescripta C. de preci. Imperat. offe. Accedit etiam, quod dicit Angelus, Bald. & Imol. in d. leg. si insulam, quod etiam post executionem legis admittitur purgatio moræ, quando mora non tendit ad damnum alicuius, nec ius stipulantis factum est deterius, vt in l. mancipiorum ff. de optione legat. sicut est in proposito. Et si dicatur

39 quod post requisitionem non admittitur moræ purgatio cap. fin. de locat. cap. cùm Bertoldus de re iudic. & cap. ex tuæ de cleric. non resid. & sic propter præuentionem in intimando, quæ sapit, & habet vim requisitionis Papa non potuit vlteriùs indicere Concilium, quia ista facultas deuoluta fuerat ad Cardinales priuatiuè, iuxta cap. nulla de concess. præben. & quod notat Cardin. in Clement. si de beneficio de præben. & quod dicitur in Clem. 1. de supplen. neglig. Prælat. & in cap. licèt eo titul. & in cap. ne pro defectu de elect. cùm simil. Respondeo, quamuis quo ad hoc satis sit supra responsum, quod ista deuolutio etiam si fuisset facta non esset facta priuatiuè, cum simus in reseruatis Principi in signum supremæ potestatis, in quibus nullibi reperitur iure cautum, quod habeat locum deuolutio, maximè priuatiuè. Facit, quod dicitur in cap. quod translationem de offic. legat. Item in vim capitulorum nō est cautum, quod lapso biennio potestas deuoluatur ad Cardinales. Vnde non potest causari prætensa deuolutio per negligentiam, nisi vel per constitutionem frequens, quę nō obstat, vt supra deductum est, vel quia essemus in casu necessariæ congregationis, & Papa detrectaret congregare, quod non est in proposito, quia simul, atque fuerat per eos sine auctoritate Papę inductum, quod facere no præmissa aliqua aliqua alia humili requisitione non poterant, iuxta notata in capitulo primo de supplenda neglig. Prælat. & Doctores in capitulum propter 18. distinctione Papa ipse indixit reuocando indictum per eos. Quod potuit, quia istud est propriè auctoritatis Papæ, quia nullum est ratum Concilium sine eius auctoritate, vt patet per totam decimaseptima distinctione, & maximè vbi est indubitatus Papa vnà cùm Collegio Cardinalium. Ideò valdè mirum est, cur ista attententur contra religionem. Et quis dubitat postquam Papa nunquam ante fuerat requisitus, & nunc quàm primùm facta est ei intimatio statim ipse Concilium indixit, quod ei nulla mora ascribi potest, & quod satis ostendit habuisse semper animum tenendi Concilium habi-

40 ta opportunitate. Et posito quod fuisset per Dominum Nostrum contracta mora, ex quo poterat super obligatione in Conclaui facta etiam cum iuramento secum dispensare, & facere se absolui, maximè subsistēte aliqua causa saltem in prorogatione termini, vt istam quæstionem alibi ad plenum examinauimus, quæ est multùm diffusa, & in qua etiam reuocatur in dubium vtrùm ipsæ promissiones in Conclaui factæ ligent, ipso irrequisito, & in contumacia,

non

non aliter quàm per eorum interpellationem non constituto, non poterant ita ex abrupto ad proponendum edictum statuendo diem, & locum Concilij procedere, & stante dicto impedimento non currebat tempus biennij c. dilecto de verb. signif. & cap. quia diuersitatem de concess. præb. Nec poterat dici morosus, vt in d. l. si vehenda. §. idem iuris ff. ad l. Rhod. de iac. cum
41 alijs supra allegatis. Et vtrùm dicatur legitimè impeditus, & negligens, est relinquendum arbitrio ipsiusmet Papæ, qui potest dicere ius in causa propria, vt in capitulo cum venissent de iudic. Cùm enim arbitrium esset boni viri, vt in l. continuus ff. de verbor. obligat. §. cùm ita, & Cardinal. in Clement. 1. in §. final. in qu. 3. de concess. præbend. & gloss. in capitulo si Clericus, de præben. in 6. quia non est superior, qui habeat arbitrari, vt in cap. licèt de elect. vtrùm impedimentum fuerit iustum, vel non erit etiam arbitrij eius cùm iudex, & bonus vir arbitretur vtrùm sit impedimentum legitimum, vt in capitulo quia propter §. illud de elect. per Doctor. & gloss. in capitulo penult. de elect. 6. in gloss. 2. in cuius locum ipsemet succedit, vt bonus est text. in cap. nunc autem in fin. distinct. 21. & facit §. hinc etiam dist. 17. Et maximè in proposito, in quo sunt causæ notoriæ bellorum, & recuperationis ciui-
42 tatum Ecclesiæ, vt fecit. Et pro nunc respondetur ad id, quod dicit. Auton. in d. cap. 1. de constit. quod ipse loquitur in alio casu, videlicet in iuramento præstito pro sedando schismate, quo casu posset illud tolerari, quia tunc non seruans iuramentum est nutritor schismatis, & absolutio esset quædam destructio, quæ tunc non est impendenda, vt in cap. legatur 24. quæst. 2. facit quod ponit Innocent. in cap. Romana de sentent. excommunicat. in 6. item non loquitur, quando absolutio fit ex causa, vel non ad finem penitus liberandi, sed tantùm diem protelandi, quæ omnia in absolutione in casu proposito sunt maximè consideranda, item in casu Antonij de Butrio ignorabatur vtrùm Greg. XII. an Benedictus XIII. an Ioannes XXIII. esset verus Papa, & ideò non poterant se absoluere quæst. 24. cap. 1. quicumque. Nos autem sumus in vno indubitato Papa, & possessore, de quo in loco proprio alibi latiùs diximus. Et parcant mihi prædicti Patres in ista incimatione non ostendunt zelum bonum, ita ex abrupto absque aliqua reuerentia Sanctissimi Domini Nostri, & aliorum Patrum, & sine aliqua requisitione statim à seipsis statuendo locum, & fortè non tutum Sanctissimo Domino Nostro, & alijs Patribus, & tempus, ac si Pontificatus esset ad eos deuolutus. Sed posito, quod ista facultas congregandi esset ad eos deuoluta per lapsum termini non per hoc erat sublata Papæ facultas congregandi, & propterea si ante congregationem actualiter factam ipse indixit Concilium, & seruat, quod promisit, licèt non in tempore, debent Cardinales conquiescere ab vlteriori Concilij prosecutione. Primum probatur ex ijs, quæ notant Doctor. in cap. statutum de præben. in 6. vbi licèt per illum text. post mensem esset deuoluta facultas ad ordinarios conferendi beneficia in Romana Curia vacantia, si tamen Papa post mensem conferret, vel executores vigore literarum per quas grauatur ordinarius conferrent teneret collatio, quia per talem deuolutionem non est adempta Papæ facultas conferendi, & valebit eius collatio, si præuenerit ordinarium,
43 vt ibi. Et ad idem facit, quod notat. Antonius in capitulo secundo. De concessione præbendæ vbi dicit, quod nullus supplet negligentiam Papæ, nisi in casu d. cap. statutum. Et cùm hæc deuolutio fieri non possit nisi eius, vel legis auctoritate nulli dubium; quod penès eum eadem, vel maior remansit potestas, vt in cap. dudum de præben. in 6. Secundùm probatur ex notatis per Doctor. in cap. inter dilectos de excess. prælat. & per id, quod dicitur in cap. vt nostrum de appellat. & quod dicit Ludouic. in consil. 335. incipit circa primum, & Petrus de Anehar. consil. 54. videlicèt, quod per appositionem manus Papæ censetur taliter ad eum aduocatum negocium, quod quicquid fit per alium est nullum, & maximè, quando appositio manus Papæ fit ante perfectum negotium, quia tunc quicquid sequitur, est omninò nullum maximè vbi est decretũ irritans, vt est text. in cap. si eo tempore de elect. in 6. & est bona decim. 394. incipit item si lite pendente & est 10. in titul. vt lite pendent. & alia Fastoli 4. eodem titul. Nec obstat si di-
45 catur, quod ex negligentia dicitur perdidisse facultatem congregandi, maximè quia fuit multum notabilis per lapsum tanti temporis, argument. text. in cap. tibi qui de rescript. in 6. & cap. si Clericus, de præben. eod. lib. & in cap. capitulum de rescript. Quia respondetur, quod illa iura loquuntur in formulis datis, in gratijs, quibus est præfixus terminus, & nihilominus secundùm opinionem gloss. in dicto cap. si Clericus, quamdiù præbenda non est alteri collata, negligens potest illam petere, argument cap. si tibi absenti. Sic videtur in proposito, quod antequam sit congregatum Concilium, Papa etiam si fuisset negligens potuerit ipse indicere Concilium quia adhuc res erat integra, licèt tempus, quod sibi præfixerat esset ela-
46 psum. Potest dari alia solutio, quod quandocumque ex temporis lapsu inducitur quædam tacita renunciatio, tunc lapsus termini inducit priuationem, & causa ius deuolutiuum, in alium, vt in gratia, in qua assignatur tempus mensis ad acceptandum, vt in Clementina prima de concess. præbend. & dicit Domin. in d. cap. tibi, qui inducitur priuatio, & deuolutio. Item exemplum in tempore dato ad petendum bonorum possessionem, cuius lapsus inducit priuationem vlteriùs petendi, & operatur ius deuolutiuum, vt ponit Bald. in l. prima C. qui admitti in septima quæstione, vers. si vis saluare, & idem in iure conferendi iuxta, cap. nulla, & cap. quia diuersitatem de concess. præben. Secus vbi tempus non inducit tacitam renuntiationem, vt in lege prima, & ibi Baldus Cod. de restitutionem in integrum, & lege si

ego

ego ff. de negotijs gestis.

47 Sed obstat, quod per solam citationem dicitur iurisdictio præuenta, vt in l. si quis postea, ibi Angelus ff. de iudic. & in capitulo penultimo, de foro competenti, & l. vbi acceatum ff. de iudic. Facit quod dicitur in cap. relatum, & cap. gratum de offic. de l. & quæ dicuntur in cap. ex tenore de rescriptis cum ergo ipsi præuenerint in intimando Concilium, videtur quod intimatio posteà per Papam facta non possit eos impedire quominùs possint in loco, & tempore per eos statuto Concilium tenere. Quinimmò videtur, quod ista secunda intimatio facta per Papam, sit facta ad diffugiendum Concilium, tum quia indictum est per Papam in loco eis non tuto, vt dicunt tum ex longitudine temporis statuti ad illud tenendum, cum in dubio dilatio-

48 nes sint abbreuiandæ l. prima Cod. de dilat. capitulo significauerunt de restit. cap. frequens de restitut. spoliuum in sexto. Sed respondetur, quod tunc præuentio per citationem fundat iurisdictionem cùm citatio est valida, secus si est nulla, vt dicit Archidiaconus in capitulo non ita secunda quæstione sexta, sed cum non potuerint intimare, nisi priùs facta requisitione, vt supra dictum est eorum intimatio non fundat iurisdictionem, item præuentio habet locum in pari iurisdictione, vt in l. si pluribus ff. de legat. primò & in l. prima ff. de offic. consul. sed iurisdictio Papæ non habet, partem tertia quæstione prima §. patet, & dicto cap. licèt. Igitur cùm isti soli sine requisitione aliorum collegarum nullam habuerint facultatem intimandi, vt dictum est, nullam iurisdictionem fundauit prædicta eorum præuentio. Item etiam tunc demum habet locum præuentio, quando alius non fuit impeditus quominùs præueniret in exercitio iurisdictionis, vt Bart. notabiliter in l. si maritus ff. de adult. & Ludo. in singularibus in verbo iurisdictio, incipit vbi sunt duo. Item vbi Princeps vult actum explicare, non habet locum præuentio inter eum, & inferiorem, quia apponendo manus aduocat ad se omne negocium d. c. vt nostrum de appellat. maximè re existente integra, quia nondum est Concilium congregatum Ad id quod dicitur assignationem longioris temporis facere præsumi factum ad diffugiendum respondetur, quod si consideratur assignatio breuis per Cardinales facta, videlicet duorum mensium, apparebit quod non erat sufficiens ad tenendum generale Concilium vniuersi orbis, quia intra duos menses non poterat deduci ad notitiam omnium suffraganeorum per Prouincias existentium, & ipsi non habebant auctoritatem Patrum ad congregandum Concilium. etiamsi ad eos fuisset deuoluta facultas, eo quod volebant reformare caput totius Ecclesiæ, cuius rei iudicium est totius Ecclesiæ, vt in capitulo nemo nona quæstione tertia iuncto capitulo si Papa, quadragesima distinctione. Et ideò tempus statutum per Papam fuit conueniens ad Concilium vniuersale congregandum, in quem effectum misit multos egregios viros ad omnes Principes Christianos, & Prælatos Ecclesiæ, vt interesint. Quod non fecerunt ipsi, qui tantùm edictum posuerunt, cùm eorum non esset potestas citandi tantùm per edictum ad Concilium, vt latè dictum est supra, in forma citationis seruanda, maximè quia vocatio orum erat quædam requisitio, & non citatio, cùm non sint superiores, vt in cap. cùm nobis & ibi Doctor. de elect. & supra dictum, est. Ad id autem, quod dicitur locum non esse tutum, non oportet aliter respondere, quia locus Concilij debet esse tutus, & debet conueniri de loco tuto, iuxta notata in Clement. pastoralis in §. notorium de re iudic. & in cap. accedens il se-

49 cundo vt lit. non contes. Et si quia non assignatur locus tutus, appelletur, omnis processus posteà factus erit nullus, vt dicit d. Anton. in cap. licèt de elect. in sexta colum. & facit Clement. pastoralis de re iud. vbi videtur text. Quod nota pro monitorio facto Cardinalibus, vt debeant personaliter comparere, ipsis petentibus sibi assignari locum tutum, & ob non assignationem appellantibus, sed his respondetur, quod oblatus est saluus conductus iuxta d. cap. accedens, vt lite non contest. & vt non possint allegare, quod non teneantur se credere saluo conducto, vt d. cap. accedens oblata est fideiussio regum. Item cum ipsi fuerint in causa, vt solitæ eorum residentiæ locus non sit eis tutus, ipsis est imputandum l. si mulier ff. quod metus causa & dicetur infra in quæstione, an valuerit processus contra eos factus. Item interim non debent ipsi se intromittere de tenendo Concilio, donec fuerit deliberatum de loco.

50 Item ad illud, quod dicitur, quod ex lapsu temporis facta est deuolutio ad Cardinales priuatiuè, quia post lapsum termini Papa fuit priuatus facultate vlteriùs congregandi. Respondeo, quod illa iura, quæ allegantur in sua materia loquuntur in iure positiuo, quo Papa non abstringitur sicut in simili dicit Felinus de cap. fin. de instit. & de cap. per vestras, de iure patron. quod illa regula est data à iure positiuo cui Papa non subijcitur ita dicit in cap. 1. colum. 17. de constitut. Sic in proposito illa iura, quæ allegantur causare deuolutionem, sunt de iure positiuo, videlicèt, quod si collatio non fiat infrà sex menses sit ille priuatus, & deuoluatur ad proximum superiorem in d. cap. nulla de concess. præbend. ideò Papa non subijcitur illis. Quod & tenet ibi Anton. dum dicit, quod nullus supplet negligentiam Papæ. Item datur

51 alia solutio, contra quam non potest replicari, videlicet, quod nullibi reperitur iure cautum, si Papa non congregat Concilium, quod propter eius negligentiam deuoluatur facultas congregandi ad Cardinales, nec ad hoc tendunt Doctor. in hac materia loquentes, quia si hoc esset, iam transierunt tot tempora, quod non fuit tentum aliquod Concilium, quod ad quemlibet Catholicum esset facta deuolutio Concilij congregandi, nec esset opus facere vim in obligatione facta per Papam de congregando infra biennium. Et hoc ostendunt omnia iura in materia loquentia circa congregationem Concilij maximè dist.

dist. 17. in quibus numquam dicitur, quod ob negligentiam Papæ alius possit congregare Concilium. Sed Doctores qui voluerunt deuolutionem fieri ad Cardin. quando non congregat Papa loquuntur, quando Papa hoc facere detrectat malitiosè, & requisitus nõ vult congregare, & est necessitate cõgregandi, non quod causetur ad eos deuolutio ex Papæ negligentia, quæ deprehendatur ex decursu alicuius temporis, sed potiùs ex Papæ malitia, & dolo, quæ arguuntur ex indicijs, cùm post factas debitas requisitiones ipse cessat, vel non vult congregare. Et licèt dolus probetur ex perspicuis indicijs leg. dolum C. de dolo, tamen qui illum allegat debet ipsum probare, quia in dubio non præsumitur, quis dolosus, vt in leg. quotiens §. qui dolo ff. de dolo dicitur in cap. 2. post gloss. de renun. in 6. Et coniecturæ, per quas probatur debent esse indubitatæ, ita quòd animum Iudicis reddant certum secundùm Spec. in tit. de expensis §. fin. versic. tu autem. Et quælibet etiam leuis causa excusat à dolo, vt in leg. plagij la 2. C. de plagiarijs. Si dicatur, quòd constitutio frequens considerat negligentiam, responde vt supra dictum est. Ad secundum dubium, an licitè recesserint ab obedientia Papæ præfati Cardinales ostendit metus, qui iustè causat absentiam, & fugam, exemplo Christi, qui fugit à facie Herodis, & Pauli, qui à fratribus per murum demissus est in sporta septima quæstione prima, aduersitas, & cap. si iustus de appell. & ff. & C. quod metus causa per totum, & leg. interpositas C. de transact. Et excusat si est metus carceris leg. qui in carcere ff. quod metus caus. qui allegatur in edicto
52 eorum. Vbi enim probatur potentia alicuius, & mala eius consuetudo, est probatus metus Bartol. in leg. prima ff. quod vi aut clam. leg. de pupillo §. ipsi prætori ff. de noui operis nunc. vnde rectè quis fugit à facie venturæ iræ. Quòd maximè eos excusat, quia quærebant vt Concilium contra caput congregaretur 7. qu. 1. aduersitas.

Item quando Prælatus est simoniacus, notorius fornicator, vel non seruat canones, potest ab eo recedi & ei obedientia subtrahi, cap. nulli dist. 19. & 16. qu. vlt. sanè dist. 24. nullus dist. 32. nullus dist. 81. cap. si qui il 1. & in Papa est text. dist. 19. Anastasius. Si ergò Papa est schismaticus, vel hæreticus, nullus debet ei reuerentiam exhibere, quia in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur dist. 83. nemo, ergò similiter in notorio criminoso incorrigibili, & per quem scandalizatur Ecclesia, ad id est exemplum de Ioan. XII. à quo Cardinales non quia hæreticus, sed quia lubricus, & venator, & incorrigibilis erat recesserunt, & ipsum mediante Othone Imperatore deposuerunt, & Leonem ei surrogauerunt. Item potest resiliri ab obedientia eius, qui confingit schisma, vel hæresim absque eo quod illa prædicet 24. quæst. 1. cap. 2. in gloss. quia cum excommunicatis & similibus nec verbo, vel salutatione, vel in cibo est participandum 24. qu. 1. omnis & cap. miramur 11. qu. 3. excommunicatos, de except. cap. ab excommunicato de sentent. excommunicat., quòd in dubijs cum similibus. Vnde dicitur numer. 16. recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent ne inuoluamini in peccatis ipsorum 30. qu. 1. omnes 1. qu. 1. si quis. Sic etiam reperitur factum in Symmacho à quo omnes clerici hoc est Cardinales recesserunt propter crimina ei obiecta, vt in §. hinc etiam dist. 17. Nec obstare videtur, quòd illi recedentes, ex misericordia fuerunt ad sua officia, & beneficia restituti. Quia potest responderi, quòd illud fuit eo, quòd Symmacho obiecerant erat falsum, & de facto Symmachum Papatu spoliauerant, vt in §. item Symmachus 2. qu. 7. idem legimus, de Liberio, à quo tamquam ab hæretico Cardinales se separarunt facit 6. qu. vltima sanè.

53 Et quod à Prælato criminoso & hæretico sit recedendum, patet per multa iura 1. qu. 1. si quis 24. qu. 1. omnis & cap., quæ dignior 24. qu. 2. sanè de elect. cap. quia diligentia, de hæret. cap. excommunicamus §. credentes, & 24. qu. 3. clericis, & quæst. 1. cap. 1. & 1. qu. 1. non oportet, cap. non liceat. Et qui enim peccat, & qui peccanti consentit, vterque damnatur 24. qu. 3. qui aliorum 11. qu. 3. ita corporis, & cap. qui consentit dist. 83. quid enim. Vnde gloss. 2. qu. 1. notum, vult quòd tribus modis, quis consentit, scilicet cooperando, non corrigendo, non defendendo. Et quo ad simoniacos in ordine notoriè, & notorios fornicatores, quòd ab eis sit recedendum patet in §. verum dist. 32. & in cap. si quis à simoniacis 1. qu. 1. Et à Prælato notoriè criminoso crimine inducente suspensionem ipso iure quo ad se, & quo ad alios, quod possit recedi ponit Anton. in cap. vestra de cohab. cler. & mul. & Dom. in cap. sicut sacerdotes 2. qu. 7. & idem Innocen. in dicto cap. vestra & Hostien. & Ioannes Andreas in cap. per tuas il 2. de simonia, & in cap. 1. de schisma. Abb. & Moderni in capit. cum non liceat de præscript. & ibi gloss. Et gloss. in dict. cap. sicut sacerdotes 2. qu. 7. ponit 5. casus qui-
54 bus potest recedi à prælatis ante sententiam, videlicèt si sunt hæretici, vel excommunicati, vel non seruantes canones, vel simoniaci, vel notorij fornicatores, ad quod facit quod replicant Doct. in capitulo ex tenore, & in cap. fin. de temp. ordin. & in cap. sciscitatus, maximè per Abb. de rescript. Et idem quod gloss. in c. nonnè 8. qu. 4. refert, gloss. in dicto cap. non liceat & gloss. in cap. nullus dist. 32. & gloss. in summa 8. qu. 4. Et benè facit illud, quod examinat sanctus Thomas in secunda secundæ qu. 12. artic. 2. vbi ponit quod propter apostasiam Principis licitè ab eo recedunt subditi, & respondet ad plura exempla in contrarium adducta. Sic & à prælato non seruante canones licitum est subditis eius recedere, quando facit illud ex contemptu, vel quia non credit illis canonibus, vt dicitur in dicto cap. non liceat, & idem Abb. in cap. ego N. de iureiurau. Et posset deponi, vt ponit Imol. in Clement.

ment. 1. de ætate, & qualitate de quo per Archidiac. in cap. quicumque dist. 81. Ad quòd adde Imol. in cap. 1. de constitut. in fin. ibi vtrùm tunc requiratur monitio, & vide Alexand. in leg. ita stipulatus ff. de verborum obligat in 5. colum. Similiter, &
55 prælatus, qui amisit gratiam Papæ, potest euitari à suis subditis secundùm Abb. in cap. veniens de præscript. & ibi ponit alios casus in quibus licet subditis recedere ab obedientia Prælati. Et vide eum in dicto capitulo ego N. de iureiuran. vbi ponit, quòd ex solo contemptu deponitur quarta distinctione 5. hæc etsi legibus glossa in capitulo generali de elect. in sexto. Si crederet autem quòd Papa non haberet potestatem condendi canones, esset hæreticus, vt ibi.

Ex his videtur quòd si propter crimen notorium, videlicèt vltra hæresim, schisma, vel Apostasiam licèt recedere ab obedientia Papæ, multò magis hoc licebit in crimine, in quo reperitur incorrigibilis, & per quòd scandalizatur Ecclesia, quod parum differret ab hæresi propter contumaciam, vt dicit illa gloss. in dicto cap. si Papa, quæ crimina notoria, & scandalizantia allegantur in Cardinalium edicto. Ad quòd facit quòd Prælatus remouetur propter scandalum ab Ecclesia, vt in cap. nisi cum pridem de renunc. Archid. 7. qu. 1. cap. suggestum Abb. in cap. 1. de elect.

56 Sed in contrarium, quòd non sit recedendum à prælato criminoso ante sententiam in eum latam, facit text. in capitulo nonne, & ibi bona gloss. in summa 8. qu. 3. quæst. 15. vltima sciscitantibus 6. quæst. 2. si tantum, & cap. placuit, & maximè ratione scandali vitandi. Vndè, & Dominus noster Iesus Christus Iudæ corpus suum tradidit, de consecr. dist 2. cap. non prohibeat, & cap. sequ. ne generaretur scandalum contra Iudam. Item facit, quòd omnia illa iura, quæ sonant licitè recedi à prælato in certis casibus, de quibus in iuribus supra allegatis, loquuntur in inferioribus prælatis à Papa, in quibus est alia ratio, uam ab illis receditur, quando sunt criminosi in omnibus criminibus inducentibus ipso iure suspensionem quo ad se, & quo ad alios, vt dicitur in dicto cap. vestra de cohab. Cler. & mulier. & cap. 1. de schismat. & in cap. cum non liceat de præ-
57 script. & Dom. 2. qu. 7. sacerdotes. Hoc autem nullo modo accidit in Papa, qui ex nullo crimine est suspensus ipso iure à Papatu, nisi in casu hæresis, vt in dicto capitulo si Papa sæpiùs allegato dist. 40.

Quid dicendum? Dic quòd à Papa non est recedendum, nec ei obedientia subtrahenda, nisi in casu quo incidisset notoriè in hæresim iam damnatam, vt in terminis cap. 1. de summa Trinitate, & in similibus, & monitus non resipiscit, quia tunc non expectatur alia sententia, nisi declaratoria, vt in cap. cum secundùm de hæret. in 6. Et ideò quia est priuatus ipso iure Pontificatu, est minor quolibet catholico, vt dicit gloss. in c. Achatius il 1. 24. qu. 1. & tunc potest, & debet discedi ab eius obedientia quia non est Papa, Ita gl. 1. in cap. Anastasius dist. 19. quam omnes sequuntur, Archidiac. Dominicus, Ægidius, & Alexander ibi, & Felin. in cap. si quando de rescript. Non obstat quod dicit Abb. in cap. inquisitioni de sentent. excommunicationis vbi defendit Cardinales, qui discesserant ab obedientia Gregorij, & Benedicti, & dicit, quod reuocati non tenebantur comparere, quia turbatus fuisset status Ecclesiæ, & præsumebantur mala futura, & quod impediretur Conciliũ. Quod & posuit Ægid. cons. 97. & in Clement. ne Romani, & refero supra in quæstione principali, an Simonia per Papam commissa sit sufficiens causa congregandi Cõcilium in artic. an possit obijci contra electionem papæ quod fit meticulosè facta. Et de illo schismate inueterato, & electione loci ciuitatis Sauonæ facit mentionem Anton. de Butr. in cap. quod ad consultationem de re iudic. qui fuit vnus de missis ad concordandum de loco, cuius loci electionem priùs adprobauit Gregorius, postea autem pænituit vt ibi dicitur. Hoc autem quod turbaretur status Ecclesiæ & præsumantur mala futura, & impeditum iri Concilium, non est in casu nostro, in quo ex eorum comparitione non imminet aliquod periculum, nec mala futura timeri possunt, sed potiùs ex eorum absentia, per quam fit schisma, & quia Papa indixit Cõcilium, nec ab eis adhuc est congregatum. Inde etiam dicit Ioann. de Fan. in §. item Symmachus 2. qu. 7. quod Cardinales, qui discesserunt ante sententiam ab obedientia Papæ Vrbani 6. fuerunt schismatici. Et idem dicit Domin. in dict. cap. Anastasius etiam de Cardinalibus, qui discesserunt ab obedientia Gregorij XII. scilicet, quòd Cardinales, qui ante sententiam discesserunt fuerunt schismatici. Et idem replicat Ioann. de Anan. in rubr. de schism. qui dicit illos fuisse puniendos tamquam schismaticos allegat text. distinct. 17. §. hinc etiam, & subiungit referendo Domin. ibi, quod verbum ante tempus ibi positum potest referri non ad tempus sententiæ depositionis, sed quod intelligitur ante tempus, scilicet à iure permissum. Et sic quod vbi non expectatur aliqua sententia condemnatoria, vt est quando est notorius hæreticus de hæresi iam damnata, liceat recedere non expectata sententia, sicut quis potest à superiore recedere, quando est à iure notoriè suspensus, iuxta ea, quæ plenè notantur per omnes in cap. tua, & in cap. vestra de cohab. Cler. & mulier. secundùm Ioann. de Anan. & supra satis dixi. Sed quo ad Gregor. XII. fuit alius casus, quia fuerat tunc schisma inueteratum, & promissio iurata, & ideo Petr. de Anchar. in cons. 65. incipit pro declaratione, & idem Petrus de Anchar. in responsione facta ad Oratores Regis Franciæ in 5. char. in versic. per prædicta videtur] responsum, multum defendit illos Cardinales. Sed in Cardinalibus, qui discesserunt ab Vrbano videtur verùm, quod dicit Ioann. de Fant. quod non potuerunt discedere, ex quo nondum erat declaratum vtrùm illa electio fuisset nulla, super qua multæ fuerunt Doctorum

rum opiniones, & ideo stante dubietate non poterant recedere ab eius obedientia, & committere schisma eligendo Clementem, 2.qu.7. sicut Sacerdotes, & 8.quæst.4. nonne, vbi de hoc. Quinimò idem Domin. in §. Hinc etiam, 17.dist. dicit inducendo illum text. quod Cardinales, qui recesserunt à Ciuitate Lucana antequam Gregorius XII. fuisset depositus à Concilio Pisano, quod fuit anno 1408. fuerunt schismatici, quia non licet recedere ab obedientia ante tempus, etiam si Papa dica-
58 tur hæreticus. Ægi in §. hinc etiam 17. dist. dicit, quod Cardin. discedētes ante sententiam ab obedientia Papæ sunt schismatici, & ponit duos casus, in quibus licet discedere, videlicet in casu hæresis, quæ impingebatur Symmacho, & in casu scandali, quando propter crimen scandalizaretur Ecclesia. Sed in hoc vltimo dicit, aduertendum, quia in alio casu, quàm hæresis, non potest ferri sententia per quemcumque de Mundo contra Papam, 9. quæst. 3. cap. nemo, & dist. 40. cap. si Papa. Et ideò ipse exemplificat ibi de hæresi, dicat enim Papa quicquid vult, quod non placeat, non tamen poterit accusari, nec damnari de aliquo, nisi inciderit in hæresim, vt in capit. si Papa dist. 40. poterit tamen cum eo seruari forma tradita ab Hostiens. in capit. proposuit, de concess. præbend. Ità dicit Ægid. in dicto capit. Anastasius, & dicunt Doctor. in dicto capit. proposuit. Et oportet intelligere, quod hæresis, quæ
59 Symmacho obijciebatur, erat occulta; & ideò ipsi recedentes fuerunt schismatici, quia Symmachus fuit absolutus; sed Clerici, hoc est Cardinales, ex gratia fuerunt restituti. Et ideò dicit idem Ægid. in dicto capit. Anastasius, & refert Alexand. quod quando hæresis esset occulta, non esset recedendum à Papa, nec ei subtrahenda obedientia, & similiter in quocumque alio crimine quantumcumque graui, & notorio, sed tunc potiùs debebit moneri Papa per Concilium. Et assignat Ægid. ratio-
60 nem in cap. Anastasius, propter inconueniens, quod sequeretur, quia aliàs semper esset in posse subditorum contra Prælatum confingere hæresim, & dicere eum incidisse in hæresim damnatam, quod esset scandalosum, de quo est text. in §. hinc etiam distinct. 17. Congregatio tamen Concilio benè posset accusari de hæresi occulta iàm damnata, quæ posset probari, vt voluit Archidiac. Io. Andr. & alij in dicto cap. in fidei, de hæretic. in 6. & dixi supra, & illa probata tunc poterit subtrahi obedientia ab eo, immò & damnari de tali hæresi, si conuincitur, & pertinaciter persistit in suo errore, vt in capit. si Papa distinct. 40. & cap. dixit dist. 24. quæst. 3. & diximus supra. Et isto modo possunt defendi Cardinales, qui discesserant à Ciuitate Lucana subtrahendo obedientiam Gregorio XII. antè depositionem, quia constabat eis, quod Gregorius erat schismaticus, & confingebat multas causas, vt non congregaretur Concilium, & schisma tolleretur. Vndè quantumcumque antè non esset lata sententia, quia fortè videbant, quod Concilio iàm constabat de eius malitia, potuerunt licitè recedere: sicut dico quando iàm probata est hæresis occulta, quia, simul, atque est conuictus, res est effecta tàm clara, vt propter notorietatem hæresis appareat, quod desijt esse Papa. Et hoc videtur etiam velle Domin. in dicto §. hinc etiam, vbi saluando Cardinales dicit posse responderi ad illum textum in dicto §. hinc etiam, quod tempus ibi positum non refertur ad sententiā, sed intelligitur antè tempus à iure permissum, & ius permittit discedere, si superior est notoriè à iure suspensus allegat capit. tua, de cohabit. Cleric. & mulier. & quod
61 ipse dixit in cap. Nerui dist. 13. Vbi autem confiteretur suum errorem, & paratus esset corrigi, tunc non deponeretur, vt dicitur in capit. nunc autem dist. 21. & ponit Ægid. in cap. eiectionem dist. 79. & Aluarus de planctu Ecclesiæ in lib. 1. artic. 5. & dicitur in capit. in fidei, de hæretic. in 6. & Alexand. in dicto capit. si Papa in prima oppositione. Ad quod facit, quod dicit Bald. in leg. rescripta, C. de precib. Imper. offer. vbi dicit, quod Papa à nemine cogitur, etiamsi dicatur hæreticus, allegat cap. qua traditione distin. 22. Quinimmò plus vult Ægid. in dicto cap. Anastasius, quod in duobus schismaticis gerentibus se pro Papa non debet eis subtrahi obedientia, & ponit exemplum in schismate tempore Gregorij XII. & Benedicti XIII. qui, vt tolleretur schisma in Ecclesia recusabat viam cessionis, & omni conatu firmabat potestatem suam in Papatu, & per omnem viam, qua poterat, impediebat viam cessionis, propterquod Clerus, & populus, & Cardinales obedientiæ eius, & Reges Franciæ, & Castellæ cum Prælatis, & populis suorum Regnorum subtraxerunt se ab eius obedientia, & tenuerunt eum inclusum in suo Auenionen. Palatio. Dicit tamen finaliter esse cogitandum per id, quod dixit in cap. vnico, de iniur. in 6. & remittit se ad dicta in capit. in fidei, de hæret. in 6. & ad cons. 99. In quibus locis, vt supra retuli, videtur voluisse contrarium, & quod non posset cogi ad viam cessionis contra id, quod supra retuli de Concil. Petr. de Ancharan. 65. contra Gregorium XII. qui vult, quod Cardinales potuerunt ei subtrahere obedientiam, & ire ad Ciuitatem Saonæ. Quod etiam posuit Cataldinus in suis allegationib. factis pro Ioanne XXIII. contra Gregorium XII. in 10. char. versic.
62 sed hic occurrit. Et idem etiam, videlicet, quod Cardinales potuerint illis subtrahere obedientiam ponit Cardinal. in suo tract. posito in cap. licèt, de elect. in vers. alium & octauum modum. Et Petr. de Ancharan. in responsione ad Oratores Regis Franciæ, vult, quod ex quo Ioannes, Gregorius, & Benedictus erant schismatici, erant declarati per sententiam sacrorum canonum, nec requirebatur alia sententia hominis etiam declaratoria. Et respon-
63 det ad cap. cùm secundùm, de hæret. in 6. quod debet intelligi cùm in bonis est facienda executio. Secùs cùm in pœnam afficit personam. Nàm tunc debeo à persona

Nn simul,

simul, atque lata est sententia recedere, quia non requiritur executio facti, sicut in bonis. Et dicit, quod hoc voluit text. in capit. didicimus, cap. omnis, & cap. quæ digniot 24. qu.1. quia quamprimùm probatum fuerit eos esse schismaticos, talibus denegatur omnis audientia, cap. in nomine Domini dist. 23. Et ista faciunt ad ea, quæ in Papa hæretico infrà dicentur in quæst. vtrùm possit per Concilium deponi. Et ad prædicta adde Abbat. in capit. cùm non ab homine, de iudic. in 7. col. & Doct. in cap. peruenit, de appellat. & Felin. in cap. Rodulphus, de rescript. dùm dicunt,
64 quod quando delictum est notorium, non requiritur declaratoria; & ibi vide Dominic. in dicto cap. cùm secundùm. Et ex
65 præmissis patet, si tenemus opinionem Petri de Ancharan. Catal. & Cardin. quod etiam à Papa schismatico licet recedere, & illi obedientiam subtrahere, non solùm quando est notoriè schismaticus, sed etiam quando est dubium, quis duorum sit verus Papa, & per eos nutritur schisma, propter scandalum in fide; quia tunc schisma, quod nutritur antiquatum transit in hæresim, vt supra diximus, Et hoc etiam ad longum posuit Petr. de Anchar. in tract. de schismate in qu. 7. vbi probat, quod mixtura Cardinalium creatorum à non vero Papa non facit, quo minùs possint se retrahere, & se inuicem coniungere ad congregandum Concilium, vt compellantur ad sedandum schisma.

Nunc ergo redeundo ad propositum, vtrùm licuerit ipsis Cardinalibus discedere, & se subtrahere ab obedientia Papæ, ex quo non erat casus notoriæ hæresis, vel schismatis, vt supra? Et dicendum est, quod non. Ad quod facit illud Iudæ Apostoli; hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Indè & Bernard. sic est, inquit, omnis, qui ab vnitate recedit, nec dubites, quin ab eo recesserit spiritus vitæ. Ad hoc text. in capit. quemadmodum dist. 23. qu. 7. Cardinales enim sunt pars corporis Papæ, vt in capit. si quis cum militibus distin. 6. quæst. 1. & leg. quisquis, C. ad leg. Iul. Maiest. gloss. in cap. penult. de offic. legat. & in cap. felicis, de pœn. ibi Archid. & Io. Andr. Ideò non debent à capite discedere, quia omnia membra caput sequuntur, Zachariæ 13. de consecr. dist. 3. celebritatem. Facit authent. de Ecclesi. tit. in princip. de præscript. cùm non liceat, de ijs, quæ fiunt à Prælat. nouit. dist. 12. non decet. Et qui non habet Papam pro capite, non est vnum membrum de corpore mystico Ecclesiæ, nec Christum, qui est caput, habet pro capite.
66 Et à discessu nullus excusatur ignorantia, vel timore dist. 20. cap. si decreta dist. 12. qu. 2. qui & humanis, vbi de hoc notatur, & dist. 16. quod dicitis. Nec quisquam à Papæ obedientia recedens excusatur propter multitudinem, etiamsi totus Mundus discederet, vt in capit. multi in fin. dist. 2. quæst. 1. ibi non minùs ardebunt, qui cum multis ardebunt. Ità dicit Aluar. de planctu Eccles. 26. art. primi libri. Vnde patet,
67 quod à Papæ obedientia nullo modo est recedendum, & maximè vbi est vnicus indubitatus Papa, vt in proposito, quia antè sententiam non est ab eo recedendum, etiamsi esset hæreticus occultè, vt est text. in dicto §. hinc etiam, vbi Clerici, qui recesserant antè sententiam ab obedientia Symmachi restituuntur ex misericordia ad officia Ecclesiastica. Et hoc idem probatur per gloss. in summa 24. qu. 1. & in cap. Achatius eadem causa, & quæst. & dist. 11. quæst. 3. cap. cui, & de elect. cap. nihil. Sed vtrùm isti Cardinales dicantur obedientiam subtraxisse, ex quo huc vsque tantùm recesserunt, & Concilium intimarunt Papæ, & vt dicunt, cum reuerentia, vt superiori, si non procedunt aliter ad vlteriora
68 in hoc est vis. Existimo distinguendum, quod aut recesserunt timore ducti, non animo subtrahendi obedientiam Papæ, & clarum est, quod tunc excusantur per iura primo loco allegata, & licitè, ac sine pœna potuissent recedere à Curia, quia qui ex timore facit non dicitur facere 22. qu. 6. §. ex his dist. 57. cap. 1. de pœnitent. dist. 7. nullus, ff. de reg. iur. qui ex timore. Non obstat, quod dictum est, quod nullus excusatur ignorantia, vel timore, quia ibi est sermo de discedentibus ab vnitate Ecclesiæ delinquendo, & committendo in canones. Similiter non iudicarem eos posse dici subtraxisse obedientiam, si discessissent ad indicendum Concilij congregationem, tùm quia excusarentur propter promissionem eis in Conclaui factam, tum etiam, quia illi, qui coniurant de re licita, vel vt sint magis securi, non dicuntur subtrahere obedientiam. Ità Innocent. in cap. 1. de schisma, & refert Ioan. de Anan. in rubr. eod. tit. Et sic limito, quod dicitur
69 in leg. fin. ff. de collegijs illicitis, videlicet, quod subditi non possunt inter se inire fœdus. Dicit tamen Innocent. quod in dubio semper præsumitur contra coniurantes 11. qu. 1. cap. si qui Clerici. Faciunt, quæ dicuntur in capit. coniurationum 11. qu. 1. cum 4. sequentib. capit. Et etiam eos excusarem quantumcumque ad eos non spectaret conuocare Concilium, si modò id credebant sibi licere ratione negligentiæ, vt ostendunt in suo edicto, quia quantumcumque teneantur scire canones, & ignorantia eos non excuset, vt latè Doct. in capit. cùm in cunctis, de elect. & in Clement. 1. de ætat. & qualit. licèt per hoc peccassent, quia ex officio suo tenentur scire canones, vt 38. dist. cap. nulli, & cap. quæ ipsis, & capit. omnes, & dicitur per Cardin. maximè in dicta Clementina 1.
70 nàm & quilibet tenetur indagare, quæ ad eius spectant officium, vt dicitur in capit. innotuit, de elect. & in Clement. 1. de consanguin. & affinit. per Cardin. & maximè in arduis, vt ibi dicitur, quia præsumitur sciens, nec excusat ignorantia, non tamen dicerentur subtraxisse obedientiam, quia ille dicitur subtrahere obedientiam, qui facit signa subtractionis obedientiæ, necessario inferentia subtractionem obedientiæ, vt in cap. quæcumque ibi Domin. 30. distinct. Sed aduertendum est, quod discretio est mater virtutum, vt in capit. 1. de

offic.

offic. custod. & ratio est anima legis, leg. cùm ratio, ff. de bonis damnat. cap. ex eo, de elect. in 6. Vndè benè considerando isti non renuunt velle Papam pro superiore. Quapropter non propriè dicuntur inobedientes, vt patet in cap. grauem de excess. Prælat. Facit, quod plenè dicit Dominic. post gloss. 4. quæst. 1. in summ. Item etiam facit, quod ponit Bartol. in leg. hostes, in penult. quæst. ff. de captiu. & quamuis petant Concilium congregari, & dicant Papam reformandum, non ob hoc subtrahi-
71 tur obedientia, quia & superior per inferiorem aliquando arguitur, vt patet in §. item cum Balaam 2. qu. 7. & in capit. cùm Petrus, & cap. Petrus, eadem causa, & quæst. Item Paulus reprehendit Petrum, vt in capit. testes, §. item Paulus, & in capit. Paulus, & in capit. puto, eadem causa, & quæst. Sed multum facit contra Cardinales, quod si timore ducti diuertebant, & bono zelo ducebantur non debebant confugere ad Regem Franciæ, qui tunc erat apertus hostis Papæ, ex quo videntur incidisse in extrauagantem, qui rebell. sint Principi, vt in leg. 2. Cod. de desertoribus lib. 12. & in leg. amissione, §. qui deficiunt, ff. de cap. dimin. sed etiam, qui quomodo-
72 cumque aliquid machinantur contra honorem Principis. Similiter si quis non obediat Principi in concernentibus prosperitatem imperij, etiamsi sit rebellio contra personam ipsius Principis, & non contra imperium, omni casu dicitur rebellis, vt est text. in dict. extrauaganti qui sint rebelles, ibi contra nostrum honorem aliquid machinantur, & ibi Bartol. Vel saltèm
73 erunt transfugæ, quia qui mutando locum recedit de terris subiectis Principi, & vadit ad hostes rebellando, vocatur transfuga, vt ff. de pœnis, leg. si quis aliquid, §. transfugæ, & de captiuis, & postlimin. reuer. leg. postlimini. §. transfuga, & de re milit. leg. proditores, & ponit Bartol. in verb. tenore in d. extrau. qui sint rebelles.
74 Et rebellis largo modo dicitur omnis inobediens, siue sit in non obediendo quo ad causam, siue impediendo delegati iurisdictionem, cap. si quando, & cap. significasti, de offic. deleg. siue impediendo exequentes eius mandata iniustè, & violenter, cap. ex literis eod. tit. Vnde Domin. cap. fin. 38. distinct. dicit, quod ille dicitur rebelliter viuere, qui scienter, & contumaciter recusat facere id, ad quod de iure arctatur, quod inducit ad statuta. Bartol. tamen in dicta extrauaganti vult comprehendi omnes, qui cum essent subditi expressè rebellant principi, transfugiendo, & conuertendo se ad hostes, per l. proditores, ff. de re milit. Et in verbo rebellando dicit, quod dicitur de officialibus intelligitur de ijs, qui principaliter, & directè sunt pro principe, vt legati, & vicarij principis, non autem Reges, vel ciuitates, quæ ab eo habent iurisdictionem. Et si est rebellio contra rectores per Romanam Ecclesiam positos in Italia, erit locus constitutioni extrauagantis, vnde ipsi, qui contra terras Ecclesiæ se armarunt, satis comprehenduntur. Et sic erit rebellis, etiam ille, qui non paret iudici ipsius principis, vt dicitur in dicto capit. sanè, de offic. deleg. & in dicta extrauaganti, qui sint rebelles. Et benè faciunt dicta Cypriani ad Rogatianum, quæ refero in sequenti quæsito. Et quod rebellis dicatur ille etiam, qui non paret iudici bonus est text. in cap. ea quæ in §. 1. de statu Monach. ibi contumaces & rebelles, & in cap. 2. de nou. operis nunciatio. nam rebelles dicuntur illi omnes qui sunt in proterua, & notoria inobedientia, vt notat Angelus in l. 2. §. fin. ff. de iudic. allegat. gloss. in l. si certarum, §. fin. in gloss. fin. ff. de testam. militis, quæ modicum facit, loquitur enim in legato, qui reseruauit sibi primam vacaturam, & excommunicauit rebelles, vnde non declarat gloss. quis dicatur rebellis, sed potiùs ibi ponit rebelles pro contradictoribus. Vnde benè Bald. in l. si verò in §. quid ergo, vbi legit eamdem gloss. in dicta l. si certarum, dicit, quod verbum rebellis est vocabulum generale pro quolibet subdito contradicente facto, &
75 auctoritati superioris, ille autem qui non est subditus dicitur proditor, allegat Clement. pastoralis de re iudic. Attenta tamen vocabuli ethymologia, propriè ille videtur dici rebellis, qui post factam pacem iterum redit ad bellum, dicitur enim rebellio secundùm Decium in dicto cap. sanè il 2. de offic. deleg. quasi belli iteratio. Sed ista allusio vocabuli non propriè conuenit secundùm, quod capitur communiter à Bartol. & alijs, qui volunt hoc ipso, quod subditus est infidelis principi, & adhæret hosti dicitur rebellis, & verbum rebellando exponit ibi Bart. idest resistendo, & non obediendo. Et isto vocabulo numquam vtebantur antiqui legum cōditores secundùm quod dicit Bart. in dicta extrauaganti in verbo rebellis, sed est nouum vocabulum.
76 Vnde potiùs videtur dicendum, quod rebellis dicatur quasi reus belli, & quasi causa belli, & contra quem moueri debet bellum, cuius appellatione non comprehenduntur exititij, vt dicit Bald. consil. 67. in 2. vol. incipit Dominus Papa. Nec dicitur rebellis, nisi fuerit condemnatus, nec sufficeret sola confessio delicti, vt dicit Paulus de Castro cons. 30. incipit omisso ordine in fin. verbis. Et quod rebellio non dicatur quasi iteratio belli, probant plura iura, text in cap. fin. de præben. & in Clem. 1. in verbo rebelli, & in verbo inobedientes, & rebelles, de iureiuran. & text. 33. cap. vlt. & text. in c. vbi periculum, §. porrò, de elect. in 6. De quo in clausula contradictores, & rebelles, per Albericum in leg. fin. Cod. de edicto Diui Adriani tollen. vers. si autem aliquis contradictor. Aduertendum est, quod clarum esset, si Cardinales confugissent ad Regem, vt facerent circa bellum conditionem Papæ deteriorem, tunc eorum inobedientia cum adhæsione facta Regi, fecisset eos rebelles, quia essent inobedientes Papæ in concernentibus prosperitatem Papæ, & essent schismatici, licèt non strictissimè. Facit quod dicit Bartol. in
78 leg. si occisorum, ff. ad sylla. vbi sola scientia de machinationibus factis contra Principem, vel rempublicā, cui quis subest, facit

facit eum teneri de maleficio, leg. quisquam, C. ad leg. Iuliam maiest. Sed si confugissent ad terras Regis, vt essent magis tuti, tunc non dicerem eos rebelles, quia magna est differentia inter inobedientes, & rebelles, quod ponit text. & ibi Doctor. in cap. intra quatuor, de maior. & obedient. & probat text. in dicta Clement. 1. ibi inobedientes, & rebelles, quæ ponit vt diuersa, ponit Felin. in cap. si quis in col. 4. de maior. & obedient. quia inobedientia non concernit statum Principis, ideò non est propriè rebellio. Et ideò statutum lo-
78 quens de rebellione, non habet locum in inobediente, secundùm Anton. & Abbat. in cap. sanè il 2. de offic. deleg. secundùm quod refert Felin. in dicto cap. si quis. Et Abbat. in dicto capit. sanè, & Anton. ponunt differentiam inter contumacem, & rebellem, quia rebellio est cum aliquali resistentia, quod non requiritur in inobediente, vt dicitur ibidem in dicto capitulo sanè il 2. de offic. delegat. per Modern. & in dicto cap. intrà quatuor. Vndè consideratis circumstantijs posset probabiliter dici ipsos non subtraxisse obedientiam; quod maximè videntur ostendere in suo edicto, vbi omnia referunt ad sanctissimum Domi-
79 num nostrum. Non enim confugiens ad locum tutum potest dici rebellis, leg. præsenti, C. de ijs, qui ad Ecclesias confugiunt, cap. inter alia, de immunit. Ecclesiastica. Vndè ex sola fuga, nisi aliud appareret, ex quo minæ præcessent, & timor iustus inerat, non indicarem eos subtraxisse obedientiam. Et hoc tenet August. de Ancon. in libro de potest. Pap. qu. 25. art. 1. in responsione ad secundum argumentum, vbi dicit, quod multi resistunt præceptis Dei, & Vicarij eius, vel ex amore malè inflammante, vt aliquod temporale commodum consequantur, vel ex timore malè humiliante, ne super eos aliqua pericula, & incommoda inducantur, qui tamen schismatici non dicuntur, quia nec ab vnitate membrorum Ecclesiæ, nec ab vnitate capitis se diuidere ex animo intendunt. Et ista diuisio satis habetur per August. in libro de quæstionibus Euangeliorum. Si tamen verum est, quod aliqui ex eis etiam armati post conflictum Rauennæ cum exercitu Gallorum progressi sunt ad occupandum Ciuitates Ecclesiæ; & quod mouerunt bellum contra Rectores in dictis Ciuitatibus, & Castellanos per Romanam Ecclesiam ibidem positos, tunc per dicta Bartol. in dicto verbo rebellando, videntur non posse excusari ab aperta rebellione. Quando autem hæc subtractio obedientiæ fiat, vide quod latè dico infrà in proprio articulo.

Et ex his respõdetur ad tertium dubium quod non videntur dicendi schismatici, quia nullam scissuram in Ecclesia fecerunt. Vnde Augustinus contra Faustum ponen-
80 do differentiam inter schisma, & hæresim dicitur, schisma est eadem opinantem, atque eodem ritu colentem, quo cæteri solo congregationis delectari dissidio, inde Isidorus in libro ethymologiarum dicit nomen schismatis à scissura animorum dictum esse. Scissio autem vnitati opponitur; vnde peccatum schismatis dicitur, quod directè, & per se opponitur vnitati, dicit Beatus Thomas in 2. 2. quæst. 39. artic. 1. Idem etiam dicit glossa in capit. diligenti, de elect. est enim vocabulum græcum, vt ibi, & dicit text. in cap. schisma 24. quæstione 1. Schisma siquidem ipsum quod nomen græcum est scissuram sonat, sed in vnitate scissura esse non potest, non ergo vnitati communicat, qui schismaticis communicat, partes sibi fecerunt, & ab eo, quod vnum est semetipsos segregantes spiritum non habent. Cum ergo per discessum ipsorum Cardinalium adhuc nulla reperiatur illicita diuisio per inobedientiam ab vnitate Ecclesiæ, sequitur quod adhuc prædicti Cardinales non possunt dici schismatici. Aduertendum tamen est, quod quando quis se principaliter scindit à Papa, & ab Ecclesiæ vnitate nihil aliud contra fidei articulos asseuerans, tunc talis licèt possit dici schismaticus etiam strictè sumpto nomine schismatis, tamen à principio hæreticus non dicetur, quia ex eo solo, quod ab Ecclesia, vel à Pontifice se separat non videtur aliquid contra fidei articulos dicere, vel asserere, vt in hæresim prolabatur, potest enim velle esse diuisus, & tamen Ecclesiam vnicam confiteri. Et in hoc est differentia inter schisma, & hæresim, quia hæresis est quæ dicit peruersum dogma, sed qui se ab vnitate scindit adhuc peruersum dogma non tenet, quia non obstante discessu esse potest, quòd credat vnam Apostolicam Ecclesiam. Vnde Bal. in cap. licèt de electione dicit, quòd hæreticus, non credit in Ecclesia triumphanti, schismaticus verò non credit in Ecclesia militanti, sed qui credit, & tamen per superbiam intumescit, vt tyrannus, vel per ignauiam, vt asinus, vel per malitiam, vt vulpes, hic non est hæreticus, allegat capit. generali de electio. Posset tamen aliquo modo dici schismaticus.
81 Vnde prouerbiorum 6. per hominem apostatam glossa interlinearis intelligit schismaticum, ibi homo apostata, vir inutilis graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat, huic extemplò veniet perditio sua, & subitò conteretur, nec habebit vltra medicinam, sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes sanguinem innoxium, cor machinãs cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum, qui seminat inter fratres discordiam, &c.
82 Sed aduertendũ est, quod quia schismatici sui schismatis verbis, aut perseuerãtia causas quærunt, quæ nullæ esse possunt, nisi prophanæ, & ab Ecclesia condemnatæ, ideò postea temporis spatio schisma in propriam, & veram hæresim labitur, quia non potest suam scissuram verbis, aut factis defendere, nisi dicat, vel quod salus extra Ecclesiam possit esse, quæ conclusio ab Ecclesia est pro hæretica iam damnata 24. quæst. 1. capit. quoniam vetus circa fin.

vel

vel quòd possunt esse duæ vniuersales Ecclesiæ, contra articulum, & vnam sanctam Catholicam Ecclesiam. Vnde vereor si post intimatum concilium per S. Dominum nostrum, ad quem hoc spectat, se non subiecerint voluntati eius, & à suis cœptis non destiterint volendo à se ipsis Concilium tenere, & antipapam erigere, quod tunc erunt verè, & propriè schismatici, quia tunc quicquid fecerunt, ambitiosè factum esse ostenderent. Vnde Apostolus ad Colossenses, secundo inquit, inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei. Hoc autem caput est ipse Christus, cuius vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex, & ideo schismatici dicuntur, qui subesse renuunt
83 summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant. Ita beatus Thomas in secunda secundæ quæst. 39. art. 1. in corpore articuli. Et qui non habet Papam pro capite non habet Christum pro capite, vt in capitulo nolite 11. dist. & 12. dist. quis nesciat vigesimaquarta quæstione 1. quicumque 92. distinct. qui cathedram 1. quæst. 1. in Ecclesia de pœn. dist. 3. si quis autem de spon. duorum cap. vltimo dicit Aluarus de planctu Eccles. in lib. 1. art. 24.

Quinimmò licèt Hostiens. in rub. de schismat. dixerit illos, qui se diuiserunt à capite, si aliud caput sibi non constituant potiùs dici acephalos, & malos, quàm schismaticos, 18. quæst. 2. Abbatibus, & referunt alij Doct. in rub. & in cap. 1. eod. tit. tamen Cardinal. ibi dicit, quòd immò, ex quo nullum supra se agnoscunt, & consequenter à Romana Ecclesia dicuntur diuisi, tales dicuntur schismatici. Et licèt Ioann. de Ana. voluerit saluare Hostiens. in eo, qui non recognoscit caput Episcopi, sed caput Ecclesiæ Romanæ in proposito non tuetur Cardinales, quia ipsi separant se à Papa, qui repræsentat Ecclesiam, & consequenter sunt schismatici. Vnde August. de Anco. in lib. de pot. Papæ q. 25. artic. 1. in fin. dicit quòd schismaticus is est, qui sponte, & ex animo per manifestam rebellionem se subtrahit ab vnitate Ecclesiæ tam capitis quàm membrorum. Et idem Augu. in 26. quæst. art. 1. in fin. dicit, quòd non sufficit in Ecclesia seruare congregationem, vel vnitatem membrorum, sine vnitate capitis, immò hoc ipso, quòd tyranni vniunt sibi membra Ecclesiæ & diuidunt ipsa ab vnitate, & obedientia capitis, cui simul cum eis deberent subijci, schismatici sunt. Vnde Cyprianus in Epi-
84 stola ad Papam Cornelium dicit, neque aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, nisi inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus Iudex Vice Christi cogitatur.

Et si agerent ad creandum antipapam, tunc essent strictissimè schismatici cum admixta hæresi, quia ex quo niterentur sibi constituere aliud caput in Ecclesia peccarent in illum articulum fidei, & vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, quia illam scindere quærerent, vt vide Ioann. And. & Abb. post eum in cap. at si clerici in 15. column. in princ. de iudic.
85 Vestis enim Domini, quæ fuit inconsutilis remansit indiuisa. vt per eam designaretur vnitas Ecclesiæ 16. quæst. vlt. cap. sicut Domini vestimentum ponit gloss. in dicto cap. quia diligentia, & dicit idem Aug. in prællegata 25. qu. in princ. & ideò non fuit scissa, sed sorte data, vt patet Ioann. 19. Et hoc est quod dicit tex. in cap. inter hæresim 24. qu. 3. dum dicit quòd à principio schisma diuersum ab hæresi esse potest, cæterum nullum schisma est nisi sibi aliquam hæresim confingat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur. Vnde Cyprianus in epistola ad Rogatianum inquit hæc sunt initia hæreticorum, & ortus, atque conatus schismaticorum malè cogitantium, vt sibi placeant, præpositum superbo tumore contemnant, sic de Ecclesia receditur, sic altare prophanum foris collocatur, sic contra pacem Christi, & ordinationem, atque vnitatem rebellatur. Et quòd illi, qui renuunt subesse Romano Pontifici, qui caput est vniuersalis Ecclesiæ, dicantur schismatici, est tex. in cap. non vos 23. quæst. 5. & 24. q. 1. hæc est fides, & cap. quoniam vetus 12. dist. præceptis. Inde etiam cùm 10. tribus relicto Rege suo à tribu Iuda, & Beniamin. scissæ sunt alium sibi Regem constituentes, Dominus dedit illas in perditionem, vt legitur in 3. regum, & est tex. in cap. denique 7. quæst. 1. Et cùm vir quidam Dei ad eos missus esset, qui futuram punitionem prædiceret, panem apud illos edere prohibitus est, quòd cùm non custodisset, diuina sententia inde rediens à Leone deuoratus est 1. quæst. 1. cap. si quis inquit 7. q. 1. denique. Inde etiam Core, Dathan, & Abiron, cum complicibus, quia Moysi duci Israel, & Aaron summo Sacerdoti obedire noluerunt tamquam schismaticos terra viuos deglutiuit legitur numer. 16. & in cap. licèt de elect. & cap. non afferamus 24. q. 1. De quo vide epistolam Cypriani ad Magnum, vnde transumptiuè est dict. cap. denique. Nec obstat tex. in dict. cap. denique 7. quæst. 1. in fin. vbi dicit Core, Dathan, & Abiron, non commisisse schisma. Quia in vtroque loco supplet, videlicèt tale, quale Nouatiani, qui nouam Ecclesiam constituerant.

Et non solùm schismatici censentur, quia subiectione Romani Pontificis faciunt se alienos, & subesse recusant, sed, & qui membris Ecclesiæ Romano Pontifici subiectis communicare recusant 24. quæst. 1. schisma, Quòd patet ex definitio-
87 ne posita per Ioann. de Ana. in rub. de schisma. cùm schisma nihil sit aliud, quàm illicita discessio eorum, inter quos vnitas esse debet, seu illicitus ab vnitate, vel vniuersitate discessus. Et hanc etiam definitionem posuit Raymundus in summa in tit. de schisma. Vel breuius, est illicitus ab vniuersitate, vel vnitate discessus. Datur & alia definitio, quæ fuit Hostien. quod est illicita diuisio per inobedientiam ab

vni-

vnitate Ecclesiæ facta 24.quæst.1. aduocauit. Et ista vltima conuenit respectu inobedientiæ, & diuisionis à capite. Vnde patet ex præmissis quod nisi præfati Cardinales acquiescant indictioni Concilij factæ per Papam, vnà cùm Collegio Reuer. Cardinal. ipsi ostendent velle apostatare ab Ecclesia Romana, seque diuidere ab ipsius vnitate. Et si rectè consideretur tex. in ca.vnico de schisma.in 6. fuit longè minor reatus, & culpa in Petro, & Iacobo de Columna, qni nihilominùs fuerunt declarati schismatici, quàm ipsorum Ecclesiam impugnantium,si ipsi non desisterent, & niterentur creare Antipapam, nam in in proposito omnia, quæ circa conuocationem Concilij nunc fiunt per Papam, fiunt cum sacro Collegio Cardinalium, & ideò benè aduertant, nè quicquam contra attentando,faciant se alienos, & schismaticos, cùm ex his appareat nullam apud eos esse tenendi Concilij, sine capite vero auctoritatem,sicque seipsos vniuersalis Ecclesiæ hostes,non tenentes ipsius vnitatem, se cõstituerent 24.q.1.alienus.Immo & Barbaris peiores forent 1.qu.1. nonne 24.qu.1. non afferamus. Ipsi enim sciunt Romanam Ecclesiam à Domino ipso primatum obti-
88 nuisse 22. dist.cap. sacrosancta. Ad quam Petri sedes ex Antiochia iubente Domino translata est 24.q.1.rogamus. Quæ caput est omnium Ecclesiarum l.4.& 5.C.de summa Trinit. Quæ principatum obtinet nationum 2.q.7. Beati Petrus, & bonus tex. in cap. quamuis 21. dist. Quam Principes Apostolorum omnibus alijs vrbibus in vniuerso mundo tam sua præsentia, quàm venerando triumpho prætulerunt, eamque glorioso sanguine Martyrij Christo Domino consecrarunt, vna die passi,vt pro merito ad Christum pariter peruenirent, in vno loco,ne pro gloria alteri Roma deesset, sub vno persecutore, vt pro parili virtute æqualis crudelitas vtrumque perstringeret vigesima secunda distinctione cap.sacrosancta cap.fundamenta de electione in sexto & dict.cap.beati. Quam in hanc gloriam prouexerunt, vt sit gens sancta,populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia, per sacram Beati Petri Sedem caput totius orbis effecta, vt in dicto cap.fundamenta. de electione in sexto. Cur autem muneris Ecclesiastici sacramentum Dominus in Beato Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocauit,nisi,vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet dict.cap.fundamenta, & dicto cap. sacrosancta, & ne quisquam ab ipsius Petri, & Pauli societatis vnitate seipsum separare auderet 24.q.1.quicumq: Postquam igitur Papa, cum sacro Cardinalium cœtu in hac sacratissima ciuitate Concilium indixit, si quid vltra attentauerint dicti Cardinales, euidenter ostendent se velle ponere sedem ad aquilonem, & fieri similes Altissimo, eritque eorum conuentus non Concilium, sed conciliabulum, & Satanæ conuenticulum, & ipsi veri schismatici, decimaseptima distinctione cap. multis. Et istis adde illa,quæ dicuntur infra in illo articulo vtrùm Papa possit accusari quod sit schismaticus.

Nunc quo ad quartum videtur, cùm simus in vno indubitato Papa, & processus sit fundatus super notorietate delicti,quòd sine aliqua obseruatione terminorum Papa potuerit procedere ad declarandum eos schismaticos. Et primò, quia in processu,
89 qui fit per Papam non est opus seruare ordinem iuris tex.& ibi Doct.in c. in causis de re iudic.item tex.in l. 1. in verbo destruit,& in verbo de plano ff. de constitu. princ. Præterea in processu Principis non requiritur citatio,dummodò iusta causa subsit, dicit Bal.in l.2.in princ.C.quomodo, & quando iur. per notata in l. is, qui reip.causa abest post gloss.ff. ex quib. cau. ma. Et valet sententia Principis parte non citata, dicit Bald.in l.ne causas C.de appel. Et maximè vbi Papa procederet de plenitudine potestatis, vt voluit Innocen. Hostien. & Imol.in cap. in nostra, de procurator.quia valebit processus parte absente. Secundò, quia in facto notorio, vt voluit Calde. in repe. c. vestra de coha. cleri. & mulier.in 8.char.referendo Innocentium, & Hostien. in cap.tua eod. titulo,licèt non constet Iudici,vt Iudici de notorio,si aliàs factum est notorium, tenet eius sententia irreuocabiliter quamuis non sint factæ probationes super notorio, cùm igitur in proposito agatur de facto notorio, multò minùs requiritur citatio. Item dicit Bal. in rub. qui feudum dare pos. & in proœmio in vsibus feu.quod Papa debet fauore vniuersalis Ecclesiæ, id est Romanæ ferre sententiæ contra tenentes bona Romanæ Ecclesiæ ipsis non citatis de plenitudine potestatis, quod ponunt Doct. in cap. olim de re iudic. & videmus in die Iouis sancto, quando legitur bulla cœnæ Domini, vbi omnes excommunicantur. Et quòd
91 sine citatione, & aliqua perturbatione super notororio possit procedi, tex.est clarus in cap. bonæ el 1,de elect. & ibi Abbas in tertio, & quinto notabili. Et de ordine iuris super notorio est tex. in cap. ad nostram el 3. de iureiur. vbi etiam si aliquis
92 iurauit seruare in omnibus causis ordinem iudiciarium, non tenetur seruare in notorijs. Ad idem glos. in l. ictus fustium. ff.de ijs, qui notant. infa.& glos.in l. 1. C.qui, & aduersùs quos. Specu.in tit.de expensis §. fi. in. fin. Oldra. consi.18. vers. ad quartum, secunda quæstion.1. manifesta, ibi Domin.& glos. in cap.cùm olim de re iudic.& Bal.in l.cùm fratrem.C.ad sylla. & idem in l.postquam liti in 4. column. C. de pac.Ioann.Andr.in c.1.de litis contest. in 6.& tex.cùm gloss.c.super eo de testim. cogen. Et Innoc.in c.cùm in tua, qui matri.accusa.pos. & post.Inno.Doct.communiter in cap.vestra de coha cleri.& mulier. Innoc.in cap.ex parte de verb.sig.Car.in cap.veniens in 4. oppo. de fi.presby.Doct. in cap.fin.de re iudic.in 6.cùm simil.Noto-
93 rium enim non indiget probatione, sed sufficit allegare, & proponere illud, vt in Clem. appellanti in gloss. de appel.cap.2. ibi Ioan.Anton.vt lite non contes. Bal. in dicta l.1.C.qui, & aduersùs quos l.si verò §. qui pro rei qualitate ff. qui satisda. cogan.

gan.l. emptorem ff. de actio empti. Lapus allegatione 1. Notorium si quidem est il-
94 lud, quod ante oculos situm est, vel est veritas in mentibus hominum ita radicata, quòd euelli, vel eradicari non potest, & in reliquijs permanet. Item eius termini, conscientiam iudicis non fallunt, nec fallere possunt, dicit Bal. in l. ciues. C. de appel. Et vbi est notorium ibi non est disputatre, sed disputatum esse dicit Bal. in l. 1. C. quomodò, & quando iut. Et ideò sufficit illud allegare, nec est necessè excipere vel probare, vt ibi dicit, vt in dict. l. ciues post gloss. in authen. qui semel C. quomodo, & quando iu. Et maximè in proposito, vbi ipsemet Papa dicit, & affirmat sibi constare de notorio. Ex quo Abbas in dict. cap. ad nostram, dat Iudici pro cautela, vt pronunciet crimen notorium, quia etiam si non esset notorium valebit processus ordine non seruato, ex quo procedit tanquam super notorio, allegat Clemen. pastoralis, & ibi etiam hoc ponit in primo nota. de re iudic. & glosf. in verbo declarato, ibi. Facit quod notat Innoc. in cap. tua de coha. Cler. & muli. De citatione
95 quòd non requiratur, habetur in cap. cùm olim de re iudic. & in cap. bonæ el 1. ibiq; notat Abb. de elect. & in l. 2. §. quod. si de frumentaria ff. de administra. re. ad ciui. pertinen. & in dict. l. ictus fustium, & vtrobique per Bat. Et Inno. in cap. quanta de translat. Prælat. & in capit. cùm sit Romana in §. fin. de appel. Et Apostolus excommunicauit Corinthium absentem, & non citatum, vt dicit tex. in dict. cap. cùm sit Romana de appella. Et vbi constat absenti nullam competere defensionem, in notorio non requiritur citatio, quòd dicunt Doct. in locis præallegatis, & Car. in dicto cap. cùm olim, & in cap. proposuit de appel. & in cap. reprehensibilis in prin. & in gloss. 3. eod. tit. Et sic procedit quod dixit Innoc. in dict. cap. quanto, & idem Inn. in capitulo ex insinuatione de appel. & Archi. in cap. quæ Lotharius. 2. q. 1. & tex. in cap. venerabilem de elect. & in c. bonæ el 1. eodem tit. vt dicit Abbas Siculus in dict. cap. cùm olim in 7. col. de re iudi. & Doct. omnes maximè Car. in dict. cap. vestra.

96 Sed ad hoc respondent d. Cardinales declarati quod licèt aliàs Papa, & Imperator etiam in delictis grauioribus possint ferre sententiam in absentem, vt ponit Ange. in l. reos. C. de accusa. tamen non possunt ferre sententiam contra omnino non citatum, vel contra citatum ad locum notoriè non tutum, dicit Angelus in l. si accusatoribus, C. de accusa. & idem Ange. in l. Princeps legibus ff. de ll. Dicuntque non esse verum, quod dicit Bal. in l. nec causas. C. de appell. quinimò ipsemet Bal. dicit contrarium in l. fin. C. de ll. & Ange. in d. l. Princeps Legibus, & legistæ communiter in l. si quis arbitratu ff. de verbo. obli. per Modernos, & Canonistæ in cap. 1. de causa possess. & propr. & tex. & glo. in l. his, qui reipublicæ causa abest, loquitur in priuilegio, & non in sententia, vt dicitur in d. l. si quis arbitratu. Item dicunt dicti declarati schismatici, & excommunicati quod quo ad censuras non potest emitti citatio etiam in notorio, vt not. Ange. in d. cap. vestra in 38. colu. & duabus seq. & Doct. communiter maximè Abb. in 7. colum. in cap. cùm sit Romana de appell. & idem Abb. in consi. 33. incipit iudex in 1. volu. & idem Abb. in d. capit. cùm sit in fi. de appel. Et saltem videtur debere præcedere vna monitio, seù citatio ad audiendū sententiam, vt sic limiteetur tex. in capit. sacro, qui requirit trinam de sen. excom. vt dicit Dom. in cap. 1. in 4. col. de offic. de lega. in 6. & dicitur in capit. 1. de iudi. maximè per Feli. & Abb. in 20. colum. ibi. Et ratio huius est, quia excommunicatio fertur etiam propter contumaciam 11. qu. 3. Episcopi, ponit Alexand. in d. capitulo, cum sit. Et quod dicitur quod Apostolus excommunicauit Corinthium absentem, & irrequisitum, supplet glos. Anto. & Doct. ibi, quod non fuit requisitus per edictum peremptorium, quia non requiritur edictum peremptorium necessariò, sed bene anteà fuerat admonitus. Vel dicendum est eum tunc non fuisse requisitum, sed anteà sic per Apollinarem Apostoli discipulum. Item
97 etiam generaliter in notorio non debet omitti citatio, quia nullum est maleficium tàm notorium, vt non possit habere excusationes, siue circumstantias occultas excusantes secundùm Ioann. An. & Anto. in c. 2. de dila. & glo. in cap. bonæ el. 1. de elect. & in cap. cùm dilectis. de purga. cano. & dicit. Inno. in d. capi. vestra, & in cap. tua de coha. cler. & mulie. & Milis multùm notabiliter in verbo notorium an excuset. Ad idem est quod dicitur in cap. porro, de diuor. in glo. & in cap. 1. de causa possess. & propriet. & in dicto capitu. ad nostram, & glos. in l. fin. ibi Bald. C. de legibus, & tex. in clemen. Pastorali de re iudicata, vbi annullatur processus ex defectu citationis quantumcumque processum esset tanquam super notorio. Quinimò plus probat ille tex. quod quantumcumque Imperator interlocutus fuisset esse notoria, super quibus procedebat, nihilominus annullatus fuit processus ex defectu citationis. Et sic contra dictum Abbatis in dicto capitulo ad nostram, de quo supra. Nihil enim est tam indubitatum quin recipiat quamdam sollicitam dubitationem, vt in authen. de tabellionibus, circa medium constitutionis. Et Deus omnipotens noluit punire peccata Sodomorum quæ erant manifesta, & notoria sine citatione, dixit enim, descendam, & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me opere compleuerint, vt in capitulo Deus omnipotens 2. quæst. 1. & in capitu. qualiter, & quando, de accusa. & Genes. 18. vbi notat Nico. hoc dici non quia Deus indigeat tali inuestigatione, sed vt doceantur per hoc iudices non sententiare, donec diligenter veritatem inquisiuerint. Et hoc replicat glos. magna in extrauaganti rem non nouam, quæ vult quod licèt in notorijs non sit iuris ordo vsquequaque seruandus, tamen in citando, & sententiando omitti non potest allegat. dictum capitulum ad nostram de iure iuran. & 2. quæst. 1. in primis, & de diuor. cap.

por-

porrò. Et per istud Genesis 18. vbi dicit quod factum erat notorium, & tamen Deus priùs voluit probare, quàm iudicare. Probat etiam à simili. confitens præsens, qui habetur pro citato, per confessionem facit factum notorium, capi.fin. de cohabi. cler, & mulie. & tamen remanent in eum partes iudicis in sententiando, vel preceptum dando licèt non in cognoscendo ff. ad le.aquil. proinde ff. de iudi. l. si debitori. Et illa
98 glossa latè disputat in illa extrauagāti, an Papa possit procedere contra aliquem sine citatione, & subtili disputatione concludit quod non. Ad idem adducit illud Genes. quarto, vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Quod & ponit Archi. secunda quæstione prima, capitulo quæ Lothatius, vbi vult quod quando proceditur contra certam personam semper in notorijs requiritur citatio, & ita dicit seruare curiam. Et idem sentit Calde. in d. capit. vestra in nona charta, vbi ait quod quando proceditur contra certam personam etiam in notorijs requiritur citatio licèt fortè secus, quando proceditur contra aliquam vniuersitatem, tunc enim vt ait, tenet sententia in notorijs etiam sine citatione propter periculum, & ità sæpius seruat curia. Et de hoc latiùs Doct. in capitulo cum olim. de re iudi. & Bart. in l. ictus fustium ff. de infami. & in dicto capitulo
99 vestra maximè Cardinalis. Qui respondet ad capitulum cum olim, & ad dictum capitulum quanto de translation. prælator. quod ibi constabat iudici nullam defensionem posse competere, quo casu etiam Abbas in dicto capitulo bonæ el primo in quinto notabili vult non requiri citationem. Et de his in consilio Aretini 165. & sparsim in pluribus locis per Doct. Ad idem est quod similiter legitur de Adam Genesis tertio, cuius peccatum antequam Deus puniret, vocauit eum, & audiuit defensionem eius. Pro hoc etiam facit quod ex quo istud allegatum notorium erat excusabile, non poterat in eo procedi sine citatione ipsorum Cardinalium, hoc apertè ponit Areti. in dicto consi. 165. in tertio articulo secundo dubij, ponit Areti. in dicto capitulo vestra in 12. quæsito quod etiam intelligit Aretinus non solùm in sententia dispositiua, sed etiam in sententia declaratoria, de quo dicetur infra. Quinimò etiam si fuissent citati, non tenebantur comparere propter locum eis notoriè non tutum, quia vt dicit ipsemet Papa in Clem. pastoralis, de re iud. desipetet, qui saperet huiusmodi citationes arctare cit. & ib. hoc beneponit gl. in verbo notorio, & Card. & Imo. & Doc. in cap. ex parte el primo de appella. Nolentes enim accedere ad Ecclesiam timentes, ibi, impressionem in actu electionis possunt petere à capitulo, vt statuatur locus tutus, & idoneus, in quo timeri non possit, & si secus fiat, potest appellari, & erit casus, in quo etiam extra ciuitatem, & extra Ecclesiam celebrari poterit electio, & in quo maior pars tenetur ire ad minorem, vel saltem in loco tuto diem præfigere. Ita dicit Abbas in cap. bonæ el primo, in secundò notabili de elect. Et satis est ad iustificandam appellationem si probetur, quòd verisimiliter timebatur impressio, nec oportet quòd probetur impressionem fuisse sequutam, vt dicit ibidem Abbas post glo. in dicto capitulo bonæ. Vndè cùm esset in proposito impressionis timor realis circa actus conciliares gerendos cōtra Papam, & personalis, non potest dici quòd tenerentur mittere procuratorem iuxta tex. & dicta in cap. quia propter de elect. & dicit gloss. in verbo metuebant, & Abbas ibidem in dicto capit bonæ, quod & ponit alia glossa, ibi in verbo securè. Lo-
100 cus enim iudicij debet esse tutus cap. cùm dilecta de confirma. vti. vel inuti. capitulo venerabilibus. §. secus de senten. excommu. in sexto capitulo accepimus de fide instru. capit. cùm personæ de priuileg. in 6. gloss. in cap. hortamur tertia quæstione nona gloss. penul. in Clementina appellanti de appel. & Ludo. in l. si verò §. de viro 11. fallen. ff. solu. matrimo. Anton. in cap. vestra coloni. de coha. cleric. & mulie. Et vt dicit Card. ibi in d. cap. ex parte, quia quando quis est citatus, & locus non est tutus propter guerras statim poterit appellare coram honestis viris, & ita intelligit Hostiens. ibi etiam absque eo, quod aliter excipiat, vel de nullitate agat ob locum non tutum. Et est vtilius, quia faciliùs iustificatur appellatio, quàm deducatur nullitas principaliter, & quàm probetur exceptio. Et dicit ibi Innocent. Anton. & Cardin. & Imol. in verbo liberè, supplen. idest priùs non opposita exceptione. Et dicit Imol. Curiam de stylo ità seruare, vt concedat literas in causa appellationis interpositæ propter locum non tutum, etiamsi de exceptione opposita nō appareat, quasi non sit necesse exceptionem opponere antequàm appelletur; & ità tenet Io. Monach. in capit. concertationi, de appellat. in 6.
101 Quinimmò ex quo quis citatur ad locum manifestè non tutum, etiam absque eo, quod appelletur, vel excipiatur citatio est ipso iure nulla, vt dicta Clementina Pastoralis in §. notorium, Bartol. & Imol. in leg. de ætate, ff. ad Trebell. & Anton. in dicto cap. vestra col. 38. Sicut & citatio notoriæ nulla non arctat citatum, in capit. querelam, de procur. in leg. quæsitum, ff. de re iudic. & dicit Innocent. in cap. præterea, de dilat. Et quod non sit necessaria exceptio, ponit etiam Bartol. in leg. fin. in col. 3. ff. de in integrum restit. allegat leg. sciendum, ff. de legat. primò, quæ nihil facit. Et Oldrad. in cons. 43. incipit quæritur, & Abbas, & alij in capit. 2. de dilat. & gloss. in verbo notorio in dicta Clement.
102 Pastoralis, in §. notorium. Et dicitur locus non tutus non solùm habita consideratione ad locum, in quo proceditur, sed etiā ad locum, per quem debet accessus haberi puta guerrarum, vt dicit Anton. de Butr. in cap. accedens el secundo, vt lite non contest. Et idem ratione personæ ad quam debet iri, vt dicunt Doct. in capitulo si iustus: de appell. ponit Immol. in dicta Clementina pastoralis in notabilibus: ponit exemplum Barb. in dicta l. fin. de crudelitate tyranni, de seditionib. Ciuitatum, de sedu-

seductoribus. Nec sufficit quòd sit tutus procuratori, si causa est grauis, vel si quis citatus est, vt personaliter compareat. Nec etiam sufficit si sit tutus ei, & non procuratoribus, si causa non est talis naturæ, vt in ea cogatur interesse personaliter, quia nullus tenetur interesse personaliter, si nolit, vt in l. fin. de procurat. & in cap. 1. de iudic. in 6. & dicit Hostien. Bald. Immol. & Abbas in dict. cap. ex parte, & refert ibi Alex. Idem Immol. & Alex. in dict. l. de ætate ff. ad Trebel. & bene gloss. in verbo fautoribus in Clement. 1. de foro compe.
103 Quinimò plus probat ille text. in dict. Clement. in §. notorium, quod ex hoc solo quod citans habet odio citatum, dicitur citatus, non tutus, etsi nec excipiat, nec appellet, citatio erit nulla. Similiter si ciuitas, ad quam citatur prosequitur odio citatum. Similiter si citans habet grandem exercitum, qui potest offendere citatum, dicitur talis citatus ad locum non tutum, vt in dict. §. notorium, & gloss. ibi, quæ allegat Specu. de citatione, §. 1. versic. item quod citatio. Quis enim in proposito dixisset eis vt comparerēt, si locus non tutus, si persona terribilis, si magnus exercitus? nonne quemlibet etiam constantem hæc terrerent, certè plusquam iustus est metus dict. cap. si iustus. Vnde dicit Bald. in cap. 1. qui feud. dare poss. in 7. columna
104 quòd metus est infirmitas voluntatis, consilij vulnus, animæ tristitia, voluntarij, & inuoluntarij permixtio, & res libertati contraria. Imò etiamsi offeratur saluusconductus non tenetur quis se committere sub saluoconductu, vt dicit ibid. Ioann. de Immol. in dict. Clement. Pastoralis, & text. & Doct. in dict. cap. accedens, & gloss. in verbo securè in cap. statutum, §. cùm verò de rescript. in 6. & gl. in dict. cap. ex parte, & ibi Doct. & Immol. in l. nam quod, §. non omnis, ff. ad Trebel. maximè vbi agitur causa capitalis, vt dict. §. non omnis. Angelus in l. 2. §. quod diximus, ff. si quis caus. & de materia latissimè per Angelum in disputatione Bononien. & Sal. in l. reos. C. de accusat. & in l. cum indulgentia. C. de sententiam pass. & Doct. post Bar. in l. is, qui reus, ff. de public. iudic. & Alberi: in 4. parte statutorum, quæst. 39. incipit quæro etiam aliam quæstionem, & addi. ad maleficia Angeli in verbo fama publica. Vnde Gibellinus, etiam cum saluoconductu non erit tutus, vbi regunt Guelphi, vel è contra, dicit gloss. in verbo non audens in dict. c. statutum, in §. cùm verò. Imò etiam si
105 culpa citati sit effectum, vt locus non sit ei tutus, non propter hoc tenetur comparere, quia magis inspicitur iustitia, vel veritas, quàm delinquentis fauor. de excep. c. cum inter, ff. de minor. l. Papinianus exuli de concess. preben. cap. quia diuersitatem. Ita dicit Arch. & Ioan. Andr. & Domin. in
106 dict. §. cùm verò. Et vbi oportet appellare, quia non datur accessus tutus ad iudicem, admittitur appellatio in absentia, dict. cap. si iustus. Et extra locum actus exercetur, quando in loco non est tutum, vt in Clement. quamuis de for. compet. in cap. statuimus de offic. delegat. in 6. Et ideo Papa approbauit coronationem factam de Henrico Imperatore extra vrbem propter timorem Regis Roberti, dicit Paulus de Liazarijs in dict. cap. statuimus. Et quod non tenerentur comparere facit ad propositum Consilium Bellameræ 16. incipit factum est tale, vbi consuluit, quòd Episcopus Auenionen. citatus à Papa, vt sequeretur eum Genuam, non tenebatur
107 ire, quia non erat illi tutum. Quinimò quando citatio est nulla, siue notorie iniusta, licèt aliàs notorium regulariter nō releuet ab ordine saltem illud proponendi, vt d. gloss. in d. Clem. appellant. l. si adulterium cum incestu, §. idem Pollioni, ff. de adult. tamen. releuat hoc casu propter notoriam iniustitiam, vel nullitatem citationis, etiam resultantem, quia facta est ad locum non tutum. Ita dicit Butrius, & Immol. in cap. 2. de dilat. & idem. Butr. in dict. cap. vestra in vlt. columnn. de coha. Cler. & mulier. Et bene Felin. in cap. cùm ordinem in 16. columnn. de rescript. vbi respondet ad diuersitatem notoriæ suspitionis iudicis, & citationis ad locum non tutum: ad quam diuersitatem respondet
108 etiam Alex. in dict. cap. ex parte. Etsi dicatur, quòd citatio arctabat ipsos schismaticos etiam ad locum non tutum propter eorum demerita, & notoriam subtractionem obedientiæ, quia illa regula, quòd citatio ad locum non tutum, non arctat citatum, non habet locum quando locus non est alicui tutus ratione delicti ipsius citati, ne delicta remaneant impunita secundùm Bald. in l. omnes, in vlt. columnn. C. de Epis. & Cle. Respondent præfati declarati schismatici, quòd nondum ipsi erant declarati delinquentes, nec ante cognitionem delicti debebant citari ad locum non tutum, quia eorum delictum non erat notorium per sententiam, vel confessionem, vel facti euidentiam, vt dicit gloss. in cap. ex parte el 1. de verbo. signif. & ponit Immol. in dict. Clem. Pastoralis in princ. in quinto notabili, qui vult quod iudex, vt possit procedere super notorio debet ante omnia per sententiam interlocutoriam declarare illud esse notorium. Non enim fuerant reperti inflagranti crimine notorij facinoris, vt posset contra eos absentes non legitimè citatos procedi ad sententiam, vt dicitur in cap. quanto de translat. Prælat. & ponit Innoc. in cap. cum olim de re iudica. & Hostien in cap. statuimus de offic. dele. in 6. & refert Immol. in dict. Clem. Pastoralis in §. cæterum in 2. oppositione.
109 Vbi autem non est certum, quòd in facto notorio non competat defensio absenti, semper debet fieri citatio, vt dicit Abb. & Felinus in 10. columnn. cap. cum olim de re iudic. & idem Abb. in consilio 68. incipit quamquam. Quinimò licèt Papa se fundauerit super notorio eorum delicto, non per hoc, quod non erat notorium fuit
110 factum notorium. Et ideo quando Superior in sententia fundat se super notorio, & non est notorium, eius sententia retractatur, vt dicit Specul. in tit. de notorio, §. 1. post princ. ponit. Paul. Card.

& Immol. in dicta Clementina pastoralis, vbi videtur text. de hoc. Et vt præiudicet sententia interlocutoria super, notorio à qua non est appellatum tamquam contra ius litigatoris, oportet declarari qualiter sit notorium, an iuris vel præsumptionis, vel facti, an actus continui, an transeuntis, an interpollati, cùm aliter procedatur in vno, quàm alio, vt in capitulo vestra, & in capitulo tua de coha. clericorum, per Innocent. & Hostien. & in Specul. in tit. de notorio, §. 1. & fin. Ita dicunt præfati Doctores: in dicta Clement pastoralis. Iuxta quod etiam dicit Anton. in dict. cap. vestra in 48. column. quòd quando procedit iudex tamquam super notorio aliter non seruato iuris ordine, si illud in rei veritate non est notorium processus erit nullus. Quinimò glosf. illa notabilis in dicta Extrauaganti rem non nouam, mouet quæstionem in versiculo item quæro secundò, aliquis per Papam est citatus, & subest causa depositionis, sed de ea non constat confessione, vel alia probatione, deponitur, an depositus possit de iure petere rescindi dictam sententiam, & ibi per plures notabiles rationes concludit, quòd talis sententia debet rescindi. Et ibi etiam respondet ad id, quod posset obijci, quòd Papæ potuisset constare, secretò, quod non
111 sufficit. Prçterea non est credendum verbis narratiuis Papæ volentis aliquem priuare & non posset, nisi probata culpa, vt dicit Abb. Sicul. in Clem. 1. in fi. de probat. per tex. in c. 1. de feudo sine culpa non amittendo, vbi dicit. Bald. quod quando agitur contra aliquē, qui ratione culpæ venit priuādus, semper est necessaria declaratio culpę. Nec dicendi sunt declarati schismatici esse notoriè culpabiles, & notoriè subtraxisse obedientiam, cùm enim à principio se receperint Florentiam, ambiguum erat, an vellent subtrahere obedientiā, necne. Quando autem factum, super quo dicitur resultare notorium est dubium, semper debent super illo recipi testes, ff. qui satisdar. cogan. l. si verò, §. qui pro rei ponit Innoc. & Hostien. in d. c. tua de choa. Cler. & mulier. refert. Cald. in reper. cap. vestra, & Dom. c. manifesta in fin. 2. q. 1. & dicitur in cap.
112 si peccauerit, §. fin. & cap. Deus Omnipotens, §. si quando 2. quæst. 1. Quinimò etiamsi parte absente proceditur tamquam super notorio debet probari factum notorium, vt voluit Anton. in dict. cap. vestra in versic. vbi autem proceditur in absentem, & probat text. in l. hæc autem, §. 1. ff. ex quibus cauf. ma. Si enim non constat iudici, vt iudici de notorio, vel ipse ignorat notorium, processus erit nullus non facta priùs probatione super notorio, vt ponit Petrus, & Cyn. Bald. & Angelus in l. ea quidem. C. de accusat. & Angelus in repet. l. si vacantia. C. de bonis vacan.
113 Et licèt Anton. in dicto cap. vestra in fin. voluerit quando iudex procedit per inquisitionem ex officio, quòd credatur iudici asserenti notorium factum, per ea, quæ dicuntur: in cap. qualiter, & quando de accusat. tamen contraria sententia videtur verior, quam ponit. Salic. in dict. l. ea quidem in quinta quæst. per glosf. in cap.
114 ad nostram de iureiur. quæ vult, quòd siue iudex ignoret notorium, siue sciat notorium in alio loco, quàm in sua prouincia, vel loco sui iudicij, non præsumitur cognitum iudici, vt iudici, & ideo semper debet probari, ponit Bald. in authen. qui semel. C. Quomodo & quando iudex, & Aretin. constit. 165. Quis autem sciebat vtrùm Cardinales recepissent se Florentiam magis timore ducti, quàm vt aliquid contra Papam machinarentur. Hoc enim erat in eorum animo, & ideo probat iuramento proprio, vt in cap. si verò de sentent. excommunic. & in cap. statutum, §. cùm verò de rescript. in 6. & in cap. vt circa de elect. cod. lib. cum concordant. in glosf. dict. cap. si verò. Accedit quòd vbi Papa attestatur, vel narrat aliquid non à se, vel coram se gestum, tunc illud attestatur, de quo recipit fidem ab alio, qui non videtur sufficiens ad probandum aliquid gestum in præiudicium alterius: probatio
115 enim in præiudicium partis non potest recipi contra partem, nisi ipsa citata, vt in cap. 2. de testim. Ideo non plenè standum videtur tali assertioni, quia talem defensionem non potest tollere Papa, vt in Clem. pastoralis de re iudic. Ita dicunt Moderniores in capit. cùm à nobis de testi. & fuit opinio Cald. & dict. Anton. in cap. post cessionem de probat. & in cap. fin. de succcss. ab intestat. ponit Ioan. And. in regula non licet in mercu. Quinimò Abbas in dicto cap. cùm à nobis, videtur vo-
116 luisse quòd nisi simus in ijs, in quibus Papa habet supremam potestatem, vt in beneficialibus, & spiritualibus, vt in Clementina prima vt lite penden. in præiudicium alterius non creditur assertioni Papę per ea, quæ ponuntur in cap. in omni negocio de testim. Quicquid sit illud non negatur à Doctoribus, quòd in ijs, quæ sunt in præiudicium tertij, non creditur Papæ ad plenam probationem, si narrat factum super quo se non fundat, nec à se, vel coram se factum attestatur, vt latè dicunt glosf. & Doct. in dict. Clement. 1. de probat. & Card. consil. 98. incipit Papa vniuit, & Abbas in cap. dudum circa med. de priuil. quamuis enim ex illa attestatione præsumptio resultet, non tamen plena probatio, cùm in illo facto decipi ab alio potue-
117 rit. Et licèt si Papa dicat sibi constitisse de certo crimine alicuius, & propterea illum ipso iure priuatum beneficio, quod mandat alteri conferri, non possit probari contrarium, quòd videlicet de iure non inducitur priuatio ipso iure, quia non reperitur à iure expressum, vt voluit Petr. de Anch. in cons. 338. incipiēte vltra alia, quasi tunc Papa declarauit factum dubium iuris, bene tamen admittetur quis ad probandum contrarium factum, videlicet crimen non per illum, sed per alium fuisse cōmissum, vt dicitur in d. Cle. & in d. cap. cum à nobis, & Abb. in d. cap. dudum de priuil. & in Clem. 1. Vnde præfati declarati dicunt se velle ostendere causam discessus, & timoris, & quod à iure non denegatur
118 eis. Et quantumcumque Papa asserat esse

noto-

notorium, quod nulla possit tergiuersatione celari, & Doctores, maximè Innoc. in dicto capitulo vestra, & Bald. in dicta l. ea quidem, & Angel. in dicta l. si vacantia, & Card. & Abb. in d. cap. cùm olim de reiudic voluerint quando notorium non potest inficiatione fieri dubium, puta, quia est notum omnibus, quod tunc ferri possit sententia parte non citata, cap. euidentia, de accusat. tamen, vt ipsimet volunt, si eo casu pars non citata velit probare se habere excusationem legitimam debet admitti, & probata excusatione sententia erit nulla. Et plus voluit notaba-
119 liter Milis in verbo notorium, id est ipsa qualitas notorij, quòd licèt ipsa qualitas notorij possit probari parte absente, vt voluit Dominus Anton. in dicto capitulo vestra, in secunda colum. etiam ipsa non citata secundùm eumdem Anton. ibi in 46. colum. versicul. numquid in notorijs, quia talis probatio est modici præiudicij, quia fit ad finem, vt iudex possit tamquam in notorio procedere ordine non seruato, tamen probatio ipsius facti, quod notorium dicitur non potest ad finem condemnandi definitiuè fieri non vocata parte, quia vt ipse Milis dicit, hoc nullo iure caueret, nec aliquis Doctor hoc dicit, & si qui dicerent malè dicerent, quia diabolicũ esset dicere, quòd vbi necessaria est probatio, illa possit
120 fieri parte non vocata etiam ad pęnam Capitalem, quia hoc esset tollere defensionem, quæ non potest per legem humanam auferri per d. Clemen. pastoralis de re iudic. quod etiam replicat idem Milis in verbo notorium quotiescumque. Semper enim vbi potest competere defensio etiam in notorijs necessaria est citatio, vt in capitulo cum sit Romana in fin. de appellatione, & ibi Abb. in pe. notabili, & idem Abb. in capitulo 1. in 2. colum. de causa possess. propriè, & in cap. bonæ el 1. in 4. colum. de electione. & in capitulo cùm olim in 6. & sequen. colum. de re iudic. & in cap. causam, quæ in colum. ad fin. de rescript. & consil. 68. incipit quamquam in 2. vol. & in d. cap. vestra propè fin. de cohab. cler. & mulier. Et probatio quòd factum sit notorium, requiritur, vt latè dicit Card. in d. cap. vestra in 2. quæsito glos. & Doct. in d. cap. bonæ el. 1. de electione. Nec refragatur, quòd Papa narret, quòd eorum delictum ita erat notorium, quòd nulla poterat inficiatione celari, & quod propterea nulla requirebatur probatio, vt in cap. euidentia de accusat. in cap. cum dilectis de purgat. 2. can. & in c. manifesta; quæst. 1. cap. fin. de cohab. cler. & mulier. cap. ad Apostolicæ, §. & vt ad præsens de re iudic. in 6. et dixi supra proximè. Quia quantumcumque sit talis notorietas, quæ non possit tergiuersatione celari, omninò secundùm aliquos citatio requiritur, vt dicit glos. in d. cap. cùm dilectis allegat. 24. quæst. 3. de illicita, & Anton. ibi. Tamen sine dubio illud est verum postquam constat esse notorium, quod tergiuersatione non potest celari, at hic de notorietate tantùm ex assertione constat, de qua quia aliter non constat requiritur probatio, vt supra dictum est.

Nec similiter refragatur, quod Papa loquatuor. de plenitudine potestatis, & suppleat defectus, quia text. in d. Clem. pastoralis in §. cæterum, vult quod non sufficiat ista suppletio de potestatis plenitudine contra eum, qui non fuerat citatus, vel citatus ad locum non tutum, vel cui poterat competere defensio, & non fuit auditus.
121 Nam clausula ex certa scientia, & de potestatis plenitudine non tollit defectus naturales, in l. 2. C. de seru. & in cap. intra quatuor de maior, & obed. Et generaliter in ijs, quæ non dependent à potestate Papæ, non supplet clausula ex certa scientia, vel de potestatis plenitudine, vt in pluribus locis replicat Abbas. vt in cap. quę in Ecclesiarum de const. vlt. colum. & in cap. cùm à nobis 2. col. de testib. & in Clem. 1. de probat. & in cap. cùm inter de excep. Et licèt dec. 230. (incipit Papa, quę est in tit. de cons. vtil. vel inutilis velit, quòd Papa ex certa scientia confirmando gesta per Legatum, & supplendo omnes defectus videatur suppleuisse omnem solemnitatem, videlicet partis vocationem, & alia solemnia, necnon substantialia, videlicet potestatem legati, & veritatem causarum, non contrariatur prædictis, quia licèt suppleat defectum citationis illo casu, est quia illud dependet à mera potestate Papæ, quia loquitur in vnione facta per Legatum de Ecclesia sine dismembratione, quia beneficia sunt ei manuaiia,. & vnit, & dismembrat etiam parte non vocata, vt in Clementina prima vt lit. pen. iuncto cap. illa ne Sede vacan. & in capitulo sicut de excess. prælat. Facit quod dicitur in dicto cap. cùm olim de re iudic. quando rescriptum est gratiosum, in quo
122 non requiritur vocatio partis, vt ibi dicitur. Et quod dicitur ex certa scientia, idem est quod de plenitudine potestatis, ęquipollet enim clausula ex certa scientia, & clausula de plenitudine potestatis, vt dicit Abb. in cap. cùm inter de excep. & in cap. cùm olim de re iudic. & Bald. in l. eos C. de appel. gl. in cap. ad hæc de rescrip. Sic ergo clausula non potuit auferre defen-
123 sionem dictis declaratis. Nec processus Papæ ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, valet contra non citatum etiam subditum, vt dicit Abb. in d. c. cum olim, & in cap. primo in 2. colum. de causa possess. & propri. per d. Clemen. pastoralis, & Bald. in l. fin. C. de ll. & in proœmio feudorum, 12. colum. Quod, & ponit Aretinus in d. consil. 165. quod est notabile consilium in simili materia, cui subscripserunt multi clarissimi Doct. vt dicit Felin. in d. cap. cùm olim in 12. colum, quod semper allegatur in materia, & vidi postea ad illud consilium haberi recursum per Dominum Ioannem de Campegio, & Dominum Iasonem in quadam simili causa illorum de Ballionibus de Perusio. Quod verum est etiam si procedat tamquam super notorio, quia vt dicit Abb. in dicto consilio 68. in fine, & in consilio 33. in primo volumine per Capitulum consuluit de appellation.

multa dicuntur notoria, quę in veritate non sunt notoria.

Nec obstat, quod dicit Ægid. in decis. 411. quòd denunciatio non requirit partis citationem per cap. venerabilem in versiculo obiectioni ergo, de election. Quem text. refert allegatum per Gregorium XI. indùtum pontificalib. in Capella, Iacobo de Cesena Aduocato suo fiscali ad corroborationem processuum tunc per eum publicè factorum in die Veneris sancta contra Florentinos, excommunicando personas, ac ciuitates, & loca supponendo interdicto Ecclesiastico. Qui etiam, vt dicit Ægid. allegabat aliud, videlicet, quod super notorio procedebat, & aliud allegat Ægid. quòd causa suberat per Capitulum Romana, §. penultimo, & cap. dilecto de sentent. exexcommunic. in 6. Et in conclusione dicit coadiuuare potest plenitudo potestatis etiā sine iniustitia, cùm vera notorietas supponitur. Ex quo apparet, quod loquitur non in sola notorietate asserta, sed in vera notorietate, & causa iusta, de quibus constabat, & sic in casu vbi erat notorium inexcusabile. Et sic intelligit illam decisionem Felinus in d. cap. cùm olim in 12. colum. Et sic intelligitur d. Anton. in d. cap. vestra, dum vult quod in declaratoria cùm proceditur super notorio, non requiratur citatio, qui allegat cap. reprahensibilis de
124 appellat. vbi Hostien. & Ioan. And. dicunt quòd in sententia declaratoria super censuris non requiritur citatio, quia debet intelligi, quando est notorium inexcusabile. Et ita procedit text. in cap. venerabilem de elect. ita intelligit Abb. qui hoc dicit in cap. peruenit de appellat. cum remittit se ad limitationem, quam ipse po-
125 nit in d. cap. vestra circa fin. Vnde quando notorium est excusabile, siue non, siue in condemnatoria, siue in declaratoria, requiritur semper citatio. Et ita etiam concludit Aretinus in d. consil. 165. in 11. colum. & Felinus in cap. Rodulphus circa fin in ver. intellige secundò de rescrip. allegat Abbatem in simili in cap. accepta de restit. spoliat. Et ita dicit intelligi Car. in cap. extirpandæ in 7. col. de præb. & Im-
126 mola, post Guliel. in cle. præsenti de censi. Inexcusabile autem factum dicitur blasphemia, transitus sine Papæ licentia ad aliam Ecclesiam, & his similia, post quorum notoriam perpetrationem non conuenit excusatio, vt dicitur in d. cap. tua. Quod non erat in proposito, quia non erat notorium eur dicti declarati se continuissent Florentiæ. Item in casu illo potest responderi ad decisionem illam, quòd procedebatur contra occupantes, vel detinentes iniustè res, & bona Romanæ Ecclesiæ, & qui procurauerant ciuitates Ecclesiæ ab ea deficere, & iniustum bellum contra Ecclesiam mouerant, quo casu, vt Hostien. in d. cap. cùm olim, & refert Abb. ibi in pen. col. potest ferri in absentem sententia non dato libello, nec lite contestata. Et quod ea de causa fuerint interdicti Florentini testatur Platina in vita ipsius Gregorij. Sic etiam Spoletani qui, de facto occupabant certam terram, fuerunt excommunicati ba Vrbano, quod, & sequitur Bald. in proœm. feudorum in 12. columna, & Ludou. in singular. 678. & in l. 1. C. de hæredi. instit. & Marianus Sozzinus in rub. de dilat.

Sed ad præmissa replicant præfati nouiter electi Cardinales, quòd bene, & formiter fuerunt declarati, quia priùs moniti, & lapso termino non resipiscentes declarati, vt constat per bullas monitoriales, & declaratorias: aiuntque vera fuisse omnia, quæ in illis narrantur, & falsum esse quòd allegant, se non fuisse citatos, cùm ex sequentibus ea vera fuisse clarissimè demon-
127 stretur: ex sequentibus enim etiam præterita declarantur, vt in cap. per bellicam 34. quæst. 2. 33. quæst. 1. requisisti l. si qui, C. de adult. cap. scribam ibi glossa de præsumpt. Nam origo Rebellionis contra Dominum nostrum ex nulla processit probabili causa, sed ex nuda ipsorum voluntate: cum enim debuissent eum cum alijs Cardinalibus sequi Bononiam proficiscentem ad comprimendos hostes Ecclesiæ, ipsi Florentiæ se continuerunt, quo tempore nulla adhuc suberat causa suspitionis, aut timoris: quod non ad aliud fecerunt, quàm ad Papam inuoluendum tunc in mortis articulo constitutum, & retrahendum eum ab incœpto: & vt rem illi difficiliorem facerent, discedentes de Florentia sequuti sunt partes inimicorum eius, & Concilium ex abrupto intimarunt, nullo modo priùs ipso, vt illud congregaret, requisito: illudque Pisis postmodum tenere tentarunt, monendo, & citando sanctitatem eius, & pertinaciter asserendo illud esse verum Concilium, quamuis sine voluntate Papæ, & Collegij Cardinalium fuisset congregatum. Ex quibus liquidò ostenditur notoria subtractio obedientiæ, sicut & ex perseuerantia in tenendo Concilio, & procedendo contra Papam, vsque in præsentem diem, vnde apparet illud esse notorium facti continui. Nam vt dicit Spec. & Cald. & refert Anton. in cap. vestra, & sequitur Card. ibi, notorium facti continui est, cum quis persequitur Dominum suum, cui promiserat fidelitatem, vt in cap. venerabilem de elect. & cap. grauem, de exces. Prælat.
128 Et licèt Anton. in cap. vestra, videatur impugnare hoc exemplum, quia actus iuramenti non est continuus, & factum persecutionis non semper potest esse, nisi in aptitudine, tamen in proposito cum adhuc stet Concilium, non potest esse quin dicatur notorium facti continui, quia quamuis factum persecutionis non semper sit in esse actuali, tamen in proposito cum vsque ad finem vitæ ipsius Papæ durauerit ipsa persecutio, & tenuerint Conciliabulum, & adhuc non cessent pertinaciter asserere ipsum esse verum Concilium, & legitimè congregatum, est notorium facti continui non solùm aptitudine, sed in actu continuo. Est enim istud aliud genus persecutionis quàm armorum tantùm, quæ non sem-
129 per sunt in actu, sicut hoc. Accedit quod dicit Bald. in l. cum fratrem, C. de ijs quibus vt indignis, quod bene potest esse notorium

torium permanens licèt actus aliàs in se
non sit permanens. Per hoc est quod di-
cit Ioann. Andr.& refert Anton. in penult.
chart. in dict.cap. vestra. Et si hoc non
esset notorium facti continui, posset
etiam obijci exemplo, quod ponit Anton.
quod Turris Asinellorum est in porta
Rauennati, quod ipse dicit esse noto-
rium facti continui, & tamen non sem-
per erit porta Rauennas, nec Turris Asi-
nellorum, etsi continuò stat turris, & por-
ta, & tale notorium per seipsum conserua-
tur. Sic & persequutio continuò stetit, &
stat conciliabulum, & licèt non sit perpe-
tuò mansurum, nec singulis horis fiant
sessiones, tamen per seipsum conseruatur,
& ita potest dici actus continuus perse-
quutio ista continuata, quæ non tantùm
est in mente subditi continuò à persequu-
tione non desistentis, sed etiam est in actu
locus Concilij, sicut est Turris Asinello-
130 rum. Facit præterea quod illud etiam
dicitur continuum, quod non semper se
exhibet oculis hominum, vt in l.si quis ita
legauerit, & ibi Bart. ff. de condit. & de-
monstr. l. ex facto. §. rerum, ff. de hæredit.
instit. l. 1. §. quotidiana, ff. de aqua quo-
tid. & æstiua. Similiter posset obijci exem-
plo communiter posito à Doctorib. in dict.
cap. vestra, videlicet quòd clericus deti-
netur in carceribus, vt in cap. dilectis de
appellat. quando carceres publicè se exhi-
bent oculis omnium, vel quod clericus in
aliqua Ecclesia facit residentiam, licèt enim
non semper in Ecclesia moretur, tamen
est notorium facti continui secundùm Do-
minum Anton. ibi in dict. cap. vestra. Et
sic Papa in suo monitorio attestatur deli-
ctum eorum fuisse notorium facti perma-
nentis, quod nulla poterat tergiuersatione
131 celari. Ex quo patet quod Papa potue-
rit iudicare de eo, quod erat notum vt no-
torium, licèt notorium non fuerit aliter
in actis probatum, & allegatum, vt est
text. & ibi notat Abbas, in 4. notabili in
cap. dudum el 1. de electio. cùm tale no-
torium facti permanentis non idigeat pro-
batione, sed sufficit, quòd allegetur, so-
lum enim istud est illud, quod releuat ab
onere probandi, sed secus in notorio iu-
ris, vel notorio actus transeuntis, quæ re-
quirunt probationes, vt dicitur in dict.cap.
manifesta 2. quæst. 1. & dict. cap. sicut de
re iudic. & dicit Abbas in dicto dudum.
Item allegant, quod paulò ante cum mo-
rarentur Florentiæ, nec adhuc aperuissent
animum suum, Papa benignè interpella-
uit eos, vt conferrent se Bononiam præ-
terea, quæ occurrebant cum ipsorum, &
aliorum collegarum consilio agenda. Vn-
de etiam si alia non fuisset facta monitio
poterat contra eos procedi tamquam super
notorio sine alia creatione, sicut fecit
Paulus, qui excommunicauit Corinthiũ, vt
suprà dictum est in dicto capitulo cum sit
Romana, in fine, & ibi glos. de appellatio-
nibus. Et præterea postquam ex Florentia
discesserunt, & ad inimicos Papæ se con-
tulerunt fuit contra eos iuridicè processum
per plura monitoria, & nuncios, & breuia,
competenti termino ad comparendum eis
assignato; in quibus promissa est illis sub
fide Pontificia, & securitas, & venia si re-
diissent. Ex quo non solùm tamquam super
notorio, sed super occulto processus factus,
dici posset validus, tamquam seruata omni
via recta, & valida, maximè cum Papa in
ordine iudiciario non subijciatur regulis
132 Donati, vt dicitur in cap. in causis, de re
iud. Et si dicatur, quòd monitoria affixa
fuerunt tantùm in vrbe per edictum; &
quòd quia agebatur ad censuras debuissent
personaliter citari, per notata per Innoc.
in cap. aduersarius, de eo, qui mit. in poss.
causa rei seruan. & in cap. ad petitionem,
de accus. & decis. 1. in tit. de ferijs, & decis.
13. de sent. excomm. in antiquis, & dec. 7.
de sent. excomm. in nouis, etiam in facto
notorio, & in cap. cum sit Romana, in fin.
133 ibi. Abb. de appell. & Abb. in cons. 33. in
1. volum. Respondetur primò, quod factum
erat notorium, & inexcusabile, & nulla
poterat tergiuersatione celari; & constabat
nullam posse competere defensionem, quia
post requisitionem factam per Datarium,
arripuerant fugam ad Regem Franciæ, &
Papam ad Conciliabulum citauerant: in
tali autem casu valet citatio per edictum,
vt dicit Abbasmet in d. cons. 33. in finali-
bus verbis, & dicitur in dicto cap. cum sit
Romana. Imò videtur, quòd eo casu non
fuisset necessaria citatio, per id, quod dicit
Abb. in cap. cum olim de re iudic. & in
cap. 2. de causa pos. & propriè: & in cap.
primo, & cap. ad nostram, el 3. de iure-
iurand. & in cap. causam quæ de rescript.
134 Et si dicatur, quòd in excommunicatio-
ne, vt suprà dictum est, omnino requiritur
personalis citatio, etiam si constet non
competere defensionem, vt patet in simili
per illud Genes. 18. & 3. & 4. cap. Respon-
detur, quòd ex quo constat nullam com-
petere defensionem, & factum est tam no-
torium, vt non possit aliquo modo negari,
sufficit citatio per edictum, & non requi-
ritur hoc casu personalis, quamuis agatur
ad censuras, sicut non requiritur in decla-
ratoria iuris excommunicationis incursæ,
vt dicit Abb. in cap. peruenit el primo: &
in cap. reprehensibilis, de appell. & Fel. in
capitulo cum olim, in 8. columna, & di-
ctum est supra. Et hoc vult illa decisio
Ægid. 411. & maximè in proposito est
clarum, quia præcessit monitio quantum-
cumque simpliciter ad comparendum, vt
vult Abb. in capitulo 1. de iud. in 20. co-
lumna. Vnde suffecit monitorium per edi-
ctum vt comparerent, ad declarandum, ex
quo antea fuerant requisiti per Datarium,
vt venirent Bononiam ad Papam, vbi erant
alij collegæ. Item allegatur notitia mo-
nitorij ante fulminationem censurarum,
quod sufficit ad sententiam, etiamsi cita-
tio sit per edictum postea secuta. Ita dicit
decis. 11. in tit. de dolo, & contum. incipit
item si de speciali, & alia 16. circa fin. cod.
tit. Item etiam dicitur quòd fuerunt cita-
ti in loco vbi tenebantur residere, iuxta
notata in capitulo ex tuæ de Cler. non
resid. Item allegatur, quòd non erat locus
tutus nuncio ad citandum Mediolani pro-
pter inimicitias, & potentiam ipsorum
ibi

ibi & inimicorum Papæ: propter quod tales citationes per edictum Papæ arctant perinde, ac si personaliter fuissent citati, vt vult Extrauagans rem non nouam, & dicitur in Clem. 1. de iudic. Et maximè quia ipsi fuerunt causa quòd citatio non potuit peruenire ad eos, per hoc quod iuerunt Mediolanum, vnde haberi debebantur pro citatis, vt dicitur in Clement. 2. vt lite pendente. Item maximè in Papa citatio per edictum arctat citatum, vt dicitur in dict. Clement. 1. de iudic. Moderni in cap. quoniam frequenter, §. si porrò, vt lite non contest. Ad illud quod asserunt quod non tenebantur comparere ad locum non tutum, replicant electi Cardinales, quod cum à principio fuerint requisiti nulla suberat excusatio loci non tuti, ipsi enim debebant Bononiæ comparere, & non diuertere ad Regem Franciæ, etsi postea citantur Romę, quæ est communis patria, vt in l. Roma. ad municipal. & quæ est refugium omnium oppressorum, vt in cap. ad Romanam, el 2. quæst. 6. non iustè allegant locum non tutum: ipsi enim fuerunt, qui fecerunt sibi locum non tutum Romæ rebellando contra Papam: ideo non possunt allegare locum non tutum, Baldus, in l. omnes la secunda. C. de Episcopis, & Clericis. Facit quod dicunt Doctor in l. si mulier, ff. quod metus causa, & in l. si fundum, §. si Imperator, ff. locati.

Non obstat quod dictum est supra aliquem non esse citandum ad locum non tutum, quantumcumque locus non sit tutus culpa eius, vt dicit Archid. Ioan. Andr. & Dominic. in dicto §. cum verò, in cap. statutum, de rescriptis: in sexto. Quia ad hoc respondet Bald. in dicta l. omnes, quod intelligitur de culpa aliunde proueniente, quàm ex delicto, de quo inquiritur, vt puta ratione partialitatis. Alioquin si citatio fieri non posset, & posset allegari locus non tutus, sic etiam potuissent allegare Iacob. & Petrus de Columna in capit. vnico, de schisma, in sexto, & iniustè fuissent damnati, cuius contrarium ibi patet. Sic & de Federico, quoad processum contra eum factum, de quo in cap. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. Quod autem dicitur, quod non
135 sic creditur verbis narratiuis Papæ ad faciendum aliquem criminosum, vt non possit probari contrarium respondent electi Cardinales, quod quicquid per Papam narratum est, est de gestis cum eo, & contra eum, & quæ sunt notoria. Vndè non oportet considerare, an standum sit verbis narratiuis de ijs, quæ notoria sunt ex se per facti euidentiam; dicto capitulo euidentia, & capitulo de manifesta. Item in huiusmodi eorum priuatione Papa processit potiùs tamquam iudex instigante procuratore fiscali; ideò non est impugnanda ex verbis narratiuis bulla priuationis, cùm ab eius sententia non appelletur, vt in capitulo cuncta per mundum nona quæst. tertia. Et in eo, quod ipse pronunciauit, ipse solus adiri potest, vt in capitulo, tùm ex literis, & ibi Doct. de in integrum restitut. Ipse enim est iudex etiam in causa propria, vt dicitur in cap. cùm venissent de iudic.
136 Et ab eo non nisi ad ipsummet habetur recursus, vt dicitur in cap. si quando de rescrip. & dictum est in articulo, verùm possit appellari à Papa ad Concilium. Et vbi est aliquid factum ex certa scientia; & de plenitudine potestatis, potest aliter non præcedente causæ cognitione priuare aliquem iure suo, maximè in ijs, quæ sunt in plena potestate eius, & contra personas ei subditas. Ideò meritò licèt propter scandalum vniuersalis Ecclesiæ non posset simul omnes Episcopos priuare, vt in capitulo per principalem. 9. quæst. tertia, tamen vnum, vel duos, vel tres, sicut est in proposito priuare potest nulla causa allegata, vt ponitur in cap. quòd translationem per Barba. de offic. legat. quia semper in principe, etiamsi non appareat, præsumitur causa subesse, vt dicitur in capitulo, quæ in Ecclesiarum de constit. de quo dictum est aliquid supra in quæstione propria; Vndè Pius secundus in epistola quinta, quia priuauerat Deiterum Maguntinum Episcopum sine citatione, excusat, & tuetur suum processum per multa exempla, & per causas tunc in priuatione non allegatas, vt refert Felin. in dicto cap. cùm olim. Ad illud, quod allegatur, quòd Papa erat contumeliosus, & intolerabilis, respondetur, quòd hoc non excusat eorum rebellionem, & contumaciam, tùm quia non plus erat eis intolerabilis, quam cæteris alijs Cardinalibus, & tamen cœteri alij Cardinales etiam antiqui sequuti sunt eum. Ex quo non parua præsumptio est contra eos, quod voluerit ponere sedem ad Aquilonem, & fieri similes ei, contra text. in capitulo quoniam vetus. 34. quæstione prima fatiscat inuidia Romani, culminis, recedat ambitio cum successore piscatoris. Vndè Petrus Rauennas super illud Apostoli, primo
137 ad Corin. 13. Charitas non est ambitiosa, dicit quòd ambitio est simia charitatis, charitas enim patiens est pro ęternis, ambitio autem patitur omnia pro caducis, charitas benigna est pauperibus, ambitio diuitibus, charitas omnia suffert pro veritate ambitio pro vanitate. Ità dicit Ioannes Andreas in vltim. quæstione in Mercu. qui refert Plinium secundum ad Vespasianum commendando Catonem dicentem, quòd Cato erat ambitionis hostis, & Valer. lib. secundo, cap. vlt. de Catone, dicit quòd eius domus erat ambitioni clausa. Oris, enim gladio facta Pastoris ferienda non sunt; secunda quæstion. septima oues. Et persecutionis tempore patientia necessaria est septima quæstione prima suggestum, non enim militem militiæ desertorem fieri oportet, l. desertorem, ff. de re milit. Et Domino auxilium familia ferre debet, & armis, & manu, & clamoribus, & corporis obiectu, l. cùm Dominus, ff. ad Sylla. Item, Petrus, Andreas relictis retibus secuti sunt Dominum, vt patet Marci. 1.

Sed ad hoc respondent dicti declarati, quòd ipsi nulla cupiditate, vel ambitione ducti præmissa fecerunt, sed vt aliquando in tot annorum curiculis fieret, vt par erat

Con-

Concilium, ita reformarentur mores in curia prolapsi, vt aliquando discerneretur lolium à tritico, vt laxata malorum fræna comprimerentur, tot manifesti ausus in posterum exularent, status Ecclesiasticus in Dei honore, & timore contineretur. Ad hoc allegant, quòd sæpiùs dudum antequam ipsi discederent petitum fuit, vt Concilium congregaretur, & quod cùm vidissent rem negligi, & esse in omnibus pro ratione voluntatem, ipsi Concilium captata oportunitate indixerunt, ad quos erat, vt verisimiliter credebant facta deuolutio congregandi, locumque elegerunt in Italia satis commodum, & vbi alia Concilia tenta fuerunt, videlicet Pisas. Et licèt Papa postea apud Lateranum Concilium congregari procurasset, eis non erat tutum illò venire, & propter exercitum Papæ, & eius potentiam non poterat esse libera facultas, pro veritate loquendi, & quòd non potest dici Concilium, vbi non est omnimoda libertas, & quod ideò continuauerant indictum à se Concilium, & distulerant adhærere Lateranensi. Allegant etiam arte acceleratam contra se sententiam, sicut cùm venirent ad comparendum, præuenti fuerint in condemnatione. Allegant certa breuia, ex quibus apertè constat de iusto metu. Allegant appellationem interpositam, & quod non fuerat assignatus locus tutus. Allegant capitulum conclauis, & quòd postquam cessauit metus cupiunt, & petunt discuti, quorum causa sit melior, electorum ne an declaratorum Cardinalium, & quod fuerit verum, & quod adulterinum Concilium.

E contra electi Cardinales replicant causam ipsorum apparuisse notoriè iniustam, quia si ad bonum finem, vt prætendant hoc faciebant, non debebant adhærere inimicis Papæ, & cùm armis eorum proficisci contra terras Ecclesiæ, vt fecerunt, & quòd Ciuitas Pisana erat sub ditione Florentinorum, qui tunc adhærebant inimicis Papæ, & quod post indictum Concilium à Papa numquam petierunt decerni locum pro Concilio omnibus tutum, nec obtulerunt dissoluere illud, quod ipsi indixerant, sed semper processerunt in suo Conciliabulo ad faciendum decreta ad imponendum decimas, & alia diuersa onera clericis, ad sequestrandum, & occupandum beneficia curialium, & maximè Cardinalium sequentium partes Papæ, procurando in totum auferri obedientiam à Papa, quod non conuenit ijs, qui bono zelo ducuntur, & quod hoc non erat reformare, sed deformare, & schisma in Ecclesia procurare, quod maximè ostenderunt, cùm Papam nulla causa allegata administratione Pontificatus suspendere sunt ausi, cùm tamen ex sola causa hæresis hoc tantùm in Concilio legitimè congregato licitum fuisset. Quæ omnia ex sola passione se fecisse ostenderunt, vt Papa non fieret compos voti sui, & opprimeretur à suis inimicis, quibus ipsi adhæserunt, & ideo quod ipsi legitimè sunt declarati schismatici, & quòd conuentus per eos habitus, fuit conciliabulum. Quæstio facti est, detegatur veritas, & soluat Apollo, hoc vnum certum est, quod non habent excusationem continuando etiam hodiè conciliabulum, & se de reseruatis Papæ intromittendo.

Quinti dubij solutio dependet ex duobus. Primò vtrùm Concilium congregatum per Cardinales declaratos schismaticos fuerit verum Concilium, & de hoc ad plenum dictum est supra, vbi dictum est, quod non præmissa Papæ requisitione non potuerunt congregare Concilium, & postquam Papa Concilium indixerat, debebant cessare ab vlteriori prosequutione Concilij. Quod maximè apparet, quia iam Papa declarauerat illud esse conuenticulum satanæ, & non concilium. Et cautiùs fecissent præfati declarati, si postquam Papa post eorum intimationem Concilium indixerat, procurassent vniri Concilium authoritate Papæ, & petijssent locum tutum pro concilio, & non fuisset schisma. Secundò vtrùm, ex quo Sedes Apostolica vacat, sit concilij iudicare, an Cardinales declarati sint bene declarati, & an electi sint bene electi. Et quoad hoc videtur prima facie dicendum, quod sic. Primò,
138 quia Concilium est iudex inter duos de Papatu contendentes, quo casu dicitur Ecclesia quasi vacare, vt dicitur in capitulo si duo, 79. dist. Etsi est iudex inter duos contendentes de Papatu, multò magis inter Cardinales contendentes de electione futuri Pontificis, & inter se dissidentes.

Secundò quia ex quo Sedes vacat, supremum iudicium est ipsius concilij, quia non datur maius, quàm in vniuersali Ecclesia, quæ per concilium repræsentatur, vt dicitur in capitulo significasti, de electione, & supra sæpiùs dictum est. Cùm ergo agatur de re graui inter personas graues, & ecclesiasticas, & de re spirituali, cuius iudicium non potest esse iudicis temporalis etiam supremi, vt in capitulo cùm ad verum, & in capitulo bene quidem, & capitulo satis euidenter, & capitulo duo sunt genera, & capitulo si Imperator, & ferè per totam distinctionem, 96. dist. sequitur necessariò, quod non sit iudicium alterius, quàm concilij generalis.

Tertiò facit, quòd sicut dixi in præcedentibus secundùm aliquos Concilium subsistente aliqua necessaria causa posset creare vnum, vel duos Cardinales; ergo potest etiam iudicare inter Cardinales contendentes de suo statu, quia cuius est instituere, est & destituere, capitulo cum ex iniuncto de hæretic. capitulo cum & plantare, §. in Ecclesijs de priuileg. capitulo primo, & secundo de capell. mona. cum similibus. Et Concilium deposuit Cardinalem, vt in vulgari capitulo ex gestis, de clericis non resid. Quartò facit, quod istud Concilium Lateranense fuit principaliter congregatum propter dictos Cardinales declaratos, qui Concilium indixerant, & hoc authoritate Papæ, cuius etiam authoritate de consilio concilij, seu eo approbante fuit sententia lata contra tales tamquam schismaticos, ex quo sequitur, quòd mortuo Papa omnis potestas cognoscendi de dicta causa sit eiusdem concilij, sicut si Car-

si Cardinales comparuissent viuente Papa, & petijssent discuti iterum de huiusmodi gestis, per sanctitatem eius, Papa cum concilio hoc facere potuisset, sicut sæpiùs fuit cognitum in Nicæno, Constantinopolitano, & Chalcedonensi Concilijs, de Ario, & Dioscoro. Quod autem post congregatum Concilium sit eius potestas cognoscendi, videtur innuere d. Anton. in d. tract. schismatis, dum dicit, quod loci, & temporis vbi congregari debeat Concilium cognitio, est ipsius concilij postquam est congregatum, l. ædiles, ff. de ædil. edic. & l. si quis ex aliena, ff. de iudic. & l. terminato, C. de fruct. & lit. expen. idem di-
139 cit Goffred. de Monte Abbas sancti Honorati in suo Opusculo, quòd morte præuentus reliquit imperfectum, vbi vult quod post congregatum Concilium, Caput concilij est Christus. Et ideò quod Concilium ex se sine Papa subsistit, etiam si contingat Papam mori morte ciuili, vel naturali, allegat Ioann. Andr. in Clementina ne Romani in glos. in verbo non consonam. Ad idem facit quod Concilium est
140 iudex in causa schismatis in Ecclesia, vt patet in pluribus electionibus factis in concilio de schismaticis Pontificibus, & vltimatè de tribus Pontificibus in Constantien. Concilio depositus. Ad idem quoque facit, quod Bulla indictionis concilij sonat, quod proceditur ad congregandum Concilium pro totali extirpatione schismatum, & hæresum: sequitur ergo quod Concilium ad hoc congregatum, habeat facultatem cognoscendi, an veniant admittendi pro sedando schismate.

E diuerso videtur, quod Concilium non possit se intromittere. Tum quia istud est de reseruatis Papæ, quæ sunt prohibita Concilio Sede vacante, vt diximus supra in quæstione propria. Tum quia quod iam fuerat declaratum per Papam cum concilio, non potest Concilium sine Papa reuocare, vt diximus supra in quæstione, vtrùm Concilium possit reuocare constitutionem Papæ. Sed in Concilio Lateranen. Papa cum concilio declarauit dictos Cardinales schismaticos, & cum electis Cardinalibus omnia gessit, declarando Concilium Pisanum esse conciliabulum, quod Pisis indixerant Cardinales declarati, & tenere curarunt, postea verò Mediolanum, & deinde Lugdunum transtulerunt. Igitur si loquimur de Concilio Lateranen. per Papam tento, non potest esse iudex, quia non potest solùm reuocare quod cum Papa decreuerat. Facit quod dicitur in Clementina, ne Romani, in verbo inferior, de electione, & in capitulo venientes de iureiurando, & quod in simili dicitur de pluribus iudicibus in capitulo prudentiam, de offic. deleg. & capitulo cum causa eodem titulo, & in l. sicuti, ff. de arbitr. facit etiam, capitulum si Episcopus, duodecima quæstione secunda in fine. Et semel Concilium Lateranen. functum est officio iudicandi contra Schismaticos, l. iudex postquam, ff. de re iudic. & capitulo, in literis, de officio delegati. Et vbi deest iurisdictio quis non iudicat, l. fin. C. si à non compet. iudic. cap. at si clerici cum similibus de iudicijs.

Minùs autem habebit facultatem iudicandi Concilium declaratorum, quod fuit iudicatum conciliabulum, & satanæ conuenticulum, in capitulo audiuimus, 24. quæstione prima. Item nec vnum, nec alterum, quia vtrumque esset iudex in causa propria, capitulo ne quis in sua cau. iud. vel sibi ius dicat, in rubro, & nigro. Nec simul iuncta ista duo concilia, quia vtrumque tueretur partem suam. Item si verum Concilium procedat cum conciliabulo, nulliter procedit, capitulo cùm super Abbatia, de offic. delegat. Pro hoc est, quod dicitur in capitulo fin. de procur. & capitulo nobis, de simon. capitulo super quæstionum, §. si verò, de offic. delegat. Et dum scienter admittitur aliquis inhabilis ad exercendum actum, ad quem admittentes non possunt habilitare, actus fit nullus, dicto capitulo fin. & in cap. Massana, & in capitulo illa, de electione. Et propter vnum animal morbosum rescinditur venditio plurium, l. cùm eiusdem generis, ff. de ædil. edict. Et multa similia possunt adduci, de quibus per regulam vtile per inutile non vitiatur. Et sic videtur, quod nec ista duo concilia simul iuncta possint de his iudicare. Accedit, quòd cùm sint declarati schismatici, & hæretici, tales abijciendi, & non admittendi sunt in Concilium, vt in capitulo didicimus, vigesima quarta quęstione prima, & dictum ex supra in loco suo. Et cum talibus, non est communicandum, vt in cap. aduocauit, & cap. omnis eadem causa, & quæstione.

Quid tenendum, videtur prima facie dicendum, sicut diximus supra quando est contentio inter duos de Pontificatu, & vterque est in quasi possessione obedientiæ partis suæ, quod vterque potest congregare obedientiam suam in vno loco, & insimul se vnire, & Concilium celebrare pro tollendo schismate, de quo latè dixi in illa quæstione, ad quem spectet congregatio concilij. Et ibi respondetur ad illud quomodo non obstat, quod dicitur, quod non est participandum cum schismaticis. Sed credo contrarium verum, quia ille casus est diuersus ab isto, quia ille est casus inter duos, qui gerebant se pro Pontificibus, & ignorabatur vter esset verus Papa; nos autem loquimur in controuersia, quæ est inter Cardinales, quorum tantùm vna pars est declarata schismatica, item inter Concilium per indubitatum Papam indictum, & Concilium, quod per verum Papam fuit declaratum conciliabulum. Vnde ex
141 præmissis videtur concludendum, quod Concilium non poterit esse iudex, sed debebit expectari creatio futuri Pontificis. Facit, quod in simili dicitur post Archid. in cap. in fidei de hæret. in sexto, quod de hæresi Papæ mortui cognoscit successor. Sic in proposito de ijs, quæ gessit prædecessor, sit iudex successor, de quo etiam per Albericum in l. prima, C. de sacrosancta Ecclesia. Ad hoc etiam text. & ibi dicta in capitulo tum ex literis de integr. restitution. Et pro hoc videtur text. in capitulo pti-

lo primo de schismat. in 6. vbi Papa requirit de gestis per se contra schismaticos, quòd habeatur consensus Romani Pontificis, & sic successoris. Et ad contraria est facilis responsio,& Bulla intimationis concilij non dat facultatem cognoscendi de schismaticis damnatis per Papam, nec illos redintegrandi, & ille text. in d.capit.1. de schismat. in 6. videtur factus pro isto, & sequenti dubio.

142 Vndè intrando sextum dubium videtur, quòd isti declarati non sint admittendi in conclaue. Primò per illum tex. in d. cap. 1. de schisma. in 6. vbi Iacobus, & Petrus de Columna propter verba schismatica, ac blasphema, & maledica in Papam, fuerunt declarati schismatici, & ibi Papa excommunicauit omnes personas, etiam si essent Cardinales,qui eosdem Iacobum,& Petrum pro Cardinalibus tenerent, aut ad Cardinalatum,seu ad dandum vocem in electione futuri Pontificis admitterent, vel eis in hoc fauorem præstarent, à qua excommunicatione voluit tales non posse absolui sine expressa licentia Romani Pontificis, nec etiam per collegium Cardinalium sede vacante. Ex quibus patet, quòd tales declarati ad nullum actum possunt admitti, & admittentes sunt excommunicati. Nisi diceremus illum tex. continere particularem decisionem contra illos tantùm, & non facere ius, quasi si Papa, in illo casu non declarasset illos schismaticos non admittendos, potuissent sede vacante admitti.

143 Pro quo facit, quod not. ibi Domi. qui dicit, nota argumentum, quòd collegium Cardinalium sede vacante, potest restituere depositum per Papam. Sed hoc videtur contra id,quod dicitur in prooemio Gregoriano, & quod dicitur in capitulo primo de constitution. ex quo illa constitutio est inserta in corpore iuris. Nam non debet intelligi tex. quod contineat ius specia-

144 le, & particulare, quia non pro priuato commodo, sed pro communi vtilitate fit lex, vt in capitu. erit autem, 4. distinctione. Et non fuisset inserta in volumine sexti, si non ligaret vniuersaliter, vt infra latiùs dico. Et Do. ibi non firmat notabile, sed remittit se ad cle.2. de electione, vbi Doct. dicunt contrarium. Vndè posito quòd sit verior opinio Innoc. de qua in cap. cum tex.de re iudi. videlicet, quòd collegium Cardinalium restituit famæ, de quo in dicta cle. ne Romani, & in l. prima in §. de qua. cum concordan. ff. de postulando, tamen isto casu, non posset restituere Cardinales declaratos schismaticos, vt in dicto capitulo primo de schisma. in 6. Tum quia hoc tunc non competit eis iure proprio, viuente etiam Papa, ergo non poterit collegium sede vacante restituere, vt voluit Anton.& refert Imol.in dict. cle. ne Romani, & idem Imo, in dicto capitulo cum te.

145 Ergo minùs poterit tamquàm iure deuoluto sede vacante, quia non succedunt in iurisdictionalibus Papæ, vt dicta clementina secunda. Tum etiam, quia sumus in infamia inflicta per sententiam Papæ, quam inferior non potest relaxare, quia inferior, &c. vt in dicta cle. ne Romani in prin. Tum etiam quia hoc est prohibitum per dict. capitul. primum de schisma. in 6. & quia non succedunt sede vacante in ijs, quæ sunt reseruata Papæ, etiam si tex. ibi in dicto capitulo primo de schisma. non prohibuisset illos schismaticos recipi, & ad electionem futuri Pontificis admitti, omninò non successissent in exercitio administrationis Papalis, nec potuisset ipsorum Cardinalium collegium illos declaratos schismaticos restituere, vt dicit glossa in verbo sede vacante in dicto capitulo primo. Et per illum tex. in dicto capitulo primò videtur absoluta sexta quæstio, videlicet, quod dicti Cardinales non sunt admittendi in Conclaue,etiam cum protestatione, pro-

146 pter prohibitionem illius tex. Et quia non est communicandum cum schismaticis, vt dicit tex. in capitulo quæ dignior. vigesimoquarto quæstione prima, & dixit Dominus per Moysen, separamini à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere,quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Deinde quia se à Core, Dathan, & Abiron non separarunt, pœnas statim pro impia conuersatione persoluerunt, dicit tex. in capitulo didicimus ea. cau. & quæst. Et tex. in cap. omnis ea. cau. & quæst. dicit, quòd qui dixerit eis aue, communicat operibus eorum malis. Et ibi legitur de Ioanne, quòd fugit Balnea in quibus Cherintus se lauerat, referente Beato Policarpo; Excutiendusque est pedum puluis, ne fatiscentibus perfidiæ sterilis siccitatibus tàquàm humicutaridæ, arenosæque, mentis vestigium polluatur, dicto capitulo quæ dignior. Et homo Dei, qui secundùm glossam ordi. tertio regum decimotertio fuit Gad. Propheta, iussus ne panem ederet, & vinum biberet apud schismaticos, quia non seruauit, sed apud eos pransus est, statim diuina censura percussus est, quia inde rediens morsu Leonis in itinere necatus est, 7. quæstione prima, capitulo denique, & prima quæstione prima

147 si quis inquit. Præterea quia declaratis hæreticis, & schismaticis obstat exceptio notoriæ hæresis in electione Pontificis, quicquid dixerit Cardin. in dicta clementina ne Romani in §. cæterùm, qui allegat Lau.& Zenzeli idem tenere, & dicit, quòd cùm talis exceptio non obstet electo, videlicet Papæ, qui de hæresi tantùm potest accusari, vt dicto capit. si Papa, & non contra eum de ea excipi, vt vult Innocen. in capitulo licèt de electione, similiter non obstabit electoribus, & idem.Immò ibi tertia columna. Et idem refert Alexand. in capitulo si duo 79. distinctione qui allegat Ioann. Andr. in capitulo, vbi periculum in princip. de electione. Et pro eis facit glossa in verbo cæterum, quæ dicit, quòd per illum text. in dicta clemen. §. cæterùm, approbatur opinio Compostel. in capitulo licèt, & Ioannis in capitulo si quis Apostolicæ, 78. distinctione etiam quo ad actũ electionis faciendæ, videlicet, quòd non possit obijci aliqua exceptio electoribus. Sed mihi videtur, quod Card. in hoc mul-

148 tùm erret, cum dicit de Papa, quòd contra eum non potest excipi de hæresi, vt ab

electione repellatur. Et Innoc., quem allegat hoc non dicit, sed loquens in terminis illius tex. in capitulo licèt, dicit, quod postquam Papa est electus à duabus partibus non obstat exceptio hæresis, sed magis debet accusari per dict. capitul. si Papa. Et ideò idem Cardinalis cautiùs est locutus in dicto cap. licèt, vbi loquitur de exceptione opponenda postquam est electus, sed antè electionem, quòd possit opponi de hæresi ad hoc, vt non eligatur quia hæreticus, non videtur Doctoribus dubitandum in dicto capitulo licèt quin obiectu exceptionis hæresis repellatur ab electione passiua. Sed du-
149 bium est, an postquam est electus possit contra eum excipi de hæresi, & in isto casu etiam videtur verior opinio, quòd obstet exceptio hæresis, maximè si sit notoria, ad effectum, vt impediatur receptio. Et de hoc latissimè dico in illo artic. ad quem spectet congregare Concilium, in versiculo sed, quid si Papa est electus à duabus partibus, dic vt ibi. Et ad glos. in verbo cæterum, respondetur, quòd non loquitur in exceptione hæresis, sed in terminis illius cle. videlicet excommunicationis suspensionis, vel interdicti. Et benè loquit. Bald. in dicto
150 capitulo licèt, dum dicit, quod cum obijcitur de hæresi, propriè non est exceptio, sed nullum esse. Et ideò cum gloss. ibi ad tex. nulla exceptione, supplet nisi de hæresi, non benè ponit casum exceptionis, quia opponere de hæresi non est excipere, sed nullum esse secundùm Bald. ibi quasi dicat, quòd hæreticus electus in Papam non est Papa. Prætereà ex alio capite non est bona ratio Cardi. in dicto §. cæterùm, quia non est verum dicere, quod si exceptio non obstat electo non obstabit electoribus, quia cle. quo ad personas eligentiũ loquitur de exceptione excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti, videlicèt, quod illius prætextu non repellantur ab eligendo Papam, & ita loquitur gloss. ibi in dicto §. cæterùm in fin. supra alle-
151 gata. Et vt dicit ibi Card. excommunicatus propriè non dicitur hæreticus, quia inijciens manus violentas in clericum excommunicatum est excommunicatus, sed inijciens manus in clericum hæreticum non est excommunicatus, vt dicitur in capitulo si verè per Innoc. de sententiæ excommunicationis. Sed tex. in dicto capitulo licèt quando dicit electum à duabus partibus Cardinalium concorditer esse verum Papam absque vlla exceptione, loquitur simpliciter non restringendo se ad casus aliquos exceptionis. Et ideò non videtur bona ratio Cardinalis, quod si exceptio non obstat electio, nec electoribus, quia aliter loquuntur iura in excipiendo quò ad electum, aliter excipiendo quò ad eligentes. Et multæ possunt esse exceptio-
152 nes, si rectè consideretur obstantes eligentibus, quæ non obstabunt electo, sicut in exemplo, electori posset obijci exceptio, quòd non habet vocem, quia priuatus est Cardinalatu, iuxtà cap. 1. de schisma. in 6. vel quia non potest se gerere pro Cardinali, eò quod non fuit publicatus, nec admissus ad illum ordinem iuxtà bullam Eugenij, & sic de similibus, quæ non possunt obijci electo in Papam. Sicut & in alijs inferioribus electionibus potest obijci electoribus exceptio, quòd non habent vocem in capitulo, quia non sunt in sacris, iuxtà cle. vt ij qui ætæ. & qualitate. electo autem, quòd non sit in sacris exceptio non obstabit ad impugnandum electionem de persona eius factam, quia sufficit, quod faciat se promoueri infra annum à die receptionis, vt dicitur in dicta cle. vt ij qui. Item pro hoc facit quia posito, quòd nulla possit obijci exceptio contra electores, tamen non negant iure quin exceptio consurgens ex ipsa constitutione obijci possit, vt est tex. & ibi Doct. de electione in cap. licèt. Et ideò poterit contra eos obijci exceptio excommunicationis, & schismatis insurgentis ex dispositione ipsius cap. primi de schisma. in 6. Sicut dicitur in d. cap. licèt, de exceptione excommunicationis insurgentis ex illo tex. quod potest obijci Papæ contra formam illius tex. electo, & eum recipientibus, licèt ibi, tex. prohibeat obijci posse exceptionem aliquam alicuius defectus notorij, puta excommunicationis, suspensionis, interdicti & similes, contra electum in Papam.

Et si dicatur quòd istud esset verum si ille text. in dicto capitulo primo faceret ius, ad hoc est responsum supra, quòd tex. in dicto cap. 1. facit ius, quia non debet intelligi continere ius speciale, sed vniuersale. Et pro hoc quod, sententia Principis
153 habetur pro lege, vt in cap. in causis, de re iudi. intantùm quod, vt dicit Angelus, in l. 1. ff. de ferijs, & in l. item veniunt, §. cæterùm ff. de petit. hæredi. Imperator rescribendo, sententiando, vel Epistolam transmittendo intelligitur ius condere, quod licèt limitent moderni, in cap. Pastoralis, de fide instru. dicendo, quod facit ius sicut aliæ extrauagantes, & idem ibi. Card. tamen illud est verum nisi illa sententia sit in corpore iuris clausula, quia tunc facit ius sicut aliæ leges. Ita dicit Bart. & Doct. in l. cum prolatis, ff. de re iudi. Ex quo sequitur, quòd licèt sententia sit contra aliquem, facit tamen ius quo ad omnes. Quinimò quantumcunque sententia concernat certas personas, nihilominùs si est inserta in corpore iuris, inducit legem generalem, & ligat omnes. Ita dicit Hostien. in capitulo cum super de sepult. & sequitur Ioan. And. & Anto. ibi, & refert, & sequitur Felin. post Domi. in cap. 1. in 7. colum. de consti. Quinimò plus dico, quod si rectè inspiciantur, & considerentur verba illius tex. clarè ex illo tex. colligitur, quod Papa voluit in posterum generaliter omnes ligare, ita vt decreto, quod particulariter fecit contra Petrum, & Iacobum, in similibus in posterum ligarentur omnes patet per text. ibi in fine, dum dicit ibi vt dictorum malitia non inueniat successorem, & ibi & punitæ transgressionis, exemplar retrahat alios ab offensa, & statuimus, & decernimus, vt ipsa inuiolabiliter obseruentur, quod similes successus, & culpæ, pœnis similibus in posterum puniantur. Quæ omnia arguunt Papam voluisse

luisse facere de dicta sententia: legem generalem, quod colligitur ex iis, quæ dicit gloss. in verbo perpetuò in cap. vt circa de elect. in 6. & ibi Do.& Bald.in l. 3.ff.de. ll.Item ille text. in dicto cap. 1. videtur de-
154 cidere, quòd per Concilium nihil fieri possit sede vacante circa restitutionem ipsorum Cardinalium, vel absolutionem receptatorum,seu fautorum ipsorum. Quod patet ex tex. ibi, absque expressa licentia Romani Pontificis non possit absolui. Et cùm ille textus loquatur de electione futuri Pontificis, intelligitur sede vacante, ergo cùm vult non posse absolui sine expressa licentia Romani Pontificis, intelligit de successore in Pontificatu. Ergo videtur decidere ille tex. quòd circa tales declaratos schismaticos sede vacante nihil possit fieri, sed debeat expectari electio futuri Pontificis. Et sic in proposito videtur dicendum, quòd sede vacante Concilium non debet facere iudicium de præfatis Cardinalibus declaratis, & quòd non debet admitti conclaue ad electionem futuri Pontificis, sed debet expectari electio futuri Pontificis, qui vel solus, vel cum consilio Concilij deliberet super tollendo dicto schismate, & de Cardinalibus declara-
155 tis. Sed videtur, quòd contra illum tex. posset obijci, quòd ideo non potuerunt dicti Petrus, & Iacobus admitti in conclaue in electione Pontificis, quia illud fuerat prohibitum per Papam. Vndè si non prohibuisset expresse, sicut non fuit prohibitum in sententia contra istos lata, videtur quòd debuissent admitti per argum. à contrario, l. 1. §. huius rei, ff. de iuri. omnium iud. ergò videtur, quòd & isti debeant admitti. Sed ad hoc patet responsio ex ijs quæ supra dixi, quod ille tex. continet ius. Item ex argumento sumpto ex illa gloss. ibi in verbo sede vacante, quæ facit simile argumentum in Cardinalibus, videlicet, quod si ibi non fuissent prohibiti, potuissent Petrum, & Iacobum declaratos schismaticos admittere. Et tamen ibi gloss. concludit contrarium contra Hugo. Ioan.& Hostien. in locis ibi allegatis, quos etiam reprobat in clementina secunda, in verbo, non consonam, & in verbo potestatis, de electione, cum qua transeunt, ibi Doctor.

Et aduertendum est, quòd Cardinales declarati ibi, scilicet Petrus, & Iacobus, etiam allegabant sæuitiam Bonifacij VIII. qui fuit persecutor Columniensium, & Gibellinorum, & quod nullibi erat eis locus tutus, ita vt Sarra Columnensis cùm diu in nemoribus latuisset, & inde in manus piratarum incidisset, remigio admotus
156 multas calamitates perpessus sit, quamquam sic exilium pati mallet, quàm sæuitiam Bonifacij experiri, vt legitur in Platina in vita ipsius Bonifacij; & tamen præfati Petrus, & Iacobus Cardin. nunquam fuerunt admissi in Conclaue; nec inter Cardinales recepti sede vacante, nec postea assumpto Benedicto XI. ad Pontificatum. Qui licèt receperit eos in gratiam & restituerit eis bona, non tamen Cardinalatum, & communiter tenent Doct. per extraua. eiusdem Benedicti incipientem, dudum bonæ memoriæ; quamuis nonnulli per eamdem extraua. velint ipsos fuisse ab eo Benedicto etiam ad Cardinalatum restitutos. Vnde ex præmissis patet, quòd nec Concilium Lateranens. nec conciliabulum poterit de his cognoscere, nec aliquis ex dictis Cardinalibus declaratis deberet admitti in Conclaue in electione futuri Pont. sed deberet expectari creatio futuri Pont. cuius erit cum consilio fratrum vel concilij discutere quid fieri expediat. Sed obstat præmissis, quòd Clemens illorum Cardinalium restitutione prohibuit illum tex. allegari, & mandauit deleri de li. 6. infra mensem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Cuius Extrauagantis tenor est, vt infra sequitur.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

IN supremæ dignitatis specula diuina prouidente clemen. constituti, attendentes nobis incumbere æquum ab iniquo, ac iustum ab iniusto discernere, corrigenda corrigere, ac deformata in melius reformare, & quæcumque sunt deuia iuxta traditam nobis desuper potestatem, & gratiam ad viam reducere veritatis, curis continuis angimur, & sedulis vigilijs excitamur ad ea semper inspicere, & ad efficacem operam adhibere, quæ sibi inuicem misericordia, & veritas obuient, iustitia & pax amplexentur se, honorque Dei, cultus iustitiæ, æquitatis debitum, reformatio Ecclesiæ, & tranquillitas fidelium subsequantur, à domo Domini cunctis iniquitatibus, & iniustitijs procul pulsis. Ex certis igitur iustis, veris, legitimis, ac rationabilibus causis, quas ex certa scientia, ad honorem Ecclesiæ respectum habentes, non duximus præsentibus exprimendas, sed sub silentio præterimus, con-
157 stitutionem illam, quæ incipit. Ad Succidendū redacta in corpus canonis lib. 6. sub tit. de schismaticis, omnem que aliam constitutionem decretalem, vel canonem, sententiam, vel processum similes sententias, cum prædicta constitutione. Ad Succidendos continentes, omnemque ipsarum constitutionem decretalium, aut canonum sententiarum; & processuum quorumcumque, verbo, vel literis, inscriptis, & sine scriptis in vita, vel in morte secretè, vel. publicè, quomodocumque, qualitercumque, quandocumq;, vbicumque, & ex quibuscumque causis, coloribus, vel titulis editorum, effectum vel efficaciam, omniaque subsecuta quomodolibet ex eisdem, seu post ipsos, & dictorum subsecutorum omnem efficaciam, & effectum de Apostolicæ potestatis plenitudine ex certa scientia tollimus, reuocamus, cassamus, annullamus & viribus vacuamus, ac nullius omnino fore, vel fuisse decernimus roboris, vel momenti. Decernentes constitutiones decretales, canones, sententias, processus prædictos, & quemlibet, seu quamlibet eorumdem, omniaque subsecuta quomodolibet ex ipsis, & nos ipsos, & prædictorum sub-

 secuto-

secutorum, quomodocumque omnem efficaciam effectum pro reuocatis annullatis, & vacuatis ac nullis haberi & nullius esse, vel fuisse roboris, vel momenti. Et quidquid illis, contra quos dictus canon constitutio, vel decretalis est edita supradicta vel quæuis alia constitutio, sententia processus, vel canon eiusdem cum dicta constitutione substantiæ formæ tenoris, vel sensus, eosdemque, vel similes articulos continens, cum eadem abstulit, vel ademit inhibuit, vel interdixit, ipsis plenissimè reddimus, damus, concedimus, largimur, & relaxamus, ac in integrum restituimus ex certa scientia in omnibus, & singulis eorumdem, quos omnes artic. pro expressè nominatis, & nominatim, & singulariter ac specialiter expressis haberi volumus tanquam nobis notis plenariè; ac singulariter & singillatim cognitis, de eiusdem plenitudine potestatis interdicentes expressè omnibus Christi fidelibus, ne constitutione prædicta, vel decretali, seu quauis alia sententia processu vel canone similis substantiæ sensus articulorum, materiæ, atque formæ, vti audeant quomodolibet in iudicio vel in scholis, idque expressè sub excommunicationis pœna præcipimus, quam contrarium facientes incurrere volumus ipso facto. Mandamus quoque constitutionem prædictam. Ad Succidendos, & omnem aliam constitutionem, decretalem sententiam, vel processum, aut canonem sub quacumque forma verborum, existant eorumdem cum dicta constitutione. Ad succidendos substantiæ, tenoris, sensus, articulorum, & formæ, de libris, & voluminibus infra vnius mensis, spatium post præsentis constitutionis notitiam penitus aboleri, nec conscribi vlteriùs in eisdem, ac perinde habeantur quo ad omnia ac si nunquam eædem constitutiones decretales sententiæ, processus, & canones huiusmodi editi, promulgati, seu conscripti fuissent. Omnes autem cuiuscumque dignitatis, conditionis, & ordinis, præeminentiæ, aut status existant Ecclesiastici, vel mundani, qui contra supradicta vel ipsorum aliquod quomodolibet agere vel omittere, seu venire præsumpserint, excommunicationis sententia, authoritate præsentium esse decernimus innodatos, à qua nullatenus, nisi per sedem Apostolicam absoluantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, cassationis, annullationis, vacuationis, constitutionis, redditionis, dationis, concessionis, relaxationis, restitutionis, interdicti, & mandati infringere, Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni tertiò nonas Februarij, Pontificatus nostri anno primo. Vnde per hoc videtur quod ille text. non possit ad hoc allegari
158 nisi diceremus quod illa constituti Clementis in ea parte, qua mandauit illum tex. cap. Ad succidendos non allegari, & aboleri de corpore iuris, non fuit recepta cùm vt videmus adhuc hodie reperiatur in volumine sexti & militat eius ratio: quæ adhuc potest allegari etiam nouit de iudi. Quinimò si bene inspiciatur, ista extrauagans clementis satis apertè probat, quod dictum capitu. facit ius. Quid dicendum. Dico quod omnino non essent
159 admittendi per alias rationes supra allegatas, & quia illa reuocatoria non est nota, sed fuit ad partem concessa illis de domo, & non reperitur inserta in corpore iuris, nec quod fuerit recepta cum nondum dictum ca. ad succidendos reperiatur delectum de volumine sexti, & continuè allegetur, & commentetur a Doctoribus. Et Martinus Papa, qui successit licèt non immediatè post in Papatum, qui fuit ex eadem domo de Columna, noluit illum text. de libris deleri. Et decretalis Benedicti, quæ euacuat illum tex. ca. Ad succidendos, quæ est inserta inter alias extrauagantes, corrigit solùm illum tex. inquantum concernit personas illas, contra quas fuerat editus, inquantum autem concernit vniuersitatem, decisio eius ligat omnes, & allegari potest sicut ratio
160 iuris correcti allegari potest, vt dicitur post gloss. in cap. nouit de iud. Vnde licèt habuerint gratiam dantes causam edicto non per hoc erit reuocatum edictum, quo ad decisionem quo ad alios. Et Doc. maximè Dominicus, & Philippus dicunt, tex. dist. cap. 1. in parte reuocatum, sed posito quod esset reuocatus, & in totum correctus tamen rectè allegatur decisionis ratio, vt dict. cap. nouit. gloss. in capit. fuerunt 7. dist. li. 1. C. de latina liber. tollen. gloss. in 1. consti. codi. gloss. & Bart. in l. 1. ff. de coniungen. cum emanc. lib. & in l. 2. C. de veteri iure enucle. Ad vitandum autem schisma si declaraei nol-
161 lent acquiescere creationi noui Pontificis priusquam restituerentur, possent alij Cardinales eis promittere, & vouere, quod quicumque ex eis erit Papa ipsos restituet Quod fieri posset pro euitando tanto malo
162 quia ex causa iura aliquando inuitum, & non petentem absoluunt ab excommunicatione, vt dicitur per Abb. in capit. ab excommunicato de rescrip. & quia multa tolerantur ad euitandum scandalum, vt supra diximus, de quo per Feli. in cap. 2. de præscrip. tex. & gloss. in capit. lator de cle. excommunic. & in cap. 2. de tempor. ordi. facit, quod dico in artic. quando est schisma inter duos contendentes de Pontificatu, qui sunt modi tollendi schisma. An autem si nec sic contentarentur, possent alij Cardinales eos admittere, & restituere, quasi ex imminenti, & euidenti necessitate hoc eis liceat, iux. §. ijdem quoque in cap. vbi periculum de elect. in 6. saltem cum consilio Concilij, credo, quod non, per rationem d. cap. 1. quod hoc eis prohibet, quæ ratio potest allegari. Tum etiam, quia sicut Cardinales non possunt creare alios Cardinales sede vacante, vt in gloss. in verbo potestatis in cle. 2. de elec. ità à pari nec depositum restituere, vt ibi dicitur. Tum quia non sumus in terminis §. ijdem quoque, qui loquitur tantùm in casu suo in defensione Ecclesiæ, & cum immi-

imminet grande periculum, secundum Petri de Anch. ibi, & cum etiam requiritur consensus omnium nemine discrepante, vt vult gloss. ibi. Sed adhuc posset instari
163 quia in terminis dicti capituli primi, non erat periculum ne oriretur schisma ob Pontificatum, sicut in proposito, quia cum per schismaticos in eorum conciliabulum sit Papa suspensus ab administratione, nisi admittantur, & vniantur cum alijs, ipsi procedent ad electionem Pontificis cum dicto suo conciliabulo, & sic reperientur in Ecclesia duo electi, & sic apertum schisma, de quo non poterat dubitari in terminis illius capituli primi. Item posset allegari bulla, per quam indictum est Concilium quæ dicit, quod Papa congregare intendit, Concilium etiam pro sedando schismate, si ergo Coucilium Lateranense ad hoc est congregatum, poterit ante creationem futuri Pontificis determinare, an isti fuerunt malè declarati, & an sint in electione admittendi nec ne. maximè cùm allegent suam quasi possessionem, qua spoliarentur, si priùs non discuteretur de eorum iure 3. quæstio prima per totum. Sed facilis est ad præmissa responsio, quia si in casu illo, vbi non adeò illi Cardinales deliquerant, tex. ille prohibuit ne admittentur ad electionem futuri Pontificis multò magis videntur excludendi in casu nostro. Et sic videtur. quod ille tex. magis militet in proposito à maioritate rationis Authen. multò magis cum simil. C. de sacrosanct. Eccle. Nec ratio euitandi futuri schismatis, & antiqui sedandi debet esse causa admissionis ad electionem. Tum quia ibi in tex. dicti capituli primi hoc non disponitur, cùm idem casus contingere poterat in terminis illis, quia ex non admissione illorum potuisset oriri maius schisma, & antiquum non sedari & nihilominùs statutum fuit ne admitterentur ad electionem. Tum etiam, quia si aliter diceremus, reportarent schismatici commodum de sua malitia, contra iura vulgara capitulo sedes, capitulo ex tenore, capitulo plerumque cum simil. de rescrip. Non obstat, quod pro sedando schismate multa reperiuntur aliquando tolerata, & iura permittunt, quia illud fuit, vt plurimum inter contendentes de Papatu vel ratione fidei. & non in separantibus se ab obedientia Papæ, vt in proposito. Item ista ratio sedandi schismatis non videtur militare in proposito, nam eorum admissio in Conclaue etiam posset esse causa maioris schismatis, quia quilibet vellet illum eligere, qui esset magis accommodus parti eius. Ad illud, quod dicitur quod spo-
164 liaretur quasi possessione, respondetur, quod per sententiam in eos latam tamquàm schismaticos dicuntur omni iure priuatis, & sic nullam retinuerunt possessionem, & est de casibus, in quibus spoliatis non datur restitutio 3. quæstione prima in gloss. summæ.

165 Sed remanet adhuc ambiguum, quod nam erit remedium aperto schismati ex non admissione dictorum declaratorum in Conclaue, eo quod eligerent sibi Pontificem nitentes potentia regis Franciæ, qui etiam subtraheret obedientiam Romanæ Ecclesiæ. Dicerem si ex hoc sequeretur concordia, quod fortè cum protestatione isto casu tantùm possent admitti ad hoc est quod dicũt Doc. in c. cùm dilectus de cons. & in c. illa de ele. & in c. cum Ecclesia Sutrina de causa posses. & propriè. Et ità in simili in schismate Ioannis vigesimitertij, & Benedicti, & Gregorij reperio tenrum ab aliquibus Doctoribus. Et si sic nollent acquiescere, dicerem ipsos coercendos per Principes seculares, quibus hoc casu data est potestas ab Ecclesia, vt quod non valent Sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem, hoc potestas impetret per disciplinæ terrorem, & qui intra Ecclesiam positi contra fidem, & disciplinam agunt, principum rigore conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ authoritas exercere non præualet; ceruicibus superborum potestas principalis imponat, vt dicit tex. qui ad hoc est notabilis in capitulo principes, vigesimatertia quæstione quinta. Et ad hoc benè facit, quod dicit Alberi. in l. prima C. de hære. vbi auxilio principum secularium sunt sedata multa schismata, & glossa cum Doct. in §. porrò in verbo compellantur in dicta cle. ne Romani de electione, & in dicto capitulo, vbi periculum §. præterea, vbi per laicos compelluntur Cardinales. Et si non possent sic coerceri, fortè, quod facta protestatione occultè coram Notario, & testibus, & non aliter possent admitti, iuxtà notata in capitulo cùm M. de consti. & l. non solùm, §. morte, ff. de no. ope. nun. & in l. pacta nouissima post Bal. C. de pac.

Ad septimum dubium videtur prima facie dicendum prætactos Cardinales creatos congregato Concilio non esse veros Cardinales ex pluribus. Primò quia pendente Concilio ita debet fieri iudicium de persona Papæ, sicut de alijs, ex quo agitur de reformatione in capite, & in membris, quæ est vna de causis, ob quas congregantur Concilia, vt diximus supra in quæstione, ex quibus causis congregantur Concilia & patet in gestis Concilij Constantien. ergo pendente iudicio non potest procedere ad creationem Cardinalium. Facit, quod dicitur in capitulo ex literis de iurepatr. & in capitulo cumana de elect. & in capitulo secundo de in integrum restitu-
166 tione, vbi pendente lite quis non potest procedere ad electionem, vel saltem aliqui non possunt eligi. Pro hoc est, quod dicit specu. in ti. de inquisitione, in §. nunc videndum, vers. quid si in quisitio, vbi vult quòd quando est facta commissio inquisitionis in capite, & in membris, interea non potest aliquis de illo collegio promoueri, 81. distin. capitulo tantis Daniel. de accusa. capitulo omnipotens, de testi. capitu. fin. de simo. capitulo accusatum cum simil.
167 Vndè etsi pendente iudicio non potest quis priuari vsu iuris sui, vt in capitulo, sæpè de appel. nec illius exercitio, vt ibi, & in l. 1. §. integer. ff. nihil innouari penul. appell. cum simil. tamen saltem respectu promouendorum videtur aliter dicendum,

ma-

maximè in proposito, quia est congregatum Concilium ad generaliter reformandū in capite, & in membris. Vnde meritò videtur quod caput tunc non possit membra promouere, quia iste est alius casus, quàm in quo in loquuntur Doctores in dictis locis. Et hoc maximè in proposito, tum quia exitus iudicij Concilij posset esse contrarius huic creationi factæ per Papam, præsertim sine consilio, vel consensu Cardinalium, secundùm notata in capitulo super eo de hæret. Ioannem Monachum. Tum etiam quia si posset creare Cardinales pendente iudicio Concilij, posset facere iudicium Concilij frustratorium, quia crearet fortè tot Cardinales, quod cum eis posset omnia pro voluntate sua expedire.

168 Ad idem facit quod videmus pendente iudicio suspicionis contra Iudicem, ipsum super sedere in cognitione causæ principalis, vt in l. apertissimi C. de iudic. in capitulo cùm speciali de appel. in cap. Iudex de offic. delegat in 6. Ad idem quoque facit, vltra hoc quod iudicium redditur in inuitum l. inter stipulantem §. sacram. ff. de verb. oblig. cùm simili, & quod Concilium met congregatum habet cognitionem etiam de capitulis in Conclaui inter Cardinales celebratis, inter quæ erat illud quod vsque ad certum numerum, & de consensu ipsorum Cardinaliū crearentur, quod faceret contra promissionem per eum factam, contra ea, quæ ponuntur in cap. 1. de probat. & in l. Cæsar. ff. de publica. Item si Papa posset congregato Concilio Cardinales creare, illuderetur iudicio Concilij, & frustratoria esset congregatio, & fieret contra l. est receptum ff. de iuri omnium iudicium, & cap. nos si in competenter secunda quæst. 7. Sicut enim inter instituentem, & institutum, inter dantem, & recipientem debet esse differentia, vt in capit. fin. de instit. vnde prætor seipsum tu-

169 torem dare non potest l. prætor ff. de tutor. & cura. datis ab ijs, sic & inter iudicandum, & iudicantem, ex tali enim tacita submissione videtur Papa sibi interdixisse creationem Cardinalium Concilio durante. Facit quod dicitur in cap. fin. de matrim. contracto contra inter Ecclesia, & in cap. 2. de in integr. rest. Et licèt inferiùs

170 dicamus quod Papa possent creare Cardinales non obstante iuramento per eum in Conclaui præstito, non obstat, quia non intelligitur post congregatum Concilium pro informatione in capite, & in membris. Ad quod facit illud, quod aliàs dictum est post dictum Ant. quod licèt aliàs Concilium, sine Papæ auctoritate non subsistat, vt 17. dist. per tot tamen postquam est congregatum eius auctoritate, recipit in se omnem iurisdictionem. Pro hoc est quod dicit Felin. in cap. super literis de rescript. quod Concilium postquam est congregatum, recipit iurisdictionem cognoscendi, an crimen quod obijcitur Papæ sit tale propter quod sit contra eum procedendum

171 quia iudex causæ præparantis est iudex causæ præparatæ leg. ordinarij Cod. de rei vendit.

Iste articulus est mihi valde difficilis, & si quærimus quid conueniat; non dubito quod laudabile fuisset non creare, vt in simili ponit Oldra. in conf. 62. incipit, & circa hæc. Sed si voluit non attento quod

172 decurit, videtur quod potuerit ex plenitudine potestatis suæ, quæ non est subiecta regulis iuris, vt in sæpius allegaro capitulo proposuit, & cap. 1. vt Ecclesia bene, & Clementina, prima vt lite pen. cùm simil. Item quia diximus, quod posset Concilium transferre, & dissoluere, & quod existentes in Concilio dicuntur consultores, siue assessores, vt dicitur in cap. graue de præben. Item quod potest tollere Concilij statuta, & decrera, quæ concernunt bonos mores. Item quia modus creandi Cardinales non est de iure diuino. Contra ex alio capite

173 videtur quod non potuerit, quia licèt eius potestatis plenitudo non sit subiecta nexibus iuris, debet tamen esse regulata, ne generet scandalum in Ecclesia, quod contingeret in proposito, quia si illuderetur Concilio, per quod repræsentatur vniuersalis Ecclesia, nulli dubium quod omnes Patres, & alij Catholici scandalizarentur, expectantes reformationem, & videntes dissolutionem honesti. Et contra statum vniuersalis Ecclesiæ Papæ non dispensat cap. sunt quidam 25. quæst. prima qicto cap. proposuit in glos. Et maximè si ista fuit vna de causis, propter quas congregatum est Concilium, quia tentabat creare Cardinales vltra numerum, & contra modum factæ promissionis, & antequam esset de ista causa in Concilio cognitum non expectato iudicio Concilij creauit, istos nouos Cardinales, & si Papa tale quid facit, per quod scandalizatur vniuersalis Ecclesia congregatur Concilium contra eum, & potest ei resisti, vt supra diximus, & dicitur in sæpius allegato cap. si Papa 40. distin. Facit quod dicitur post Innoc. in cap. inquisitionis de sentent. excommunicat. & in cap. quanto de consue. Et si dicatur quod tempore exorti schismatis Vrbani, ac deinde Gregorij, Bernardi, & Ioannis, fuerunt hinc inde plures creari Anticardinales, qui remanserunt Cardinales, & sic Ecclesia quasi vacante, vr dicitur in cap. primo de schisma in 6. ergo multò magis in proposito, vbi habetur vnus indubitatus Papa, & Ecclesia non vacat. Respondetur illud fuisse propter omnium quasi possessionem Pontificatus in sua obedientia, & ad sedandum schisma. eos tolcratos fuisse, item illi fuerant creati ante indictum, & congregatum Constantiensi Concil. cap. illum, & non reperitur, quod durante Concilio aliqui fuerint spreto Concilio creati Cardinales; Item etiam dato quod Patres in Concilio existentes dicantur consultores, si tamen in electione non fuit requisitum eorum consilium, electio, siue promotio ipsorum non debuit valere, vt est text. & ibi dicitur materia in cap. cùm in veteri de elect. & bar. in l. 1. §. si plures ff. de exercit. & cap. cùm olim de Arbit.

174 In isto articulo crederem sic dicendum quod aut Concilium directè congregatum contra Papam, cui obijcitur tale quid propter quod non est Papa, de facto venit à

Papa-

Papatu amouendus tanquam intrusus, vt quia dicitur quod est hæreticus, & schismaticus, vel tale quid quod infert eum non esse Papam, iuxta ea, quæ ponuntur in cap. licèt de elect. & tunc crederem, quod non posset creare Cardinales sine consilio Concilij, & aliorum Cardinalium, & ratio est quia his casibus vulneratur eius potestas. Facit quod dicitur in dicto capitulo si Papa, & quia hoc ipso quod desijt esse Papa cessauit potestas Pontificatus. Et licèt illud tale quid fuerit fortè occultum, & pendete iudicio non videretur quis spoliandus sua quasi possessione, iuxta notata in cap. secundo de in integr. restit. & in cap. consultationibus de iurepatron. & cap. cumana de elect. lite ordinata C. de liberat. cau. & vt lite pen. per tot. tamen ex quo Concilium reperitur principaliter congregatum propter illud, quod impedit Papam vti plenitudine suæ potestatis, & ex quo creatio Cardinalium debet fieri cum consilio aliorum Cardinalium, vt dictum est supra, & dicitur in cap. super eo de hæret. in sexto post Ioannem Monachum, & quia quando Papa creat Cardinales sine voluntate aliorum Cardinalium illud facit ex suæ potestatis plenitudine, vt dicetur infra in quæstione de iuramento præstito in Conclaui de non creando vltra certum numerum Cardinales, meritò dicetur non valere creatio nouorum Cardinalium sine voto aliorum, & ipsis inconsultis, quia tunc propriè vt dicit in simili Bald. in cap. olim de rescript. est intrusus, & de facto amouendus, & extrudendus. Et ita in simili videntur concludere Doct. in d. cap. licèt de elect. quando contra Papæ electionem obijcitur exceptio hæresis, vel iuris naturalis, puta quod sit fœmina. vel furiosus, & similia. Et ad hoc etiam facit quod dicit Oldr. in cons. 22. & 23. de duobus Imperatoribus
175 electis eodem tempore, & administrantibus, quod non valent priuilegia per eos concessa diuersis personis, secus si eidem quia omnino vnus ex eis remansurus est verus Imperator. De quo etiam per Bald. in rub. decretalium, & ibi etiam quid de duobus contendentibus de Papatu, & concedentibus mihi vnum, & idem castrum. Et ideò non obstant dicta quod lite pendente quis non debet priuari sua quasi possessione, quia hoc ipso quod effectus est hereticus, priuauit seipsum sua quasi possessione, & si fuit mulier, nunquam habuit veram quasi possessionem, vt in cap. nona de pœniten. & remis. & qui facit aliquid le-
176 ge permittente non spoliat, vt diximus supra in illo articulo quis congregat Concilium in versic. sed pone quod inter duos in 3. chart. ibi non obstat, & cap. Aut opponitur tale quid quod non directè vulnerat plenitudinem potestatis eius, vt quia dicitur quod est ebriosus, intolerabilis vendens Episcopatus, fornicator, & his similia. Et tunc si quæritur quid deceт, dico quod non deberet creare Cardinales, sine consensu Cardinalium, & consilio Concilij propter turbationem ipsius Concilij repræsentantis statum vniuersalis Ecclesiæ, quod, quod quia est congregatum pro reformatione etiam capitis videns sibi adimi potestatem, & illudi, siue contemni & creati Cardinales ipso spreto, turbaretur propter quod potest de facto obuiari potestati Papæ propter scandalum, vt fuit dictum in quæstione, an quando Papa est incorrigibilis possit deponi, & de remedijs contra Papam incorrigibilem. Nam & Papæ venienti contra vniuersalem statum Ecclesiæ, potest resisti, quantumcumque non agat aliàs contra fidem, vt dicit Abbas post Innocen. in capitulo quanto de consuetudine.

Aut sumus in casu, in quo Papa de facto creauit Card. sine consilio Concilij. Et tunc si Concilium principaliter est congregatum per Papam propter aliquod grande factum, quod imminet in Ecclesia, valebit creatio Cardinalium sine Concilio. Ratio est, quia Papa non est subditus Concilio, immò ab eo Concilium sumit robur, vt sæpiùs allegato capitulo significasti, de electione, nec per congregationem Concilij est diminuta eius Pontificalis potestas, sed potiùs aucta. Facit quod dicitur in capitulo dudum in glos. tertia quæstione sexta, & in glos. in §. hinc etiam 17. dist.

177 Aut est principaliter congregatum contra Papam ob causas prædictas, videlicet quia vendit Episcopatus, aut propter quippiam simile. Et tunc si creasset Cardinales pro pecunia ab eis recepta, & sic per Simoniam, quia Concilium est congregatum ad extirpandam simoniam, & ad sedandum scandalum vniuersalis Ecclesiæ, & cauendum ne similes promotiones fiant, fortè quod isto casu non valeret creatio ipsorum per simoniam facta, non quidem ex defectu potestatis, sed ex defectu modi, & subiecti, quia modus est simoniacus, & subiectum, hoc est persona, est simoniacum, iura autem volunt quod simoniacus per simoniam receptus, efficiatur inhabilis, & non recipiat titulum dignitatis, siue beneficij. Quod enim efficiatur inhabilis not. Compostell. Ioan. Andr. & Ant. in cap. penult. de elect. & Abb. in cap. de simoniacæ de simon. Et quod non acquirat titulum, dicitur in glos. in cap. nisi essent de renunt. & Anton. ibi in princ. d. cap. nisi, & Doct. in capit. cùm pridem de pact. & Ioan. Andr. in cap. per tuas de simon. & dicitur in capit. veniens, & in cap. Matthæus de simon. in cap. super hoc de renunt. & 1. quæst. 1. cap. ordinationes, & constitutio Martini in Concilio Constantiensi in 43. sessione, quæ vltra hoc, quod vult ex talibus electionibus, confirmationibus siue prouisionibus simoniacis non quæri aliquod ius, excommunicat etiam dantes, & recipientes quoscumque etiam si essent Cardinales. Vnde posito, quod illa constitutio non liget successores, vt in cap. innotuit de elect. & in Clement. ne Romani in princ. tamen benè ligantur Cardinales. Faciunt etiam ad præmissa illa, quæ ponit Abb. in sua repetit. cap. exirpandæ in §. qui verò. de præben. cùm vult quod Papa vendendo Episcopatus illaqueetur crimine simoniæ, & non valeat promotio. De quibus feci mentionem in illo artic. an ex hoc quod Papa

pa ssim

passim committit simoniam, habeatur sufficiens causa congregandi Concilium, vbi etiam dico, quod congregatio Concilij erit facienda ad finem saltem puniendi Cardinales, qui simoniacas electiones faciunt. Sic in proposito etiam dato, quod Papa non illaquearetur, non tamen Cardinales euitabunt pœnam saltem quominus Concilium quod ad hoc est congregatum illos amouet ab officio, & dignitate Cardinalatus. Et licèt ego dixerim contrarium quando cum Concilio non concur-
178 rit voluntas Papæ, tamen in proposito illa opinio erit vera simpliciter, quod Concilium etiam contra voluntatem Papæ priuabit istos tales Cardinales, sic per simoniam assumptos ad Cardinalatum, tum quia isto casu iudicium Papæ est suspectũ, quia agitur de reuocando creationem per eum simoniacè factam, tum quia Concilium, quod est congregatum pro reformatione, in hoc est iudex. Item etiam quia huiusmodi simoniaca creatio duranteConcilio, sine Concilij ad extirpandam simoniam congregati consilio facta, non nisi per Concilium retractari potest, quia non
179 est dare alium superiorem, & si Papa Concilio existente in esse posset omnia pro libito voluntatis, frustra fieret discussio, an possit transferre, vel dissoluere Concilium. Item frustra diceretur Papam non posse facere legem, quod ipse non ligetur peccato, & frustra diceretur quod possit resisti Papæ aliquid facienti propter quod scandalizatur Ecclesia, vt dictum est.

Aut creatio Cardinalium non fuit simoniaca. Et tunc si non est scandalosa vniuersali Ecclesiæ, vt puta in tam excessiuo numero, quod dignitas Cardinalatus fieret ludibrio, argum. c. legimus 93. dist. quia fortè excederet numerum 72. iuxtà illud Lucæ 10. cap. designauit, & alios 72. per quos representantur presbyteri, vt dicit glos. credo, quod valeret talis promotio quamuis reperiretur facta sine consilio Concilij, vel reclamante Concilio, quia creare Cardinales est potestatis Pontificalis, & non Concilij, vt dictum est in illa qu. vtrum Sede vacante Concilium possit creare Cardinales. Nec per congregationem Concilij suspensa, siue diminuta est potestas Papæ, vt in cap. nunc autem 21. dist. & in §. hinc etiam 17. dist. & quod dictum est in illa qu. quæ sententia præualeat, Papæ ne an Concilij.

SVMMARIVM.

1 *Cardinales schismatici restituti, numquid recuperent dignitates, beneficia, & bona in alios translata.*
Arg. quod non. ibidem, & num. 6.
Et an recuperabunt locum in Collegio numero 13.
Et cautela quod apponatur clausula, quod restituantur perinde, ac si numquam in schisma incidissent num. 14.
2 *Ius tertij numquam in aliqua dispositione dicitur tolli, vel ei derogari.*
3 *Bannitus restitutus ad bona, non recuperat bona per fiscum alienata.*
Et Princeps remittendo pœnam, in dubio non videtur remittere pœnam parti debitam, ibid.
Et Princeps nõ censetur tollere ius tertij, ib.
Nisi restitutio esset plenissima, num. 6.
Et exemplifica vt ibid.
4 *Differentia inter restitutionem per viam dispensationis, vel per viam restitutionis.*
5 *Differentia vtrùm bona sint translata in aliũ facto hominis, & sic ex collatione Papæ, vel vigore sententiæ condemnatoriæ, puta quod sint talia, quæ ipso facto post condemnationem debent alteri applicari.*
Et ponit exempla, ibid. auctor.
7 *Princeps non censetur velle tollere ius tertij, & si auferat, dicitur denegata iustitia, & ablatum ius de facto, non de iure.*
Et licèt non possit tollere, & tamen auferat, & bona fuerint alienata titulo oneroso, potest ille, cui bona auferuntur habere regressum contra fiscum, numero 8. & numero 21.
9 *Priuatus beneficio, & degradatus restitutus non recuperat beneficia, nisi sit facta plenissima restitutio, vt supra num 6. & numero 14.*
10 *Cautela vt omnia bona intelligantur restituta.*
11 *Princeps ratione pacis potest auferre bona vnius, & dare alteri.*
Et donare res priuatorum, ibid.
Et remittere iniurias, & damna illata priuatis. ibid.
12 *Princeps ratione publicæ vtilitatis si aliquem restituat potest restituere etiam ad bona in alium translata.*
Quando aliter pax haberi non possit, ibid.
15 *Hæreticus si solùm reconciliatur non recuperat bona, sed si reconciliatur, & restituitur plenè recuperat.*
16 *Hæreticus reuersus, an efficiatur habilis ad beneficia.*
Distinctio auctoris, ibid.
17 *Restitutus numquam recuperat fructus perceptos ab alio.*
Et est communis ibid.
Licèt distinguat auctor, an restituatur per viam gratiæ, vel iustitiæ, ibid. & numero 19.
18 *Restituto per viam iustitiæ pinguiùs succurritur à iure.*
Et ratio assignatur num. 20.

ARTICVLVS II.

1 SEd pone quod Cardinales schismatici restituantur, vtrùm recuperabunt etiã beneficium, & dignitates, & bona in alios translata? Videtur dicendum quòd non per text. & d. in l. fin. C. de sentent. pas. & in cap. quamuis de rescri. in 6. Ioan. Ant. in regula sine culpa in Mer. Host. & alij in cap. ex tuæ post glo. de clem. non resi. Quia vt dicit Dom. in §. hinc etiam 27. distinct. Cardinales schismatici redeuntes ad vnionem non recuperant dignitatem priorem nisi de misericordia, remittit se ad cap. quia diligentia de electione. Et ad hoc faciunt multa bona dicta Felin. in cap. super eo de offic. de leg. vbi numquam in dispositione censetur tolli ius tertij, nec ei

ei derogari. Sed ibi in multis dictis ius tertij non erat acquisitum ex priuatione restituti ad gratiam, quo casu non habet locum quod dicitur in cap. quamuis de rescript. in 6. & in l. Gallus, §. & quid si tantùm, ff. de liber. & posthum. vt ponit Petrus de Ancharan. in consil. 209. incipit probata tanti viri. Quia quando est ius quæsitum tertio ex condemnatione, ibi restitutio faciliùs derogat iuri tertij, quàm quando restitutio est gratiosa, vt sentit ibi Petr. de Anchar. Sed bene facit quod per dicta iura cap. quamuis de rescript. in 6. & cap. ex multiplici de decim. cum si dixit. Domin. Anton. in cap. at si clerici in §. de adult. in 4. column. post Ioann. de Ligna. de iudic. quod si fit dispensatum cum aliquo, cuius beneficia fuerant per priuationem impetrata, non valet dispensatio in præiudicium impetrantis, cui saltem fuerat quæsitum ius ad rem, per cap. dudum, de election. & ibi ponit hoc Ioan. Andr. & c. vt constitueretur 50. dist. Et quando dixit
3 Card. in dict. cap. quia diligentia, videlicet, quòd restitutus ex banno ad bona, non recuperat bona per fiscum alienata, sentit Abb. in cap. ex tuæ circa fin. de Cler. non resid. & in capitulo intra quatuor de maior. & obed. & in capit. 1. de paro. Doct. in l. fin. C. de sentent. pass. in dict. §. & quid si tantùm. Sic & Bar. & in l. 2. ff. de in ius voc. post gloss. dicit, quòd Princeps remittendo pœnam, in dubio non videtur remittere pœnam parti debitam, & refert Felin in capit. super eo de offic. de leg. vbi allegat plures concordant: in quibus non censetur Princeps tollere ius tertij. Et sic videtur ex his, quod dicti schismatici non recuperarent beneficia in alios translata.
4 Sed videtur esse dicendum, quod si eorum restitutio non fit per viam dispensationis, sed per viam restitutionis, etsi translatio, & ius alijs quæsitum trahit originem, & causam simpliciter à condemnatione ipsorum tantùm, & non à nouo pacto, vel contractu inito cum fisco, tunc per talem restitutionem recuperabunt etiam bona in alios translata, ac si omnia eorum bona in alios translata adhuc essent penès ficum. Ita Bald. in l. Gallus in §. & quid si tantùm, de liber. & posthum. & ibi Moderniores, & Petrus de Ancharan. in dict. cap. quamuis: in secunda columna, versic. & conclude ex prædictis, & conf. 409. incipit probata tanti viri equitia, & Bald. in l. si pater, ff. de adopt. & Ægid. decis. 743. & 744. & refert Felin. in cap. intra quatuor de maioritate, & obedientia, & in capit. super eod. in secunda columna de officio delegat. Et sic videretur, quod dicti Cardinales recuperarent officia, & beneficia etiam in alios translata.
5 Sed dic contrarium, quia præcedens dictum non intelligitur de bonis, & beneficijs in alium translatis facto hominis, & sic ex collatione facta per Papam, sed quando sunt in alios translata vigore ipsius sententiæ condemnatoriæ, puta si sint bona, æuæ ipso facto, quòd aliquis est condemnatus, deberent alteri applicari, vt in exemplo statuti, quòd bona homicidæ applicentur parti, quo casu facta condemnatione bona sunt effecta statim ipsius partis ex actu ipsius sententiæ: ponit Angelus in l. Pater filium, ff. de adopt. & Alexandr. in dicto, §. & quid si tantùm. Licèt etiam hoc casu contrarium tenuerit idem Alexand. in consilio 313. incipit nec arguendi, in sexta columna, in secundo volumine, & Bald. in dicto §. & quid si tantùm in penultima columna, & refert Iason ibi in secunda limitatione in sextadecima columna. Quod videtur intelligendum, nisi quando ratio condemnationis concerneret non solùm Papam, sed etiam alium immediatum Dominum, vt puta Vicarium aliquem Ecclesiæ, quia si subditi rebellassent à Domino mediato, & immediato, vt puta si in Papam commisissent crimen læsæ maiestatis, & contra suum Dominum etiam rebellassent, & Papa postea restitueret tales subditos, & rebelles, non per hoc restitutio extenderetur ad iura concernentia ipsum Vicarium, qui in illos habebat superioritatem, & iurisdictionem omnimodam post Papam. Ita notabiliter consuluit Petr. de Anchar. consilio 161. vbi etiam concludit, quod per talem restitutionem, si aliqui erant mortui, & sunt restituti, quoad honores, statum, famam, & bona in casu quo esset eis vtilis talis restitutio, vel necessaria, non propterea conualidarentur illorum testamenta, sed illis succederent venientes ab intestato propter defectum extremi à quo, vt l. qui ex liberis, ff. de secundùm tabul. facit, l. bo-
6 norum, ff. rem ratam haberi. Vnde videtur dicendum, quòd præfati Cardinales non recuperabunt beneficia: ponit Abb. in cap. quia diligentia, in fin. de electione, & omnes in dicto, §. & quid si tantùm, & in dict. l. fin. & dict. cap. quamuis. Nisi vbi restitutio esset plenissima, puta si per Principem restitueretur in integrum, non obstante aliqua condemnatione, quam vellet haberi pro non facta, & de ea non posse obijci, cum inhibitione, & decreto annullatiuo, vt fuit in restitutione facta à Clemente Dominis Columnensibus Petro, & Iacobo, quia tunc omnia recuperarent, etiam in alios translata. Ita dicunt Moderni in dicto, §. & quid si tantùm, & Ægid. & Card. Florent. in dict. cap. quia diligen-
7 tia in 3. quæst. Qui videtur intelligere, quod per hoc non aufertur ius tertio, sed tantùm de facto denegabitur iustitia propter inhibitionem aliter iudicandi, sed non de iure. Vnde licèt talis restitutio directè non valeat, valebit tamen per indirectum, quia à magistratib. non reddetur ius secundùm Sozzinum in dict. §. & quod si tantùm in gloss. in 2. limitatione: allegat in simili Bar. in consil. 187. incipit Domini Priores, & Abbatem in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ de constit. in repetit.
8 Isto ergo casu, si bona fuissent in alium translata titulo oneroso, posset ipse tertius habere regressum contra fiscum per l. 1. & 2. C. de quadrien. præscript. secundùm Ioann. de Immol. in dict. cap. quia diligentia de elect. ponit Fel. in cap. fin. de constit. Et quod plenissima restitutio sufficiat

ficiat innuit Ioan. Andr. & Dom. in dicto
9 cap. quamuis, vbi dicunt, quod licet re-
stitutio illius qui fuit priuatus beneficio,
& degradatus non trahatur ad beneficia,
illud verum est, nisi esset plene restitutus.
Multò magis in proposito, qu ando esset
plenissima restitutio. Pro hoc est consi-
lium Abbatis 192. incipit in quæstione hę-
redum, qui vult, quod restitutus per Pa-
pam, etiam ad bona confiscata, recupera-
bit res emphyteuticas, etiam alteri con-
cessas, & idem Ægid. in dict. decis. 743.
10 & 744. Ad obuiandum autem omnibus
dubietatibus posset fieri restitutio, etiam
ad omnia in alios translata. Quod Prin-
ceps ex causa facere potest secundùm Bart.
in l. quæcumque. C. de fide instrum. lib. 10.
& ponit Felin. in dict. cap. intra quatuor,
& Bal. in tit. de pace Constan. in 12. co-
11 lumn. in verbo priuilegia omnia. Quia
ratione pacis potest Princeps auferre bona
vnius, & dare alteri, vt in l. Lucius, ff. de
euic. & in l. item si verberatum, §. 1. ff. de
rei vend. & dicitur in cap. quæ in Ecclesia-
rum de constit. & Bal. & Angelus in l. be-
ne à Zenone. C. de quadrie. præscript. vbi
pro pace habenda potest donare res priua-
torum. Item Princeps ratione pacis, &
propter publicam vtilitatem potest remit-
tere iniurias, damna illata priuatis, vt la-
tè dicitur maximè per Modernos in l. ve-
nia. C. de in ius vocan. & Canonistæ in cap.
in nostra de iniu. & in cap. quanto, de iu-
reiur. & Bal. Angelus, & Moderni in l. con-
uentionum, ff. de pac. & per Franciscum de
Platea in tract. restitutionum in rub. de
restitutione bellantium in §. 74. & remissi-
uè per Balencinum in dict. cap. quanto, vn-
de ratione publicæ vtilitatis Princeps po-
terit restituere etiam, quoad bona in alios
translata. Ita dicit Abb. in cap. 1. in pri-
mo nota. de Paroch. ponit Areti in d. §. &
quid si tantùm, allegat. extrauag. de pace
Constan. in verbo priuilegia. refert, & se-
quitur ibidem Sozzinus cum modificatio-
ne, quando aliter pax haberi non potuisset:
de quo plenè per Modernos in d. l. venia.
Ad hoc facit, quòd dicit Alex. consil. 94.
in 5. volumin. incipit visis, & sæpiùs re-
censitis, videlicèt quòd Princeps pro ha-
benda pace sui territorij potest castrum
13 subditi dare alteri. Et ex præmissis ap-
paret vtrùm prædicti Card. recuperabunt
locum in collegio, quia licèt aliàs Bart.
in lege secunda, ff. de decur in princip.
& in lege prima. C. de ijs, qui in exi-
lium dati libro 10. dicat. quod non, &
quod fuit practicatum tempore Romei de
Pepulis in quibusdam Doctoribus expulsis,
qui postea licèt fuerint restituti per Lega-
tum, non tamen recuperarunt locum in
Collegio ab alijs, occupatum, quod ponit
etiam Felin. in d. cap. super eo de offic.
delegat. qui videtur etiam velle, quòd lo-
cus non recuperetur, etiam si restitutio fue-
rit plenissima, quasi locus fuerit acquisitus
Doctori ex condemnatione, & sententia,
& tamen si rectè consideretur ratio innuit
contrarium. ad consil. Petri de Anchar.
409. quod ipse allegat, quia quando acqui-
situm est ex condemnatione faciliùs resti-
tutio derogat iuri tertio quæsito ex senten-
tia, & restitutus quis censetur etiam ad bo-
na in alium translata; ideo etiam quoad
locum debet illud intelligi, nisi sit per prin-
14 cipem facta plenissima restitutio, vt dictum
est, & maximè si posita esset etiam clausu-
la, quod redintegraret eos perindè, acsi
numquam in crimen schismatis incidissent,
quod potest Papa fingere, vt in Clem. 1. in
gl. de immun. Eccl. ad quod bonum est cons.
Calder. 12. in tit. de rescript. & Abbatis
84. in 1. vol. in 4. colum. & 3. Sed quoad
istam clausulam tantùm Calder. vult quod
licèt persona habilitetur vt ex tunc non ta-
men præiudicat iuri tertio quæsito, & idem
videtur sentire Card. Ana. & Areti. in cap.
ad petitionem de accusat. qui non loquun-
tur in casu plenissimæ restitutionis. Et eo-
dem modo intelligo Bald. in cap. constitu-
tus in 2. colum. de rescript. & Abb. in cap.
ex tuæ ad fin. de cler. non resid. cùm vo-
luit, quod clericus depositus, & restitutus
pristinum statum, recuperet beneficia in
alium collata, quia intelligitur nisi esset
plenissima restitutio. Dominus Ioan. de
15 Ligna, in d. cap. quia diligentia, loquen-
do in hæretico reuerso dicit secundùm
Ioan. & Vin. quod recuperat iurapatrona-
tus, nisi priùs contra ipsum lata fuisset
sententia secundùm Bartol. per tex. 1.
quęst. 7. cap. maximum. Quod improbat
ibi Ioan. de Ligna. quia in hæretico non
est opus sententia cùm sit priuatus à lege,
vt in cap. cùm secundùm de hæret. Vnde
dicit, quòd aut bona sunt alij concessa, &
tunc dato, quod redeat, illa non recuperat,
cap. quamuis de rescript. Si non sunt alijs
concessa, tunc debet ponderari modus re-
stitutionis, quia si solùm reconciliatur, ni-
hil de bonis recuperat, sed si reconciliatur
16 & restituitur plenè, tunc recuperat bona.
Verùm autem hoc casu efficiatur habilis ad
beneficia, est considerandum, per quem resti-
tuitur, quia remanet infamis infamia iuris,
quæ nō tollitur, ni si per principem; vnde at
inferiore restituitur, erit inhabilis. Si à prin-
cipe, aut plenè restituitur, & tūc secus, quia si
per principem plenè restituitur, tunc quoad
omnia per principem potestatem haben-
tem restitutus intelligitur cōsiderata forma
gratiæ, quòd sit plenissimo quoad bona, &
17 personâ restituti, vt supra dictū est. Et addè
quod quantūcumq; aliquis fuerit restitutus
per principem, nullo tamen casu de mun-
do recuperabit fructus perceptos ab alio.
Tex. est in authen. idem de Nestorianis,
C. de hæret. quem tex. ad hoc reputant sin-
gularem Angelus, Imol. Raphael. Alex. &
Aretin. in d. §. & quod si tantùm, & Bald.
in cap. domino guerram tit. hic finitur lex.
in vsibus feu. & in l. 1. C. de hæredi. instit.
& in l. nam ad ea, C. de ll. & in l. fin. in
9. colum C. de sententiam pass. & Angelus
in authen. vt cum de appellat congnoscitur,
in §. si quis de parentibus Bald. consil. 359.
in fin. incipit proponitur in 1. volum. Et
est communis opinio secundùm Iasonem
in d. §. & quid si tantùm vbi ad hoc allegat
plures concordantes, licèt ipse fuerit in
contraria opinione post Nellum de sancto
Geminiano in trac. Bannitorum in prima
parte

parte tertij quæst. 7. per plures rationes per eum assignatas ibi in d. §. & quid si tantùm. Cuius opinionem credo veram in casu, quo restitutio fieret per viam iustitiæ, iuxta, l. 1. ff. de quæstion. & non per viam gratię, quia tunc non solùm talis restitutio tolleret iura alteri quæsita, & in alium translata ex illo actu, aduersùs quem concederetur restitutio, vt in l. quod si minor. §. Sceuola, ff. de minor. & dicit Raphael. in d. §. & quid sit tantum, & ponit Nellus in d. tract. Baunitorum in prima parte tertij temporis in 11. qu. in fin. & est bonus text. in l. si ex causa in princ. ff. de minor. & melior text. in l. in causæ la 1. in §. interdum, ff. eod tit. sed etiam isto casu fieret restitu-
18 tio fructuum medio tempore perceptorum, quia ei, qui restituitur per viā iustitiæ, pinguiùs succurritur, à iure, vt d. §. Sceuola, & restitutio per viam iustitiæ, tantum restituit quantum abstulit id aduersùs, quod petitur restitutio, vt in l. qui proprio, §. item quæritur ff. de procurat. Et de hoc est bonus tex. in l. quod si minor in §. restitutio, ff. de minor. quem adde ad tex. in l. videamus la secunda in §. in Fauiana, ff. de vsur. super quod se fundat Iason. cum tenet contrarium in d. §. & quid si tantùm. Et de hoc est bona glos. in cap. super causa in verbo beneficia, 2. quęst. 4. & alia in cap. clericus victum, 91. dist. & glos. fin. in cap. pastoralis de appellat. quæ omnes allegant
19 text. in l. penul. ff. de re milit. & volunt quando quis restituitur per viam iustitiæ, quod recuperet omnes fructus medij temporis. Et hoc voluit Alexan. de Immol. in consilio 142. incipit viso processu in vltima colum. in 5. volum. Et si dicatur, quòd bona fides debet excusare eum, in quem bona sunt translata, & qui fructus percepit bona fide ab illo, qui iniustè fuerat damnatus, sicut illum est qui consecutus, ex persona illius, qui iustè fuerat condemnatus, iux. l. certum, C. de rei vendic. & cap. grauis de rest. spoliat. cum sim. Respondetur, quod licèt bona fides illum excuset in vno casu, sicut in alio, tamen fiscus, qui iniustè in alium transtulit non debet excusari, & in defectum fisci is, in quem res translata reperitur, quamuis fuerit ignorans non excusatur. Casus est multum notabilis in d. l. in causę la 1. in §. interdum, versic. Pomponius, quoque, ff. de minor. iuncta l. quod
20 si minor. §. restitutio, ff. eod. tit. Et huius ratio potest assignari, quia talis restitutio, quæ innititur iustitiæ, fit à lege licèt iudicis ministerio, quæ non sinit aliquem sine sua culpa priuari, vel deijci à gradu suo, vt in
21 cap. satis peruersum, 56. dist. cum sim. Et is, in quem bona reperiuntur translata per fiscum, poterit agere contra fiscum, si titulo onerolo in eum translata reperiantur per fiscum, iux. l. 2. C. de quadri. præscrip. ponit Ioan. de Immol. in d. cap. quia diligentia, & refert Felin. in di. cap. intra quatuor.

SVMMARIVM.

Cardinales ex gratia restituti aduersùs schisma, an teneantur abiurare illud schisma; quòd non. ibidem.

Imò non debent recipi ad vnitatem Ecclesiæ, nisi priùs abiurato schismate. ibidem.

Forma abiurationis ibidem. remissiuè.

Et forma talis abiurationis debet mitti ad Ecclesias scandalizatas. num. 2.

Et talis abiuratio debet fieri in publico non in oculo. num. 3.

Excommunicati cauent de parendo mandatis Ecclesiæ. num. 4.

5 *Absolutio ab excommunicatione schismatis, an possit peti per procuratorem.*

6 *Solemnitas, quando schismaticus recipitur ad vnitatem. remissiuè.*

ARTICVLVS III.

1 AN autem tales Cardinales sic ex gratia restituti teneantur abiurare schisma, Abbas in d. c. quia diligentia dicit quod sic, sicut & hæreticus, iuxta capit. si qui voluerint, 1. quæst. 7. & in cap. ego Berengarius de consecrat. distin. 2. & in cap. conuenientibus 1. quæst. 7. & quod dicitur in cap. ad abolendam, de hæret. & cap. super eod. & cap. accusatus, eod. titul. in 6. Imò dicit Abb. ibi quod non debent recipi ad vnitatem Ecclesię, nisi priùs abiurato schismate, & de formà abiurationis ponitur in d. capit. ego Berengarius, & d. cap. conuenientibus, & cap. si qui voluerint, & in cap. quotiens eadem causa 1. & q. 7. qui tex. etiam loquitur in schismatico. Quinimò illa iura requirunt, quòd per propriam scripturam fiat huiusmodi abiuratio, & quod
2 manupropria subscribatur. Et amplius si ex schismate, vel hæresi eius, qui abiurat schisma, vel hæresim fuissent multæ Ecclesiæ scandalizatæ deberet copia illius abiurationis ad omnes illas transmitti, vt quæ malè fuissent ædificatæ de peruerso gauderent, & ædificarentur de conuerso, vt dicit text in d. cap. ergo Berengarius, in fin. & ponit Gundisal. de Villadiego in tract. de
3 hæret. in 24. quæst. Et debet fieri talis abiuratio non in occulto, sed in publico, quia notoria crimina, & orbem scandalizantia publica pœnitentia tolli debent, vt in cap. in capite, 50. dist. & cap. fin. 26. quæst. 6. & glos. ibi in sum. Et ita fecit Berengarius qui coram, 113. Episcopis hæresim Romæ abiurauit, vt patet in d. cap ego Berengarius, in fin. Imo. & tex. iunc. glos. in d. cap. ego Berengarius, in fin. Imo. & tex. iunct. glos. in d. cap. si qui voluerint exigit cautionem de parendo mandatis Ecclesiæ,
4 & eius statuta obseruando. Facit quod dicitur de absolutione danda excommunicatis à quibus recipitur cautio de parendo mandatis Ecclesię, vt in cap. ex tenore, & in cap. cùm desideres, & in cap. nuper & c. per
5 tuas de sent excom. An autem talis absolutio possit per Procuratorem peti, dicitur in d. cap. cùm desideres, per Doct. Et in

proposito si considerentur iura superiùs allegata, videtur, quod hoc personaliter facere deberent,& maximè per tex. in d. cap. in capite, 50. dist. In excommunicato tamen curia seruat contrarium,quia absoluit per Procuratorem habentem ad hoc man-
6 datum, vt est decis.24. in titul. de sent. excom. in anti. Et de solemnitate seruanda, quando recipitur ad vnitatem schismaticus, vide plenè in Pontificali, in 4. lib. in titul. de ordine recipiendi hæreticum, vel schismaticum.

SVMMARIVM.

1 *Schismaticus volens redire ad vnitatem, an sit restituendus ad priora. Quòd sic ibidem, etsi restituatur quomodo intelligendum. num.5.*

2 *Hæreticus relapsus non est recipiendus, schismaticus verò semper. ibid.*

3 *Ob scandalum euitandum detrahendum est seueritate.*

4 *Incidens semel in schisma non potest ampliùs promoueri.*

Nec auditur volens abiurare, talis enim non potest ampliùs ministrare sacramenta. ibidem.

Licèt ex gratia possit cum talibus dispensari per Papam. ibidem.

6 *Homo paratus redire post peractam pænitentiam efficitur nouus homo. Quomodo intelligendum.*

ARTICVLVS IV.

1 SEd an si schismatici volunt redire ad vnitatem, sint restituendi ad priora? Text. in §. hinc etiam 47. distinct. ostendit quòd sic, cum dicit, quòd cum schismaticis, qui discesserant à Symmacho Papa est misericorditer agendum, & eos esse restituendos ex misericordia ad officia ecclesiastica. Quod est clarum, vbi agitur pro pace Ecclesiæ, quia vt tollatur schisma, & scissura Ecclesiæ, debent restitui, & ita dicit ibi Alex. & text. in §. illud de clericis, ead. distinct. Et aliquando schismaticus potest cogi ad vnionem, vt 23. quæst. 6. cap. schismatici. Vnde August. de Ancon. in tract. de potestate Papę dicit quòd
2 licèt aliàs hæreticus relapsus non debeat recipi ab Ecclesia, tamen schismatici redeuntes ad vnitatem semper sunt recipiendi. Et Diuus August. in Epistola 50. ad Bonifacium Comitem in penult. charta, inquit. Verum in huiusmodi causis, vbi per graues dissensionum scissuras non huius, aut illius hominis est periculum, sed
3 populorum strages iacent, detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis charitas sincera subueniat. habeant ergo isti de præterito detestabili errore,sicut Petrus habuit de mendaci timore amarum dolorem, & veniant ad Ecclesiam Christi veram, hoc est matrem catholicam, sint in illa clerici, sint Episcopi vtiliter, qui contra illam fuerunt hostiliter non inuidemus: imò amplectimur, optamus, hortamur, & quos in vijs, aut sepibus inuenimus, intrare cogimus, etsi nondum quibusdam persuademus, quòd non res eorum, sed ipsos quærimus. Apostolus Petrus, quando Saluatorem negauit, & fleuit, & Apostolus mansit, nondum acceperat promissum Spiritum Sanctum, sed multò magis isti eum non acceperunt,quia corporis compage diuisi, quod solum corpus viuificat Spiritus sanctus, extra Ecclesiam & contra Ecclesiam, Ecclesiæ Sacramenta tenuerunt, & tamquam ciuili bello nostris, contra nos erecti signis,armisque pugnauerunt. Veniant, fiat pax in virtute Ierusalem, quæ virtus charitas est, cui sanctæ ciuitati dictum est, fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis: non se extollant aduersùs maternam sollicitudinem, quam pro ipsis, & pro tantis populis, quos decipiunt, vel decipiebant colligendis, & habuit, & habet, non superbiant quòd sic eos suscepit,non referant ad elationis suæ malum; quòd facit ipsa propter pacis bonum, sic multitudinibus per schismata, & hæreses pereuntibus subuenire consueuit. Sic ergo ex his colligitur 1
quòd pro pace Ecclesiæ sunt restituendi: aliàs autem cessante causa non sunt resti-
4 tuendi, quia incidens semel in schisma, non potest ampliùs promoueri, vt in cap. nos consuetudinem 12. distinct.& 1.quæst. 7. cap. contrauenientibus, cum sequent. notat Abbas in capit. quia diligentia de elect. Nec tuetur eum, quod paratus sit abiurare schisma, quia postquam semel incidit in notorium schisma, non potest ampliùs administrare sacramenta, vt in capit. dilectus & capit. final. de tempor. ordin. Potest tamen semper ex gratia cum eis per solum Papam dispensari, quando schisma est contractum, quia discesserunt ab obedientia veri Papæ, & non per alium inferiorem, vt dicitur in dicto capitulo, quia diligentia in prima oppositione per
5 Abb. Non obstat, quòd dicit Augustin. de Ancon. quòd schismatici semper sunt recipiendi, quando sunt parati abiurare schisma, quia intelligo quantum ad vnitatem cum Ecclesia, & superiore, & non quod sint restituendi semper ad priores dignitates, honores, & loca. Ad quòd facit quòd dicit idem Abb. in dict. opposit. referendo Hostien. ibi quòd illud
6 quòd dicitur, quòd postquam quis est paratus redire post peractam pœnitentiam efficitur nouus homo, vt cap. ferrum 50. distinction. debet intelligi, quòd quoad Deum pœnitens non despicitur, vt in capit. quemadmodum de iureiur. secus quoad Ecclesiam militantem, quia ex quo semel efficitur inhabilis, non recipitur ab ea vlteriùs sine dispensatione ad administrandum, per text. ibi in dict. capit. quia diligentia, & capit. quia circa de bigam. & dict. cap. dilectus & capit. fin. & cap. post translationem de renunc.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Papa, qui in conclaui aliquid iurauit, vel nouit, si non obseruet, an efficiatur periurus.*
Et an possit seipsum absoluere. nu.9. & 29. & num.39. 40. & num.102. & 114.
Et an possit compelli ad obseruatio. num.2. & num.8.
Et alia argum. num.101.
Et quod non possit cogi. num.102.
Periurus simpliciter est infamis.
Et est infamia facti, quæ deletur per pænitentiam. ibidem.
4 *Periurium quando inducat infamiam.*
5 *Notorietas, & scandalum auget peccatum.*
6 *Periurus, an ipso in re priuetur, an debeat declarari.*
Distingue in habente superiorem, & non habente. ibidem.
Quod an procedat. num.7.
10 *Papa, vel Episcopus, an possit sibi remittere pœnitentiam iniunctam à sacerdote.*
11 *Iuramentum est de iure diuino, & illud tenemur obseruare, & num.91.*
Et est de præceptis primæ tabulæ. num.12.
Comites iuramenti. num.13.
In quibus non potest dispenari. num.91.
15 *Votum obseruandum, & maximè quando concurrit cum iuramento.*
Et tunc Papa non potest sine causa absoluere. num.43.
15 *Votum semper principaliter protestatur Deo. num.91.*
16 *Iurans non accipere Episcopatum, an teneatur iuramentum obseruare.*
17 *Pertinax in periurio, videtur malè sentire de fide.*
18 *Dignitatem, quam quis habet non recognoscens illam de honestate non reformidat.*
19 *Funiculus triplex difficiliùs rumpitur. & num.43.*
20 *Papa contrauenieus iuramento, vel voto, dicitur magis peccare alijs.*
Et ideò in futuro iudicio magis punietur. ibidem.
21 *Papa, & Imperator ligantur suo contractu, & ideò licèt Deus illis leges subiecerit, non tamen illis subiecit contractus, & conuentiones.*
Et ita ligantur suo contractu, vt de plenitudine etiam potestatis non possint contrauenire. num.22.
Et hoc, quia potentius est ius naturale, quàm principatus. num.23.
Et licèt non ligentur lege legis, tamen ligantur lege conuentionis, & contractus. num.24.
25 *Imperator obligatur ex suo contractu.*
Et ratio. ibidem.
26 *Princeps non potest tollere ea, quæ habent subsistentiam à iure naturali, & simile. num.58.*
27 *Imperator non potest supprimere ius quæsitum alteri.*
28 *Papa licèt reuocet omnes concessiones super rebus Ecclesiasticis, non tamen intelligitur reuocasse contractum censualem ab eo concessum.*
30 *Dispensatus super voto sine causa non est tutus, quoad Deum.*
31 *Papa licèt malè faciat non obseruando in sua persona, quæ habetur in capitulo omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss. Nunquid habebit locum contra illum pœna in dicto cap. inserta.*
Et Papa tenetur confiteri, sed non tenetur obseruare prædictam constitutionem, cap. omnis vtriusque. num.33.
32 *Confessio, vbi fuerit instituta.*
Et an Papa peccet non obseruando constitutionem, cap. omnis vtriusque de pœnit. & remiss. num.33.
34 *Papa non potest dispensare, quòd quis saluetur sine confessione, sed benè potest tempus ad confitendum differre.*
35 *Papa non potest sine causa remittere obligationem Deo quæsitam cum iuramento.*
Sed causa semper præsumitur. num.39.
Nec potest commutare votum, quando licitè, & honestè seruari potest. num.37.
Et quomodo intelligendum. num.38.
36 *Papa ex condecenti tenetur obseruare ius naturale insurgens ex lege, non tamen arctatur ad pœnas illius legis.*
41 *Episcopus receptans furem contra suam constitutionem hoc disponentem incidit in excommunicationem.*
Episcopus enim ligatur suis constitutionibus. ibidem.
42 *Deus obligatur ex promissione, & pacto, & num.68.*
44 *Absolutio à voto, vel iuramento, quando fit cum causa, debet fieri cum causæ cognitione, & parte citata.*
Et in inferiore à Papa clarum est, & an in Papa. ibidem.
Maximè, si per votum, vel iuramentum esset ius quæsitum tertio. num.45.
46 *Iuramentum, quando est licitum, & obligatorium alteri, non debet relaxari, nisi vocata parte, secùs si est illicitum, vel metu, aut dolo extortum. num.47.*
48 *Papa an possit ardua facere sine consilio Cardinalium, & sic creare Cardinales, & num.81. & 117.*
Et an valeat consuetudo, quòd possit talia expedire. num.87.
49 *Regimen mixtum cum consilijs optimatum melius est, quàm Monarchia, & principatus vnius.*
Contra sanctum Thom. num.50.
Et plura argum. num.51.
52 *Aduocati, & Consiliarij Dominorum non debent facere ea, in quibus est arduum dubium sine Dominorum consilio.*
53 *Ecclesia militans est fundata ad instar triumphantis.*
Et in militanti, à Christo in Petro est institutus status Papalis, & status Cardinalium loco Apostolorum, qui sunt assistentes; Episcopi verò ministrantes.
54 *Statuum distinctio à Christo est.*
Et illam non debet Papa confundere. ibidem.
55 *Card. sunt pars corporis Papæ, & cum sit iniuria Cardinalis Ecclesia dicitur subijci periculis.*
56 *Papa non potest dispensare contra statum; conciliorum, & proprium iuramentum, solus, sed cùm consilio Cardinalium.*

Et

Nam

ARTICVLVS V.

1 QVæro deinde vtrùm Papa, qui iurauit aliqua in conclaui, & nouit, quæ non seruauit, possit dici periurus, & taliter, quod non possit se absoluere, & quod possit compelli ad seruandum iuramentum, exemplum, si iurasset, & vouisset, quod teneret Concilium intra biennium, & quod non crearet Cardinales sine consensu omnium, donec esset reductus numerus ad 24. cum commemoratione constitutionis frequens in Concilio Constantien. editæ, & si nolit, an possit ei subtrahi obedientia. Ægidius in cap. 1. de iniur. in 6.
2 videtur tenere, quod teneatur ad obseruationem, & quod compelli possit, & exemplificando de iuramento præstito in conclaui per Benedictum XIII. dicit quod ipse erat notoriè periurus, & per consequens infamis. Allegat l. si quis maior Cod. de transac. adducit Gulielm. de Monte Laur. & Bart. ff. de ijs, qui not. infam. l. Lucius, & Iacob. Butr. in dicta l. si quis maior. licèt Petrus de Bellaperrica, & Bald. remissius locuti fuerint secundùm eum, & hoc secundùm ll. Sed secundùm Canones Gosfred. in summa de iure iurando §. quæritur an periurus versic. sed hæc omnia, tenet
3 periurum simpliciter esse infamem. Sed Ioan. & Archid. in hoc variant 6. quæst. 1. quicumque. De quo per Henricum Boich. in cap. cùm dilectus in distinct. 3. de ordin. cognit. vbi dicit, quod talis infamia est infamia facti, quæ deletur per pœnitentiam. Sed in infamia iuris ipse Henricus ali-
4 ter distinguit. Ægidius tamen in d. cap. 1. ex notatis in diuersis locis colligit conclusionem infrascriptam, quod si iuramentum fuit solemniter præstitum, & erat de futuro, eiusque violatio cedit in graue præiudicium tertij, tunc talis violatio reddit ipsum periurum infamem, & hoc maximè verum est, si violatio est notoria, & ex ea magnum scandalum oritur, quia notorie-
5 tas, & scandalum augent peccatum, & pœnam peccati, vt patet ex ijs, quæ notantur in l. si quid aliquid §. qui abortionis, & l. aut facta in fin. ff. de pœnis de tempor. ordin. cap. quæsitum, & de præscrip. cap. nihil. Infames autem, à dignitatibus exclusi sunt l. 2. Cod. de dignitat. lit. 12. & regula infamibus in 6. & notata per Innoc. in cap. per inquisitionem de elect. & quod notatur de fideiussor. peruenit & de iureiurando sicut nostris. Deierans enim dicitur bellua quæst. 22. cap. 2. homi-
6 nes. Et si dicas talem non esse ipso iure priuatum sed priuandum, iuxta ea, quæ dicuntur in cap. querelam de iureiurando. Ægidius dicit hoc esse verum in inferiore, qui habet superiorem, qui eum priuare potest, sed in Principe superiore carente cessat illud suffragium iuris positiui, & ideò oportet, quod semper remaneat impunitus, quod est absurdum, vel quod de facto habeatur priuatio. Et eodem modo videtur, quod posset responderi ad cap.
7 nonne 9. quæst. 4. Fatetur tamen idem Ægidius, quod ista non sunt secura, nec credit ea vera, Argumentatiuè autem dicit posse induci, quod magis debeat puniri Papa in pari delicto, quàm alius super quo se remittit ad cap. cùm quidam de iureiurando. Ad idem est, quod dicitur per gloss. in cap præsul. 2. quæst. 5. & in cap. alius 9. quæst. 3. Item inducit illud, quod solet dici, quod in mortali peccato constituti non debent, saltem dum in peccato perseuerant, promoueri ad Ecclesiasticas dignitates, immò etiam tunc promoti, ab eis repelli debent. Facit quod dicitur in cap. sicut nostris, de iureiurando, & de Clement. excommun. minis. cap. si celebrat. Vide tamen Innoc. & Doctor. in cap. inter dilectos de exces. prælat. & in cap. accedens de accusat. & in cap. ex tenore, & cap. quæsitum de tempor. ordin.
8 Istam opinionem, quod Papa obligatur ad obseruandum iuramentum, tenet Antonius de Butrius in capit. 1. de constitut. qui voluit etiam, quod non possit creare Cardinales contra iuramentum, & votum proprium, ea ratione quia Papa astringitur suo voto, & iuramento, nec ab illis potest se absoluere notatur 15. quæst. 6. auctoritatem, de voto cap. non est, notat gloss. in cap. quanto de iureiurando, & ibi Doctor. & Innoc. in cap. cùm inter de renunc. Et Anton. in d. cap. dicit contra, Gregorium XII. qui in conclaui ante Papatum iurauerat, & vouerat renunciare Papatui pro sedando schismate, quod durauerat 30. annis, & hoc publicauerat per vniuersum orbem, quod erat astrictus ad obseruationem iuramenti, & voti, & etiam quia iurauerat, & vouerat non creare Cardinales & tamen contra iuramentum, & votum creauerat quatuor Cardinales, inter quos vnus fuit Gabriel de Condulmarijs, qui
9 postea fuit Eugenius IV. & idem, quod non possit seipsum absoluere ponit Abbas Siculus in d. cap. 1. Ad hoc facit, quod dicunt Doct. post Archid. & Ioann. Andr. in cap. fin. de pœnit. & remis. in 6. vbi vo-
10 lunt, quod non potest Papa, vel Episcopus sibi remittere pœnitentiam ei iniunctam à Sacerdote, ad idem est, quod ponit Ioann. de Imol. in d. cap. qui dicit, quod licèt Princeps, & Papa non ligentur suis legibus positiuis, vt in l. Princeps legibus ff. legibus, & not. in cap. non dubium, de sent.

sent. excommun. tamen ligantur lege diuina, & naturali cap. quæ contra mores dist.8. quæst.25. cap.1. sunt quidam, &
11 cap. non licèt dist.10. Quod autem seruare iuramentum sit de iure diuino, ponitur Math.5. & in cap. etsi Christus, de iureiurando redde Deo iuramenta tua. Tenemur enim iuramenta seruare, quia hoc concernit religionem, & diuini cultus reuerentiam, & eorum transgressio mortale peccatum inducit 22. quæst. 2. cap. 1. & cap. animaduertendum. Vnde dicitur Leuit.19. non periurabis in nomine meo.
12 Et est de præceptis primæ tabulæ, quæ sunt indispensabilia 22. quæst.4. cap. necesse, & infra dicitur, & declarat S. Thom. in prima secundæ quæst.100. art.8. Et est vt præceptum, vt in cap. etsi Christus de iureiurando. Nec tuetur auctoritas iurantis vt patet in cap. si is qui 11. quæst.3. Et ma-
13 ximè, quia hoc iuramentū habet illos tres Comites, veritatem, iudicium, & iustitiam, vt in cap. animaduertendum 22. quæst.2. vnde debet illud seruare, quia obligatur lege diuina. Et idem in voto,
14 vt patet Psalm.75. vouete, & reddite Domino Deo vestro, & num.30. si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, & per totum cap. Et hoc maximè ponderandum est, quando concurrunt iuramentum, & votum, quia licèt iuramentum præstetur aliquando principaliter parti, & tunc possit remitti per partem ita, quod non indiget, qui iurauit alia absolutione, quamuis iurans principaliter obligetur Deo, vt dicitur in cap.1. de iureiurando & Bart. in l. Labeo ff. de iureiurando votum tamen semper principaliter
15 præstatur Deo, vt dicit S. Thom. in secunda secundæ quæst.88. artic.5. immò soli Deo, vt ibi dicitur. Nec obstat si dicatur, quod est maius bonum creare Cardinales propter vrgentes Ecclesiæ necessitates, quia ex quo iurauit tenetur seruare iuramentum nam potest cum minori bono saluari, & iuramentum seruari potest sine dispendio salutis æternæ cap. debitores de iur. Sicut
16 dicimus in illo, qui iurauit non assumere Episcopatum dist. 85. cap. Florentinum. Item facit, quod generatur scandalum ex non obseruatione iuramenti apud Christianos. Vnde secundùm, quod supra diximus, ab aliquibus tentum est quod ex hoc potest deponi per illam gloss. in cap. si Papa dist.40. videretur enim effici infamis, si aliàs non esset legibus solutus quia Papa 6. quæst.1. infamis 22. quæst.5. si quis Et tales non possunt Ecclesias regere, regula infamibus in 6. capitulo querelam, de iureiurando. Et ex quo quis est perti-
17 nax in periurio, videtur malè sentire de fide distinct.38. cap. final. Et hoc fuit dictum contra Gregorium XII. & Benedictum XIII. qui non seruabant iuramentum Imò quia fama erat Gregorium dixisse se non adstringi ad obseruandum illud iuramentum, dicebatur, quod propterea poterat contra eum procedi tamquam contra hæreticum, quia dicebat permissum, quòd lege diuina erat prohibitum 24. qu. 3. cap. hæresis, & cap. quidam, & quòd habetur in Clement. 1. §. sanè, de vsur. & Clement. ad nostrum, de hæret. & dist. 30. per tot. Item facit, quòd tenetur illud seruare propter constitutionem frequens, & constitutionem cùm summo Pontifici, supra allegatas, quæ iura quia non repugnant canonibus, & sunt per Patres in Concilio edita, seruanda videntur 25. quæst. 1. cap. confidimus, & cap. quæ ad perpetuam, & cap. sunt quidam, & cap. contra. Facit cap. sancta octo. dist. 16. Nec obstat si dicatur, quod illa iura intelliguntur quo ad ea, quæ sunt fidei, vt dicit gloss. in dict. cap. quæ ad perpetuam. Quia concernit decorem vniuersalis Ecclesiæ, posset enim deformari Collegium Cardinalium per promotionem imperitorum, & adolescentulorum, si pro libito Papa posset promouere contra voluntatem Cardinalium, vt vidimus nostris
18 temporibus, quia qui dignitatem, quam habet non cognoscit, illam dehonestare non reformidat. Ideò senes assumi debent. Ad quòd facit text. in cap. fin. dist. 84. & text. in capitulo 1. de renun. Secus autem facere videtur contra text. & ibi dicta 1. quæst. 7. cap. etsi illa 24. quæst. 1. memor. Facit quòd dicit Innoc. in cap. quanto de consue. & quod dicit Specul. in tit. de dispensat. §. nunc breuiter, versic. 12. vbi status. Vnde Hostien. in cap. 2. de cler. non resid. voluit, quod solùs Papa sine consilio Cardinalium non possit deponere Cardinalem de quo per Ioannem Andream in cap.1. de supplend. negligent. prælat. & in cap. clerici de vita, & hon. cler. per Doct. & Martin. de Laur. in tract. Card. versic. 33. & Doct. ibi in dict. cap. 2. Ergo pariformiter, nec reuocare constitutionem, quę tangit omnes Cardinales quo ad creationem ipsorum. Facit quod dicitur in cap. inquisitioni de senten. excommunicat. & in cap. cùm ad Monasterium de statu regul. & quòd infra latiùs dicetur, & quod dicit August. ad Ianuarium, saluberrimam esse auctoritatem decretorum Conciliarium, reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris concernentium, ad quod Archidiac. in cap. porro dist. 63. & gloss. in cap. per principalem 9. qu. 3. Item facit quòd constitutio frequens & similiter alia de creandis Cardinalibus ad certum numerum, fuit edita in Concilio Constantiensi, & nunc in capitulis iterum replicata, & iurata. Ex quo videtur quod sit maioris auctoritatis, iuxta gloss. in Clem. dudum in verbo pacta, de sepul. & quod dicitur in simili in cap. licèt de iureiur. in 6. post gloss. Funiculus enim triplex
19 difficiliùs rumpitur, vt in cap. 1. de treu. & pace, & in Authent. itaque. C. communia de succes. Facit etiam, quod dicitur in cap. cum non deceat de elect. eod. lib. vbi dicitur, quòd constitutio iurata non censetur sublata, & in cap. quamuis de pac. eod. lib. Ideò videtur, quòd non possint de facili tolli, & quòd non debeat illis sine graui causa derogari. Quod fortiùs apparet, quia in eodem Concilio Constantien. fuit definitum, quòd ipsa Synodus habet immediatè auctoritatem à Christo, & quod ei quilibet cuiuscumque status, etiam si

Papalis auctoritatis, & dignitatis sit, tenetur obedire in ijs, quæ pertinent ad reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris, vt patet in 4. sessione, & sic Papa tenetur obedire, & stare determinationi illius Concilij, tam circa modum celebrandi, quàm circa modum creandi Cardinales, & maximè, quia gesta illius Concilij fuerunt per Martinum Quintum in Concilio illo approbata. Vnde tenetur illa sequi. Ad hoc text. & ibi dicta in cap. sicut dist. 15. & in cap. Anastasius dist. 19. & text. in cap. sancta octo. dist. 16. Et si dicatur quod illa iura sonantia, quòd Papa tenetur venerari, & obseruare Concilia, intelliguntur de Cōcilijs circa fidem, & quod Martinus Quintus in sua confirmatione tantùm confirmauit gesta Concilij Constantien. in materia fidei, & non in alijs, vt patet in 45. & vlt. sessione illius Concilij. Respondetur quòd illud decretum dicti Concilij tangit fidem, quòd potestas illius Concilij fuit immediatè à Deo, & quod quilibet etiam si sit Papalis dignitatis tenetur illi obedire circa reformationem, & cætera, & circa reformationē in capite est decretum de non creandis Cardinalibus, & constitutio frequens, sequitur igitur, quòd Papa teneatur illis obedire, quasi sint à Deo disposita, quia quicquid est causa causæ est causa causati, leg. manumissiones ff. de iusti. & iur. Et maximè eo quòd per iuramentum & votum se obligauit Deo, & Cardinalibus, quia lege diuina, & naturali ipse ligatur, vt supra
20 dictum est, & infra latiùs dicetur. Et si contrauenirет, grauiùs alijs peccaret, cum sit in maiori dignitate, vt in cap. cùm quidam de iureiur. Facit, quòd notatur per Ioannem Andr. in cap. magnæ post prin. de voto. Et ideò in futuro iudicio plus cæteris puniretur. Vndè gloss. in cap. præsul. 2. qu. 5. dicit, quòd sicut Papa super omnes præeminet sine comparatione, ita si malè se habet sine comparatione tamquàm diabolus damnabitur secundùm Ioann. de Imol. in dicto cap. cap. 1. de constitut. & gloss. in cap. aliorum 9. quæst. 3. Qui Io. de Imol. adducit de pœnitent. dist. 1. post
21 princ. Indè etiam dicitur quod Papa, & Imperator ligatur suo contractu, vt in c. 1. de probat. quia ligantur iure naturali dict. cap. 1. & leg. Cæsar de publica, & l. digna vox C. de ll. Et licèt Deus subiecerit leges Principi, non tamen subiecit contractus, nec conuentiones, dicit Bald. in cap. 1. de natura feudi, & dicitur in cap. 1. de probat. Et licèt non sit subiectus regulis arctatiuis, vt dicit Bald. in leg. 2. in 11. col. C. de seruit. & aqua, tamen benè subiectus est obligationibus, conuentionibus, & pactis, vt probat idem text. & ibi Bald. in cap. 1. de natura feudi. Et ibi ipse inducit ad Comitem Papiæ, quòd non posset per Imperatorem priuari sine ipsius culpa. Indè etiam Bald. in l. qui se patris C. vndè liberi, voluit si Imperator concedit alicui feudum recepta pecunia, & vtitur verbo indulgemus, quòd non sit donatio, sed venditio, & ideò, quòd non possit reuocari. Et idem dicit Paulus de Castro in l. digna vox C. de ll. & in l. 2. §. si qua verò C. de Iustin. C. Confir. Immò plus, Paulus de Ca-
22 stro in dict. leg. digna vox, vult quòd intantum ligatur Princeps ex contractu, vt nec etiam de plenitudine potestatis possit contrauenire, quid enim magis contrarium fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerint non seruare, vt in leg. 1. ff. de pac. vbi Bald. refert Aristotelem admonuisse Alexandrum, vt promissa obseruaret, & quod aliàs malus finis sequeretur. Quinimmò Cynus in dict. leg. digna vox, & refert Bald. & Moderni in dict. leg. 1. dixit quòd etiam Deus obligatur ex sua promissione. Ad quod vide Barr. in leg. 1. §. non fuit, in fin. ff. de dolo, pacta enim sunt de iure gentium, quod est immutabile leg. ex hoc iure ff. de iustit. & iure & §. sed naturalia institut. de iure natur. gent. & ciu. Princeps enim licèt sit solutus lege positiua, non tamen est solutus à dictamine legis naturalis, nec à lege naturæ, quia est animal rationale Politicum dicit Bald. in l. 2. C. de seruit. & aqua. Immò, & capitula facta per Imperatorē cum subditis, debent seruari, & non debent infringi etiam per successores, vt dicit Bald. in dict. leg. digna vox, & dict. cap. 1. Et pacta inita per Federicum Imperatorem, & ciuitates Lombardiæ sunt seruanda per successores, vt in cap. 1. de pace Constant. ibi Bald. & in d. cap. 1. Tales enim contractus, qui fiunt cum Principe habent naturam bonæ fidei contra Dominum, dicit Bald. in cap. 2. §. si quis verò de pace Constant. Et dicit Bal. in cap. 1. in §. fin. qui feud. dare poss. quod
23 rationes, & naturales constitutiones ligant etiam Principem, quia potentius est ius naturale, quàm Principatus. Et hoc facit ad id quod dixit Ægid. in consil. 12. & refert Felin. in cap. ad audientiam de præscript. quod Papa ligatur iure positiuo prohibente alienationem bonorum Ecclesiæ, vt in cap. non liceat Papæ 12. qu. 2. & in ijs, quæ concernunt substantiam, contractus propter rationem naturalem. De quo vide in cap. sine exceptione, 12. qu. 2. per Laurent. de Rodulphis in 31. q. quia in illo casu ratio Ægidij non multum placet, quia est nimis larga, cùm omnis lex ratione consistat 1. dist. cap. consuetudo leg. cum ratio ff. de
24 bonis damn. Et quamuis Princeps non ligetur lege legis, ligatur tamen lege conuentionis, & contractus, dicit Bald. in leg. 1. ff. de constit. princ. Indè etiam Cardin. in dict. cap. 1. de probat. dicit, quòd pacta inita per Imperatorem cum subditis suis, sunt seruanda per successores imperij, nec possunt reuocari. Ita dicit ipse in 2. notabili, & dicit esse ad hoc singularem text. in dict. cap. 1. de probat. Et idem dicit in alio habente potestatem legis condendæ, vt in Papa allegat, quòd dicit Bart. in leg. Cæsar, ff. de public. & text. in leg. penult. C. de donat. inter vir. & vxor. Si
25 autem non obligaretur ex suo contractu, tunc non esset contractus vltrò, citròque obligatorius, & per indirectum interdiceretur Principi commercium hominum, quia nullus vellet cum eo contrahere, vt dicit Bald. in leg. Princeps legibus, ff. de ll. & latè dicitur in dicto cap. 1. de probat.

Habet enim subsistentiam à iure naturali,
26 quod per Principem reuocari non potest, vt in leg. fin. C. si contra ius, vel vtil. publ. & Innocent. in cap. quæ in Ecclesiarum de constitut. Idem ponit Cyn. in leg. digna vox C. de ll. & clariùs Bald. in consil. 271. in 1. volum. incipit casus, & in dict. leg. digna vox. Ad item etiam sunt notabilissima consilia Bald. in primo volum. videlicet 456. cum duobus sequent. & maximè
27 in sequentibus, vbi dicit, quod Imperator non potest mutare statutum, nec minuere honorem veterum vasallorum, nec supprimere dignitatem, non vacantem, quæ non est in abstracto, sed est in substantia, sine causa, quia ius quæsitum alteri non potest supprimere, sed de iure sibi aperto benè potest disponere pro libito voluntatis, vt in cap. 1. qui successores teneantur, collat. 10. Et Princeps licèt, de perpetuo possit facere corruptibile, non tamen in præiudicium alterius licèt sit Dominus mundi, vt ipse dicit in immediatè sequenti consilio. Ad quæ quando Princeps obligetur, adde quę pulchrè ponit Iason in leg. ex imperfecto, C. de testament. & Bald. in cap. 1. de natura feudi. Et benè facit consil. Card. 147.
28 vbi licèt Papa reuocet omnes concessiones de rebus Ecclesiasticis, tamen non intelligitur reuocasse contractum censualem ab eo concessum, quia non, vt Papa, sed tamquam priuatus censetur gessisse.

Et dicit idem Ioann. de Imola in dicto
29 cap. 1. de constitut. quod in tantùm Papa astringitur suo voto, & iuramento, quod non potest seipsum absoluere propter id, quod notatur, 15. qu. 6. auctoritatem, & cap. fin. de instit. quia inter absoluentem, & absolutum debet esse distinctio personarum. Ad hoc facit, quod dicitur in dicto cap. fin. de institut. & in cap. per nostras, de iurepat. Nemo enim imperare sibi, neque se prohibere potest, vt dicitur in l. penulti-
30 ma, ff. de arbitr. Facit quod notatur in cap. sanè, de offic. delegat. & in cap. non est, de voto, vbi sine causa dispensatus super voto dicitur non tutus quo ad Deum, quia ibi iudicabitur eo teste, quo iudice, vt dicit ibi gloss. allegat. 9. qu. 3. aliorum, Vnde secundùm Domin. Anton. subiectus erit Papa determinationi, c. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. quia licèt non astringatur lege positiua, astringitur tamen mente legis, & naturali æquitate determinante aliquid circa peccatum, allegat ad hoc Ioann. Andr. in cap. significasti, in verbo iurisdictioni, de foro compet. Qui hoc ibi apertè dicit, quod cùm sit homo, qui peccare potest habet se submittere Pœnitentiario, quia cum non habeat superiorem, ad quem possit recurrere, habet se per seipsum alteri submittere, quia secundùm legis diuinæ veritatem cui est subiectus necessè habet pœnitere, ideo astringitur ad obseruationem mentis, dict. cap. omnis quo ad Deum. Quod & ponit, & sequitur Anton. de Butrio, & Domin. in cap. 1. de constit. vnde non poterit, nec se per seipsum absoluere, nec per alium fa-
31 cere se absolui. Dicit tamen Ioann. de Imola in dicto cap. 1. quod licèt malefaciat non seruando in sua persona id, quod habetur in dicto cap. omnis vtriusque sexus fortè per hoc non habebit locum contra eum pœna ibi inserta, cùm ipse non sit subiectus iuri positiuo, vt in cap. proposuit, de concess. præbend. & sic quod non astringatur lege canonica, sed lege diuina, & naturali, & ideò quod malefaciat propter naturalem, & diuinam legem, quam in se continet, dicto cap. omnis. Quod clariùs
32 tenet, & prosequitur Andreas Siculus in dicto cap. 1. de constitut. illa potissimùm ratione, quia siue confessio fuerit instituta in Paradiso, cùm dixit Dominus Adæ, [Adam vbi es,] & fecit eum confiteri peccatum suum, & Papa ligatur lege diuina, siue fuerit introducta per traditionem Ecclesiæ vniuersalis, vt vult gloss. singularis de pœnit. dist. 5. in summa, & Papa ligabitur constitutione tangente statum vniuersalis Ecclesiæ. Inde Abb. in dicto cap. significasti, in 7. colum. dicit, quod constitutio Papæ fundata super ius diuinum, astringit Papam quo ad mentem, licèt non quo ad verba, & pœnas, quæ adduntur vltra ius diuinum. Et Astesanus in summa libro 5. tit. 10. artic. 5. dicit, quod Papa
33 tenetur confiteri, sed quod non tenetur seruare constitutionem capituli omnis. Dicit tamen Dominic. in capit. iniustum, dist. 10. quod Papa peccat non seruando illum Canonem, & hoc ex quadam naturali ratione, quæ ita astringit Papam, sicut alios. Quod intelligit Dominus Anton. in dicto cap. omnis in 1. quæst. ex quadam decentia æquitatis, & non ex necessitate. Quod intelligo respectu temporis, & pœnarum, & aliorum in dicto cap. inductorum per Concilium generale ibi, & non respectu confessionis, quia tenebitur confi-
34 teri, & pœnitere de commissis. Vnde licèt Papa possit dispensare, quod aliquis diutiùs differat confessionem, quàm ab Ecclesia institutum sit, non tamen poterit dispensare, quod quis saluetur sine confessione, vt dicit sanctus Thom. in 4. sentent. distinct. 17. quæst. 3. artic. 1. quæstiunc. 5. refert, & sequitur Cardin. sancti Xisti in tract. de potestate Papæ quæst. 46. Et Dominus Abb. in cap. quanto in 3. col. de iu-
35 reiurand. dicit, quod Papa non potest sine causa remittere obligationem Deo quæsitam per iuramentum, vt 24. quæst. 1. manet 23. qu. 4. si is qui. Ex quo infert quod si Papa non potest absoluere alium à iuramento in honorem Dei facto, multò fortiùs, nec seipsum, argumento capit. fin. de instit. & cap. per nostras, de iurepatron. & quod notat Ioann. Andr. in capit. significasti de foro compet. Facit in simili, quod nec Episcopus potest seipsum absoluere à iuramento, vt in capit. at si clerici, §. de adulterijs, de iudic. De quo per Archidiac. & Ioann. Andr. in cap. 2. de constitut. in 6. & in regula cui licet in Mercur. & Ioann. Calder. in cap. de illis in 7. quæst. de sponsal. per Cyn. & Bald. in authent. quibuscumque modis, C. de sacrosanct. Eccles. & in l. cùm ipse, C. de contrahen. emption. & Bald. in l. digna vox, C. de ll. & Petrus de Anchar. in repetition. cap. canonum in 12. quæst. de

con-

36 constit. & in dicto cap.1.eod.tit.in 6. Et ex eorum dictis, maximè Abbatis, sequitur si loquimur in iure naturali insurgente ex lege, quod licèt ex condecenti teneatur Papa ad obseruationem, tamen non arctatur pœnis illius legis, sed si in iure naturali insurgente ex promissione propria ipsius Papæ, tenetur de necessitate ad obseruationem. Facit quod dicitur in dicto cap.1.de probat. Et sic etiam quia ligaretur proprio voto quo ad Deum, ideo ita ipse teneretur obseruare sicut quilibet alius catholicus, facit quod dicitur in cap. magnæ de voto. Pro hoc etiam facit glossa in cap.quanto in verbo absolui circa fin.de
37 iureiur. quæ vult quod quando votum, & iuramentum honestè, & licitè seruari possunt, Papa sine causa commutare non potest. Facit quod dicitur in cap.etsi Christus de iureiur. & quod dicitur in cap. 2. de sponsal. & in Specul. in tit.de legat. in § nunc ostendendum, versic. hoc quoque, & dicit Abb. in cap. cum inter de renunc.
38 Quod intelligitur nisi esset iuramentum ad vtilitatem alicuius priuati, tunc enim tale iuramentum videtur habere implicitam conditionem, nisi per illum priuatum remittatur, & ex quo agitur de illius vtilitate tantùm, potest per illum priuatum remitti, facit quod dicitur maximè per Anton.in cap. sicut, de sponsal. Istam etiam
39 conclusionem quod Papa teneatur obseruare votum, & iuramentum, nec possit seipsum absoluere, tenet Abb. in cap. quanto, de iureiur. quia si non potest alium sine causa absoluere, fortiùs nec seipsum. Dicit tamen quod in dubio præsumitur causa quo ad Ecclesiam militantem, vt in capit. non est de voto, & per Legistas in l. final. C. si contra ius, vel vtil.publ. Ad idem est, quod dicitur in cap.quæ in Ecclesiarum de constit. & idem replicat Abb. referendo ad idem dict. Anton. in cap. cum inter de renunc. Idem videtur tenere Petrus de Anchar. sed in casu Gregorij XII. tantùm, in regula accessorium in 82.colum.de reg.iur. Et idem Petrus de Anchar.in cons.65.incipit pro declaratione, vbi refert de Regulo quia redijt Carthaginem, ne iusiurandum violaret, ostendendo etiam apud infideles
40 iuramentum esse seruandum. Et idem, quod non possit seipsum absoluere, posuit idem Abb. in capit. proposuit de concess. præbend. Facit quod in simili dicitur de Episcopo, & alijs inferioribus à Papa, qui in votis à se emissis non possunt se absoluere, vt ponit Abb.in cap.magnæ de voto, quia non potest quis auctorizari in facto proprio, l.1. ff. de auct.tutor.& in Clem.2. de rebus Eccles. non alien. & idem Abb.in cap. at si Clerici, in §. de adulterijs in 4. colum. de iudic. vbi dicit, quod si Episcopus fecisset constitutionem iuratam non posset ea stante contra ipsam dispensare, cùm non possit seipsum à iuramento absoluere, quia inter iudicantem, & iudicatum debet esse differentia, 4.quæst.4. cap.nullus.
41 Episcopus enim ligatur suis constitutionibus, ponit Bald.in authent.quibuscumque, C. de sacrosancta Eccles. & in locis supra allegatis. Vnde si receptat furem incidit in excommunicationem vigore constitutionis suæ hoc disponentis, vt ponit Bald. in §. ad hæc in 5. columna de pace iurata firm. De hoc, quando Episcopus ligetur sua constitutione, vel vltra allegata plenè in dicto cap.2.de constit.in 6. post Archid. dicitur latè per Bertachin.in tract. de Episcopo in 2.par. lib.4.quæst.16. & Bald. in dicto §.ad hæc. Et Deus seruat votum, vt patet Psalm. 11. [Vota mea reddam in
42 conspectu timentium eum. Facit pro ista parte, quod dicit Bald. in l. 1. in princip. ff.de pace, dum allegat Magistrum sentent. quod etiam ipse Deus obligatur ex promissione, & ex pacto. Pro quo facit, quod legitur Genes.9.ibi: [Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluuij, arcumque meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.] Ad idem facit quod legitur Genes. 17. & Exodi 34. [Inibo pactum videntibus cunctis,] & Leuitici 26. & Numeri 18. & 25. & Deuter. 7. & 2. Reg. 23. & 2. Paral.6. Et Isaiæ 55. [Feriam vobiscum pactum sempiternum.] Et Ierem. 31. [Feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum,] & iterum 33. [Si irritum fieri potest pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies, neque nox, & pactum meum irritum esse poterit cum seruo meo Dauid?] Et Ezechiel. 16. [Iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum,] ait Dominus Deus; & iterum 34. [Faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra.] Et Malachiæ 2. [Misi ad vos mandatum istud vt esset pactum meum,] cum Leui dicit Dominus exercituum, [pactum fuit cum eo vitæ, & pacis.] Et de iuramento legitur Genes. 22. [Per memetipsum iuraui.] Et Exod.33. [Vade in terram quam iuraui.] Abraham, Isaac, & Iacob. Et Deut. 29. [Sicut iuraui patribus tuis,] & 31. [Introduces eos in terram quam daturum se patribus eorum iurauit Dominus,] & 1. Regum 3. [Iurauit domui Heli quod non expietur iniquitas.] Et Psalm. 88. [Semel iuraui in sancto meo,] & ibidem [Sicut iurasti Dauid in veritate tua,] & 94. [Quibus iuraui in ira mea,] & 109. [Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum,] & 131. [Iurauit Dominus Dauid veritatem.] Et Isaiæ 45. [In memetipso iuraui,] & iterum 54. & 62. Et Ierem.22. & 44. & 51. & Luc.1. Pro hoc etiam facit quod si Papa
43 non potest sine causa absoluere à iuramento, nec à voto de per se, vt de iuramento in cap. quanto de iureiur. & de voto in cap.non est, & cap. magnæ de voto multò fortiùs quando concurrunt votum, & iuramentum debet teneri ad obseruandum, quia sicut dictum est triplex funiculus difficiliùs rumpitur, cap.1.de treu. & pace, l.si adulterium cum incestu, ff.de adul.cum
44 simil. Quinimò vbi ex causa fit absolutio, hoc fieri debet causa cognita, & parte vocata, vt ponit Innoc.in cap.ad aures quod metus causa, & Abb.in cap.1.penul.colum. de iureiur. Specul. in tit. de legato, §.nunc osten-

ostendendum, versic. 24. & sequentibus. Quod sine dubio est verum in inferiore à Papa, sed in Papa fortè sufficit quod sciat causam, quia fortè poterit absoluere absque alia discussione ipsius causæ, per ea, quæ ponuntur in capit. veniens de filijs presby. & in leg. quidam consulebat. ff. de re iudic. & maximè, cum in Papa semper præsumatur causa, vt in dicto cap. quæ in Ecclesiarum, & supra dictum est. Si tamen
45 notum, & iuramentum essent in fauorem tertij, & sic esset quæsitum ius tertio, tunc etiam in Papa videretur requiri causæ cognitio super iustitia causæ, & citatio partis, per ea, quæ ponuntur in cap. 1. de causa possess. & cap. intra quatuor de maior. & obed. & in Clement. pastoralis de re iudic. & leg. de vnoquoque ff. de re iudic. cum
46 similibus. Quando enim iuramentum est licitum, & obligatorium alteri, non debet relaxari, nisi vocata parte, vt dicitur in d. capit. 1. de iureiur. & Oldrad. consil. 186. & 120. & Petrus de Anchar. consil. 149. incipit prædictis subtiliter, & Paul. de Cas. consil. 216. incipit præsupposito. Et si per contrauentionem inciditur in periurium non datur absolutio, vt ponit Federic. in consil. 30. incip. factum tale est. Ludouic. consil. 326. incipit in præsenti consultatione, Anton. & Imol. in cap. debitores de iureiur. Bald. in leg. 1. ad fin. C. si aduersùs rem iudic. & in authen. quod eis C. de
47 nuptijs. Immò isto casu quando concernit tertium, etiam eo citato si ex causa petitur absolutio, tunc eo casu potest dari absolutio, quando iuramentum est illicitũ, metu, vel dolo extortum, vel de soluendis vsuris, vel quippiam simile, vt dicit Card. in Clement. Romanis. fin. quæst. 16. & 17. de iureiur. & Paul. de Castro in præallegato consil. 216. Vnde si iuramentum est licitum, & honestum, sicut videtur esse in proposito, tunc non potest peti absolutio, vt ponit Archid. Ioannes Andreas, & Dom. in cap. quamuis de pac. in 6. & idem Paul. de Castro in dict. consil. 216. & Angelus in leg. si quis pro eo in princ. ff. de fideiusso, & Ludou. consil. 437. incipit in casu proposito, in versic. quo ad tertium, & idem Paulus in authen. Sacramenta puberum,
48 C. si aduersùs vendit. Item facit, quod obligatio de non creandis Cardinalibus sine consilio aliorum Cardinalium, nec vltra numerum, videtur habere dispositionem & originem à iure diuino, licèt postea consuetudine, & humana constitutione videatur confirmata, vt per Bonifacium 8. & plures alios postea in principio assumptionũ eorum. Quod autem habuerit ortum à iure diuino, probatur exemplo veteris legis, quia sic fuit regimen synagogæ, quod mixtum videbatur ex Monarchia, siue regno in persona Moysi, & Aristocratia, siue consultoria aliquorum optimatum in septuaginta senioribus, & in spiritualibus erat Aaron summus Sacerdos, & postea alij Sacerdotes Leuitici generis coadiutores, vt legitur Deuter. 17. cap. Qui ordo sequendus proponitur in Ecclesia in cap. per venerabilem qui filij sint legit. per quem text. etiam Abb. ibi dicit de iure posse defendi, quòd Papa non possit facere ardua, sine consilio Cardinalium, quia ista eorum quasi possessio, quod debeat haberi eorum consilium, est de iure diuino, de quo infra latiùs dicetur, & latè Felin. in rubric. de constitutionibus. Confirmatur hoc, quia Christus Ecclesiam suam tamquam sibi dilectissimam instituit optimo regimine gubernandam, nam de synagoga, de qua minus videtur, dixit quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei, Isaiæ cap. 5. In cuius figura in Regina Saba cum vidisset sapientiam Salomonis, & ordinem domus, & ministrorum eius, non remansit Spiritus præ
49 admiratione. Clarum autem est, vt inquit Aristot. 3. Polit. quòd melius est illud regimen, quod est mixtum, & cum consilijs optimatum, & procerum, quod Aristocraticum appellatur, quàm illud, quod est in Monarchia, & principatu vnius, quod potest faciliter declinare in tyranidem de quo vide Archid. in c. ius naturale dist. 1. Est enim Monarchia vnius Principatus, dicta à monos, quod est vnus, & archos, quod est Princeps quasi vnus Princeps, vt dicit glos. in cap. fundamenta de elect. in 6. Et
50 licèt beatus Thom. in prima parte qu. 103. art. 3. velit quod ex sui natura Principatus vnius sit melior, tamen saltem consideratis circumstantijs, quia euitatur tyrannis, & quia rectum est iudicium, quòd plurimorum sententijs roboratur cap. prudentiam de offic. delegat. quia in vno solo non reperitur tanta prudentia, sicut in pluribus, vt dicitur 3. Polit. & quia euitatur seditio, dum optimates de principatu participant, & quia in veteri lege sic reperitur institutum, vt supra dictum est, videtur quòd ex his Papa debeat exercere ardua cum consilio Cardinalium, ergo multò magis, vbi est iuratum, & votatum quòd sine eorum consilio non creabit Cardinales. Facit in si-
51 mili quòd legitur act. 6. vbi non solius Petri, sed nomine omnium Apostolorum in ordinatione diaconorum dictum est, constituamus viros boni testimonij, & cap. & non dixit Petrus constituam. Sic, & Iacobus non à solo Petro sed cum Apostolis ordinatus est Episcopus Ierosolymitanæ Ecclesiæ, vt cap. 1. §. de Episcopis, dist. 46. Et in electione Matthiæ dicitur, statuerunt duos, & non dicitur, statuit Petrus. Quæ omnia ostendunt Papam eorum exemplo debere requirere consilium Cardinalium, maximè in proposito stante promissione, iuramento, & voto. Ad quod facit, quod ponit Bald. & notat Iason in leg. placet per illum text. C. de sacrosanct. Eccles. quod Princeps debet omnia ponderosa facere nõ de per se, sed cum consilio Procerum suorum, & Senatorum, allegat leg. humanum,
52 Cod. de legibus. Sicut è contra Aduocati, & etiam Consiliarij Dominorum debent de arduo dubio consulere Principem, vt dicit Salycet. in leg. fin. C. de pactis. Ex quo Iason in dicta leg. placet inducit, quod eodem modo Papa non debet explicare ardua sine consilio Cardinalium, & ad hoc adducit cap. per venerabilem, qui filij sint legit. in vers. rationibus igitur, quod adducit Abbas in cap. ex gestis,

de

de Cler. non resid. quod & ponit Paul. de Castro in Rege Poloniæ in consilio 72. Accedit, quod Ecclesia Militans fundata
53 est ad instar Triumphantis, vt dicit gloss. in Clement. ad nostrum, de hæret. In Hierarcha autem Triumphantis Ecclesiæ aliqui sunt superiores assistentes, & aliqui inferiores ministrantes, iuxtà dictum Danielis 7. Sic igitur in Ecclesia Militante à Christo institutus est status Papalis in Petro, per illud, pasce oues meas, cap. solitæ, de maiorit. & obedient. & status Cardinalium loco Apostolorum, vt in cap. in nouo dist. 21. & cap. sacrosancta dist. 22. & probat text. in cap. oportebat cum seq. dist. 79. iuncto cap. Senatus dist. 16. qu. 1. & capit. quamquam dist. 2. qu. 7. qui sunt assistentes. Posteà sunt Episcopi, ministrantes Papæ. Vndè legitur ad Ephes. 4. & 1. ad Corin. 12. quod vnicuique nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi, propter quod ascendens in altum, dedit dona hominibus, & ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores &c. ex quo
54 constat à Christo factam esse statuum distinctionem, & non per institutionem ipsius Ecclesiæ, vel alicuius puri hominis; ideò nec per hominem tolli potest, aut confundi dist. 25. qu. 1. sunt quidam. Vndè sequitur, quod si Papa non seruat officia istorum statuum à Christo institutorum, scilicet, quod cum assistentia Cardinalium distribuat dignitates, & officia, & creet alios Cardinales, dicitur confundere ordinem Hierarchicum Ecclesiæ dist. 11. qu. 1. capit. peruenit; & abutitur potestate sua, quia exercet eam ad destructionem, & non ad ædificationẽ, vt dicitur ibi ad Ephes. 4. & 2. ad Corinth. 10. & 13. Ad quod etiam facit, quod, vt dicit Card. Florent. in cap. licèt, de elect. in col. 18. in vers. opponitur ad hoc: aliud est Papa, aliud Ecclesia Romana, quia Ecclesia Romana non est in solo Papa, sed in Papa cum Cardinalibus, qui sunt pars corporis Papæ, siue Ecclesiæ, quæ constituitur ex Papa tamquam ex capite, & ex Cardinalibus tamquam ex membris, argum. 6. qu. 6. §. verùm, vers. quisquis, & de pœnis, cap. fœlicis in 6. vbi colligi-
55 tur, quod Ecclesia subijcitur periculis cum fit iniuria alicui Cardinali. Et quod Cardinales sint pars corporis Papæ, notat Laudinus, & Cardin. & in Clement. vlt. de celebrat. Miss. Inde etiam Cardin. in dicto cap. licèt, colligit ex prædictis, quod plenitudo potestatis non est in solo Papa, sed in Papa, & Romana Ecclesia, vel in Papa cum Cardinalibus. Aliud enim est Sedes Apostolica, aliud qui sedet in ea, hoc est Papa. Facit cap. si gratiosæ, de rescript. ad quod bonus text. in capit. si quis super his dist. 2. qu. 7. iuncta suprascripta, & 2. q. 6. decreto. Et ibi etiam dicitur, quod plenitudo potestatis est in Ecclesia. Vndè dis-
56 pensare contra statuta Conciliorum, & proprium iuramentum, non videtur esse proprium ipsius Papæ solius, sed cum toto Collegio Cardinalium. Et similiter discernere, an sit legitima causa dispensandi. Nàm, vt dicit Bernard. lepra proprij con-

filij eò perniciosior est, quò magis occulta. Alioquin non tam dispensatio, quàm dissipatio vocari poterit dist. 1. quæst. 7. cap.
57 dispensationes. Ad quod etiam facit, quod eligere Papam est proprium vniuersalis Ecclesiæ, vt patet Oseæ 1. congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum. In quorum locum propter difficultatem congregandi vniuersalem Ecclesiam successerunt Cardinales per constitutiones Conciliares, vt in cap. in nomine Domini dist. 23. & dist. 79. per tot. de elect. licet, & Clement. 2. eod. titulo in 6. Pariformiter videtur, quod cum eorum consensu debeant creari Cardinales, stante decreto Concilio Constantiens. ac promissione iuramento, & voto firmata, alioquin videretur per indirectum auferre eis potestatem eligendi, creando contra voluntatem eorum quoscumque vellet. Et posset eligere sibi successorem, contra cap.
58 primum 8. quæst. 1. Item quod teneatur ad obseruandum, arguitur ex eo, quod dicit gloss. in capit. 1. §. fin. qui feud. dare poss. quæ dicit, quod Princeps non potest disuestire vassallum feudo sine culpa, quod ideò est, vt dicit Bald. ibi, quia bonæ, & naturales consuetudines ligant Principem, quia potentius est ius naturale, quàm
59 Principatus. Sicut etiam dicit Bald. in capit. cum venissent in fin. de iudic. quod Principis priuilegium non rumpit testamentum, quia potentius est, & fauorabilius testamentum, quàm priuilegium, allegat Archidiac. distin. 88. capit. Episcopus. Ad quod etiam facit, quod dicit text. in leg. 1. in vers. huius edicti æquitas naturalis est, ff. de pactis, vbi videtur velle, quod seruare pacta sit de iure naturali, idest gentium.
60 Item quia in ore Principum firmior debet esse veritas, iuxtà illud, quæ procedunt ex labijs meis non faciam irrita, vt dicitur Psalm. 88. Et idem dixit Bald. quod gloss. præallegata in leg. qui se patris in col. 10. C. vnde liberi, videlicet, quod non potest Princeps reuocare feudum subdito concessum ex conuentione, nisi secundùm naturam rei, vel precariò fuerit concessum, sine subditi culpa. Et idem replicat Bald.
61 in capit. 1. de noua forma fidelitatis, vbi dicit, quod Papa nõ potest auferre feudum vassallo sine culpa, cum in eo habeat vtile dominium. Inde Cyn. in leg. digna vox, C. de legibus, dicit, quod Princeps potest contrahere cum subditis, & tenetur illis de iure gentium, & ciuili, quia naturalis ratio cooperatur, leg. bona fides, ff. deposit.
62 Imol. tamen in cap. 1. de probationibus, dicit, quod Princeps non obligatur ex contractu ciuiliter subdito, de quo latiùs ibi per Doctor. Ad idem facit, quod dicit Bald. in leg. ex imperfecto, C. de testamentis, vbi dicit, quod aut actus dirigitur in Principem ab alio, vt quia alius instituit eum hæredem, & tunc vtitur iure communi, nec est solutus legibus; aut actus confertur à Principe in alium, & tunc solutus est iure communi, vtitur iure proprio, leg. penult. C. de donat. inter virum, & vxorem, & hoc quoad Principis potentiam, quia quoad honestatem est secùs, quia vtitur

iure

iure communi, vt leg. digna vox; aut recipit perfectionem ab alio, vt est contractus, & tunc vtitur iure communi, non iure proprio, leg. Cæsar, ff. de publicat. Ex quo patet, quod tenebitur semper ad obseruationem promissorum, nec poterit illa reuocare de sua potentia, cap. 1. de probat. Et ità etiam concludit Angelus in dicta leg. di-
63 gna vox. Indè dicit Bald. in dicta leg. digna vox, quod capitula facta per Imperatorem cum subditis non debent infringi per successorem, nisi ex parte subditorum interuenisset dolus. Ad hoc adducit gloss. in authent. de defens. ciuil. §. nulla. Et ibi infert ad pacta facta inter Imperatorem, & Regem Francorum. Et idem in capit. 1. de probat. ad pacta facta inter Regem Francorum, & Regem Angliæ, & ad pacta inita inter Imperatorem Federicum, & Ciuitates Lombardiæ, quæ continentur in tit. de pace Constant. Et idem Bald. in leg. fin. in fin. C. de transact. ad pacta inita inter Papam, & Imperatorem cum Ciuitatibus, quod sunt seruanda, nisi interuenerit do-
64 lus. Et idem Bald. in capit. 1. de natura feud. dicit, quod licèt Deus subegerit Papæ canones, & Imperatori leges, non tamen subegit eis obligationes, & contractus, vndè obligantur sicut priuati homines. Et arguit contra Cælestinum, qui de mane vni faciebat gratiam, & de sero auferebat, &
65 alteri conferebat. Et idem Bald. in conclusionibus iuris canonici dicit, quod licèt Imperator sit dominus legum, non tamen est dominus morum, idem dicendum in Papa. Et idem Baldus in lege 2. Cod. de seruit. dicit, quod licèt Princeps sit legibus solutus, non tamen est solutus dictamine rationis, quia est animal rationale politicum, & nulla auctoritas nec Princeps, nec Senatus potest facere, quod Princeps non sit animal rationale mortale, nec eum absoluere à lege naturæ, vel à dictamine rationis, vel à lege æterna. Hinc etiam dicit Bald. in leg. & in legatis, C. ad leg. falcid. quod Deus, Princeps, & Ecclesia vtuntur iure communi in casibus à iure
66 expressis. Ad idem est, quod dicit Cardin. in consil. 147. quod incipit Dominus noster, vbi etiam sunt plura ad propositum, maximè, quod dixit Innocent. in cap. nouit, de iudic. vbi dicit, quod licèt Imperator reuocet leges, per quas concessum est priuilegium Ecclesijs, tamen priuilegia durant. Et ratio est secundùm Cardin. in dicto consil. quia dispositio legis concedens priuilegium non subdito, non tenet tamquam lex, leg. fin. de iurisdict. omnium iudic. cap. Ecclesia, de constit. & capit. fin. eodem tit. in 6. sed tenet tamquam contractus, vel quasi, & talis est irreuocabilis, cap. 1. de probat. Ad idem est, quod dicit Bald. in tit. de pace Constant. in §. omnes, videlicet, quod omnes contractus, qui fiunt cum Principe habent naturam bonæ fidei. Et in §. patronos, eodem titulo, dicit, quod contractus celebratus cum Principe habet vim legis, quando vitio caret. Facit, quod voluit idem Bald. in lege 2. Cod. de libertis, & eorum liber. Et idem Bald. capit. 1. de natura feud. dicit quod Federicus I. qui fecit commune Papiæ Comitem in certis castris, non potest reuocare, vt dictum est supra. Et idem Bald. in capit. 1. §. ad hæc, in col. 7. de pace iurat. firmat. per gloss. ibi, dicit, quod si venditus est lacus Perusinus ad quinquennium, non potest auferri de plenitudine potestatis, quin emptores possint agere ad interesse contra
57 commune. Vnde licèt Papa sit supra ius positiuum, non tamen est supra ius naturale gentium; & sicut non potest constitutio disponere, quod non fiat iustitia, eodem modo non posset Papa venire contra conuentiones initas cum eo, quia veniret contra iustitiam, & contra rationem naturalem, & contra ius prætorium, quod vult pacta seruari, quæ verba, vt dicit Bald. in rubr. de constit. fuerunt posita in ore Prætoris à Deo. Facit, quod dicit Innocent. de administratore, qui iurauit seruare iustitiam, in cap. 1. de constitut. Leges enim sunt diuinitùs per ora Principum promulgatæ dist. 16. qu. 3. cap. nemo dist. 8. capit. quo iure dist. 11. quæst. 3. cap. Imperatores leg. fin. in fin. C. de præscript. longi temp. dicit Archidiac. in capit. 2. de præscript. in 6. Vndè dicit Bald. in leg. Antiochensium, ff. de priuilegijs creditoris, quod Principes debent seruare conuentiones factas cum subditis, & supra dictum est. Et plùs dicit idem Bald. in capit. 1. de natura feud. quod Imperator, vel Papa cum tota potestate sua, non potest sine causa priuare Regem, vel Ducem, vel Marchionem feudatarium, nisi fortè infeudatio tenderet ad euersionem Imperij, vel Papatus, vt dicit idem Bald. in authent. omnes peregrin. C. communia, de success. & ponit Lauden. in tract. de Principibus vers. 367. & in dicto capit. 1. de natura feud. Pacta enim etiam per Principem sunt seruanda, & illis adstringitur, dicto cap. 1. de probat. & capit. 1. de pact. Et Deus ipse ligatur ex pa-
68 cto, vt patet Genes. cap. 9. [ibi ecce ego statuam pactum vobiscum, &c.] neque erit deinceps diluuium super terram, & ibi arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & terram &c.] cum concordantibus supra allegatis. Et si Deus adstringitur pacto, multò magis Papa, qui iurauit aliquid, quod est honestum,
69 & licitum in sua assumptione, & maximè quando fuisset geminata obligatio, & promissio antè Pontificatum, & post, argument. eorum, quæ ponuntur in leg. final. C. ad leg. falsf. leg. antiquæ, C. ad Velleia, & authent. siue à me, eodem tit. & instit. de act. §. de constituta, cap. etsi Christus, de iureiuran. Et quod dicit Bartol. in leg. cum sciamus, C. de agricolis, & censitis lib. 11. & Roman. in leg. nuda, ff. de donat. Bald. & Paul. de Castro in leg. publia, ff. depositi, Doctor. in leg. si cautio, de fide instrument.
70 cum similibus. Indè etiam delicta recipiunt argumentum per reiterationem secundùm Innocent. & Bald. in cap. nouit, de iudicijs, cum similibus.

Et si dicatur, quod aliud est, quando per Papam aliquid deducitur in pactum, & conuentionem cum alio, quia posset concedi ipsum alteri naturaliter obligari, & te-

& teneri ad obseruandum, vt dicto cap. 1. de probat. & in cap. 1. de natura feud. sed in proposito non est celebratus aliquis contractus, sed sunt quædam capitula in Conclaui inter Cardinales inita, & postea per Papam approbata in vim cuiusdam ordinationis, siue constitutionis, & legis inter eos, quæ est reuocabilis ad nutum introducentis, leg. omni innouatione, C. de sacrosf. Ecclesijs, leg. sancimus. C. de testam. leg. si quis, in princip. de legat. 3. cap. cùm olim, de re iudic. Vndè posito, quod Papa teneatur ex condecenti illa seruare, tamen potest illa reuocare, ex quo est lex, & ordi-
71 natio quædam, sicut etiam lex mutatur ratione temporis, capit. non debet, cum similibus, de consanguin. & affinit. Ad hoc respondetur, quod & potentiùs est ius & potérior prohibitio, quæ causatur per viam constitutionis, vt ponit Innocent. in cap. quanto, de consuetud. & Bald. in lege 1. ff. de constitut. Principum. Facit, quod dicit Cyn. in leg. in Vrbe, ff. de statu homin. & ibi Bald. & text. in leg. 1. ff. ad municip.
72 & ibi Bartol. Et vide, quod dicit Alexan. in leg. Ciuitas, circa fin. ff. si cert. pet. de contractu inito cum Ciuitate, quod habet vim legis quoad Ciues. Vnde licèt pactum, vel contractus, vel conuentio facta per Papam obtineat vim legis, vt leg. penultima, C. de donat. inter virum, & vxorem, tamen est fortiùs, quàm lex, quia illud seruare tenetur, & ex quo consensu duorum perficitur, non potest dissensu vnius tolli, vt ponit Cyn. Bartol. & Bald. in leg. digna vox, de legibus, & d. Anton. in dicto cap. 1. de constitut. Immò potest legem condendo seipsum ligare, ponit Io. Monach. in cap. 1. de constit. in 6. & Bald. in leg. 2. Cod. de sententijs experic. tecip. Vnde videtur, quod fortiùs sit vinculum capitulorum istorum, quàm pacti, & conuentionis, ex quo per viam cuiusdam constitutionis fa-
73 cta sunt. Item potest responderi, quod ista ordinatio facta cum Cardinalibus transiuit in vim cuiusdam quasi contractus inter Papam, & Cardinales, vnde efficitur irreuocabilis, vt voluit Innocent. in capit. in nostra, de iniur. & in cap. nouit, de iudic. & in cap. dilectus, de temp. ordina. capit. quæ in Ecclesiarum, de constitut. & Specul. in tit. de censibus, §. nunc dicendum, & de instrum. edit. §. nunc verò, & dicit Anton. in cap. 1. de constitut. Nàm priuilegium
74 concessum subdito transiens in vim contractus, non potest reuocari, Bartol. in leg. omnes populi, ff. de iustitia, & iure, & in leg. eos qui, de excusat munerum in lib. 10. C. & in l. quod semèl, ff. de decret. ab ord. facien. & in l. priuilegia, C. de sacrosancta Eccles. Anton. in cap. cum Magno de constitut. Facit quod dicitur in cap. ad Apostolicam, de simon. & quod dicit Bald. in l. qui se patris, C. vnde liberi, & in l. si cum mihi, ff. de dolo, & in l. nuptæ, ff. de Senat. & quod dicitur in dicto cap. nouit, de iudicijs, Paul. de Castro in l. digna vox, C. de legibus, gloss. penultima, in cap. ad Apostolicæ, de re iudicata. Et Abbas in dicto cap. nouit post Innocentium, & alios ibi, dicit quod si Princeps facit priuilegium, vel statutum in non subditum, videtur facere contractum, siue conuentionem cum eo, & ideo si reuocat non nocet illi, sicut non noceret reuocatio contractus, sed cum subdito conuentio non potest reuocari nisi secundùm ipsius naturam, leg. fundi, C. de fundis patrimonialibus, lib. 10. dicit Baldus in l. qui se patris. Vnde posito quod capitula emanarint per viam ordinationis, transierunt in contractum, & sunt irreuocabilia, maximè quo ad iuramentum de tenendo Concilium infra biennium quod est licitum, & honestum pro reformatione Ecclesiæ.

75 Ad quod faciunt ea, quæ dicuntur in d. cap. quamuis, de pac. in 6. & Alexand. consil. 42. in penult. colum. in 1. volum. videlicet, quod à tali iuramento non potest peti absolutio, maximè cum tale iuramentum sit appositum super eo, ad quod tenebatur virtute constitutionis frequens in Concilio Constantien. editæ, ad quam erat astrictus, ex quo videtur illam approbasse quia omnia nostra facimus quibus auctoritatem impartimur l. prima Cod. de veteri iure enucl. cap. si Apostolicæ de præbend. in 6. & ita consuluit Bald. in consilio 86. in tertia parte. Ex quo videtur, quod non possit illam tollere sine Concilio l. omnis res ff. de regul. iur. Facit, quod dicit Archid. in cap. sicut dist. 15. post gloss. ibi,
76 quod Papa non potest reuocare statuta Concilij contra salutem, & statum vniuersalis Ecclesiæ, & quod dicit Innocent. in cap. inquisitioni, de sententia excommunicationis, & in cap. quanto de consuet. Et maximè ex quo vellet venire contra, vt se absolueret à iuramento, & voto, & sic ex propria sua voluntate sine aliqua causa. Et sic non sumus in casu, in quo agitur de ijs quæ concernunt merè ius positiuum, & in ijs, quæ dependent plenè à potestate eius, sed vbi est non solùm obligatio in vim legis, videlicèt constitutionis Conciliaris frequens, per eum approbatæ, sed obligatio naturalis virtute iuramenti per quod obligatur parti, & obligatio facta Deo virtute voti, & sic iuris diuini. Et sic sunt plura vincula, primò ipsa constitutio frequens, quæ habet conformitatem cum antiquis Canonibus Sanctorum Patrum, qui pluries statuerunt tenenda Concilia, vt 17. & dist. 18. per totum, & fuit pluries confirmata, secundò promissio ante, & post assumptionem replicata, tertiò iuramentum, quartò votum, maximè appositum ad obseruantiam dictæ constitutionis.

Vnde si Doctores in altero tantùm dubitant, vt supra diximus de iuramento, quod est præstitum parti, vt in cap. quanto, de iureiurando post gloss. & in voto in cap. non est de voto, videtur quod non dubitarent Doctores vbi omnia concurrunt, quod non possit se absoluere. Et
77 facit, quod dicitur, quod si alicui est concessa facultas dispensandi cum nato de adulterio, non poterit dispensare si erit natus ex duplicato adulterio, vt ponit Ioannes Andreas in addit. ad Specul. in titul. qui filij sint legitimi. in rubr. vers.

verſ. quæro ſi natus, & verſic. huic quæſtioni, & Oldrad. conſilio 247. factum tale eſt, quidam Rex, Ludo. in leg. ſi vero §. de viro, ff. ſolut. matrim. & conſilio 326. ad fin. ibi quartò probatur, & Abbas in cap. per venerabilem 8. colum. ibi his præſuppoſitis qui filij ſint legit. Similiter, quod dicit Bald. in leg. eam quam C. de fideicommiſſ. in 12. colum. vbi vult, quod ſi eſt diſpenſatum cum filio ſpurio non narratis qualitatibus, quod erat ſpurius natus ex adulterio, & inceſtu, non valet legitimatio, quod pulchrè examinat Alexand. de Imol. in conſil. ſexageſimo ſecundo incipit nobilis vir in primo volumine. Et ſimiliter de excommunicato pluribus excommunicationibus, vt dicitur poſt gloſs. in capitulo ex parte de offic. ordin. Et de pluribus iuramentis, vt in gloſs. capituli licèt de iureiur. in 6. Et de reiterata promiſſione in authent. ſiue à me C. ad Velleia. Et de pluribus confirmationibus, vt in gloſs. in verbo pacta in Clement. dudum, de ſepulturis. Sicut etiam ſi alicui data eſt facultas diſpenſandi cum adultero, & cum inceſtuoſo, non poterit diſpenſare cum adultero, & inceſtuoſo ſimul, vbi agitur de præiudicio tertij. De quo eſt diſputatio Calde. in c. incipit Papa, & ponunt Doct. in capitulo at ſi clerici in §. de adulterijs, de iudicijs, & in leg. ſecunda ff. de verborum obligationibus, & Angelus Aretinus inſtit. de act. in §. omnium, & Gundiſaluus. de Villadiego in tract. de leg. in decima quarta quæſtione, & Ioannes Andreas in addit. ad Specul. in verſic. huic quæſtioni. de quo vide plura in leg. ſecunda, ff. de verborum obligationibus, in illo articulo quando ſub ſimplici continetur mixtum. Vnde ſicut quando agitur de præiudicio partis non dicitur poſſe tollere ius, & dominium rei meæ à me ſine cauſa, vt in leg. item ſi verberatum, ff. de rei vendic. & in capitulo, quæ in Eccleſiarum de conſtitut. per Doct. & in leg. Lucius ff. de euict. & notabiliter Archid. in capitulo per principalem in principio nona quæſtione tertia, quod pulchrè ponit Cardin. conſil. 147. in vltima colum. ponens quæ dicit Innocent. in capitulo, quæ in Eccleſiarum de conſtit. & in capitulo debitores de iureiurando, & in capitulo, quia plerique de immunit. Ec-
78 cleſiaſt. vbi dicit quod ſi Princeps ſine cauſa facit conſtitutionem contra ius naturale, per quam dominia de vno transferuntur in alium, non eſt ſeruanda etiam in foro iudiciali, de quo vide Felin. latè in dict. cap. quæ in Eccleſiarum, eodem modo videtur dicendum, quod non poſſit contrauenire pro arbitrio promiſſioni factæ de tenendo Concilium, maximè quia quod fiat Conc. videtur concernere bonum vniuerſalis Eccleſiæ. Vndè non videtur quod Papa poſſit diſponere contra ſtatut. Concilij, ſi per talem diſpenſationem, vel reuocationem decoloraretur vniuerſalis Eccl. ſtatut. vt 1. qu. 7. & ſi illa. Spec. in titu. de diſpenſatione, in §. nunc breuiter, ver. 12. vbi ſtatus, & quod dixi ſupra, & quod ponit Ar-
79 ch. in cap. ſicut 15. diſtin. Sic intelliguntur gl. quæ dicunt quod Papa non poteſt diſpenſare contra vniuerſalem ſtatum Eccleſiæ, vt no. in cap. literas, de reſtit. ſpol. Ita dicit Abb. in cap. ſignificaſti de elect. in 3. col. facit quod dicitur in cap. ſunt qui-
80 dam 25. qu. 1. Item vbi dicitur, quod Papa abſoluit à iuramento, ſemper intelligitur claue diſcretionis præcedente, vt dicit gl. in dicto cap. quæſito. Cum ergo in propoſito nulla ſit diſcretio, nec cauſa diſpenſandi contra dicta capitula, imò cum ſit maxima neceſſitas tenendi Concilij, non debet poſſe ſecum ſine cauſa diſpenſare, nec tollere promiſſa honeſta. Item quod debeat illa ſeruare, nec poſſit ſe abſoluere; facit quod capitula continent illa, quæ ſunt in ſe licita, & pertinentia ad bonum vniuerſalis Eccleſiæ, puta congregare Concilium, & quod non poſſit creare Cardinales vltra numerum 24. iuxtà conſtitutionem conciliarem, nec infeudare res Eccleſiæ, & ſimilia. Cum ergo ſecundùm aliquos Papa non poſſit ardua expedire ſine Cardinalibus, vt dictum eſt ſupra, ſicut de Principe ſine conſilio procerum, argu. cap. intellecto, de iureiur. dicit Pau. de Caſ. in conſ. 72. in 6. col. videtur, quod nec creare Cardinales, quod ponit Bal. in cap. 1. de natura feu. & ponitur poſt Io. Mo. in cap. ſuper eo, de hær. in 6. vbi dicit quod geſta per Papam, quæ erant ardua, retractata fuerunt, quia geſta ſine conſilio Card. Idem Archid. in cap. ſunt quidam 25. q. 1. in prin. Hoſt. & Io. An. in cap. antiqua de priuil. Card. & Imo. in cap. ex geſtis, de cler. non reſi. Et ex hoc dixit Bal. in l. fin. C. de diuer. reſcri. quod Papa Vrbanus reſpondendo oratoribus Peruſinis quærentibus expeditionem pro factis Ciuitatis, dixit quod negocium erat arduum, & quod non poterat in camera expediri, ſed erat expediendum in conſiſtorio cum Cardinalibus, & quod idem reſpondit Carolus in
81 Ciuitate Piſana. Et idem, quod non poſſit expedire ardua ſine Cardinalibus, nec deponere, nec excommunicare Cardinales ſine conſilio Cardinalium, tenet Abb. in in cap. 2. de cler. non reſi. Ad quod tex. in cap. per venerabilem qui filij ſint legit. & ibi Abb. quem tex. etiam ad hoc alleg. Abb. ibi in d. cap. 2. & tex. in d. cap. fundamenta, de elect. in 6. & iura, quæ dicunt de fratrum noſtrorum conſilio, vt in d. cap. ſuper eo, & cap. primo, de renun. in 6. & in cap. ad Apoſtolicæ de re iud. in 6. & in cap. 1. de ſchiſma eod. lib. cum ſi. Et Bal. in l. cùm multa. C. de bo. qu. lib. vbi di-
82 cit quod in infeudatione rerum pretioſarum debet interuenire conſenſus Cardin. Idem Io. de Fan. Archi. & Domi. in cap. cùm redemptor 12. q. 2. Idem Catal. Alc. in cap. non liceat Papæ, in fin. 12. quæſt. 2. licèt in d. cap. cùm redemptor, ead. cauſa, & qu. aliter dixerit. Ad quod etiam faciunt, quæ dicit Abb. in c. conſtitut. de relig. domi. vbi vult quod ſine peccato non poſſit alienare de bonis Eccleſiaſticis, vt dicitur in d. cap. non liceat, & plus etiam dicit, quod non poſſet priuare aliquem beneficio, maximè Epiſcopatu, vel dignitate ſine cauſa, de quo infrà late in locis remiſſiuè allegatis. Et quod non poſſit alienare res

Ecclesiæ Romanæ sine consilio Cardinalium, ponit Archid. in dict. cap. non liceat 12. qu. 2. & in cap. Adrianus, el. 2. dist. 63. & latè Fel. in cap. ad audientiam de præscr. & per Abb. in cap. dudum, el. 2. de elect. & in cons. 41. in 2. vol. & aliquid infra in solutione post adducta in contrarium. Ad quod multum bene facit quod ponit Henricus Boich. in cap. magnæ de voto, vbi super illo art. quæ liceant, deceant, & expediant Papæ, dicit quod licet Hostien. dixerit omnia licere Papæ, quæ non sunt contra Fidem, tamen intelligi debet, dummodo non offendant Deum per peccatum mortale, allegat quæ dicuntur 40. dist. cap. si Papa, quia in hoc nulla potestas, nulla dignitas, nullum priuilegium posset peccatorem excusare allegat 12. q. 2. non liceat, nulli enim Christiano, licet peccatum mortale committere, cap. fin. de præscript. In his tamen, scilicet in quibus Papa peccat
84 mortaliter, sicut, & quilibet alius, aut quæritur quo ad transgressionem decalogi, & omnia alia quorum commissio, vel omissio ex lege diuina veteris, aut noui testamenti iudicatur peccatum mortale, & eo casu sunt præmissa vera, aut quæritur de ijs, quæ ex lege canonica mortalia sunt, & in his omnibus licet ei quicquid libet, vt in cap. proposuit, de concess. præben. & cap. fin. de simonia, tamen sine sufficienti causa non decet. 11. qu. 1. peruenit. l. digna vox. C. de legibus. Quæ causa debet sumi, ex qualitate negocij, personæ, loci, & temporis dist. 19. cap. primo, & secundo, iustitiam autem ministrare semper expedit. capitulo primo, de re iud. in sexto. Cessante ergo causa non potest Papa contrauenire capitulis, iuratis, vide Card. duodecima quæstione secunda, dicto capitulo non liceat. Inde dicit Hostien. & Ioann. And. in cap. antiqua de priuileg. quod Papa parum, vel nihil facere debet sine
85 consilio Cardinalium, cùm sint vnum corpus cum eo, & quando mittit Cardinalem legatum vocatur legatus de latere Papæ. Et ideò non iurant fidelitatem Papæ sicut alij Episcopi, vt dicitur in d. cap. antiqua, & maximè stante antiquata consuetudine hoc faciendi cum Cardinalibus, quæ consuetudo dat iurisdictionem, vt 9. q. 3. conquestus, de foro compet. cum contingat cum simili. Vnde dicit Ioan. Mo. vt supra dictum est, in dicto capit. super eo, multas collationes de Episcopatibus, & Abbatijs per Celestinum sine consensu Cardinalium factas fuisse cassatas per Bonifacium successorem, & similiter quod per Benedictum 11. fuerunt suspensa statuta, quæ Bonifacius eius prædecessor concesserat Marchianis sine consilio Cardinalium, eo quod tangebant ardua, licèt aliqua essent iusta. quæ omnia refert Ioan. And. in d. cap. super eo de hære. in 6. & vide Martinum de Laude, in tract. de Cardinalibus, vers. se-
86 cundo. Et secundùm quod dicit idem Ioa. Mo. & refert Card. in dicto capitulo secundo non præsumitur quod faciat cum bona conscientia, si illa faciat sine consilio Cardinalium, & debent per successores reuocari. Et non valet consuetudo quod Papa possit explicare ardua sine consilio Cardinalium secundum Abbat. in dicto capitulo secundo, de quo per Felin. in rub. de constit. Et posito quod Papa possit explicare etiam ardua sine Cardinalibus, & creare Cardinales, de quo arti. latè in locis supra allegatis per Doct. & Alberic. in rub. C. de legibus, & in locis latè etiam positis per Feli. in rub. de constit. vbi ponit an consuetudo, vel lex possit hoc introducere, & per Iasonem in l. placet. C. de sacrosanctis Eccl. tamen nullus negat quin ex quadam honestate, & condecentia debeat ardua explicare cum Cardinalibus, cum dicantur pars papatus, vnde læso Cardinale dicitur læsus Papa, vt dicit Ioan. An. in capitulo fœlicis de pœnis in 6. Et dicuntur inuiscerati Papæ Host. in cap. antiqua de pri. Et cardines terræ Io. de Fan. in cap. sacrosancta 22. dist. Host. in cap. 2. de cler. non resi. Item dicuntur coadiutores Papæ in officio papatus, vt in d. cap. per venerabilem §. rationibus qui filij sint legi. & in cap. fundamenta, de elect. in 6. & fratres, vt in cap. quàm graui. de crimi. falsi. & in cap. ad Apostolicæ de re iudi. Et vocati in partem sollicitudinis, vt in cap. ad honorem de auctor. & vsu pal. Et dicuntur collaterales, vt in cap. primo, & 2. de offic. lega. in 6. Et pars corporis 6. qu. 1. §. verum, de quibus plura dicta sunt in arti. de ordine sedendi in Concilio, qui præferantur Cardinales, ne an quatuor Patriarchæ, vide Cardin. in dicto capitulo licèt de elect. Et princeps, licèt sit legibus solutus, tamen profitetur se legibus viuere, vt insti. quibus mo. test. infi. in fi. & C. de ll. digna vox, & C. de testamen. l. hac consultissima §. ex imperfecto Bal. de bonis, quæ liberis l. cum multa ff. de legat. 3. l. ex imperfecto & 8. dist. quæ contra. & cap. in singulis de statu. mo. & in c. peruenit. 11. quæst. 1. Papalis enim potestas debet esse auctrix, & cultrix honestatis, & iustitiæ, vt in c. 1. §. sed diuersum in tit. de alien feu. siue sint leges ab eo, siue ab alio conditæ, vt l. nam ma-
90 gistratus ff. de arbi. Idem dicitur, quod licet Papa sit dominus beneficiorum, & in illis habeat plenitudinem potestatis, vt in cap. 2. de præben. in 6. & dicantur omnia beneficia esse ei manualia, vt in clem. 1. vt lite penden. ita vt dicatur, quod possit aliquem priuare beneficio sine causa, vt ibi notatur, & in cap. per principalem 9. q. 3. tamen illud debet intelligi modo per hoc non faciat iniustitiam, vt dicit Card. in cons. 142. incipit videtur. Imò Abb. in cap. constitutus de relig. domi. vult quod sine causa non possit de quo in d. cap. per principalem 9. q. 3. & in cap. fin. de confir. vti. vel inuti. & ibi Decius, & Barbatius in cap. quod translationem de offic. lega. Vnde Bal. in ca. 1. in §. ad hæc de pace iura-
91 ti. dicit quod si Papa de plenitudine potestatis auferat alicui beneficium, debet eidem prouidere de alio æquiualenti, refert Fel. in d. c. 1. de probat. Et si hoc est quod debet explicare ardua cum Cardinalibus stante maximè antiquata consuetudine, & sic vbi nulla interuenit obligatio vel promissio, vel pactum, multò magis in proposito

to videtur quod debeat teneri etiam de necessitate, ex quo interuenit promissio cum iuramento, & voto. Item quod teneatur seruare votum facit quod vouendo quis promitti Deo, vt in cap. non est de voto. Et vouere est de iure diuino, iuxta illud psal. 75. vouete, & reddite Domino Deo vestro, vt dictum est supra, & in cap. magnæ de voto, & Ecclesiastici 5. si quod vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet
92 enim ei infidelis, & stulta promissio, sed quodcumque voueris redde, multòque melius est non vouere, quà post votum promissa non reddere. Si ergo est de iure diuino, & contra ius diuinum non potest Papa dispensare cum alio, vt in cap. sunt quidam 25. q. 1. & d. c. quod in Ecclesiarum de const. &c. & si Christus, & cap. quæsito in gl. de iureiur. & d. cap. non est de voto, multò minus cum seipso poterit, arg. d. c. fi. de insti. iuncto cap. per nostras de iurepa. In ijs enim, quæ sunt de lege naturæ, & in præceptis diuinis non potest per hominem dispensari, & præsertim in præceptis primæ tabulæ, quæ ordinantur directè ad dilectionem Dei, vt dicit S. Tho. in secunda secundæ qu. 88. art. 10. Accedit quod ex inob-
93 seruantia voti dicitur quis incurrere infidelitatem, quia non obseruare votum est frangere fidem Deo, vt dicit S. Tho. in secunda secundæ qu. 88. art. 3. & 10. & qu. 89. argumen. 8. Sed de infidelitate Papa arguitur, & accusatur, & deponitur à Papatu, vt in cap. si Papa dist. 40. ergo ex non obseruantia voti poterit deponi maximè concurrente periurio. Facit quod dicit S. Tho. in secunda secundæ qu. 89. art. 8. de obligatione iuramenti, & voti. Item fa-
94 cit ad hoc, quod licèt Papa dicatur habere plenitudinem potestatis, tamen debet intelligi, modò reguletur per consilium Cardinalium, quia vt dicit, Card. in cap. licèt de elect. & in repe. cap. perpendimus, de senten. excommu. non debent assentatores Papæ volentes illi complacere, illi suadere, quod omnia possit pro libito quasi etiam possit illicita, & sic plusquam Deus, quia ex hoc sequuntur multi errores, & pericula in Ecclesia. Hinc dicit Archid. referendo Lau. in capitulo sunt quidam 25. quæst. prima quod Papa non potest facere legem generalem super vniuersali statu Ecclesiæ sine consilio Cardinalium, quod & sequitur Cardinalis, in dicta repet. cap. perpendimus. Hinc dicit etiam Cardin. ibi in dicto cap. perpendimus quod non posset tollere, cap. si quis suadente, sine consilio Cardinalium, vnde propter arduitatem huius facti quod est creare Cardinales, vt inquit, Bernar. in 4. lib. de consideratione ad Euge. quia iudicant totum orbem, multò magis valuit obligatio, & promissio, & tenetur obseruare. Ad quod facit quod dicit Hosti. in capitulo primo de cler. non resi. quod licèt dicatur quod solus Papa sine consilio Cardin. possit priuare Episcopum vt secunda qu. 6. cap. ideo, & 9. q. 3. cap. cuncta, non sic simpliciter dicitur de Cardinale, sed maximè fuit reuocatum in dubium, vtrùm hoc possit, sine consilio Cardinalium, vel Con-
95 cilij facere. Item si debet intelligi plenitudo potestatis, cùm claue discretionis, vt dict. cap. quanto, & supra dictum est videtur, quod capitula sic inita per Cardinales, quantumcumque existant regulatiua potestatis Papæ, sint propter bonum publicum seruanda. Patet in simili, quia
96 ius ciuile non potest tollere ius naturale, nec ius diuinum in §. naturalia, instit. de iure natu. gen. & ciu. & in cap. sunt quidam 25. quæst. 1. & dictum est supra. Tamen benè potest illud modificare, & interpretari causa suadente, vt patet in l. si vnus C. de testa. & in cap. cùm esses eodem tit. & in l. fin. de fideiul. & cap. relatum, & ibi Doct. de testa. Facit, quòd dicit Bar. in l. omnes populi ff. de iusti. & iure, & in cap. cùm contingat de iureiur. & in cap. à nobis post. gloss. de decis. Nec per hoc dicitur tolli plenitudo potestatis, sed ad tempus
97 suspendi, donec sit numerus 24. sicut dicimus, quòd Papa non videtur tollere ius tertij, sine causa, cùm ad tempus tollit vt dicitur in l. quotiens C. de precibus impera. offe. Sic ergo dicamus in proposito, quòd ex causa propter licentiam summorum Pontificum licuerit Cardinalib. facere dicta capitula in conclaui, & multò magis postquam sunt per Papam comprobata, facit quod dicit tex. in cap. 2. de præben. in 6. quòd licèt Papa in beneficialibus habeat plenitudinem potestatis, tamen in aliquibus hoc specialiùs ei contulit consuetudo.

98 Item licèt dicatur quod Papa possit tollere contractus, qui sunt iuris ciuilis scilicèt ipsam actionem, vt in l. secunda ff. de origin. iur. & dicitur in l. ex hoc iure ff. de iustitia, & iure, non tamen potest facere quin iustitia reddatur mihi, vt posuit Innoc. & Abb. & Feli. in 36. colum. in cap. quæ in Ecclesiarum de constit. Similiter licèt
99 possit validare contractum nullum, vt in cap. primo de transac. illud est verum, quando agit tamquam Summus Pontifex, sed quando se obligat, & contrahit tunc obligatur tamquam priuatus, & tenetur obseruare, vt dicit Card. in consil. 147. in 2. col. per c. primum de probat. & ideò non poterit promissionem reuocare. Et inducit ad illud, quod dixit Bald. in authent. de defenso. ciui. de promissione facta per Federicum Lombardis, quòd tenetur obser-
100 uare, & in similibus obligationibus non præsumitur causa in Principe, quia aliàs de facili posset reuocare contractus omnes cum eo factos, quòd ponit Abb. & Felin. post eum in 40. column. in cap. quæ in Ecclesiarum de constit. & idem Felin. in cap. ad audientiam de præscrip. Quòd inducit ad illud, quod dicit Bal. in cap. 1. de na. feu. de comitatu Papiæ, quòd non possit per Federicum reuocari, de quo supra. Et non sine mysterio hoc fuit statutum scilicèt quòd habeant assumpti ad Pontificatum capitula ista iurate.

101 Item videtur per locum à minori quòd non possit reuocare, quia si Papa potest renunciare papatui, vt in cap. primo de renun. in 6. multò magis potest se astringere ad certo modo administrandum Ponti-

tifi-

tificatum authen.multò magis. C. de sacrosſ. Eccl.Item ſi eſt vera opi.ſupra relata, quòd Papa poſſit cogi ad renunciandum papatui pro ſedando ſchiſmate, de qua latè infra, eodem modo videtur, quòd pro pace, & vnione redimenda inter Papam, & Cardinales, & bono regimine Eccleſiæ, poſſit cogi ad obſeruandum capitula iurata, & notata, quæ ſunt rationabilia. Et pro iſta parte, quòd teneatur obſeruare, quod ante iurauerat poſſent adduci in argumentum cap. cùm adeò de reſcrip. l. ſi quis poſtea ff. de iudi l.cùm quædam puellaſf.de iuriſd. omnium iudic. 16. quæſt. 1. cap.3. Clem.1.de renun.item de diuort. c. gaudemus, ad fin. 51. diſt. c.deſignata, & cap.ex antiquis 54.diſt. vt ſaltem vitetur ſcandalum, quod in ſubditis, & in Eccleſia generari poſſet ex inobſeruantia voti, & fractione fidei ratione, cuius ſcandali poteſt procedi contra Papam, & accuſari in Concilio, maximè quando eſt incorrigibilis, iuxta gloſ.in cap. ſi Papa.40. diſt. & quæ dico infrà in quæſtione propria. Et licèt Abb. in cap. cùm veniſſent de iudic. loquendo in Papa alienante terras Eccleſiæ, & ſcandalizante Eccleſiam dixerit, quòd præſumitur cauſa in Papa, tamen ipſemet contrarium poſuit in cap. quæ in Eccleſiarum de conſtit.de quo vide Fel.in cap.ad audientiam, de præſcrip.

102 In contrarium quòd Papa non ligetur illis capitulis, & quod poſſit ſeipſum abſoluere à iuramento, & voto, primò facit quòd Prælatus non conuenitur poſt tranſlationem de eo, quod ante tranſlationem fecit, vt in cap. ſi quis iam translatus 21. qu.2.quia aliud fingitur hodie, quàm fuerit heri.50. diſt.cap. ferreum propriè enim aſſimilatur ferro, quia ſicut ferrum de terra tollitur, & purgatur, & ad meliorem vſum conuertitur, ita, & Papa per electionem, & aſſumptionem ad Papatum ſanctificatur, vt in cap.non nos 40.diſt. ideò poſtquam translatus eſt non requiritur de geſtis ab eo ante adeptum Pontificatũ. Secundò facit quòd ſicut ſeruus, qui tempore ſeruitutis poterat conueniri actione negotiorum geſtorum, poſt manumiſſionem minimè conuenitur propter ſtatus mutationem, vt in l.cum actum ff.de neg. geſt. & in l.prima C.an ſeruus ex ſuo facto, facit l.is cui, cum gloſ.ff. de alimen. & ciba.lega. ſic videtur dicendum in Papa quod de eo, quod in Conclaui promiſit, dum erat Cardinalis, factus Papa non poſſit inquietari, ſed ſoli Deo habeat de voto, & iuramento reddere rationem, cap.etſi Chriſtus, de iureiur. Sic dicimus, quod per mutationem perſonæ mutatur ſtatus rei, vt in l. vnica C. de impo.lucra.deſcrip.lib. 10. & ponit Specu. in tit. de cle. coniuga. in ver.ad huius autem. Et ex mutatione

103 officij, vel dignitatis dicitur aliquid alicui eſſe illicitum, quod aliàs erat licitum cap.lex continentiæ 31. diſtinctio. Et mutatione conditionis, & ſtatus variatur diſpoſitio l.cùm quis, & l. ſi cùm Cornelius ff.de ſolu.cap.quemadmodum, de iureiuran. Et mutatione ſtatus ciuitatis tollitur effectus ſententiæ priùs latæ, Bal.in l.cùm ex oratione in notabili 3. ff.de excuſ.tuto.

106 Tertiò facit quòd ſicut per ingreſsũ religionis quis abſoluitur à iuramẽto, & voto, vt in c.ſcript.de vot.& per Inn.in c.debitores, de iureiur.ita videtur dicendum in Papa quòd per adeptionem ſummi Pontificatus cenſetur abſolutus à iuramento, & voto cùm omnis religio conſiſtat in pontificatu, & in melius videtur commutatio. Facit quod dicit Bal. in dict. cap. debitores, & quod infra dico de commutatione in melius, quòd non dicitur eſſe tranſgreſſio.

107 Quartò facit quòd in iuramento ſemper intelligitur excepta auctoritas ſuperioris. 25.quæſt.1.§.his ita, & de iureiur. cap. venientes, & Doct. latè in cap. conſtitutus, de reſcrip.& Io.Andr.& Ant.in cap.non eſt de voto. Igitur in tali iuramento in conclaui emiſſo poteſt aſſumptus in Papam, cuius auctoritas cenſebatur excepta, ex vi iuramenti contrauenire, & diſpenſare. Et iſta inferunt de iuramento præſtito ante Pontificatum. Ad quod etiam quintò

108 facit, quòd inquantum reperiuntur ſede vacante facta, videntur nulla, quia ab illis celebrata, qui nullam habent iuriſdictionem. Et hoc per tex.in Clemen.ne Romani.§.irritum de elect. vbi ſede vacante Cardinales nullam recipiunt iuriſdictionem, ſed tantùm poſſunt illa explicare, quæ faciunt ad celerem electionem futuri Pontificis. Idem voluit gl.in cap. vbi periculum in §.ijdem quoque de elect. in 6.& gloſ. in capitulo primo, de ſchiſma, in 6. & tex in §.cæterum dict.cap.vbi periculum qui expreſsè diſponit quod ſimiles ordinationes, etiam ſi ſint iuratæ non valeant. & ſi dicatur quod minora collegia ſuccedunt in iuriſdictionalibus vacante ſede epiſcopali, vt in cap. ijs, quæ, & capit. cùm olim de maior. & obedien. & in cap. ad abolendam, de hæte. non refert, quia præcluſa eſt via Cardinalibus ſe immiſcendi in iuriſdictione pontificali, ad hoc, vt vacent acceleratæ electioni faciendæ propter imminẽs periculum ex tarditate, vt d.§. irritum, facit quòd in ſimili dicitur, in gloſ. in cap.accuſatus in §. ſanè, de hær.in ſexto. Item poſſet eſſe alia ratio, quia claues datæ ſunt Petro tantùm, & ſucceſſoribus immediatè à Chriſto, vt in cap. in nouo 21. diſt. Et ipſe eſt, qui tenet vices Chriſti, vt in cap.ad Apoſtolicæ de re iud. & in cap. pro

109 humani. de homicid. in ſexto. Vnde dicit ſpecu.in titu.de legatis in §.nunc oſtendendum, verſiculo 89. quod Papa eſt Petri Succeſſor, & Vicarius Ieſu Chriſti, vicem non puri hominis, ſed veri Dei gerens in terris, & in capitulo primo, & ſecundo de translat. & vide tex in capitulo vnico, vt Eccleſ. benefi. & in Clementina prima in princip. de iureiuran.& in cap.vbi periculum §. cæterum circa medium de elect. in 6.Igitur non poteſt talis poteſtas eſſe in collegio, quia ſi in Collegium tranſiret iſta poteſtas Papæ, ſequeretur quod Chriſtus plures ſucceſſiuè conſtituiſſet Vicarios, ita quod Papa mortuo tranſiret vicaria in Collegium, & Papa creato extingueretur poteſtas in Collegio, & iterum mortuo Papa Collegium poteſtatem reſumeret, quòd

quòd videtur absonum, argu. l. qui res §. aream de solu. cum concordan. Ideò in eos non transit aliqua iurisdictio, & vt cesset omnis occasio vsurpandi supremam potestatem, quæ est in Papa tantùm, vt in cap. quod translationem de offic. lega, & vide Bal. in l. rescripta C. de precibus impera. offe. Cardinales sede Vacan. in nullo succedunt in iurisdictione Papæ. Vnde non possunt facere constitutiones, vel ordinationes, vt d. §. irritum, & d. §. cæterum, quia facere constitutiones est iurisdictionis, vt voluit glossa in. l. 1. ff. de iuri. omnium Iudi, & Innoc. in cap. cùm accessissent de consti. & in c. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ eod tit. Probatur in l. nulli. C. de sententijs, & inte. lo. omnium iudi. Bar. in l. omnes populi ff. de iusti. & iur. & cap. vt animarum de constit. in 6. Et per hoc patet, quòd non
110 videtur vera opinio Bar. in l. vbi absunt ff. de tuto. & cura. datis ab ijs, qui voluit quod vacante sede Papali appellatur ad Collegium Cardinalium sicut appellaretur ad Papam si viueret, ex quo mortuo Papa, Cardinales non succedunt in iurisdictione Papæ, v. ibi est text. & glos. quæ ibi hoc voluit in dicto §. irritum, ponendo differentiam inter Collegium Cardinalium, & alia inferiora collegia. Et hoc voluit Alexan. de Imol. in dict. l. vbi absunt, qui
111 reprehendit illam glo. c. nullus 79. distin. quæ voluit quòd vacante sede, cœtus Cardinalium tenet locum papæ, quia immò Ecclesia vacan. eius caput, & sponsus est Christus, vt voluit glos. dict. Clemen. & in
112 cap. primo de schisma. in 6. Et quod non habeant iurisdictionem Cardinales, adducit Bal. hoc tenentem in tract. schismatis in 2. column. vers. suppono, & vide Cardin. in cap. licèt in 3. quæst. de elect. Et maximè hoc procedit, quò ad ea, quæ sunt Principi reseruata, & quòad creationem Cardinalium, quos non possunt ipsi Cardinales creare sede vacante, vt latè dicitur in d. Clemen. 2. de elect. post. glos. in ver. potestatis, & in cap. nullus 79. dist. & dictum est supra in quæstione propria. Alioquin
113 si diceremus quòd succederent sequeretur absurdum, quòd non esset necessarium Papam eligi, ex quo cœtus Cardinalium Christi vicariatum haberet, nec esset expediens propter contrarietatem, quæ posset inter eos exoriri. Ita dicit glos. in verbo non consonam in dict. Clement. 2. Et maximè in ordinationibus ipsorum, in quibus ipsi nullam habent potestatem, & & concernunt plenitudinem potestatis Papæ, de qua non possunt ipsi tractare sine Papa, facit quòd dicitur in cap. primo de translat. prælat. & in cap. quod translationem de off. leg. Et hoc est clarum quando sedes vacat, & imminet fieri electionem, vt est in quæstione proposita, in alijs autem casibus, vide quæ dico supra in quæst. quid si Papa est effectus inutilis, vel furiosus. Sextò facit quòd dicit Petrus de Ancha. in c. venerabilem de elect. vbi dicit, quòd si ille,
114 qui iurauit in materia dispensabili non habet superiorem, potest ipsemet secum dispensare. Quod si admittitur in inferiore à Papa non recognoscente superiorem, multò magis admittendum est in Papa, & maximè quando ex causa secum dispensat, vt dicit Abb. in dict. c. primo de consti. & Felin. in cap. Constitutus in 8. col. de rescript. vbi dicit quod Papa potest seipsum absoluere. Et idem vult Bal. in l. non dubium in antepenul col. allegando Inno. C. de legibus, quod dicit esse notatu dignum. Et idem refert Fely. in d. cap. primo 17. column. versic. sexta declaratio, qui respondet ad regulam cap. fin. de instit, & cap. per nostras de iurepat. Primò quod in hoc potest prouideri, quia potest committi alteri absolutio, iuxta glos. in cap. sanè, el secondo de offic. deleg. & in capit. nemo 9. quæst. 3. in glos. & quod dicitur in cap. omnis de pœnit. & remiss. Ad quòd facit, quòd in simili dicitur, quòd deficiente superiore potest quis sibi ipsi ius dicere, vt dicitur post Innocen. in capitulo olim, el primo, de restit. spolia. & benè tex. in capitulo vnico, de mili. vasal. qui contumax est in feu. Secundò, quòd illa est regula iuris positiui, cui Papa non subijcitur dicto capit. proposuit. de concef. præben. Facit quod in
115 simili dicitur, quòd quis absoluitur à voto per ingressum religionis, vt in capit. scipturæ de voto, & à iuramento in melius commutando, vt dicit Innocen. in capitulo debitores, in fin. de iureiuran. & & glos. in capitulo tua nos, de iureiuran.
116 vbi de hoc, & supra dictum est. Septimò ad idem facit, quod iuramentum debet habere suos comites, veritatem, iudicium, & iustitiam, vt in cap. animaduertendum. 22. quæst. secunda, & quæstio. 1. cap. & iurabunt & de iureiur cap. etsi Christus. Vnde debet habere discretionis iudicium, & auctoritatem l. 2. ff. de iureiur. Cùm ergo Cardinales nullam habeant iurisdictionem in Papam, non possunt recipere ab eo iuramentum, nec potest illis obligari, quia deficit auctoritas, & discretionis iudicium. sicut in simili dicit Bal. in proœ. Gregor. quòd clerici non tenentur iurare Rectori laico de obediendo ei, quia non possunt se illi obligare c. significasti de foro competenti & ca. at si clerici de iudi. cum simil. ponit. Archid. in capit. placita 15. q. 4.
117 Octauò facit quod ardua potest Papa solus facere sine Cardinalibus, vt puta creare Cardinales secundùm magis communem opinionem d. cap. super eo de hære. in 6. & Ioan. de Ligna. in cap. 2. de cler. non resi. & latè in locis infrà remissiuè positis in responsionibus ad contraria, & in locis supra adductis pro alia parte, & Abbas, & Moderniores, ibi in dict. cap. 2. post Car. qui dicit quod licèt Hostien. ibi sub dubio dixerit quod Papa non possit facere ardua sine consensu Cardinalium, tamen Pontifices hoc non admittunt, nec quod ipse Hostien. dixit iure proba. Immo. & glo. ibi voluit, quod solus Papa possit deponere Cardinalem sine illorum consensu, quod & tenuit ibidem idem Abb. & Ioann. de Imo. in cap. dilectus el. 1. col. 1. de præb.
118 Vnde glo. 1. in capit. ad Apostolicæ de iudi. in 6. dicit quod Papa solus potest deponere Imperatorem, Reges, & quoscumque alios, & de rege Franciæ est tex. in ca. alius 15. qu. 6. & de Imperatore ponitur in cap. in istis 4. dist. & in cap. venerabilem de elect.

elect. Et quod aliquando reperitur factum, cum Concilio fuit de honestate, vt dicit ibi glo. vel si interuenit Concilium, interueni approbando non auctorizando, secundum glo. & Inno. in di. c. 2. Quia Papa est qui habet plenitudinem potestatis 2. qu. 6. decreto, & non subijcitur canonibus, nec ab eis auctoritatem habet, sed potius è contra, vt in cap. significasti, de electio. Et ipse omnes iudicat, & nullus ipsum 22. dist. omnes 9. qu. 3. nemo. Ratio prædictorum est, quia essent restrictiua potestatis Papæ, contra dicta Innocen. in cap. 2. de transl. præla. Vnde dicit S. Tho. in quarto senten.
119 dist. 24. qu. 3. art. 3. ad 8. argumen. quod Papa non vtitur baculo sicut alij Episcopi, quia non habet coarctatam potestatem, quę designatur per curuitatem baculi. Simili-
120 ter facere legem generalem, quod connumeratur inter ardua, vt in l. humanum C. de ll. & authen. habita C. ne filius pro Patr. potest Papa solus sine Cardinal. ponit Alberi. in Ru. C. de ll. facit quod ponit Archi. in cap. quæ ad perpetuam, & in ca. sunt quidam 25. qu. 1. & in capit. quamuis de offic. ord. in 6. Ad idem facit l. fin. C. de ll. vbi Imperator facit legem generalem sine procerib. suis, ergo multò magis hoc poterit Papa sine Cardinalibus. Et propterea Alber. in d. ru. dicit quod illa clausula, quæ consueuit apponi in bullis de fratrum nostrorum consilio magis emanat de honestate, quàm de necessitate, & idem Alberi. in d. l. humanum. Et licèt tex. velit quod si quid in publica, priuataue causa emerserit necessarium, quod nouam formam generalem exposcat, id debere discuti ab omnibus proceribus, & Patribus conscriptis, & cùm omnes consenserint tunc demum in consistorio Principis recitari vt vniuersorum consensus auctoritate Principis firmetur, &c. debet intelligi de honestate, & non de necessitate secundùm Bart. Bal. & aliòs ibi. quod ostendit in sui principio ille tex. dum dicit humanum esse probamus, &c. Et idem dicitur in authentica habita C. ne fili. pro Papa, ibi habita deliberatione abbatum, videlicèt non de necessitate, sed de honestate, & ponit Domi. in d. cap. super eod. de hære. in 6. Pro
122 hoc facit, quod dicit glo. in capitulo fundamenta. de elect. in 6. in §. decet, in versic. contigerit, quæ dicit quod Papa non cogitur petere consilium Cardinalium quod ostendit ibi tex. qui loquitur euentualiter, videlicèt in quibuscumque contigerit eorum consilia peti. Ad idem facit. tex. in cap. saluo 9. qu. 3. vbi dicit quod saluo in omnibus Romanæ Ecclesiæ priuilegio nullus Metropolitanus potest sine consilio prouincialium Episcoporum causas tractare. Ergo Romana Ecclesia, quæ repræsentatur in Papa, secundùm Bal. in authen. quas actiones C. de sacrosanc. Ecclesia, & Archi. in capit. primo de præscri. in sexto, & in cap. fundamenta de elect. eodem libro, non tenetur requirere consilium aliorum, ergo nec Cardinalium.

Item cum sit maior potestas Concilij, quàm Cardinalium, vt in cap. si Papa 40. distinct. & quæcumque ardua citra pertinentia ad fidem possit sine Concilio explicare, nona quæst. tertia cuncta, multò magis poterit sine Cardinalibus. Præterea
123 Papa solus est, qui habet vniuersalem iurisdictionem, & ipse est summus, qui omnia potest, vt dicit glo. in clem. ad nostrum de hære. vnde Paulus prima ad corin. 6. dicit, nescitis quod Angelos iudicabimus, quantò magis secularia, vt in cap. per venerabilem qui filij sint legi. Et vide glos. in d. clem. ad nostrum, quæ dicit Ecclesiam istam militantem exemplatam esse diminitùs à triumphante, allegat illud Exodi 25. in fin. vbi fuit dictum Moysi quod omnia faceret, sicut fuerat ei monstratum in monte, & illud Apocal. 21. vidi Ierusalem sanctam descendentem de cœlo, sicut ergo in Ecclesia triumphanti vnus est solus Princeps Deus, cui omnia obediunt, & qui omnia administrat, ita in ista militanti debet esse vnus, qui præsit omnibus, scilicet Papa, cui omnes obediant, & qui omnia administret. Ad quod illud 12. Metaphy. multitudo principatuum mala, ponit Abb. in cap. nouit. de iudi. in 3. colum. ergo vnus debet esse Princeps, facit tex. in cap. in apibus 7. qu. prima. Ergo Papa solus sine Cardinalibus, nam potestas data fuit Petro, & successoribus principaliter, vt in cap. in nouo 21. dist. & cap. 1. de translat. Præla. & in cap. solitæ, de maior. & obed. & non cum Cardinalibus. Ipsi enim Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cœlestis Imperij iura commisit Dominus, dicit tex. in cap. primo dist. 22. quia Petro fuit dictum, pasce oues meas, vt d. cap. solitæ, & ei data potestas ligandi, & soluendi 24. qu. 1. quodcumque, & d. cap. solitæ, & cap. ad Apostolicæ, de re iudi. in 6. & cap. per venerabilem qui filij sint legi, & ipse habet discernere inter lepram, & lepram. Ergo non habet requirere consilium Cardinalium de necessitate. Et ipse est, qui
124 solus tenet locum Dei in terris, vt in cap. quanto de transl. præl. & cap. 1. vt Eccles. bene. & est Vicarius Iesu Christi, vt in cap. fin. de transl. præla. & in c. inter corporalia eod. tit. & in c. ad Apostolicæ de re iudi. in 6. & c. 1. de homi. in cap. vbi pe-
125 riculum in §. cæterum de elect. eod. lib. Et factum ab eo dicitur factum à Deo, vt di. cap. quanto. Nec disputandum est de eius potestate, ne lingua transiens super terram ponat os in cœlum 21. dist. cap. in tantum, & Ioan. And. in regula actus legitimi de regu. iu. Et non solum circa cœlestia, terrestria, & infernalia ipse gerit vices Dei, sed etiam super Angelos bonos, & ma-
126 los, quibus maior est iurisdictione sacramentorum administratione, cognitione, & præmio. Ità disputando dicit Archiep. Floren. in 3. par. sum. tit. 23. cap. 6. & ad idem ibi refert Augustinum de Anco. in tractatu de potestate Papæ. Qui allegant Chrysostomum dicere quod homini mortali omnium quæ in cœlo, & quæ in terra sunt potestatem commisit Deus, & validiorem cœlo Ecclesiam esse monstrauit. Quod & refert Felin. in cap. 1. in 3. columna de const. qui post S. Tho. in tract. contra errores Græcorum cap. 66. dicit quod Papa est primus, & maximus omnium prælatorum, & allegat eumdem Th. in dict. tract.

cap.

cap. 71. dicentem quod Papa in totam Ecclesiam Christi vniuersalem prælationem habet. Et Chrysostomum homilia 85. dicentem, quod Iacobum localiter in loco terminauit, Petrum autem totius orbis Magistrum, & Doctorem ordinauit. Et eumdem super act. Apost. dicentem, quod Petrus à filio super omnes, qui filij sunt accepit potestatem, non vt Moyses in vna gente, sed in vniuerso orbe, & quod dicere Papam, non habere vniuersalis Ecclesiæ primatum est error similis errori dicentium Spiritum sanctum à Filio non procedere, nam ipse Christus Dei filius Ecclesiam suã consecrat, & sibi consignat Spiritu sancto quasi suo charactere, & sigillo, & similitèr Christi Vicarius suo primatu, & prouidentia vniuersalem Ecclesiam tamquam fidelis Minister Christo subiectam conseruat. Ita Beatus Tho. in d. tract. cap. 66.

127 Et refert Felin. quòd idem Thom. in tract. contra impug. relig. dicit, quod sponsus Ecclesiæ propriè loquendo est Christus, alij autem dicuntur sponsi, sicut ministri sponsi exteriùs cooperantes ad generationem spiritualium filiorum, quos quidem non sibi, sed Christo generant, qui quidem ministri intantùm sponsi dicuntur, in quantùm vicem veri sponsi obtinent; & ideo Papa, qui obtinet vicem veri sponsi in tota Ecclesia vniuersali, Ecclesiæ sponsus dicitur. Et quamuis Episcopus suæ diœcesis sponsus sit, & presbyter suæ Ecclesiæ, non per hoc sequitur, quòd sint plures sponsi vnius Ecclesiæ. Et ratio est quia sacerdos suo ministerio cooperatur Episcopo tamquam principali, & similiter Episcopi Papæ, & Papa Christo.

128 Vnde Christus, Papa, Episcopus, & Sacerdos non computantur, nisi vnus sponsus Ecclesiæ: vt per eumdem Thom. in quarta dist. 24. quæst. 3. art. 2. quæstiun. 1. ad tertium argum. & 38. quæst. 1. artic. 2. & dixi supra in quęstione, vtrùm Concilium possit illa facere, quæ potest Papa. Et Scotus in quarto in tract. de perfectione statuum in 9. quæstione dicit, quòd Papa est Vicarius Christi, non solùm inquantùm Christus fuit Ecclesiæ Prælatus, sed in quantum fuit totius mundi Dominus, & quod iustè de statu, & bonis fidelium potest ordinare.

129 Vnde & B. Thom. in tractatu de regimine Princ. dicit, quod omnes Reges, & Principes Christiani, & omnes fideles tenentur esse subditi Romano Pontifici. Et Innoc. in cap. 1. de offic. ordin. dicit, quod Papa est Vicarius summi Regis, & præest Regibus, & Imperatori, & quod si quis eorum esset nimis seuerus, vel iniuriosus, Papa cognosceret etiam de non notorijs, & inquireret, si adesset infamia, vel si accusare-

130 tur. Et idem Domin. in certum 10. dist. Et dicit Innoc. in capit. cùm dilectus de foro competenti; quod Papa est ordinarius omnium; & cap. cum oporteat in glossa magna de accus. quòd vniuersi subsunt Papæ. Et Card. in cap. ad hæc de offic. Archiepisc. dicit, quod Papa dicitur cardo omnium Ecclesiarum. Et Thom. de erro-

131 ribus Græcorum cap. 72. dicit, quod est de necessitate salutis subesse Romano Pontifici: quod etiam dicit extrauagans Bonifacij vnam sanctam, & glos. in cap. ad nostram de hær. in Clemen. Ergo patet quod ei soli est data suprema potestas nullis vinculis alligata. Vnde de eius potestate mul-

132 ta pulchra dicta ponit Greg. VII. in 2. lib. registri in dictatu suo: & inter cætera quod Romanus Pontifex iurè dicitur vniuersalis quòd solus potest deponere Episcopos, vel reconciliare, quòd illi soli licet pro temporis necessitate nouas leges condere, ac nouas plebes congregare, quod solus potest vti imperialibus insignibus, quòd solius Papæ pedes omnes Principes deosculantur, quod illius solius nomen in Ecclesijs recitatur, quod hoc nomen est vnicum in mundo, quòd illi licet Imperatores deponere, quòd illi licet de sede ad sedem necessitate cogente Episcopos transmutare, quod nulla synodus absque præcepto eius debet generalis vocari, quod nullum capitulum, nullusque liber canonicus habetur absque illius authoritate, quod sententia illius à nullo debet retractari, & ipse omnium solus retractare potest, quod ipse à nemine iudicari debet, quòd Romanus Pontifex, si canonicè fuerit ordinatus meritis beati Petri indubitanter efficitur sanctus, testante sancto Euodio Papien. Episcopo, & multis sanctis Patribus astipulantibus, sicut in decretis beati Symmachi Papæ continetur, quod catholicus non habetur, qui non concordat cum Romana Ecclesia, quod à fidelitate iniquorum subiectos potest absoluere. Ipse enim est, qui tenet monarchiam mundi, & habet vtrumque gladium, vt dicit decis. vnica in titul. qui filij sint legit. Nam & Moyses, cuius successor est Papa, habuit vtrumque gladium, 33. quæst. 2. admonere. Et Dominus noster Iesus Christus, vtroque gladio vsus est, vt in cap. nouit de iudic. & ibi plenè per Doct. & in extrauaganti vnam sanctam: & ponit Aluarottus in capit. 1. Episcopum, vel Abb. in vlibus feud. & pono infra latè in quæstione propria. Et tanta est eius potestas, quòd ipse dispensat in omnibus, prǽterquam in articulis fidei. Abb. post alios in cap. proposuit de concess. præbend. Ipse enim solus est rector vniuersalis Ecclesiæ, vt dicit ibi tex. & in cap. vbi periculum §. cæterum de electione, in sexto, & S. Thom. in 2. opusc. cap. 65. & 66. Et eius potestas est à Deo, vt ibi. Et à Deo habet ipsius potestatis plenitudinem, ponit Bald. in l. rescripta C. de precibus Imperat. offe. ipse est, qui dispensat contra Apostolum 34. dist. cap. lector; & contra canones Apostol. 82. dist. Presbyter, & contra vetus testamentum in decimis non dandis, de deci. ex parte, & cap. sequent. dicit glos. in dicto capitulo proposuit, & ibi Doctor. ipse contra ius Diuinum disponit in particulari, vt in cap. si quis ibi, Feli. colum. 2. de maior. & obed. interpretatur, & limitat ius Diuinum, vt in cap. à nobis, de dec. ibi glos. & Feli. in cap. quæ in Ecclesiarum, colum. sexta, versiculo secunda conclusio, de constit. aliàs est in 10. columna. Et ibi adducit multas authoritates, & multa cumulat, quæ potest Papa: quibus adde Pe-

trum de Aneh. in cap. licet de ferijs, & in cap. nulli, de sent. excommun. & multùm bene in cap. rursùs, qui cle. vel Monachi. Et quòd solus à Deo habeat plenitudinem potestatis, vide tex. in Clem. Pastoralis, in fin. de re iud. & 2. quæst. 6. cap. qui se scit. Et sicut Ecclesia vniuersalis est vnum corpus, ita & vnum caput tantùm habet, qui est Papa, vt dicit glos. in cap. causam quę, el secundo, qui filij sint legit. Est enim maior sanctis, 20. distin. de libellis: nam Pontificatus, aut sanctum suscipit, aut sanctum facit, vt in cap. non nos 40. distin. & multùm notabiliter dicit Gregor. VII. in registro in 2. lib. in dictatu suo, vbi sanctos Euodium, & Symmachum hoc dicentes allegat, vt dixi suprà. Item est maior Apostolo in potestate, vt in cap. sacrosancta 22. dist. & dicit dec. 1. in titul. de biga. de quo in cap. sunt quidam 25. qu. 1. & Abb. in d. capit. proposuit: imò dispensat aliquando, & immutat vniuersalem statum Ecclesiæ, vt in cap. non debet, de consang. & affin. & 31. dist. cap. 1. & 68. distin. cap. Corepiscopi, licèt glos. in cap. literas, de restit. spol. & in dicto capitulo proposuit dixerit contrarium secundùm Ioan. And. & alios ibi in d. cap. proposuit. Et in effectu dispensat in omnibus non concernentibus fidem secundùm Abb. ibi. qui etiam vult, quòd possit liberare aliquem à voto absque aliqua commutatione, quemadmodum posset ipse Deus. Et generaliter potest facere omnia, quæ potest ipse Deus, claue non errante, vt dicit Hostiens. in cap. quanto, de translat. Prælat. & Innoc. in cap. quanto, de iureiur. cum idem sit consistorium Dei, & vicarij eius secundùm eos, & refert Abb. in d. cap. proposuit. Et dicitur legatus Petri, vt in cap. in sancta, 2. quæst. 7. Et eius potestas, & potestatis plenitudo est libera, vt in Clem. 1. vt lib. penul. Et quando vult, quòd facit, non propria sua, sed Diuina authoritate facit, vt in cap. quanto de translat. Prælat. & in cap. inter corporalia post princ. eod. tit. Et intantùm, quòd dicit d. Anton. in cap. fin. 25. col. de cau. pos. quòd illa plenitudo potestatis, quam habet Papa, non potest ab alio possideri, quia illam habet à Domino: & imò non potest ab inferiore possideri, quia est incapax; & idem Doct. in capit. cum nobis de præscript. Et ideo est impræscriptibilis Abb. in capit. bonæ memoriæ el 2. de postulat. Prælat. post Innoc. in cap. cum non liceat, de præscript. & in cap. omnis anima, & in cap. cum instantia 2. col. de censib. Et tanta est eius potestas, quod potest quicquid vult, vt dicit Anton. in cap. cum venissent, de iudic. Et solum Deum habet superiorem, & iudicem, vt in cap. aliorum 9. quæst. 3. & cap. facta ead. causa, & quæst. Et generaliter dicit Hostiens. ponendo regulam, & refert Ioan. And. in d. cap. proposuit, quòd Papa tantam habet potestatem, quod quicquid dicat, vel agat, accusari, vel damnari non potest ab homine, nisi de hæresi, 40. dist. si Papa, ponit Spec. in tit. de accusato. ver. 2. & 3. Nec potest ei dici cur ita facis? glos. in capitulo ad Apostolicæ, de re iud. in 6. 9. quæst. 3. cap. cuncta per mundum, & cap. aliorum, cum duobus sequent. Et ipse est pater patrum, & concurrit in iurisdictione cum quolibet ordinario, dicit Ioan. Mo. in cap. si eo tempore, de elect. in 6. & Bal. in cap. 1. qui feud. dare pos. in 1. col. Et de

133 eius potestatis plenitudine potes videre Aluarot. in cap. 1. Episcopum, vel Abbatem, 2. char. post Bal. in d. l. rescripta, & in Spec. in tit. de legato, in §. nunc ostendendum, & in §. nunc breuiter in tit. de dispensat. & aliqua per Fel. in cap. quæ in Ecclesiarum, de const. & aliqua in cap. 2. & aliqua in cap. fin. de maior. & obed. & aliqua in cap. si quando de rescript. & aliqua in cap. nonnulli, eod. tit. & in cap. 1. de const. ibi Bal. Vide Abb. in cap. ad hęc, de rescrip. & Ioan. And. in cap. ex publico, de conuer. coniugat. & in cap. vbi periculum, de elect. in 6. & latè per Andream Siculum in cap. fin. in princ. de constit. Dicit

134 tamen Innoc. in cap. innotuit de elect. quòd Papa non debet vti ista plenitudine potestatis sine causa, & contra vniuersalem statum Ecclesiæ non debet vti sine causa magna, & alijs manifesta, vt ponit idem Innoc. in cap. quanto de consuet. & Bal. in l. fin. C. sent. rescin. non pos. Et dicit Bal.

135 quod non est disputandum cum principe de potentia, sed de scientia sic; ita dicit in l. prima ff. de constit. princ. Et de ista plenitudine potestatis dicitur si libet, licet, dicit Bal. in cap. 1. de constit. & vide Abb. in cap. 1. vt Eccl. bene. Ista enim potestatis plenitudo est supra debitum pastoralis officij, vt ibi dicitur; de qua etiam vide in d. Clemen. 1. vt lite pend. in cap. proposuit de concess. præben. cap. per venerabilem, §. rationibus, qui filij sint legit. Ioan. And. in cap. 1, de const. in 6. tex. in Clem. pastoralis, in fin. de re iud. 2. quæst. 6. cap. decreto. Bald. in cap. 1. de constit. & in l. secunda in 43. quæst. C. de serui. & aqua. Est enim ista plenitudo potestatis plenitudo arbitrij nullis iuris positiui subiecta re-

136 gulis, vt ibi. Et an indifferenter possit illa vti, Abb. in capit. illa quotidiana, de electione. Et an in dubio per clausulas generales non obstan. censeatur velle illa vti, Bald. in l. si testamentum, C. de testam. Anton. & Immol. in cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. Alexand. de Immol. in l. quamquam, C. de testam. milit. & in l. quidam consulebat, ff. de re iud. Paul. de Castro in consil. 280. incipit in facto præsenti. Et in casu dubio vtrùm censeatur velle illa vti, Abb. in cap. fin. de matrim. contr.

137 cont. inter. Eccl. Vnde ex his patet, quòd potestas Papæ, quæ est sine Cardinalibus, non potest coarctari, nec per Cardinales, nec per aliquem alium, nec per ipsummet, nisi à solo Deo, à quo illam habet vt supra dictum est. Et sicut alij clerici non possunt etiam paciscendo renunciare priuilegio, quòd non conueniantur coram non suo iudice, sine licentia sui Episcopi, vt in cap. si diligenti, & cap. significasti de foro compet. nec priuilegio canonis si quis suadente, vt in cap. contingit de sent. excom. eodem modo non potest Papa renunciare suæ potestati, nec alium sibi parem, vel supe-

superiorem constituere sine voluntate Dei, cuius iudicio est suppositus, vt dicto cap. aliorum. Nec eius potestas potest ab aliquo, nec à Concilio restringi, vt dicit Ioan. de Fan. in cap. dudum 3. quæst. 6. & Alex. ibi. Nec etiam eo consentiente, vt dicitur in cap. nunc autem 21. dist. & ponit Ioan. And. in cap. Ecclesia, de constit. quia eius potestas est immediatè à Deo, vt in capit. sacrosancta 22. distinct. & in cap. quamuis 31. distinct. Ipse siquidem dicitur Leo. Vnde Rabanus lib. 8. capit. 1. dicit. Leo quidem fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum, & in Amos, leo rugiet, quis non timebit? Leo quidem præpositus Ecclesiæ intelligitur. Ita Rabanus. Vnde Papa dicitur summa potestas nullis capitulis, siue limitationibus subiecta secundùm Bald. in proœm. ff. vnde nec potest submitti iurisdictioni alicuius, quia tenderet in opprobrium Papalis status, & Sedis. Sicut in simili dicit Abb. in cap. Ecclesia, de constit. quòd Papa non posset subijcere omnes clericos iudicio seculari, quia hoc priuilegium fori habent clerici à Deo, vt notat Innoc. in cap. 2. de maior. & obedientia, & glos. in cap. si Imperator, 96. dist. & glos. in cap. quam de censi.

138 Nec obstat text. in cap. nos si incompetenter, 2. quæst. 7. & in cap. mandastis, & cap. auditum, 2. quæst. 4. Quia respondet Ioan. Andr. in d. cap. significasti, de foro compet. quòd ibi narratur factum ex humanitate, & non quod ex necessitate Papa se subiecerit; quod ostendunt verba in fine dicti capituli auditum, ibi hoc autem faciens non legem præscribo cæteris, qua id facere cogantur. Et ex quo non habet superiorem, vt in cap. licèt de elect. ipsemet voluit se submittere, nec fuit submissio derogatiua Pontificalis potestatis, sed ex quadam vrbanitate propria ad ostendendum, quòd erat insons illorum criminum, quæ ei obijciebantur; quòd & dicit Aluar. de planctu Eccles. lib. 1. art. 32. Et vt dicit Abb. in d. cap. significasti; ibi in d. iuribus narratur factum, & non ius, quia de iure hoc fieri non potest, cùm redundet in opprobrium Dei, cuius est Vicarius: allegat eumdem Ioan. And. in cap. Ecclesia, de const. & Archi. in d. cap. nos si incompetenter, & de hoc latiùs diximus in alio lo-

139 co. Et de eius potestate vide bonam gl. in verbo priuamus in cap. ad Apostolicæ de re iudi. & Specu. in loco, vbi suprà in tit. de accusat. in vers. item Papa; ipse enim non ligatur aliqua lege positiua, cap. ad petitionem de accusat. cum similib. Et potest facere, quòd facta habeantur pro infectis, vt in Clem. 1. in glos. de immun. Eccl. Et non solùm ipse non ligatur sua lege, sed nec quilibet inferior ligatur propria lege secundùm Archi. & refert Ioan. And. in cap. 2. de constit. in 6. De quo vide ibi. & Bal. in §. ad hæc de pace iura. fir. & Bertachi. in tract. de Episcopo parte 2. lib. 4. quæst. 16. & idem Bal. in l. 1. §. similique modo, C. de latina lib. tollen. ipse enim promissiones factas subditis potest pro libito reuocare, secundùm Innoc. in cap. in nostra de iniur. Et contractum cum eo initum, siue concessionem per eum factam, reuocare potest secundùm Bald. in l. 1. ff. de constit. princ. quia de plenitudine potestatis omnia ei licent, etiam si videantur iniusta secundùm Innoc. in cap. quanta de iureiur. & Bal. in l. cum te sponsæ C. de donat. ante nupt. Et quòd erat validum potest annullare 16. quæst. 1. cap. de his, & de ijs, quæ fiunt à Prælat. cap. cum Apostolica. Et de nihilo facit aliquid, & de aliquo nihil, de consecrat. dist. 2. cap. reuera l. 1. C. de rei vxor. act. in princip. Et quòd viuat legibus non est de necessitate, sed de verbo honestatis, dicit Bal. in l. digna vox, C. de ll. Et disputare de eo, quem princeps elegit, vtrùm sit dignus, est sacrilegium, 17. quæst. 4. cap. sacrilegium, in glos. Et in eo solo est sedes libertatis, & potest præferre minùs æquum magis æquo, secundùm Bal. in l. 2. C. de serui. & aqua. Est enim idem consistorium, siue tribunal Papæ, & Dei, vt in cap. quanto, ibi Innoc. & Ioan. And. de transl. Prælat. & suprà dictum est: vnde dicit Bal. quòd quando est iuramentum, quod sapit Monopolium, vel contra publicum bonum, vt sunt statuta artis, quæ sunt iurata, & sapiunt Monopolium non est seruandum; ita dicit ipse in l. si ad excludendam, C. de iureiur. Similiter quando iuramentum tendit in peiorem exitum; vt est in proposito si bene consideretur, quia vno contradicente, etiam vbi esset necessitas Ecclesiæ, nihil posset; & tale iuramentum, videtur in seipso naturaliter malum, & ideò non seruandum legem iuris gentium §. naturaliter ibi Bal. ff. de pac. & gl. in d. cap. vbi periculum in §. cæterum, in verb. humana lex.

140 Nonò facit, quia si diceremus, quòd Papa teneretur ad obseruantiam capitulorum, & non posset se absoluere, sequeretur quædam contradictio, scilicèt quòd haberet plenitudinem potestatis restrictam, & esset Papa. Ista autem sunt repugnantia, quòd sit Papa, & non habeat liberam potestatis plenitudinem, l. vbi repugnantia, & ff. de reg. iur. Non enim potest quis facere etiam paciscendo, quòd tollat sibiipsi libertatem rei propriæ, re propria existente, vt in l. nemo ff. de pac. Et vbi aufertur Domino libera potestas disponendi, de re sua; fit contra bonos mores, vt in l. in re mandata C. mandati, & in l. nemo exterus C. de Iudæ. & in l. sed si lege, §. consuluit,

141 ff. de petit. hære. Facit, quòd dicitur in cap. fin. de condit. appos. quod conditiones, quæ sunt contra substantiam, actus vitiant actum, & non tenet conuentio, sicut in proposito, quòd non possit creare Cardinales vltrà certum numerum, nec sine consensu, est contra substantiam plenitudinis potestatis Pontificalis, quæ debet esse plena, & libera vt in d. Clement. 1. vt lite pend. Ad idem facit, quòd dicit Ioan. And. in capit. cum instantia de censi. & referunt Moder. in cap. cum nobis, de præscrip. vbi

142 dicit, quod Papa non potest aliquem priuilegiare contra seipsum: facit tex. in l. competit. C. de præscrip. 30. annorum. Et ideò non poterit aliquam particularem personam, vel religionem priuilegiare,

quod non possit eum excommunicare, vel quod vocati non teneantur ad eum ire. Et est ratio secundùm Abb. Sicul. ibi, quia Papa, qui tenet locum Dei in terris, vt in cap. quanto, de transl. Prælat. & cap. 1. vt Eccles. bene non potest aliquem eximere à sua potestate, cum per hoc eximeretur à potestate Dei. Vnde contra summam po-
143 testatem Papæ non valet præscriptio, vt ponit Innoc. in cap. de postula. Prælat. De quo vide latè Modernos in c. cum nobis de præscr. & quod ponit Bal, in authen. quas actiones in fin. de sacrosan. Eccl. Et quod
144 eximat aliqua à sua potestate continet repugnantiam ad plenitudinem potestatis eius, sicut in simili dicimus, quod Deus non potest facere, quod facta non sint facta, quia continent repugnantiam, & contrarietatem in eodem, quia hoc nihil aliud est dicere, quàm quòd faciat falsa. Vnde Augustin. contra Faustum ait, quisquis ita dicit si omnipotens est Deus faciat, vt, quæ facta sunt non fuerint, non videtur hoc se dicere, si omnipotens est faciat, vt ea, quæ sunt vera falsa sint. Sicut enim non potest fieri, quòd facta in veritate non sint facta, vt in l. in bello, §. factæ, ff. de capti. sic in simili impossibile est, quod Papa habeat potestatis plenitudinem, & illam non habet, quia seipsum illa priuauerit. Et si dicatur quod Papa quoad ea, quæ sunt iuris-
145 positiui potest facere, vt quæ facta sunt habeantur pro infectis, vt in Clementina prima in glos. de immunita. Ecclesia, dic hoc non esse verum, quoad veritatem, sed quoad effectum, vt dicit Card. in dicta Clementina prima. Facit quod dicit. S.Thomas in tract. contra errores Græcorum, capit. 68. & 73. dum loquitur de plenitudine potestatis datæ per verba quodcumque ligaueris &c. Vndè si est à Deo non potest ab inferiore minui, cap. cùm inferior de maior. & obed. vndè dicitur actuum cap.5. si opus Dei est non poteritis dissoluere illud, igitur si est verus Papa, non poterit eius potestatis plenitudo à quoquam, nec ab ipsomet minui. Ita dicit Aluarus de planctu Eccles. in primo lib. art.52. quia enim non habet superiorem, non potest per parem, vel inferiorem iudicari, quia eius potestas est à Deo, vt supra dictum est. Et istam conclusionem ponit August. de Ancona. quæst.61. art.4.
146 vbi dicit, quòd si Papa eximeret aliquos à seipso negaret se Dei Vicarium, & incideret in errorem Manicheorum ponentium ab alio principio spiritalia, & alio temporalia esse producta, seipsum autem negare non potest, sicut in simili dicit Apostolus secundo ad Timot. secundo Deus fidelis permanet seipsum negare non potest, quòd & ponit Ioann. Andr. in cap. cum instantia de censi. Quòd clarum est quoad spiritualia, vt vide Felin in cap. cùm non liceat de præscrip. in fin. Sic videtur dicendum in proposito, quòd cum per ista capitula tollatur plenitudo potestatis Pontificalis, non potuerit se obligare. Et ex hoc videtur quod, vel iuramentum istud præstitum non liget, vel quod debeat relaxari, faciunt, quę dicuntur in l. si quis pro eo, ff. de fideiu. & Calde. consi.8. & 9. de iureiurando, Bal. in l. fin. § fin. post glos. C. de bonis, quæ liberis, & text. & ibi Doct. in cap. sicut el primo de iureiuran. Et ibi expressè Abb.
147 Siculus ponit quæstionem, & concludit quòad ista capitula, quæ faciunt Cardinales in conclaui, & iurant seruare, quod iuramentum non ligat, tamquam fuerit iuratum in præiudicium dignitatis Pontificalis. Et hoc videtur clarè procedere inquantum illa capitula sunt restrictina Pontificalis authoritatis, vt est quod non possit creare Cardinales vltrà numerum, quòd etiam posuit Calde. consi. tertio,
148 vbi etiam noluit, quod non liget iuramentum præstitum post assumptionem incontinenti, quia ea, quæ incontinenti fiunt videntur in esse, lege lecta, ff. si certum petatur, & facit in proposito, quod dicitur in cap. 1. & cap. Artaldus 8. quæst.3. Istam etiam conclusionem posuit Petr. de Anchatàm in regula accessorium de regu. iuris in 6. quàm in consil. suo 282. in fin. incipit in auxilium veritatis, videlicèt, quod licèt ratione schismatis tollendi inter duos contendentes de Papatu possint fieri capitula, & iuramenta, & vota, quibus ligarentur, non sic in vno indubitato Papa. Et hanc etiam conclusionem tenuit Felin. in cap. primo de probat. in 4. col. & Alexan. 8. quæst. in summa, & latiùs Barba. per istas, & alias rationes in cons. 1. in primo volum. Et idem reperio quemdam Episcopum scripsisse, qui refert quod Sede vacante per obitum Eugenij ex voto Cardinalis Bonon. fuit cessatum à simili capitulatione tamquam nulla. Et idem videtur sentire Episcopus Brixien. in quibusdam allegationibus, in quibus, vult quod Papa possit creare Cardinales non obstan. voto, & iuramento præstitis in conclaui. Et idem in effectu voluit Martinus de Laude in tract. de Cardinalibus, quæst.33. vbi dicit, quòd
149 si Papa ante electionem iurasset in manibus Cardinalium se renunciaturum Papatui ad beneplacitum ipsorum, tale iuramentum tamquam præstitum contra libertatem Vicarij Domini nostri Iesu Christi non valeret. Quod intelligo, nisi esset præstitum pro sedando antiquato schismate, per consi. Petri de Anch. supra allegatum, quod & voluit Rosel. quem refero in illa quæst. vtrùm quando Papa est incorrigibilis, & scandalizat Ecclesiam, possit deponi. Accedit etiam ad propositum, quòd non posset Cardinalis in electione Domini nostri Papæ renunciare voci suæ dandæ in præsentia aliorum Cardinalium, vt notat Hostien. & Ioann. Andr. in cap. nisi cùm pridem de renun, & ponit idem Laude in quæstione sequenti, quia illud est publicum authoritate, & vtilitate, cui renunciari non potest, l. ius publicum, ff. de pact. Ergo multò minùs poterit Papa renunciare creationi incerti numeri Cardinalium, quod esset directè contra iussit potestat, & est publicum authoritate, & vtilitate. Imò, & necessarium, & inseparabile ab eius potestate, l. prima, & 3. ff. pro socio, l. quis
150 ergo casus, ff. de peculio. Et pro hoc facit benè in proposito, text. in capitulo 1.

de

de ijs, quæ fiunt à maior. parte cap. vbi dicit, quod iuramenta, quæ sunt præstita pro consuetudine seruanda, quando sunt contra Sanctorum Patrum instituta, non tam iuramenta, quàm periuria sunt censenda. Ex quo arguitur, quòd non iuuantur Cardinales prætextu consuetudinis faciendi capitula: sicut dicitur consuetum à tempore Bonifacij, quia de iure non tenent iuramenta super eis præstita, sed potiùs dicenda sunt periuria. Et ita expressè dicit text. in cap. sicut nostris de iureiurando, & pro hoc text. in cap. 1. de iureiurando in 6. Et maximè non videntur valere, quando est appositum, quòd vno dissentiente, etiam si maior pars consentiat, non possit illos creare, cùm tamen etiam si illorum consensus de necessitate esset requirendus, sufficeret consensus maioris partis, in l. quòd maior, ff. ad municipal. Illud enim dicitur factum ab omnibus de capitulo, quod fit à maiori parte, vt dicit glosa in cap. non potest de re iudicata, & quod fit à maiori parte dicitur factum concorditer, vt dicit glos. final. in capitulo 1. de maiorit. & obed. & glos in cap. vbi periculum, §. ijdem quoque de elect. in 6. Facit glos. in cap. in singulis de statu Monast. de quo etiam doct. in dictis locis, & quæ dicuntur in cap. cùm omnes de constit. Cùm ergo in gerendis per collegium Cardinalium sufficiat maior pars, vt probat ille text. in dicto §. ijdem quoque, per argumentum à speciali astringere Papam quod debeant haberi vota omnium nihil est aliud, quod tollere ei plenitudinem potestatis, quæ coarctari non potest, vt dicit Petrus de Ancha. in dicto consil. 282. in fin. quia est à Deo, vt dicto cap. ad Apostolicæ de re iudi. in 6. & dicto cap. nouit de iudi. Est enim potestas Papæ indiminuibilis eo existente Papa, vt dicitur in tract. de Ecclesia; qui attribuitur S. Thom. & incipit,
151 quæ processit. Et si benè consideretur allegare consuetudinem faciendi similia capitula tempore Bonifacij, facit contra Cardinales, ex quo numquam reperiuntur obseruata, cap. 1. cùm materia de treu. &
152 pace. Item, quia non est à iure præfixus certus numerus Cardinalium, sed est in arbitrio Papæ. Imò Albe. de Rosata in rubr. ff. de statu homil. dicit, quod decens esset, quod essent 72. vt iudicent omnes nationes. Imò text. in Clement. ne Romani, in §. porrò innuit, quod Cardinales debent esse plures numero, licèt non sit præfixus certus numerus. Et plures dixerunt idem, quod Albericus, quod ad minus deberent esse 72. & tot dicit esse titulos in vrbe quemadmodum tot fuerunt discipuli Domini nostri Iesu Christi, & quia tot fuerunt linguæ. Reperitur etiam quod tempore
153 Pontiani Papæ, qui non ponitur in catalogo fuerunt 236. Cardinales, vt habetur in Chronicis, & refert Martinus de Laude in tract. de Cardinalibus in quæst. secunda, quòd etiam ponit Cardin. Floren. in dicto §. porrò in 3. notabili. Erit ergo in arbitrio Papæ, vt dicit Martinus argum. cap. de causis de offic. delegat. & l. prima. §. fin. de iure delibe. & dicit Albericus in d. rub. Ad idem facit quod Cardinales sunt subiecti Papæ, sicut & cęteri omni nationum, vt in cap. cuncta per mundum, 9. quæst. 3.
154 Sed inferior non potest apponere onus suo futuro Domino per quod grauetur eius libera potestas, vt dicitur, 8. quæst. 3. Artaldus, & ponitur in cap. significasti de elect. l. 1. §. quæ onerandæ. ff. Quarum rerum actio non datur, & glos. 8. quæst. 3. in sum. & dicit Petrus de Ancha. in consil. 282. Ergo Cardinales non possunt facere capitula, nec onerare futurum Papam. Quinimò secundùm opinionem illorum, qui volunt quod Cardin. sit de iure positiuo, Papa, qui est supra ius posset extinguere dignitatem Cardinalatus, vbi non esset scandalum in vniuersali Ecclesia, vt vide, quod disputat Barbatius in tract. de præstantia Cardinalium in prima quæstione principali. Et quantumcumque iuramentum fuerit præstitum post assumptionem, non obest, quia in talibus contractibus decretis, & constitutionibus spectatur initium, vt dicit glos. notabilis in cap. dudum el primo de elect. l. 3. §. scio illud, ff. de minor. cùm concordan. Et iuramentum
155 recipit interpretationem secundùm intentionem iurantis, vt dicit glos. in cap. breui de iureiuran. & probat text. in cap. 1. eodem tit. in 6. Et maximè in foro conscientiæ, vt dicit Innocen. in cap. veniens, de iureiurando, & ponit Philip. in dicto c. primo. Quinimmò hoc videtur facere rem magis suspectam, cùm magis propter continuitatem arguatur esse idem actus, vt in l. duos, §. duo rei, ibi glos. & Bar. ff. de duobus reis, & quod benè dicunt Doct. in l. 2. C. quod metus causa; quia non præsumitur, nec est verisimile, quòd Papa spon-
156 taneè voluerit se obligare: sicut non est verisimile quod ille, qui habet iustam defensionem velit soluere, & ideò ista præstatio iuramenti arguitur magis inuoluntaria, quàm voluntaria. Nec iuramentum supplet veritatem consensus, vt dicit Bal. in l. si pecuniam, ff. cert. pet. Nec operatur vltra intentionem consensus, l. fin. & ibi Bald. C. de non numer. pecun. Nec addit vinculum religionis vltra consensum secundùm Bart. in l. Titia, §. Imperator ad fin. ff. de legat. secundò, & Oldrad. consi. 120. Et
157 quod non præsumatur consensisse voluntariè, facit quod ponunt Doct. in metu; quando eodem tempore, quis per metum se obligat, & posteà incontinenti soluit, aiunt enim, quia durat eadem causa metus, quòd non dicitur purgatus per solutionem, vt dicitur in dict. l. 2. Vndè in proposito, quis diceret, quòd voluntariè se obligauerit, ex quo illico post assumptionem iurauit, cùm tunc adhuc vix haberetur pro Papa, & verisimiliter poterat suspicari, quod turbaretur eius promotio. Facit quod dicitur in cap. verùm de iureiur. Et quandoque metus status, vel honoris est iustus metus, vt vide bonam glos. in cap. cùm dilectus, quòd metus causa, quis enim in tanta status mutatione, & in præsentia tantorum Patrum præsumeret adesse libe-
158 rum consensum, Facit, quòd dicitur in l. 1. §. quæ onerandæ, ff. Quarum rerum actio non datur; & glos. notabilis 20. quæ incipit argumentum, & 22. quæst. 4. cap. vnus-

vnusquisque in glos. vbi ea; quæ promittuntur ob reuerentiam, non tenetur. Ad quod bonus text. in l. penul. ff. de fur. præsumitur enim mens concussa ob magnam reuerentiam, glos. 22. quæst. 4. §. ex his, & non libera, vt ibi. Facit quod dicitur post Innoc. in cap. 1. quod metus causa, & quod dicitur in cap. causam matrimonij de offic. delegat. & glos. 8. quæst. 1. cap. si ergo; & tex. in cap. licèt, ea. cau. & quæst. Et maximè considerandum est, quod cùm agitur de materia subiecta contractui, quæ sit in nostro commercio, & quæ per stipulationem acquiratur, si dicitur contractus vltro, citròque obligatorius, non præsumitur meticulosus, nec inuoluntarius, quia aliquid datur propter illud, quòd ex contractu acquiritur: vnde si quis det pecuniam, vel aliud vt assequatur fundum, præsumitur de facili, quod voluntariè voluerit soluere, & dare vel obligari, quia acquirit illud, quod est in commercio nostro, vt de contrahen. emp. per tot. Sed in proposito cum Papatus non sit verisimile, quod quis voluerit se obligare sine causa: l. cùm de indebito §. fin. ff. de probat. cap. si cautio de fide instrum. maximè in ijs, quę dependebant
159 à mera voluntate, & arbitrio eius. Vnde vel oportet dicere, quod coactus, & timens illud fecerit post Pontificatum, vel inconsideratè: & cum agatur de obligatione facta Deo, videlicèt iuramento, & voto, stari debet dicto, & conscientiæ eius, an intenderit se obligare, quia non præsumitur immemor suæ salutis 2. quæst. 7. sancimus. cap. significasti ibi glos. de homi. Facit quòd verò sent. excom. el 2. & in cap. vt circa de elect. in 6. & in cap. vltra tertiam de testi. cum simil. videlicèt, quod ea, quæ dependent ex animo probantur medio iuramento. Nec debet præsumi hoc promisisse, vt acquireret Pontificatum, ne pręsumamus delictum, & simoniam, quod in dubio non præsumitur, vt in l. merito, ibi Doct. ff. pro socio l. si post motam C. de petit. hæred. & Bartol. in l. non solùm, §. sed re-
160 probari ff. de noui ope. nunci. Item ratione magni gaudij mens præsumitur alterata, vt dicit glos. de libertinis in §. serui. Et facit bene tex. in cap. cum apud 11. quæst. 3. vbi vult. in similibus actibus tumultuosis differri executionem sententiæ principis ad 30. dies. Et sic respondetur ad id, quod dicit Dom. in cap. 1. de iureiur. in 6. quia intelligitur, quando est iura-
161 tum non incontinenti post. Et ex celeritate actus præsumitur fraus dicit tex. in l. si ventri. §. fin. ff. de priuileg. credit Bald. in l. eam quam C. de fideicom. in antepen. & l. post contractum ff. de donat capitul. 2. de renunt. in 6. Facit tex. cum glos. 5. quęst. 5. §. item labium, vbi testis qui nondum lecto sibi articulo deponit ita esse, præsumitur falsarius. Facit, quod dicitur de iudice, qui de mane habet processum, & in vesperis iudicat, vt in l. prolatam C. de sententijs, & in cap. ponderet 50. dist. quia non præsumitur vidisse acta. Et consilium sapientis præcipitatum non valet, vt dicit
162 Ant. in cap. si pro debilitate offic. deleg. Et propter festinantiam non præsumitur quis deliberasse, vt in cap. tum ex literis de in integr. restit. Et sicut approbatio capitulorum adeò celeriter facta præsumitur indeliberata, ita & iuramentum, & votum desuper factum, glossa in l. cùm patronus, §. si patronum ff. si quid in fraud. patron. & pro eodem actu reputantur glos. in l. si
163 conuenerit, ff. de pignor. act. Bal. in 1. constit. Codi. Et sicut non valet votum indeliberatum, vt voluit glos. in cap. dudum de conuer. coniug. sic nec iuramentum indeliberatum l. 2. C. ad leg. Iul. maiest. & quod habetur in cap. sicut el. 1. de iureiur.
164 Et in solita cautela inducit suspicionem, glos. in l. si quis sub conditione ff. de condit. instit. Et in deliberata conditione condit. instit. Et deliberata confessio non nocet: cap. ex literis de diuort. Et quis non præsumitur velle diminuere suam dignitatem: sicut non præsumitur renunciare beneficium multis laboribus acquisitum, cap. super hoc de renun. l. cùm de indebito ff. de probat. sicut non præsumitur, quod aliquis sibi ipsi membrum absciderit, 55. dist. cap. fin. & ibi notatur. Quod maximè arguitur ex sequentibus, quia statim quando potuit contrauenit, ex sequentibus enim præsumimus animum de præterito, l. si ij qui adulterij, C. ad l. Iuliam de adulter. in Authent. vt nulli iudic. §. si quis verò, 34. quæstione 2. cum per bellicam, capitulo scribam, ibi glofs. de præsumpt.
165 Et ex his apparet, quòd tale iuramentum, vel non ligat tanquam contra bonos mores, vt in cap. non est obligatorium, vel est de facili relaxandum. Faciunt, quæ dicuntur in cap. cum contingat de iureiur. & in d. l. si quis pro eo post Bart. ff. de fideiusso. Et quod tale iutamentum, quod tendit in pręiudicium dignitatis in inferiore à Papa, potiùs dicatur periurium, est text. in dicto capitulo sicut nostris de
166 iureiurand. quando iuramentum est pręstitum ante promotionem, quia videtur continere simoniam, vt in summa 8. quæst. 2. ibi glos. & Domin. qui allegat Hugo. dicentem, quod super hoc est quoddam Concilium Romanum, & idem dicit in cap. primo de iureiurand. in 6. Sed quando est præstitum, ante, & post, est tex. in c. Artaldus 8. quæst. 3. Et ad hoc facit, quòd dicit Domin. in d. cap. primo de iureiurando in 6. quod si Minister prouincialis ordin. minorum iurauit renunciare infra triennium in manibus cap. prouincialis, cum ex constitutionibus ordinis debeant renunciare in manibus Generalis, vel capituli generalis, talę iuramentum eum non ligat per illum text. in d. cap. primo. Ad idem facit, quòd vbicumque causa prohibitionis
167 est de iustitia positiua, & mutabili, tunc iuramentum super ea appositum est seruandum, sed potest per Papam super ea materia dispensari, si verò causa prohibitionis est de iustitia non positiua, sed immutabili, tunc iuramentum super illa appositum est nullum: verba sunt Bal. in l. non dubium in antepenul. colum. C. de ll. Cùm ergo potestas dignitatis Pontificalis sit de iure diuino introducta, vt in cap. nouit de iudic. iuramentum appositum super capitulis restringentibus, & alterantibus

in

in aliquo dignitatem, & potestatem Pontificalem, erit nullum, tanquam appositum super prohibitione iustitiæ immutabilis, cùm ius diuinum sit immutabile, cap. à nobis de decimis, & §. sed naturalia instit. de iur. nat. gen. & ciu. Et per hoc patet quod non obstat. cap. debitores cum simil. de iureiur. quia illa iuramenta sunt posita super prohibitione de iustitia positiua, quæ est mutabilis, vt in cap. non debet de consan. & affi. Et cùm Episcopus non ligetur statuto prohibitiuo, multò magis nec Papa, nouit Bald. in l. digna vox, C. de ll. referendo Archid. & Ioan. And. in cap.
168 primo de constit. in 6. Et ideo cum in omni iuraméto intelligatur excludi omne, quod non est licitum, vt in cap. veniens, in cap. quanto de iure,& ibi Anton. & Bart. in l. societatem in §. arbitrorum, ff. pro socio, & Bald. in l. aliàs ff. de iureiurand. & in l. si procurator ff. de cond. indebiti,
169 non extenditur, nisi ad ea, quæ legitimè fiunt, vt dicit glos. 2. in capitulo secundo de arbit. quia non debet esse iniquitatis vinculum, vt in cap. quanto de iureiuran. & 22. quæst. 4. cap. inter cætera. Vnde cùm iniquum sit restringere Pontificalis dignitatis potestatem, consequenter dicendum est ipsum non ligari tali iuramento tanquam continente quid illicitum. Ad idem facit, quod ponit S.Thom. in secunda secundæ, quæst. 89. ar. 9. in responsione ad tertium argumentum,vbi dicit, quod quando sub iuramento promittitur aliquid quod est dubium, vtrùm sit licitum, vel illicitum, vel simpliciter, vel in aliquo casu, tunc Episcopus potest dispensare super tali iuramento, quando autem sub iuramento promittitur aliquid,quod est manifestè licitum, & vtile: tunc non videtur habere locum dispensatio, vel commutatio, nisi aliquid melius occurrat ad communem vtilitatem faciendum, quòd maximè videtur pertinere ad potestatem Papæ, qui habet curam vniuersalis Ecclesiæ, vel etiam absoluta relaxatio, quæ etiam ad Papam pertinet in omnibus generaliter,quæ ad dispensationem rerum Ecclesiasticarum pertinent habet super quas plenitudinem potestatis. Nunc in proposito etiam si esset dubium vtrùm sit bonum,quod Papa se obligauerit prędictis capitulis,posset fortè illis non obstantibus expedire Ecclesiæ vniuersali noua creatio Cardinalium, si ergo in dubijs Episcopus dispensat, multò magis dispen-
170 sabit Papa. Similiter potest dici in commutatione iuramenti, quia qui commutat non dicitur fractor iuramenti, vt in cap. peruenit el secundo de iureiurand. Quia si sit causa necessaria mittendi legatum, & adsit vir doctissimus, & expertus, & tali legationi accommodus, quis diceret, quod non posset Papa eum creare Cardinalem etiam reclamantibus Cardinalibus, cum semper in iuramento subintelligatur clausula re in eodem statu manente 22. quæst. 2. ne quis, & cap. quemadmodum de iureiuran. & potest ex causa deferi iuramentum vt d. cap. quemadmodum, l. fin. ff. qui satisda.cogan. Et esse videtur præsumptio iuris, & de iure,contra quam non admittitur probatio in contrarium, pro eo, quod facit Papa, vt in cap. quæ in Ecclesiarum de constit. Et iniquum est non rumpere legem, vbi æquitas suggerit, vt dicit text. iuncta glos. in authen. vt siue prohibitione
172 matres colla. 7. vnde si loquimur de iuramento facto in Conclaui cùm erat Cardinalis, non ligat per iura supra adducta. Et ex quo nunc est alia persona,posset seipsum absoluere, vt supra diximus allegando Petrum de Ancha. in cap. venerabilem de elect. in casu, quo non est alteratus status ipsius personæ: facit quod dicitur in cap. sicut de iureiuran. ergo multò magis postquam est mutatus, puta si sit factus Papa quia tunc est superior Cardinalibus. Vnde non obstat,quòd dicit Archid. in cap. non est 22. quæst. 1. quod quis non potest seipsum absoluere, & refert Abb. in cap. dilecto circa fin. de præben. quia loquitur in inferiore, & quando non est mutata persona, & quando iuramentum habet suos comites. Pro hoc facit text. & quod ibi dicunt Doct. in l. si consul. ff. de adop. & quę dicuntur in cap. cùm ex officij de præscrip. & in cap. licèt de offic. ordin. ff. de autho. tutor. l. accipientis de ritu nup. l. 3. de
173 contrahen. emp. l. fistulas, §. 1. & de offic. præsid. l. 1. in ijs enim, quæ sunt voluntarię iurisdictionis, bene potest quis iudicare in facto proprio, vt dicit glos. in d. l. si consul. De quo latè vide in cap. per venerabilem in §. videbatur in glos. super verbo tanquam princeps,& ibi Doc. qui filij sint legitimi, vbi ponitur vtrùm princeps possit legitimare proprium filium,& quando possit authorizare in facto proprio. Et idem etiam dicendum, vbi non est alteratus status personæ, vt quando postquam est Papa iurauit,quia si iuramentum præstitit,vt homo debet posse se absoluere tanquam is, qui tenet vicem Dei, vt in d. cap. 1. vt Eccles. bene, cum super in iuramento censea-
175 tur excepta talis authoritas, vt d. cap. venientes de iureiur. Item facit, quod non præsumitur quis iurare, vel vouere contra seipsum: vnde si promitto te iuuare contra quascumque personas,vel armare currum meum contra quamcumque personā pro te non intelligitur ista promissio contra meipsum vt dicit Cyn. in l. inquisitio, C. de solu. Ideo non præsumitur, quod Papa iurando voluerit per tale iuramentum derogare in aliquo suę Pontificali dignitati, ad hoc l. 1. ff. de Sena,& in l. administratores §. fin. ff. de excusat. tuto, & l. frater à fratre ff. de condit. indeb. Item vbi illud, quod promittitur incipit esse iniquum, vel in melius explicabile, semper illa promissio debet rescindi, vt in l. ex facto de vulgar. & pupil. & capit. suggestum de decim.
179 Nec sic debent capi promissiones,vt contineant sensum captiosum, l. cum aquilana, ff. de transact. vel vt ius concedentis lædant, l. si domus, ff. de serui. vrba. præord. Item positum, quòd iurauerit, & vouerit capitula, & quòd teneatur ad obseruandum, tamen per huiusmodi capitula non est ei adempta facultas illa reuocandi, quando ex aliqua causa aliter ei videbitur. Pro quo facit quod in simili dicitur in l. si quis

quis in principio testamenti, ff. de lega.3.
& quod ponit Ioan. Andr. in regula quod
semel de regul. iur. & quod dicitur per
glosſ. in cap. vltima voluntas 13. quæſt.2.
& Bar. in l. cum duobus, §. idem respon-
177 dit, ff. pro socio. Et idem Ioann. Andr.
in cap. delicto de præben. de illo, qui iura-
uit non reuocare testamentum, & quod si
nihilominus reuocat, valebit testamentum,
quia non poteſt quis sibi legem adijcere, à
qua non liceat recedere, etſi aderat cauſa,
poterit ſine metu periurij, quia poteſt di-
ci temerarium iuramentum, quaſi iuraue-
rit non facere melius, nec enim datum eſt
homini tam bene facere, quin poſſit fa-
cere meliùs, vt in cap. cùm Marthæ de
celeb. miſs. Etſi in hoc in inferiore, quantò
magis in Papa, Pro hoc bonus text. in
cap. fin. de reſcript. in 6. vbi text. iuncta
gloſſ. penult. quod quantumcunque Papa
profiteatur reuocando indulgentias de
percipiendis fructibus in abſtinentia, quod
in poſterum non concedet illas, tamen ſi
contra illam proteſtationem de nouo illas
conceſſerit, tenet conceſſio, quia vt dicit
gloſſa: non potuit legem ſibi imponere, à
qua non licuerit ei recedere, l. ſi quis in
principio, ff. de legat. 3. Facit quod dici-
tur de clauſula derogatoria, in aliqua con-
ſtitutione poſita, quæ per legem contra-
riam cum alia clauſula illi derogatoria
reuocatur, & quòd dicitur ſimiliter de
priuilegio alicui conceſſo, quod reuoca-
tur quantumcumque talis reuocatio ſit in
præiudicium illius, cui conceſſum eſt, vt
patet in materia, cap. 1. de exceſſ. Præ-
lat. in 6. & in cap. 1. de conſtit. eod. lib.
178 Et in contractib. ſæpiùs videmus, quòd
actus factus contra iuramentum valet, vt
in capit. dilecto cum materia de præben.
Etſi dicatur, quòd ex contrauentione
efficitur periurus, ibi reſpondent Doct.
quod ante actum contrauentionis non eſt
periurus, ſed poſtquam contrauenit, à
quo periurio ſicut poteſt inferior abſolui,
ita & Papa, & maximè, quia ex contra-
uentione ipſorum capitulorum, ſi bene
conſideretur non aufertur ius alicuius, nec
præiudicium ſit alicui quia non ſunt hinc
inde obligatoria ſed tantùm reſtrictiua
poteſtatis Papæ, ex quo tolerabilior eſt
contrauentio, quam in dict. cap. fin. Nec
obſtat, quòd non habet ſuperiorem, qui
eum abſoluat, vt in cap. licèt de elect. Quia
tantò magis videtur, quòd poſſit ſeipſum
179 abſoluere: ſicut videmus, quòd renun-
ciat Papatui in ſuiſmet manibus, vt in cap.
1. de renunc. in 6. & tenet renunciatio, li-
cèt alij Epiſcopi, non poſſint renunciare
ſine eius licentia, vt in capit. niſi cum pri-
dem in fin. de renunc. & in cap. inter cor-
poralia de translat. Prælat. & capit. 1. eod.
tit. & in cap. quòd translationem ibi gloſ.
de offic. legat. Ad idem, quòd non tenea-
tur ad obſeruationem capitulorum, facit
quòd omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtru-
ctio, ſed cùm Chriſtus dedit claues Petro,
dedit illi abſolutè poteſtatē ligandi, & ſol-
uendi abſque aliqua reſtrictione, & dicendo
quodcumque nihil excepit, vt dicit text.
in dict. cap. ſolitæ. Imò interrogatus
quotiens dimitteretur peccatori, reſpon-
dit, eſt ei non ſolùm ſepties, ſed ſeptua-
gies ſepties, ponendo finitum pro infinito,
vt in cap. quemadmodum de iureiur. Er-
go quod non fuit factum per Chriſtum nō
poteſt fieri per inferiorem, & ſic per Car-
dinales.

Accedit quod Cardinales debent elige-
re idoneum, qui habeat, & poſſit prodeſ-
ſe omnibus fidelibus, ſed ſi Papa vno ex
Cardinalibus contradicente non poſſet ve-
nire contra aliquod ex dictis capitulis non
eſſet electus idoneus, ex quo ligata eſſet
eius poteſtas, quod etiam cederet in exem-
plum aliarum Eccleſiarum contra id, quod
dicitur in ſi quis aliquid, §. qui abortio-
nis, ibi res peſſimi exempli, ff. de pœnis,
& l. 1. ff. ad Macedon. l. Diuus, ff. de re iu-
180 dic. & 11. quæſt. 3. cap. præcipuè. Non
enim poteſt Papa facere, quamdiù eſt Papa
quod ipſe non ſit iudex omnium ſolus, vt
in capit. cuncta per mundum 9. quæſt. 3.
Nec poteſt à ſe abijcere ſuam poteſtatem,
& iuriſdictionem per ea, quæ notantur in
cap. cùm venerabilis in gloſſ. hic patet de
conſib. & in capit. paſtoralis in gloſſ. ſi ita
de donat. & dictum eſt ſupra. Nec obſtat
ſi dicatur quod Cardinales verentur ne Pa-
pa faciat aliquid minùs bene, quia debent
eligere bonum, nec eſt veriſimile, quòd
Papa velit aliquem grauare, vel facere con-
tra iuſtitiam, quia pro eo, & eius ſancti-
tate præſumendum eſt 40. diſt. cap. 1. 11.
quæſt. 3. abſit & quæſt. 3. Lugdunenſis 37.
diſt. qui de menſa 7. quæſt. 1. omnis 23.
quæſt. 1. capit. cùm beatiſſimus. Nec
præſumitur quod aliud faciat quod Chri-
ſtus, cuius eſt Vicarius, vel Petrus cuius eſt
ſucceſſor 28. quæſt. 1. cap. ſic enim. Ad
idem facit, quia ſi Cardinales non poſſunt
diſponere de redditibus Cameræ Apoſtoli-
cæ, vt in cap. vbi periculum, §. prouiſio-
nis, in verſic. per eum diſpoſitioni futuri
Pontificis reſeruanda de elect. in 6. quod
eſt minus, multò magis non poſſunt di-
ſponere de poteſtate ipſius Papæ & minùs
illam diminuere, quæ eſt maioris impor-
tantię, quàm ipſi redditus. Et maximè, quia
ille text. in §. ijdem quoque mandat quod
tantum vacent acceleratæ electioni, nec
vult quod poſſint intendere alijs, niſi immi-
neret aliqua vrgens neceſſitas. Et eſt text.
in §. cœterum, qui vult, quod pactiones,
obligationes, condicta, & intendimenta
omnia, ſiue iuramenti, ſiue alterius cuiuſ-
libet fuerint vinculo firmitatis innexa, ſint
caſſa & irrita, & quod nullus quomodoli-
bet teneatur ad illa obſeruanda, & quod
nullus ex eorum trangreſſione notam ve-
reatur fidei non ſeruatæ. Ex quo apparet
non potuiſſe illa capitula per Cardinales
ordinari, & neminem ad ea obſeruandum
teneri, & ſic minùs Papam obligari, nec
per viam conſtitutionis, nec per viam pa-
cti nec per viam obligationis, nec per
viam iuramenti, vel cuiuslibet alterius
vinculi per quamuis dictionem ſignifica-
ti. Hoc autem idem eſt dicere, quod nul-
lo modo, ſecundùm Archid. Ioan. Andr.
& Dominic. in cap. indemnitatibus, §. ſi
qua verò de elect. in 6. gloſſ. in Clement.

gra-

grauis de sentent. excommunic. & in cap. pastoralis, §. penult. de Clement. ægrot. & de sepult. cap. 1. ad fin. & de hæret. cap. vt officium, §. Compescendi. Et similiter cum ibi dicitur siue cuiuslibet alterius fuerint firmitatis vinculo innexa, tanta abundantia & pinguendo verborum ponitur ad maiorem expressionem, gloss. in Clement. 1. in verbo alia quæuis de iudic.
181 & gloss. in Clement. ne Romani de electio. Et consequenter nec per viam voti, quamuis votum, & iuramentum æquiparentur, vt in cap. 1. de voto. Quinimò non solùm non obligatur tali voto, iuramento, sed etiam meretur non obseruando, propter verba in dict. §. cæterum posita scilicèt sed non indignæ laudis titulum mereatur, cum lex etiam humana testetur Deo magis trangressiones huiusmodi, quam iurisiurandi obseruationes acceptas. Facit l. si quis inquilinos, ff. de legat. 1. l. iuris gentium, §. & generaliter,
182 ff. de pact. Et considerandum est quod ille text. prohibet actum & iuramentum, vnde iuramentum non dat robur actui, iuxta posita per Bald. in l. non dubium in antepenult. column. C. de ll. & per Bart. in l. si quis pro eo, ff. de fideiussor. & l. cum lex, eod. tit. & l. is cui bonis, ff. de verbo obligatio, & l. cum pater, §. filius matrem, ff. de legat. 2. Vnde ibi in dict. §. cæterum. est text. clarus quod huiusmodi capitula quantumcumque iurata non arctant, & maximè cum Cardinales Sede vacant. nihil possint ordinare vel statuere, nisi ad accelerandam Papæ electionem, vt in dict.
183 §. ijdem quoque. Ad quod & lex mortua sæpius annullat iuramentum, vt in regula non est obligatorium, cum simil. de regul. iur. in l. fin. si quis caus. & in l. adigere in fin. ff. de iurepatron. quo casu, vt dicit ibi gloss. lex obtinet vicem Apostolici, ergo multò magis, & lex viua, l. 1. ff. de constitut. princ. Quod maximè etiam procedit in proposito, quia lex canonica est, quæ prohibet iuramentum, ne dicatur non posse prohiberi per laicos iuramẽtum cap. 1. de iureiur. in 6. cap. Ecclesia de constitut. cap. fin. de foro competen. in 6. Vnde quod Papa non tenetur seruare tale iuramentum, nec potest dici periurus, nec requiritur absolutio. Et certè licet ille text. videatur loqui de conuentionibus circa concernentia actum electionis vt libera, non ex affectione, vel simoniaca fiunt, tamen ex quo tam generaliter loquitur, videtur etiam voluisse, quòd non possint Cardinales facere similes ordinationes, cum
184 etiam virtualiter fiunt impeditiuæ electionis liberæ. Immò & in quolibet iuramento intelligitur clausula saluo honore meo, vt in cap. ego N. ibi glos. de iureiuran. Si autem in inferiore hoc verum est, quod non arctetur ad obseruandum iuramentum contra honorem suum, vel Ecclesiæ suæ, multò magis erit verum in Papa, cui quicquid detrahitur, detrahitur sanctæ Se-
185 di Apostolicæ. Non obstat si quis dicat quod licèt potestas Papæ non possit diminui, tamen eius vsus potest arctari & restringi, siue limitari, sicut in simili dicitur quod princeps non potest tollere, ea, quæ sunt iuris naturalis, vt in §. sed naturalia instit. de iure natur. gen. ciu. & in §. fin. instit. de legi. agnat tutel. & in §. minùs instit. de hæredi. quæ ab intes. deferuntur, & in cap. sunt quidam 25. quæst. 1. & noluit Cardin. in repeti. cap. perpendimus de senten. excommunic. tamen benè potest limitare illud quod est iuris naturalis, instit. de libertinis in princ. & cap. non debet de consang. & affinit. & in l. manumissiones ff. de iusti. & iu. ponit Innoc. & Abb. in capit. quæ in Ecclesiarum de Constit. Bart. in proœ. ff. colum. 3. Bald. in l. 2. in fin. C. de preci. Imperat. offe. & in authen. ad hæc C. de vsu. Albericus in 1. part. statutorum qu. 7. potest enim ex causa aliquando dispensare
186 contra illud. Et immo non obs. quod ipse sibi ipsi potest limitare, & coarctare suam potestatem, cùm quilibet possit renuntiare iuri suo cap. ad Apostolicam de regula. Quia respondetur quod in casu nostro non potest limitari ista eius potestas ratione perplexitatis, & contradictionis resultantis, quia potestas de qua agimus est principium agendi, sicut colligitur ex Philosopho 9. Metaphysic. vbi agit de potentia actiua. Vnde implicat contradictionem, quod habeat potestatem plenam, & non possit exire in actum si adsit debita materia, quia tunc posset, & non posset, sicut in eodem tempore quis non potest esse sanctus, & peccator 1. quæst. 1. capitulo sicut Christus, vel dignus, & indignus 74. dist. cap. 2. vel legitimus, & illegitimus, de clandes. despon. capitulo fin. liber, & seruus ff. de liber. cau. l. duobus, & dicit lex, ridiculum esset eamdem fœminam, vt nuptam, & non nuptam admitti ff. de condit. & demon. l. filia. Et maximè quia ista plenitudo potestatis in Papa est potestas iurisdictionis, quia secundum potestatem ordinis æqualis est alijs Episcopis, vt in capitulo in nouo 21. dist. ibi glos. & in cap. loquitur 24. quæst. 1. Dispensare autem in iuramentis, & creare Cardinales est iurisdictionis. Si ergo non potest illam in exercitium deducere sine alterius consensu, non erit plena, quia non esset libera Bart. in l. inter bonorum ff. de administ. tuto. & l. creditor. §. Lucius in fin. ff. mandati. Vn-
187 de dicit Bald. in l. 2. C. de seruit. & aqua in 6. colum. in versic. item nota quod si Papa, quod plenitudo potestatis est arbitrij plenitudo nulli necessitati subiecta, nullis-
188 que iuris publici regulis limitata. Et trib. modis dicitur aliquid liberum, primo quod non cogitur ff. de arbitr. l. 3. §. 1. Secundo modo quod non corrigitur ff. de legat. 3. l. fidei commissa §. quamquam. Tertiò modo, quod æqua lege libertatis fertur ff. de arbitr. l. item si vnus §. si in duos, & §. principaliter, & l. penult. & ff. mandati l. creditor §. Lucius. Et subiungit quod in Principe est sedes libertatis, & potest præferre magis æquo minùs æquum, & magis bono minus bonum. Inde dicit idem Bal. in cap. 1. qui feud. dare pos. in 1. colu. quod habens liberam administrationem non tenetur alterius consilium ruminare. Item
189 pro hac parte facit quod Papa nõ potest à

se abdicare Papatum pro parte, quia est quid indiuisibile l. Imperator la 2. ff. de statu homin. Et ista est vna de rationibus allegatis per Angelum in authen. de Monachis §. fin. in illo art. an donatio facta per Constantinum valuerit. Et ad idem est quod ponit Bald. in præludijs feudorum in 3. char. in illa quæstione verùm donatio per Imperatorem facta de Castro Imperij valeat, dum improbat opinionem illorum qui dixerunt quod potest Imperator minuere imperium per res, & non per quotas, quia est falsum, quia Imperium est ad similitudinem corporis humani, à quo si abscinditur membrum, iam non est vlterius corpus,& idem ipse Bald. in l. 1. C. de nouo Codice compo. Vnde dicit Domin.
190 in cap. 1. de renun. in 6. quod Papa non potest facere statutum, per quod ipse ligetur, quia nemo potest sibi ipsi imperare, l. digna vox. C. de ll. & refert, & ponit Bertachinus in tract. de Episcopo in 2. parte lib. 4. in 16. quæst. qui allegat concordantes. Ideò non poterit à se abdicare Papalem potestatem, contra officij sui debitum minuens honorem Papalis maiestatis, submittendo se capitulis, argum. eorum, quæ habentur in authen. de hæredi. & fal. §. 1. ponit Bald. in l. digna vox. C. de ll. Facit etiam quod dicit Bart. in l. prohibere §. planè ff. quod vi, aut clam. & Bald. in l. 1. in 4. colum. ff. de offic. præfec. vrb. & ea, quæ ponit Bald. in l. 1. C. de nouo C. componen. & quod dicitur in capit. intellecto de iureiuran. & in præludijs feudorum, quando dicitur quod Imperator non potest minuere Imperium. Et quod dicitur post Bart. in proœ. ff. de donatione Costantini, & Felin. in cap. ad audientiam de præscriptionem & Paul. de Castro
161 conside. 72. quòd Papa non potest suam supremam potestatem alicui Prælato concedere abdicando illam à se. Facit text. in capit. dudum de præbend. in 6. ibi penès nos maior, vel eadem remansit potestas &c. Cùm igitur capitula ista pro parte abdicent potestatem Papæ, non valent. Facit etiam in proposito quod ponit Bald. in ca-
192 pitulo licèt in fin. de elect. vbi vult quod sicut Electores Imperij non possunt mutare formam electionis futuri Imperatoris, ita non possunt Cardinales mutare formam electionis futuri Pontificis, à pari igitur non potuerunt facere ista capitula restrictiua,& ligantia futurum Pontificem. Vnde dicit Bal. quod omnes Ecclesiæ mundi, & omnes Clerici non possunt auferre Papatum Papæ, allegat Archid. in cap. lex 2. dist. Inde dicit Bald. in tit. de pace Constant. in verbo amplius, quod non potest
193 princeps concedere alicui regalia in præiudicium successorum. Immò secundùm quod voluit Paulus de Castro consil. 72. incipit quia frustra in 9. columna versicul. circa tertium, ipsemet princeps potest per seipsum reuocare malè gesta per eum, sicut in simili dicitur in cap. si quis presbyterorum de rebus Ecclesiæ non alien. & dictum Bald. approbat Felin. & Decius in d. cap. ri de probat. Vnde si Papa teneretur seruare votum, & iuramentum, sequeretur quod pro parte esset subiectus Cardinalibus, & eorum ordinationi, quod est contra id, quod in simili dicitur in l. si pater, & in l. si duobus ff. de liber. causa, vbi non potest quis esse pro parte seruus, & pro parte liber. Ad idem l. ideòque, & l. libertas ff. de manumiss. testam. Ad idem glos. in capit. fin. de clan. despon. vbi non potest quis esse pro parte legitimus, vt supra dictum est. Ad idem est quod ponit Ioan. Andr. in addi. ad Specul. in tit. de natis ex libero ventre, vbi dicit quod si Pater emancipat filium hoc pacto, vt habeat vsum fructum in bonis quærendis, valebit emancipatio, sed non talis reseruatio vsus fructus. Sic dicendum est in proposito, reijciantur capitula, & tenebit electio, & recipiet liberam potestatis plenitudinem d. cap. fin. de condit. appon. debet enim Papa, cùm sit vnicus,& indubitatus habere plenam, & liberam potestatem, vt Petrus, & alij successores, debet si quidem esse Papa nomine, & re. Ita dicit Bald. in tract. schismatis in
194 tit. si quis aliquem testari prohi. Item pro ista parte facit quod si Papa in agendis teneretur habere consensum Cardinalium, sequeretur inconueniens maximum, nam dicit Bald. in l. fin. in §. necessitate C. de bonis, quæ liber. quod vbicumque consensus præstatur ab eo, qui habet officium à publico, talis consensus dicitur auctoritas, huiusmodi autem sunt Cardinales, vt in cap. per venerabilem, qui filij sint legit. sequitur igitur, quod si eorum consensus haberet vim auctoritatis, & dicerentur præstare auctoritatem, essent duo authorizantes, & duo capita in eodem corpore, & quoddam monstrum contra cap. in plerisq; §. prohibemus de offic. Ordin. & contra articulum fidei, & vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam. Ad hoc 7. quæst. 1. factus, & bona glos. in verbo succederet in cap. non autem, eadem cau. & quæst. Ad idem facit quod d. Anton. in cap. translatio in vlt. colum. de constit. quod potestas condendi legem vniuersalem spectat ad solum Papam in foro Ecclesiastico, quia solus habet hanc potestatem à Deo, vt in capit. 1. de translat. Prælat. & in capit. per venerabilem, qui filij sint legit. Et Cardinales nullo modo hoc possunt etiam Sede vacante, vt in Clem. ne Romani §. 1. de elect. ergo multò minùs facere possunt capitula, & ordinationes, quæ concernunt
195 vniuersalem statum Ecclesiæ. Ad idem facit quod iuramentum, quod est maioris boni impeditiuum non est obligatorium declarat Pet. de Palude in 3. sentent. dist. 39. quæst. 1. artic. 3. Quia iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis, vt in cap. quanto de iureiuran. Istud autem potest esse maioris boni impeditiuum, quia posset esse maius bonum creare Cardinales quàm non creare vltra numerum iuratum, quia fortè fieret creatio de viris, qui essent Ecclesiæ vtilissimi, & necessarij. Ergo vel hoc iuramento non ligetur, vel secum dispenset. Ad idē facit quod dicitur in c. 3. de iureiuran. & in cap. 1. & in cap. magnæ de voto, videlicet quod licet votum, & iura-
196 mentum etiam iustum commutare in melius

lius. Ad præmissa etiam facit quod, istud iuramentum est in foro conscientiæ, quia in foro iudiciali non habet superiorem, qui eum iudicet, vt in cap. licèt de elect. & in 9. parte 3. quæst. 1. Intantum quod dicit Hugo de Sacramentis in 2. parte quod potestas summi Pontificis cùm deuiat, à solo Deo iudicari potest, à quo instituta est; facit capitulo si Papa 40. dist. & cap. nunc autem 21. distinct. & §. verum 17. dist. & plura sunt iura sæpius allegata 9. quæst. 3. Sed pro Papa præsumendum est in dubio 11. quæst. 3. cap. absit. Ergo si in foro conscientiæ non seruat iuramentum, præsumendum est, quod ex causa rationabili illud faciat, ad hoc quod dicitur in cap. quæ in Ecclesiarum de constitution. Ergo à nobis non est iudicandus, aut arguendus.

197 Ex istis redditur quæstio non parum difficilis. Prima facie autem videretur distinguendum inter capitula, & dicendum quod loquendo ex quadam condecentia, si non subest aliqua apparens legitima causa non seruandi, & sunt capitula, quæ non tendunt in diminutionem Pontificalis dignitatis tenetur ea obseruare, vt puta quia iurauit tenere Concilium infra biennium, & similia, tenetur ex quadam condecentia id facere, non de necessitate, quia de tempore tenendi Concilij non reperitur à iure diuino statutum, & constitutio frequens non ligat eum, vt alibi latiùs dico, & ad hoc facit illud quod dictum est supra per Henricum Boich. in cap. magnæ de voto, sicut nec ius commune. Sed si iurasset illa, ad quæ tenetur, & obligatur ex sua Pontificali & dignitate, & per constitutiones conciliares, & per, quæ contrarium faciendo, offenderet Creatorem, vt puta quod non infeudaret, & alienaret maiorem partem rerum, & Ciuitatum Ecclesiæ Romanæ, & quod non venderet Episcopatus, & alias dignitates, nec faceret illa, per quæ scandalizaretur Ecclesia, & similia tunc videtur dicendum quod ad ista obseruanda teneretur de necessitate, maximè in prohibitis iure diuino 35. quæstione nona capitulo quod quis, & 12. quæstione secunda capitulo non liceat. Quamuis etiā quo ad hoc quod non possit infeudare terras Ecclesiæ, contrarium tenuerit Alexand. de Imol. in consilio 224. incipit in re in sexto volumine.

198 Vnde in ijs, quæ sunt legis Canonicæ saltem ex decentia, sed in concernentibus legem diuinam ex necessitate obligatur. Vnde dicit Bald. in l. penult. C. de bonis, quæ liber. quod Papa non potest concedere magna feuda, sine consensu Cardinalium, de quo etiam Bald. in procem. feudorum, & Aluarottus in cap. 1. Episcopum, vel Abbatem. Facit quod dicit Archid. & Dom. in d. cap. non liceat, quod Papa non potest alienare bona Ecclesiæ sine causa, secus facit, peccat, & reuocanda est alienatio. Et idem Archidiaconus, & Dom. in cap. 1. 12. dist. allegantes S. Bernard. ad Eugen.

199 quod Papa est administrator, & non Dominus rerum Ecclesiæ dicunt quod non potest sine causa detrahere proprietatē rei Ecclesię nec pro libito voluntatis alienare bona ecclesiastica. Et ita intelligit gloss. in cap. venissent de iudic. quæ dicit quod res Ecclesię Romanæ sunt propriæ Papæ, scilicet ad rationabiliter dispensandum, & non ad dissipandum pro libito voluntatis. Pro quo vide quæ ponit Felin. in capit. ad audientiam de præscrip. & quæ ponit Pau. de Cast. in consi. 72. incipit quia frustra, quod non potest Rex alienare iura Regni sine consensu procerum, & si alienaret, posset ipsemet alienationem reuocare per capitulum, si quis presbyterorum de rebus Ecclesi. non alien. & li. iubemus §. sanè C. de sacrosanct. Eccles. Immò secundùm Felinum in di. cap. ad audientiam si non cessaret alienare res Ecclesiæ in suos & scandalizaret Ecclesiam, ex hoc posset congregari Concilium, & deponi. Et licèt aliàs in Principe præsumatur causa, vt in cap. quæ in Ecclesiarum de constit. etiam in casu alienationis rerum Romanæ Ecclesiæ, secundùm quod dicit Abb. in cap. cum venissent de iudic. tamen ipse contrarium dicit esse verum prout ipsemet Abbas dixit in d. cap. quæ in Ecclesiarum, quod eo casu non præsumatur causa in dic. c. cum venissent, credit dixisse causa blandiendi Papæ. Ad quod faciunt, quæ dicta sunt supra pro prima

200 parte. Quinimmo nec potest auferre iura & bona vnius Ecclesiæ sine causa, etiam dando alteri, vt dicit gloss. 22. di. cap. 1. & gloss. & ibi latè Domin. 10. di. cap. 1. Vnde licèt possit priuare vnum Prælatum Episcopatu, & dare alteri, & auferre titulum & totum corpus vnius Ecclesiæ & dare alteri, & vnire vnam Ecclesiam alteri, & concedere priuilegia vnius alteri, non tamen auferre bona vnius, & dare alteri, nec partem Episcopatus vnius diuidere sine causa, & dare alteri, vt dicit ibi Do. Ex causa tamen potest, vt in cap. præcipimus 16. quæst. 1. & gloss. in dict. cap. 1. 10. dist. cum concordant. Facit quod in

201 simili dicitur de statuto vel constitutione continente idem, quod ius commune, edito ab habente potestatem legis condendæ, quod non tollitur ita faciliter, nec censetur sublatum per legem contrariam, vt dicitur latè per Alexand. de Imol. in l. prima ff. ad legem Falcidiam & Anton. in capitulo primo, de rescrip. & Domin. in capitulo primo de constit. in 6. propter aliud vinculum adiectum, licèt alias sit secus, quia frustra precibus imploratur &c. l. 1. C. de thesauris li. 10. & l. 1. ff. ad municip. Similiter facit ad illud, quando quis promittit, iurat, vel vouet, id, ad quod alias tenetur, vt ponit d. Abb. in c. clericus in vlt. qu. de iureiur, & quod dicitur in cap. licèt, & cap. per tuas de voto. Similiter, quod dicitur in cap. vt super. de rebus Eccles. de eo, qui iurat non alienare bona mensæ.

202 Si autem sunt capitula quæ tendunt in diminutionem status Pontificalis, vt quod non possit creare Cardinales vltra numerum vigintiquatuor sine consensu omnium Cardinalium, non obligant, tamquam diminutiua Pontificalis dignitatis, vt supradictum est, nec sunt seruanda,

cùm periura, & temeraria censeantur, vt
dicit gloss. in cap. intellecto de iureiur.
Ad idem est quod dicit Bal. in l. pro-
hibere §. planè ff. quod vi aut clam. vbi
dicit, quod iurisdictiones supremæ sunt
sacrũ sacrorũ, & ideo non sunt in Marsu.
Principis. Et quod dicit idem Bal. in c.
i. quæ sunt regalia, iuncto eo, quod idẽ
dicit in tit. de pace Constant. in versi. am-
pliùs, quod Princeps non concedit regalia
in præiudicium successorum, & ponit Fe-
li. in cap. 1. in versic, quarto declara. de
proba. & idem ibi Decius. Per quod re-
probatur, quod dicit Raphael Cumanus
in consens. 142. qui consuluit pro illis de
Malatesta de Arimino, quod per conces-
sionẽ Vicariatus acquisiuerant facultatem
fabricandi sal, sicut, & alia regalia. Et
203 sic Papa non potest subijcere clericos lai-
cis, & disponere, quod laici iudicent cle-
ricos, cùm clerici habeant hoc priuilegium
à Deo, & quia turbaretur vniuersalis sta-
tus Ecclesiæ, vt dicit Abb. in cap. 2. de
maior. & obed. & in cap. proposuit in 4.
col. de conces. præben. & in cap. literas in
5. colum. de resti. spolia. & Ludo. in l. si.
verò in §. de viro ff. solu. matrim. & in singu-
lari 414. & referunt Moderni in l. est rece-
ptum ff. de iuri. omnium iudi. pro quo al-
legatur gloss. in cap. si Imperator. in ver-
bo discuti 96. dist. ad quod facit, quod
dicit Pe. de Ancha. post alios in capi. nul-
li de sentent. excomm. de priuilegio cano-
nis si quis suadente, quod a clericis tolli
non potest, multò minùs poterit seipsum,
& suam potestatem à se abdicare. Facit
quod dicitur in cap. Ecclesia de consti. &
dict. l. est receptum, & quod dico in illo
arti. an Papa possit se subijcere iurisdi-
ctioni alteriùs. Et nunquam valet dona-
tio Principis quando est expropriatiua di-
gnitatis, & supremæ iurisditionis eius, vt in
d. l. prima per Bal. C. de nouo Codi. cõpo.
& in dicto consilio, Paul. de castro 72.
203. Vnde videretur in proposito dicen-
dum, quod aliqua teneretur obseruare
aliqua non. Sed præmissis non obstanti-
bus credo simpliciter, quod quæcumque
sint capitula, & quantumcumque honesta
& licita, prætextu talis iuramenti, & vo-
ti præstiti ante assumptionem, & post in-
continenti, non ligatur illis. Et hoc quia
quantumcumque, quod iurat sit de se lici-
tum; tamen modus iurandi est prohibitus
Et ideo non astringitur virtute iuramenti
Ad hoc est quod notabiliter dicit Ioan.
An. in cap. ad nostram el 3. de iureiu. vbi
205 vult quod quantumcumque illud, quod,
alteri iuratur sit de se licitum, & ad illud
quis teneatur, tamen si per vim extorque-
tur, si iurans non seruaret non incurreret
periurium. Et idem voluit Ludo. in sin-
gularibus suis in verbo iuramentum, inci-
pit iurat aliquis, qui assignat rationem,
quia infertur iniuria illi, à quo extorque-
tur, capitulo legebatur de maio. & obe.
& quia debet superior quantum potest au-
ferre occasionem periurij li. 1. C. de indic.
vidui li. 1. cum simil. C. si adversùs vendi.
vel saltem debet à tali iuramento absolui
secundùm Doc. in dict. cap. ad nostram
206 Quod procedit quando iuramentum non
est præcisè per metum extortum, sed con-
tra Consilium, & desiderium iurantis. Et
est simile in iuramento quod fuit extortum
ab Archiepiscopo Neapolitano in promo-
tione eius per capitulum, vt ibi dicit An-
to. post Ioan. Andr. Et bene facit ad pro-
positum 84. Consilium Dom. S. Gemi.
quod est, notabile Consilium vbi agitur
de similibus iuramentis, quod Consilium
incipit in nomine indiuiduæ Trinitatis,
207 quia istud dubium &c. Sed obstat, quod
dicit Archi. in cap. non est in fin. 22. quæ.
1. vbi dicit, quod cùm aliquid iuratur in
casu non licito, si tamen, quod iuratur
est licitum, seruandum est, allegat Tex. 22
quæst. 4. cap. si aliquid. Sed potest respon-
deri, quod ipse loquitur in iuramento ab-
solutè voluntario, sed in proposito loqui-
mur in iuramento inuoluntario, & extorto
propter reuerentiã, & per metũ & exorto,
tempore illicito, timore perdendi Pon-
tificatum & in turbatione promotionis, si-
ue factæ siue faciendæ, Sed ista responsio
non videtur bona, quia omne iuramentum
dolo, vel vi præstitutum, quod potest ser-
uari sine interitu salutis æternæ est seruan-
208 dum, vt dicitur in capit. si verò de iure-
iu. & ponit deci. 401. incipit item si agen-
ti. & est deci. 16. in titu. de resti. spolia.
Sed ad hoc respondetur, quod vbi iura-
mentum est per vim, vel metum, vel dolum
vel fraudem extortum, quia turpiter est,
receptum, Ecclesia absoluit ex se, nec est,
necessè, quod aliter moneatur ille, cui fuit,
præstitum ad relaxandum. Item contra-
ueniens tali iuramento, in quo non fuit
animus obligandi non peccat mortaliter,
vt ponit Ab. in d. cap. si verò. nec peccat
petendo absolutionem, quia facit iure per-
mittente, vt voluit Oldra. consi. 120. &
refert Milis in verbo iuramentum semper
Alioquin iuramenta dolo, vel fraude præ-
stita essent seruanda contra Authen. sacra-
menta puberum C. si aduersùs vendi. &
cap. cum contingat de iureiu. Et daretur
materia committendi fraudem, contra
li, cum ij. §. si cum lis. ff. de transac. &c.
209 plerumque cum simi. de rescrip. Verum
est, quod Ecclesia, quæ non iudicat de
de occultis, vt in cap. 1. vt Eccl. bene in
foro iudiciali vult tale iuramentum serua-
ri, ne det materiam deierandi. Sed quia
in dubio talia iuramenta promissoria per
vim, vel metum extorta non præsumun-
tur voluntaria, vt dicitur in dict. cap.
si verò in fin per Abb. & in cap. verum
eod. titul. propterea ex se Ecclesia à tali
iuramento absoluit. In foro autem con-
scientiæ si tempore iuramenti præstiti in
rei veritate non fuit animus obligandi,
quia Deus interrogat cor, & non manum,
vt in cap. si quid inuenisti, 14. quæst. 5. &
respicit voluntatem, & non opus, sed lex
è contra, vt in capit. si quis non iratus, 15.
quæst. 1. ideò quo ad Deum tunc non liga-
tur iuramento, nec indiget absolutione,
quia Deus recipit iuramentum prout ex
corde procedit, vt in cap. humanæ aures,
22. quæst. 5. dicit Abb. Sicul. in dicto cap.
si verò, circa fin. Nunc ergo in proposito
quia

quia non est verisimile, quod Papa, qui habet liberam potestatis plenitudinem voluerit seipsum ligare, maximè considerato tempore præstiti iuramenti, scilicet illico post ipsam promotionem in tanta status mutatione, in qua temporis angustia non fuit facultas maturiùs deliberandi, vt in l.1.ff. de exerci. in princ.& in capitulo ponderet.50. distinctio. non possumus nisi inuoluntarium iudicare iuramentum, & minùs honestè extortum, & cùm Papa non sit subiectus iudicio alicuius, vt in capitulo aliorum, & in cap. facta, 9. quæst.3. meritò stari debet eius conscientiæ, & excusari debet si capitula non seruat, tamquàm iuramentum, & votum fuerit indeliberatè factum. Accedit, quod quia capitula sunt in genere iurata, non arctant ad illa, quæ sunt contra libertatem Ecclesiasticam, vt in capit. 1. de iureiu. in 6. ergo nec ad ista, quæ sunt contra potestatem Papæ. Item etiam si non essent contra libertatem, videtur, quod contraueniendo non incidat in periurium, & sufficit, quod faciat se absolui in foro conscientiæ à suo confessore, cui se submittere potest, iuxtà capit. omnis de pœnit.& remiss. Et pro hoc adduco decis. primam in titulo de iureiur. quæ vult
210 quod vbi quis iurat in genere seruare consuetudines, & statuta Ecclesiæ, non obstante iuramento poterit sine metu periurij cum causa, & sine causa supplicare Papæ contra ea, quia non est verisimile, quod voluerit se intantum arctare, quod numquàm contra illa statuta impetraret, iuramenta autem huiusmodi sunt interpretanda secundùm intentionem iurantis, allegat. d. capit. humanæ aures, 22. qu. 5.
211 Et quod dicitur de iuramento, dicendum est, & de voto, quia paribus passibus ambulant, vt notatur in cap. 1, & in cap. debitores de iureiur. & in capit. licèt, & in cap. magnæ de voto, & dicit Abb. in dicto capit. si verò in 2. columna facit, quod dicit Petrus de Ancharan. in cap. rursùs, qui cleric. vel vouen. Immò tantò minùs astringit votum quanto etiam in foro iudiciali votum per metum extortum non ligat, vt in capitulo 1. quod metus causa, & ponit in fin. verbis Abb. in dicto capitulo si verò.
212 Et maximè posset venire contra capitula quando subesset aliqua necessitas, vel spiritualis vtilitas, in quo casu quilibet etiam inferior potest venire contra proprium iuramentum, vt dicit Innoc. in cap. venerabilem de elect. dicitur in cap. 2. & cap. quanto de iureiur. & Philippus in capit. 1. de iureiuran. in 6. Et si loquimur de iuramento præstito antè assumptionem, non est dubitandum, quia, quod fecit vt Cardinalis, potest vt Papa reuocare, sicut qui fecit aliquid tamquàm Canonicus potest reuocare factus Episcopus, vt dicit Bald. quod est text. in dicto cap. sicut nostris de iure iur. Et ideò talia capitula iurata in Cardinalatu, non astringunt posteà in Papam assumptum, vt dicit Abb. & Calder in consil. 3. de iureiur. & ponit Felin, in cap. 1. de probat. & dictum est supra. Facit quod dicitur in cap. à collatione de appellat. in 6. & quod dicitur in l. si is, qui. §. fin. ff. de exceptio. rei iudic. Sicut & translatus non conuenitur de eo, quod fecit antè translationem 21. quæst. 2. cap. si quis iam translatus. Item, & quia non valuerunt huiusmodi capitula ratione defectus potestatis Cardinalium, qui ea ordinatunt, quia ipsi non succedunt in potestate Pontificali, nec possunt talibus intendere quia debent vacare acceleratæ electioni prout diximus supra per cap. vbi periculum, §. cæterùm de elect. in 6. & cle. ne Romani eod. tit. &
213 per alias rationes supra in hoc adductas. Et quia sede vacante nihil innouari debet in præiudicium Ecclesiæ, quia non est, qui ius Pontificalis dignitatis tueatur, vt dicitur in text. in capit. primo, ne sede vacante 12. quæst. 2. si qua de rebus. Facit text. & ibi dicta in cap. cùm omnes, de constit. & per alias rationes supra addu-
214 ctas, ne bis idem replicetur. Si verò loquimur post assumptionem, censetur etiam turpiter exactum ratione proximitatis assumptionis, & cuiusdam contiguitatis, vt dicit Cald. in dicto consil. 3. & non voluntariè præstitum. Ad hoc est bonus tex. in cap. cum venissent de instit. in versiculo ipse verò timens, & glossa ibi in verbo abiurasse. Facit, quod dicitur post gl. in cap. dudum de conuer. coniuga. & in iuramento tex. & ibi dicta in d. cap. sicut de iureiur. Et facit etiam, quod dicitur in cap. literaturam, de voto, quia videtur promissio indeliberata, vt supra dictum est. Et facit, quod dicunt Doct. in l. 2. Cod. quod Met. causa quod eadem causa metus præsumitur durare in solutionè, quæ fuit in promissione, quando incontinenti fit solutio, item quia tale iuramentum videtur inualidum ratione ambitionis, & turpitudinis, vt in simili dicit Domin. in dicto consilio 84. circa princi. Et maximè ostenditur iuramentum inualidum, & inuoluntarium, quia descendit ab actu ex sua origine nullo defectu potestatis statuentium, & à iure reprobato, & ideò non ligat, vt benè consuluit Calder. in cons. 9. in titu. de iureiur. Et maximè quia reprobatus est ratione publicæ vtilitatis, vt patet in dict. §. cæterùm, pro quo etiam gloss. & Bald. in l. fin. § fin. C. de bonis, quæ libe. Et ex alijs rationibus supra pro ista parte adductis. Quibus adde, quòd tale iuramentum non solùm videtur continere diminutionem potestatis Pontificalis, sed diminutionem status totius Ecclesiæ, qui magis decoratur ex assumptione plurium dignissimorum virorum, & magis à pluribus defenditur, & potentior efficitur Ecclesia, ex quo videtur, quòd talis promissio magis sit damnosa, quàm vtilis Ecclesiæ vniuersali. Et ideò tale iuramentum non sit seruandum per supradicta. Ad quòd facit gloss. & quod ibi dicunt Doct. in cap. 1. de in
215 integ. resti. in 6. de Prælato, qui iurauit non contrauenire contractui, quod ratione damni potest omninò petere restitutionem in integrum aduersùs contractum non obstante iuramento. Et simile est, quod dicitur in cap. si quis presbyterorum, & cap. vt nostrum de rebus Eccles. non alie. Et ratio adducta per Abb. in dicto cap. cum venis-

veniissent, in Prælato, qui antequam sit administrator Ecclesiæ non potest per suum iuramentum vinculare se, & obligare ad non administrandum, quia quemadmodum non potest sponte à se abdicare titulum Prælaturæ, cap. quòd in dubijs, & c. veniens de renun. l. legatus, ff. de offic. præsi. ita non potest titulo remanente obligare se ad fideliter non administrandum iura Ecclesiæ. Facit text. in cap. peruenit, el. 1. de iureiur. vbi iuramentum non potest astringere Prælatum quominus possit repetere bona Ecclesiæ. Et iuramentum,
216 quod contra libertatem Ecclesiasticam est præstitum, non tenet ita summant illum tex. Doct. in dicto cap. sicut nostris, de iureiu. Et hoc maximè esset verum, vbi propriè non contrauenirer iuramento, sed differret, puta si illud, quòd promiserat infrà biennium tenere Concilium, distulisset ad aliud tempus, quia non dicitur voti transgressor, qui aliquo modo distulit implere, si posteà implet, vt in cap. non est, de voto, de quo dixi supra in quæstione de Cardinalibus vtrùm licitè discesserint, & sint schismatici. Et istam opinionem, quòd Papa, non ligetur istis capitulis Conclauis, tenet Alexand. de Imol. in consilio 224. incipit, in re, tam graui, sequendo opinionem Barbatij in suo consilio primo, in subscriptione ad illud consilium primum, & est consilium Alex. in 6. volum. consiliorum eius.

Restat nunc respondere ad contraria. Et
217 primò ad illud Ægid. quòd incurratur periurium, & infamia, & quòd deierans dicatur bestia, responde, quod illud est verum, quando iuramentum habet suos Comites, videlicet veritatem iudicium, & iustitiam, vt in cap. animaduertendum 22. quæst. 2. & ea cau. quæst. 1. cap. & iurabunt, & de iureiur. cap. etsi Christus. In isto autem iuramento deficiunt duo vltima, videlicet iudicium, idest discretio secundùm gloss. in dicto cap. etsi Christus, quam intelligo necessariam tàm ex parte recipientis, quam iurantis, quæ enim discretio suadet, vt in assumptione exigatur tale iuramentum, & incontinenti quasi Indeliberatè, & inuoluntariè? Et iustitia, quia non conuenit, quod potestas Pontificalis sit coarctata nuda voluntate inferioris, clem. ne Romani in prin. de elect. & cap. cùm inferior. de maio. & obe. Simili-
218 ter autem, & votum debet habere tres Comites, vt dicit, S. Thom. in 4. sen. dist. 38. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 1. in corpore, & in secunda, secundæ quæst. 88. artic. 1. & referunt Doctores nostri in cap. literaturam de vo. videlicet deliberationem, propositum, & promissionem. Quomodo verò potest dici cum deliberatione, & ex proposito factum, quod in actu assumptionis, vbi non fuit maturiùs deliberandi facultas, factum est, & quod vt verisimile est ab inuito extorquetur? Faciunt quæ dicuntur in cap. ponderet, 50. dist. & in l. fin. C. de iure delibe. & authen. offeratur, C. de litis contest. & d. l. 1. ff. de exerci. Et non potest negari quin exactio talis iuramenti sit præter omnem honestatem ratione exigentium, & temporis, & actus, & quin sapiat quandam cupiditatem, ambitionem, & inciuilitatem, & quin sit turpiter exactum. Et sic respondetur ad secundum
219 quo dicitur, quòd iuramentum est de iure diuino quo Papa ligatur, & quòd est de præceptis primæ tabulæ, quæ sunt indispensabilia. Quia respondetur, quod non sequitur, quod debeat propterea iuramentum seruari in omni casu, alioquin ille, qui iurat, quòd est illicitum, teneretur obseruare de iure diuino, contra ea, quæ ponuntur 22. quæst. 4. in malis, & ferè per totam quæstionem illam, & in regula in malis de regu. iu. in 6. Nec posset Papa absoluere à iuramento fidelitatis subditos principis, contra tex. in cap. nos sanctorum, 15. quæst. 6. & in cap. ad Apostolicæ de re
220 iudi. in 6. Et si dicatur quod iuramentum, & votum præstantur Deo, & ideò nullus potest dispensare respondetur, quod ad fidelitatem Deo debitam non pertinet, quòd homo faciat, id quod est malum, vel inutile, vel maioris boni impeditiuum, & ideò cum dispensatur super tali voto, vel iuramento, talis dispensatio non impedit fidelitatem Deo debitam. Quod probatur ex text. in cap. non est, de voto, & glossa in dicto cap. tua nos, de iureiur. quia non
221 dicitur voti, vel iuramenti transgressor, qui ex iusta causa illud deserit, l. fin. ff. qui satisdare cogantur. Et vbi melius est quod eligitur, quàm illud quod iuratur, si deseritur iuramentum superioris authoritate, non dicitur quis transgressor dicit Petrus, de Palu. in 4. sent. dist. 39. quæst. 3. artic. 4. Et idem Sanct. Thomas, in secunda secundæ, quæst. 89. artic. 6. dicit, quod dispensatio, quæ fit in iuramento non se extendit ad hoc, quod aliquid contra iuramentum fiat, quia hoc est impossibile, cum obseruantia iuramenti cadat sub diuino præcepto, quod est indispensabile, sed dispensatio ad hoc tenditur, vt id quod sub iuramento cadebat non cadat sub iuramento, tamquàm non existens debita materia iuramenti. Et idem dicendum in voto, vt ponit. d. Thom. in secunda secundæ, quæst. 88. artic. 10. in solutione secundi argumenti. Ad illud de scandalo respondetur, quod
222 cùm Papa deserit iuramentum ex causa, tale scandalum passiuum non est curandum, ex quo non oritur ex malè gestis Papæ, vt dicit S. Thom. in secunda secundæ quæst. 43. artic. 7. & 8. quia tunc videtur esse ex malitia, sicut scandalum Pharisæorum, de quibus Matth. 15. vtiliùs autem scandalum nasci permittitur quàm veritas relinquatur, vt dicit text. in cap. qui scandalizauerit, de regu. iu. Et per præmissa patet responsio ad illud, quod vltimo loco dicitur, quòd ratione scandali potest accusari in Concilio, quia non est scandalum, immò scandalum magis oritur ex astrictione Papæ, quæ surgit ex dictis capitulis, & est scandalum passiuum, de quo non est curandum, vt supra dictum est. Ad id quod dicitur de Gregorio, & benedicto, respondetur, quod ipsi iurarunt illud, quod erat licitum, & non impeditiuum maioris boni, quia tendebat ad sedandum schisma.

Non

Non obstat constitutio frequens, quia
223 respondetur quod Papa non ligatur con-
stitutione conciliari, quia est supra Con-
cilium, vt in cap. significasti, de electio. &
examinabitur in proprio loco. Quod ma-
ximè patet, quia ipse est, qui tribuit au-
thoritatem, & robur Concilijs, vt dicit ibi
text. Et cùm potestas statuendi dependeat
à iurisdictione, vt in l. omnes populi, de
iusti. & iur. in capit. cùm omnes de con-
stitut. & minor non habeat iurisdictionem
in maiorem, l. nam magistratus, de arbit.
nec in partem, vt in cap. innotuit de elect.
nec minoris, nec paris decretum maiorem
aut parem ligat. Cum ergo concilium tan-
tùm in materia fidei, & non in materia re-
formationis iurisdictionem, aut superiori-
tatem habeat in Papam, ipse non tenetur
ab obseruantiam, nec constitutionis fre-
quens, nec alterius de non creandis Cardi-
nalibus. Hoc probatur per §. hinc etiam
17. dist. vbi cùm Symmachus accusaretur,
Concilium cognouit de causa fidei, de
alijs verò criminibus totam eius causam
Dei iudicio reseruauit. Ad idem tex. in §.
patet, 3. quæst. 1. & in cap. licèt de elect. in
fin. vbi dicitur, quod ipse non habet supe-
riorem. Et multa sunt iura, quæ volunt,
quod excepta causa fidei Papa à nemine
iudicatur, vt in cap. si Papa. 40. distin. &
9. quæst. 3. per to. Immò standum est sen-
224 tentiæ Papæ, si Papa contradicat Con-
cilio, vt supra dictum est, & dicemus la-
tiùs alibi. Vndè Sanct. Thom. in tractat.
contra impug. reli. & in quæstionibus de
po. Dei, quæst. 10. art. 4. ad 13. arg. dicit
ex gestis Chalced. Concilij haberi, quod ge-
sta Concilij debent confirmari à Romano
Pontifice ergo à Romano Pontifice sumunt
robur. Pro quo facit tex. in cap. cum in
225 cunctis iuncto, cap. innotuit, de elect. vbi
probatur, quod Papa etiam cùm Concilio
non potest legem imponere successori. Nam
decretum, cap. cum in cunctis fuit factum
in Concilio Lateranens. & quod plus est
concernit decorem Ecclesiæ, & tamen Pa-
pa, arguit in d. cap. innotuit, quod ad eius
obseruantiam non arctatur, ad idem est ca.
2. de concess. præben. iuncto, cap. proposuit.
eod. titulo, & cap. 2. eod. tit. in 6. Et cap.
nonnulli de rescrip. factum in Concilio re-
uocatur per cap. statutum eod. tit. in 6. &
à solo Papa. Et dicit Ioann. And. in capit.
vbi periculum, de elect. in 6. in gloss. super
verbo Concilio, quod quia constitutio illa
tam vtilis approbatione tanti Concilij fue-
rat edita, non fuit æquum absque requisi-
tione Concilij reuocare, de plenitudine
tamen potestatis Papa, illud potuit. Et sic
226 patet, quod gloss. in cap. legimus, 93.
dist. super verbo maior, cum voluit, quod
statuta Concilij præiudicant statuto Papæ
si contradicant, malè loquitur, quia po-
tiùs est è conuerso quæst. stat. Papæ præiu-
dicat stat. Concilij, quando sunt contraria
gloss. 24. quæst. 1. cap. quodcumque super
verbo Ecclesiam, 25. quæst. 1. capit. sunt
quidam in fi. gloss. Immò si rectè inspicia-
tur, dict. gloss. in cap. legimus, quæ tan-
tùm dicit ibi haberi argumentum, quod
stat. Concilij præualent, potiùs sentit con-
trarium, cùm se remittit ad id, quod dixit
in cap. nemo. 9. quæst. 3. vbi dicit, quod
nemo iudicat Papam, & si totus mundus
esset contra Papam, standum esset magis
227 sententiæ Papæ. Ad quod facit tex. in c.
cuncta per mundum, 9. quæst. 3. vbi à senten-
tia Conci. appellatur ad Papã, ergo Papa est
superior Concilio in iurisdictione l. 1. ff.
quis, & à quo appel. & ff. de appel. l. Im-
peratores. Pro hoc etiam text. in cap.
constitutionem, quod est Gregorij IX. iun-
cto cap. statuimus de sent. excomun. in 6.
quod restringitur per d. cap. constitutio-
228 nem. Non obstat text. in cap. sicut di-
stinct. 15. vbi S. Gregor. Papa dicit se ve-
nerari Concilia, sicut quatuor Euangelia.
Quia respondetur, quod loquitur de qua-
tuor Concilijs principalioribus, videlicet
Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino,
& Chalcedon. quæ pro fide Christi defen-
sanda celebrata fuerunt, & de fide tractant,
& disponunt, quia in causa fidei Papa debet
Concilij sententiam sequi, vt ibi notatur,
& in cap. Anastasius dist. 19. quod patet
dum in ratione eius text. dicit quia in his
velut in quadrato lapide sanctæ fidei stru-
ctura consurgit. Et quamquam idem text.
subdat, & cuiuslibet vitæ communis, atque
actionis norma consistit, non propterea
sequitur, quod omnia decreta in quibus
consistit simpliciter norma vitæ actionis
edita per Concilium, sequi debeat Papa
sed illa tantùm, in quibus consistit fidei
structura, & consistit simpliciter norma
vitæ, & actionis. Cùm enim lex duo co-
229 pulatiuè ad effectum alicuius dispositio-
nis exigit, ibi vt dispositio locum habeat
requiritur copulatorum veritas, & concur-
sus ff. de diuor. l. quod ait lex l. si hæredi
plures ff. de condit. instit. Vnde vt Papa
teneatur sequi, & venerari Concilium, re-
quiritur, quod illud disponat de fide, &
de norma communis actionis, & vitæ, quia
in omni statuto, & decreto fidei consistit
communis actionis, & vitæ norma, & il-
lud fuit dictum ad ostendendum dignita-
tem, & excellentiam illorum quatuor Con-
ciliorum. Similiter dum text. subdit cùm
vniuersali sint consensu constituta, non in-
tendit, quod in omni materia decretum,
quodlibet vniuersali consensu constitutum,
sit Papæ venerandum, & sequendum, sed
quod in causis fidei sint veneranda, quia
sunt vniuersali consensu constituta. Et ra-
tio rationis est, quia faciliùs potest errare
vnus solus, etiam Papa in causa fidei, vt in
cap. Achatius 24. quæst. 1. & in cap. Ana-
stasius dist. 19. quàm vbi est vniuersalis Ec-
clesia, vt in cap. à recta 24. quæst. 1. Nec
230 obstat, quod dicit text. dist. 15. cap. san-
cta Romana, & ibi sed & si qua sunt Con-
cilia à sanctis Patribus instituta post isto-
rum quatuor auctoritatem etiam custo-
dienda, & recipienda decernimus, quia
illud verbum Concilia, intelligitur scilicet
similia expressis, videlicet prædictis qua-
tuor, quæ de fide loquuntur. Facit quod
dicitur in l. ita pudor. Cod. de adult. & in
l. ob æs, Cod. de prædijs minor. Item ille
text.

text. si benè inspiciatur, cùm mandat recipere, & custodire, videtur probare, quod ad hoc, vt in decreta in Concilio edita seruentur, & recipiantur, debet interuenire Papæ auctoritas. Nec contrariatur text. in d. cap. sicut in fin. dum dicit se & non illa destruit quisquis præsumpserit absoluere, quos ligant, aut ligare, quos absoluunt, vt sic sit argumentum, quod Papa non possit destruere statuta Concilij, quia respondet gloss. ibi quod illud intelligitur in articulis fidei, quia in alijs Concilium non potest Papæ legem imponere 35. quæst. 9. veniam distinct. 17. §. hinc etiam, & cap.
231 significasti de elect. Ad iura adducta in contrarium, videlicet cap. confidimus, & cap. quæ ad perpetuam, & cap. sunt quidam, & cap. contra 25. quæst. 1. respondet text. ea causa, & quæst. in §. his ita, quod Sancta Romana Ecclesia Canonibus non alligatur, sed illis auctoritatem impartitur, & quod in capitulis Conciliorum, cùm aliquid obseruandum decernitur, statim subinfertur, nisi auctoritas Romanæ Ecclesiæ aliter imperauerit, vel saluo tamen in omnibus iure Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel salua tamen in omnibus Apostolica auctoritate. Ita dicit ibi text. in dicto §. his ita respondetur, cùm enim Papa dispensat, non destruit. Vnde S. Thom. in prima secundæ quæst. 96. art. 5. ad tertium argument. dicit, quod Principes subduntur legi propria voluntate, quo ad vim directiuam legis, non autem quo ad vim coactiuam. Et in tract. contra impug. relig. exponendo illud 25. quæst. 1. cap. contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem Sedis potest auctoritas, dicit quod hoc verum est in illis, quæ statuta Patrum determinauerunt esse de iure diuino, sicut sunt articuli fidei, qui determinati sunt per Concilia. Sed illa, quæ sancti Patres determinauerunt esse de iure positiuo, relicta sunt sub dispositione Papæ, vt possit ea mutare, vel dispensare secundùm opportunitates temporum, & negotiorum. Sancti enim Patres in Concilijs nihil statuere potuissent nisi auctoritate Romani Pontificis interueniente, sine qua etiam, nec Concilium congregari potest. Et hoc in effectu vult gloss. in d. cap. sunt quidam, cum dicit, quod Papa dispensat contra generale statutum Ecclesiæ, sed non contra articulos fidei. Facit quod dicit gloss. in verbo aliorum in cap. de libellis dist. 20. vbi vult, quod in decisionibus causarum non debet iudicari secundùm scripta Hieronymi, vel Augustini, omissis Canonibus. Et gloss. sequens vult, quod in decisionibus causarum sint magis sequendæ auctoritates Doctorum legum, vel canonum, qui nituntur auctoritate canonum, vel legum, quàm Doctorum Ecclesiæ, quod intelligit verum illa gloss. sequens, nisi auctoritas Doctorum Ecclesiæ nitatur auctoritate noui, vel veteris testamenti. Et illam gloss. allegat pro singulari Ludo in singularibus suis, in verbo auctoritas. Et cum his concordant gloss. in cap. post translationem de renun. vbi vult, quod Papa dispensat contra quatuor Concilia, & contra Apostolum, dummodo nihil statuat contra fidem. Ad
232 illud, quod dicitur, quod concernit decorem Ecclesiæ, & quod aliter faciendo ipsa decoloratur, & scandalizatur. Respondè secundùm S. Thom. in prædicto tractatu contra impugnat. relig. quod quando Papa aliquid aliud facit, quàm à sanctis Patribus sit statutum, non facit contra statuta Patrum, quia seruatur intentio statuentium, quæ est vtilitas Ecclesiæ, sicut in omni iure positiuo accidit, derogatur enim statutis præcedentibus per statuta sequentia l. sed & posteriores ff. de legibus. Ad idem cap. non debet de consan. & affin. & Gregorius dispensat contra statuta Conciliorum in gradibus prohibitis in matrimonio, vt in cap. quædam 35. quæst. 3. Et hoc dispensare non est violare canones, siue scandalizare, vel mutare statum Ecclesiæ, sed potiùs obseruare; nec est abijcere canones vniuersalis Ecclesiæ, siue contemnere sed pro tempore moderari, prout vtilitas, & necessitas exposcit, ad hoc text. in cap. Basilicas de consecratio distinct. 1. Ad Papam enim spectat interpretari decreta Cōcilij, cap. non licuit distinct. 17. cap. nonnulli, de sentent. excommun. & hoc vult gloss. in dicto capitulo non licuit. Et in Concilio Constantiensi, declaratum est supremam potestatem in Ecclesia esse in Romano Pontifice, & dictum est supra in illo artic. an possit Papa tollere statuta Concilij. Nec obstat quod dicitur, quod quia
233 dicta constitutio fuit pluries repilogata est maioris auctoritatis, quia etiam si centies fuisset repilogata, satis est, quod Papa non ligatur constitutione conciliari, vt dictum est. Et quod dicitur, quod constitu-
234 tio iurata non censetur sublata per simplicem reuocationem, sicut nec constitutio confirmata, vt in d. gloss. in verbo pacta. Respondetur, quod hoc intelligitur respectu inferiorum, & non in Papa, qui est supra ius, & conceditur, quod constitutio frequens non censetur sublata, sed dicitur, quod nō ligat Papam quantumcumq; iurata, sæpiùs repilogata, & votata. Et est simile, ac si Papa iurasset, & vouisset seruare canones, cum tamen sit supra canones, nec ligetur iure positiuo vt in d. c. proposuit, quia non prohiberetur illos transgredi ex causa l. fin. ff. qui satisdar. cogant. l. si ex falsis, C. de transact. Et conuenit quæstio de Episcopo, quam ponit Ioann. Andr. in regula,
235 quod alicui. Et benè considerando licèt adsit multiplicatio vinculorum, quia tamen in eodem actu, & eodem instanti sit hæc multiplicatio, ipsa reputantur pro vno saltem in deliberando, quia enim non habent interuallum temporis confirmatio votum, & iuramentum, non ita arctant dicit gloss. in dicta l. si conuenerint ff. de pignor. action. Anton. in cap. final. de consuetud. & Bald. in prima constitutio. Cod. Et licèt funiculus duplex difficiliùs rumpatur, non tamen dicitur, quod non rumpatur, ergo rumpitur, & maximè, vbi subest causa.

236 **Ad id quod dicitur, quod cùm simpliciter sit dubium inter Doctor. vtrùm Papa possit ardua explicare sine Cardinalibus,** multò magis erit dubium, vbi est adiectum iuramentum, & votum. Respondetur, quod hoc argumentum procederet, quando debito modo esse iuratum, & votatum, quod non est in proposito, & iuramentum fuit extortum in assumptione, vt supra dictum est, ad præmissa etiam facit, quod ex quo consuetudo non potest introduci, per quam Papa priuetur potestate explicandi ardua sine consilio Cardinalium, & sic quod non possit creare Cardinales sine eorum consensu, vt est communis opinio, vt refert Barb. in tract. de præstantia Cardinalium, in quæst. 2. in qua licèt ipse teneat contrarium, tamen in suis consilijs postea reuocat illam opinionem, pariformiter
237 non potest iuramento ligari, quia, quod non facit consuetudo, nec iuramentum, vt in cap. 1. de iureiuran. in 6. Et ad præmissa etiam conueniunt omnia illa iura, quæ volunt, quod actus factus contra iuramentum teneat, vt saltem si non seruatur iuramentum, vel votum, valeat quod fit in contrarium, vt dicitur in cap. dilecto de præben. & in regula, quod semel in Mercur. & in l. si quis in principio testim. ff. de legat. 3. in cap. vltima voluntas 13. quæst. 2. & gloss. in cap. cùm Marthæ de celebrat. mis. in cap. si inter de sponsal. cùm simil. & in Specul. de instrum. edi. §. compendiosè, versic. sed quid si. Vnde saltem posset dici, quod ex non obseruatione ad summum incurreret periurium, sed creatio Cardinalium non posset retractari per dicta iura, & hoc quando ligasset tale iuramentum, sed vt dico non obligat per supradicta. Non
238 obstat, quod dicitur, quod Synodus haberet immediatè auctoritatē à Christo, cui debet parere quilibet cuiuscumque status status etiam si Papalis, &c. Quia respondetur, quod illud potuit tolerari in Concilio Constantiensi propter schisma, quod tunc vigebat, quia ignorabatur quis esset verus Papa, & ideò Concilium non poterat recipere auctoritatem à Papa, quia tunc Concilium erat supra eos, qui pro Papa se gerebant, eo quod agebatur de causa Papatus, & contra schismaticos, & nutritores antiquati schismatis, vt in cap. si duo 79. dist. Et si benè consideretur, illud decretum videtur speciale de illa synodo tantùm, cum dicit hæc sancta synodus, & cap. alioquin Concilium sumit auctoritatem à Papa, vt patet dist. 17. per tot. & in capit. benè quidem dist. 96. vbi dicitur, quod sedes Apostolica statutis synodalibus tribuit firmitatem. Vnde Sanctus Thomas, vt supra dictum est, in 10. quæst. de potestate Dei, dicit hoc apparere ex decretis Synodi Chalcedonen. in 6. actione vbi Apocrisarij Apostolici auctoritate eiusdem sedis confirmabant, & subscribebant, vt decreta robur obtinerent. Quod etiam patet in fine eiusdem Concilij, vbi Papa approbat illam Synodum quo ad gesta circa fidem, & noluit approbare, quod statutum erat de primatu sedis Constantinopolitanæ post primam, cum tunc nondum esset facta prima post Romanam sicut hodie, vt in cap. antiqua de priuileg. & in cap. sacrosancta iuncto cap. sequent. 22. dist. Idem patet in gestis Nicenę Synodi, quę ipsa misit ad Papam pro approbatione. Vnde text. in cap. significasti de elect. & notat. Abbas Siculus in cap. super quibusdam de verborum significationem dicit, quod Concilia omnia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem facta sunt, & robur acceperunt, & in eorum statutis Romanæ Ecclesiæ patenter excipitur auctoritas, facit text. in cap. dudum 3. q. 6. Item potest responderi ad illud decretum Constantien. quod non fuit decretum vniuersalis Concilij, sed solùm à Patribus obedientiæ Ioannis 23. vt patet in gestis illius Concilij. Immo Ioannes post fugam conquestus est, quod quædam ordinauerant contra auctoritatem sedis Apostolicæ. Et
239 quod dicitur de confirmatione Martini in pertinentibus ad fidem, intelligitur de confirmatione in ijs, quæ statuta fuerant postquam Concilium erat plenè congregatum, & non vnius obedientiæ tantùm. Et si dicatur, quod illud decretum est repilogatum in Concilio Basil. respondetur quod ob id non est tamquam decretum vniuersale existimandum, quia quantumcumque à principio auctoritate Martini fuerit dicta Synodus congregata, tamen quia in multis errauit, non est de illa curandum. Quod patet, quia postea Eugenius non simpliciter omnia decreta, & gesta illius Synodi confirmauit. Nec sequitur fuit legitimè congregata, ergo omnia eius gesta, & decreta sunt firma, quasi à Papa emanantia, quod
240 patet ex 2. Ephesina Synodo vniuersali, quæ fuit legitimè congregata auctoritate Leonis Papæ, & pro causis fidei, & tamen errauit in fide de duabus voluntatibus, & operationibus in Christo, vnde vehementer reprehenditur ab eodem Leone Papa. Et
241 similiter in Concilio Melden. & Aquisgranen. vt in cap. si autem, & in §. hac auctoritate iuncto cap. placuit 36. qu. 2. vbi decretum fuerat non posse raptam contrahere cum raptore, quod auctoritate Hieronymi fuit confutatum. Vnde non sufficit Concilium fuisse legitimè congregatum à Papa, sed etiam requiritur, quod decreta in eo edita sint per Papam approbata, & ab Ecclesia recepta. Et quod decretis Concilij Papa possit derogare, ponit Ludo consil. 332. incipit quo ad primum in fine. Et ibi quod hoc potest ex causa euidenti iusta & rationabili, & quod eius est arbitrari quando sit iusta, & rationabilis allegat gloss. in cap. cùm illorum, in §. quod si claustrales, ver. mutilationem membri, & verb. effusionem sanguinis de sentent. ex-
242 communic. Non obstat, quod dicitur de Papa quod ligatur suo contractu, leg. Cæsar, ff. de publica, & in cap. primo supra allegato, & alijs in eodem proposito adductis. Quia respondetur, quod ista ordinatio Cardinalium si fuit facta per viam constitutionis, licèt tunc transeat in quasi contractum, tamen ex causa potest reuocari per Principem voluit Innocen. in cap. in nostra de iniur. & dicitur in cap. nouit de iudic. & in cap. dilectus de temp. ordin. & in

in cap. 1. & cap. cùm omnes de constit. & Cardin. plenè in repet. cap. perpendimus de sentent. excommunic. & in consil. 147. incipit Dominus noster Papa, & Lapus allegatione 100. quæ incipit, an statutum in vlt. colum. & Ioannes Andreas in addit. Specul. in tit. de censib. §. nunc dicendum, versic. quid si vniuersitas dict. Anton. in cap. 1. de constit. Imol. post alios, & dict. Anton. in 1. & penult. colum. in cap. quæ in Ecclesiarum de constit. & Anton. in c. cum M. 7. colum. eod. tit. & Bald. in leg. qui se patris in 11. colum. C. vnde liberi, & in leg. si cum mihi ff. de dolo Archid. in cap. quicumque 11. qu. 1. Innocen. in cap. nuper de testimon. & Domin. in cap. licèt in princ. penult. colum. de elect. in 6. Anton. in cap. in nostra de iniur. Cardin. in Clement. 1. §. porro in 3. qu. vbi ponit de donatione Constantini de iureiur. Et quod
243 supra dicitur in contrarium quod efficitur irreuocabilis, intelligitur respectu non subditorum, & ita loquitur Innocen. in dict. cap. nouit. à quo omnes alij deriuantur idem tenentes. Et in Papa semper præsumitur causa, vt in capitulo quæ in Ecclesiarum ibi Doct. de constitut. Item respondetur quod talis ordinatio non tenuit ad onerandum futurum Papam, nec in hoc habuerunt iurisdictionem, vt dictum est per gloss. in d. §. irritum in Clement. ne Romani de elect. & cap. vbi periculum eod. tit. in 6. & Petr. de Anchar. in regula accessorium. Et si dicatur facta per viam contractus post assumptionem, adhùc non ligat, vt potè contra potestatem ei à Deo datam. Vnde Ioannes Andreas in cap. Ecclesiæ sanctæ Mariæ de constit. voluit, quod sicut Papa non potest se subijcere iudicio iudicis secularis, quia faceret iniuriam Deo, ita non potest suam Papalem potestatem subijcere consensui Cardinaliũ, quod maximè fieret per illud capitulum, quod vno contradicente non possit Cardinales creare. Item erit nulla ratione suspi-
244 cionis insurgentis ex celeritate actus, quia statim post assumptionem requisitus est, vt confirmaret, ergo sine causæ cognitione, & non videtur factum ex certa scientia, vt in capit. 1. & 2. & ibi notatur de confirm. vtil. vel inutil. Et eodem modo dico de voto, & iuramento inde liberato, vt supra dictum est in iuribus allegatis. Pro ista parte facit 15. quæst. 1. non est, & quod dicit Baldus in leg. Diuus, ff. de in integr. restitut.

Et fortè posset dici meticulosa propter dubium ne Cardinales resilirent in continenti ab electione, facit quod dicitur in leg. interpositas C. de transact. amission. enim lucri, & dignitatis inducit metum dicitur in cap. Abbas quod metus caus. & in leg. non est verisimile §. si fœnerator, ff. quod metus caus. Item potest responderi aliter,
245 quod posito Princeps obligetur ex suo contractu, tamen hic non est propriè contractus, quia non est vltrò, citroque obligatorius, vt in leg. Labeo, ff. de verborum significatione. Immò ex talibus capitulis resultat quoddam dedecus, & ignominia Papæ, quia Cardinales fiunt ei pares, & aliquomodo superiores, ex quo benè deprehenditur, quod non voluntariè confirmauerit, iurauerit, & vouerit. Nec potuerunt Cardinales hoc ab eo extorquere, cùm post assumptionem essent inferiores c. cum inferior de maiorit. & obedien. & cap. innotuit de electio. leg. nam magistratus, ff. de arbitr. Quinimmò posito quod obliga-
246 retur, tamen ratione nouæ causæ potest Princeps infringere contractum à se gestum, vt dicit Bald. in leg. fin. ff. de Senat. & Imol. & dict. Anton. in cap. cum M. in 4. colum. de constit. Hinc dicunt Doct. in c. quanto de iureiur. quod licèt Princeps faciendo pacem cum hostibus non possit remittere damna data subditis sine consensu subditorum, tamen illud est verum, nisi agatur de bono publico, puta si non posset aliter haberi pax, & expediret populo pacem fieri, quia etiam sic præiudicat subditis, cum tunc vtiliter geratur eorum negocium. Quod etiam ponunt Doct. in c. in nostra de iniur. & Legistæ in leg. venia C. de in ius vocan. & in summa Ange. in verbo bellum, in Pisanella eodem verbo, & Franciscus de Platea, in tract. restitutionum in §. 74. & summa Baptistina in verbo bellum, & Rosarius eodem verbo, & remissiuè per Balencinum in dicto capitulo quanto de iureiur. Vnde quod plus est, licèt Princeps non possit auferre dominium rei meæ sine causa tamen cùm causa poterit, quando agitur de bono publico leg. item si verberatum, ff. de rei vendit. & leg. venditor §. constat, ff. communia prædiorum, & in leg. Lucius, ff. de euict. & latè dicitur in cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. Et sic patet quod etiã si concedatur Papam huiusmodi ordinationibus ligari, tamen ratione publicæ vtilitatis, & necessitatis poterit contrauenire illis capitulis, publica autem vtilitas, & necessitas posset oriri ex multis, putà quia indiget persona digna, quam mittat legatum de latere, & sic de similibus. Et per hoc respondetur ad omnia illa, quæ sunt adducta ad corroborationem, quod Princeps ligatur ex contractu, & quod non potest reuocare infeudationes, & similia. Non
247 obstat, quod dicitur, quod potentior est prohibitio, quæ fit per viam legis, vel constitutionis, quàm quæ fit simpliciter, quia illud est verum respectu inferiorum, qui constitutione, & lege magis ligantur, quàm simplici prohibitione, secus in Papa qui est supra legem, vt in leg. digna vox C. de ll. cum sim. ad id autem quod dicitur, quod
248 Deus posuit in ore Principis illud verbum pacta seruabo, satis ex prædictis est responsum, quia intelligitur quando pacta sunt licita, & licito modo contracta, & non quasi per extorsionem. Vnde etiam dici potest quod Deus posuit in ore prætoris, gesta per metum rata non habebo, vt dicit Bald. in tit. de controuersia inuestit. in princ. in vsibus feud. Item respondetur, quod ista propriè non sunt pacta, sed quædam ordinationes iuratæ, & votatæ, vt dictum est, & nullam continent stipulationem, & sunt de ijs, quæ concernunt Pontificalem potestatem, & vbi subest causa etiam pacta rescinduntur. Vnde dicit text.

ff. de

249 ff. de pact. leg. iurisgentium in §. & generaliter, quod quotiens pactum à iure communi remotum est, seruari hoc non oportet, & sit interposita de ijs, pro quibus pacisci non licet seruanda non est, sed omninò rescindenda, nec iusiurandum de hoc exactum seruare oportet. Et text. in §. sed si fraudandi iunctos. præceden. dicit quod pactum fraudandi causa factum, est iniquum, aut superuacuum. Et ex pacto interdum actio nascitur, vel tollitur quotiens lege, vel Senatusconsulto adiuuatur, leg.
250 legitima ibi gloss. ff. eod. tit. Ad illud, quod dicitur, quod debet esse differentia inter absoluentem, & absolutum, respondendum est supra ex adductis pro ista parte negatiua. Vbi datur responsio per Felin. in dict. cap. 1. de constitut. Et sic etiam cum dicitur, quod quis non auctorizatur in facto proprio, respondetur quod est verum in inferiore se, secus in Papa, vt in cap. cum venissent, de iudic.

Quod autem dicitur, quod quando iuramentum, seu votum est in fauorem tertij, requiritur causæ cognitio etiam in Papa super iustitia causæ, non obstat, quia intelligitur de licito obligatorio iuramento, quod non est in casu nostro, vt dictum est. Item intelligitur in iuramento præstito per inferiorem, & inferiori, quia propter ius tertio quæsitum requiritur illius citatio, vt dicto capit. 1. de causa possess. & Clement. Pastoralis, de re iudic. Nos autem sumus in Papa, qui iurauit inferiori, & qui non potest accusari ab aliquo, nec habet superiorem, coram quo possit cognosci, vt in capit. licèt, de elect. nisi tantùm in causa hæresis, vt dicto cap. si Papa dist. 40. & supra sæpiùs dictum est. De quo vide in Specul. in tit. de accusato, in versic. item Papa, & Imperator. Non obstat etiã,
251 quod dicitur de statu aristocratico, & de Ecclesia Triumphanti, ad cuius instar debet esse ista Militans, & quod Petrus non solus, sed nomine omnium dixit constituamus viros boni testimonij super hoc opus. Quia conceditur, quod ità etiam cum consilio Cardinalium debent ardua ex quadam honestate explicari, sed non propterea dicitur, quod Moysis potestas, vel Petri sine consultoribus esse non possit. Et si in actu requiritur consilium, non sequitur, quod sit de necessitate sequendum, vt in cap. cùm in veteri, cum concordant. de elect. Nec per hoc, quod Papa ex causa creat contra illa capitula Cardinales, tollitur status aristocraticus. Nec legitur in Veteri Testamento, quod per capitula Moyses à Consultoribus, vel Petrus ab Apostolis, vel viris boni testimonij fuerit aliquando adstrictus ad certum modum gubernandi Ecclesiam, & quod nihil posset facere, etiam vno tantùm contradicente. Item negatur, quod regimen mixtum sit melius. Immò, vt dicit Abbas Siculus in capit. nouit in 3. colum. & 12. metaphys. multitudo Principatum mala est. Item 70. Seniores, qui erant sub Moyse iudicabant causas minores, sicut sub Papa Episcopi, & alij inferiores de Ecclesia, vt in capit. Cleros, & capit. in nouo, cum duobus sequentibus dist. 21. Quod autem dicitur, quod Principatus aristocraticus sit melior monarchico, contrarium probat text. in capit. legimus dist. 93. vbi redditur ratio cur fuerit institutum, vt vnus præesset omnibus, & supra ostenditur, & dicetur latiùs in quæstione, an Papa sit maior Concilio.
252 Ad id, quod dicitur de electione Matthiæ dicit Petr. de Palude in suo tract. de Ecclesiast. potest. quod solus Petrus hoc facere poterat. Si ergo cum alijs fecit admittendo eos ad sortem, vel cum ipsis instituendo Diaconos septem, hoc fecit dans exemplum successoribus suis, quod solus non haberet potestatem sine alijs; vndè aliquando nominantur Apostoli, ali quando Petrus, vt appareat, quod eorum consilio faciebat, & non quod ad hoc necessitaretur. Et benè est text. in capit. in illis dist. 80. vbi dicitur, quod Petrus in Ciuitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, præcepit poni Episcoporum, Primates, & Patriarchas. Et ponderandum est, quod dicit, [poni præcepit,] quia per hoc tollitur, quod dicitur in cap. præceden. quod Apostoli, & successores posuerunt, intelligitur enim præcepto Pe-
253 tri, & successorum. Ad illud de institutione status assistentium, dicendum est necessarium esse aliquos assistere Papæ, à quibus accipiat consilia, vt sunt Cardinales, qui successerunt Apostolis. Sed sicut Petrus non tenebatur de necessitate sequi Apostolorum consilia, ità nec Papa, qui potest etiam ab alijs, quàm à Cardinalibus accipere consilium, vt dist. 12. quæst. 2. Ecclesiasticis, & dist. 16. qu. 1. cap. in Parochia, & dist. 1. quæst. 7. capit. conuenientibus.
254 Quod autem dicitur, quod plenitudo potestatis est in tota Ecclesia, vndè dispensare contra tales ordinationes non potest solus Papa sine Cardinalibus. Respõdetur, quod plenitudo potestatis aliter, & aliter est in Ecclesia, & in Papa, quia principaliter in Papa, vt latè dico in articulo, an Papa sit maior Concilio. Item non sequitur, quia in tali dispensatione non requiritur potestatis plenitudo. Item quia tales ordinationes non ligant, vt dictum est per §. cæterùm, & alia ad hoc adducta. Et non est necessarium, quod absolutio à iuramento, vel voto, fiat ex plenitudine potestatis. Nec est verum dicere, quod plenitudo potestatis non sit in solo Papa, vt patet in capit. ad honorem, de auctorit. & vsu pal. Quod patet ex capit. quamuis dist. 21. vbi dicitur, quod Romana Ecclesia non Synodicis institutis prælata est super alias, sed voce Dei, dicentis ad Petrum, [Tu es Petrus, &c.] certum est autem, quod tunc Petrus nondùm erat Episcopus Romanus vocatus, ergo prælata est alijs, quia ille, qui fuit eius Pastor prælatus est alijs, & sic ponitur Ecclesia pro Prælato. Facit illud Matth. 18. [si te non audierit dic Ecclesiæ,] vbi gloss. in prælato, de quo in cap. nouit, de iudic. & de hoc dicetur aliquid infra. Et quod sit in solo Papa ista plenitudo potestatis, text. est formalis in Clement. Pastoralis in fin. de re iudic. de quo dicam in

artic. an Papa sit maior Concilio. Non
255 obstat, quod dicitur, quod dictum iuramentum fuit appositum super eo, ad quod tenebatur virtute Constitutionis Conciliaris, & quod propterea non potest absolui, nec tolli sine Concilio; quia, vt supra dictum est, Papa non est suppositus illi Constitutioni frequens, & solus potest tollere Constitutiones Conciliares; nec requiritur absolutio, vbi non est iuramenti obligatio, capit. quanto, de iureiuran. Et, vt dictum est, non dicitur voti transgressor, qui illud implere differt, vel in melius commutat, vt in cap. scripturæ, & cap. non est de voto, & cap. peruenit il 2. de iureiuran. Nec in ea parte, vbi vno tantùm contradicente impeditur creare Cardinales roboratur iuramentum aliqua Conciliari Con-
256 stitutione. Et ex causa superuenienti omninò potest venire contra suam promissionem, maximè in illis pertinentibus ad potestatem eius, quæ non propriè transferuntur, vel communicantur, nec ex promissione alteri acquiritur aliquid, sed tantùm restringitur Papæ potestas, vt est promissio de non creando Cardinales, vel de tenendo Concilium. Ad hoc est, quod dicit Bald. in leg. fin. ff. de Senato, & Imol. post Anton. in columna 4. in cap. cum M. de constitut. & quod diximus supra post dictum Innocent. quod ponunt Abb. & alij in cap. nouit, de iudic. Facit, quod dicitur in cap. fin. de donat. & in cap. ad Apostolicam, de simon. in cap. fin. de rescript. in 6. & in cap. 1. de concess. præbend. eodem libro.

257 Ad illud, quod dicitur, quod non potest dispensare contra statutum Concilij, quando illud reuocando, decoloratur vniuersalis status Ecclesiæ. Respondetur, quod non tollitur statutum Concilij de tenendo Concilio, nec reuocatur, nec ex non obseruatione promissionis, & absolutione à iuramento decoloratur status vniuersalis Ecclesiæ, ex quo promissio fuit illicitè extorta. Immò conforme est vniuersali Ecclesiæ, quod ab illicitis promissis, & iuramentis quis absoluatur, cap. debitores, & cap. peruenit, & capit. si verò, de iureiuran. Non obstat, quod pro reformatione nostris temporibus maxima est necessitas tenendi Concilium, quia posset respondere Papa volo tenere Concilium; sed si adstringat ad certum tempus, & extorqueatur obligatio in congruo tempore non teneor ex tali promissione, & obligatione capitulorum, quamuis teneat ob necessitatem imminentem, cui prouidere spectat ad Papam ex sua libera potestate, vt patet per totam
258 dist. 17. Et multa sunt, quæ reuocantur quantumcumque sint iusta, quia non sunt bene ministrata, sicut dicitur de statutis concessis Marchianis, quæ fuerant inconsultis Cardinalibus concessa, vt ponit Io. Andr. in dicto cap. super eo, de hæret. in 6. & in simili patet prima quæst. per totum,
259 & quæst. 4. eadem causa. Ad illud, quod dicitur, quod Papa debet explicare ardua cum Cardinalibus, respondetur, quod communis opinio est in contrarium. Gloss. est singularis, quam ibi notat Abb. in Clem. ne Romani, de elect. Facit cap. conquestus, & capit. ipsi, & capit. cuncta per Mundum dist. 9. quæst. 3. & quæ dicit Archidiac. in capit. quæ ad perpetuam, & in capit. sunt quidam dist. 25. qu. 1. & in capit. quamuis, de offic. ordin. in 6. & Albericus in rubr. & in leg. humanum, C. de ll. & in authent. habita, C. ne filius pro patre, & Geminian. in cap. super eo, de hæret. in 6. & in cap. 1. de schisma eodem lib. Et Abb. in cap. 2. de Cler. non resid. vbi vult, quod non valeat consuetudo, quod Papa non possit creare Cardinales sine consensu Cardinalium. Consuluit Paul. de Castro cons. 280. incipit in facto præsenti in penult. col. & Domin. Anton. in capit. sanè, de Clericis coniug. Ægid. in cap. non liceat Papæ dist. 12. q. 2. in col. 21. Et ista est communis opinio, vt patet etiam in alijs locis supra in 8. motiuo adductis, & ex alijs infrà plenissimè
260 allegatis. Et cum dicitur, quod Cardinales sunt in quasi possessione sic faciendi, & quod de hoc est consuetudo antiqua, respondetur, quod consuetudo contra Papæ potestatem nihil operatur, cap. quanto cum materia, de consuetud. Sicut nec præscriptio, vt ponit Bald. in authent. quas actiones, Cod. de sacros. Eccles. Item ista quasi possessio non acquiritur ex actu liberalitatis, & decentiæ, iuxtà posita in leg. si certis annis, ff. de pact. de quo vtrùm obstet temporis cursus, infrà pleniùs dico. Sic etiam dicitur de Imperatore, quod solus sine suis Baronibus potest exercere ardua, vt dicit Hugo in cap. leges distinct. 4. & refert Domin. in dicto capit. super eo.
261 Non obstat, quod dicitur, quod votum fit Deo, & est de iure Diuino, & non potest ei contraueniri, quia illud est verum quando votum habet sua concomitantia, per quæ aliquis ligetur. vt supra dictum est. Quod non est in proposito, quia videtur potiùs extortum, quàm vltrò emissum, & Deus iudicat Papam 9. quæst. 93. facta.

262 Ad vltimum, dùm dicitur, quod si potest renunciare Pontificatui, multò magis se adstringere potest ad certa capitula. Respondetur, quod plùs est restringere Pontificalem dignitatem ratione contradictionis, & perplexitatis, quàm in totum cedere Pontificatu. Item dubitat in mente sua vtrùm voluerit se adstringere. Item adest modus, qui irritat actum quantumcumque de se licitum, quia antè, & incontinenti post assumptionem iuramentum, & votum extortum est.

263 Ad auctoritatem Cardin. in dicto cap. licèt, dico, quod non est vera, quia immò plenitudo potestatis est in solo Papa, sine Cardinalibus, vt dixi supra, ponderando cap. quamuis distin. 21. & illud Matth. 18. & text. in dicta Clementina Pastoralis in fine, de re iudicat. Ad quod facit, quod dicunt Doctores ex sententia Cyrilli, & Chrysostomi, quod aliæ potestates sunt ab hominibus, ideo detrahere potestati aliorum est iniustitia, sed qui detrahit potestati Papæ, quæ à Deo est in Euangelio, & Scripturis sanctis posita, in hæresim labitur, 22. dist. cap. omnes, dum etiam aliter inter-

interpretatur scripturas, quàm Spiritus sanctus efflagitat, 24.qu.3. cap. quidam in
264 fin. Et si dicatur quod quando Petrus claues accepit Ecclesiam significauit, vt videtur sonare text. August. in cap. quodcumque ead. causa quæst.1. & August. in sermone de Apostolis dicit, quod Petrus Ecclesiæ personam gessit, & dico infra in quæstione, an Papa sit maior Concilio, & sic quod quæ dicuntur de Petro, intelliguntur de Ecclesia habente potestatem, quæ quia non potest esse semper congregata, loco eius sunt Cardinales, & sic quia claues sunt in Papa cum Cardinalibus. Respondetur, quod text. in dicta Clem. Pastoralis, tollit contrarium, quæ vult quod plenitudo potestatis est data Papæ in persona beati Petri. Item respondetur, quod claues non possunt dici datæ congregationi, quia aut essent datæ toti simul congregatæ, vel Concilio ipsam repræsentanti, & tunc non posset absolui, vel ligari nisi ab Ecclesia congregata, vel Concilio, aut essent datæ singularibus de Ecclesia, & tunc sequeretur quod pueris, & mulieribus essent datæ claues. Oportet ergo dicere, quod accepit Ecclesia claues, vel Petrus pro Ecclesia, in quantum non accepit, vt ipse solus claues exerceret, sed etiam alij eius successores, qui futuri erant in Ecclesia, & vt ad alios Prælatos per Petrum potestas clauium deriuaretur, vt dicit sanctus Thom. in 4. sentent. 24. qu.3. art.2. quæstiunc. 3. ad primum argum. & in dist. 4. contra gent. cap.76. Qua propter ista potestas non potest esse in multitudine, vel communitate, sed in vno tantùm. Vnde dicit Innoc. in cap. cum accessissent de constit. quod cum Vniuersitas habet Rectorem, iurisdictio non est penès Vniuersitatem, sed penès Rectorem. Et beatus Cyrillus Episcopus Alexandrinus, vt refert idem sanctus Thom. in opusc. contra errores Græc. dicit, vt membra maneamus in Capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes præ omnibus, quoniam ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, & soluere, & ligare loco illius, qui ipsum ædificauit, & nulli alij quod suum est plenum, sed ei soli dedit, cui omnes iure diuino Caput inclinant, & Primates mundi tamquam ipsi Domino Iesu Christo obediunt. Et ideo Romana Ecclesia repræsentatur in Papa, secundùm Archid. in cap. 2. de præscript. in 6. & in cap. fundamenta de elect. eod. lib. & Bald. in Authent. quas actiones, C. de sa-
265 crosanct. Eccles. Vnde cum sit mentio de Romana Ecclesia, vel de Sede Apostolica, etiam potest intelligi de Papa sine Cardinalibus. Pro hoc est, cap. sacrosancta Romana Ecclesia, non ab Apostolis, ab ipso Saluatore nostro Primatum obtinuit, sicut beato Petro Apostolo dixit, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] 22. dist. ad idem text. in cap. ad Romanam Ecclesiam, il 1. & 2. 2. qu.6. Et non dubium est, quod taliter appellans intelligitur appellare ad Papam, vt patet in capit. per principalem, 9.qu.3. ad idem in cap. cuncta per mundum, ead. causa, & quæst. & probatur in cap. nemo, iuncto principio, cap. sequentis, ead. causa, & quæst. Vnde beatus Bernardus. & Eugenium inquit, de toto mundo appellatur ad te. Et in Concilio Constantinopolitano dicitur, si quæstio veniat in Concilium de Romana Ecclesia, non liceat dicere sententiam contra Summos Senioris Vrbis Romæ Episcopos. Et idem Bernard. ad Eugenium dicit: cæteri in partem sollicitudinis vocati sunt, tu verò in plenitudinem potestatis. Conceditur ergo quod Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia accipitur pro tota congregatione Cleri cum Cardinalibus, & Papa tamquam cum Præsidente, in quo priuilegia Sedis, & Ecclesiæ Romanæ quo ad Primatum, & potestatis plenitudinem totaliter resident. Vnde text. in Clem.1. de iureiur. dicit, quod Romanæ Ecclesiæ Caput est Christus, & Romanus Pontifex eius Vicarius, & clariùs text. in Clement. Pastoralis, de re iud. Et quod
266 solus Papa possit creare Cardinales, benè facit, quod omnis potestas Ecclesiastica, aut est ordinis, aut iurisdictionis, vt dicit sanctus Thom. in dicto cap.76. quarti, contra gent. dicitur in cap. transmissam, de elect. & in cap. aqua, de consecr. Ecclesiæ, vel Altar. facit quod dicitur in cap. fin. de elect. Si loquimur de potestate ordinis, nulli dubium est quod solus Papa potest quoscumque, vel Episcopos, vel Presbyteros, vel Diaconos ordinare, text. est in cap. in nouo 21. dist. & in dicto cap. quanto, de consuet. Si de potestate iurisdictionis, vt est dare administrationem, est text. in cap. quia diuersitatem, in parte decisa, de concess. præben. vbi dicitur, quia diuersitatem corporum sæpè sequitur diuersitas animorum, ideo potestas iurisdictionis à prin-
267 cipio fuit vni collata, quasi dicat, quod multitudo potestatum est mala ratione contrarietatis quæ sequitur ex varietate animorum, & ideo vnus datus fuit princeps in omnibus Papa. Et hoc in effectu dicit idem Thom. in dicto cap. 76. in 4. contra gent. pro hoc etiam facit quod potestas data fuit Petro in singulari, vt ibi dicitur [Tibi dabo claues, &c.] Matt.16. & [pasce oues meas, &c.] Ioann. vlt. & [quodcumque ligaueris, &c.] Matt. 16. & capit. solitæ, de maior. & obed. & cap. quodcumque, 24.qu.1. Et ideo innuit text. in dicto cap. in nouo, 21. distinct. quod solus acceperit potestatem iurisdictionis ligandi, & soluendi, sed cæteri Apostoli pari consortio potestatem acceperunt ordinis, vt dicit ibi gloss. ad idem, 24. qu. 1. cap. loquitur. Vnde Petrus primus accepit potestatem iurisdictionis, licèt simùl fuerint ordinati Sacerdotes. Et si primus accepit iurisdictionem, in hoc non erant pares, 2. qu. 7. cap. puto, nam si alij Apostoli accepissent simùl potestatem à Christo immediatè, sicut Petrus tunc non vnùs primus accepisset, nec ab vno profecta esset in plures tamquam à capite, contra dict. cap. loquitur, 24.qu.1. & cap. ita Dominus, 19. distinct. Ergo potestas Petri descendit in alios, pro quo

quo bonus text. in cap. fundamenta, de elect. in 6. Pro hoc etiam faciunt infinitæ auctoritates, in quibus ostenditur quod in singulari nominatur Petrus. Vnde sanctus Thom. in opusculo contra errores Græcorum, cap. 66. referendo Cyrillum Patriarcham Alexand. dicit, quod sicut Christus accepit à Patre plenissimam potestatem, ita & Petro, & eius Successoribus plenissimè commisit, & nulli alij, quàm Petro quod suum est plenum, sed ei soli dedit, vt paulò ante tactum est. Et plures auctoritates similes colliguntur ex relatione ipsius Sancti in dicto primo opusculo contra errores Græcorum, cap.64. 65. 66. 67. & 68. Et in fine refert Chrysost. dicentem ex persona filij loquentem, [pasce oues meas] idest loco mei præpositus esto fratrum. Et idem Sanctus in 4. contra gent. dicit, quod soli Petro dixit [tibi dabo claues regni Cœlorum, vt ostenderetur, quod potestas clauium erat per eum ad alios deriuanda. Vnde ex præmissis patet quod in solo Papa est potestatis plenitudo; Pro quo ille text. notabilis in dicta Clem. Pastoralis, de re iudic. in fin. vbi dicitur, quod Christus dedit plenitudinem potestatis Romani Pontificis in persona beati Petri, & est text. in parte decisa in dicto cap. quia diuersitatem. Et in persona beati Petri dictum est, & successoribus eius, [pasce oues meas,] vt dicit text. in capit. solitæ, de maiorit. & obedient. Et de hoc latiùs dicetur in artic. an Papa sit supra Concilium. Quæ potestatis plenitudo potest quicquid vult, vt dicit Bald. in cap. 2. de constitut. & est supra debitum officij Pontificalis, vt dicit text. in cap. 1. vt Eccl. bened. Vndè miror, quomodo aliqui velint, quod per capitula possit potestas Pontificalis adstringi. Et si dicatur pote-
268 statem datam Papæ ad ædificationem, non ad destructionem, iuxtà Apostolum 2. ad Corinth. vlt. non sic intelligitur, quod solùm possit ea, quæ ad ædificationem tendunt, sed quod potestas ei data est ad finem, vt ædificet, sicut dicimus, quod homini datus est intellectus, & liberum arbitrium ad benè operandum, siue, vt benè operetur, & tamen non est necessè, quod quicquid agit per intellectum, & liberum arbitrium sit opus bonum. Sed dicat mihi, qui vult Papam astringi ad obseruandum iuramentum, & votum, quæ honestas patitur, & quæ est ædificatio, quod Papa etiamsi sit necessè, & Ecclesiæ expediens non possit creare Cardinales vno tantùm contradicente? Ista non est ædificatio, sed vera destructio, & contra iuris dispositionem, quæ vult, quod factum à maiori parte teneat, vt de ijs, quæ fiunt à maior. par. Capit. per tot. Et si rectè inspiciatur, inter illa capitula Conclauis sunt aliqua, quæ directè tendunt contra potestatem Pontificalem, & ad vtilitatem particularem ipsorum Cardinalium, vt patet in capitulis reseruationum, & regressuum, & similium.
269 Et si dicatur, quod saltèm teneatur infrà biennium tenere Concilium, quia sapit publicum bonum, & non debet vtile per inutile vitiari. Respondetur verum esse, quod vtile, quod est separabile ab inutili non debet vitiari per inutile, nisi illud vtile causetur ab inutili, quia tunc etiam vtile vitiatur, ff. de verborum obligat. leg. 1. §. si quis ità, & C. de fideiuss. leg. cùm lex, & C. de legibus, leg. non dubium. Ità ponit Iacobus de Aret. vt refert Cyn. in leg. scimus, C. de donat. & refert Ioann. Andr. in regula vtile in Mercur. Ità est in proposito, quia licèt tenere Concilium infrà biennium sit in se vtile, tamen causatur ab inutili, hoc est ab illicita promissione facta in Conclaui, & in assumptione Papæ, & statim post, quæ est improbata, vt in capit. sicut nostris, de iureiurand. & in capit. Artaldus dist. 8. qu. 3. & supra dictum est.
270 Et si benè aduertatur, Doctor. tenentes quod Papa tenetur ad obseruationem iuramenti, & quod non potest creare Cardinales contra iuramentum, non loquuntur simpliciter, sed in casu Gregorij, & Benedicti, qui quicquid iurauerant, fecerant pro sedando schismate, quod aliter non poterat sedari, & ideo in casu illo tenebantur ad obseruationem iuramenti, sed secus vbi non subest aliqua causa maioris boni si exigitur ante, vel in ipsa promotione iu-
271 ramentum. Non obstat text. in cap. per venerabilem qui filij sint legit. Et ad id, quod ibi dicitur de Sacerdotibus Leuitici generis, quod sunt fratres Papæ, qui ei in executione sacerdotalis officij coadiutores existunt, ex quo Papa de iure diuino tenetur exercere ardua cum eis, vt videtur velle ibi sumere argum. Abb. Sicul. & Alexandr. Respondeo non solere dici ex illa auctoritate, quod de iure diuino Cardinales sint coadiutores Papæ in executione officij Papalis. Et si tenemus quod dicit Abb. & Alexand. quod Cardinalatus sit de iure diuino ex illa auctoritate, Deut. 17. de quo vide, quod supra dixi in proprio articulo, adhùc ex illa non sequitur, quod Papa solus non possit ardua explicare sine eis, si eorum consensum, vel consilium habere noluerit. Immò versiculus immediatè sequens, scilicet in vero super eos ostendit contrarium, cùm dicit, quod tantùm successori Petri dictum est, [quodcumque ligaueris, &c.] Et sic Papæ soli, qui reputatur Iudex cum Sacerdotibus Leuitici generis. Ille enim versiculus in verbo super eos, exponit, quod supra dixerat, & ad Iudicem, vt dicit Io. Andr. Vndè ex illo text. non habetur, quod solus Iudex sine Sacerdotibus Leuitici generis non possit iudicare ardua. Item potest dici, quod illud erat præceptum iudiciale, vt ibi patet, ideò non obligat in Nouo Testamento, nisi ex noua institutione; quapropter nunc non est de iure Diuino. Multa enim erant
272 in Veteri Testamento de iure Diuino, quæ modò non sunt in Nouo Testamento, vt ceremonialia, & iudicialia, vt est clarum apud Theologos. Et in primis apud sanct. Thom. in prima secundæ quæst. 104. art. 3. & ad hoc est gloss. Nicolai de Lira, Exo. 21.
273 Non obstat, quod dicitur eodem cap. in vers. sanè, quod ex vi vocabuli Deuteronomium comprobatur, vt quod in veteri lege decernitur in Nouo Testamento debeat obser-

obseruari. Quia intelligo in hunc sensum, quod illud, quod fuit statutum, quod in arduis recurratur ad Sacerdotes Leuitici generis, & Iudicem, qui fuerit illo tempore, debet obseruari in Nouo Testamento, hoc est, quod in arduis debet recurri ad Papam tamquam ad supremum Iudicem, & ad Cardinales tamquam Sacerdotes Leuitici generis in executione officij Papæ coadiutores, non quod ipsi soli iudicent, vel quod Papa non possit iudicare
274 sine illis. Item potest aliter respondere, quod iudicialia non sunt sublata taliter, quod illorum obseruatio obliget ad peccatum, sed tantùm quia non obligant in lege noua, vt dicit Nicolaus de Lira in dicto cap.21. si tamen seruarentur tamquam ex lege veteri obligatoria, esset mortiferum, vt dicit ibi Nicolaus. Quod autem
275 Papa arguit ibi ex vi vocabuli Deuteronomium, quod secunda lex interpretatur, & Euangelium significat, vt dicit glossa beati Hieronymi Deuteron. 1. non videtur ità accipiendum, quod sicut tempore veteris legis ex vi illius text. Deuteron. 17. in arduis recurrendum erat ad Sacerdotes Leuitici generis, & Iudicem pro tempore existente, ità necessariò faciendum sit in Nouo Testamento, sic vt illius præcepti omissio obliget ad peccatum, taliter, quod aliter fieri non possit, nisi omitteretur ex contemptu. Nec ex hoc habetur, quod Iudex Leuitici generis haberet de necessitate cum Sacerdotibus iudicare. Quinimmò glossa Nicolai in dicto cap.17. dicit, quod interdum vtrumque officium, Sacerdotis, & Iudicis, concurrebat in eadem persona, sicut fuit in Heli summo Sacerdote, vt patet 1. Reg.1. & 4. Et quod etiam poterant diuisim causas decidere, quia in spiritualibus causis habebatur recursus ad summum Sacerdotem, & in temporalibus ad Iudicem. Et subiungit, quod hinc inoleuit consuetudo, quod ab inferioribus Iudicibus Ecclesiasticis appellatur ad Papam, & ab inferioribus Iudicibus secularibus ad Regem, seu Imperatorem. Et ex hoc col-
276 ligitur, quod sit vera conclusio, quam ponit Abb. & sequitur Alexand. in dicto cap. per venerabilem, quod est de iure Diuino, quod Papa non possit explicare ardua sine Cardinalibus, quia hoc non sequitur necessariò ex illo text. Et propterea Io.Andr. ibi in verbo fratres nostri, intelligendo illum text. loqui in Cardinalibus, dicit, quod decet Papam omnia illis communicare; quod verbum [decet] importat honestatem, vt in capit. cùm non deceat, & in cap. fundamenta, de elect. in 6. Vndè cùm ille text. in dicto cap.per venerabilem dat normam, dicendum est, quod illam dat subditis, non Papæ, qui nec seipsum, nec successorem potest ligare, cap. innotuit, de elect. & Clement. ne Romani, eod. tit. Seruare tamen debet illam de honestate ad euitandum peccatum, & scandalum, non ex necessitate.

Et quoad id, quod dicit Ioan. Monach. de collationibus Episcopatuum, & Abbatiatum, quod fuerunt reuocatæ in dubium, & aliquæ earum cassatæ, Io. Andr. ibi in dicto cap. super eo, miratur, quod fuerunt cassatæ illa promotiones. Verùm non mirum, quia eadem potestate cassare poterat illas successor, qua prædecessor concesserat, dicto capit. innotuit, & Clement. ne Romani, de elect. cum similibus. Ad hoc facit, quod dicit Io. Andr. in cap. cùm ex eo, de pœnitent. & remiss. allegando Innocent. quod Papa potuit inferioribus Prelatis restringere potestatem dandi indulgentias, quia hæc potestas ipsorum ab eo
277 est. Similiter non obstaret si allegaretur promissio facta à Bonifacio VIII. à quo similia capitula inchoarunt, & posteà per multos Pontifices replicata sunt in principio assumptionis, scilicet, quod Papa promittit se cum consilio Cardinalium recturum Ecclesiam, quia per hoc nõ potuerunt ligari successores, dicto cap. innotuit. Et ex proprio iuramento non potest suã plenitudinem potestatis restringere, quin cõtrafaciẽdo valeat, quod facit per supradicta pro ista parte, cùm non propterea quia sunt facta per multos post Bonifacium plus ligent successores, quàm facerent capitula in corpore iuris clausa, quibus non ligatur, vt in allegato cap. proposuit, facit quod dicitur in c. fin. in fi. de rescript. in 6. Nec suffra-
278 gari potest temporis longitudo, quia vt diximus contra præscriptionem Papa dispensat, quia est ius, quod acquiritur ex dispositione à iure communi causata d. cap. quæ in Ecclesiarum de constit. Facit quod dicit Bal. in l. 2. in 6. col. versic. sexto quæro C. de seruì. & aqua. videlicèt quod contra plenitudinem potestatis Papæ non potest præscribi 16. quæstio quarta volumus. Et si dicatur, quod tempus cuius initij memoria hominum non est in contrarium, operatur in istis, quæ sunt reseruata Principi, vt etiam ex cursu tanti temporis per inferiorem possint acquiri, vt dicitur in dic. cap. per venerabilem versic. videbatur, qui filij sint legi. & in cap. super quibusdam de verb. signi. & ponit Bart. in l. infamem ff. de public. iudi. & in l. 1. ff. de aqua plu. arcen. & dicitur in cap. cum nobis de præscrip. Primò respondetur quod si considerentur tempora non fuit hoc seruatum per tempus, cuius initij non sit memoria in contrarium, quia non multò post secuta sunt tempora Vrbani VI. sub quo incæpit schisma, quod durauit vltra 40. annos, quibus non currit præscriptio, vt dicitur in cap. 1. de præscript. posteà creato Martino, & eo mortuo successit illi Eugenius, & ab illo tempore citra numquam fuit tentum Concilium. Vnde si capitula à tempore Bonifacij habebant quod teneretur Concilium intra biennium, patet quod non fuerunt in obseruantia, & tempore meo non vidi aliquem ex summis Pontificibus, qui illa seruauerit, sed bene contrauenerunt. Vnde non potest allegari talis præscriptio.
280 Ad quod facit, quod dicit Pau. de Cas. cons. 280. incipit. in facto præsenti, quod licèt alias in casibus alienationum interuenire consueuerit subscriptio Cardinaliũ, quod habet concomitantiam, cum dispositione iuris 12. quæst. 2. cum redemptor 35. qu. 9. cap. quis, & notatur in cap. cùm à

nobis

nobis, de restit. tamen Papa ad hoc non astringitur si non vult, sicut nec tenetur alia expedire de consilio fratrum Cardinalium, si non vult, vt ibi dicitur, & in cap. non liceat Papæ, eadem causa, & qu. quia non potest ei dici cur ita facis, vt dicit gl. in cap. quanto, de transl. præla. & ibi alle-
281 gat plures concordantes. Item secundò respondetur quod contra plenitudinem potestatis Papæ, quia illam habet à Deo non cadit aliqua præscriptio, etiam per tempus, cuius initij non extat memoria, vt ponit Innoc. in cap. bonæ, el. secundo de postu. præla. & Archi. in cap. volumus 16. qu. 4. & Abb. in cap. omnis anima de cens. & in capit. cum instantia ad fi. eod. titulo & in cap. ad audientiam in fin. & in cap. cum nobis de præscrip. & in cap. vouit. 10. colum. de iudi. & in cap. fin, in 1. notabili. de constit. & in cap. cum contingat. 1. colum. de foro competent. & idem Anton. ibidem in versic. dic. quædam in 11. colu. Bal. in authen. quas actiones, C. de sacrosanctæ Ecclesiæ, & melius in repe. l. 1. in 10. colum. versic. quid ergo dicemus C. de emancipa. libe. & in l. fi. post prin. ff. de iustitia, & iure, & idem Abb. in cap. primo ad fi. vt lite pen. & idem Bald. in dicta l. 2. C. de serui. & aqua. Et in proprijs terminis, quod Cardinales non possunt præscribere quod Papa non possit exercere ardua sine requisitione, & consensu ipsorum, ponit idem Abb. in cap. ex gestis de cleric. non resi. Et ratio est, quia esset præscribere contra supremam potestatem, quam habet à Deo, & in effectu esset præscribere contra Deum, quasi præscribens nollet eius Vicarium in superiorem. Et idem Pau. de Castro in dicto consilio 280. in antepenul. columna, & vide Doct. in cap. sacrosancta in in 2. colum. 22. dist. Et quod non possit præscribi contra supremam potestatem, vide Imo. in cap. quanto de consuet. & in cap. primo post. Butri. de consti. Non obstant in contrarium adducta dict. cap. per venerabilem, & cap. super quibusdam, quia non loquuntur in plenitudine potestatis, sed in ijs, quæ competunt Papæ ratione cuiusdam specialis prærogatiuæ, non in signum supremæ potestatis, vt vide Abb. in dicto capitulo cum nobis, & Areti. in l. more in quarta colum. versic. tu dic. ff. de acqui. hæredi. De quo per Felin. qui allegat istos, & plures alios concordan. in d. cap. cùm nobis, & in rub. de constitutionibus.

282 Non obstat quod dicitur, quod Cardinales sunt pars corporis Papæ, quia illud intelligitur respectu læsionis, quia si læditur Cardinalis videtur lædi in honore etiam Papa, iuxtà cap. Fœlicis, de pœnis. Item intelligitur per similitudinem, inquantum non in potestate, sed in executione potestatis exercet aliqua per ipsos tanquam pro immediatè ei adhærentes, & pro quanto Papa eos admittit secum ad curam, & regimen Ecclesiæ, quæ cura commissa fuit soli Petro, vt dictum est, & dicit Grego. super illud Ioan. 21. ascendit Petrus, & traxit
283 rete &c. Quod autem dicitur quod licèt sit solutus legibus tamen debet viuere secundùm leges hoc intelligitur ex quadam decentia, ne alioquin eius leges, ipsummet ligent, contra l. digna vox. C. de ll. & l. Princeps legibus ff. eo. tit. Item non reperiuntur leges, nec canones, qui velint quod Papa in agendis circa concernentia dicta capitula, teneatur habere consensum Cardinalium de necessitate, & iura ostendunt quod Papa in arduis non adstringitur habere consensum Cardinalium, sed solùm eorum consilium requirere, vt patet in cap. primo de renun. in 6. & in cap. super eo de hære. eod. lib. & in clem. 1. in versic. nos præmissis de iureiur. & in cle. pastoralis, in fine de re iudi. & in c. 1. de schisma, eod. li. 6. Et clarè probat tex. in cap. fundamenta de elect. in 6. dum dicit quod de-
284 cet Cardinales, quod Papæ in executione officij Sacerdotalis coadiutores assistunt habere libera consilia, Ex quo tex. duo colliguntur, primum quod Cardinales sunt coadiutores, idest executione, & non in deliberatione, suum quod eorum est consulere, & non consentire, vel deliberare. Et idem probat tex. idest d. cap. per venerabi-
285 lem quod filij sint legi. Nec obstat tex. in c. ad Apostolicæ de re iud. dum dicit cum fratribus nostris, & sancto Concilio deliberatione præhabita diligenti, quasi velit quod Cardinales non solùm in executione, sed in deliberatione assistant. Tum quia illud verbum deliberatione præhabita refertur ad personam ipsius Papæ loquentis tamen, tum etiam quia non negatur, quin si Papa velit deliberare, cum Cardinalibus possit, sed, d. quod non astringitur de ne-
286 cessitate. Ad illud quod dicitur per Bal. in l. cùm multa, C. de bo. quæ lib. quod Papa cum vult infeudare pretiosa, vt esset magna Ciuitas, debet habere consensum Cardinaliũ, qui sunt capitulum vniuersalis Ecclesiæ, & sequitur Aluarottus in cap. 1. in princ. in tit. Episcopum, vel Abbatem in vsi feu. Respondetur quod si bonum inspiciatur, Bald. ibi vult, quod possit quando subest necessitas etiam iniustè vendere, & alienare, modo non faciat animo ditandi consanguineos, nec sit contra iur. Ecclesiæ Roma. quia tunc successor rescindit. Et licèt in fi. dicat quando sunt bona pretiosa vt esset magna Ciuitas, quod debet interuenire consensus Cardinalium, loquitur quando vellet Papa de plenitudine potestatis vendere sine consensu Cardinalium. Item potest dici, quod dictum Bal. quando aliter sentiret non esset verum, & contrarium ponit Pau. de Ca. cons. 280. incipit in præsenti, nec Archi. in d. c. cùm Redemptor. 12. quæst. 2. quem Bal. allegat, dicit contrarium, nec iura quæ loquuntur de Cardinal. dicunt de consensu Cardinalium, sed tantum de consilio fratrum nostrorum. Vel si eius dictum est verum, intelligendo ipsum, quando verisimiliter turbaretur status Ecclesiæ ex huiusmodi alienatione sua Innoc. & alios in cap. inquisitioni de sentent. excomm. adhuc in casu proposito non tenebitur Papa seruare virtute capitulorum iuramentum, vel votum, quia est
287 turpiter extortum, vt supra dictum est. Sicut dicitur de eleemosyna, quod non est pu-

putanda eleemosyna si prò illicitè acquisitis fit, vt in cap. non est putanda 1. qu. 1. Et sicut si pro cõsequenda iustitia aliquid promittitur, vt in l. 2. ff. de condi. ob turpem causam l. quod euitandi, C. eodem. Vel si ex stipulatione per vim extorta exacta esset pecunia, vt in l. ex ea stipulatione. ff. eod. & plura possent adduci exempla in simili, vt in l. prima, ff. de concuss. & in l. non licet, ff. de contrahen. emptio. sicut si promittitur pro beneficio consequendo. Et aliquando quod de se est licitum, si deducatur in pactum fit illicitum, vt in cap. fi. de pact. Et ratione modi, & temporis multa de se licita fiunt illicita, vt in capitulo 1. dist. 41. ibi Archi. facit quod dicitur de iuramento præstito de seruandis statutis, in cap. primo de iureiurando in 6. Vndè dato quod capitula in se contineant illa quæ de se sunt licita, tamen ratione temporis promissionis, & promittentis sunt illicita, vt dicto capitulo, sicut nostris de iureiuran. & 8. quæst. tertia Artaldus, cum similibus. Facit quod dicitur in cap. primo, dist. 41. in cap. sciendum dist. 29. Non
289 obstat quod dicitur de tyrannide, & quod malum gubernium plurimorum Pontificum præstat occasionem capitulandi, quia respondetur quod non tam illis Pontificibus, quàm Cardinalibus hoc imputandum est propter eorum malas electiones. Nec
290 hoc excusat, quia vitia non transeunt in successorem in dignitate, vt in capitulo cura de iurepatrona. Nec conuenit propter prædecessores astringere successores, argumen. eorum, quę ponuntur in cap. fin. ne prælat. vic. su. & quæ dicuntur in regula non debet de regu. iu. in 6. Nec de facili potest causari tyrannis in Pontifice, qui non potest excedere dies Petri, nec ei datur carnis
291 successio, nec in Papam cadit tyrannis, quia propriè tyrannus est ille, qui vult vsurpare iura principis, vt in l. sacri affatus, & ibi Bal. de diuer. rescr. Et eadem ratio est in Imperatore, quæ in Papa, vnde nec Imperator posset sine proceribus aliquid arduum facere, cuius contrarium constat esse verum, vt in l. prima, ff. de constitut. Principib. & probat text. & ibi Bald. qui dicit quod Princeps in l. humanum, C. de legibus, loquitur ex humanitate. Et per ista sit expeditus iste articulus, quem non reperies alibi ita examinatum.
292 Aduertendum, tamen est ad vnum quod etiam dicit Ale. 8. qu. 3. in sum. quod licèt alijs Papa per huiusmodi capitula non possit restringere suam Pontificalem potestatem, sicut nec Imperator minuere potestatem Imperij, cauere tamen debet Papa ne vtatur plenitudine potestatis, sine rationabili causa, quia vt inquit Bernard. ad Eugen. vbi necessitas vrget excusabilis est dispensatio, vbi vtilitas prouocat, dispensatio laudabilis est. Requiritur igitur causa rationabilis, necessitas, & vtilitas Vnde idem Bernard. quomodo non indecens tibi voluntate pro ratione vti, & quia non est ad quem appelletis, potestatem exercere, & negligere rationem. Et idem, quomodo permissio Papæ licitum facere valuit, quod malum fuit. Et tex: Hila. Papæ in c. nulli fas 25. qu. 1. dicitur, nulli fas sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare, quia nos, qui potentissimi Sacerdotis administramus officia, talis transgressionum culpa respiciet. Et idem Bernar. ad Robertum ostendens eum non esse tutum, quo ad Deum, cum quo sine rationabili causa Papa vtitur dispensando plenitudine potestatis, inquit, quid tibi frustra quispiam blanditur de absolutione Apostolica, cuius conscientiam diuina tenet ligatam sententia, tolle occasiones, remoue blandimenta, adulationibus claude aures, te interroga de te, quia tu & meliùs nosti quàm aliùs, attende cor tuum, discute intentionem, consule veritatem, tua tibi conscientia respondeat. Facit quod dicitur in gl. in cap. non est, de voto: Imò ex hoc
293 vult Alex. ibi in sum. quod si Papa sine causa vtatur plenitudine potestatis contra huiusmodi votum, & iuramentum, peccet mortaliter, alle. tex. in c. cùm ad monasterium in fi. de statu regularium, & gl. in d. ca. non est, & gl. in cap. sunt quidam 25. qu. 1. Sed ibi loquuntur respectu dispensati, quod non sit tutus quo ad Deum, in casu proposito autem crederem distinguendum. Quia si tenemus Papam non astringi ad obseruandum dicta capitula, vt supra dictum est, tunc dicerem prout Abbas summat tex. in cap. quanto, de iureiur. quod aut Papa scienter iurauit illicitum, & non indiget absolutione, maximè si gessit in animo illud non seruare, vt ibi, nisi ad cautelam, vt vult tex. iuncta gl. in c. cùm quidam, & in ca. verum de iureiur. Quod est verum in foro iudiciali, in quo in dubio creditur habuisse animum obligandi, alioquin nec absolutio ad cautelam requireretur quo ad Deum si non habuit animum obligandi, vt in c. si verò, el. 2. & ibi Abb. Sicu. pe. & vlt. col. de iureiur. Esset tamen pœnitentia iniungenda, eo quod iurasset illicitum, vt vult Abb. in cap. sicut nostris de iureiur. & tex. in d. c. quanto. An autem illud transgrediens peccet mortaliter, dicerem, quod ex quo istud iuramentum est illicitum, quia turpiter receptum, & turpiter iuratum, item quia posset vergere in præiudicium publicę vtilitatis, & esset contra honorem, & in restrictionem dignitatis Pontificalis, sicut esset istud quod non possit dare Episcopatus non excedentes valorem ducentorum sine votis Card. per balottas, quod capitulum satis, vide reipsa illicitum, itē sicut esset istud quod vno cõtradicente non possit, nec valeat creatio Cardinalium, quod est contra omnia iura, quæ volunt valere factum à maiori parte, in talibus non peccat mortaliter conueniendo. Et hoc videtur velle Abb. in dict. cap. sicut nostris, & in ca. 2. de iureiurando, & maximè in proposito, vbi videtur fuisse iuratū indeliberate. Facit quod dicitur quod quando est præstitum iuramentum ex calore iracundiæ non ligat, vt in cap. sicut ex literis de iureiur. Et maximè si non habuit animum se obligandi, quia non peccat nō seruando, quia Deus cor interrogatio. 24. qu. 1. siquem, & dicit Abb. in cap. si vero,

295 el. 2. pe. & vlt. col. de Iureiurando. Si autem habuisset animum obligandi propter mixturam aliquorum capitulorum, quæ non sunt directè illicita, nec contra dignitatem Pontificalem, quia tamen turpiter iuratum est, & turpiter iuramentum receptum, quantumcumque possit seruari sine interitu salutis æternæ, potest ab illo absolui recta via, absque eo quod cogatur illud recipiens relaxare. Ità dicit Abb. in cap. 2. & in cap. verum de iureiur. Aut ignoranter iurauit illicitum, quia credebat licitum, & deberet illud seruare, si aliquo licito modo est obseruabile. Et multò magis idem dicendum est, si de se est licitum, & scienter iurauit. Et istis casibus si vtendo plenitudine potestatis contraueniret, forte peccaret mortaliter, & procederet quod dicit Alex. ibi in summa. Deberet tamen absolui, & posset seipsum absoluere tanquam à iuramento turpiter recepto, vt dicitur in cap. si verò, el. 2. de iureiur. & in c. verum, eod. tit. & d. c. 2. eod. tit. Et ista sint dicta salua semper determinatione sanctæ matris Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Papa creans Cardinales nulla subsistente legitima causa, & tales, per quorum creationem Ecclesia non honoretur, an mortaliter peccet, & an tales erunt veri Cardinales.*
Et quod peccet, num. 2.
Vsque ad num. 12. per totum.
Quod non peccet, immò quod possit creare num. 13.
2 *Dispensatio omnis debet esse cum causa, & sine causa dispensans peccat. ibidem.*
Et sine causa dicitur dissipatio num. 3.
Et dispensatio inordinata potest reuocari per successorem ibid.
Et quomodo intelligendum, num. 15.
3 *Dispensatio est nulla, si dispensatus alleget causam falsam.*
4 *Absolutio non cadit in nondum ligatum.*
Et absolutio non datur, non pœnitenti, vel volenti peccatum committere, vel volenti in errore perseuerare, ibid.
Et quomodo intelligendum, num. 20.
5 *Impunitatem sibi promittens committit in Spiritum sanctum.*
6 *Papa licèt non ligetur capitulis licitis, vel illicitis, tamen si promouet indignum, indignitate requirentem dispensationem, committit indignum vniuersali Ecclesia.*
7 *Papa non dispensat contra generalem statum Ecclesiæ, licèt non sint de his, quæ concernunt fidem, vel de his, ex quibus decoloretur status Ecclesiæ.*
8 *Timor scandali licèt quis nullum patiatur defectum facit illum impromouibilem.*
9 *Inhabilis inhabilitate accidentali quis dicatur, & inhabilis inhabilitate naturali.*
Et an tales promoueri possint ad Card. ibid.
10 *Papa tenetur promouere habiles ad Cardinalatum.*
Et non potest vti potestate sua ad perniciem Ecclesiæ, ibid.
11 *Facultas data alicui de prouidendo de certis beneficijs intelligitur data de prouidendo personis qualificatis, & idoneis.*
Et magis idoneus. Quomodo intelligatur numero 31.
Et ista facultas semper intelligitur data seruatis seruandis, & iuris ordine seruato, ibid.
12 *Dispensatio sine causa etiam si sit papalis, nō facit dispensatum tutum quoad Deum.*
13 *Papa facultates, & potentia.*
14 *Papa omnia licent præter peccatum, sed an intelligatur de peccato legis diuinæ, an etiam de peccato legis positiuæ, ibid.*
16 *Papa est supra ius, & contraueniendo legibus, & dispensando contra ius positiuum non peccat.*
Nec ligatur iure communi.
17 *Prohibitio de promouendo illegitimo, vel minori est de iure positiuo.*
De illegitimis dummodo non sint paternæ incontinentiæ imitatores num. 19.
18 *Papa plures enumerantur fuisse illegitimi.*
21 *Papa carnalitate ductus si promoueret plures inhabiles, & incapaces, & Rom. Ecclesiæ inutiles, ad Cardinalatum, an præberet iustam causam congregandi Concilium.*

ARTICVLVS VI.

1 Sed moueo hìc ad propositum vnam quæstion. Papa vult promouere vnum, vel plures ad Cardinalatum non subsistente aliqua iusta causa, & promouendi non sunt personæ, ex quibus Ecclesia honoretur, quinimò indigent dispensatione super irregularitate ratione criminis, vel ætatis & forte in vna, & eadem persona concurrunt plures defectus in quibus necessaria est dispensatio, vtrùm isto casu Papa promouendo, & dispensando peccet mortaliter, & an possit seipsum absoluere à iuramento, & voto, ante facto ad effectum, vt illos promoueat, & vtrùm tales sic promoti erunt veri Cardinales. Et videtur prima facie dicendum quod Papa peccet, & quod non valeat talis promotio. Hoc primò probatur, quia omnis dispensationes, & cap. talia & cap. exigunt, aliàs non valet. Immò peccat, qui sine causa dispensat, vt dicit Innocentius in capit. diuersis fallacijs, de cler. coniug. & in capitulo veniens, de filijs presbyteror. dicit Pau. de Ca. in cons. 117. incipit notandum, in 2. col. Et si causa, quæ allegatur est falsa,
3 dispensatio est ipso iure nulla, vt consuluit Oldr. cons. 256. incipit Clemens Episcopus. Ad idem quod dicitur in c. 2. de fin. presb. lib. 6 ad hoc l. 1. ff. de natalib. resti. Et vbi non est causa, vel necessitas, vel non expedit dispensari, si dispensatur, non dicitur dispensatio, sed dissipatio, dicit Ioann. Andr. in cap. nisi cùm pridem in §. persona, in verbo, discretionis, de renunc. Et vbi dispensatio est inordinata, si facta fuerit possit reuocari per successorem, dicit Innoc. in d. cap. diuersis fallacijs, alleg. 81. dist. cuicumque, & 51. dis. cap. quem. in aliquo. Nec debet Papa vti potestate absoluta sine causa Bal. in l. fi. in 1. col. ver. di-
4 cit Innoc. C. de quadri. præscr. Innoc. & Io: Andr.

Andr. in dict. cap. innotuit de elect. Item videtur, quod in proposito non conueniat, nec aliquid operetur absolutio, quia quærit absolui ante peccatum commissum, ex quo vult absolui à iuramento, & voto, vt possit promouere inhabilem, quod non esset absolui, sed peccandi licentiam recipere, absolutio autem non cadit in nondum ligatum, vt dicit Innoc. in c. venerabilib. de sen. excom. in 6. Et non pœnitenti nō datur absolutio, absolutio autem nō cadit in nondum ligatum, vt dicit Innoc. in cap. venerabilibus de sen. excom. in 6. Et non pœnitenti non datur absolutio, vt in cap. Romana, ibi Innoc de sen. excom. in 6. & 24. quæst. 2. cap. legatur, vbi dicit tex. quòd non est auditum sub isto cœlo, nec legitur omninò, quòd detur venia alicui volenti peccatum committere, vel volenti in errore durare, vnde Dantes Florent.

Assoluer non si può chi non si pente &c.

5 Quinimò hoc videtur esse peccare in Spiritum sanctum, quia contendit abijcere, & remouere illud, quòd posset impedire electionem peccati, nam veniendo contra votum, & iuram. vt promouendo indignum, mouetur ad peccatum, & occurrit ei diuina seueritas puniēs illud peccatum, & ipse illam abijcit studiosè permittens sibi impunitatem, & peccet liberiùs, & sic non est remissibile, neque in futuro, vt dicit tex in c. qualis 25. dis. de pænit. dis. 1. cap. si sacerdos §. potest. Vnde dicit glos. ibi, quod nec Christus, pro talibus in passione orauit, sed pro eis, qui ignoranter crucifigebant eum, dicens, Pater ignosce illis, quia
6 nesciunt, quid faciunt. Item facit, quia dato, quod capitula siue illicita, siue licita non ligēt Papam, tamen ipse promouendo indignum indignitate requirente dispensationem, non solùm scandalizat Ecclesiam, quia contrauenit voto, & iuramento, sed quia agit, tale quid, quod etiam si non iurasset, nec nouisset, apud Prælatos doctos, & clericos, & laicos etiam idiotas, & quoscumque catholicos reputatur indignum vniuersali Ecclesiæ, quam non debet scandalizare, vt in cap. si Papa 40. dis. Sicut nec Papa dispensat
7 contra generalem statum Ecclesiæ, vt dicitur in cap. sunt quidam 25. quæst. 1. post Innoc. in cap. cùm dilectus de temp. ord. 8. q. 1. §. his omnibus, etiam si dispensatio non fit in ijs, quæ fidem concernunt, si ex dispensatione decoloraretur status Ecclesiæ 1. quæst. 7. cap. & si illa dicit Anto. in cap. cùm ad monasterium de stat. mo. sicut videretur in proposito, si poneretur illegitimus in numero Patrum, in quorum Collegio videtur abhominabile, quod recipiantur illegitimi, quos numquam admisit. Vnde videtur quod talis promotio non
8 valet, & possit per Cardinales impugnari, & per successorem reuocari, quia timor scandali reddit aliquē impromouibilem, etiam si alias esset promouibilis, & nullum pareretur defectum tex. cùm glos. in cap. cùm olim de cler. coniuga. Innoc. in rub. de consue. tex. in cap. cùm teneamur de præben. quantò magis in proposito, vbi sumus in persona de se omninò inhabili, ad promouendum. Vnde posito quòd Papa non
9 veniret arguendus, si sola carnalitate ductus promoueret plures consanguineos contra ordinem capitulorum, etiam si promoueret inhabilem inhabilitate accidentali, quia non esset Doctor, vt requirerent capitula, tamen quando ductus nuda carnalitate, promouet inhabilem naturali inhabilitate, quia minorem annis quia spurium, vel aliquo crimine irretitum quod deijceret promotum, iuxta, c. fin. de tem ordin. cum sim. & qualem Ecclesia Romana, & dignitas Cardinalatus non consueuit habere, nec recipere, & talem, qui non possit esse in aliquo vtilis Ecclesiæ, nulli dubium quod scandalizaretur Collegium Cardinalium, ac Curiales, & alij Catholici. Et propterea talis promotio sit nulla maximè quia, vt dicit Bald. in l. tutor peritus in §. 1. in princ. ff. de excusa. tut. quando Papa promouet consanguineos ad dignitates præsumitur facere instinctu carnis, & sanguinis, non instinctu Spiritus sancti. Facit quod dicit Ant. & Abb. de elect. cap. licèt in 6. column. quando opponitur contra Papam exceptio, quæ iure naturali inficit promouendum, potissimùm quia esset si non iurasset nec nouis-
10 set, teneretur promouere habiles, & non inhabiles. Si ergo iurauit, & vouit non promouere aliquem vltra numerum, & in numero, nisi sit Doctor, licèt posset ex aliqua vtili causa ipsi Ecclesiæ, eo casu vltra numerum, & doctum, licèt, non Doctorem promouere, vt conclusum est in præcedenti quæstione, non videtur quod valeat promotio, si vltra prēmissa requiritur dispensatio circa personam, quia non videtur quod possit dispensando contra canones, & decre. Sanctor. Patrum, venire contra capitula, licèt enim aliàs vbi in persona promouendi non requiritur dispensatio admitti debeant, quod possit contrauenire iuramento, & voto, non sic quando dispensat contra capitula, & vltra contra canones conciliares, & sanctorum
11 Patrum, quia sic vtitur potestate sua ad perniciem Ecclesiæ. Facit, quod dicitur de facultate prouidendi de certis beneficijs alicui data, quod intelligitur de prouidendo personis qualificatis, & non cum quibus necessaria est dispensatio, vt dicitur per Petrum de Anch. in Clem. literas de præben. & Doct. in cap. cum beneficio de præben. idest 6. Et semper in similibus intelligitur clausula reseruatis seruandis ad hoc cap. pastoralis, de priui. dicitur per Feli. in cap. cum ecclesiasticæ de excep. & idest cap. infra de rescrip. Et semper intelligitur concessio seruato iuris ordine, vt in causam quam, & ibi multa similia, de rescrip. & in cap. 1. in 7. quæst. & 11. co. per Felin. eod. tit. per Doct. in cap. fin. de postu- particula in cap. pastoralis de priui l. si quando C. de inoffi. test. cons. An. de Bu. 19. in 7. col. Et super data facultate eligendi intelligitur de persona idonea, vt in cap. si per debilitate. de off. dele. de const. cap. ex parte in gl. vlt. cap. is cui in glos. penul.

col.C.ne filius pro patre l. vt gregatim ff. ff.de mune. & honori. Et si aliter diceremus in proposito, multæ specialitates, & prohibitiones concurrerent circa idem. Contra not. in l.1.C.de dotis promis.& esset dispensatio in pluribus contra votum, contra iuramentum, contra promissionem factam Cardinalibus super inhabilitate personæ, sine causa aliqua, contra Canones, tàm conciliares, quàm Papales, & SS.Patrum, vt in cap.cùm in cunctis, & in cap.inontuit de elect. & de æta. & qualit. per totum Clem.generalem eod.tit.cap. si gens Anglorum 56.di. quòd multum detestatur illegitimè natos cap. fin. de filijs presbyt. cùm sim. Et cum Papa non possit alienare bona Ecclesiæ sine peccato, vbi non subest legitima causa, vt ponit Arch. 12.quæst. 2.non liceat mulrò minùs poterit alienare personas idoneas, & vtiles Ecclesiæ, postponendo illas, & promouendo
12 personas inhabiles. Facit quod dicitur in glos.in cap.non est de vot. quòd quando dispensatio est sine,causa etiam si sit Papalis,dispensatus non est tutus quo ad Deum, facit quod notat glos. in cap. dudum de elect. & Innoc.& Ioann.Mona.in cap. cùm inter Patr.de renun.notatur in capit.quanto de iureiur. Et Papa ita illaqueatur peccato, sicut, & cæteri, quia non habet potestatem peccandi 42.dist. cap.1. & c.cum adeò.de rescrip. & cap.significauit de offi. ord. Hinc est, quod mandato iniusto Papæ non est parendum, vt in cap. si quando ibi Doc. de rescrip. cap. non semper c. si Dominus & c.Iulianus 21. quæst.3. Et si dicatur quod non debet illa vti, nisi ex causa, vt dicit Innoc. in cap. Innotuit de elect. & idem ibi Ioann.Andr.& Bal.in leg. fin.in prima colum.in versic.dicit Inno.de quadrien.præscrip.vt dictum est.

13 Sed præmissis non obstantibus credo, quod creatio huiusmodi Cardinalium valeat. Primò per dicta in præcedenti artic. quia plenitudo potestatis Papæ est à Deo, vt in Clem pastoralis in fin. de re iud. Et potest de sua potestate absoluta, quidquid vult, & mutare quadrata rotundis excepta violatione fidei dicit Hostien. in cap.proposuit de conces. præben.& Aut. in cap. cùm venissent in ver. opponitur de iud. Et eius authoritas volat super aera, vt dicit ibi Ioan.Andr. Et tantam potestatem habet quod quamuis faciat, & dicat quidquid sibi placuerit accusari non potest neque damnari ab homine, nisi sit hæreticus, vt dicit Hostien.in cap. proposuit de conces. præben.Ipse enim habet cœleste arbitrium. l. 1. C.de summa Trin.Et de nihilo aliquid facit,vt quod factū est habeatur pro infecto Clem.1.de immuni. Eccles. Immutat naturas rerum, & est ei pro ratione voluntas, nec potest ei dici,cur ita facis, dicit glos. in cap.quanto de transla.Prela. & ibi dicunt Doc. quòd habet idem consistorium siue tribunal cum Christo, & idem in cap. quantò de consue. Et propterea contraueniendo capitulis, & dispensando cùm personis, cùm quibus vult valebit,quod ab eo fiet,ex quo potestatē habet, quam nec ipsemet, nec aliquis de mundo potest ei auferre, vel restringere, vt dictum est late in præcedenti quæstione. Sic ergo de potestate Papæ non est dubitandum, vt per Hostien. & Doc. in cap. magnæ de vo. & glo. in verbo Ecclesiam in Clem.ad nostrum de hære.& Innoc.& Doct.in ca.quod super ijs de vo.& in cap.licèt de foro com. pe. & S.Tho. in tract.contra impugnan.religi.& in lib.4.contra gen. cap.76. & idem sanctus contra errores Græcorum cap.66.&
14 in extraua. vnam sanctam. Quia omnia ei licent præter peccatum, vt dicit Hostie. in di. cap. magnæ. Quod etiam restringit ibi Ioan. An. ad peccatum, quod esse contra legem diuinam secus si ex contrauentione legis positiuæ. Cum ergo in proposito creare Cardinalem illegitimum minorem, vel criminosum non sit contra legem diuinam sequitur, quod Papa vtendo potestate sibi data nemini facit iniuriam, & in his solum Deum expectat iudicem vt in cap. aliorum. Et dispensando super illegitimitate, poterit, & valebit promotio Non obstat, quod dicitur, quod in dispensatione requiritur causa, quia illud est verum in inferiore à Papa, qui non dispensat non præmissa causæ cognitione, vt in di. cap. veniens de fil. presbyt. Sed in Papa non requiritur causæ cognitio, & semper in Principe præsumitur causa, vt in cap. quæ in Ecclesiarum de const. Et in principe sola voluntas est pro ratione, vt in §.sed, quod principi.insti. de iure natu.
16 gen. &ci. Et ex, quo est supra ius. vt in l. Princeps legibus ff. de l. & cap. proposuit de conces. præben. contraueniendo legibus, & dispensando contra ius positiuum nonpeccat, quia non ligatur iure communi di. cap. proposuit & li. digna vox li. princeps legibus cum sim. Prohibitio autem de illegitimo, & minori est de iure positiuo, vt in cap. cùm in cunctis de elect. &c. fi. de fi. presby. & cap. innotuit. de elect. & de æta. & qual. per tot. & non de iure diuino. Et ideo dispensando non peccat etiam si sine causa fiat, & ita dicit Innoc. in cap. cum ad monasterium de sta. mona. Et licèt Abb. in d. cap. non est de vo. non approbet illud dictum Inno. in dispensatione, qui fieret super pluralitate incompatibilium, iuxta di. de multa quia bona Ecclesiæ dicuntur Dei, vt in cap. cùm ex eo. de elect. in 6. tamen in ijs, in quibus nihil communicat ius diuinum, non videtur dicere contra Innoc. Et ita etiam restringo Cardin. in cap. dudum el 2. in §. insuper in 6. qu. de elect. Quinimò
18 reperitur, quod plures illegitimi fuerunt summi Pontifices. Vnde dicit tex. in cap. Osius 56. dist., qui est tex. damasi Papæ quod Osius Papa fuit filius Stephani subdiaconi, & Bonifacius filius Iucundi presbyteri, & Fælix filius Fœlicis presbyteri, & Agapitus filius Gorgiani presbyteri, & Theodorus Papa filius Theodori Episcopi & Siluerius Papa filius Siluerij Episcopi, & Deusdedit filius Iocundi presbyteri, & Fœlix III. filius Valerij Episcopi, & quæ pluries. Alij de sacerdotibus nati fuerunt summi Pontifices. Et licèt Archi. Domi. & alij ibi scribentes conentur illum tex.reduce-

ducere ad concordiam, dicendo quod illi fuerunt geniti ante sacerdotium, vel in legitimo matrimonio, vt in Ecclesia orientali, vel legitimati per subsequens matrimonium ante ordinationem parentum, videtur, quod talis expositio sit contra, intentum illius distinctionis, idest qua ponitur, quod filij presbyterorum non sunt promouendi, & ibi subiungitur quod
19 si non sunt paternæ incontinentiæ imitatores, sed morum honestas eos commendabiles fecerit, possunt promoueri, vt in exemplo plurium summorum Pontificum in di. ea Osius & in tex. sequenti subiungitur, quod vndecumque homines nascantur, si parentum vitia non sectantur non sunt eijciendi. Sed posito quod dicta expositio sit vera quo ad summos Pontifices connumeratos in dist. cap. Osius, vt etiam sentit idem Gratianus in cap. Ceno manensem in §. cum ergo, ea, dist. tamen in alijs inferioribus à summis Pontificibus, quod fuerint promoti dispensatiuè ab Ecclesia, patet in cap. Apostolica ea. dist. & in di. cap. innotuit de elect. & in pluribus de filijs presbyt. quia vbi in eis sunt aliæ virtutes. iustè cum eis Ecclesia dispensat. Nam, & Dominus noster Iesus Christus non solùm de alienigenis, sicut fuit de Ruth, sed etiam de adulterinis commixtionibus, vt de Bersabeæ, nasci dignatus est, vt dicit tex. in cap. Dominus noster, ea. di. Imo vt dicit Chrysostomus super Matth. in cap. numquam ea. 56. dist. magis resplendet ille, qui natus est ex parentibus à virtutibus prorsùs alienis, quàm ipse, qui fuerit Dei virtute mirabilis. Et si Papa cum dispensat contra capitula dispensat cum talibus, tunc videtur quod dispensatio sit cum causa, propter pro moti virtutes, & cessat, quod dictum est. Sed si esset talis, qui esset paternæ incontinentiæ imitator, & persona omnino illiterata, & in quem paterna flagitia hæreditaria successione descendissent, puta si si esset, & ipse adulter notorius retinendo alteriùs vxorem, quia tales sunt Deo abhominabiles, fortè cum eis dispensando Papa peccaret, & dispensatus non esset tutus. quo ad Deum, licèt quo ad militantem Ecclesiam exceptione tutus esset, vt dicit illa gloss. in di. cap. non est, quia tunc scandalizaretur Ecclesia, & decoloraretur status Ecclesiæ 1. qu. 7. cap. etsi illa, & ita procedunt supra adducta de scandalo, & turbatione status Ecclesiæ Alioquin promouendo, vnum suum consanguineum, qui non esset illegitimus, vel minor, si in eo plures splenderent virtutes valeret promotio, & non peccaret, vt dictum est.

20 Non obstat, quod dicitur quod non datur absolutio uolenti peccatum committere, quia non absoluit se de futuro committendo, sed de præterito, videlicèt à iuramento, & voto præstitis in capitulis, qua absolutione facta non dicitur venire vlteriùs contra votum, & iuramentum, nec indiget vlteriori absolutione, vel licentia in promouendo. Item, quod dicitur quod peccatum in Spiritum sanctum non remittitur, illud intelligitur de impœnitentia finali, & desperatione, ut dicit glo in dict. §. potest. Ad illud quod dicitur, quod in data facultate dispensandi, siue prouidendi alicui intelligitur persona in. aliàs idonea, non obstat, quia per capitula nulla datur Papæ facultas, sed potius restringitur, vt dictum est in præcedenti quæstione. Ad illud, quod dicitur, quod non potest alienare bona Ecclesiæ sine peccato rendi. quod non est verùm, quod non promouendo aliquas personas habiles cen setur illas alienare, quia non omnibus potest dari dignitas Cardinalatus & satis est, quod dignitas detur idoneis, nec arctatur dare magis idoneis, vt dicitur in dict. cap. cum in cunctis Bart. in l. cùm quidam. de leg. 2. & dicitur in cap. constitutus de appel. Tamen Adrianus Papa in quarto
21 sen. in q. vtrùm malè dispensans beneficia teneatur ad restitutionem Ecclesiæ, char. 16. vult, quod conferens beneficium minùs digno postposito digniori, peccet. Pro quo facit tex. in cap. 1. vt Eccle. bene Verùm dic vt per Doc. in d. cap. cum in cunctis, & in d. cap. constitutus & in cap. licèt ergo ibi gloss. mag. 8. q. 1. vbi videtur communis conclusio, quod licèt peccet eligendo minùs idoneum, si potest habere magis idoneum, tamen si non eligit aliàs idoneum tenebit electio, ibi vide quomodo intelligatur magis idoneus, & quid si sit de eadem, vel alia Ecclesia. Cre-
22 do tamen, quod quando Papa sola carnalitate ductus promoueret plures, qui essent incapaces, & Ro. Eccl. inutiles, propter periculum, quod imminet vniuersali Ecclesiæ, ex malis promotionibus, quod esset sufficiens causa petendi congregari, Concilium, & quod si detrectaret, posset per seipsum congregari per dicta supra in quæstione propria, quia tunc videretur facere se alienum, & suspectum de fide, vt sæpiùs dictum est supra.

SVMMARIVM.

1 *Principes an possint præfigere terminum Papæ, vel duobus contendentibus de Papatu, intra, quod congregent Concilium.*
Et quod non possint hoc facere num. 2. vsq. ad num. 18.
Et quod possint requirere numero 19. vsque ad numerũ 26. opinio Auctoris num. 70.
3 *Cæsar Augustus, nec omnis clerus, nec omnis populus potest iudicare, vel arctare Papam.*
Quia inferior non potest arctare superiorem.
4 *Duobus contendentibus de Papatu, impossibile est congregari Concilium, nisi concurrat consensus vtriusque.*
5 *Papa non debet cogi ad cedendum.*
Nam si hoc modo cederet, diceretur cessisse per metum num. 7.
Secus in inferiore, ibid.
6 *Malitijs hominum est obuiandum.*
8 *Papa culpas nemo potest arguere, nec hoc casu aliud faciendum, quàm orare Deum pro eo.*

Nec

Nec potest accusari, vel damnari, nisi pro hæresi. & nu. 6.

Papæ anima in ipsius manibus est ibid.

Papæ non debet subtrahi obedientia sine concilio, cum sit quid magnum, & arduum.

10 Papæ obediendum, & in eo, quod est dubium, dummodo conscientia vinci possit.

Non autem quando certum est, illud esse mortale.

Et idem vbi insurgit peccatum ex lege diuina, secus si ex humana vel canonica, num. 12.

11 Ecclesia triumphans numquam fallit, nec fallitur.

Papa potest dispensare etiam contra Apostolum, sine fidei tamen læsione, & dummodo ex dispensatione non nutriatur peccatum, ibid.

14 Papa potest contra legem canonicam dispensare indistinctè, non tamen sine causa, nam tunc posset seipsum onerare, licèt alios exoneraret.

15 Papæ etiam schismatico, vel hæretico est obediendum, donec fuerit talis declaratus.

16 Schismaticus dicitur ille, qui scienter ab obedientia Ecclesiæ diuisus est, & schisma inueteratum est hæresis.

Non tamen est talis, qui indirectè ab Ecclesia diuisus est, exemplum de eo, qui diuisus non est, sed procurat diuisionem.

17 Papæ est obediendum licèt per quemcumque iudicem temporalem ei sit subtracta obedieatia.

18 Metus non excusat, si quis dicat se metu subtraxisse obedientiam.

Metus amissionis temporalium, non excusat, quin incurratur maius malum, scilicet damnatio propter peccatum, ibid.

Metus perditionis temporalium quando imminet perditio animæ non dicitur iustus metus ibid.

19 Princeps etiam non recognoscens superiorem ligatur iuregentium.

Et non potest in totum tollere iustitiam subditi, nu. seq.

Et declaratur, ibid.

20 Subditus, quo casu superiori bellum indicit.

21 Papa sicut potest alijs bellum indicere, ita sibi potest indici ex causis, de quibus per auctorem.

Et in talibus si Papa excommunicaret, & ferret sententias contra inobedientes, sententiæ essent nullæ num. 22.

23 Intruso per violentiam in Papatum potest bellum indici.

24 Papa debet magis diligere salutem ouium sibi commissarum, quàm suam personalem præsidentiam.

25 Papæ non est in aliquo obediendum contra Deum.

26 Duo contendentes de Papatu, an possint cogi ad eligendum arbitros remissiuè.

27 Subtractio obedientiæ à Papa, est periculosa, & omnis alia via per Principes priùs tentanda est.

28 Corpori cuilibet mystico, & cuilibet statui, & ordini conuenit habere vnum caput.

29 Principis quælibet lex, siue ordinatio præsumitur iusta, & ex causa rationabili facta.

Et non admittitur probatio in contrarium numero 30.

Intantum quod etiam si constaret de contrario adhuc esset ei obediendum num. 31.

Princeps enim solum Deum habet vltorem, ibidem.

Et hæc multò magis in Papa dicenda sunt num. 32.

33 Multiplicatio Principum, est in destructionem politiæ, & malum subditorum.

34 Papa vnus à Christo Ecclesiæ militanti datus est.

35 Ego rogaui pro te petre &c. expositio illorum verborum.

36 Pasce oues meas istorum verborum declar.

37 Tibi dabo claues, huius verbi expositio.

38 Nauis turbari non potest in qua præest is, in quo firmamentum est Ecclesiæ, &c.

39 Rete designat veritatis inquisitionem, & ideò omnes Apostoli illis vsi sunt.

Hamus autem soli Petro conuenit.

40 Episcopalis ordo non recipit magis, & minus iurisdictio verò, & administratio sic, in qua Petrus fuit maior alijs Apostolis.

41 Petrum accepisse ab alijs Apostolis potestatem, intelligitur de eorum voluntate consequente, & acceptante præcedentem Dei ordinationem.

42 Petrus, & Paulus licèt meritis dicantur pares, tamen prælatione impares.

43 Paulus reprehendit Petrum, non officio Ecclesiasticæ dignitatis, sed vitæ puritate, & sanctitate conuersationis.

44 Ego vobiscum sum, vsque ad consumationem seculi.

Quomodo intelligendum.

45 Septies, verbum, quomodo intelligendum.

46 Deutoronom cap. 17, declar.

47 Sacerdotis Imperio nolens obedire, morte moriatur. Sacerdotis verbo quid intelligendum.

48 Pape potestas per Diuum Bernardum ad Eug. Papam.

Et Agathonis, & Symmachi num. 49.

Et ideò eius decreta ab omnibus inconcussè tenenda ibid.

49 Potestas omnis à Deo est. Sed Papæ singulariùs, & magis immediatè.

50 Papæ omnes Principes subijciuntur, quia habet in toto terrarum orbe temporalium, & spiritualium vniuersalem iurisdictionem, licèt temporaliem non recipiat, nisi in certis territorijs.

Et error est aliter credere num. 51. & 52.

53 Princeps, qui superiorem non habet solutus est ab omni lege, quamtum ad vim coactiuam, non directiuam, nam debet voluntarius, non coactus eam implere.

Dummodo nihil struat contra ius naturale, quod in nouo, & veteri testamento continetur ibidem.

54 Claues Ecclesiæ non possunt esse extra Ecclesiam.

55 Papa accusatus de heresi, & Papatu spoliatus, ante sententiam, restituitur.

Non autem acclamatus, namq; illa acclamatio, & impressio populi, facit quod non requiratur sententia num. 56.

57 Romana Ecclesia vices suas alijs Ecclesiis impartita est, vt sint vocatæ in partem sollicitudinis, non in potestatis plenitudinem,

58 Se-

58 *Sedis Constantinopolitanæ erectio.*
Et vbi fuerit constituta prima post Romanam ibidem.
59 *Papa religiones, & ordines nouos instituit, & destituit.*
Et dispensat quatuor Concilia, & contra mentem ibidem.
Et solius Papæ opinio præualet opinioni totius mundi, præterquam in materia fidei num. 60.
61 *Sententia inferioris contra superiorem quamuis ex iusta causa procedat, est nulla ipso iure.*
62 *Marcellinus idolatra; à nemine fuit iudicatus, sed in eum met fuit remissa sententia.*
63 *Papa licèt non possit ab homine puniri non tamen euitat humanam vltionem.*
64 *Papæ obedientia non potest subtrahi, nullo alio iuris adminiculo addito.*
Quia nemo debet inniti prudentiæ suæ, ibidem.
65 *Nicolaus Primus præfuit anno 858. cui vix vllus comparandus præter Beatum Gregorium.*
66 *Agatho Papa præfuit anno 678. & miraculis claruit, & martyrio coronatus est.*
67 *Stephanus Quintus præfuit anno 885. & eius meritis Galli de Normandia triumpharunt.*
68 *Canones cæperunt condi tempore Apostolorum, & à tempore Clementis Primi, qui successit Petro.*
69 *Sancti Patres, & conditores canonum, non voluntate humana, sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt.*
70 *Papam solum, & indubitatum nemo potest cogere, neque illi terminum præfigere ad congregandum Concilium.*
Fallit ibidem quo casu posset etiam sibi subtrahi obedientia.
Et idem in duobus contendentibus, ex quo vnus est verus Papa num. 72.
71 *Papæ quando possit subtrahi obedientia, remissiuè.*

ARTICVLVS VII.

1 SEd quid si aliqui Principes velint præfigere terminum Papæ, vel duobus de Papatu contendentibus intra quem congregent Concilium, vel cedant, vel inter se concordent ad hoc, vt sequatur vnio, cùm comminatione, quod nisi intra terminum prędictum fecerint, ipsi se subtrahent ab obedientia, an dicti Principes hoc facere potuerunt. Et est quæstio Ægidij, quàm pro maiori parte insero propter illius diligentiam in recitando aliorum opiniones, aliquibus additis, quæ conferunt ad præmissa, & ad ea, quæ infra dicentur licèt pro magna parte ex præmissis pateat ad eam solutio, & plura dicantur in articulo, an Papa sit maior Concilio, vltra ea, quæ in decisione huius articuli hìc per Ægidium dicuntur.

2 Videtur autem quod Principes hoc facere non possint, Primò ratione deficientis potestatis, quia si aliqui Principes, vel Reges aliquam potestatem ad hoc haberent, eamdem, vel similem etiam cæteri Reges haberent. Alio autem, vel alijs dissentientibus potior est conditio prohibentis, seu non consentientis, argum. ff. de serui. rustic. prædior. l. per fundum, de communi diuidun. l. sabinus, de aqua pluuia arcen. l. in concedendo C. de auth. præstan. l. fin. de procurat. capitulo primo de indic. capitulo causam, quæ de maioritate, & obedientia capitulo intra quatuor, & capitulo humilis. Quod maximè verum est, quando agitur de congregatione Concilij per eos, ad quos non spectat congregare, vt latè dictum est in propria quæstione capitul. cùm ad verum 96. distinctione, & capitulo vbi nam legistis eadem dis. Ergo &c.

3 Secundò facit quod Cæsar Augustus nec omnis clerus nec Reges, nec populi possunt iudicare, seu arctare verum Papam 9. qu. 3. nemo iudicabit. Nec de spiritualibus præsertim de ordinatione Sedis Apostolicæ se intromittere, vt in cap. benè quidem 96. dist. Inferior enim non potest arctare superiorem ff. de arbit. l. penult. ff. ad Treb. l. ille à quo §. tempestiuum 21. dist. inferior, & de maior. & obed. cùm inferior, cum similibus. Sed de necessitate salutis oportet credere omnes Reges subesse Romano Pontifici, maximè in spiritualibus; vt in extrauaganti Bonifacij vnam sanctã, & capitolo solitæ de maioritate, & obed. ergo. Tertiò facit impossibilitas, & contrarietas, nam non potest perueniri ad concordandum, seu ad congregandum Concilium, nisi concurrat consensus vtriusque contendentium, & si discordant, impossibile est hoc fieri, ergo l. impossibilium cùm vulg. de reg. iudic. Sed ista ratio procedit inter duos contendentes tantùm, & non cùm est vnus indubitatus Papa. Istis & pluribus alijs rationibus ponit hanc conclusionem. Ægid. in d. cap. in fidei in 7. par. de hæret. in 6. vbi impugnat viam cessionis pro Benedicto 13. pro quo plures doctissimi viri scripserunt, inter quos fuit Episcopus Pampilonen. qui propter suas allegationes factus fuit Cardinalis, vt ipse dicit, & latiùs in cap. vnico de iudic. in 6. vbi ponit ad longum seriem ipsius schismatis, & quomodo post requisitionem Benedicti per Carolum Regem Francorum, vt acceptaret viam cessionis, omnes Cardinales illam amplexi sunt excepto isto Cardinale Pampilonen. vnde Rex Franciæ subtraxit obedientiam Benedicto. Et quod ad cedendum non debeant cogi ponit Bald. in cap. Pastoralis de rescript. & latissimè idem Ægidius consil. 99. Et vtrùm ad hoc potuerint compelli, dixi supra, & latiùs infra. Multi tamen scripserunt in contrarium, & hos sequuti fuerunt in Concilio Regis Parisijs, adeò, vt ipse dicit quod de anno Domini 1398. facta fuit subtractio obedientiæ generalis eidem Benedicto, eo quod noluerat acceptare viam cessionis. Quartò facit quod si diceretur Principes posse comminando subtrahere obedientiam, ex hoc da-
4 retur occasio contra Papam continuò rebellandi, hæreses, & errores plurimos in Sede Apostolica inducendi & Sedem contenendi, ac vilipendi, contra ea, quæ ponun-

nuntur in capitulo ad Romanam 2. quæst.
6. & in capitulo cuncta per mundum, & in
capitulo per principalem, cùm multis alijs
9. quæst. 3. Huiuſcemodi autem malitijs
obuiandum eſt l. in fundo ff. de rei vendit.
& de diuort. capit. quanto. Quintò facit
5 quod ſi Papa requiſitus nollet credere ſi ad
hoc compelleretur, faceret hoc per metum,
& ſic videretur renunciatio ipſo iure nulla,
ſicut dicitur de electione per metum facta
quod ſit ipſo iure nulla, vt ſupra ſatis plenè
oſtendimus licèt ſecus eſſet in renunciatione
inferioris à Papa, vt ponit Innoc. in
cap. ſuper hoc de renun. & dicitur in cap.
Abbas, quod metus cauſa. Et etiam ex
hoc poſſet propter vulgi opiniones ſequi
nouum ſchiſma. Et iſta ratio procedit
quando compelleretur ad cedendum. Se-
6 xtò facit text. 40. diſt ſi Papa, vbi patet
quod nullus poteſt arguere culpas Papæ
quantumcumque magnas. Et quod quantumcumque
ſit culpabilis, non eſt aliud remedium,
quàm orare ad Deum pro eo, vt
dicit Hoſtien. Papa in capitulo propoſuit
de conceſ. præben. ipſe enim eſt ſupra ius,
& ſupra omnia Concilia, vt in cap. ſignificaſti
de elect. Et vt dicit ibi Hoſtien. Papa
ſui ipſius tantam habet poteſtatem, quod
quicquid faciat, & dicat accuſari non poteſt,
neque damnari ab homine, niſi pro hæreſi,
vt d. cap. ſi Papa. Et cum eo ſeruatur
illud denunciationes Euangelieæ ſi ſit
impœnitens dic Eccleſiæ, id eſt orari debet
ad Deum pro eo, aliàs ſi Imperator, & totus
Clerus, & Populus ſimul conueniant
non poterunt, eum iudicare, quia anima
eius eſt in manibus ipſius, & ei iudicium
terribilius imminet, vt dicit Hoſtienſ. in d.
7 cap. propoſuit. Septimò facit quia quod
totam Eccleſiam reſpicit, abſque totius
Eccleſiæ examinatione, & conſilio expediri
non debet C. de auctor. præſtan. l. prima
in fin. & ff. de aqua plu. arcen. l. in concedendo
de natalibus reſtituendis l. vlt. de
maiorit. & obed. intra quatuor, & capit.
humilis. Subtrahere autem obedientiam
Romano Pontifici eſt quiddam magnum,
& arduum ſtatum totius Eccleſiæ reſpiciens
ergo non debet poſſe, ſine Concilio obedientia,
& ſubtrahi, facit capitulum cùm
omnes de conſtitutionibus, & regula quod
omnes in ſexto.

8 Octauò facit quod Papa in ſubditos habet
plenitudinem poteſtatis, eſt quo ſequitur
quod ſi Papa aliquid facit, vel præcipit,
obediendum eſt ei, etiam ſi ſit dubium,
dummodo conſcientia vinci, poſſit, vt dicit
Hoſtien. in d. cap. propoſuit. Qui ſic
intelligit 23. quæſt. 1. quid culpatur, &
quod legitur, & notatur in cap. ſi quando
de reſcript. Fatetur tamen quod ſi certum
ſit quod illud præcipit eſt mortale, recognoſcendus
eſt Papa Cœleſtis id eſt Chriſtus
11. quæſt. 3. Iulianus, & cap. qui reſiſtit,
cùm multis capitulis ibi. Quia Ec-
9 cleſia triumphans nunquam fallit, nec fallitur,
ideò ſi conſcienria tua tibi dictet,
quod non obedias, non recedas ab ea, ſed
excommunicationem ſuſtineas patienter
de ſententia excommunicat. à nobis el ſecundo,
& in capitulo inquiſitioni etiam ſi
erronea ſit, niſi poſſis deponere errorem ca
pit. per tuas, el ſecundo de ſimon. Vbicum-
10 que ergo peccatum mortale inſurgit ex lege
diuina non debet obediri, vbi verò ex
lege humana ſiue canonica, ſemper eſt obediendum
de conſtitutione capitulo fin. Et
ſic intelligitur quod dicitur quod Papa eſt
ſupra ius intelligitur enim de iure poſitiuo
de conſuetudine capitulo fin. nam qui poteſt
inſtituere, poteſt deſtituere 12. quæſt. 1.
rectè & de elect. innotuit §. multa. Et pa-
11 tet ex ijs, quæ notantur de præben. capitulo
extirpandæ §. 1. & pleniùs de tempor.
ordin. ad aures §. 1. ſecundùm Hoſtien.
Nec mirum, quia diſpenſare poteſt etiam
contra Apoſtolum, ſine læſione tamen fidei
34. diſtinct. lector. & capitulo presbyter,
& capitulo ſeq. 78. diſtinct. & capitulo presbyter.
82 diſtinct. & contra vetus teſtamentum
quo ad decimas, vt in capitulo 1.
de nou. & in iuramento 15. quæſt. 6. capitulo
2. de reſcript. capit. conſtitutus. Non
poteſt tamen contra vniuerſalem ſtatum
Eccleſiæ diſpenſare 24. quæſtion. 1. memor
ſum, & cauſa ſi ea deſtruerem 25. quæſt. 2.
Quod intelligo in fidei ſubuerſionem, aliàs
hoc ei non aufero, & ſi velit mutare quadrata
rotundis, quid enim ſi vellet facere
ſtatutum quod omnes clerici de mundo
contraherent, quod non prohibet lex diuina.
Nec poteſt diſpenſare, vt Monachus
habeat proprium de quo dic, vt nota. in
capitulo cùm ad Monaſterium §. fin. de
ſtatut. Monaſt. & tene quod in omnibus
poteſt diſpenſare, dummodo non ſit contra
fidem, & dummodo per diſpenſationem
eius euidenter non nutriatur peccatum
mortale, nec inducatur ſubuerſio fidei, nec
periculum animarum, nam in talibus nullam
habet pœnitus contra Deum poteſtatem,
Sic intelligo 25. quæſt. 1. ſunt qui-
12 dam 15. diſtinct. ſicut. Ergo contra legem
canonicam poteſt diſpenſare iniuſtè,
nec eſt peccatum mortale euidenter.
Et iunge quod notatur de reſtit. ſpoliat. capitulo
literas. Tamen ſi ſine cauſa hoc facit
quamuis aliquos exoneret, in aliquibus
tamen ſe poteſt onerare. Et iunge
quod notatur de voto magnæ §. 1. ſecundùm
eumdem Hoſtienſ. Nunc ergo ſi Papa
aliquid præcipit, quod non continet peccatum
mortale, & ſibi obediri mandat, ſi
nondum amiſit ius Papatus, quia nondum
eſt depoſitus, nec renunciauit, eſt ei
obediendum. Sicut dicimus de Prælato
homicida, vel irregulari, qui iuſtè tenet
dignitatem, & per conſequens iuſtè ei obeditur
quouſque renunciet, vel deponatur,
vt notatur per Innocentium in capitulo
cum noſtris de conceſ. præbend. propè fin.
13 primæ gloſſ. Nonò facit quod Papæ etiam
ſchiſmatico, vel hæretico eſt obediendum
donec fuerit monitus ſaltem bis, & donec
fuerit per ſententiam Eccleſiæ in generali
Concilio congregatæ declaratus talis, facit
quod dicit Apoſtolus ad Titum 3. hominem
hæreticum poſt primam, & ſecundam
admonitionem deuita, ſciens, quod ſubuerſus
eſt, qui eiuſmodi eſt. Faciunt quæ
dicuntur in capitulo 2. de hæret., & quod
dicitur de Papa quod de hæreſi poteſt iu-
dicari

dicari per Concilium generale in capitulo si Papa 40. distinctione, & capitulo in fidei de hæretic. in 6. Decimò facit quod
14 vnionem Ecclesiæ, impedire, vel ad prorogationem schismatis tendere, non facit aliquem verum schismaticum. Nam schisma est nomen Græcum, & non sonat aliud quàm quamdam diuisionem, vt notatur per Hostiens. in summa de schismat. §. primo, & secundo, sed certum est quod esse potest, quod verus Papa vniat se Ecclesiæ quantum potest, & nihilominùs vnionem Ecclesiæ impediat, & prorogationem schismatis tendat per vias indirectas, & tamen talis diuisus ab Ecclesia dici non potest, quia cum vniat se Ecclesiæ, quantum potest, dicitur vnitus Ecclesiæ tanquam caput, & sponsus. Licèt enim ille, qui ab obedientia Ecclesiæ scienter diuisus est dicatur propriè schismaticus, & si schisma sit inueteratum sit hæresis, tamen secus est in schismatico indirectè, id est in illo, non est ab Ecclesia diuisus, sed ei vnitus licèt causet diuisionem. Nam primo casu quando quis ab Ecclesiæ obedientia est diuisus, magis est propinquus peccati in illum articulum, credo vnam Sanctam Ecclesiam Catholicam, nec potest opinionem suæ diuisionis saluare, nisi aliquem errorem sibi confingat per quem defendat hanc diuisionem sibi licere, & ideò si diù perseueret in schismate, ex hoc præsumitur contra ipsum, vt habetur 24. quæst. 3. inter hæresim. Sed in illo, qui diuisus non est, sed procurat diuisionem, cessat ratio. Vndecimò facit
15 quod vero Papæ est obediendum in licitis, & honestis non obstante quacumque subtractione obedientiæ factæ per quemcumque Principem temporalem, vel per quoscumque Prælatos obedientiæ eius, igitur ista subtractio de iure est nullius effectus, patet enim, quod per subtractionem obedientiæ, Papa non desinit esse Papa, ex quo subtrahens obedientiam non habet potestatem deponendi 9. quæstione 3. nemo.
16 Nec metus subtrahenti illatus tollit culpam, licèt eam attenuet, capitulo sacris, quod metus causa. Nec metus perditionis beneficiorum, vel temporalitatis, communicatus censetur iustus, nam non est iustum incurrere maius malum, puta animæ damnationem per peccatum, ad euitandum minus malum, videlicet perditionem temporalium, iuxta illud Euangelicum, quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. Facit 12. quæstione prima præcipimus, & Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs leg. sancimus. Quod autem propter inobedientiam homo peccet mortaliter, patet quia ista est iusta causa excommunicandi, de maioritate, & obedientiæ si quis cum glos. quod fieri non debet, nisi pro peccato mortali 11. quæst. 3. nemo Episcoporum. In contrarium quod immò possit requiri cùm comminatione, & per subtractionem obedientiæ, facit quod etiam princeps non recognoscens superiorem, iure gentium, quo bella indicuntur ligatus est, adeò
17 quod si alicui etiam subdito suo magnam iniustitiam notoriè inferat, nec à subdito requisitus sufficienter satisfacere velit, subditus potest indicere ei bellum. Ad hoc sunt ea, quæ ponuntur per Doctores in leg. hostes ff. de captiu. & post li. re. & quod dicit Innocentius in capitulo olim el primo de restitut. spol. vbi quando quis non potest rem suam, qua est spoliatus recuperare, & non habet superiorem, potest bellum indicere pro ea recuperanda, allegatur qui filij sunt legitimi per venerabilem §. primo versiculo finali, & de reg. iur. capitulo quod non est licitum. Non enim potest princeps in totum tollere iustitiam subditi sui, quia hoc esset contra ius naturale gentium, quod per Principem tolli non potest, vt ponit Innocentius, & alij in capitulo, quæ in Ecclesiarum de constitutione. Et prædicta habent locum etiam in Principe spirituali, qui est Papa, & sic ex iusta causa potest indici bellum Papæ. Facit quod dicitur in capitulo Dominus noster 23. quæst. 2. & in l. ex hoc iure ff. de instit. & iudic. Et hoc maximè videtur verum in temporalibus saltem, præter casus à iure expressos in auth. quomodo oportet Episcopus in princ. collat. 1. distinct. 10. quoniam idem 96. distinct. cap. cùm ad verum
28 Ratio ista naturalis ita habet locum in Principe spirituali, sicut in temporali, sicut enim Papa potest alijs indicere bellum, vt ponit Bartolus in dicta leg. hostes, ff. de capti. & per Innoc. de foro competen. licèt, & in cap. quòd super ijs, de vot. & Lignanus in tract. de bello, & dicitur in cap. 1. de treug. & pac. ita è contra ei potest indici, quia contrariorum eadem est disciplina, iura vulgaria. Imò videtur maior ratio in eo propter maiorem dignitatem. C. de epis. & cler. l. presbyteri. Facit quòd dicitur in cap. cùm quidam, de iureiur. & in cap. homo christianus 40. dist. Aliàs sequeretur inconueniens, quòd si Papa occuparet maiorem partem Regni Francorum, & sæpiùs requisitus nollet restituere, Rex non posset vi armorum recuperare, quod videtur absonum. Similiter si Papa efficeretur hæreticus notorius, & quæreret subuertere fidem catholicam, & statum Ecclesię discolorare, ac in Regnum, vel Imperium mutare, aut possessiones Ecclesiarum, & vasa, & vestes, cum quibus debet in Ecclesia deseruiri sine rationabili causa occupare, & bona quorumcumque Prælatorum sibi appropriare, & statum vniuersalis Ecclesiæ peruertere, & conturbare, & debitè requisitus à talibus abstinere nollet, quare non posset ei bellum indici, si aliter prouideri non posset, saltem negando, resistendo, defendendo, & obedientiam subtrahendo. Ita dicit Ægid. in cap. 1. de iniur. in 6. quia si hoc propter temporalia licet, multò magis, propter spiritualia, quæ sunt pretiosiora. C. de Sacrosanct. Eccl. l. sancimus 12. quæst. 1. præpercipimus. Cùm enim mandata Papæ super his sint iniusta, & sine Dei offensa, & læsione propriæ conscientiæ non possit ei obediri, sequitur quòd Deo est obediendum 25. quæst. 1. cap. sunt quidam, & cap. vlt. §. fin. & quòd not. Io: 5. dist. in princ. & dictum est sup. per cap. Iulianus, & cap.

qui resistit 11. quæst. 3. cum si. Facit quòd
dicitur in cap. fin. de præscript. & cap fin.
22 de consuet. Quinimò plus dicit Ægid. in
dict. cap. 1. de iniur. in 6. quòd si Papa
propter hoc ferret sententias, & censuras
in obedientes, sententiæ tales non ligarent,
tamquam errorem iuris manifestè conti-
nentes: argument. de sentent. excommu-
nic. per tuas cap. solet eod. tit. in 6. & ff.
quæ sententiæ sine appellat. rescin. l. prima,
sicut enim principale præceptum de iure
non valet: ita nec quæcumque sententia,
vel pœna ipsum corroborans valere debet,
C. de legibus, l. non dubium, ff. de pact.
l. si vnus, §. illud de fide instrument. cap.
inter dilectos, §. cum igitur, cum simili-
23 bus, Ad hoc facit quod intruso per vio-
lentiam in Papatum potest bellum indici
nõ solùm defensiuum, sed etiam inuasiuum
pro expulsione ipsius à Papatu absque spe
audientiæ, vel restitutionis ipsius, vt 23.
dist. cap. in nomine Domini, in fin. 79.
dist. siquis pecunia tertia quæstio prima, §.
patet. Et est ratio, quia non est superior,
qui de hoc tunc possit iustitiam facere, vt
dictis iuribus, & cap. licèt de elect. Et ex
ista ratione dicit ibidem Ægid. quòd si Pa-
pa faceret vnam magnam iniustitiam vni
principi temporali, & ipse debitè requisi-
tus nollet emendare, posset ille Princeps
offensus per viam facti suam iustitiam à
Papa inuito exigere mouendo, & facien-
do ei bellum, cùm Papa non habeat supe-
riorem ad quem possit haberi recursus: Et
hoc si sit notorium, quia in casu dubio
24 aliter videretur esse dicendum. Confir-
mantur prædicta, quia ratione scandali
vitandi, puta nutriendi schismatis, si non
esset dare alium modum concordiæ, vide-
tur quòd teneretur cedere per notata per
Innocentium in cap. nisi cum pridem in §.
propter malitiam, de renunc. Nam Epi-
scopus assumptus est pro hominibus non
è contra; debet enim saltem spiritualem
ouium sibi commissarum plusquam suam
personalem præsidentiam diligere, quia
bonus pastor ponit animam, id est vi-
tam suam pro ouibus suis. Item pro-
batur, quia quando Papa mandat ali-
quid, ex quo vehementer præsumitur tur-
bandus status Ecclesiæ, vel alia mala
ventura, ei obediri non debet, quia tunc
ei obediendo quis peccaret, dicit Innoc.
in cap. inquisitioni de sentent. excommu-
25 nic. Et ibi plus dicit Hostien. quòd non
est obediendum Papæ in aliquo contra
Deum, quòd colligit ex ijs, quæ dicuntur
in capit. proposuit, §. fin. de concess. præ-
ben. & de voto cap. magnæ §. 1. & ibi Io.
Andr. Sed sic est, quod quando esset con-
tentio inter duos de Papatu, non posset
expectari, nisi magnum scandalum in Ec-
clesia, & schisma diu duraturum, & mul-
tas hæreses pariturum, etsi esset vnus verus
Papa, qui esset criminosus notorius, & in-
corribilis, ac perseuerans continuè in cri-
mine notorio scandalizante vniuersalem
Ecclesiam, ex quo tunc tali non esset obe-
diendum, vt patet ex ijs, quæ dicuntur in
cap. vestra, & cap. quæsitum de coha. cler.
& mulier. & cap. quæsitum de tempor. or-
dinan. & dicitur in cap. si Papa 40. dist.
videtur quòd possent Principes postquam
subest causa hunc, & illos requirere, & ter-
minum præfigere sub comminatione, &
obedientiam subtrahere. Facit, quòd di-
citur in cap. Anastasius, 19. distinct. De
26 quo quando ista subtractio fieri possit la-
tiùs dicitur supra. Bald. tamen in cap. pa-
storalis, de rescript. videtur velle quando
est quæstio inter duos de Papatu, & est
schisma, quod possint cogi per Principes
seculares ad eligendum arbitros, & istam
etiam inter alias ponit Cardinalis in cap.
licèt de elect.

Quid dicendum? Istam quæstionem ad
longum examinat Ægid. in causam schis-
matis tempore Benedicti in cap. 1. de iniur.
in 6. & ibi respondet ad rationes pro pri-
ma parte adductas. Et postquam narrauit
originem schismatis, & schedulam concla-
uis in electione ipsius Benedicti, inserit
etiam literas Caroli Regis Franciæ iustifi-
cantis subtractionem obedientiæ ab ipso
Benedicto, & consideratis prædictis, tan-
dem nihil decidit, sed remanet ambiguus.
27 Quia autem omnis subtractio obedientiæ
à Romano Pontifice est valdè perniciosa,
& schismatis, ac hæresum generatiua, pro-
pterea pro decisione huius quæstionis, an
& quando possit fieri ista subtractio, præ-
mitto vnam conclusionem, quæ fuit eius-
dem Ægidij in dict. cap. in fidei de hæret.
in 6. Et hoc ad ostendendum, quod non
debent Cardinales, vel Principes sæcula-
rales subtrahere obedientiam Romano
Pontifici tam facilè, sed omni conatu te-
nendas esse potiùs quascumque alias vias,
quàm subtractionis. Quæ conclusio mul-
ta continet ad ostendendum primatum,
& Monarchiam Papæ, quæ pro maiori
parte tractantur in illo articulo, quis sit
maior, Papa, an Concilium, vbi latiùs de
28 hoc. Igitur conclusio sit ista, quod omni
lege, naturali etiam brutis insita: diuina
& humana, conuenit cuilibet corpori my-
stico, statui, & ordini vnum præesse ca-
put, ducem videlicet, ac rectorem, cuius
ducatu, & regimine cætera ducantur mem-
bra & illius subijciantur obedientiæ & di-
tioni, quod & inanimata corpora appe-
tunt suo modo. Cum enim plures præsi-
dent vni mystico corpori, seu politiæ, dif-
ficilis admodum, ne dicam impossibilis,
est congrua illius duratio, membris talis
corporis naturali vitio vix in vnum con-
uenientibus, & consentientibus, sed ad di-
uersa tendentibus. Vnde coactus fuit Ari.
in 12. Metaphy. confiteri necessariò esse
vnum supremum ens aliorum entium cau-
satiuum, & directiuum, dicens, entia no-
lunt malè disponi; vnus ergo Princeps.
Cœlestia etiam corpora ab vno reguntur,
& mouentur primo mobili, & inferiora
non aliter bene disponuntur. Vnde Hie-
ronym. ad Rusticum Monachum, in api-
bus vnus est Princeps, grues vnam sequun-
tur ordine literato 7. quæst. 1. in apibus.
Sic & Imperator vnicus est in politia hu-
mana, cui obedire oportet. Cum enim
respu. Romanorum priùs sub regimine po-
puli, & deinde senatus diù fuisset, visum,
tan-

tandem est eam aliter non posse commodè gubernari, quàm regimen illius vni soli in totum committendo, ff. de origin. iur. l. vnica, ibi regimentis reipublicæ ad Imperatores perpetuò translatis. Et meritò quia vtait Ari. in politicis impossibile est, diù esse ciuitatem sine Principe, cui cæteri de populo obediant, & ipsius legibus teneantur astricti, cuius omne placitum, & voluntas animo aliquid statuendi elicita, legis habet vigorem, quam transgredi nulli licet ff. de constitutio princ. l. vna & l. 1. ff. de ll. & C. eod. tit. l. leges.

29 Præsumitur etiam omni præsumptione iuris, & de iure, contra quam non admittitur probatio in contrarium, omnem legem, siue ordinationem eius iustam esse, & ex causa rationabili factam, & quamtumcumque sit dura seruanda est l. prospexit ff. qui & à quibus, & hoc ex vi authoritatis condentis, meliùs enim fuit sic statui, quàm iustitiam legis conditæ in dubium reuocari, quia aliàs numquam aliquid certum, vel securum statueretur, & sic numquam populus certa lege regeretur, ex quo venirent plura scandala. Inde dicitur Deut. 17. non obediens Principi morte morietur, & auferes malum de medio Israel, malum videlicet contentionis, iurgij, inobedientiæ, & subuersionis.

30. Et in tantùm vni Principi obediendum est, quod licèt dicatur, quòd non possit rem vnius sine causa dare alteri, l. item si verberatum, ff. de rei vendic. l. Lucius, ff. de euic. Innoc. & alij in cap. quæ in Ecclesiarum de constit. tamen semper præsumitur in eo causa iusta, intantum quòd non admittitur probatio in contrarium, dicunt Doct. in l. rescripta. C. de prec. Impera. offe. & in dictis locis. Quinimò

31 si constaret de noua causa, tamen omninò parendum esset ei & obseruanda eius dispositio propter præsumptionem violentam, quæ pro Principe facit, vt ponit Bar. in proœ. ff. & in l. 2. §. siquis à Principe, ff. ne quid in loco publico, & dicitur in dict. l. rescripta. Et huic sententiæ consonat lex diuina, quæ vult non auferri per Principem rem alicuius sine causa, vt patet Ezechiel 46. ibi & non accipiet Princeps, & tamen si faciat est ei obediendum, & tenet, ac valet inter subditos ita gestum, nec licet ei resistere, vt habetur 1. Reg. 8. ibi hoc ius Regis erit, vsque in finem. Deum enim solum habebit vltorem, vt contigit

32 in Saule. Si igitur tanta est potestas sæcularis Principis, vt vni soli subdantur omnes, & vt ei etiam de iure diuino resistere non liceat sine pœna peccati mortalis, vt enim inquit Apostolus ad Rom. 13. qui potestati resistit Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, quantò magis in Ecclesia militante decet esse vnum caput. & rectorem membrorum, & suppositorum Ecclesiæ sanctæ Dei, sub cuius capitis Ducatu, & præsidentia oues ei commissæ pascantur. Ista enim Ecclesia Militans est ad instar supernæ Ecclesiæ triumphantis, vt Ioan. in spiritu vidit Apoc. 21. ibi & ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem descendentem de cœlo, id est ad instar illius, quę vnum solum Deum habet præsidentem. Et Moysi iusso à Domino arcam construere, per quam designatur Militans Ecclesia, dictum est fac secundùm exemplar, quod tibi in monte, idest in cœlo, monstratum est Exod. 25. ad quod 89. dist. cap. ad hoc. Igitur ex diuina dispositione vnum solùm debuit habere Rectorem, & Præsidentem, cui necesse est omnes alios obedire. Et in hac ratione fundatur Extrauagans vnam

33 sanctam. Multiplicatio enim Principum, non est nisi ad destructionem politiæ cuiuscumque, & in malum subditorum, vnde prouerb. 28. propter peccata terræ multi Principes eius. Vt enim docet S. Thom. in secunda secundæ quæst. 104. artic. 1. sicut actiones rerum naturalium procedunt ex potentijs naturalibus, ita etiam operationes humanæ procedunt ex voluntate humana: oportuit autem in rebus naturalibus, vt superiora mouerent inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis diuinitùs superioribus collatæ, vnde etiam oportet in rebus humanis, vt superiores moueant inferiores ex vi autho-

34 ritatis diuinitùs ordinatæ. Vnde datus est à Christo vnus Præsidens, seu Princeps Ecclesiæ Militanti: qui fuit beatus Petrus, cui ab ipso Christo datus est principatus, & potestas super alios Apostolos, & super totam vniuersalem Ecclesiam Militantem, & non solùm potestas, sed etiam plenitudo potestatis, cui numquam licuit, nec licebit in aliquo contraire. Vnde in figura dictum fuit Iacob Genes. 27. seruiant tibi populi, & adorent te Tribus, & esto Dominus fratrum tuorum. Et sic cùm omnes Apostolos Christus fratres esse voluerit Matth. 53. hunc super alios voluit habere

35 Principatum. Vnde Cyril. super illud Lucæ 22. ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, dicit omissis cæteris venit ad Petrum, vt eum ostenderet cunctis Prælatum, quem confirmare cæteros voluit, cùm ipsum cæterorum Principem deputaret, hoc enim decebat eum, qui robur erat, & Petra Ecclesiæ. Et subdit, & hoc intelligendum teneas non solùm de Apostolis, sed de omnibus, qui vsque ad

36 finem sæculi futuri sunt fideles. Et Chrysost. super illud Io: vlt. pasce agnos meos, dicit, eximius enim Apostolorum erant Petrus, & dux discipulorum, & vertex

37 collegij. Et Rabanus super illud Matth. 16. tibi dabo claues &c. dicit, qui Regem Cœlorum maiori præ cæteris deuotione confessus est meritò præ cæteris collatis clauibus regni cœlestis donatus est: corpori enim suo mystico, id est fidelium vniuersali Ecclesiæ vnum solum caput deputare decreuit. Et ideo glos. ibidem ait: specialiter Petro potestatem ligandi, & soluendi concessit, vt nos ad vnionem inuitaret, ideo enim eum Principem Apostolorum constituit, vt Ecclesia vnum principalem Christi haberet Vicarium, ad quem diuersa membra Ecclesiæ recurrerent, si fortè inter se dissentirent. Et ad hoc dicta Beatorum Leonis, & Cypriani de

quibus 24. quæst. 1. cap. cùm beatissimus
& cap. loquitur. Plenitudinem autem hu-
ius potestatis, quam alibi textus nominat
supremam potestatem extra de regular. c.
licèt, ponit, vt supra etiam dictum est,
Cyrillus in libro thesaurorum dicens, nul-
li alij quàm Petro Christus, quod suum est
38 plenum, sed ei soli dedit. Et Ambros.
etsi alijs imperatur, vt laxent retia,
soli tamen Petro dictum est duc, in al-
tum, & ideo non turbatur nauis, quæ
Petrum habet, quemadmodum enim
turbari poterat, cui præerat is in quo
firmamentum Eccclesiæ est, de quo 24.
39 quęstion. prima non turbatur. Et gloss. 24.
quæst. 1. cap. est aliud, super illud Matth.
17. vade ad mare, & mitte hamum, & eum
piscem &c. dicit hamo, id est ferro putridæ
carnes resecantur, vnde, quia Petrus habet
potestatem ligandi, & soluendi præ alijs,
ideò solus piscatur hoc piscandi genere, &
ideò ei soli dictum est mitte hamum, sed
quia per rete intelligitur inquisitio verita-
40 tis, mittere retia omnibus Apostolis est
concessum. Nec obstat præmissis quod ait
Anacletus Papa, & habetur 21. dist. in no-
uo, videlicet, quòd cæteri Apostoli cum
Petro pari consortio honorem, & potesta-
tem acceperunt: & hoc idem ait Cyprianus
Papa 24. quæst. 1. cap. loquitur. Item nec
quod Petrus illam, quam habuit præemi-
nentiam super alios, & cunctam Ecclesiam
accepit à voluntate, & sensu aliorum Apo-
stolorum, vt in prædict. cap. in nouo ex
quo videtur quod vetantibus illis, vel ho-
die Episcopis, qui in locum Apostolorum
successerunt, vt ibi habetur, illa solueretur.
Quia dicendum est, quod de pari potesta-
te ibi dicitur, intelligendum esse quantum
ad ordinem, & dignitatem Episcopalem,
quæ non recipit magis, & minus, non de po-
testate iurisdictionis, vel administrationis,
in qua fuit maior Petrus. Et ita dicunt glos.
in vtroque cap. & pro contrario allegant
dictum Augustini in lib. de baptismo, quòd
habetur 3. quæst. septima puto, & decre-
tum Beati Clementis, quod inter Apostolos
non fuit par instituto, sed vnus præfuit om-
41 nibus 80. dist. in illis, & ibi glos. distin-
guens vt suprà. Ad illud, quòd Petrus acce-
pit potestatem ab alijs Apostolis, & de eo-
rum voluntate fuit eis Prælatus, dicendum
est, quod hoc voluerunt voluntate conse-
quente, & acceptante procedente Dei ordi-
nationem non voluntate precedente, & cau-
sante dictam potestatem. Et hanc solutio-
nem expressè ponit tex. Anacleti, qui ha-
betur 22. dist. cap. sacrosancta, vltra me-
dium, vbi sic habetur inter beatos Aposto-
li, Petro tamen à Domino concessum est,
& ipsi inter se voluerunt idipsum, vt reli-
quis omnibus præesset Apostolis Istam
enim potestatem à Christo, & non ab Apo-
lis emanasse, expressiùs ponit ille tex. in
princ, & cap. omnes eadem dist. Et pote-
42 statis huius emanatio probatur ex supra-
scriptis. Nec obstat etiam paritas, quam
videtur inducere Beatus Ambr. inter Pe-
trum, & Paulum, dicens: inter illos
quis, cui præponatur incertum est, puto
enim illos æquales esse meritis, qui equa-
les in passione fuerunt, vt habetur 2. quæst.
9. beati. Quia dictio meritis soluit contra-
rium, nam prælatione impares fuerunt,
Vnde Hieron. super Epistolam ad Galat.
43 & est ead; causa, & quæst. cap. Paulus, el
secundo, ait. Paulus Petrum reprehendit,
quòd non auderet, nisi se non imparem sci-
ret: & sequitur, hoc non de officio Eccle-
siasticæ dignitatis, sed de puritate vitæ, &
sanctitate conuersationis intelligitur, solus
enim Petrus inter Apostolos primatum
gerebat; hec illæ. Hanc autem Petri po-
testatem in ordine, dignitate, iurisdictio-
ne, & administratione, licèt non in cumulo
meritorum, miraculorum, ac puritatis,
& sanctitatis, transfundit Christus in om-
nes, & singulos veros, & Canonicè intran-
tes Petri successores, vniuersalis Eccle-
siæ summos Pontifices Christi vicarios: &
quod Petro quò ad hoc dictum est, dictum
fuit in persona eius successoribus ipsius, in
quos solos est deriuata potestas Ecclesiæ;
dicente Domino Ioan. 10. fiet vnum ouile
& vnus pastor, qui eamdem, quam Petrus in
Iurisdictione, & ordine ad regimen huius
ouilis habebit potestatem. Absonum enim
esset dicere, quod Christus Ecclesiam suam,
44 quam sanguine suo sibi in sponsam copu-
lauerat, & cuius membris, & suppositis,
id est fidelibus suis, ex quibus ipsa consti-
tuitur; promiserat illud, quòd habetur Mat-
th. vlt. Ecce ego vobiscum sum omnibus
diebus, vsque ad consummationem sæculi,
solam, absque regimine dimiserit, cùm il-
lud non possit intelligi solùm de Aposto-
lis, & discipulis ibi præsentibus, qui non
erant vsque ad consumationem sæculi in
hac præsenti vita permansuri. Item dixit
omnibus diebus, non particulariter vestris;
& ita necessariò intelligendum est de omni-
bus fidelibus eius, qui Ecclesiam constitu-
erunt, & quia in ea omnibus diebus vsque
ad consummationem seculi erunt: imò tunc
omnes erunt tales, quia fiet vnum ouile, &
vnus pastor. Etideo par potestas, quod ad
hoc successorum Petri, licèt non merita
paria. Et istam considerationem habuit
text. in cap. 1. de homic. in 6. & Innocen.
in cap. ad Apostolicæ, de re iudicata, in
vltima glos. non enim, vt ipse cum reueren-
tia loquendo dicit, videtur Dominus fuis-
se discretus, si post mortem Petri huma-
nam naturam à se creatam sine regimine
vnius personæ reliquisset. Et adde illud,
quòd ipse notat, de foro competen. cap.
licèt, el primo, in glos. magna. Ridicu-
lum enim esset aliter opinari. imò eua-
cuaretur fides; & sacamenta Ecclesiæ, sine
quibus non est salus, si post Petrum non re-
mansisset habens ad hoc potestatem; quod
de alio dici non potest, quàm de eius suc-
cessore, qui fungitur vice illius, cui succedit:
nec de pluribus. hoc potest dici, quia Chri-
stus vnico suo ouili, vnicum decreuit pasto-
rem, cuilibet politiæ vnicus debetur præsi-
dens, vt supra dictum est. Hæc autem Ec-
clesiæ fides, quæ non est alia, quàm fides Pe-
tri deficere non potest, dicente Domino Lu-
cæ 22. ego rogaui pro te Petre, vt non defi-
ciat fides tua, & cap. per illud tua, intelli-
gens eam fidem, quæ in cunctis fidelibus
vsque

vsque ad mundi consummationem futura erat, & ponens singulare pro plurali, & temporale pro quasi perpetuo vel saltem æqualis cum hoc seculo durationis. Sic
45 etiam in ista materia posuit finitum pro infinito Matth. 18. dicēs solùm septies, & cap. quod exponitur id est totiens quotiens. Cũ enim Christus ita suam ædificauerit Ecclesiam, vt portæ inferi non valeant præualere aduersùs eam, vt habetur Matth. 16. necesse fuit claues ligãdi atq; soluendi, sine quibus Ecclesia non staret remanere post Petrum,
46 aliter portæ inferi aduersùs eam prevalerent. Et hæc potestas data Petri successoribus, tradita fuit sub figura Deuter. 17. vbi sic ait Dominus Populo Israel. Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam
47 eorum, nec declinabis ad dexteram, vel sinistram, qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de medio Israel. Nota, quod dicit Sacerdotis Imperio: in hoc enim exprimitur figura potestatis traditæ summo Sacerdoti, qui pro tempore præest in Ecclesia. Et glos. ibi ait Christus Sacerdos in æternum secundùm ordinẽ Melchisedech, vicarios sibi constituit, quibus ait qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. Iure ergo damnationis sustinet sententiam, qui contemnit diuinitatis potentiam. De prædicta authoritate pleniùs habetur in cap. per
48 venerabilem qui fil. sint legit. Et Ber. ad Eugen. Papam inquit, age indagemus adhuc diligentiùs qui sis, quam geras pro tempore personam in Dei Ecclesia, quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum. Et infra, potestate Petrus, vnctione Christus, tu es, cui claues traditę, cui oues creditæ sunt, sunt quidem, & alij cœli ianitores, & gregum pastores, sed tu tantò gloriosius, quantò, & differentius vtrumque præcæteris nomen hæreditasti; habent illi sibi assignatos greges singuli singulos, tibi vniuersi crediti, non vni vnus, nec modò ouium, sed & pastorum tu pastor effectus. Et infra, ergo iuxta Canones tuos alij in parte sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipsos qui potestatem super alios acceperunt, nonne si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu tenere, & tradere Satanæ potes? stat ergo inconcussum priuilegium tuum tibi tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis. Et subdit, cum quisque cæterorum habeat suam, tibi vna commissa est grandissima nauis, facta ex omnib.
49 ipsa vniuersalis Ecclesia toto orbe diffusa. Ad idem sunt decreta Agathonis, & Symmachi summorum Pontificum de quibus 19. dist. sic omnes & 40. non nos, & iura ferè innumera, in quibus narratur cuiuslibet summorum Pontificum decreta esse inconcussè tenenda, tanquam diuina ipsius Petri voce firmata. Licèt enim omnis potestas sit à Deo, vt habetur ad Romanos, 13. potestas tamen Papæ singulariùs, & magis immediatè est à Deo, quàm alia quęcumque, quia sicut Deus generaliter est in omnibus rebus creatis per essentiam præsentiam, & potentiam, in suis autem fidelib. est speciali quodam modo per gratiam & Charitatem, sic licèt in electione omnium potestatem Deus operetur, quodam tamen singulari modo operatur in electione summi Pontificis, & ab illo deriuatur omnis alia potestas, & status, qui est in Ecclesia, quantum ad dationem iurisdictionis, non ordinis, vt latè prosequitur Augu. de Ancon. in lib. de Eccles. potest. qu. 1. art. 5. in corpore eiusdem. quinimò 1. 2. 3. & 4. art. eiusdem quæstionis Et quæst.
50 45. & 46. prosequitur qualiter omnes principes ei subijciantur saltem quantum ad mandatorum ipsius obseruationem, imò secundùm quod habet in toto orbe terrarum spiritualium, & temporalium vniuersalem iurisdictionem, licèt administrationem immediatam temporalium non recipiat, nisi in certis territorijs, vices enim illius gerit in terris solus, quem Deus fecit hæredem vniuersorum, & qui existens in hoc mundo fuit verus naturalis, & vniuersalis Dominus & Rex noster, de quo priùs dictum fuerat per Prophetam, Deus iudicium tuum Regi da &c. & illud postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuas terminos terræ psal. 2. & 71. Et ille est verus intellectus illius text. ita dicit Innoc.
51 in capitulo licèt ex suscepto in glos. magna de foro competent. Plus dicit præfatus Doctor Augustinus in proœmio dicti libri in forma, error est, vt puto pertinaci mente non credere Romanum Pontificem vniuersalis Ecclesiæ esse Pastorem, Petri successorem, & Christi legitimum vicarium, supraque spiritualia, & temporalia vniuersalem non habere primatum. Et subdit; in quem errorem multi labuntur ex dictæ potestatis ignorantia; quæ cum sit infinita, eo quod magnus Dominus, & magna virtus eius, & magnitudinis eius non est finis, omnis creatus intellectus in eius perscrutatione inuenitur deficere. Hec ille, quem præsertim in eo, quòd de temporalibus dicit non prosequor, quia hic non agitur de hoc; & quod de infinitate dixit, hyperbolicè dixit per respectum ad quamcumque aliam creatam potentiam.
52 Petrus etiam de Palude in tract. de iurisdictione Ecclesiasticæ potestatis in 4. art. principali, vbi latè prosequitur de potestate Papæ, ponit tres conclusiones de hoc; vnam videlicet, quod potestas Papæ est à solo Christo, & immediatè; secundam, quòd non est ab Ecclesia aliqualiter: tertiam, quod ab ipso, & sub ipso est, & emanet

net omnis iurisdictio Ecclesiastica, & temporalis. Quæ ipse multùm diffusè probat auctoritatibus, & rationibus multis. Ex cuius potestatis plenitudine supra Dei Ecclesiam, & eius quoscumque status singulares potest statuta vniuersalia,& perpetua, seu particularia localia, & personalia condere, ac statuere, & ea prout ei visum fuerit reuocare,cum nec sua ff. de II.J.princeps, nec suorum prædecessorum, quia par in parem non habet imperium, nec totius Ecclesiæ, quia inferior est ipso,lege ligetur, vt apparet per iura communia. Quoniam,
53 vt dicit Beatus Thom. in prima secundæ quæst. 69. art. 5. in respons. ad tertium argu. princeps, qui superiorem non habet solutus est ab omni lege sua, & alterius, saltem quo ad vim coactiuam, nam quantum ad vim directiuam princeps non est solutus à lege, sed debet voluntarius non coactus eam implere; tamen eam mutare potest, & circa eam dispensare, & de nouo statuere totiens quotiens. Quod verum est dummodo nihil statuat contra ius naturale, quod in nouo, & veteri testamento continetur, quia legem Dei, & superioris infringere non potest. Et si diceret se aliquid posse contra legem, & præsertim articulos fidei, erraret, & tunc deficeret omnis potestas eius, quia præcisus esset ab Ecclesia, & per hoc desineret esse caput illius, dicente domino Deuter. 17. non poteris alterius gentis hominem facere regem, qui non sit frater tuus, frater autẽ noster esse desineret,
54 & per consequens Rex & caput, si in fide erraret, quia extra Ecclesiam non possunt esse claues Ecclesiæ, nec potest esse caput qui non est de corpore, cùm caput sit pars
55 corporis. Et licèt per hęresim abscinderetur à corpore. Ecclesię eo ipso quo ad Deũ & Ecclesiam triumphantem, quo ad militantem, quæ non iudicat de occultis,& humanum requirit declaratorium iudicium, ante sententiam toleraretur, adeo quod etiam accusatus de hæresi,si ante sententiam spoliaretur,vel ei obedientia subtraheretur, esset restituendus 2. quæst. 7. nos si in competenter, versiculo item Symmachus, ad quod capitulum nonne, 8. quæst. 4. Et sic tali casu non esset sibi Papa, sed nobis sic, propter tolerantiam, & communem errorem quo creditur, & teneri debet, vt Papa ante iudicium in eum latum per Concilium generale, ad quod pertinet, & in casu illo esset synodus maior Papa,& orbis vrbe, 40. distinctione si Papa, & notatur, 15. distinctione sicut sancti, & 16. distinctione Anastasius, & nona quæstione tertia, memo. vigesima quarta quęstion. 1. quodcumque & 25. quęst. prima sunt quidam, cum simil.
56 Nec per paulò ante dicta, scilicèt de non discessu à Papa ante sententiam, discessus à Papa, qui per populi acclamationem fuisset creatus Papa restitutionem, requirit quia acclamatio populi, & requirit, quia acclamatio populi, & impressio notoria faciunt, quod non requiratur sententia; sed de facto expelli debet, vt de facto per violentiam se ingessit 79. distinction. si quis pecunia, ibi liceat Cardinalibus,& infra ibi à sede Apostolica pellere & 16. quæst. 7. sanè Quod prosequitur Gratianus 3. quæst. 1. §. patet vbi arguit, quod speciale est in intruso in Sedem Apostolicam, quod non restituitur, licèt quilibet alius violentus, & prædo sit restituendus. Et de intellectu illius cap. si quis pecunia, & d. §. patet. vide ad plenum supra in art. an sit sufficiens causa, si Papa passim committat simoniam congregandi Concilium, & illo, sed quæro vlteriùs pone quod obijcitur contra aliquos defectus ratione cuius dicitur, quod non sit verus Papa &c. vtrùm ex hoc debebit congregari Concilium, & ad propositum in illa quæstione, ad quem spectet congregare Concilium in versicul. secundo casu, quando duo plures contendentes de Papatu &c.
57 Aliàs autem claue non errante est ei obtemperandum,& singuli inferiores ordinationi eius resistere non possunt, cùm eius potestas, & Romanæ Ecclesiæ à nullo quam ab ipso Christo immediatè processerit vigesima prima distin. quamuis, & dist. 22. cap. 1. & cap. sacrosancta, & alij omnes status Ecclesiastici, & cunctæ aliæ inferiores Ecclesiæ à Papa sunt instituti, & ordinationem acceperunt. Licèt enim Christus creando Apostolos, & discipulos creauerit statum Episcoporum, & curatorum, qui in eorum locum succedunt, 22. dist. in nouo, tamen Papa, & prædecessores eius instituerunt Ecclesias Cathedrales, Ciuitates, diœceses,& territoria distinguendo, & dignitates Cathedrales erigendo, de nouo,& illis de personis idoneis prouidendo. Et ita non solùm instituerunt personas in Ecclesijs, sed ipsas cathedrales Sedes & præsidentiam in illis, ac honorem, & iurisdictionem eis competituram, & ita cœteri inferiores Prælati, hæc omnia à Papa immediatè acceperunt, prout confitetur Clemens, 80. dist. cap. in illis, & seq. Et Grego. inquit, sancta Romana Ecclesia ita vices suas impertiuit alijs Ecclesijs, vt in partem essent vocatæ sollicitudinis non in plenitudinem potestatis. Et Iulius Papa, ipsa Ecclesia, quæ prima est ita reliquis Ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in partem, & cap. secunda quæst. 6. de decreto, & cap. qui se scit, & dist. 29. ita Dominus, ibi vt ab illo quasi à quodam capite, & cap. extra de vsu pal. ad honorem. Et quemadmodum status istos statuit Romana Ecclesia, & ordinem inter eos dedit, ita cùm ei videtur illos destituit, & reuocat, & ordinem mutat: sicut apparet de Sede Alexandrina, quæ erat secunda post Romanam, & nunc est tertia, & de Constantinopolitana, quæ non erat inter Sedes Apostolicas Patriarchales, & nunc est prima inter eas, 22. distin. sacrosancta, & cap. qua traditione, & cap. renouantes.
58 Et si dicatur, quod erectio Sedis Constantinopolitanæ fuit facta per Synodum in Constantinopoli celebrata, hoc esse non potest, quia licèt factum fuerit in Synodo, non tamen authoritate Synodi, sed authoritate Papæ ad supplicationem Imperatoris, & Prælatorum in Synodo constitutorum,

rum, vt apparet in dicto cap. renouantes, ibi petimus; Quinimmò adde, quòd in Chalcedonensi Concilio Leo Papa hanc translationem præter eius scientiam, & voluntatem factam expresè improbauit, vt patet in gestis ipsius Concilij, licèt in sexta Synodo Constantinopolitana, de qua in cap. renouantes, 22. dist. posteà statutum fuerit, quòd esset prima post Romanam, de quo etiam vide Card. de Turrecrem. in quæstione, quam iurisdictionem habet
59 Concilium. Præterea deponit ipsos Episcopos, & restituit, 3. quæst. 6. accusatus, & 2. quæst. 6. ideò diuidit vnum Episcopatum in duos, & duos in vnum vnit, 16. quæst. prima præcipimus, & cæter. & temporis qualitas eximit Episcopos, & Abbates à potestate suorum Ordinariorum, & etiam cæteros clericos inferiores, 16. quæst. prima, frater noster de priui. si Papa in 6. & notatur in cap. 1. de transla. Episcopi, & in cap. antiqua de priuil. Religiones, & ordines nouos instituit, & destituit, cap. fin. de Relig. doct. in cap. vno eodem tit. in 6. Imò etiam dispensat contra Apostolum, non tamen in ijs, quæ articulos fidei concernunt, & contra generale statutum Ecclesiæ, vt apparet in cap. non debet de consan. & affinit. & notatur in cap. sunt quidam, 25. quæst. 1. vbi plenè de hoc. Et Innocen. cap. post translationem in fin. de renunc. ponit, quod dispensat contra quatuor Concilia; & contra Euangelij verba, sed non contra mentem, & per Hostien. in summa de rescrip. §. Quas vires, vers. si fit destructiuum, & per Spec. in tit. de dispen. §. Nunc breuiter dicendum, & per Archi. in præallegato. cap. sunt quidam. Licèt forsan fatendum esset, quòd vbi vellet vniuersalem statum Ecclesiæ turbare non posset, prout notatur, 9. quæst. 3. per principalem, & in dicto cap. sicut sancti, & per Innocen. in cap. inquisitioni in glos. fin. de senten. excommun. Et ex ista superioritate, & præeminentia, quam habet super
60 omnes Ecclesias, ac ministros, & supposita ipsarum, infertur necessariò, quod non potest ex quacumque causa crimine, vel delicto per quemcumque hominem iudicari, quantumcumque sit grauissimi scandali causa, quia cunctos iudicat, ipse verò à nemine iudicatur, 40. dist. si Papa, neque, enim ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à regibus, neque à populo, cunctorum iudex Papa iudicatur, 9. quæst. 3. nemo, & cap. aliorum, & cap. cuncta per mundum. Vndè sicut dicit glos. in dicto cap. mundum, nisi in materia fidei, quia tunc nemo, & 4. dist. in istis, & dicto cap sicut sancti, & cap. quodcumque 24. quæst. 1. si totus mundus esset in opin. contra Papam opinio soliusPapę preualeret contra totum esset præcisus ab Ecclesia, vt supra dixi. Et hoc ratione humana, & diuina nititur, quod superior per inferiorem iudicari non possit 21. dist. cap. inferior cum seq. Vndè inferioris in superiorem sententia quantumcumque sit iusta, & à vera causa procedat nulla est ipso iure: nec de causa, vel veritate ordinationis inferioris contra superiorem inquiritur, vt eadem dist. cap. fin. Sed quod plus est licèt in causa fidei
62 Papa superiorem habeat, totam, scilicet Ecclesiam, vel superiùs est dictum, tamen conuicto Marcellino Papa per propriam confessionem de idolatria, nullus in eum ausus est ferre sententiam, sed eimet remiserunt sententiam, dicentes, tuo ore iudica causam tuam eadem dist. cap. nunc autem, eo, quòd prima Sedes, vt superior, & à qua aliæ processerunt, à nemine iudicari potest; vndè Isaiæ 10. numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, & cap. vbi multa ponuntur ad propositum nostrum materialia exempla. Sed licèt non
63 possit ab homine puniri, non ob hoc euitabit diuinam vltionem, sed quantò alijs superior est tantò grauius punietur, 9. quæst. 3. aliorum 40. distin. non nos, & capitulo homo christianus 25. quæstione prima nulli fas. Quinimmò glosa in præallegato cap. aliorum, dicit quod debet sine venia puniri, quòd intelligitur dictum ob difficultatem dationis veniæ, & quia maximè ei infligentur pœnæ, quoniam iudicium durissimum fiet ijs, qui præsunt sapientiæ sexto. Ad quod est glosa super illud Psalm. 50. tibi soli peccaui &c.
64 Ex præmissis igitur infertur, quod non potest quis subtrahere obedientiam ex solo sensu, nullo iuris adminiculo suffultus. Quia non debet quis inniti prudentiæ suæ, vt in cap. ne innitaris de constitut. quæ sunt verba Hiero. Et de ista superioritate Papæ, vide quòd dico in art. quis sit maior, Papa, an Concilium. Et contra contrariantes Canonibus, vide verba text. Beati Clementis, 37. distin. relatum, & text. iuncta glos. in cap. violatores, 25. quæst. 1. vbi sunt verba Damasi Papæ, qui incœpit præsidere Anno Domini 1371. in Concilio Generali, & text. in cap. nulli fas 19. dist. vbi sunt plura verba Beati Grego. & idem Gregor. in cap. institutionis, & in capitulo Ecclesiasticis, & in cap. Ecclesiæ, & in cap. imperiali 25. quæst. 2. Et verba sancti Hilarij 25. quæst. 1. nulli, de cuius authoritate, vide in cap. sancta Romana, §. iam nunc 15. dist. Et August. in lib. de doctri. christiana, de quo 19. dist. in Canonicis. Ad idem etiam verba Adriani primi, qui præfuit Anno Domini 771. in Concilio Generali Romæ celebrato anno 774. vbi etiam de Regibus, & Principibus secularibus fit mentio, 25. quæst. 1 generali. Ad
65 idem quoque verba Nicolai primi in Concilio Generali, qui præfuit anno 858. & fuit vir sanctissimus, cui post beatum Gregorium vix vllus comparandus est 25. q. 2. cap. si quis dogmata. Et idem Nicolaus Clero Constantinopolitano 20. dist. cap. decreta. Et idem Nicolaus scribens Episcopis Gallicanæ Ecclesiæ 19. dist. cap. si Romanorum. Et idem scribens Michaeli Imperatori, & Hincmaro Archiepiscopo in cap. scit sancta, & cap. ridiculum 12. dist. Ad idem sunt verba beati Hierony. quæ habentur 24. quæst. 1. hæc est fides, & idem Hieron. scribens ad Lucianum 12. distin. cap. illud. Ad idem verba beatissimi Leonis Papæ 61. distin. statuimus. Et pleniùs 19. distin. cap. 1. vbi in fin. sunt notabilia ver-

verba Nicolai. Ad idem verba Agathonis,
66 qui præfuit anno 678.& miraculis claruit, & martyrio corouatus est 19. dist. cap.2. Ad idem verba Stephani quinti, cuius me-
67 ritis Galli eo tempore de Normannis triumpharunt Anno Domini 885. 19. dist. cap. enim verò. Ad idem verba in Concilio Melden.vt in capitulo 1. de constit. Ad idem verba Gelasij Papæ, qui præfuit anno 494. vt habetur 25. distin. cap. sancta Romana. Hæc dicta sint, vt discant, tacere ignari canonum, arbitrantes, quod canones, & decretales, vt loquuntur, fuerint, & ab eo tempore authoritatem receperint, quo tyrannis Curiæ Romanæ aliena vsurpare, vendicare, & suis non contenta finibus, quos paritas dignitatis, & ordinis equales fecerat, subijcere conata est, vt dicit Ægid. in d.cap. in fidei. Quinimmò
68 vltra præmissa si attendant Isidorum in procemiali epistola Conciliorum, cęperunt canones condi tempore Apostolorum, & à tempore Clementis primi, qui Petro successit publicari apud fideles, licèt vt ipse ait in 6. Etymo. lib. antè tempora Syluestri primi, & Constantini Imperatoris non daretur facultas generalia Concilia celebrandi, vt patet 15. distin. cap. canones, & 16. dist. capitulo placuit, 5. Item primus. Attendant igitur prædicti canonum impu-
69 gnatores verba, & decreta sanctorum Patrum, qui vt inquit beatus Petrus Apostolus non voluntate humana, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt 2.Pe.1. Et ex hac inspiratione Spiritus sancti, & potestate data Petro per Christum per illud, Matth. 16. tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & post quodcumque ligaueris super terram,&c. & per illud Ioann. vl. pasce oues meas, data est omnibus Petri successoribus potestas condendi canones, ita vt quod per eos ordinatum fuerit perindè habeatur, ac si à Beati Petri ore emanasset, quin potiùs, ac si à Christo ipso, qui solus Romanam fundauit Ecclesiam, & talem dedit Vicarijs suis in alios potestatem, quam qui auferre, vel diminuere conatur pertinaciter contrarium asserendo,fidem violat,& in hæresim labitur, vt patet ex verbis sanctorum Doctorum Ecclesiæ, & aliorum Patrum, quorum infinitæ sunt authoritates 19. dist. sic omnes, cum pluribus cap. illius dist. & 22.dist.per totam, & maximè text. in cap. sacrosancta eadem dist. & 24. quæst.1. cap. manet, & cap. quodcumque, & cap. cùm beatissimus, & cap. hæc est fides,& cap. si Petrus cùm multis alijs eadem cau. & quæst. Ad idem detransf.Prela. c.1.de elect.fundamenta in 6. Et in glos. 24. q.3. in cap. ille, qui dicit quod sexto modo dicitur hæreticus, qui vult auferre priuilegium Romanæ Ecclesiæ 22. dist. omnes, & septimò qui transgreditur præcepta Sedis Apostolicæ. Ad idem glos.25. quæst. prima, violatores, & 19. distin. nulli fas, & Ioann. And. in cap. generali, in glos. in verbo inhibemus de elect. in sexto. Tales enim veniunt contra articulum fidei vnam sanctam Ecclesiam pro quo 23. distin. capitulo quamquam. Ista autem sint inserta, quæ ferè ad verbum sunt Ægidij in dicto cap. in fidei, de hæret. in sexto, & dicto cap. vnico de iniur. ad ostendendum, quod subtrahere se obedientię Romani Pontificis, nihil aliud est,quàm se à fide se parare,& à Christo qui cap.est Ecclesię se subtrahere.Et quia pauci sunt, qui opera Ægidij habeant,ideò pono ferè ad verbũ eius dicta aliquibus additis.

70 Quid dicendum? Vt tactum est supra in quæstione, ad quem spectet congregare Concilium, aliter dicendum est in vno indubitato Papa, & aliter in duobus contendentibus de Papatu,& fouentibus schisma, quia si sit vnus indubitatus Papa, & Papatus possessor, nullus princeps poterit eum compellere, neque terminum aliquem ei præfigere ad congregandum Concilium, neque obedientiam illi subtrahere per rationes,& iura proximè adducta,sed si causa esset necessaria pro vniuersali Ecclesia, & in causa hæresis contra eum, benè possent Principes eum requirere, & apud eum instare, vt congreget Concilium, sed non statim obedientiam subtrahere, & ipso detrectante, & diffugiente, per viam deuolutionis alijs negligentibus congregare Concilium, & aliàs per omnem aliam viam procurare, vt ab alijs congregetur, vt dictum fuit in supradicta quæstione. Et de ista materia, quando possit subtrahi obedientia Romano Pontifici, remitto ad ea, quæ dixi supra de Cardinalibus, quia discesserunt à Iulio, 2. & Concilium ei intimarunt. Vbi quando possit à Papa, vel inferioribus discedi propria authoritate. colligo ex dictis Doct. in cap. Anastasius 19.dist.& in cap.sacerdotes el.1. 2.quæst.7. & in cap. Nerui. 13. dist.maximè Domini, & post Ioan. Ant. in cap. vestra de coha. Cler. & mulie. & per Hostien. in capitulo per tuas de simon. & Doct. in cap. constitutus de appellat.24. quæst.1. cap. 1. & in cap.1. de schisma in cap.cùm non liceat de præscrip. & 8. quæst.4. nonne, & ibi bona glos. in summa eadem causam, & quæst.ibi vide. Et alia circa præfixionem termini ad congregandum Concilium quæstio fuit tractata supra per plura dubia, quando est vnus indubitatus Papa. Sed quando sunt
72 plures contendentes de Papatu, etiam in supradictis ad plenum colligitur, quod ex quo vnus ex contendentibus est verus Papa licèt incertus, & in Papa verò est suprema potestas, non poterit aliquis princeps eis præfigere aliquem terminum, nec subtrahere obedientiam sub comminatione, nisi cesserint, vel concordauerint. Poterunt tamen induci ad sedandum schisma per alia remedia, quæ pono infra in quæstion. quando sunt duo, vel plures contendentes de papatu, & non curant sedare schisma, vtrùm possint per Concilium deponi. Et si requisiti nolunt congregare Concilium, & tentatis omnibus remedijs non curant, vel negligunt, vel nolunt sedare schisma, tunc poterit eis subtrahi obedientia, & per eos ad quos esset facta deuolutio congregari Concilium, & subtrahi obedientia ita ab illo, qui est verus Papa, qui non curat tollere schisma, sicut ab illo, qui contendit de Papatu, & occupat. De quo dic, vt ibi, & in quæst. vtrùm ad tollendum schisma possit etiam verusPapa cogi ad cedendum.

LIBER OCTAVVS.

TRACTATVS DE CONCILIO.

SVMMARIVM.

lio, sed non damnari simpliciter à Concilio.
Et an ex hoc sequatur, quod Concilium sit iudex, & superior Papa, ibidem.

ARTICVLVS PRIMVS.

1 DIximus ex quibus causis possit per viam exceptionis contra Papam congregari Concilium, quæro nunc vtrùm possit accusari. Et primò verùm possit accusari de hæresi, vel simonia. Et iste articulus habet dependentiam ab illo, ex quibus causis possit Papa à Concilio deponi, de quo latiùs infrà dicetur, verùm quia plures sunt casus, in quibus licèt possit accusari non tamen deponi, & aliqui in quibus non potest accusari nec deponi, primò pro nunc videndum est vtrùm possit accusari de istis duobus, Et primò de hæresi. Videtur au-
2 tem, quod non, nam loquendo de accusatione iudiciali, & ad finem deponendi, & de canonicè electo, iste non habet superiorem, vt vult tex. in dicto cap. licèt in fin. sed vbi non est iudex non datur iudicium, vt in cap. forus de verbo signifi. in §. in omni igitur. Prætereà clarum est, quòd valet
3 sententia quantumcumque iniusta contra ius litigatoris lata, per transitum in rem iudicatam, vt in cap. cum inter de re iudi. Si igitur diceremus, quod Papa posset de hæresi accusari, posset contingere, quod falsò accusatus deponeretur, & sic verus Papa à papatu eijceretur, cum tamen non habeat superiorem, nisi solum Deum, vt in cap. nemo, & in cap. aliorum cum pluribus sequen. 9. quæst. 3. Nec obstat si quis
4 attentaret posse dici, quod ex quo est hæreticus est segregatus ab Ecclesia, vt in cap. 2.4. quæst. 1. & de hære. per to. Quia tunc sedes dicitur vacare, vel quasi vacare, sede autem quasi vacante non est superior, ad quem possit haberi recursus, & sede vacante Cardinales se non intromittunt, nisi de ijs, quæ spectant ad celerem electionis
5 expeditionem, & Camerarius, cuius officium non expirat, de ijs se non intromittit. vt in cle. ne Romani de elect. Facit, quod dicitur in cap. vnico post gloss. de schisma. in 6. Nec alius potest dici succedere in iurisdictione, nisi collegium, sicut in iurisdictione Prælati dicimus succedere capitulum, vt in cap. penult. & fi. de supplen. negli. prælat. in 6. de maio. & obe. cum olim, & cap. 1. eod. ti. in 6. & cap. 1. de insti. in 6. & cap. vnico ne sede vacan. eod. lib.
6 cum simil. Nec obstat si dicatur, quod hoc casu Concilium habet potestatem, quia videtur contra text. in d. cap. licet. Et si loquimur de Concilio prouinciali Romano, Ecclesia Romana vacante nullus in iurisdictione succedit, vt dicta cle. ne Romani, & sic nullus poterit Concilium conuocare, & si non vacat, Papa est, & solus præest, & solus Concilium conuocare potest. Si loquimur de vniuersali Concilio, hoc etiam nullus potest authoritatiuè conuocare nisi Papa, qui vniuersalis Dominus est, vt diximus supra, & patet 17. dist. per to. Nec potest dici, quòd aliqui Cardinalium, vel Prælatorum possent conuocare, quia par in parem, &c. cap. innotuit de elect. Nec principes temporales hoc facere possunt, vt in dict. cle. ne Romani in prin. Et si hoc facerent ex commissione ipsius Papæ hæretici, iam ipsum approbarent in Papam, argu. cap. quod autem de iure pat. Et si suasu alicuius, fortè Imperatoris, vel Regis, vel Prælati, ipsa vniuersalis Ecclesia se in eodem loco per modum generalis Concilij congregaret, non per hoc haberet potestatem generalem, sed solùm singuli in singulos suos subditos, 9. q. 3. cap. per singulas. Sola enim Romana Ecclesia habet potestatem de omnibus iudicandi, 9. quæst. 3. ipsi sunt cap. cuncta per mundum, & cap. per principalem, de priui. antiqua. de autho. & vsu pal. ad honorem. Nec alius quàm Papa eam dare potest, vt in cap. quod translationem de offic. lega. Et ideò solus Papa canonizat sanctos, eo quod sunt ab omnibus honorandi, vt notatur in rub. de reli. & vener. sanct. Facit 24. q. 1. hæc est fides, & c. quodcumque.

7 Et ex his Ægi. ponit conclusionem, quod de directo Papa non potest iudicialiter accusari de hæresi ad finem condemnandi eum, & pœnam infligendi, sed si accusatio capiatur pro extraiudiciali examinatione, ad effectum finalis deliberationis tendente, tunc Papa, qui dicitur in pertinacem hæresim lapsus, poterit de ista hæresi in generali Concilio per eum, vel de cius, aut dominorum Cardinalium, seu cuiuslibet alterius mandato, vel rogatu congregato, accusari. Et hanc opinionem reperio approbatam in certis allegationibus factis in fauorem Eugenij IV. incipiunt etsi plurimi, quas credo fuisse, Brixiensis. Et ita intelligitur, quod dicitur, quod Concilium cognoscit de hæresi Papæ, vt fuit obseruatum tempore Clementis V. vt ponit Abb. in rub. de hære. & specul. in tit. de accusato vers. item Papa, Marti. Lauden. in tract. Concilij in prima quæstione, & dixi supra, & infrà latè dicam, & dicitur in cap. si Papa, & in dicto capitulo in fidei,
8 de hæret. in 6. videlicèt, quod in Concilio discutitur, an sit hæreticus, & pertinax, & cum per Concilium declaratur talis, est ab eo discedendum, & alius eligendus. Et sic intelligitur tex. in dicto cap. licèt, & iura per quæ dicitur, quod Papa potest accusari de hæresi, 79. dist in. si duo in gloss. & notata in cap. in fidei, de hæret. in 6. & Hostien. in summa de accusat. §. quis accusari potest, & quod legitur, & not. 93. dist. legimus, & 4. dist. in istis, & 15. dist. sicut in fin. 19. dist in. Anastasius, & 24. quæst. 1. pudenda, & 2. quæst. 4. mandastis, & quæ scripsit Archid. in dicto cap. Anastasius. Et sic potest intelligi, quod dicit Innoc. in cap. ex parte el 1. de verbor. significat. cum dicit, quod si aliquis, vult aliquod crimen obijcere Papæ, de hoc nullus cognoscere potest, nisi agatur de hæresi, & Cardinal. Florent.

rent. ibidem, & Hostiens. & Ioann. And. in cap. proposuit. de conces. præben. Ad quod
9 facit illa gloss. 2. quæst. 7. in capitulo sicut laudabile, quæ vult, quod Concilium iudicare potest de Papa, sed non damnare, & sic poterit de hæresi in Concilio accusari. An autem possit se subijcere iurisdictioni Concilij, vide supra latè in loco proprio. Et per hoc etiam dicit Ægid. quòd si Papa subijciat se quo ad hoc iurisdictioni Concilij generalis authoritate ipsius congregati, poterit per Concilium iudicari, argum. notatorum 40. dist. si Papa, 2. quæst. 7. nos si incompetenter, & dicto capitulo mandastis, ff. iurisdiction. omnium iudic. l. est receptum, & 11. quæst. 1. si Clericus, & argum. eius, quod scripsit Hugo. 73. dist. in Synodo, & Archidiac. in dict. cap. in fidei,
10 & ibi communiter per Doct. Intelligendo tamen iuxtà prællegatam distinctionem quando extraiudicialiter, & non per viam iudicij ordinariè proceditur, alioquin dicit idem Ægid. veram esse opinionem illorum, qui tenent contrarium, per notata in dict. cap. nos si incompetenter, & per ca, quæ leguntur, & notantur in §. hinc etiam 17. dist. & cap. nunc autem 21. dist. iunctis notatis, 24. quæst. 1. cap. 1. ea potissimùm ratione, quia aut hoc fieret per modum commissionis, & hoc non, quia non habet iurisdictionem in seipsum, aut per modum verbalis simplicis commissionis, & hoc etiam non, quia non potest sic renunciare priuilegio suæ dignitatis, de foro compe. si diligenti, & cap. cum tempore de arbit. Et sic ex his videtur, quod Papa, non potest iudicialiter accusari in Concilio, sed tantùm extraiudicialiter, & idem concludit per omnia in simonia, semper sequens suam opinionem, quod possit Papa de simonia accusari. Ipse tamen Ægid. in d. c.
11 licèt in 32. char. ponendo quæstionem, vtrùm elect. à duabus partibus, & receptus, qui prætextu cuiuscumque criminis in eum obiecti, vel exceptionis, vel contradictionis à Papatus administratione impediri non potest, possit accusari in Concilio generali de aliquo crimine, vel defectu maximè notorio, quod reddat Papalem electionem nullam ipso iure, & vtrùm de hoc in Concilio conuictus, vel confessus possit per Concilium deponi, seu declarari intrusus, & ordinari de deiectione ipsius, ipse remittendo se ad prædicta dicit, quod licèt quo ad iudicialem examinationem, discussionem, ordinationem, ac finalem deiectionem, videatur hoc posse fieri in Concilio, tamen de veritate ipse est valdè dubius, nam licèt vniuersale Concilium vniuersalem Ecclesiam repræsentet, tamen supra, vel vltra vniuersalem Ecclesiam nihil habet, nec potest, & tamen illud vniuersale Concilium, arctat vniuersalem Ecclesiam ad habendum talem pro Papa, etiam si Papa non sit, igitur non potest eum non habere pro Papa, seù ordinare de eo non habendo pro Papa, nec examinare, vel distinguere an sit, vel debeat haberi pro Papa, & si debet eum habere pro Papa, igitur pro superiore, Igitur non potest in eum iurisdictionem exercere, 21. distinctione inferior. de maior. & obed. cum inferior. Item talis examinatio, discussio, vel ordinatio absque authoritate superioris fieri non potest, & tamen dicit tex. in dict. cap. licèt, quod non potest ad superiorem haberi recursus, hoc casu ergo cessabit ratio constitutionis, cap. licèt, & consequenter constitutio super falsa, & erronea ratione dicetur fundata.
12 Item non obstat si dicatur, quod quis fuit edita in Concilio generali, non debet includere ipsum Concilium l. inquisitio de solu. & ideò per Concilium edita per Concilium tolli potest, de regu. iu. omnis res. Quia respondetur, quod facta fuit in Concilio cum Papa. Ideò licèt possit per Concilium cum Papa reuocari, tamen à solo Concilio non poterit, vt notat Archi. in cap. vbi periculum de elect. in 6. & Paul. in cle. ne Romani eod. ti. nec est verum Concilium illud, in quo Papa, non residet, nec eius authoritate celebratur. Et fortè dici posset speciale esse in hæresi propter periculum in fide Catholica, in alijs enim vitijs non tantum versatur periculum. Et sic videtur velle Ægid. quod speciale sit in hæresi, & sentire contrarium eius, quod supra dixit. Et videtur seipsum confundere, in quantum vult, quo ad iudicialem examinationem hoc posse fieri in Concilio, cum tamen supra dixerit penitus contrarium. Per quæ concluditur, quod quo ad iudicialem examinationem non possit, sed secus quo ad extraiudicialem, vt supra dictum est etiam quo ad totalem depositionem, & electionem alterius Papæ. Vndè verè potest dici sicut ipsemet dicit, quod in ista materia fuit dubium, nisi dicamus quod in primo casu loquitur, quando est indubitatus Papa, & quod tunc non possit accusari iudicialiter, sed secùs quando est dubium, vtrùm sit verus Papa, & quod tunc possit accusari. Et loquitur sub dubio, & maximè quia similiter videtur innuere contrarium eius, quod simpliciter conclusit in simonia, in qua idem voluit, quòd in causa hæresis. Ipse tamen Ægidius in cap.
13 si Papa, 40. dist. in suo remissorio super dictionibus, in vers. item quæro an Papa possit istum casum excludere, videlicet, quod nec de hæresi possit accusari, dicit quod de facto bene potest excludere volentem eum accusare de hæresi, sed non de iure, quia sic doceret hæresim. Item si Papa esset hæreticus publicè, & de hoc non posset accusari, confunderetur tota Ecclesia, & periclitaretur generalis status Ecclesiæ, 15. distiu. sicut 25. quæst. 1. sunt quidam. Similiter idem Ægi. in dicto suo remissorio in dicto cap. si Papa, in vers. primum dubium, refert opinionem Archi. in cap. in fidei de hære. in 6. vbi tenet, quod Papa, possit accusari de hæresi, etiam si hæresis huiusmodi sit occulta, dummodo probari possit, & istam dicit esse communiorem, & eam sequitur. In qua opinione refert concordare gloss. in dicto cap. si Papa, & Ioan. de sicto, & Ioan. Ioannis in dict. cap. si Papa, qui dicunt ibi esse casum. Sed ipse Ægid. dicit, quod tex. ille non loquitur expressè de accusatione, sed benè sequitur opinionem Archi. tamquàm communiorem,

rem, & remittit se latiùs ad dicta sua in d. cap. in fidei in 2. quæst. & in cle. dudum in 4. nota. de sepul. Et idem concludit ip-
34 se Ægid. in simonia ibidem in dicto remissorio, scilicet quod possit de illa accusari, in dicto cap. si Papa, in vers. sed numquid de simonia, & in vers. quintum dubium. In quibus locis refert aliquos dicere, quod Papa, nec de simonia, nec de alio crimine potest accusari etiam si sit notorium, quia quod Canon non excipit, nec nos excipere debemus, & quia si Papa est hæreticus, non sibi soli nocet, sed toti mundo, præsertim quia simplices, & idiotæ facilè sequerentur illam hæresim, cùm crederent non esse hæresim, sed in crimine simoniæ, furti, fornicationis, & similibus criminibus, sibi soli videtur nocere, cùm omnes sciant, quod nulli licet fornicari, furari, vel simoniam committere, & huiusmodi. Et tamen ipse concludit, & tenet contrarium, videlicet quòd de quolibet crimine notorio Papa possit accusari, & condemnari si admonitus non vult cessare, qui enim publicè furatur, publicè fornicatur, publicè committit simoniam, publicè habet concubinam, publicè eam cognoscit in Ecclesia iuxtà, vel supra altare, & admonitus non vult cessare, non accusabitur, non eijcietur, non condemnabitur, nonnè sic scandalizare Ecclesiam est, tamquàm hæresim committere. Item considerat Ægid. quod contu-
35 macia est hæresis, 81. distinct. si qui presbyteri, & contumax dicitur infidelis, 28. dist. nullus. Vndè dicit idem esse in quocumque alio crimine notorio, quod est in hæresi. Et respondet ad tex. in dicto cap. si Papa, quod loquitur de hæresi gratia exempli, non quod non posset de alijs criminibus notorijs accusari. Dicit tamen, quod fortè in eo posset esse differentia inter hæresim, & alia crimina notoria, quod de crimine hæresis Papa potest accusari, si hæresim publicè prædicat, & non vult desistere, quamuis tale crimen non sit notorium, sed de alio crimine non potest accusari nisi sit notorium, ergo de occulto crimine non potest accusari. Et sic si rectè inspiciamus, vix intelligitur, quid sibi velit Ægid. in dict. cap. 1. si Papa in suo remissorio, in dicto vers. sed numquid de simonia, quia videtur dicere inter se contraria, dum ponit Papam hæreticum publicè hæresim prędicantem non esse notorium hæreticum, sed occultum, & sic, quod illud quod fit publicè dicitur occultum: præterea conclusio, quæ habetur ex dictis eius non est in simplici crimine simoniæ, & aliorum, sed in crimine, per quod scandalizatur Ecclesia, qui casus est diuersus à casu hæresis, quod simpliciter. Ponitur, videlicet quod Papa hæreticus potest accusari, vt infrà latiùs ostendetur. Vndè ipse Ægid. in dicto cap.
36 si Papa, in vers. quintum dubium, ponendo quæstionem vtrùm Papa, de alio crimine, quàm de hæresi, puta de simonia, vel adulterio, possit accusari, refert opiniones quorumdam antiquorum. Et primò Hugonis, qui generaliùs loquens recitata opinione, quæ habet quòd non, siuè sit crimen notorium, siuè occultum, finaliter dicit se credere, quod idem sit de quolibet alio crimine, quod de hæresi, videlicèt, quod Papa possit de tali accusari, & damnari, si admonitus non vult cessare, ita quòd sit incorrigibilis. Et sic Hugo. cum duabus modificationibus, vult quod Papa, possit accusari, scilicet si crimen sit notorium, & si Papa sit incorrigibilis. Secundò refert
17 opinionem Ioannis de Ficto, qui concordat cum Hugone, nisi quod addit tertiam modificationem, scilicet si crimen illud Ecclesiam scandalizaret. Et dicit quod hanc limitationem sequitur Ioann. Theutonicus in gloss. Tertiò refert opinionem
18 Ioann. Ioannis qui addit aliam limitationem, videlicèt si scandalum illud versatur circa fidem Catholicam, vt puta si quia Papa in crimine simoniæ notoriè peccat, & incorrigibiliter perseuerat, ortum est circa fidem scandalum in Ecclesia, quod plures sunt, qui tenent, quod conferre ordines, & beneficia per simoniam, aut venalitatem non est peccatum, quia Papa notoriè hoc facit, & in hoc incorrigibiliter perseuerat, dicunt enim fortè, quod si peccatum esset, Papa hoc non faceret prę-sertim tam publicè, vel saltem super hoc admonitus se emendaret, cùm de Papa non debeamus præsumere, nisi bonum, vt in
19 cap. non nos. 40. dist. Tunc enim esset periculum status Ecclesiæ, quia per hoc ad hæresim deuenitur, credere enim non esse peccatum, quod per Ecclesiam reputatur esse malum, & damnatum, & quod per Ecclesiam prohibetur, & punitur tamquàm peccatum, sicut credere quod vsura non sit peccatum, error est, & hæresim sapit, vt patet in clement. ex graui. §. sanè de vsu. in ratione sui, quæ generalis est. Quartò
20 tandem Ægid. innixus authoritatibus prędictis ponit primò regulam. quod Papa, si non sit à fide deuius de nullo crimine accusari potest, sumendo eam ex tex. dict. c. si Papa. Sed ait, quod talis regula fallit concurrentibus tribus limitationibus, videlicèt, si crimen est notorium, & Papa incorrigibilis, & per hoc scandalizatur Ecclesia circa fidem Catholicam. Et cùm tot graues Doctores, Hugo, Ioannes de Ficto, Ioann. Glosator, Ioann. Ioannis, hoc sentiant, nec Bartholomæus, nec Petrus, nec quicumque alij Glossatores contradicant, & ista opinio habeat in se magnam æquitatem, & rationem, dicit quod non præsumit discedere ab eorum opinionibus.
21 Vndè sequendo tres primos Doctores dicit posse teneri, quod fallit etiam dicta regula, dum est huiusmodi crimen notorium, in quo Papa incorrigibiliter perseuerat, & ex quo Ecclesia scandalizatur, & subuertitur, vel peruertitur status Ecclesiæ, vt puta si Papa ad ordines, & beneficia per venalitatem, & simoniam indistinctè promoueret, & propterea multi Episcopi, & electores, præsentatores, alijque collatores malum eius exemplum imitantes attentarent similia, sicque Ecclesia pro magna parte regeretur per intrusos, ex quo sequeretur magna subuersio status Ecclesiæ, & ideo de hoc accusari posset, quia non debet permitti aliquid facere, per quod generalis

status

ſtatus Eccleſiæ deformetur, vigeſimaquinta q.1. ſunt quidam.

22 Idem etiam tenet in ſimonia Abb. Siculus in cap. ſignificaſti in 4. colum. de elect. qui limitando gloſs. in dict. cap. ſi quis pecunia intelligit dummodo non ſit talis ſimonia, quæ induceret peccatum notorium, & ſcandalizaret alios, & in ea eſſet incorrigibilis per notata in cap. ſi Papa 40. diſt. Et idem dicit Abb. in quolibet alio crimine ſcandalizante Eccleſiam, de quo eſſet incorrigibilis, ſcilicet quod poteſt accuſari. Et ita dicit quod ipſe ſemper tenuit in dict. cap. ſignificaſti in 3. colum. quod ſi Papa eſt notorio crimine inuolutus, & ſcandalizat alios, & eſt incorrigibilis, poteſt puniri, vt hæreticus, allegat. dict. gloſs. in d. cap. ſi Papa, quam dicit ab omnibus communiter approbatam. Immò plus idem Ægid. in §. hinc etiam diſt. 17. dicit ibi eſſe text. quod quando Papæ impingitur crimen, per quod ſcandalizatur Eccleſia, tunc Epiſcopi de diuerſis prouincijs debet congregari in Concilio ad prouidendum, & curandum, vt tollatur ſcandalum Eccleſiæ, & vt corrigantur, quæ fuerint corrigenda. Item quod tunc Epiſcoporum congregatio poterit fieri auctoritate Principis ſecularis, ſi forte Papa hoc negligit, & Epiſcopi hoc per ſe facere non curant, vel non audent, vel non poſſunt. Ex quo apparet, quod etiam ratione criminis notorij per quod ſcandalizatur Eccleſia, debet congregari Concilium, etiam ſi non interuenerint alia præmiſſa. Quod, vt credo voluit intelligere quando requiſitus, & monitus, vt

23 deſiſtat, eſt incorrigibilis. Quinimò idem Ægid. dicit in cap. ſi Papa diſt. 40. in verſic. ſextum dubium, quod quando Papa qui contenderet cum alio de Papatu eſſet admonitus, vt pro ſedando ſchiſmate cederet iuri ſuo, vt tertium eligerent ad hoc, vt ambobus cedentibus ceſſaret diuiſio, & ſcandalum in Eccleſia, cui per aliam viam non poſſet prouideri, ſi admoniti cedere nollent, poſſent ex hoc accuſari in Concilio, quia ſcandalizarent, & peruerterent bonum ſtatum, & vnitatem Eccleſiæ, & inducit ad ſchiſma, quod fuit tempore Benedicti XIII. & Bonifacij IX. Ex quo apparet, quod erit legitima cauſa congregandi Concilium, de quo aliquid diximus ſupra in art. ad quem ſpectet congregare Concilium. Et per hoc conſidera vnum, quod ipſe videtur velle, quod quando ſunt duo contendentes de Papatu poſſunt admoneri, vt cedant, & ſi nolunt, ratione ſcandali poſſunt in Concilio accuſari tamquam nutri-

24 tores ſchiſmatis. Ipſe tamen Ægid. in c.1. de renunc. in 6. in verſic. quartò quæritur, vbi eſſet vnus Papa, qui etiam eſſet factus hæreticus, concludit quod non poteſt cogi ad cedendum etiam ſi ſe ſubmiſiſſet, Concilio, & ante ſententiam pœnituiſſet, ſed ſi de hæreſi conſtaret, poſſet declarari ſi eſſet pertinax ipſum amiſiſſe Papatum, iuxta c. cum ſecundùm de hæret. in ſexto, de quo ſupra aliquid diximus, & infra latiùs dicemus. Et ex his apparet quod Ægid. voluit

25 aliud eſſe in crimine hæreſis, quia in illo ſequendo communiorem opinionem vult, quod poſſit Papa accuſari ſiue ſit notorius hæreticus, ſiue occultus, dummodo poſſit probari ſecundùm opinionem Archid. & ſequentium in dict. cap. in fidei, vt ſupra retuli, ſed quod in crimine ſimoniæ, & alijs criminibus non poſſit accuſari Papa, niſi concurrentibus ſaltem illis tribus modificationibus videlicet, quod crimen ſit notorium, & Papa incorrigibilis, & quod ſcandalizetur Eccleſia circa fidem catholicam. Vnde hic ſentit contrarium eius, quod ſupra dixit in dict. cap. licet, & dict. cap. ſi Papa, cùm de ſimonia idem quod de hæreſi ſentire videbatur, quia nunc idem ſentit de ſimonia quod de alijs criminibus, ſed de hæreſi aliter quàm de alijs criminibus. Quæ varietas inſurgit propter paucitatem iuriũ de iſta materia loquentium. Iſtam opinionem, quam dicit Ægid. communiorem in Papa hæretico, ſcilicet quod propter hæreſim poſſit accuſari, poſt Archid. tenet Ioannes Andreas in nouella, Petrus de Ancharanis, Dominicus, Philippus, & alij

26 Scribentes in dict. cap. in fidei. Collectarius in cap. olim de accuſat. primò arguendo, quod non poſſit accuſari, dicit quod Papa, cum non habeat iudicem ſupra ſe non poteſt accuſari ſimpliciter loquendo, nec Imperator, qui non habet ſuperiorem, niſi ratione peccati coram Papa, ſed de hæreſi dicit allegando Hugo. poſſe Papam accuſari conuocatio Concilio generali, quod non iudicabit eum, quia eo ipſo quod apparebit ipſum eſſe hæreticum priuatus erit omni iure, & priuilegio 8. diſt. quo iure. Refert poſtea opinionem Ioann. & Laurent. quod Concilium eſt iudex competens ad condemnandum Papam de hęreſib. de quo infra dicemus. Et ſic vult, quod poſſit coram Concilio accuſari, & idem Archid. & Domin. & Modern. in dict. cap. ſi Papa, & eamdem tenent communiter Doct. in cap. propoſuit, maximè Abb. de conceſ. præbend. & idem Abb. in cap. cum veniſſent in 3. colum. de iudic. & in capit. ſignificaſti 2. colum. de electio. & eſt communis omnium opinio in dict. cap. ſi Papa & cap. propoſuit de conceſ. præbend. in d. cap. in fidei, & iſtam opinionem ſequitur Cardin. de Turrecremata de poteſtate Papæ circa fin. & idem etiam Ægid. in d. c. in fidei, & latiùs in Clement. 2. de ſepul. & eſt, vt tactum eſt, communis opinio Scribentium in dict. cap. ſi Papa, & in d. c. in fidei, quam etiam Aluarus de planctu Ec-

27 cleſ. lib. 1. art. 5. Quod intelligitur in hæreſi etiam ſi ſit occulta, dummodo probari poſſit, vt in leg. eos C. de appellat. quia tunc ſecundùm veritatem tale crimen dicitur manifeſtum, ſecundùm quod legitur, & notatur 11. qu. 3. eorum. Cum etiam dicatur quandoque occultum, & ſecretum, quod quinque ſciunt, vt legitur, & notatur de pœnitent. diſt. 2. §. econtra; verſic. filij namque, vt dicit Archid. & refert Ioannes Andreas in dict. cap. in fidei, vbi etiam dicunt quod iſto caſu iudex erit Concilium & idem Ægid. ibi in dict. cap. ſi Papa, verſic. ſecundùm dubium, & in dict. cap. in fidei in 2. qu.

28 Et idem eſſet de Papa nutriente ſchiſma inue-

inueteratumquia tunc potest procedi contra eum, sicut contra Papam hæreticum, nam fouens schisma inueteratum potest dici hæreticus, quia facit contra illum articulum fidei, vnam sanctam Catholicam Ecclesiam, vt notatur in Clement. ad nostrum de hæret. 7. quæst. 1. cap. 1. non autem in gloss. magna, secundùm Petr. de Monte in sua Monarchia in quæstione, an & quando Concilium sit supra Papam, qui assignat rationem, quia schismaticus intendit sibi constituere Ecclesiam, & vniuersalem Ecclesiam impugnare c. inter hæresim 24. qu.3. & ibi gloss. ponit sanctus Thomas in secunda secundæ qu. 39. atr. 1. Nutrire autem schisma, & persistere, non paratus corrigi, dicitur ille, qui quantum in se est schisma euellere non curat cap. 2. in fin. de summa Trinitate in Clement. 1. §. porro in verbo pertinaciter eod. tit. in gloss. & 24. qu. 1. cap. schisma, cum duobus sequent. & cap. pudenda. Pro quo facit quod ponit Cardin. in Clement. ad nostrum §. cum autem de hæret. Nec obstat cap. nemo 9.
29 qu. 3. quia ille text. loquitur in Papa fideli, & catholico. Dicit tamen idem Ægid. in dict. cap. si Papa, quod postquam probatum est crimen hæresis contra Papam Concilium non debet ipsum condemnare, ipsemet seipsum per dict. cap. nunc autem dist.21. Quod intelligit verum, quando ipsemet vellet seipsum condemnare, & Concilium consentiret, sed secus si Concilium non consentiret. Et ita videtur velle idem Ægid. in dict. cap. in fidei de hæret. in 6. vide Abb. in dict. cap. proposuit de concess. præbent.

30 Sed an propter simoniam, & alia crimina notoria Papa possit accusari, est valdè ambiguum, de quo in dict. cap. si Papa, & dicemus infra in loco suo. Archiepiscopus Florentinus in 2. par. sum. in tit. 3. de superbia cap. 11. versic. schisma autem dicit, quod Papa non potest iudicari à quocumque quia nemo iudicat primam sedem, vt in cap. nemo cum 4. sequent. 9. quæst. 3. nisi in tribus casibus. Primò in foro pœnitentiæ, quia tunc iudicatur à confessore, qui tenet locum Dei in terris. Secundò cum se sua sponte submittit iudicio Ecclesiæ, Concilij, vel alterius, sicut accidit in Symmacho Papa, & Leone, vt 2. qu. 4. auditum 2. qu.7. nos si incompetenter. Tertiò in crimine hæresis per dict. cap. si Papa. Et hoc verum est, si se non vellet emendare, nam vbi se emendaret, nec tunc deponeretur propter quoddam decretum factum in Concilio Constantien. Addit, & quartum
31 casum scilicet in casu schismatis, quod dicit intelligendum in schismate dubio, videlicèt cùm est dubium quis sit verus Papa quia duo sunt Pontifices creati, & ignoratur vter sit verus Papa. Et finaliter concludit quod pro nullo peccato possit Papa deponi excepta causa infidelitatis. Sed de his infra latiùs dicetur.

32 Sed pro nunc loquendo in casu hæresis dic, quod si tractaretur de hæresi, quæ impingeretur Papæ iam defuncto, qui accusaretur, tunc eius cognitio spectaret ad successorem, vt dicit Ægid. & Doctor. in cap. in fidei, de hæret. in 6. & in cap. 1. 24. qu. 1. nec esset opus congregare Concilium isto casu. Sed Collectarius in dicto capit. olim tenet, quod successor, siue Concilium erit iudex competens, quia post eius mortem cessat Principatus. Quinimmò isto casu, ex quo agitur de damnanda memoria, non admittetur via denuntiationis delicti, vel querelæ, sed debebit fieri inscriptio ad pœnam talionis, vt puniatur ea pœna, si deficiat in probando qua punitus fuisset ille si superuiueret, & condemnatus fuisset. Ita Laurent. & Ioann. & alij 24. qu. 2. cap. sanè in gloss. & Doct. maximè Ægid. in cap. filij, vel in princ. de hæret. in 6. Et vide omnino, quod allegat Alb. de Ros. vtrùm cognitio sit successoris, an Concilij in rub. C. de hæret. qui dicit hoc contigisse tempore Clementis V. coram quo impugnabatur de hæresi memoria Bonifacij VIII. procurante Rege Franciæ, existentibus accusatoribus Dominis Gulielmo Nogareno, & Gulielmo Plasiano. Et tunc fuit magna concertatio vtrùm Papa, an Concilium haberet cognoscere, quia Dom. Richardus de Senis diaconus Cardinalis sancti Eustachij defendebat memoriam Papæ Bonifacij, & allegabat, quod Clemens non poterat cognoscere, quia par in parem non habet imperium, vt in capitulo innotuit cum similibus de electión. & propter scandalum, quod sequi poterat propter multos per eum pro-
33 motos, & vbi timetur scandalum tunc vindicta Dei iudicio reseruatur quarta distinctione capitulo denique, prima quæstio. 7. cap. quotiens 23. quæst. 4. non potest, & cap. ipsa, & not. Hugo in dicto cap. denique. Et si viuente Bonifacio Concilium cognouisset, vt 17. distinct. capitulo hinc etiam, cum simil. multò fortiùs eo defuncto, quia grauiùs delinquitur in defunctum, quàm in viuentem, arg. ff. de sepul. violato l. qui sepulchra. Et vltra allegabatur ita seruatum fuisse in hæresi Nestorij in prima Ephesina Synodo damnata deinde in Chalcedonen. 15. dist. cap. Sancta Romana Cod. de hæres. l. damnato, & l. quicumque in princ. Et quod idem fecerat Alexander III. qui congregauit Concilium Lateran. vt in cap.1. de schismat. Et ex his, & quibusdam alijs rationibus ibi per eum adductis fuit materia valdè difficultata. Et ista eadem refert Petrus de Monte in sua Monarch. in quæstione vtrùm Papa sit maior Concilio an ècontra in 2. char. & secunda conclusione, nulla facta mentione, de Alberico super dicta rubr. Quo-
34 rum vterque concludit præmissis non obstantibus seruatum fuisse contrarium, videlicet, quod successor cognoscat, & quod non sit opus congregare Concilium, per dictum Archidiaconi in d. cap. in fidei de
35 hæret. in 6. pro cuius opinione facit, quod post obitum eius, de cuius memoria tractatur, non conuenit dicere, quod par in parem non habet Imperium, quia illo defuncto cessauit in eo dignitas Pontificalis cap. si gratiosè cùm simil. de rescrip. in 6. Et ad alia potest facilè responderi, & communiter Ioann. And. & alij post Archid. tenent quod coram successore, & quod non sit necess-

necesse congregare concilium, sed quando fuit damnata memoria Formosi fuit congregatum Concil., vt legitur in Platina de vitis Pontif. Et hic adde quæ dixi in artic. quid quando Papa efficitur inutilis, vel fu-
36 riosus. De Papa autem non defuncto vtrùm possit accusari de omni hæresi, dic quod si est hæresis damnata per Ecclesiam, & talis fortè quæ directè est contra articulos fidei clarè tunc procedunt prædicta, quod de tali hæresi strictè sumpta potest accusari, sed si est hæresis, quæ non sit declarata, sed fortè articulus dubius, & quem Papa negat esse hæreticum, tunc non poterit accusari, donec per Ecclesiam, id est per Concilium generale fuerit declaratum, quod articulus ille sit hæreticus, vt ponit Hugo Archid. & Alexand. in d. cap. si Papa, in verbo deuius, & refert Ægidius in versic. tertium dubium. Sed postquam erit declaratum per Concilium, si non desistat poterit accusari. Ita Alexand. in d. cap. si Papa. Adde tamen vnum dictum Anton. in cap. cùm venissent de iudic. in penult. column. quod eo casu, quo quis vult conuenire Papam, non poterit contra eum agere sine eius permissione, & nisi petita venia. Sed ego intelligo dictum Anton. in alijs causis, in quibus esset agendum contra Papam, quas ipse alij committeret, & non in causa hæresis.

37 Sed hìc quæritur, quæ illa hæresis damnata. Circa hoc considerandum est primò quod tribus modis dicitur hæresis damnata secundùm Ægid. in cap. Anastasius distinct. 19. Primò cùm sacra scriptura eam specialiter, vel generaliter damnat, vt 24. quæst. 3. cap. quidam, & de hæres. excom-
38 municamus. Dicuntur autem sacræ; seu Canonicæ scripturæ vetus, & nouum testamentum, & Concilia generalia per Romanam Ecclesiam approbata, & opuscula Sanctorum Patrum, & Doctorum Ecclesię approbata à Romana Ecclesia, & recepta, vt dist. 15. sicut enim, & cap. sicut Romana & dist. 16. per tot. præsertim cap. sancta octo, & cap. prima autem. Et etiam decretales epistolæ, seu constitutiones Romanorum Pontificum, vt dist. 19. per tot. præsertim cap. in memoriam cap. nulli cap. in canonicis, & cap. ita Dominus. Secundo modo dicitur hæresis damnata quando est patenter contraria doctrinæ, seu determinationi alicuius sanctæ, seu Canonicæ scripturæ, in ijs quæ pertinent ad sacram scripturam, & fidem Catholicam, vel ad saluationem animarum, vel ad potestatem, seu auctoritatem Ecclesiæ, aut ad veritatem, & approbationem sacrarum, seu Canonicarum scripturarum per Ecclesiam receptarum, & approbatarum. Exemplum de ijs, quæ spectant ad fidem Catholicam, vt si quis pertinaciter aliquid assereret contra articulos fidei, & contra sacramenta Ecclesiæ, aut circa pertinentia ad illa per sacras, seu Canonicas scripturas determinata vt in cap. damnamus de summa Trini. Exemplum de ijs, quæ tangunt saluationem animarum, vt si quis pertinaciter assereret non esse peccatum, quod per scripturam sacram, seu Canonicam determinatur esse peccatum, vt puta vsuram non esse peccatum, vt in Clement. 1. sanè de vsu. Exemplum de ijs, quæ pertinent ad Ecclesiæ potestatem, vel auctoritatem, vt si quis potestatem ligandi, vel soluendi datam à Christo Ecclesiæ, & Petro, & Apostolis, & in persona Petri, & aliorum Apostolorum eorum successoribus Romanis Pontificibus, Episcopis, & sacerdotibus pertinaciter negaret, aut pertinaciter assereret Petro, & in persona Petri successoribus eius Romanis Pontificibus non fuisse concessum à Christo Vicariatum generalē, ac Principatum vniuersalem super omnes Catholicos, maximè in spiritualibus, vt in extrauaganti Bonifacij VIII. vnam sanctam similiter si quis negaret Romanum Pontifice, virtute prædictę potestatis ei datæ à Christo posse decretales, vel statuta edere, vel teneret decretales, vel statuta Romanorum Pontificum inter scripturas sacras canonicas, vel auctoritates nō annumerandas cap. nulli fas dist. 18. Exemplum de ijs, quę pertinent ad veritatem, & approbationem sacrarum, & canonicarum scripturarum, vt si quis pertinaciter assereret, quod scripturis, quæ continentur in canone Bibliæ veteris, vel noui testamenti, aut Concilijs per Ecclesiam receptis, & approbatis, aut in decretalibus, decretis epistolis, vel Canonibus Romanorum Pontificum, aut in opusculis quatuor Doctorum Ecclesiæ, & aliorum sanctorum Patrum ab Ecclesia receptis. aut aliquibus eorumdem, non debet fides adhiberi, vt 15. & 16. d. cap. prima autem, & tribus seqq. Quod intellige de dictis eorum non correctis, quia talibus non est standum. Item intellige, nisi dicta sint inter se contraria, quia tunc liceret eligere, quod placeret, de quo in cap. ne innitaris de constit. item dicitur hæresis damnata, quando eius damnatio, vel reprobatio patenter, & clarè potest inferri ex ijs, quæ per sacram scripturam, seu Canonicam sunt determinata expressè, licèt verba scripturæ sacræ, seu Canonicæ casum talem expressè, non tangant, quia damnans aliquid tamquam erroneum, etiam damnare videtur, quæ per consequentiam necessariam sequuntur ex illo Cod. de legibus l. non dubium. & ff. de regul. iur. cum quid
39 Hæresis autem non damnata est illa, super cuius damnatione, vel reprobatione Ecclesia, seu sacra, vel Canonica scriptura nihil expressè disposuit, nec super veritate illi contraria aliquid ordinauit, seu determinauit, & cuius reprobatio ex dictis ordinatis dispositis, seu determinatis per scripturā sacram patentes, & clarè inferri non potest, & cuius determinatio est adeò dubia, quod sententiæ auctoritate Ecclesiæ Catholicæ super hoc ferendæ reseruatur, secundùm Ægid. in d. cap. Anastasius distinct. 19. Et quod dicitur de hæresi, dicitur de idolatria, vt in cap. nunc autem dist. 21. & semper præsumitur contra aliquem, qui facit actus hæreticales, vel idolatricos, & ex illis potest induci ad se purgandum. Di-
40 cuntur autem actus hæreticales, vel idolatrici, qui sunt contrarij, vel oppositi actibus, quibus solet fieri professio fidei, & religio-

ligionis Christianæ, & cultus diuini, sicut est genuflexio coram Sacramento Altaris, & ingressus templi, & similia. Et in hoc multum valet vsus hominum talia signa accipientium. Vnde si quis exhibet talia in honorem Machometi, vel idolorum, aut si oppositis factis detestatur Sacramentum Altaris, & templum Dei, & sacras Imagines, & similia facit haberi debet de hæresi, vel idolatriæ suspectus, & hoc secundùm, quod causæ plus, vel minùs aggrauarent, vt dicit Ioannes Gerson in tract. de auferibilitate Papæ ab Ecclesia in 18. consideratione.

41 Et in hæresi, quæ non esset directè contra articulos fidei licèt aliàs damnata, quamuis præfati Doctores voluerint eum posse accusari maximè quando est notoria hæresis, & voluerint in d. cap. in fidei, quod Concilium sit iudex, tamen limitando intelligo in exequendo in casu, quo se non corrigeret, vt infrà dico, non quod Concilium sit iudex in condemnando, quia propter hæresim est à iure condemnatus, sed partes Concilij sunt in declarando eum hæreticum quando ipse non vult in seipsum sententiam ferre, vt in d. cap. nunc autem dist. 21. & dict. §. hinc etiam dist. 17. Accusari igitur potest simpliciter, sed non damnari simpliciter à Concilio, vt infrà latiùs dico in articulo, an possit deponi. Et si dicatur, si potest accusari in Concilio, Concilium est iudex, & superior. Respondetur, quod hoc casu potest intelligi, quod sit iudex, sicut quilibet alius Princeps potentissimus, vt puta Imperator, qui via facti comprimit, & deijcit hæreticum, qui desijt esse Papa propter hæresim, vt dicitur in d. cap. si Papa. Et hoc modo legimus plures Pontifices eiectos per Imperatores, de quo vide, quæ infrà latiùs dico in artic. ex quibus causis possit Papa deponi. Et ibi vide quomodo per viam cuiusdam ordinationis declarando Papam depositum, quia confessum, vel conuictum de hæresi, possit per Concilium procedi, & quo ad hoc potest dici, quod Concilium plus possit sit in causa Papæ hæretici, quàm quicumque Princeps, nam & Concilium est iudex inter duos contendentes de Papatu, in d. cap. si duo, non autem Imperator, vel alius Princeps d. §. hinc etiam. & dist. 69. cap. bene quidem, cum pluribus sequent. quia non possunt se quoquo modo intromittere de Papa, vt in cap. futuram 12. quæst. 1. & d. §. hinc etiam nec de rebus Eccles. non alien. & cap. sacrosancta, & cap. massana de electione. cum similibus.

SVMMARIVM.

1 *Papa, qui se corrigit ab errore, & paret mandatis Ecclesiæ an retinebit Papatum.*
Et distinguitur inter hæresim iam damnatam, vel non damnatam numero 2. & num. 8.
3 *Et quid si hæresis est iam damnata, & Papa pertinax num. 10.*
Papa paratus corrigi non deponitur immò, nec quicumque alius paratus corrigi damnatur num. 5.
4 *Cap. dixit Apostolus 24. quæst. 3. intellectus & num. 7.*
6 *Papalia si dicatur habere iura in scrinio pectoris, tamen fallit eum sæpè iurium obliuio.*
Et illud intelligitur præsumptiuè, vel iuris interpretatione ibid.
7 *Papam accusare malum, & periculosum est, quia accusatori posset malum accidere.*
9 *Cap. excommunicamus il 2. §. si qui autem de hæreticis, an habeat locum in Papa, vt si sit deprehensus in hæresi iam damnata, & corriget se non sit audiendus, & non retineat statum suum, sed detrudatur ad peragendam pœnitentiam.*
10 *Papa, qui incidit in hæresim iam damnatam, & est pertinax, nec vult emendari, est deponendus.*
11 *Pertinax dicitur ille, qui coràm inquisitore persistit in suo errore.*
Et talis dicitur, licèt post tempus gratiæ rediret.
13 *Deprehensus in hæresi quando quis dicatur.*
14 *Denunciatio Papæ ratione hæresis quomodo fiat.*
15 *Admonens debet esse talis, cuius admonitio debeat mouere animum admoniti.*
Et debet etiam attendi forma admonitionis, ibidem.
16 *Denunciatio vnica, an sufficiat contra Papam in casu hæresis.*
17 *Papa quando accusatur de hæresi debet accusari in Concilio.*
Sed si accusetur de alio crimine, quàm de hæresi, de quo tamen possit accusari, tunc Concilium an possit ferre sententiam, ibidem.
18 *Papa si ferat contra se sententiam non dicitur propriè sententia, sed ordinatio.*
19 *Denunciatio Euangelica, an fieri debeat quando peccatum proximi est ita occultum, vt nullo modo probari possit.*
20 *Papa si peccauerit, & probari possit non habet locum in eo illud.*
Dic Ecclesiæ, nisi in casu hæresis.
21 *Hæreticus iam est proprio iudicio condemnatus,*
Et perdit ipso iure omnem potestatem ibid.
22 *Papa an possit accusari de simonia, & alijs criminibus, in quibus sit incorrigibilis.*
23 *Gloss. in cap. si quis pecunia dist. 79. declaratur.*
Et limitatur per aliam gloss. in cap. si Papa dist. 40. num. 24.
25 *Papa pro notorio crimine, in quo est incorrigibilis, & scandalizat Ecclesiam, potest puniri tamquam hæreticus.*
Et licèt pro alijs criminibus non possit deponi, potest tamen reformari. num. 33.
Et talis dicitur turbare vniuersalem statum Ecclesiæ, num. 26.
Et an pro tali crimine possit deponi, numero 29.
Et Auctoris opinio num. 30.
27 *Concilium contra Ioann. XII. fuit congregatum ad eum deponendum propter incorrigibilitatem.*
28 *Papæ non est obediendum, quando præcipit aliqua*

qua propter quæ fudt ventura scandala, vel mala in Ecclesia.
31 *Cap. illud sanè 24. quæst. 3. intellectus.*
32 *Papam non habere superiorem quomodo intelligendum.*

ARTICVLVS II.

1 SEd pone, quod Papa postquàm est accusatus de hæresi confiteatur errorem suum, & reddat se corrigibilem, & paratum ad mandatum Ecclesiæ reuocare errorem, an tunc indistinctè poterit retinere Papatum sublata accusatione? Et dicendum est, quod si hæresis, in quam Papa
2 dicitur lapsus non est per Ecclesiam damnata, tunc debet expectari tempus sententiæ ferendæ, vt distin. 17. §. hinc etiam, & dist. 8. qu. 3. nonne. Et nunc post sententiam latam, per quam damnabitur hæresis, si Papa se corrigeret, dicendo postquam video hanc opinionem, quam tenui tamquam erroneam, & hæreticam per Ecclesiam fuisse damnatam, paratus sum corrigi, & illam reuoco, sufficeret etiam ad retinendum statum suum, vt ponit gloss. & Doctor. in capit. nunc autem distinct. 21. Si autem hæresis, in quam lapsus est, erat damnata per Ecclesiam, tunc si antè admonitionem, de qua in capit. dixit Apostolus dist. 24. quæst. 3. & ad Tit. 3. & antè deprehensionem in ipsa hæresi, de qua in capit. excommunicamus, il 2. §. si qui autem, de hæret. ipsum pœnituerit, & se correctum reddiderit, sufficiet etiam ad retinendum statum suum per dictũ cap. dixit Apostolus, & §. si qui autem. Et in hoc etiam casu procedit gloss. in dicto capit. nunc autem, secundùm Ægid. ibi, qui dicit,
3 quod si Papa paratus est corrigi non deponetur, quia tunc talis opinio occulta, vel dictum occultum antè publicationem censetur magis ex animi leuitate, aut sacrarum literarum obliuione, aut mala attentione, quam ex infidelitate ortum, pro quo facit text. in capit. vt officium, de hæret. in 6. Et licèt Archidiaconus in dicto cap.
4 nunc autem, voluerit, quod capit. dixit Apostolus, intelligatur in ignorante sacram Scripturam, & non intelligente id, quod tenet esse hæreticum, & propterea, quod ille text. non excuset Papam, qui habet iura in scrinio pectoris cap. 1. de constit. & ideò, quod ille text. non loquatur in Papa, in qua opinione fuit etiam Laur. secundùm quod refert Dominic. in dicto cap. nunc autem, qui etiam dicunt, quod factum cum Marcellino, in dicto cap. nunc autem, processit ex dispensatione, tamen non videtur verum, & contrarium innuit ibi gloss. & gloss. in dicto cap. dixit Apostolus, & Ægid. & Domin. ibi in d. capit.
5 nunc autem, qui dicit, quod qualitercumque quis lapsus sit in hæresim si paratus est corrigi non debet, vt hæreticus damnari, allegat dist. 56. Presbyteros in fin. & dist. 1. quæst. 7. maximum distinct. 17. nec licuit. Facit text. in cap. schisma dist. 24. quæst. 1. post princip. quod & ponit idem Ægid. in capit. electionem distin. 79. Et idem etiam Aluar. de planctu Eccles. lib. 1. artic. 5. & dicit gloss. in dicto cap. si Papa, referendo Hugonem idem tenentem, allegatque text. in cap. apertè dist. 24. quæst. 1. & cap. ait.
6 Nec obstat, quod Papa dicitur habere iura in scrinio pectoris secundùm Ægid. quia sæpè fallit eum iurium obliuio 23. dist. præterea dist. 30. qu. 1. cap. 1. & qu. 4. quod autem. Et quia illud intelligitur præsumptiuè, vel propter iuris interpretationem, vt in cap. 1. de constitut. in 6. Et quia frequenter homines maioris scientiæ, quia plùs de se præsumunt, & quia plùs sciunt, & possunt defendere opiniones suas, efficiuntur pertinaciores, & faciliùs incidunt in errores. Et aduertendum est, quod Domin. ibi simpliciter vult, quod qualitercumque commissa sit hæresis in Papa, si paratus est corrigi, non debet vt hæreticus damnari. Quod etiam videtur voluisse Hugon. & Io. de Ficto. & Io. Ioannis, secundùm quod refert Ægid. in capit. si Papa distinct. 40. Qui etiam volunt, quod poterit retinere statum suum, sublata accusatione
7 de hæresi contra eum. Vnde dicit Guliel. de Pontelemo, & refert Ægid. in cap. filij, de hæret. in 6. in quinto quæsito, quod malum, & periculosum est Papam accusare, quia inde posset accidere accusatori malum, allegat. 24. quæst. 1. cap. primo. Sed illud intelligo referri ad factum, & non ad ius, quia de bono opere non debet quis lapidari. Sed Ægid. ibi in dict. cap. nunc autem intelligit si se correxit ante admonitionem, & deprehensionem, & sic dicit debere intelligi cap. dixit Apostolus, quod & sequitur Alexan. ibi in dicto cap. nunc autem. Si verò Papa incidit in hæresim
8 iam damnatam, & in illa fuit deprehensus & postea vult corrigi, & redire, dicit Ægid. ibi, quod debet admitti ad condignam pœnitentiam peragendam, quia Ecclesia numquam claudit gremium redeunti, vt in cap. super eo, de hæret. in 6. sed non sufficit ad hoc, vt recuperet statum suum videlicèt Papatum, quem per huiusmodi lapsum in hæresim iam amiserat, sed detrudetur in perpetuum carcerem ad pœnitentiam pera-
9 gendam, & sic dicit quod rectè loquitur, cap. excommunicamus, vel sequendo §. si qui autem, cum notatis ibi in gloss. de hæret. Qui debet intelligi etiam in Papa, & addit ad alios duos modos, quos posuit ibi gloss. & Hostien. in verbo deprehensi, quia iste modus non est minoris auctoritatis, quàm alij, qui sumuntur expressè ex verbis Apostoli ad Tit. 3. in fine transumptiuè in dicto cap. dixit Apostolus dist. 24. quæst. 3. Quinimmò idem Ægid. in dicto cap. nunc autem, §. sed quæ res, versic. quartò dico, dicit, quod si Papa inciderit in hæresim iàm damnatam, & correctus, seù admonitus fuerit, vt de tali errore se corrigat, & ipse talem correctionem, seu admonitionem contemnens se non correxerit, sed in eodem errore perseuerauerit, censetur peruersus hereticus proprio iudicio iàm damnatus; & sic tamquam pertinax hæreticus est censendus, & per consequens si posteà ad gremium Ecclesiæ redire voluerit, non est ei restituendus status suus, sed ad pœni-

tentiam peragendam est in perpetuum carcerem conijciendus, quia tunc censetur in huiusmodi hæresi sufficienter deprehensus, & habet locum dictus §. si qui autem, capit. excommunicauimus. Et sic videtur intelligere, quod supra dixit, videlicet, quod postquam est deprehensus in hæresi, non recuperat Papatum, sed debet detrudi in carcerem, si voluerit redire, & se corrigere, vt intelligatur in illo, qui antè fuerat admonitus, & ipse talem admonitionem contempsit. Et idem videtur velle idem Ægid. in capit. si Papa, in vers. tertiò dico in fin. vbi vult, quod si accusatus Papa de hæresi, & per suam confessionem, vel aliàs legitimè in Concilio conuictus fuerit, poterit per Concilium tamquam simplex homo iàm propter hæresim potestate Papali priuatus declarari hæreticus, & iudicari, & damnari, & in carcerem perpetuum detrudi ad peragendam pœnitentiam dist.24. qu.1. cap.1. & dicto capit. excommunicamus, §.si qui autem. Quod intelligit etiam si dicat velle pœnitere, & se corrigere, & errorem suum reuocare, & petat se per Concilium ad pœnitentiam admitti, quia talis conuictus, vel confessus admittetur ad pœnitentiam, sed Papatum non recuperabit; immò per Concilium ad carcerem perpetuum condemnabitur pro pœnitentia peragenda, vt dicto cap. excommunicamus, in §.si qui autem; & vide ad hoc Io. de Anan. in dicto cap. excommunicamus, in princip. & text. & Doctor. ibidem.

10 Si autem Papa incidit in hæresim damnatam, & confessus, vel conuictus, adhùc pertinax non vult corrigi, nec emendari, tunc deponendus est, & puniendus, vt quilibet alius hæreticus, vt dicto cap. excommunicamus, & dicto cap. dixit Apostolus, quia in causa fidei non reperitur aliquid specialiter dispositum in Papa, quo minùs puniatur, sicut de alijs Clericis est dispositum. Ex quo enim est hæreticus deprehensus, & damnatus, non censetur Papa, sed vt priuata persona, vt dicto capit. si Papa dist.40. & cap. Achatius ibi gloss. 24. qu.1. faciunt, quæ dicuntur in capit. Anastasius dist.19. & ponit Alexan. in dicto cap. nunc autem. Et pro præmissa distinctione facit, quod ponit Cardin. in Clement. ad nostrum in §. nunc autem, in secundo quæsito, de hæret. & Io. de Imol. ibidem clariùs. Qui

11 dicunt, quod dicitur esse pertinax quando coram Inquisitore persistit in suo errore, & quod licèt posteà, vel propter probationes, vel quia videt se conuictum velit mutare propositum, & redire, & confiteri veritatem; nihilominus omninò habetur pro hæretico, & tamquam hæreticus puniri debet, videlicet quoad pœnam perpetui carceris, vt dicit ibi Ioan. de Imol. Et virtualiter hoc idem videntur velle Doct. maximè Ioan. de Anan. in cap. ad abolendam, de hæret. & in cap. vt commissi eod. tit. in 6. & præsertim Lanfrancus, qui dicit text. in capit. nunc autem, qui loquitur in Papa, habere locum in alijs Episcopis, &

12 Clericis. Qui etiam videtur velle, quod semper antè sententiam recuperet statum suum redeundo, de quo ibi latiùs per Doctor. post Archidiac. qui considerant pertinacem quando post tempus gratiæ rediret. Et de inferioribus aliquid Decius in capit. atsi Clerici col. 20. de iudic. Immò plùs videtur, quod quando est hæreticus, & damnatus, & incorrigibilis, non solùm dicitur minor quolibet Christiano, vt dictis iuribus, sed deberet acriùs, & grauiùs puniri, quia quantò fuit in maiori dignitate tantò grauiùs est peccatum eius. Facit quod dicitur in cap. homo Christianus dist. 40. & quod ponitur post gloss. in cap. cùm quidam, de iureiurand. Deprehensus

13 autem in hæresi tunc dicetur quando publicè deprehensus fuit ità, quod notorium est, hoc est quando notorietas facti tales deprehensos, idest manifestos esse denotat, vt si Papa in publico sermone facto ad Clerum, vel populum, aut in publico Consistorio errorem suum huiusmodi publicè prædicaret, aut defenderet, secundùm Ægid. in dicto cap. nunc autem, post gloss. Hostiens. in dicto cap. excommunicamus, §. si qui autem, in verbo deprehensi. Facit quod dicitur in cap. euidentia, de accusat. & quæ ponit Bartol. in leg. 4. ff. de fur. & quod dicitur in capit. vestra, de cohabitat. Cler. & mulier. Vel alio modo, si de hoc fuit per sententiam condemnatus, quia sententia facit notorium, leg. emptorem, in princip. ff. de act. empt. Vel etiam alio, & tertio modo quando in iudicio est confessus, vel conuictus de hæresi, per ea, quæ ponit Innocent. in capit. cùm speciali, in §. porrò, de appellat. & in capit. tua, de cohabitat. Cler. & mulier. & in capit. quoniam, & in cap. constitutus, de fil. Presbyt. secundùm Cardin. Alexandr. in capit. nunc autem. Pro quo ad præmissa vide omnia, quæ dicuntur in artic. ex quibus causis pos-

14 sit Papa deponi, & inuenies benè examinatum intellectum, dicto cap. nunc autem. Et vide Alexand. ibid. qui vltrà dicit, quod ad procedendum contra Papam hæreticum non requiritur trina monitio. Nàm cum per viam denunciationis Euangelicæ procedatur contra ipsum Papam hæreticum, vt vult gloss. in dicto capit. si Papa, & Hostiens. in capit. proposuit, de concess. præbend. post gloss. in cap. si Papa dist. 40. & Doctor. in cap. nouit, de iudic. & Doctor. in cap. licèt, de accusat. in cap. Magnæ, de vot. & quæ dicuntur in Clem. nolentes, de hæret. sufficit, quod fiat denunciatio Euangelica in priuato, iuxtà formam cap. si peccauerit dist. 2. quæst. 1. videlicet primò inter denunciantem solum, & Papam, secundò adhibito per denunciantem vno alio conteste, vel duobus, & postea denuncietur Ecclesiæ, idest Concilio generali, ad quod in isto casu hæresis, spectat iudicare Papam. Et vltrà addit referendo Cardin. sancti Xisti, hoc ibi dicentem per illum text. in dicto capit. nunc autem, quod si sumus in casu, in quo notoriè constat de hæresi Papæ, Concilium conuocabit seipsum, quia Prælati confluent ad Concilium, & alius alium vocabit. Vel etiam quando dubitaretur de hæresi Papæ, potest inuitari, vt conuocet Concilium, quod si noluerit conuocare

con-

conuocabunt Prelati seipsos, vt dictum est. Et quilibet Christianus poterit hac denunciationem Euangelicam facere Papæ, secundùm Abbat.Sicul. & Anton.de Butr. in cap.nouit,de iudic. & Hostien. & Io.Andr. in cap.proposuit, de conceſs.præbend. Vbi enim agitur de fide, omnes sumus in Christo fratres, & proximi, capit. ad mensam dist.11. qu.3. & gloſs. in capit.ſi Papa dist.40. Ideò quilibet poterit etiam contra Papam vti denunciatione Euangelica in causa hæresis, vt in dictis locis, & etiam ponit Io.Andr. Anton. & alij in cap. licèt, de accuſat. & Io. Andr. in cap. magnæ, de vot. & Ludou. in conſ.523. incipit quæstio discutienda. Faciunt, quæ dicta sunt supra in artic. quis congregat Concilium.

15 Verumtamen & Ægid. in dicto capit.nunc autem, videtur velle, quod ille, qui vult admonitione Euangelica vti, debet esse talis, cuius admonitio debeat mouere animum ipsius admoniti, & quem admonitus rationabiliter debeat audire, & eius admonitionem ponderare. Si enim admonens esset fatuus, aut simplex, vel ignarus, & admonitus esset magnus Prælatus, & magnus Doctor, certè talis admonitio modicum operaretur, & maximè vbi mouens nullam rationem adduceret. Item, quod debet etiam attendi ad formam admonitionis, quia debet admonitio continere declarationem erroris, de cuius correctione agitur, & sententiam, seu determinationem, quam Ecclesia tenet, & exorare de correctione erroris, & de scientia, seu determinatione Ecclesiæ amplectenda. Et in hoc casu aliqui dicunt, quod admonens debet esse superior, vel talis, cuius interſit, & in quo Ecclesia reputari poteſt.

16 Et quod dictum est supra quod sufficit in casu hæresis contra Papam vnica denunciatio. Egimus distinguendo dicit in dicto cap.nunc autem, quod aut quærimus, an sufficiat vnica admonitio ad eum deuitandum, & dicit, quod sic per gloſs. in dicto cap. dixit Apostolus. Aut quæritur vtrùm sufficiat ad hoc quod admonitus, & non acquiescens admonitioni, pertinax & verus hæreticus, ac in hæresi deprehensus censeatur, & tunc non sufficit vnica nisi sit aliàs hæreticus notorius, vel condemnatus. Ad quod facit quod dicit Apostolus ad Tit. 3. circa fin. ibi hæreticum hominem post primam, & secundam admonitionem deuita, & transsumptiuè in cap. dixit Apostolus, 24.quæst.3. & cap.quæ dignior in fin. & 23.qu.5. non vos. Cum autem triplex sit admonitio euangelica, prima, quam admonens facit inter se, & admonitum solum, secunda, quam quis facit adhibito vno, vel duobus testibus, postquam primæ admonitioni non acquieuit, tertia, qua post duas priores spretas dicendum est Ecclesiæ, vt in cap.ſi peccauerit, 2. qu. 1. & in cap. nouit, de iudic. primis duabus denunciationibus Papa subijcitur, sicut quilibet alius. Circa tertiam autem considerandum est, quod si loquimur de criminibus, & casibus, in quibus Papa poteſt accuſari, poteſt fieri contra eum, quod dicatur Ecclesiæ, ideſt Concilio, quia sicut poteſt accuſari poterit, quod eſt mitius, denuntiari. Si autem loquimur in casibus, in quibus Papa non poteſt accuſari, tunc etiam non poterit denunciari Ecclesiæ, ideſt Concilio, secundùm Ægid. in cap. ſi Papa, 40. distin. Et eo casu quo non poteſt accuſari, nec denuntiari Concilio, tunc auctoritas dic Ecclesiæ intelligitur, ſcilicet orando Deum pro emendatione ipsius, secundùm Hostien. Ioann. Andr. & alios in d. cap. proposuit, de conceſs. præben.

17 Dicit etiam Ægidius, quod quando accuſatur Papa de hæresi, debet fieri in Concilio generali, quia nullus mortalium poteſt se de hoc intromittere, nisi Ecclesia vniuersalis, quæ ad hoc expediendum debet vocari, Cod. de auctor.præstan. l.vlt. & regula quod omnes in 6. quæ vniuersalis Ecclesia repræsentatur in Concilio generali tantummodò. Sed si Papa non accuſaretur de hæresi, sed de alio crimine, de quo accuſari poſſet, tunc Concilium non poteſt ferre sententiam iudicialem contra eũ, quia nullus eſt supra verum Christi Vicarium, nec Concilium generale habet huiusmodi poteſtatem, quia Papa eſt supra Concilium, vt in cap. proposuit de conceſs.præben. & in cap.significasti, de elect. cum autem non accuſatur de hæresi remanet verus Papa, & verus Christi Vicarius cum sua pleniſſima poteſtate, quia nullum crimen eum priuat, nisi sola hæresis.

18 Poſſet tamen ipse Papa ferre contra se sententiam, quæ non propriè dici poteſt sententia, sed ordinatio, quia in se, vel supra se iurisdictionem non habet. Erit ergo quædam extraiudicialis ordinatio, ad quam ordinationem faciendam ipse erit naturaliter obligatus; facit quod dicitur in cap.nunc autem, 22.dist. Si autem hoc nolit facere, tunc Concilium generale per modum ordinationis procedet quantum ad hoc, sicut Spiritus ſanctus ei dem ſuggeret, & ipse Papa ordinationi Concilij stare tenebitur, & ad hoc propria sponsione se obligare debebit. Et si hoc fecerit, benè erit, sed si hoc spontè facere noluerit, tunc deliberabit, & ordinabit Concilium quid vlteriùs faciendum ſit, & vtrùm, ac qualiter suæ ordinationes mandandæ sint executioni. Ita dicit ipse Ægidius in dicto cap.ſi Papa, in verſic. quarto dico. Quod qualiter procedere poſſit, latiùs infra dicemus, in quæstione quid agendum, quando Papa eſt incorrigibilis.

19 Adde tamen circa id, quod dicitur de denunciatione euangelica quando peccatum proximi eſt ita occultum, vt probari nullo modo poſſit, quod licèt gloſs.in cap. ſi peccauerit, 2.qu.1. & in cap. nerui, distinct.13. dicat tunc non habere locum denunciationem euangelicam, tamen beatus Thom.in 4.ſent.dist.19. qu.2.artic.3. tenet contrarium, quod & communiter sequuntur Doct.Vnde dicit Alexand.in dicto cap. nerui, quod si delictũ eſt omnino occultum ita quod nullo modo probari poteſt, tunc erit locus primæ admonitioni inter te, & ipsum solum, & secundæ adhibito tecum vno, vel duobus testibus, inter quos stabit

secretum omne verbum, non tamen fiet tertia admonitio hoc est dic Ecclesiæ, cum non possit deficiente probatione peccatum, siue crimen probari, & per consequens, nec Ecclesia posset contra eum procedere, & ipse diffamaretur. Vnde isto respectu idem iudicamus in Papa, quod & in quocumque alio proximo inferiore, quia cùm in duabus primis monitionibus possit cum Papa procedi, sicut cum alijs, & in tertia similiter, isto casu, idem erit sicut in alijs.

20 In hoc autem melioris conditionis est Papa, quod etiam si crimen potest probari præterquam in causa hæresis non potest dici Ecclesiæ, vt dicunt Doct. post Hostien. in capit. proposuit, de concess. præben. & Ægid. in cap. Anastasius 19. dist. & præterquam in casibus in quibus potest accusari secundùm Ægid. in dicto cap. nunc autem, & supra proximè retuli, & infra dico in sequentibus. Et de huiusmodi denunciatione euangelica vltra dicta, vide Doct. in cap. nouit de iudic. & in cap. si peccauerit, 2. qu. 1. & in Spec. in tit. de denunciatione, & adde Gabriel Biel in depositione missæ in lectione 74. Ex quo videtur inferri quod in casibus, in quibus potest accusari in illis etiam potest Concilium congregari, & erit sufficiens causa congregandi Concilium. Et licèt non semper ad deponendum, tamen saltèm ad corrigendum, siue reformandum per modos, quos infra dicam quando Papa est criminosus, & incorrigibilis. Adde etiam præmissis quod dicit idem Ægid. in cap. 1. in versic. quartò quæritur, de renunciat. in 6. quod si Papa fiat hæreticus, non propterea potest cogi ad cedendum etiam per Concilium generale, quod an sit simpliciter verum, infra latiùs dico. Et adducit rationem, quia nec in casu hæresis Papa ab aliquo iudicatur, adducit, cap. nemo, 9. qu. 3. & hoc quia statim cùm fuit pertinax hæreticus, nec corrigi paratus, ipso facto desijt esse Papa, vnde non deponitur Papa, sed potiùs tanquam persona priuata is, qui dudum erat Papa declaratur amisisse Papatum, & deponitur quatenus de facto occupat regimen Ecclesiæ. Quæ quidem depositio ad factum refertur, Archid. cap. cùm secundum, de hæret. in 6. & in l. sicuti, §. sed si quæratur, ff. si seruitus vendic. Hæreticus enim pertinax est totaliter præcisus à corpore Ecclesiæ, 24. quæst. 1. alienus, nec potest participare in aliquo virtutibus corporis. Facit text. 24. qu. 1. cap. quoniam vetus, & patet Leuit. 20. cap. in princ. vbi ipse Deus, hæreticos condemnat, & executionem præcipit fieri, & Apostolus ad

21 Titum cap. vlt. dicit, quod hæreticus iam est proprio iudicio condemnatus, concordat, cap. ad Apostolicæ de re iudic. & facit, 24. qu. 3. dixit Apostolus. Item si vir efficitur hæreticus, ipso iure perdit omnem potestatem, & administrationem, ac ius quod habet in vxore, 28. qu. 1. si infidelis, ipso iure dico videlicet diuino, vt ibi patet, & de diuor. cap. quanto legitur, & per has leges, quæ etiam Papam ligant ipse etiam perdit omnem potestatem, & administrationem Ecclesiæ ipso facto, & depositus est. Facit quod dicitur in cap. licèt, de elect. & infra in artic. ex quibus causis possit Papa deponi, & vtrùm possit cogi ad cedendum infra dicetur. Et hæc quo ad crimen hæresis.

22 Restat videndum, an, & in simonia, & alijs criminibus in quibus Papa reperitur incorrigibilis, & monitus modo quo supra non vult desistere, possit accusari, & facio differentiam inter crimen simoniæ, & alia capitalia crimina notoriè commissa, Ecclesiam scandalizantia. Licèt Ægid. vt patet ex præmissis, aliquando voluerit simpliciter quòd de simonia possit accusari. Et respondet ad glos. in cap. si quis pecunia 79. dist. quæ vult, quod Papa non possit accusari de simonia quia strictè, & propriè simonia non est hæresis, quod illa glos. debet intelligi quando simonia esset occulta, quia de delicto occulto Papa non accusatur, cùm præsumatur pro eo, vt in cap. 1. 40. dist. in glos. quæ in hoc ponit differentiam inter hæresim, & alia crimina, quia de occulta hæresi potest accusari, vt etiam dixi supra, sed non de alio crimine occulto, sed secus cùm simonia est notoria & scandalizat Ecclesiam, & illam deduxit in consuetudinem, & sic est incorrigibilis. Vnde dicit quod glos. in dict. cap. si

24 quis pecunia, quæ loquitur in simonia quod Papa non possit accusari debet limitari per aliam glossam in dict. cap. si Papa quæ vult quando est incorrigibilis in delicto notorio scandalizāte Ecclesiam, quod possit accusari. Immò glos ponendo exemplum in simonia, & adulterio limitat seipsam: Et idem etiam replicauit Abb. in dict. cap. significasti de elect. & all. illam glos. pro singulari in dict. cap. si Papa, quam dicit communiter approbari, & ita dicit limitari debere dicta Hostien. & Ioan. An. in cap. proposuit de concess. præben. Et idem dicit in quolibet alio crimine scandalizante Ecclesiam. Et plus in dicto capitulo significasti dicit quod si Papa est

25 in notorio crimine, & scandalizat alios, & est incorrigibilis, potest puniri tamquam hæreticus per dict. glos. in dict. cap. si Papa, & idem Abbas in cap. quotiens, de simo. & in cap. cùm venissent in 3. col. de iudic. & idem Petrus de Ancha. in tract. schismatis in 4. quæsito. Et idem Abb. in cap. sicut el secondo de iureiuran. vbi vult, quod ex eo quod Papa est incorrigibilis, & Ecclesia non habet quod faciat contra eum, Imperator posset contra personam eius indicere bellum, sed non contra Ecclesiam, de quo remittit ad cap. in nomine Domini 23. dist. & in cap. princeps & in cap. regum 23. q. 5. & ca. nec licuit 17. dist. & in cap. non vos, & in cap. de ligurib. 23. quæst. 5 & glos. in cap. tua de deci. Idem voluit Ludo. Pontanus in Concilio, 523. incipit quæstio. discutienda. Et cum illa glos. in cap. si Papa videtur transire Dominic. ibi, circa fin. cùm eam refert. Eandem etiam tenet Dominus Mathesil. in additionibus factis ad tractatum schismatis Domini Antonij de Butrio in 5. char. cùm respondet ad obiecta, vbi dicit eam communiter teneri à Doctoribus, & quod adeò

adeò sibi placet auctoritas illius glos. quod Concilium generale posset illam approbare, & de ea facere vnum canonem, siue textum, cuius determinationi standum esset, quia errare non potest 24. quæst. 1. à recta. & notant Doct. in capitulo à nobis el 2. de sent. excom. & Hostien. & Ioannes Andreas in capitulo vltimo de prescrip. Et vltra rationes positas per illam
26 glos. ipse iuuando eam, addit aliam rationem, nam Papa, qui perseuerat in notorio graui crimine, ex quo multum scandalizatur Ecclesia, dicitur turbare vniuersalem statum Ecclesiæ, & in subuersione, & periculo grauissimo ponere populum, ergo non debet sustineri, sed propter hoc deponi 24. q. 1. memor. 25. quæst. 1. quæ ad perpetuam. Et adducit alias rationes, quibus dicit probari opinionẽ illius glos. esse veram, & respondet ad id, quod notat Hostien. in cap. proposuit de conces. præben. quod illud dictum Hostien. non est simpliciter verum, sed restringitur ad crimina, ex quibus non multum scandalizatur Ecclesia. Idem etiam tenuit Petrus Cardinalis Cameracen. in quodam suo tractatu de potest. Ecclesiæ, & Papæ, qui incipit Christi nomine inuocato &c. in 9. char. qui dicit hoc fuisse practicatum in Concilio Constantien. cuius determinationi contradicere non licet secundùm eum.
27 Idem videtur tenere Dominus Catal. de Boncompagnis in quodam tract. ad Ioan. 23. incipit rei sub expressione in 10. char. vbi dicit quod sic fuit congregatum Concilium contra Ioan. 12. ad deponendum eum, non propter hæresim, sed propter incorrigibilitatem, quia venator, & lubricus erat. Et idem dicit Guliel. Ockam in lib. contra errores Ioannis 22. in vlt. cap. Qui Ioannes 12. quia venator, & lubricus erat, & publicè fœminas tenebat, præsidio Imperatoris de papatu destitutus, & communi voto Leo Papa electus, vt legitur in chronicis in vita ipsius. Ad idem Abb. allegat Cardinal. in tract. schismatis in versiculo quintus modus. Et idem voluit Antonius de Butrio in quibusdam dubijs in tractatu schismatis circa fin. cùm ponit intellectum c. si Papa. Item hoc idem tenuerunt per dictam glos. Doct. Magistri, & vniuersitas Cracouien. in quibusdam allegationibus directis Episcopo Cracouien. contra Eugenium. Illam etiam glos. allegat, & sequitur idem Abb. in cap. proposuit in penul. col. de conces. præben. limitans quod dicit ibi Hostien. quod intelligitur quando delictũ est occultum, & non quando est notorium, & dicit quod illam glo. sequitur totus mundus. Idem etiam dicit Ioan. Milis in quibusdam suis reportatis ad intellectum constitutionis frequens in quarta quæstione dicens illam glos. veram, & esse magnæ authoritatis, & quod nullus eam reprobat. Et dicit duo, quæ ponit glos. sunt addenda ad dictum Innocentij, & Ioannes Andr. in capitulo inquisitioni de sen. excom. qui voluerunt quod non sit obediendum Papæ, quando aliquid præcipit, ex quo sunt ventura mala, & turbatio status Ecclesiæ, videlicèt quod illud factum sit notorium, & Papa incorrigibilis. Et in effectu etiam tenet Felin. in cap. nihil. de præscript. dum dicit, quod ratione scandali potest Papa deponi per illam glos. in dict. cap. si Papa. Idem Alex. 17. dist. in sum. qui plus dicit, quod ratione scandali si per Cardinales esset Concilium conuocatum, & Papa vocatus vt iret, & corrigeret se, si neque auctorit. Concilij præstare vellet, vel se corrigere recusaret, tamquam suspectus de hæresi posset deponi. Licèt ipsemet aliter videatur velle post Card. de Turrecrem. in cap. si Papa 49. dist. Et idem videtur velle Domi. in dicto cap. si Papa, dum vult, quod contumax, qui viuit in delictis, cum rebellatione, & obstinatione perseuerando, & recusando bona agere, & se nolendo corrigere, potest dici hæreticus 28. dist. cap. fin. & inducit ad decisionem eorum, quæ facta fuerunt in Concilio sequendo glos. illam in dict. cap. si Papa. Idem etiam
28 Milis in repetitorio in verb. Papa nemini iur sit. Idem etiam Bald. in cap. olim de rescrip. qui dicit, quod Papa potest deponi propter notorium enorme crimen, & inducit, quod allegabatur periurium contra Gregorium 12. Vnde magis latè loquitur, & allegat ad idem Hugonem in cap. si duo 79. dist. Idem etiam sequuti fuerunt plures Parisienses, vt fuit Gerson. Cancellarius Parisien. qui dicit, quod dicta glos. non tantùm habet auctoritatem ab vno glossatore, vel homine, sed à Christo immediatè, & expressè ita dicit in 22. dist. in 23. art. contra Petrum de Luna. Quam conclusionem quomodo fundet non intelligo, & propter illam glos. fuit generatum magnum scandalum in Ecclesia tempore Eugenij.
29 Sed contra glos. sunt multi præstantissimi Doctores, vt Petrus de Palude Aug. de Ancona, Archiepiscopus Floren. Ioan. de Imo. Petrus de Monte. Cataldinus de Boncompagnis in quodam alio suo tractatu pro Eugenio, & quidam alij, quos referam infra cum aliquibus rationibus in illa quæstione verùm Papa propter crimen de quo est incorrigibilis possit deponi, vbi ponuntur hinc inde rationes ad longum. Pro quibus, scilicèt quod non possit accusari, videtur casus in capitulo oues, secunda quæst. 7. Item quod dicit Hostien. in cap. non debet in prin. de consan. & affi. quod non mordetur Papa sine peccato, vt in cap. secundo de maledicis, & in cap. contracto §. verùm de cogna. spiri. & 6. quæst. prima cap. ex merito, & cap. detetiores. Ex quo videtur, quod non ita de facili pro quocumque delicto possit morderi, & accusari. Alios idem tenentes non curo hic referre. Crederem tamen
30 posse teneri saluo saniori iudicio, quod Papa posset accusari de crimine propter quod scandalizatur status vniuersalis Ecclesiæ concurrentibus illis, quæ supra retuli post Ægid. videlicèt quod crimen sit notorium, quod sæpius admonitus quod sit generatum magnum in Ecclesia vniuersali, circa fidem, & quod sit incorrigibilis. Et quod possit accusari, facit quod vt po-

vt ponit Inno. in cap. cùm pridem. de renunc. Facit quod dico in illa quæstione an Papa pro vnione vniuersalis Ecclesiæ possit cogi ad cedendum. Ad idem illud quod
31 dicatur in cap. illud sanè 24. quæst. 3. quod allegat illud euangelicum si oculus tuus scandalizat te, &c. Et glos. supplendo ad tex. dicit intelligi de penitùs incorrigibili. Ad idem facit, quod propter delictum notorium, & incorrigibilitatem facilè generatur in mentibus hominum scandalum, qui dicere possunt vbi est Deus clericorum cap. magnæ, deuo. Item facit quod dicunt Doct. post. Inno. in cap. inquisitioni, de sen. excom. circa fin. quod vbi ex notoriè iniusto præcepto verisimiliter præsumeretur statum Ecclesiæ perturbatum iri, vel alia mala esse ventura, non deberet illi obediri, vt in simili dicitur in l. prohibitum C. de iure fisci, lib. 10. & post Innocen. dicitur in cap. si quando de rescript. & dicit Dynus in regula, quod quis, de reg. iu. in 6. Facit quod dico de remedijs tenendis, quando Papa est incorrigibilis. Item omnes illæ rationes, quæ ponuntur in quæstione illa, vtrùm Papa possit deponi, quia vendit passim beneficia, & scandalizat Ecclesiam, & est incorrigibilis, quæ ponuntur ad partem affirmatiuam. Item facit, quod non licet papæ turbare vniuersalem statum Ecclesiæ 8. quæst. 1. Apostolica cap. literas, de resti. spol. 9. quæst. 3. cap. per principalem cap. proposuit de conces. præbend. Igitur si est pertinax in turbando po-
32 terit accusari. Illud enim quod dicitur, quod Papa non habet superiorem à quo possit iudicari, non videtur dictum in casu quo est adeò criminosus, & incorrigibilis, & scandalosus, quod propter eum periclitaretur Ecclesia, quia hoc videtur illi concessum in fauorem Ecclesiæ vniuersalis, ideò non debet redundare in noxam, & propterea dico quod potest talis Papa accusari. Non propterea tamen dico quod possit deponi, quia quid de hoc sentiam dicam infra in loco suo, & hoc videtur voluisse Alex. in cap. synodum 17. dist. in secunda colum. Ad hoc tenendum moueor, quia alioquin posset hæresis suscitari, contra quam potiùs prouideri debet ne oriatur, vt in capit. maiores 24. quæst. 1. & de hære. per to. Nam, vt dicit tex. in cap. resecandæ 24. quæst. 3. Arius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, eius flamma totum orbem populata est. Et ideò scabiosa Ouis à caulis repellenda est, ne tota massa putrescat, vt ibidem dicit tex. & in cap. corripiantur ea cau. & q. Item moueor à simi-
33 li. Metropolitanus enim à Prouinciali Concilio non iudicatur, cuius ipse est caput, vt in cap. graue ibi Doct. de præben. & tamen potest ab eodem reformari, hoc probat tex. iuncta suprascrip. 2. quæst. 7. sicut el secondo, & 9. quæst. 3. si autem, & c. saluo item glos. in dicto cap. si Papa, non dicit quod pro crimine notorio de quo est incorrigibilis possit deponi, sed quod potest accusari. Et licèt effectualiter videatur in ratione sua idem voluisse, cùm allegat, quod contumacia sit hæresis, tamen non loquitur de depositione. Et quo ad illos, qui tenent quod tantùm de hæresi possit accusari, vt fuit Catald. & multi ponunt in cap si Papa, & in dicto capit. si quis pecunia, intelligo quod loquuntur de accusatione ad deponendum, non ad corrigendum. Et isto modo etiam intelligit, & restringit glos. Alexand. in cap. synodum 17. dist. Item, sicut supradictum est, interdum congregatur Concilium pro reformatione, licèt non possit contra Papam procedi, vt saltem prouideatur indemnitati Ecclesiæ prout Spiritus Sanctus ordinabit, quod diuersimodè fieri posset puniendo, vel impediendo participes sceleris pro quo vide, quod dico supra in artic. ex quibus causis possit congregari Concilium, in versic. item quartò congregari potest Concilium. Ex hoc videtur quod glos. in dict. cap. si Papa, cùm dicit quod via denunciationis in Papa erit inutilis, licèt vera sit eo respectu, quia non habet superiorem, qui eum corrigat, tamen ex congregatione Concilij absque ipsius Papæ coactione poterit esse per indirectum causa correctionis. Et ideò talis accusatio non tam erit accusatio, quàm quædam canonica intimatio, sicut in simili dicit Abb. in cap. 1. quarta colum. de iureiur. vel potiùs quædam publica, & generalis denunciatio canonica, iuxta illud quod ponit Specu. in tit. de denun. §. 2. ver. canonica ex quo ex tali occasione non potest sequi sententia contra accusatum. Et propter periculum accusatoris potest dici, quod accusator, non tam accusator, quàm denuntiator, siue promotor existimandus est, iuxta notata in cap. cùm dilectus, de calum. Et licèt Concilium non sit iudex supra Papam quo ad corrigendum, & deponendum ipsum Papam, erit tamen Iudex contra alios, & prouidebit indemnitati Ecclesiæ per indirectum, argumen. tex. in l. Papinianus §. quarta autem, versic. cùm igitur ff. de inoffic. testam. vbi licèt pater non possit filium fraudare quarta, dando seruis libertatem, illam minuit. Faciunt, quæ infrà in proxima quæstione dicuntur. Et fortè isto modo posset denunciari Concilio, etiam si non esset tale scandalum, quod esset contra fidem, &c.

SVMMARIVM.

1 *Papa accusato, incorrigibili, an aliud faciendum, quàm orandum ad Deum pro eo.*

Et ponit Auctor tria remedia:

Primò charitatiua admonitio num. 2.

Secundò deuota oratio ad Deum. vt illum illuminet, & emendet, vel tollat de medio num. 3.

Tertiò si præmissa non sufficiant illi resistere in faciem per Dominos Cardinales, num. 4.

Quartò num. 8. Quintò num. 9. Sextò n. 10. Septimò num. 14.

5 *Papa vbi tractatur de periculo mundi, si non vult vti rationibus, debet cōpesci armis.*

6 *Papa propter insufficientiam an sit deponendus.*

Et di-

Et dicitur insufficiens si dilapidat bona, vel viuit incontinenter num.7.
Negligentia, & remissio in Papa æquiparatur delicto ibid.
Et Iudici aliquid extraiudicialiter de facto facienti de facto est resistendum ibid.
7 *Papæ præcipienti aliquid illicitum, potest resisti.*
10 *Papa nolente congregare Concilium, ad quos spectet illius congregatio.*
Et talis congregatio fit ad tria nu.11. 12.
13 *Voluntas pro ratione sufficit in Papa.*
14 *Deus quandoque permittit regnare malos, in vltionem peccati.*

ARTICVLVS III.

1 SEd si Papa accusatus esset omninò incorrigibilis quid erit faciendum? Hoc casu si attendimus Hostien. in dicto capit. proposuit, dicendum erit Ecclesiæ, hoc est orandus erit Deus, vt eum emendet, non tamen aliquid fieri poterit, quia nemo iudicat primam sedem, sed solius Dei iudicio reseruatur, vt in cap. aliorum 9.q.3. Tu dic quod dantur diuersa remedia à Doctoribus. Primum erit humilis admoni-
2 tio, & fraterna charitatiua correctio, quæ etiam habet locum in Papa, vt dictum est supra, & dicitur in cap. nouit de iud. & in dict. cap. proposuit, & in dicto cap. si Papa, & 2. quæstio prima, si peccauerit, & fiet ista admonitio humiliter, tam per Dominos Cardinales, quàm alios notabiles Prælatos, & doctos religiosos, commemorando, etiam quod ipse debet esse exemplum sanctitatis, & adducendo aliqua de sacra scriptura, iuxta illud quod dixit Dominus Apostolis, Matt.18. & illud Greg. in c. præ-
3 cipuè 11.quæst.3. & similia. Secundum remedium erit deuota oratio ad Deum, vt illum illuminet, & emendet, vel tollat de medio secundùm Beatum Thomam in 4. dist. 19. qu. 2. ar. 2. quæstiuncula 3. ad secundum argument. quia multùm valet deprecatio iusti assidua Iacobi 5. Et infinita sunt exempla in veteri lege, vt de Niniuitis, & assiduis orationibus Moysi Et si possibile est vniuersi fideles pro hoc orent, vt dici possit exaudita est oratio tua. Vnde Beatus Tho. in li. primo de regimine principum cap. 6. dicit, quod si omnino contra tyrannum non potest auxilium humanum haberi, recurrendum est ad Regem omnium Deum, qui est adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Et hoc remedio adiuta est Ecclesia contra Anastasiũ 2. qui cùm esset impœnitens, Deus ad orationes iustorum sustulit eum de medio, cum enim ventrem exonerare vellet, emisit intestina. 19. dist. Anastasius ibi gloss. Sic & Hilarius contra Liberium orando, præ-
4 ualuit. Tertium remedium vbi præmissa non sufficerent, erit illi resistere in faciem per Dominos Cardinales, mala eius opera exprobrando, ac rationibus conuincendo, & se opponendo, sicut Paulus restitit Petro, quia non ambulabat ad veritatem Euangelij, vt in capitulo testes, in §. Paulus, secunda quæstio. septima. Et sicut subditi resistunt Prælato. vt in §. item cum Balaam cap. cau. & quæst. Et sicut exemplificat Pe. de Palu. si Papa thesaurum Ecclesiæ, aut illius patrimonium parentibus suis dare vellet, aut Ecclesiam sancti Petri destruere, & palatia ædificare, vel aliquid huiusmodi facere. quod non est verisimile posse contingere, non esset ei permittendum. sed resistendum, & non obediendum sine tamen ipsius depositione. Similiter si vellet omnes Episcopos deponere, vel aliquid contra vniuersalem statum Ecclesiæ attentare, aut similia ex quibus turbaretur vniuersalis Ecclesiæ gloss. in capitulo per principalem, nona quæstione tertia Innoc. in capit. quanto, de consuet. & in capitulo inquisitioni, de senten. excom. Et hoc modo dicunt Innoc. Hostien. & Arch. quod non esset Papa sustinendus, hoc est facere, sed esset ei cum humilitate, &
5 reuerentia resistendum. Et ideo dicit Bal. in cap. olim de rescrip. quod si Papa non vult vti rationibus vbi tractatur de periculo mundi, debet compesci armis C. de Iudæ. l. nullus. Et dicit referendo Archi. quod volentes dirigere virgam tortuosam plicant per contrarium, & hoc non potest fieri nisi igne, & per ignem humiliatur illa virga, sicut panis in igne positus. Vnde subiungit vtendum esse primò verbis, vt in cap. nouit de iudi. deinde herbis, tertiò lapidibus, & vbi non sufficit virtutis ingenium, ibi valeat armorum præsidium, & tutela. Et dicit etiam Petrus de Monte, quod si Papa totum thesaurum Ecclesiæ; qui est distribuendus pauperibus 12. qu. 2. aurum gloss. in clem. ne Romani de elect. parentibus, aut propinquis suis daret, seu patrimonium Ecclesiæ in debite alienaret, non esset permittendus, sed esset ei resistendum, non tamen ad eius depositionem procedi posset. Facit gloss. in cap. 1. de renunc. in 6. quæ sonat. quod Papa propter insufficentiam non est deponendus, & probatur in cap. si Papa 40. dist. dum loquitur de Papa negligente, & remissio, quod est damnatissimum in Papa secundùm Alexan. & æquiparatur delicto, allegat, capitulo final. de supplen. negli. Prælato. secundùm eum in summa. decimaquinta distinctione, vbi ista omnia ponit. Facit quod in simili dicimus quod iudicibus facientibus aliquid de facto extraiudicialiter, licet de facto armata manu eis resistere l. prohibitum C. de iure fisci lib. 10. notat, Innoc. in capitu. si quando de offic. deleg. Bald. in l. vt vim in 7. q. ff. de iusti. & iu. Cy. in l. 1. C. vnde vi in fin. & Bal. in d. l. 1. C. eo in 14. col. gloss. in l. non videtur §. qui iussu. ff. de regu. iu. & Doc. in regula, quod qui mandato de reg. iur. in 6. & Alex. de Imo. in consi. 142. in 2. vol. incipit post redditum Et Bar. in tract. qui sint rebelles, verbo rebellando, facit tex. in cap. fi. de consti. in 6. & latè Felin. in di. cap. si quando. Sicut
7 etiam potest resisti quando præcipitur aliquid illicitum. vt patet in cap. Iulianus & in cap. qui resistit 11. qu. 3. Pro hoc facit quod dicit Card. in clemen. 1. in fin. de celebra. mis. & Abb. in cap. conquerente,

de resti. spolia. Constat autem, quod prælatus dicitur insufficiens, quando dilapidat bona Ecclesiæ, vt habetur in cap. 2. fin. de statu mona. Idem si viuit incontinenter, vt in cap. grandi de supplenda negli. Præla. in 6. Ergo secundùm illam glo. in di. cap. 1. si propter insufficientiam non est deponendus, est ei tamen resistendum
8 Quartum erit remedium, quod dat Bal. in cap. dilectus, colum. 3. de appel. vt per confessorem reprehendatur Papa de erroribus suis neque absoluatur nisi se emendet, & prouideat Ecclesiæ, suæ. Sed istud fortè remedium, si Papa esset iracundus, non
9 bonum pro Confessore. Quintum remedium, est quia vt dicit, S.Tho. in secunda secundæ quæst. 100. ar. 1. ad 7.& in 4.sen. dist. 25. quæst. 3. ar. 3. ad. 2. arg. Papa potest incurrere simoniam, sicut quilibet alius homo non acceptare ea, quæ malè & contra reuerentiam, & legem Dei gesta essent per eum, vt non acceptare promotiones prouisiones, & collationes beneficiorum manifestè simoniacas, quoniam sic promoti non per Christum, qui est ostium,sed aliundè Ecclesiam intrare præsumpserunt, qui non pastores Ecclesiarum, sed fures, & latrones arbitrandi sunt, iuxta illud Ioan. 10. amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro & Grego. talium ordinationes iudicat falsas 1. quæst. 1.ordinationes. Istud tamen remedium est particulare, scilicèt contra simoniam committentes tantùm. Sextum remedium est con-
10 uocare Concilium generale, quæ conuocatio esset facienda per Cardinales vbi ipse Papa nollet illud congregare, aut illis negligentibus per alios, vt puta secundùm aliquos primùm per Patriarchas 18. dist.si Episcopus, postea illis negligentibus per Imperatorem, deinde in eius defectum ipsimet Prælati congregabunt seipsos, & facient Concilium, vt de his latè dictum est supra. Est ista congregatio non erit ad deponendum Papam, quia secundum quod supra diximus talem potestatem, Concilium habere non posset secundùm Card. de Turrecrem. & Alexan. in summa 15. dist. & Petrum de Monte in qu. 8. in tract. Concilij. vbi ponit ista remedia ad obuiandum incorrigibilitati Papæ & allegat Petrum de Palu idem dicentem Idem Card. de Turrecrem. in tract. de po. pa.li. 2. cap. 106. in 5. remedio vbi ponit omnia ista remedia quæ de verbo ad verbum
11 habuit Alex. ab eo. Qui dicunt, quod ista congregatio fiet ad tria, cum maiori solemnitate, & authoritate, faciendum, videlicèt primo ad admonendum, exhortandum Papam de correctione sua, denunciando ei qualiter pernicioso vitæ suæ exemplo vniuersam Ecclesiam scandalizat & conturbat, quæ exhortatio sic à tota Ecclesia facta non dubium,quin magnæ virtutis, & efficaciæ esset ad eius animum in bonum commouendum, Hoc remedio vsum videturConcilium congregatum contra Marcellinum, de quo in capitulo nunc autem 21. di. Qui cum audiret Patres congregatos sciscitantes, si res ita se haberet, sicut fama ad eos deduxerat, quod idolis thurificasset, ille cum omni humilitate confessus est reatum suum adijciens se paratum obedire, & ea faceee, quæ illi vo-
12 luissent imponere. Secundum, quod Concilium facere deberet, vbi primum non sufficeret est, deuotissimis precibus, & ieiunijs, & operibus bonis aures diuinæ clementiæ pulsare, vt dignetur Ecclesiæ suæ misereri, & eius Pontificem, aut illuminare, & corrigere, aut eidem Ecclesiæ suæ, vt expedire nouit prouidere, si enim iuxta illud Matth. 18. duobus in nomine Domini congregatis fiet quicquid petierint, quantò magis credendum est vbi sunt tot Patres vniuersalem Ecclesiam repræsentantes, & vnanimes pro subleuatione Ecclesiæ, quod exaudientur, Et si priora ex aliquibus causis nobis occultis non sufficerent, tunc Concilium sic coadunatum inuocabit Brachium seculare, vt puta Imperatoris, vel aliorum principum, ad prouidendum de modo, & forma resistendi malis, quæ Papa facere tentaret, ne Ecclesia periclitaretur. Pro hoc 79. dist. si quis pecunia 63.dist. Adrianus el secundo & cap. in synodo. Vnde tali pontifiei volenti destruere Ecclesiam debent omnes Christiani resistere 24. quæstione prima cap. memor. 43. dist. capi. sit rector septi. quæstione prima §. cum verò Et ex his apparet, ad quid prodest congregatio Concilij, quando Papa est enim inosus licèt, non possit deponi. De qua congregatione supra pluries diximus.

Et ad istud sextum remedium facit quod dicit Card. in 23. notabili, capit. solitæ de maior. & obed. cum notat differentiam inter Pontificiam auctoritatem, scilicèt iudiciariam ad discernendum, & iudicandum, & regiam potestatem, scilicet executoriam ad perficiendum, & ideò ad hoc designandum Pontifex vngitur in capite, sed rex in armo, vt de sacra vnctio. capit. vnico §. vnde in veteri. Et allegat ad propositum Hostiens. ibi in di. cap. vnico dicentem,quod in multis locis secularis gladius factus est Sacerdotalis, iudicans clericos, & Ecclesiastica, sicut laicos, & temporalia, & quod spiritualis interdum etiam ex leui causa mouet guerras, & nutrit, & sic factus est militaris, contra iura. cap.de treu. & pac. de voto, ex multa §. de clericis 23. quæst. octaua in summ. & sex. cap. sequentibus. Et dicit quod non deficiet pestis ista donec quisque suis terminis sit contentus de sepul. capitulo primo super quæ dicit quod esset salubre condere constitutionem specialem. Et quibus ipse Cardinalis dicit sæpè dixisse, quod esset necessarium, quod in Concilio generali fierent constitutiones, ita regulantes potestatem Papæ, quod non absorberentur potestates aliorum Prælatorum, per quod Ecclesiasticus ordo confunditur, de offic. ord. Pastoralis, in gl. 1. in fine. Et refert se idem dixisse in tractatu schismatis, videlicet vbi tractat de vnione Ecclesiæ facienda in 8. modo. Et dicit se multùm super hoc institisse apud nonnullos, qui ibant ad Concilium

lium Pisanum, subiungens quod sperabatur aliqua bona conclusio. Et inter cætera
13 dicit quod deberet statui per Concilium quod tales constitutiones non possent reuocari, nec interpretari, nisi per aliud Cōcilium, ad hoc vt daretur occasio conuocandi Concilium, quæ conuocatio fuerat omissa per c. an. scilicet à tempore Conc. Viennen. ex quo multæ deformitates inualuerant inter catholicos, quæ non inualuissent, vel fuissent sublatæ, si fuissent concilia debitis temporibus celebrata, & quod etiam super hoc esset de tempore statuendum. Et sic sentit, quod quando Papa absorbet potestatem aliorum prælatorum, debet congregari Concilium, Credò, quod si Cardinalis vidisset ista tempora quibus etiam præsidente Concilio passim annihilatur iurisdictio prælatorum, longè magis admiratus, & turbatus fuisset, sed quis est qui possit facere constitutiones regulantes supremam potestatem Papæ, quæ est à Deo vt in clem. pastoralis in fin. de re iudica. Cui nihil resistit, nam omnem legem positiuam superat, & sufficit in Papa pro ratione voluntas, Bald. in cap. 1. de constit. & in l. secunda, C. de serui. & aqua. & prouidere spectet ad Deum.

Septimum remedium, vbi occulto Dei iudicio omnia præcedentia non haberent locum, esset, ad tempus patienter tolerare quod diuina iustitia tolerat, quia non est verisimile, quod talis diù à Deo toleraretur, sicut exemplum de Ioanne XII. experientia nos docet, vnde psalm. 36. inimici Domini, mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes sicut fumus deficient. Huiusmodi autem patientiæ habendę causa posset assignari, quoniam vt inquit Gregorius lib. vigesimo quinto moralium pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, vt sæpè pro malo gregis etiam boni delinquat vita pastoris, quia secundùm meritum plebium disponuntur corda
16 regentium. Vnde idem Gregor. in capitulo ex merito 6. quæstione prima ait, ex merito plebis nonnumquam Episcopi deprauantur, & secundùm merita, aut demerita populorum disponitur à iusto iudice vita prælatorum. Vnde in vltionem peccati populorum Deus quandoque permittit regnare malos, secundum illud. Oseæ 13. dabo vobis Regem in furore meo, & Iob. 34. dicitur qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Et idem dicit Hieron. in capitulo audacter 8. quæstione prima. Meritò ergo tolerandum esset, tum quia fortè tale malum in capite, in Ecclesia meritis subditorum eueniret, tum quia vt dicit August. non est magnum tolerare eum, qui à Domino toleratur. Nec etiam timenda videtur ex huiusmodi tolerantia periclitatio totius Ecclesiæ vniuersalis, sicut aliqui arguunt per illam glo. in cap. si Papa, quia non est verisimile quod ob turpem vitam, seù mores vnius summi Pontificis ipsa vniuersalis Ecclesia, cum quam Christus pollicitus est se futurum tanquam protectorem fortem, vsque ad consummationem seculi, debeat omnino perire.

SVMMARIVM.

1 *Papa quando dicatur scandalizare Ecclesiam ad hoc, vt propter ipsius in corrigibilitatem possit in Concilio accusari.*
2 *Ecclesia continet bonos simul cum malis.*
3 *Ecclesia aliquando capitur pro præsidentibus in ea.*
Aliquando pro potioribus, siue sint clerici, siue laici, num. 4.
5 *Concilium dicitur Ecclesia, licèt in eo verè non sit tota Ecclesia, sed representatiue.*
6 *Notorium facti quod sit.*
7 *Papa potest accusari de crimine notorio, quod vix potest esse. Quod quomodo sit intelligendum, ibid.*
8 *Papa quando dicatur incorrigibilis. Et incorrigibilitas quibus, & quot modis accipiatur, ibid.*
9 *Papa quando dicatur sua incorrigibilitate scandalizare vniuersalem statum Ecclesiæ.*

ARTICVLVS IX.

1 Sed quia vt dictum est quando scandalizatur Ecclesia in causa fidei propter delictum notorium, & incorrigibilitatem Papæ posset in Concilio accusari, quæro quando dicatur scandalizari Ecclesia, hoc enim mihi semper fuit dubium. Abb. in cap. proposuit. de concess. præben. dicit quod vix potest esse delictum notorium in Papa, per quod non scandalizetur Ecclesia iuxtà illud prophetæ, si is, qui est vnctus peccauerit, faciet populum delinquere, scilicet propter malum exemplum, vt in cap. magnæ de voto. Sed per hoc non est mihi satisfactum, quia si præsupponimus delictum notorium vniuersali Ecclesiæ, tunc verum erit quod dicit Abbas, sed hoc videtur impossibile, si capimus vniuersalem Ecclesiam pro collectione fidelium, vt in cap. Ecclesia de consecrat. dist. 1. quia quo ad minores artifices, & illos, qui numquam cognouerunt Papam quomodo scandalizabuntur, qui notitiam non habent, nec habere curant. Et semper erit maior pars illorum, quàm eorum, qui scandalizabuntur
2 de delictis Papæ, propter ipsorum propria delicta, & forte maiora. Et Ecclesia continet bonos simul cum malis 23. qu. 4. hæc autem, & cap. quidam cum bonorum. Facit, quod ipse dixit in cap. significasti, de elect. quod Ecclesia, quę non errat, est in omnibus fidelibus orbis. Et sic intelligendo in proposito, nunquam casus occurreret, quod per delictum Papæ scandalizaretur Ecclesia. Non reperio aliquem, qui tāgat istam difficultatem, nec aliquis, quod viderim declarat super illam glo. in capit. si Papa. Ego autem saluo meliori, iudicio credo d. glo. intelligendam de crimine quod deductum est in notorietatem, apud præsidentes, & Prælatos ecclesiarum pro maiori parte, & apud maiores, & potiores in Ecclesia, etiam si sint laici. Et per hoc apparet non esse verum, quod dixit Abbas, quod vix potest esse crimen notorium, quin

scandalizetur Ecclesia, quia posset esse notorium in palatio, vel in vrbe, vel terris Ecclesiæ immediatè subiectis, ex quo non esset scandalum vniuersalis Ecclesiæ, quia vltramontani, & alij non scandalizarentur, etiam si audirent Papam criminosum, quia
3 non crederent, non videntes. Quod autem Ecclesia capiatur aliquando pro præsidentibus in ea, probat illud Matth. 18. vbi dicitur si peccauerit, &c. dic Ecclesiæ, vbi glo. Chrysost. exponit Ecclesiæ, id est ijs, qui præsunt, Ad idem glo. 2. quæst. prima si peccauerit, &c. exponit Ecclesiæ, id est Sacerdoti. Similiter quod pro maioribus,
4 siue potioribus capiatur, siue sint clerici, siue laici, probat illud tertio regum 8. vbi dicitur conuertit Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel. vbi Ecclesia non accipitur pro vniuerso Israel, cùm totus populus non fuerit ibi præsens, sed vt ex principio capituli colligitur, pro maioribus natu, & principibus tribuum, qui tunc erant ibi congregati. Ad idem est quod dicitur primo Paralipom. 29. in principio, locutusque est Dauid Rex ad omnem Ecclesiam, & tamen soli primates illuc conuenerant. Et idem ad Ephe. tertio, ibi vt innotescat principibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, vbi glo. exponit, idest per Apostolos in Ecclesia prædican-
5 tes. Facit quod idem Abbas dicit in dicto capitulo significasti de electione, quod Concilium dicitur Ecclesia, licèt in veritate in eo non sit tota Ecclesia, sed repræsentatiuè, in quo Concilio interueniunt habentes vocem decisiuam, vt Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Patres, Abbates, & similes, de quibus supra dictum est, vbi etiã potest interesse Imperator, & Reges. Vnde tunc satis dicitur scandalizari Ecclesia, quando delictum est deductum in notorietatem pro maiori parte eorum, qui possunt in Concilijs generalibus interesse. Facit illud act. 15. placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, vbi glo. supplet propter Apostolos, & seniores. Et sic de alijs vltrà Episcopos, vt sunt inferiores his, qui aliquando reperiuntur interfuisse Concilijs. Et tunc cùm res, siue crimen deductum est in notorietatem, apud præsidentes, & Prælatos, & alios potiores pro maiori parte, si affert scandalum, quia est delictum horrendum, & graue, verum erit, quod dicit Abbas, quod vix potest esse crimen notorium in Papa, quod non scandalizet Ecclesiam, & sufficit quod pro maiori parte præsidentes scandalizentur, quia tunc videtur quod Ecclesia scandalizetur, sicut in simili dicimus factum esse ab Ecclesia, quod est factum à maiori parte capituli ipsius Ecclesiæ, vt in capitulo primo, & per totum, de ijs, quæ fiunt a maiori parte. Et sic dicitur factum à Concilio, quod est factum à maiori parte Concilij, vt diximus supra, in articulo quot constituant generale Concilium. Et noto-
6 rium facti dicimus, quod commissum esse non dubitatur à populo, vel maiori parte populi, non enim exigitur totius populi notitia, sed sufficit notitia maioris partis secundùm Vin. & refert Cald. & Ant. in cap. vestra, de cohab. cleri. & muli. Et ex his apparet, quod dico, quod Papa potest accusari propter delictum notorium, quia vix potest cõtingere similis casus, videlicèt quod delictum sit notorium, & Papa incorrigibilis, & perseuerans, & scandalosus in Ecclesia circa fidem. Tum quia ad effectum notorietatis debet esse tale delictum, quod non in occulto committatur, nec quod vnico, vel bino, vel trino actu fuerit commissum, nam vt dicit Bal. in auth. quod locum in vlt. qu. C. de colla. notorium dicitur, quod omnes continuè, vel sæpè vident, vel videre possunt, & ponit Vbertus, & refert Ant. in repetitione, cap. vestra de cohabitatione cle. & muli. Et idem Bald. in l. cùm fratrem C. ad syllan. dicit quod notorium est, quod de sui natura omnes sciunt, vel eos scire est verisimile, & propriè dicitur in facto permanente, Bart. in auth. qui semel, C. quomodo, & quando iudex. Et maximè in proposito, in quo requiritur perseuerantia, & incorrigibilitas, & scandalum circa fidem, non videtur autem posse contingere, quod ex delicto, & peccato commisso per Papam ipse inducatur ad credendum licitum esse peccare. Sed quando dicatur incorrigibilis, vide omninò Doct. in cap. cum non ab homine, maximè Abb. de iud. Pro ista opinione reperio Augustinum de Ancona in tract. de potest. Papæ qu. 5. art. 4. in respon. ad tertium argum. vbi dicit, quod aliquem esse incorrigibilẽ dupliciter intelligi potest, primò per ipsius criminis, vel peccati continuatione, quia monitus non desistit, secundo modo per ipsius criminis pertinacem defensionem, vt quia defendit aliquod crimen, quo est inuolutus, puta simoniam, vel adulterium, non esse peccatum. Et hoc secundo modo dicitur Papa incorrigibilis, & scandalizans Ecclesiam, & de tali crimine posse deponi, quia talis incorrigibilitas æquipollet hæresi. Et hanc opinionem reperio approbatam in quibusdam allegationibus factis pro Eugenio, incipiunt & si plurimi circa finem, secundæ principalis quæstionis, cuius auctorem credo fuisse Petrum de Monte Episcopum Brixiensem. Qui dicit quod tunc
9 Papa dicitur per suam incorrigibilitatem scandalizare Ecclesiam vniuersalem, quando est incorrigibilis in defendendo suum peccatum, puta si diceret adulterium, simoniam, vel aliud peccatum simile iure diuino prohibitum, & damnatum non esse peccatum, ad hoc tex. in cle. 1. de vsu. Quia talis incorrigibilitas æquipollet hæresi, & deberet de tali pertinacia seipsum damnare, sicut dicitur de hæresi, quod si postponeret requisitus, posset ab eo subtrahi obedientia secundùm modos supra datos in duabus præcedentibus quæstionibus, & infra in artic. incipiente nunc successiuè quæro, Papa vendit Episcopatus, & beneficia passim, & notoriè, & est incorrigibilis, & scandalizat Ecclesiam, &c.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Papa an possit accusari schismatis.*
Et quid sit schisma, & num.20.
Et de schismate largo modo, & strictissimè. ibid.
2 *Schisma, & hæresis quomodo differant.*
3 *Schismaticus, & hæreticus, vnde dicantur.*
4 *Hæreticus quot modis dicatur.*
5 *Schisma propriè sumptum via est ad hæresim*
Et schisma, quod diù durauit incidit in hæresim, num.21.
Et de hoc Papa potest accusari, num.21.
6 *Hæresis dicitur quasi elesis, ab eligo.*
7 *Schisma capitur generaliter, minùs generaliter, & strictè.*
Et vniuscuiuslibet exemplum, ibidem.
Abbas quadrupliciter, num. 9.
8 *Vnitas Ecclesiæ in duobus attenditur.*
10 *Schisma potest esse sine hæresi.*
11 *Schisma cum hæresi, opin. illorum, qui dicunt non posse esse schisma sine hæresi. nu. 12.*
Et quomodo intelligendum, ibid.
Et quo casu possit Papa accusari, videlicèt de schismate.
13 *Papa potest accusari de schismate, quod habet inclusam hæresim. Sed an de eo, quod non habet inclusam hæresim, num.14.*
15 *Papa licèt sit caput Ecclesiæ potest tamen fieri schismaticus, & quomodo, & se subtrahendo ab vniuersali Ecclesia incidit in schisma num. 17.*
16 *Papa quomodo potest se separare à corpore Ecclesiæ, & collegio Sacerdotum.*
18 *Ecclesia est apud Deum quomodo intelligendum.*
19 *Papa inquantum est caput Ecclesiæ potest esse à se diuisus, sed inquantum homo non.*
23 *Ignorantia iuris, & ignorantia facti excusant.*
24 *Factum de longinquo, & intricatum excusat.*
Et quomodo intelligendum, num.25.
26 *In dubijs cui adhærendum quatuor documenta*
27 *Glo. 24. qu.1. cap. in summa, & glo. in cap. didicimus, l. 2. eadem causa, & quæstio intellectus.*
28 *Abb. & Petrus de Anch. contrarij.*
Et Abb. seipsum limitat. num. seq.

ARTICVLVS V.

1 Amplius quæro, vtrùm Papa possit accusari schismatis. Et aduertendum est quod schisma dicitur à scissura, quia per schisma fit in vnitate scissura. Et Bald. in cap. pastoralis, de rescr. dicit quod est vnum monstrum in natura, sicut quando vnum corpus habet duo capita. Potest autem multipliciter considerari, quia vt dicit text. in cap. inter hæresim 24. qu. 3. inter hæresim, & schisma hoc interest, quod hæ-
2 resis peruersum dogma habet, schisma post Episcopalem discessionem ab Ecclesia pariter separat, tamen nullum est schisma nisi sibi aliquam hæresim confingat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur. vndè distinguitur inter schisma, & hæresim sicut inter genus, & speciem, & inter dispositionem, & habitum. Quapropter omnis hæreticus est schismaticus, sed non conuertitur, vt dicit ibi glo. & gl. fin. in cap. non afferamus, eadem causa, qu. 1. Et vt dicit Astesanus in 2. par. in titulo de pace, art.6. hæresis propriè opponitur fidei, schisma verò vnitati Ecclesiasticæ charitatis, & ideò sunt diuersa vitia. Et idem dicit S. Thom. quem omninò vide, in secunda secundæ, qu.39. ar.1. Et Archiepisc. Flor. in secunda par. summ. in titulo 3. cap. 11. incipit schisma autem ex superbia, cum sequenti vers. Vnde Aug. in lib. quæstion. Euangeliorum dicit quod malum catholicum facit morum, & vitæ prauitas, hæreticum facit fidei diuersitas sed schismaticum facit disrupta societas. Quod & refert Augu. de Anco. in tract. de
3 potestate Papæ qu.25. art.2. & ibi vide vnde dicatur schismaticus, & vnde hereticus. De qua differentia vide etiã latè per Ægid. in capit. in fidei, de hæret. in 6. & Summistas in locis proprijs. Vnde hæretici propriè dicuntur zizania, sicut enim zizania, cum frumento non habent communem radicem, sic nec hæretici communem fidem, cum veris catholicis habent; mali catholici autem vera credentes, & non vt credunt viuentes dici debent palea, & schismatici dici debent aristæ, quia aristæ, & palea communem radicem habent cum frumento Ita Augu. de Anco. vbi supra, & ibi vide art.4. de grauitate criminis, & glos. in capitulo afferamus 24. qu. prima. Quot au-
4 tem modis dicatur quis hæreticus, vide bo. glosa in capitulo illi qui. 24. quæstione 3. Adde quod id quod dicitur de differentia inter schisma, & hæresim, sicut inter dispositionem, & habitum, intelligitur capiendo nomen schismatis largo modo, & generaliter, non autem capiendo propriè, prout dicit recessum cum pertinacia ab obedientia Ecclesiæ, quantumcumque enim simul concurrat cum hæresi, distat tamen semper specie ab ea, cum sint peccata specie distincta, quod non est de dispositione, & habitu, genere, & specie, licèt schisma etiam
5 propriè sumptum via sit ad hæresim, quoniam schismaticus diù esse non potest, nisi sibi aliquam hæresim confingat in defensionem dissensionis suæ. Ita dicit Cardin. de Turrecrem. in prima parte libro quarto de potestate Papæ capit. quarto, improbando glo. & Doct. in dicto capitulo inter hæresim. Et vide Alberi. in rubri C. de hæ-
6 ret. vbi dicit, quod hæresis dicitur diuisio sicut schisma, & dicitur quasi elesis ab eligo eligis, quia aliam à fide eligit opinio, allegat Apostolum ad Galatas: Si Angelus de cœlo vobis aliud euangelizauerit anathema sit. Vide tamen Abbatem in capitulo
7 firmissimè in fin. de hæres. & ibi vnde dicitur. Vnde cap. potest schisma generaliter, minùs generaliter, & strictè. Generaliter quidem capiẽdo schisma ponit diuisionem animorum, siue licitam, siue illicitam, ab vnitate, siue vniuersitate. Et ita potest sonare in bonum, sicut in malum iuxta illud Ioann. 9. vbi Iudæis vario modo interpretantibus miraculum factum per Christum de ceco nato, dicitur quod schisma erat inter eos. Sed hìc non loquimur hoc modo de schismate, si enim aliquis discedat, vel se

se diuidat illicitè ab aliqua particulari hominum congregatione, licèt largo modo interueniat schisma, non tamen illud per quod quis videtur discedere ab vniuersitate vnionis Ecclesiæ. Minùs generaliter capitur pro quacumque illicita diuisione, & hoc modo capitur. 1. ad Corint. 1. idipsū dicatis omnes, & nominati sint in vobis schismata. Et sic dicit Raym. in summa in tit. de schismat. quod est illicita discessio inter eos, inter quos vnitas esse debet vel est illicitus ab vniuersitate, seu vnitate discessus. Vtrùm autem hoc modo capiendo schisma, Papa possit accusari schismatis si per hoc scandalizatur vniuersalis Ecclesia, & est incorrigibilis, diceremidem, quod diximus in præcedenti articulo, quando accusatur de crimine notorio scandalizante Ecclesiam vniuersalem circa fidem, de quo est incorrigibilis, quia iste casus com-
8 prehenditur in illo. Vnde beatus Thom. in secunda secundæ quæst. 93. art. 1. dicit quod Ecclesiæ vnitas in duobus attenditur, scilicet connexione, seu communicatione membrorum adinuicem, & in ordine omnium membrorum ad vnum caput. De qua vnitate Leo Papa in 3. sermone ordinationis suæ. Dicit licèt vniuersa Ecclesia Dei distincta, & ordinata sit gradibus, vt ex diuersis membris sacrati corporis subsistat integritas. Nos tamen omnes sicut Apostolus inquit in Christo Iesu vnum sumus, nec quisquam ab alterius ita est diuisus officio, vt non ad connexionem pertineat capitis cuiuslibet humilitas portionis. Schisma autem strictè sumptum, secundùm beatum Thom. super illud 1. ad Corint. 1. non sint in vobis schismata, est quando, vel propter diuersam fidei confessionem, vel propter diuersas sententias de agendis, homines vnius collegij se in diuersas separant partes, secundùm illud Isaiæ 22. scissuras ciuitatis Dauid videbis., quia multiplicatæ sunt. Vnde Hostien. in summa dicit, quod schisma est illicita diuisio per inobedientiam ab vnitate Ecclesiæ facta Anton. in rubr. de schismat. dicit, quod schisma strictissimè sumptum intendit hæresim, pro eo, quod omnis schismaticus intendit sibi Ecclesiam constituere, & vniuersalem impugnare, quæ vna est 25. quæst. 1. loquitur, vndè peccat in articulum fidei, & vnam SanctamCatholicam Ecclesiam Abb.
9 in rubr. & Anton. cap. 1. eodem titulo dicunt schisma quadrupliciter sumi. Et largissimè quidem omnes constituti in peccato mortali dicuntur schismatici 24. qu. 4. dixit 13. quæst. 1. Apostolicæ 1. quæst. 1. sacerdotes. Largè dicuntur excommunicati 11. quæst. 3. cum excommunicato, & cap. seqq. Ex quibus aliqui peccant, aliqui non, licèt sine peccato non debeat excommunicatio ferri, de restit. spol. literas de sentent. excommun. inquisitioni. Hi tamen sunt à Deo, & ab Ecclesia, seu cœtu fidelium diuisi, sed constituti in peccato tantùm, à Deo, & non ab Ecclesia, sunt enim existentes in peccato adhuc in communione Ecclesiæ. Item excommunicati possunt dici strictiùs diuisi, quia faciliùs reconciliantur peccatores, quàm excommunicati, vt in cap. cùm desideres, & cap. à nobis de sentent. excommun. & cap. omnis de pœnit. & remiss. His duobus modis capiendo clarum est, quod Papa non posset accusari. Vt supra dictum est. Strictè dicuntur scismatici, qui coniurationes faciunt contra Episcopum proprium. Et isti non sunt suspensi, sed suspendendi, secundùm Innoc. & Hostien. & Anton. in rubrica. Item magis strictè schismatici dicuntur, qui proprium Episcopum eijciunt de Sede Episcopali, eam sibi occupantes, & Presbyteros suos facientes, & etiam constitutiones, septima quæstione prima scire 25. quæst. 3. inter hæresim. Et etiam hi casus non conueniunt in Papa. Sed strictissimè schismatici sunt illi, qui diuidunt se ab vnitate Romanæ Ecclesiæ, constituendo sibi Ecclesiam, & ordinando Clericos, & Sacerdotes, & faciendo sibi constitutiones, septima quæstione prima. Nouatianus 24. quæst. 1. loquitur 24. quæst. 3. inter hæresim. Vnde Abb. in capitulo atsi cleri-
10 ci in 15. colum. de iudic. dicit, quod aut aliquis credit Ecclesiam esse penès alterum tantùm, quando aliqui se gerunt pro Summis Pontificibus, & potest esse schisma sine hæresi, allegat. gloss. singularem 23. quæst.
11 primas. 1. Aut credit Ecclesiam posse consistere penès duos in solidum, & est schisma cum hæresi. Et idem ipse replicat in rubr. de schisma. de quo aliquid infrà clariùs di-
12 citur. Gloss. tamen 24. quæst. prima in summa dicit, quod schisma non potest esse sine hæresi, nisi in Summo Pontifice si duo crearentur, & quilibet contenderet Ecclesiam apud se esse, & idem Milis in verbo schisma. Quod credo intelligi de schismate strictissimè sumpto, & idem Abb. in cap. firmissimè de hæret. Capiendo autem isto, & vltimo modo vtrùm Papa possit accusari schismatis, videtur quod non, quia non potest seipsum separare ab vnitate Ecclesiæ, quia nullus potest à seipso separari Vnde cùm Papa sit caput ipsius Ecclesiæ, secundùm, quod dicit Hostien. & S. Thom. in opusculo contra errores Græcorum ca-
13 pitulo 66. non potest in eum cadere huiusmodi schisma loquendo in vno vero, & indubitato Papa. Item in eum in quo, & apud quem est Ecclesia, sicut est Papa 24. quæst. 1. loquitur, & cap. didicimus, non cadit schisma, immò per separationem ab eo incurritur schisma secundùm illud Cypriani in cap. schri. 7. quæst. 1. Quòd dicendum clarum est, quod si loquimur de schismate, quod habet inclusam hæresim, non dubitandum est, quod Papa potest accusari distinct. 40. cap. si Papa, quando enim Papa persistit in schismate, vel fouet illud longo tempore, tunc non tam dicitur scismaticus, quàm hæreticus, vt vult illa gloss. in cap. inter qæresim 24. quæst. 3. & ponit sanctus Thom. in secunda secundæ quæst. 36. art. 1. ponit, & sequitur Petrus de Monte in quæstione, an Papa sit maior Concilio in 2. conclusione in 3. char. in sua
14 Monarchia. Sed dubium est quando non habet hæresim inclusam, in quod non videtur Papa posse incidere, cùm ipse sit ca-
15 put Ecclesiæ vt dictum est. Sed dic, quod quam-

quamtumcumque ipse sit caput Eccles. potest fieri schismaticus, primò hoc probatur in duobus contendentibus de Papatu quorum vterque se credit verum Papam, nam hi sunt schismatici, & non hæretici, vt vult gloss. in summa in versic. qui ergo in fine ipsius 27. quæst.1. Item si duobus contendentibus etiam ille, qui esset verus Papa, licèt apud aliquos dubius, esset pertinaciter negligens ad procurandum vnionem Ecclesiæ, & nollet facere, quod in se esset pro vnione Ecclesiæ redintegranda, talis videretur nutritor, & fautor schismaticis, & argueretur schismaticus, vt fuit dictum de Benedicto XIII. & Gregorio XII.

16 Item probatur sic, Papa potest separare se sine aliqua rationabili causa, sed ex sua pura voluntate à corpore Ecclesiæ, & collegio sacerdotum, per non obseruantiam eorum, quæ vniuersalis Ecclesia, ex traditione Apostolorum obseruat, vndecima distinctione capitulo Ecclesiarum, aut per non obseruantiam eorum, quæ per vniuersaliter ordinata, maximè ad cultum diuinum, quia fortè non vult seruare illud, quod vniuersalis ritus Ecclesiasticorum seruat, puta quia non vult celebrare in vestibus sacris, aut locis sacratis, aut cum luminaribus, aut signare se signo crucis, sicut reliqui sacerdotes faciunt, & similia, quæ sunt generaliter ordinata ad perpetuam vtilitatem contra cap. quæ ad perpetuam & cap. violatores, & cap. sunt quidam & cap. contra statuta 25. quæst.1. Ergo videtur, quod Papa in talibus diuidendo se ab obseruantia vniuersalis Ecclesiæ cum pertinacia, possit in schisma incidere. Ita dicit Card. de Turrecremata in prima parte quarti de potestate Papæ cap.11. Qui respondet

17 ad contraria supra allegata, quod non tantùm committit schisma, qui se subtrahit ab obedientia Papæ, sed qui se subtrahit ab obedientia capitis principalis ipsius Ecclesiæ, hoc est Christi, vnde Papa bene potest se separare per inobedientiam à capite, hoc est Christo, & ab institutione Apostolicæ Sedis, inquantùm se diuidit ab obseruantia eorum, quæ Sancti Patres in Sede Apostolica ad communem Ecclesiæ vtilitatem constituerunt, & ideò dicitur, quod Papa potest incidere in schisma se subtra-

18 hendo ab vniuersali Ecclesia. Ad id autem, quod dicitur, quod apud eum est Ecclesia, dicit verum esse, quando ipse manet subiectus capiti Christo, cuius est Vicarius recognoscendo suam potestatem dependere ab eo, & obseruantijs vniuersalis Ecclesiæ ipsius Christi sponsæ se conformando.

19 Item hoc clariùs posuit etiam Ægidius in dicto cap. in fidei de hæret. vbi referendo dicta cuiusdam fratris Sancij de Mulerijs Magistri in Theologia, dicit possibile esse vt Papa sit schismaticus. Antecedens patet, quia Papa habet libertatem talia faciendi, & peiora. Consequens probatur quia vt dicit S. Thom. in secunda secundæ quæst.39. art.1. in corpore art. schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant, ergo ab opposito etiam schismatici dicuntur, qui subsunt Antisummopontifici, vt bono capiti, & eius membris tamquam Catholicis communicant. In quo casu verus Papa esset diuisus à se inquamtum est caput Ecclesiæ non autem esset diuisus à se inquantum est homo. Et per hoc respondetur ad argum. quod ideo Papa non potest esse à se ipso diuisus. Et hoc etiam ponit expressè Petrus de Anchar. in tract. de schismate in prima quæstione in tertia char. ponendo exemplum in Papa, qui aliquid attentaret contra quatuor Euangelia, & contra decreta quatuor Conciliorum. Et allegat in exemplum quæ dicuntur in capitulo quanto de consuet. per Innocent. & in capitulo sunt quidam 25. quæst. prima, & capitulo sicut distinct.15. & prima quæst.7. capitulo etsi illa, & quod notatur de sentent. excommun. nulli. Cùm vt ipse dicit sint multa in quibus non habet potestatem, vt in Specul. in titul. de dispensat. in §. nunc breuiter per totum illum §. quia ex talibus redditur suspectus de hæresi, vt in cap. Anastasius distinct.19. & 5. quæst. 1. quidam, ibi Archid. in verbo errare, quia dicitur tunc errare cùm aliquid statuit contra articulos fidei, vel contra statum vniuersalis Ecclesiæ.

20 Vnde cùm quæritur vtrùm ipse possit accusari de schismate, considerandum est, quod si capimus schisma largo modo, non sonat in hæresim, & in illo dicendum est prout diximus de alio crimine notorio scandalizante Ecclesiam, de quo est incorrigibilis, vbi volui, quod si sit tale scandalum etiam circa fidem, potest accusari, licèt non deponi. Si verò capimus schisma strictissimè, tunc aut vult constituere aliam Ecclesiam omninò se diuidendo ab Ecclesia Romana, & isto modo fit schismaticus schismate, quod sonat in hæresim, vt potest poni exemplum, secundùm quod supra proximè diximus, & sicut faciunt Græci, quia tunc est hæreticus, & venit contra illum articulum fidei, & vnam sanctam Catholicam Ecclesiam, vt dicit Abb. in rubr. de schismat. & Antonius de Butrio in c.1. eodem titulo, & idem Abb. in cap. atsi Clerici in principio, in columna 15. de iudic. Et isto modo procedunt, quæ dicuntur, quod schisma non est sine hæresi, vt in dicto capitulo inter hæresim. Et isto modo dicit Hieron. nullum esse schisma, quod non aliquam hæresim confingat, vt rectè ab Ecclesia videatur recessisse. Et isto modo poterit accusari, quia hæreticus, dicto cap. si Papa. Si verò non constituit aliam Ecclesiam, immò credit totam Ecclesiam esse apud se, vt contingere posset quando duo, vel plures contendunt de Papatu, nam tunc quilibet eorum credit vnitatem Ecclesiæ, & illam esse apud se, nec impugnant Romanam Ecclesiam, & tales sunt schismatici, & non hæretici, vt dicit Abbas in dicta rubr. & Antonius in dicto capitulo primo isto casu vtrùm possit accusari de schismate, dico quod si est schisma inueteratum, istud transit in hæresim, quia tales videntur inducere nouum ritum prorsus diuersum à ritu antiquo populi Christiani, videlicet nutriendi infantes excre-

crescentes ad duo capita velut monstrum, hoc est ad duos Summ. Pontifices, & ad duo Collegia Cardinalium, cum non possit esse nisi vnus 7. quæst. 1. factus est Cornelius, & Ioann. 10. factum est vnum ouile, & vnus pastor ponit gloss. in Clement. ad nostrum de hæret. Et cùm res inueterascit, possunt credere Christiani, quod Papa non sit verus Dei Vicarius, & quod non gerat vicem Iesu Christi in terris, & parit derisum, & vilipenduntur censuræ, nam vnus excommunicat, & interdicit fauentes alteri, & aliusècontra, & propter huiusceemodi contrarietates sequũtur multi errores, maximè ex promotionibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum. Ita dicit Mathesil. in additione ad tract. schismatis, Anton. de Butr. in 7. argumento pro parte affirmatiua. Et idem in responsione ad obiecta, vbi dicit quod quando schisma est inueteratum est hæresis, & venit contra articulum, & vnam sanctam Catholicam Ecclesiam. Nec vt ipse dicit tuetur eos, qui non credunt posse esse duas Ecclesias, vel duos Pontifices, & duo Collegia Cardinalium, sed credunt esse vnum licèt sit hæsitatio de subiecto, id est an sit hoc, vel illud, quia hoc est illudere legi diuinæ, ex quo tam longo tempore talem perplexitatem passi sunt, & diuisionem nutritam fouere dicuntur, vt fixis altiùs radicibus plus durare possit. Vnde propter prauam intentionem cum opere subsequuto sunt puniendi, sicut hæretici, vtpotè qui de facto non minùs diuidunt Ecclesiam, quàm si docerent posse esse plures Eccles. arch. cap. nuper & cap.
21 fin. de bigam. idem etiam dicit Goffred. in tit. de schisma in summa, scilicet, quod diu durauit incidit in hæresim, in titul. de schismat. idem etiam Hostiens. in summa, eodem tit. in §. vnde dicatur. Et idem Astesanus in tertia parte in tit. de pace, artic. 6. idem etiam Petrus de Anchar. in tract. de schismate, in prima, & secunda quæstione, vbi non solùm ipsos dicit esse schismaticos, sed etiam omnes illis adhærentes ratione tam inueterati schismatis. Et idem Petrus de Anchar. in responsione facta in Concilio ad oratores Regis in tertia char. allegat notata 24. quæst. 1. non afferamus, & eadem causa quæstione tertia inter hæresim, similiter textu 24. quæstione prima, vbi sana, & capitulo in nomine Domini distinct. 23. immo idem Petrus de Ancharan, in dicto tract. dicit tales in hæresim, vel saltem in suspicionem hæresis incidisse. Et ad præmissa de inueterato schismate, per illum textum in capitulo in nomine Domini distinct. 23. dicit tales Antichristos, inuasores, & destructores, christianitatis nuncupari textus est Hierosol. in dicto capitulo inter hæresim, & ibi dicitur quæstione 24. & Augustin. in lib. contra Cresconium grammaticum, quem infrà latiùs refero.

22 Nunc ergo si schisma est inueteratum, ex quo transit in hæresim, poterit accusari vt hæreticus d. c. si Papa, & ita legitur factum tèpore schismatis Gregorij XII. & Benedicti XIII. & Ioannis XXIII. qui in Concilio Constantien. fuerunt priuati tamquam nutritores antiquati schismatis, licèt Gregorius præueniendo cesserit. Et ità quod possint etiam tamquam suspecti de hæresi accusari, ponit Petrus de Anchar. de eis in dicto tract. schismatis in quæst. 2. vbi dicit, quod hanc conclusionem vidit approbatam sub sigillo Collegiorum omniũ Magistrorum Theologiæ, & Doctorum Iuris Canonici, & Ciuilis Ciuitatis Bononien. & Vniuersitatis Parisien. Et idem, quod possit Papa accusari de tali schismate, ponit Ægid. in capit. si Papa, in versic. sextum dubium dist. 40. Et hoc modo potest limitari, quod dicit Abb. in dicto cap. atsi Clerici, videlicèt nisi esset schisma inueteratum. Et similiter dico, quod poterit accusari tamquam schismaticus si se Papam contenderet credendo Ecclesiam posse habere duos Romanos Pontifices, quia esset hæreticus, & necessariò crederet duas Ecclesias, contra illud, & vnam sanctam Catholicam Ecclesiam. Ità dicit dict. Anton. in dicto capit. de schisma, & Abb. in dicto cap. atsi Clerici, vbi dicit sic intelligi glossa 7. quæst. 1. non autem. Sed si non esset schisma inueteratum, & requisitus faceret quicquid posset ad tollendum schisma, & esset paratus facere omnia, quæ per sacrum Oecumenicum Concilium ordinarentur pro sedando schismate, tunc non crederem eum posse accusari, maximè si non fuisset auctor exorti schismatis. Facit, quod dicitur, quod schismatici redeuntes semper sunt recipiendi, sed non hæreticus postquam est relapsus, vt dicit August. de Ancon. in dicto tract. de potest. Pap. quæst. 25. artic. 4. Sed si detrectaret sedare schisma, vel in hoc esset remissus, seu negligens, credo arguendo à minori, quod posset accusari per illam glossam in dicto capit. si Papa, vt dictum est supra, propter scandalizationem vniuersalis Ecclesiæ. Immò contra talem schismaticum potest Imperator indicere bellum, vt ponit Abb. Sicul. in capit. sicut il 2. de iureiurand. & idem Petr. de Ancharan. in regula accessorium in col. 82. in fin. de reg. iur. Sed con-
23 tra illud, quod dictum est supra, quod quando schisma est inueteratum, transit in hæresim, & de eo potest accusari. Facit etiam, quod dicit Abb. in rubr. de schisma in fin. vbi quando quæstio est dubia de Pontificatu, & maximè ex facto intricato, & diuturno, exemplificando in schismate Ioannis, Gregorij, & Benedicti, dicit, quod tunc tales non essent excommunicati, & euitarent excommunicationem, & peccatum, argum. leg. regula, & leg. 2. ff. de iuris, & facti ignor. & capit. ad Apostolicæ, de Cler. excommunic. minist. & cap. vt animarum, de constitut. in 6. & idem refert ibi Ioannes de Anan. Hoc idem per plures rationes ponit Archiep. Florent. in par. 1. summæ in tit. 3. de superbia cap. 11. §. sed quid cùm duorum ex ignorantia facti, tùm ex ignorantia iuris, quia dubitabatur apud peritissimos, an in electione Vrbani VI. fuisset talis metus, qui caderet in constantem virum, & vtrùm fuisset purgatus. Et ibi ponit de Iacob, qui cognouit Liam non vxorem pro Rachele vxore sua.

Ponit

Ponit quoque quando ignorantia facti, vel iuris excusat, & dicit, quod illi, qui habuerunt notitiam, & peritiam facti, & iuris in illo schismate, fuerunt verè schismatici; & illi, qui non ex conscientia, quia sic credebant adhærebant nunc vni nunc alteri solùm ducti cupiditate rerum temporalium, nō excusabantur à peccato. Et ibi multùm ad longum refert totam seriem illius schismatis. Adde, quod idem
24 in simili ponit Bald. in leg. magnam, in princip. C. de contrau. & commit. stipul. & Bartol. in leg. si quis delegauerit, ff. de nouationibus, & in leg. si cui, de legat. 1. & Dyn. in regula imputare, de regul. iur. in 6. videlicet, quod vbi est factum de longinquo, & intricatum, quis excusatur. Vndè dicit Bald. in leg. cùm status, C. de ordin. cognit. quod tempore schismatis quis potest esse neutralis. Et idem Bald. in cap. cum contingat circa fin. de rescript. dicit, quod quando ratio est obscura, neutri est parendum, & non cogitur quis præstare præcipitem obedientiam, nec gratificari accipiti via allegat capit. Domino guerram, hic finitur lex, & inducit pro Regibus, qui sunt indifferentes tempore schismatis. Et idem videtur velle Abb. in cap. firmissimè, de hæret. in dicente se Papam, & alium Antipapam. Cuius dicta dicerem posse intelligi in duobus, nouiter in discordia assumptis, quorum vterque credit se Papam, vel intelligi in persona illius, qui post inueteratum schisma nouiter assumitur in Papam ex vna parte, qui nouus non fouet schisma, & propter factum iustum intricatum credit illum fuisse verum Papam, in cuius locum ipse successit, sed facit quantum est in se ad sedandum schisma, & non in illis, qui diù steterunt in schismate, vel loquitur respectu adhærentium, & subditorum, qui propter factum intricatum credunt Papam suum esse verum, & indubitatum Papam, vt dicit Abbas in dicto cap. firmissimè, de hæret. Et ità intelligo, quod dicit Ægid. in Clement. dudum, in princip. de sepult. & Ioann. de Anan. in rubr. de schisma. Qualiter autem
25 etiam in istis admittatur excusatio, dicit Cardin. de Turrecrem. cuius dicta mihi placent, in par. 1. lib. 4. cap. 14. de potest. Pap. vbi ponit quinque veras propositiones, quas optimè probat, & respondet ad illos, qui similiter volunt tales adhærentes, & subditos excusari, vide eum omninò. Et etiam vide omninò Archiep. Florent. in dicto versic. sed quid, cum duobus vbi similiter in fin. ad propositum elicit plures alias conclusiones Cancellarij Parisiensis approbatas per Doctores totius Vniuersitatis, & ibi etiam de sententijs, & censuris, quæ fulminatæ fuerant ab vtraque parte contra alteram, dicit, quod non erant curandæ tamquam à non suo Iudice fulmi-
26 natæ. Et ibi præterea recitat quatuor documenta eiusdem Doctoris. Primum est, quod inter homines eiusdem obedientiæ expedit adhærere sententijs latis à suo superiore credito. Et hoc primum placet ei, quia aliàs sequerentur multa inconuenientia, & confusio magna. Secundum documentum est de casibus reseruatis Papæ, de dispensationibus, & alijs in foro conscientiæ, vel iudiciali, quod possunt homines secundùm credulitatem suæ partis tenere, & seipsos quietare, neutrales autem possunt recurrere ad Ordinarios suos; sed hoc vltimum de neutralibus non placet Archiepiscopo. Tertium documentum, quod similiter ei non placet, est quod ad quamcumque Ecclesiam quis venerit, illius morem seruabit, si non vult cuiquam esse grauis, nec quemquam sibi, iuxtà illud Ambros. de ieiunio dist. 12. cap. illa. Quod improbat ratione vnitatis iurisdictionis, quæ debet esse in vno, vel vero, vel præsumpto Pontifice à quo in alios deriuetur dist. 24. qu. 1. cap. loquitur. Quartum documentum est, quod vbi homo nihil in se sentit carnale, vel tenebrosum trahens eum ad tenendum istam partem, vel illam, non debet sibi seruare scrupulos. Quæ omnia intelligit in dubio schismate, & non in euidenti, & eo, quod clarè à non passionatis facilè percipitur, allegat illud Pelagij dist. 4. quæst. 1. cap. schisma. Et ad præmissa facit, quod
27 dicit Modernus Aretinus qui allegando gloss. 24. qu. 1. in summa, & gloss. 2. eadem causa, & quæst. capit. didicimus, quæ voluerunt, quod duobus contendentibus de Papatu neuter sit schismaticus, dicit, quod est contra text. in capit. 1. de schisma, vbi Guido, & Octauianus, qui contendebant cū Alexandro de Pontificatu fuerunt schismatici, & Alexander non. Ideò dicit, quod illæ gloss. debent intelligi quando quilibet de Pontificatu contendens ex probabili dubio mouetur ad se prætendendum Papam, tunc enim quilibet excusatur à schismate, leg. 1. §. cæterùm, vbi bonus text. ff. de ven. inspi. leg. de ætate, §. ex causa, ff. de interrog. act. leg. quid si fugitiuus, §. apud Labeonem, ff. de ædi. edic. & videtur text. in l. penult. ff. de adult. Et etiamsi ambo nullum ius haberent in Papatu, probabiliter tamen arbitraretur alter eorum, quod esset Papa, in nullo delicto taliter ius Papatus prosequens deberet iudicari. Et ad dictum cap. 1. respondet, quod ibi Alexander erat verus Papa, & Octauianus, & Guido iniustè se opponebant; & ideò illi, qui iniustè se opponebant sunt iudicati schismatici, quia non erat in eis aliquod probabile dubium, quod aliquis ipsorum posset esse Papa, quia constabat, quod Alexander erat verus Papa. Et idem allegat de Symmacho, de quo dist. 17. §. hinc etiā. Voluit tamen finaliter, quod tunc non excusentur, quando moniti non curant, & timentes ne deponantur, protrahunt. Vide eum latè de hoc, & iunge, quod infrà dico vtrùm Papa possit deponi propter schisma. Alioquin non esset verum, quod dicit Abbas, quia schisma inueteratum transit in hæresim, vt omnes volunt, & text. & ibi Doctor. in dicto cap. inter hæresim. Quod & ponit sanctus Augustinus contra Cresconium Grammaticum dicens, inter schisma, & hæresim magis eam distinctionem approbo, qua dicitur schisma esse recens Congregationis ex aliqua sententiarum diuersitate dissensio, nec enim fieri potest, nisi

nisi diuersi aliquid sequantur, qui faciunt, hæresis etiam est schisma inueteratum. Quinimmò Petrus de Anchar. multis exactè discutiendo istum articulum in prima quæstione tract. de schismate, concludit tunc fuisse verum schisma, & ambos fuisse schismaticos propriè. Et ibi respondet ad glosf. in summa dist. 24. qu. 1. & ad rationem de excusatione varietatis opinionum, quod nulla potest esse excusatio, vbi plura dantur capita, nec excusat si credatur, quod verum est in fide, allegat text. in cap. aduocauit dist. 24. qu. 1. & ait, quod nec glosf. loquitur in schismate inueterato. Et per hoc patet quomodo debeat intelligi dictum Abbatis. Item alio modo intelligit glosf. quando duo de recenti sunt creati, & probabiliter dubitatur vter eorum sit
28 Papa. Vndè patet, quod debet Abb. intelligi vt infrà. Immò idem Petrus de Ancharan. est de directo contra dictum Abb. etiā respectu adhærentium, nàm per particularia consilia peritissimorum virorum, qui in illo schismate fuerunt multùm contrarij, vt patet ex Bald. in leg. 1. Cod. si quis aliquem testari prohib. eos non excusat, ex quo duo inspiciebantur capita in Ecclesia, contra illum articulum, & vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, & quia istud iudicium erat Concilij vniuersalis, siue Oecumenici; & ità etiam in schismate inueterato quis non
29 excusatur. Seipsum limitat Abb. in cap. quia diligentia, de elect. & dicit tempore dicti schismatis fuisse vniuersum ad illam glosf. in summa dist. 24. qu. 1. vt dixi supra. Et ad ista adde, quæ dicuntur supra in quæstione vtrùm Cardinales, qui discesserunt à Iulio propriè dicantur schismatici.

SVMMARIVM.

1 *Romani si admitterent Papam schismaticum, an deberent priuari priuilegijs, & immunitatibus.*
2 *Priuilegia Ecclesiæ Rom. remiss.*
3 *Schismatici plures enumerantur, qui humano auxilio de Sede fuerunt expulsi.*
4 *Crux contra schismaticos prædicanda.*
Et eis personaliter opponendum, num. 6.
5 *Schismatum numerus, & schismata plura.*
7 *Ecclesia sequitur veritatem, ideò præualet in perpetuum, & licèt fluctuet tamen perire non potest.*
8 *Papa an possit transferre Sedem de Roma ad alium locum, & num. 15.*
Et Ludouicus Dux Bauariæ gerens se pro Imperatore fecit legem, vt non liceret dictam Sedem transferre.
Nihilominus aliquando fuit translata, per Clementem V. vltra montes, num. 10.
Et lex Bauari non valuit, quia fuit Tyrannus, idid.
9 *Petrus post 11. annum post passionem Domini, sedit Antiochiæ, annis 7.*
11 *Papa licèt dicatur Romanus Pontifex, tamen sonat in plenitudinem vniuersalis Ecclesiæ.*
13 *Translatio facta per Clement. V. Auenion. non fuit propriè translatio, sed Papa dicitur tunc non fecisse residentiam Romæ.*
16 *Petrus representat Ecclesiam, non Ecclesia Petrum:*
Et Ecclesia Romana fundata est in Petro non è contra, ibid.
17 *Ecclesia dicitur ex collectione Catholicorum, non ex parietibus, & muris.*
18 *Ecclesia est, vbi caput eius est.*
Et ibi sunt limina Apostolorum, vbi est Papa, ibid.
19 *Romana Ecclesia, idest materialis, an sit, caput, & quando intelligendum, de materiali.*
Et quando de Papa, ibid.
20 *Papa propter incursum hostium, vel aliam probabilem causam, potest relicta Roma se transferre ad alium locum relicta Roma.*
Quod an sit verum, ibid.
Nàm Papa debet se opponere Romam impugnantibus vsque ad mortem, exemplo Leonis, qui congregauit populum contra Saracenos inuadentes portum Romanum num. 21. 22. & 25.
23 *Capit. nos qui, & capit. locat. distinct. 40. intellectus.*
24 *Papa sine causa discedente de Roma, & trahente moram, & Sedem aliò, & eius absentia scandalum generante, an sit causa congregandi Concilium si vocatus non redeat.*
25 *Vado Romam iterùm crucifigi, per ista verba iussus est Petrus transferre Sedem de Antiochia Romam.*

ARTICVLVS VI.

1 Consequenter quæro hìc, quid si Romani admitterent Papam schismaticum, vtrùm Roma posset priuari omnibus priuilegijs, & immunitatibus per Romanos Pontifices concessis, vel saltèm ab eis suspendi? Hanc quæstionem ponit Alber. in leg. iubemus, C. de sacrosf. Eccles. & dicit eam occurrisse de facto tempore Io. XXII. quia tunc Populus Romanus recepit Ludouicum de Bauaria, qui se gerebat pro Imperatore, contra processus Domini Papæ, & idem Populus, ac Clerus Romanus elegerunt in Antipapam quemdam Fra-
2 trem Petrum de Corbario Ordinis Minorum, à quo multi Cardinales creati sunt. Vbi etiam connumerat varia priuilegia Ecclesiæ Romanæ.

De quo schismate multa scribit Ioannes Aluarus in suo tractatu de planctu Ecclesiæ, & de Ioan. XXII. qui ex his commotus voluit priuare Vrbem Romam omnibus priuilegijs, saltèm ad tempus. Et habito consilio cum doctissimis Viris, maximè cum Oldrado, fuit responsum, quod non licebat, nec decebat, nec expediebat. Et hæc probat per bonas rationes, & sunt de verbo ad verbum consilium Oldradi 62. incip. & circa. Et ibi concludit expediens esse, quod prædicetur crux contra tales tamquam schismaticos, potiùs quàm Ro-
3 ma priuetur priuilegijs suis. Et ibi dicit, quod licèt similis pestis fuerit multoties

in

in Vrbe, nusquam reperitur, quod per processus, & ademptionem priuilegiorum cessauerit, sed semper similes schismatici in Sedem intrusi fuerunt humano auxilio expulsi. Et adducit multa exempla, primum de Leone, & Adriano, quando Carolus cæpit Desiderium, vicit Longobardos, & Ecclesiam restituit dist. 23. qu. 8. hortatu, & dist. 63. Adrianus il 2. Item de Leone ab Vrbe expulso, & creato Benedicto, qui ab Othone postea captus, missus est exul in Saxoniam distinct. 63. in Synodo. Item de Ioann. XII. qui expulsus fuit per Crescentium Patritium, quo fugato per Othonem III. creatus fuit Gregorius V. qui erat de genere Othonis. Et posteà reuerso Crescentio, Gregorius expulsus est, & creatus Ioannes Episcopus Placentinus, quem Nicolaum V. nuncuparunt, qui per Othonem vnà cum Crescentio captus membratim laceratus fuit. Omnia ista etiam refert Catal. in tract. facto pro Ioannem XXIII. contra Gregorium XII. ponens etiam de Guidone, & Octauiano, qui iniustè Cathedram occuparunt, fuit autem Octauianus vocatus Victor, & vixit annis 9. mensibus 7. in Cathedra, cui successit Guido, qui vocatus fuit Paschalis. Quorum facta damnantur de schisma. cap. 1. Similiter de Octauiano contra Papam Alexandrum ponunt Doctor. de elect. quia diligentia. Similiter de Roberto, & Waldemario schismaticis, vt in cap. à nobis, de Sacrament. non iteran. Item Federicus I. contra Innocentium III. schisma mouit, & similiter Otho, quem Innocent. excommunicauerat. Idem fecit Federicus III. contra Gregorium IX. qui per Innocentium IV. fuit in Concilio Lugdunen. depositus, vt in capit. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. Vlti-
4 matè ponit de Ladislao Rege, & Ecclesiæ feudatario, qui schismaticus aduersùs Ioannem XXIII. insurgebat. Et contra eum multa adducit, quæ accepit ex eodem Oldrado in dicto consil. 62. & concludit, quod contra eum erat crux prædicanda, & indulgentiæ concedendæ dist. 23. qu. 8.
5 cap. omni timore. Et si quis voluerit habere notitiam omnium schismatum in Veteri, & Nouo Testamento, videat Ioann. Gerson Cancellarium Parisien. qui in parte prima sui tract. omnia connumerat. Et vide Cardin. de Turrecrem. qui enumerat 26. schismata, quæ fuerunt in Ecclesia in tract. schismatis capit. 9. Habeo enim tract. doctissimi Viri, cuius nomen ignoro, in quo enumerantur 23. schismata. Nec quia finis
6 belli dubius est, omitti debet quin etiam personaliter opponatur dist. 24. quæst. 1, memor, & dist. 23. quæst. 8. omni timore, & ibi promittitur salus æterna mouentibus pro fide bellum, & in cap. omnium dist. 23. quæst. 5.
7 Et quia Ecclesia veritatem sequitur, semper vincit, & præualet in perpetuum, 3. Esdræ 2. & 4. & 8. distinct. capit. consuetudo. Est enim fundata super solidam Petram, & ideò ruere non potest distin. 24. quæst. 1. capit. loquitur. Et licèt Nauicula Petri possit fluctuare, tamen non potest perire dist. 24. qu. 1. non turbatur. Nàm vera Religio casui subiacere non potest, vt in epistola inter claras. Et schismatici licèt inter vitia ferueant, incrementa tamen habere non possunt distin. 17. quæst. 1. Nouatianus. Idem etiam ponit, quod ipse Oldradus, Ioannes de Anan. & sequitur in rubr. de schisma. Et huius exemplo allegat idem fuisse factum per Eugenium IV. anno Domini 1445. qui hortatus est Delphinum, vt faceret bellum contra Basileenses.

Et ad præmissa facit, quod dicitur,
8 quod Papa non potest mutare Sedem suam de Roma ad alium locum, quia mandato Domini Sedes de Antiochia translata fuit Romam dist. 24. qu. 1. cap. rogamus, & sic esset contra præceptum Domini. Et hoc tenet Archidiac. in dicto cap. rogamus, & in cap. fundamenta, de elect. in 6. & dicitur in cap. ego N. de iureiuran. per Abb. facit text. in capit. mutationes distin. 7. quæst. 1. & idem Abb. in cap. per venerabilem, qui
9 filij sint legitimi. Et idem etiam tenuit Okam in parte 1. lib. 5. cap. 21. qui dicit, quod 11. anni fluxerant à Passione Domini, quando Sedes fuit translata Romam. Septem enim annis sedit Petrus Antiochiæ, & 4. annis antè tenuit Cathedram absque appropriatione alicuius Ecclesiæ, & ideò Ecclesia Antiochena illis 7. annis habuit
10 Principatum super alias Ecclesias. Et Albericus in leg. gloriosissimo, in princ. C. de summa Trin. vbi dicit, quod aliquando de facto fuit translata, vt patet in Clemente V. qui transtulit eam vltrà montes, & ibi permansit longo tempore; propterea Ludouicus Dux Bauariæ, posteà se gerens pro Imperatore, fecit legem, quod non liceret transferre Sedem de Roma. Sed iste Bauarus fuit tyrranus non Imperator, vt tactum est supra, ideò non potuit valere lex eius, & alioqui non valuisset, quia posuisset falcem in messem alienam vt dicit Petrus de Monte in quæst. 1. suæ Monar. ad hoc cap. venerabilem de elect. Facit quod dicitur in cap. cùm ad verum dist. 96. & in cap. Ecclesia de constit. Et de istius tyrrannide etiam ponit Aluarus de
11 planctu Eccl. in princ. operis. Qui etiam dicit ibidem in 31. artic. quod licèt Papa non possit transferre Sedem de Roma in aliam ciuitatem propter translationem factam mandato Domini de Antiochia, vbi sederat Petrus annis septem, in vrbem Romam dicto capit. rogamus 24. quæst. 1. quia non est discipulus super magistrum 24. quæst. 1. cùm beatissimus, nec seruus maior Domino suo Ioan. 13. & maiori potestati semper est obediendum 11. qu. 3. qui resistit, & cap. si is qui præest, ob hoc tamen Papa non cogitur stare Romæ, & hoc probat pluribus rationibus. Nec à Romana ciuitate, vel Sede iurisdictionem recipit, sed à Deo 22. dist. cap. 1. in nouo, & cap. quamuis. Nec vocatur Papa Romanus, sed vniuersalis Ecclesiæ, quæ est Sponsa eius sicut Christi. Largè tamen appellatur Papa Romanus, vt in cap. ego N. de iureiurand. & in authent. de Ecclesiast. tit. in princip. §. 1. collat. 9. ibi sanctissimum senioris Romæ Papam, & di-

ſtinct.97. Victor in princ. diſt.22. cap. vlt.
Et quandoque dicitur Romanus Pontifex
cap.1.de conſtit. in 6. Et quantumcumque
12 habeat ſpecialem Epiſcopatum Romæ, &
ſpecialem, ac determinatam Diœceſim,
ſicut alius quiſque Præſul, in qua etiam fa-
cit ſuum Vicarium, qui eſt Vicarius Epiſ-
copi Romani, & non Papæ, vt in cap. ſua,
de off. Vic. vbi hoc, tamen eſt Papa vniuerſ.
Eccleſiæ, quia licèt dicatur Romanus Pon-
tifex, ſonat tamen in plenitudinem pote-
ſtatis vniuerſalis Eccleſiæ, vt in capit. ad
honorem de auctor. & vſu. pal. 2. qu. 6. ſi
quis putauerit, & cap. qui ſcit. Et quod
dicatur Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ
Pontifex eſt text. in cap. in nomine Domi-
ni 23. diſt. in princ. Verùmtamen ſanctus
Gregorius ſcribens Alexandrino Patriar-
chæ, qui eum vniuerſalis Eccleſiæ Papam
appellauerat, ex humilitate reſcripſit, peto
non faciat mihi hoc vltra dulciſſima ſancti-
tas veſtra, quia vobis ſubtrahitur quod al-
teri pluſquam ratio exigit, præbetur, 99.
diſt. cap. ecce. Sic etiam ex humilitate
loquitur in ſingulari, vt in cap. nihil de
præſcript. De hoc tamen vtrùm dicatur
vniuerſalis Eccleſiæ, vel Romanæ Eccleſiæ
Papa, & quomodo, vide quod dico infra
in art. an Papa ſit maior Concilio. Et quo
13 ad id quod dicit Alberic. de Clemente V.
quod de facto tranſtulit ſedem vltra mon-
tes, reſpondetur, quod non fuit propriè
translatio, quia ſedes Romana non fuit
priuata ſua prioritate, & conſtituta, ſiue
facta prima ſedes Aueníonem, ſed tantùm
dicitur non feciſſe reſidentiam in Eccleſia
Romana. Vnde legitur in vita Gregorij XI.
quod, cum argueret quemdam prælatum
quare non reſideret in Eccleſia ſua, ille reſ-
pondit, & tu Pater ſancte quare non reſi-
des in Eccleſia tua, loquens de Romana
Eccleſia, qua de re Gallia ad vrbem redijt,
& curiam ad vrbem reduxit, ex quo habe-
tur, quod licèt traheret moram in Gallia,
non tamen ob id dicebatur ſedes Romana
translata Aueníonem. Ego tamen non cre-
14 do ſimpliciter verum, quod dicit Aluarus,
quod licèt non poſſit ſedes Romana alio
transferri, non tamen propterea cogitur
Papa ſtare Romæ quando Pontifices vel-
lent perpetuò ſtare abſentes, & trahere mo-
ram alibi, quàm in vrbe, tum ad periculum
ſchiſmatis vitandum, vt dictum eſt de Ba-
uaro ſupra, cuius tempore propter Papæ
diutinam abſentiam cauſatum eſt ſchiſma,
tum quia virtualiter, & qui indirectum eſſet
transferre ſedem, quod fieri non poteſt, vt
dictum eſt. Item quia, & quilibet Epiſco-
pus, & Archiepiſcopus tenetur reſidere in
Eccleſia ſua, vt in cap. ex tuæ, & cap. qua-
liter de cler. non reſident. Et Cardinalis ob
non reſidentiam in Eccleſia, & parochia
ſua, quia quinquennio fuerat abſens, à Con-
cilio deponitur, vt in cap. ex geſtis eodem
tit. A pari, & Papa in Patriarchio ſuo, ad
hoc eſt quod dicitur in dicta epiſtola inter
15 claras in verſic. victor. Et quod non poſſit
ſedes transferri de Roma ponit Petr. de
Monte in ſua Monar. in fine primæ quæ-
ſtionis, qui dicitur, quod ſi propter ali-
quam rebellionem populi Romani, vel in-
curſus hoſtium, aut aliquam probabilem
cauſam Papa vellet ſe perſonaliter cùm cu-
ria ſua ad alium locum transferre, hoc poſ-
ſet, & vbi ipſe eſſet diceretur eſſe Romana
Eccleſia ſaltem poteſtatiuè. Quod vltimum
voluit Aluarus de planctu Eccleſ. in 30. art.
qui adducit ad hoc 24. quæſt. prima, cap.
quodcumque. Et Eccleſiam Petrus repræ-
16 ſentat, non Eccleſia Petrum, vt ibi. Et Papa
ſucceſſor eſt Chriſti, non Eccleſia, vt in
cap. primo, de homin. in 6. Vnde vacante
Papatu non ſuccedit Eccleſia, Clement. ne
Romani, de elect. Et Eccleſia Romana fun-
data eſt in Petro, non è contra diſt. 19. ita
Dominus, & cap. fundamenta. de electiõn.
in ſexto. Petrus autem à petra Chriſto, ſu-
per quam fundata eſt Eccleſia dictus eſt,
non Chriſtus à Petro dict. cap. ita Domi-
17 nus. Eccleſia enim non dicitur de parieti-
bus, vel muris, ſed eſt collectio catholico-
rum, de conſecratione diſt. prima capit.
Eccleſia. Et Eccleſia eſt corpus Chriſti my-
ſticum 23. quæſt. quinta, de liguribus, &
quæſt. 7. quemadmodum. Vnde talis Ec-
18 cleſia eſt, vbi eſt caput eius ſcilicet Papa,
ad hoc, quod dicitur in cap. ego N. poſt
Innocent. de iureiurando, quod ibi ſunt li-
mina Apoſtolorum vbi Papa. Et ad præ-
miſſa facit gloſ. in cap. quamuis diſt. 21.
vbi dicit, quod vbi ſunt boni, ibi eſt Eccle-
19 ſia. Ad idem Oldrad. in dict. conſil. 62.
& Albericus in dicta leg. iubemus, vbi vi-
dentur ſentire contrarium, quod propriè
intelligatur de Eccleſia in vrbe propter
adiectionem Romana, nam licèt vniuerſa-
lis Eccleſia vnica ſit, & indiuiſibilis, 24.
quando prima, loquitur, tamen volunt, vbi
ſermo eſt de Romana, quod diſtinguatur
inter illam, & alias, & quod ſit ſermo de
Eccleſia materiali, quæ eſt in vrbe, quæ eſt
caput omnium aliarum diſtinct. 12. præce-
ptis 3. qu. 6. dudum 22. diſt. cap. ſacroſan-
cta, dict. cap. Beati, & cap. rogamus, &
cap. quamuis, & ſunt iura infinita, quæ ſem-
per de Romana loquuntur allegant in ſimi-
libus cap. cùm clerici de verborum ſignifi-
catione. Sed hoc, quod ipſi dicunt, quod
Romana Eccleſia materialis ſit caput, po-
teſt concedi cum agitur de materiali Ec-
cleſia, per dicta iura, prout poterat intel-
ligi in caſu illo, vbi erat quæſtio, an poſſint
ab vrbe auferri omnia priuilegia. Vbi au-
tem non conuenit materiæ ſubiectæ, quod
Romana Eccleſia accipiatur pro materiali,
tunc ſecus, vt patet in exemplo, ad Roma-
nam Eccleſiam omnes oppreſſi confugiunt
& appellant, vt in cap. ad Romanam 2. q. 6.
Et cum dicitur, quod Eccleſia Romana
numquam errauit, ſed ſemper immaculata
permanſit Domino concedente, & beato
Petro Apoſtolo, & cap. vt in cap. hæc eſt
fides 24. qu. 1. & cap. cùm beatiſſimus, &
quod Eccleſia Romana à nullo poteſt voca-
ri in iudicium, vt in cap. qua traditione 22.
diſt. & in cap. nemo 16. quæſtione 3. cum
ſimilibus non poteſt intelligi de Eccleſia
materiali, nec de muris, & parietibus Ec-
cleſiæ, ſed de Papa, in quo repræſentatur
vniuerſalis Eccleſia, vt dictum eſt. Sed quo
20 ad id quod dicit Petr. de Monte quod Pa-
pa propter incurſum hoſtium, & aliam pro-
babi-

babilem causam potest relicta Roma se transferre ad alium locum cum sua curia, reprobat Felin. in Postilla quadam in dict. loco ad Petrum de Monte. Qui dicit quod hoc ipse non admittit, cùm Papa non debeat deserere Ecclesiam suam propter timorem mortis secundùm admonitionem tactam in cap. per venerabilem, qui filij sint legit. ibi vado Romam iterum crucifigi, & ideò dicit, quod Papa propter periculum mortis non potest deserere Ecclesiam suam & ideò non potest sedem transferre, quod & tenet Cardin. de Turrecrem. in dict. cap. rogamus 24. qu. 1. Quinimmò debet cura-
22 re omni conatu Ecclesiam suam pacatam reddere, & vrbem Romam Principum auxilio à rebellione comprimere. Facit quod dicitur in Clementina prima, de foro competente.

Istam eamdem rationem inter alias per dict. cap. per venerabilem, adducit Oldrad. in dict. Consil. 62. & Albericus, in dicta leg. iubemus ad probandum, quod Papa non potest priuare Ecclesiam Romanam, nec Romam priuilegijs suis, nec illam deserere, nec sedem transferre, ad quod faciunt omnia illa inra per dict. Oldrad. & Albericum adducta. Debet enim pro Ecclesia contra schismaticos se opponere etiam vsque ad mortem, vt in c. omnis 23. qu. 8. & eadem causa num. 5. omnium, & bonus text. 7. quęst. 1. capit. aduersitas in §. cùm verò. Vnde Leo Papa cum audisset Saracenos in portum Romanum furtiuè venturos, præcepit congregari populum, & egressus personaliter Romam, descendere ad littus maris decreuit 23. qu. 8. cap. igitur. Potest dici, quod illud quod dicit Petrus de Monte intelligitur, quando Papa non potest resistere, nec assequi suum iustum intentum, nec ex eius discessu generatur scandalum, hoc est quod possit tunc ad tempus ab vrbe discedere cum curia non animo deserendi Romam ad hoc text. in c. temporis qualitas 7. quæst. 1. & dicto cap. aduersitas eadem causa, & qu. & aliter non posset sine peccato morari extra Romam.
23 Nec obstat text. in cap. nos qui, & c. non loca dist. 40. quia sonant, quod non locus hominem, sed homo locum sanctificat, vt in cap. multi ead. dist. Similiter non obstat text. in cap. nouit. dist. 12. nec text. in c. legimus dist. 93. quia in alijs terminis loquuntur, nec probant quod Papa non teneatur stare Romæ. Et licèt probent loca non commendare hominem, & posse Episcopum in alijs locis sanctum esse, non tamen sonant Episcopum extra proprium Episcopatum residere posse, cùm in eo residere teneatur, vt 7. qu. 1. peruenit, & in cap. qualiter, & in cap. ex tuæ de Clemen. non resident. Immò si sine causa extra pro-
24 priam sedem Romanam traheret moram, & eius absentia scandalum pareret, & vocatus ad suam Ecclesiam redire nollet, esset fortassis sufficiens causa congregandi Concilium ad prouidendum indemnitati Ecclesiæ, & ad obuiandum scandalo, quia sine causa, ex sola sua libidine stando extra vrbem, peccat mortaliter, vt Bald. consulendo dixit Gregorio XI. vt legitur apud Volateranum in vita Gregorij. Quodautem dicitur per cap. per venerabilem, intelligitur cum agitur de salute vniuersalis Ecclesiæ, quia fortè fides impugnatur, tunc enim, vt dicit ille text. in dict. capitulo aduersitas, in §. cùm verò 7. quæstione prima necesse est vt ex aduerso accedat, & in die belli seipsum murum opponat pro domo Dei.

Adde etiam quod dicit Archiepiscopus Florentinus 3. parte summæ tit. 23. cap. 5. §. septima, & vltima potestas in 3. colum. quod ex quo iubente Domino translata est sedes Apostolica Romam, vt dicit text. in cap. rogamus 24. quæst. prima, non potest à Papa transferri. Dictus autem Domini iussus fuit, quando dictum est Petro, vado
25 Romam iterum crucifigi, vt probat text. in cap. per venerabilem, qui filij sint legit. vbi videtur plus probari, quod Petrus fugiens volebat sedem mutare, Christus autem voluit ipsum martyrij corona Ecclesiã Romanam consecrare, & ibi sedem Apostolicam finaliter permanere. Et sic probat, quod potiùs Papa debet mortem sustinere, quàm sedem pro quocumque periculo etiã mortis deserere. Facit text. in cap. fundamenta de elect. Vnde electio sedis in vrbe fuit à Deo, non à Petro, vt in cap. sacrosancta 22. dist. & ideò, vt tactum est non potest ab aliquo mutari, vel transferri ex quacumque causa. Sicut, nec summo Sacerdoti licuit templum facere alibi, qua propter peccauit Eliachim in Ægypto templum faciens simile Ierosolymitano, vt refert Iosephus. Vnde dicit Archid. vbi supra quod sine assensu generalis Concilij super hoc specialiter conuocati, & Dei reuelatione super hoc inuocata non esset translatio hæc facienda, quia non nisi contraria Dei iussione mutandum est, quod semel iussit, cum nec propter transgressionem, nec propter captiuitatem populi Dei per 70. annos licuerit locum templi, quem Dominus elegerat immutare. Nec est simile de mutatione sedis ex Antiochia, quia Petrus elegerat Antiochiam motu proprio. Nec etiam est simile de mutatione sedis imperialis, quia eius potestas est à populo instit. de iure nat. gent. & ciuil. §. sed quod Principi. Et quod non possit transferri, concludunt Doct. in dicto capitulo fundamenta. vide Ioannem Andream in data sexti in mercurialibus.

SVMMARIVM.

1 *Romana Ecclesia an semper habuerit Principatum, & ibi plures rationes pro vtraque parte.*

ARTICVLVS VII.

1 SEd hìc quæro vtrùm Ecclesia Romana semper habuerit Principatum? Et videtur quod non, quia post ascensionem Domini fuit subiecta alteri Ecclesiæ, nec habuit primò Principatum à Concilijs, nec à Collegio Apostolorum, sed tantùm à Beato Petro per translationem de Antiochia,

vt in cap. rogamus 24. qu. 1. Item Ecclesia Ierosolymitana videtur habuisse primatum quia post passionem Domini Petrus mansit Ierosolymis quatuor annis, & sic illo tempore Ierusalem habuit primatum, postea fuit Petrus Antiochiæ annis septem, vnde tunc, vt videtur Ecclesiæ Antiochenæ subiecta erat Ecclesia Romana. Sed dic, quod Ecclesia Romana habet Principatum à Deo, & non ab Apostolis, vt est text. in cap. sacrosancta 22. dist. Et ad id, quod dicitur de Ierosolymitana, dic quod ibi nullam sedem Petrus elegit, sed primò Antiochiæ, postea autem iubente Domino transtulit primatum Romam, tamquam is, qui primatum tenebat inter Apostolos, vt in dict. cap. sacrosancta, & in cap. mutationes 7. qu. 1. Ita dicit Okam in lib. 5. primæ par. cap. 21. ibi vide eum, qui plura adducit. Et pro hoc est text. in cap. quamuis 21. dist. & 22. dist. cap. omnes, & in cap. ad Romanam, & in cap. decreto iuncto, cap. sequent. 2. qu. 6. cap. dudum, 3. quæst. 6. cap. nemo 9. qu. 3. & cap. cuncta per mundum cap. rogamus 24. qu. 1. cum multis similibus. Et vide Archiepiscopum Florent. in 3. par. sum. tit. 23. cap. 5. §. septima, & vltima potestas, & c. & infra in art. an Papa sit maior Concilio. Et ad hoc etiam est extrauag. Bonifacij 8. incipit sacrosancta Romana Ecclesia, quæ disponente Domino super alias ordinariè obtinet Principatum.

SVMMARIVM.

1 *Papa an possit accusari de Apostasia.*
2 *Apostasia triplex.*
Et describitur apostata ibidem.
3 *Apostasia perfidiæ, qua receditur à fide, Papa potest accusari.*
Et talis punitur, vt hæreticus.
Et potest accusari, & damnari post mortem, dummodo fiat intra quinquennium ibidem.
Quod an sit verum num. 4.
5 *Cap. si quis pecunia dist. 79. intellectu duplex, & numero 7. & numero 10. & 14.*
6 *Apostaticus non solùm dicitur ille, qui deuiat à fide, sed etiam qui se intrudit in Papatum per violentiam, & illum occupat.*
8 *Cap. in nomine Domini dist. 23. intellect.*
9 *Electio facta per alios, quàm per Cardinales, est nulla, ex defectu potestatis.*
10 *In dubio verba debent detineri in sensu proprio.*
11 *Extractum non debet extendi plusquam principale à qua extractum est.*
12 *Cap. si quis pecunia 79. dist. ibi humana gratia, exponitur.*
13 *Simonia commissa in electione Papali dicitur hæresis.*

ARTICVLVS VIII.

1 QVæro hìc vlteriùs vtrùm poterit Papa accusari de Apostasia. Et primò videtur dicendum quod non, quia nullibi reperitur iure cautum, quod Papa possit de hoc accusari. Quinimmò text. in cap. si quis pecunia 79. dist. qui vult eijci omni conatu Apostaticum, intelligit de intruso sine canonica, & concordi electione, ex quo videtur quod Papa, quando est in quasi possessione pacifica Papatus, non possit accu-
2 sari de Apostasia. Sed tu concludendo dic secùndum Innocen. & glos. in cap. 1. de apostatis, quod triplex est Apostasia, vna est irregularitatis scilicet, cùm quis à statu sumptæ religionis recedit, de qua in cap. fin. de Apostatis, & notatur de tempor. ordin. cap. ex parte. Et ista fit multis modis, vt dimittendo tonsuram, vel coronam, accipiendo vxorem, abijciendo vestem religionis, vel clericalem, redeundo ad seculum 20. qu. 3. cap. 1. 2. & 3. 27. qu. 1. omnes, & in cap. 1. de Apostatis. Vnde dicitur prouer. 6. homo Apostata vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat. Secunda Apostasia est inobedientiæ, scilicet quando quis transgreditur præceptum prælati, vel sacris canonibus non obedit, 3. quæst. 4. alieni de maiorit. & obedient. si quis. Et intellige, quod non obedit, non quia non credit esse obediendum, alioquin esset hæreticus & schismaticus, 19. distinct. nulli, & ponit Abb. in cap. ego N. de iureiur. & diximus supra in artic. vtrùm Cardinales potuerint subtrahere obedientiam Papæ. Istis duobus modis dic, quod Papa non potest accusari, quia non habet superiorem coram quo possit accusari, vt in cap. licèt de ele-
3 ction. Tertia est apostasia perfidiæ, quando quis recedit à fide, vt 2. qu. 7. non potest. Et isto vltimo casu potest accusari tamquam infidelis, 19. dist. Anastasius, & dicto cap. si Papa, & de ista apostasia loquitur totus titulus, Cod. de apostatis, secundùm Bart. ibi. Facit quod dicit Hostien. & refert Ioann. de Anan. in cap. 1. de apostas. quod isti puniuntur vt hæretici, quia sunt verè hæretici, eo quod recesserunt à fide, & habent locum iura de hæreticis loquentia. Et ad hoc est bonus text. in l. fin. Cod. de apostatis. Item sicut hæreticus, potest etiam apostata à fide, accusari post mortem, & eius memoria damnari, dummodo fiat intra quinquennium, vt in l. 2. Cod. eod. Vbi dicit Bartol. quod iura sonantia, quod hæreticus potest damnari post mortem, debent intelligi modò intra quinquennium de hæresi cognoscatur, quod dicit menti tenendum propter Inquisitores, qui publicant bona, ait tamen
4 quod nescit quid obseruent. Tu vide dicta in cap. 2. de prescript. in 6. secundùm Ioannem de Anania, vbi videtur quod etiam post quinquennium, quod tene menti, quia Salic. idem vult quod Bart. in dicta l. 1. C. de apostatis. Facit quod dicitur supra, ex quibus causis potest congregari Concilium, vbi dicitur, quod quando opponitur exceptio iuris diuini, vel naturalis per quam causatur inhabilitas, & impeditur ius possidendi, illa potest obijci, puta quo ad exceptionem iuris diuini, quod est hæreticus, iudæus, paganus quo ad exceptionem verò iuris naturalis, quod est infans,

fans, furiosus, mulier, & similes. Ex quo patet quod si potest talis exceptio opponi electo nondum recepto, & Præsidente Concilio electo, & recepto, vt volui in quæstione vtrùm ratione simoniæ per Papam commissæ, quia vendit ordines, & beneficia, habeatur sufficiens causa ad congregandum Concilium, & in quæstione quis congregat Concilium, videtur, quod etiam de talibus poterit accusari, quia tales exceptiones inficiunt electionem, & dicunt illum non esse Papam, & tunc tractatur causa Papatus, vt in cap. si duo, 79. distin. & Iudex est Concilium, vt ibi. Vnde videtur dicendum, quod sicut accusatur de hæresi, ita etiam accusari potest, quod est iudæus, & seruat ritus iudæorum, vel quod est paganus, & consequenter de apostasia, & perfidia, & similiter quod est furiosus, vel mulier, quia ista vulnerant titulum Papa-
5 tus. Nec obstat, cap. si quis pecunia, quod videtur velle, quod non debeat accusari, sed eijci omni conatu. Quia ad illum text. responde, quod loquitur in illo, qui propria temeritate se intrusit in Pontificatum sine aliqua Cardinalium electione, talis enim debet eijci, non accusari, ex quo notoriè est intrusus. Facit cap. in nomine Domini, 23. distinct. & expressè dicit text. in §. patet, 3. quæst. 1. qui text. manifestat quod cap. si quis pecunia, loquitur eo tantùm casu, quo Sedes Apostolica per violentiam occupatur. Vnde non potest ille text. induci ad probandum quod electio Papæ per simoniam facta sit nulla, quia requirit etiam violentam occupationem, quod nota ad opinionem Ægid. quam supra retuli in illo articulo, an Papa illaqueetur crimine simoniæ, vendendo beneficia. Et ex isto
6 text. cap. si quis pecunia colligitur vnum, quod non solùm apostaticus dicitur ille, qui deuiat à fide, & alijs modis supra expressis, sed etiam dicitur apostaticus ille, qui se intrudit in Papatum, & per violentiam illum occupat, quia vt dicit text. in §. patet, non inuenitur iudex, qui illum apostaticum possit excludere. Ex tali enim intrusione arguitur quod malè sentiat de fide, & ideo iura appellant eum apostaticum. Et ita videtur velle Ioann. de Anan. in rub. de apostas. dum allegat text. illum in cap. si quis pecunia.

7 Et de intellectu illius text. dicit ibi Ægidius, quia aliqui intelligunt illum loqui de electione facta per alios, quàm per Cardinales, & quod in electione facta à Cardinalibus non vendicat sibi locum, sicut nec cap. in nomine Domini, secundùm eos à quo extrahitur, licet in eo plura omittantur de illo text. cap. in nomine Domini, & plura addantur, & quod loquitur de electione facta sine concordi, & canonica electione Cardinalium. Et istum intellectum firmant ex notatis per Hugon. in gloss. 1. ibi circa princ. ibi, & loquitur hic de eo, qui per simoniam electus est ab illis, qui non habent potestatem eligendi, non à Cardinalibus. Sed Ægidius dicit, nunquam sibi placuisse istum intellectum, quia sequeretur, quod illa verba, pecunia, vel gratia humana, vel populari tumultu, superfluerent, vel saltem deberet addi dictio
8 maximè. Item quia, cap. in nomine Domini, à quo reuera aliquibus additis est extractum, cap. si quis pecunia, loquitur etiam de electione a Cardinalibus celebrata. Item quia illa verba pecunia, gratia humana, populari, seu militari tumultu, ibi ponuntur valdè studiosè, & in dicto cap. in nomine Domini, fit valdè studiosè mentio de simoniaca hæresi, & de venalitate ibi circa princ. & in versic. nouit, & in versic. nimirùm præcauentes, & in §. quod si prauorum, ibi pura, atque sincera, & gratuita, item ibi in §. quod si quis, valdè studiosè ponuntur illa verba per seditio-
9 nem, præsumptionem, aut quodlibet ingenium. Vndè non est verisimile, quod verba ibi posita careant effectu, de priuil. si Papa, & l. si quando de legat. 1. Et quia si per alios, quàm per Cardinales fuisset facta electio, fuisset nulla ex defectu potestatis, cap. licèt de elect. Nec conuenit per suppletionem dictionis maximè saluare text.
10 sed magis in dubio debent verba retineri in sensu proprio, l. 1. §. is qui nauem de exerc. Item propter illa verba in text. posita sine concordi, & canonica electione, quæ verba cum sint copulata coniuncta, & qualificata, non debent diuisim, vel simpliciter absque aliqua qualitate recipi, seu ponderari, facit gloss. in versic. pacta in Clem. dudum de sepul. Non enim dicit textus simpliciter absque electione Cardinalium, sed loquitur coniunctim de electione Cardinalium qualificata per illa duo verba concordi, & canonica, & ideo consequenter talis inthronizatus est apostaticus, quia absque canonica, & concordi electione Cardinalium inthronizatus. Item quia dicto cap. si quis pecunia est extractum ex illo cap. in nomine Domini, & quia non apparet, per quem alium sit extractum, creditur quod per Gratianum, & quia illa verba absque concordi, & canonica electione Cardinalium non fuerunt posita in dicto cap. in nomine Domini, credi debet quod per Gratianum fuerint addita, vt capitulum istud sic extractum, & in hac distinctione collocatum faceret ad materiam
11 ipsius distinctionis. Vnde cùm extractum plusquam principale, à quo extractum est extendi non debeat, seu restringi, quia debet illud continere saltem in effectu, vt patet ex ijs, quæ ponuntur in cap. vlt. de fide instrum. debet intelligi eo modo, quo intelligitur illud cap. à quo extrahitur. Et ideo dicta verba absque concordi, & canonica electione Cardinalium, non debent sic interpretari vt casus, & intellectus dicto cap. in nomine Domini immutetur, sed secundùm illud interpretari, & sic de electione facta à Cardinalibus. Et per hoc dicit esse responsum ad illud, quod posset opponi, quod si intelligeretur de electione facta per Cardinales non faceret ad materiam distinctionis, quia immò reuera satis facit, quia loquitur de vtraque, videlicet de facta à Cardinalibus, & de facta per
12 non Cardinales. Et ex hoc infert quod illud verbum in text. positum, scilicet gratia humana, intelligitur de gratia ad extra dedu-

deducta per pactum, vel conuentionem dando, vel recipiendo, vel promissione alicuius pecuniæ, vel rei temporalis, vel fauoris, vel seruitij temporalis. Vnde dicit intelligi de illa humana gratia, quæ aliàs electionem vitiaret iuxta notata in cap. fin. de simon. & capit. penult. de elect. & maximè quia quo ad hoc non reperitur aliquid specialiter statutū in electione Papæ, & quia illa verba humana gratia non sunt in cap. in nomine Domini, sed sunt addita per Gratianum in dicto cap. si quis pecunia. Et ex præmissis infert illud, quod sæpiùs dixit, quod electio Papæ facta per simoniam est nulla. Et per hoc idem Ægid. in cap. in nomine Domini, 23. dist. in versic. secundò. quæritur in prædicto §. quod si quis, quærit vtrùm verbum electus in illo versic. positum intelligatur de electione facta à Cardinalibus, refertque aliquos dixisse, quod non, quia electo à Cardinalibus, si habet duas partes nulla potest opponi exceptio per cap. licèt. Sed ipse dicit, quod debet intelligi generaliter, videlicet, siue per Cardinales, siue per alios fuerit celebrata electio, sed si per Cardinales sit celebrata, tunc si per seditionem, impressionem, aut per simoniam contra decretum illius text. erit nulla, & quod tenentes contra decipiuntur, quia adhuc non emanauerat, cap. licèt de elect. Sed si per alios, quàm per Cardinales fuisset celebrata, tunc omni casu esset nulla, etiam si impressio, & si-
13 monia cessassent. Et ex istis videtur quod etiam ille, qui est electus à duabus partibus Cardinalium per simoniam dicatur apostaticus, & quod iuxta omnia iura aliàs supra relata quæ appellant simoniam hæresim, strictè, & propriè diceretur hæresis illa simonia, quæ esset commissa in electione Papali, ex quo, vt supra dictum est, apostatæ à fide, puniuntur vt hæretici, quia verè sunt hæretici. Nisi tunc diceremus, quod illud verbum apostaticus ibi in text. positum fuerit ad exaggerationem, & detestationem criminis, non quod propriè dicatur apostata, quia verè non errat in fide. Item facit text. ibi dum dicit non Apostolicus, sed apostaticus habeatur, non dicit, quod verè sit apostaticus. Et similibus verbis vtitur text. in cap. 1. eadem dist. 79. Sed Gratianus in §. hoc autem vocat apostaticum per apostasiam electum.
14 Et sic videtur quod ille text. capit. si quis pecunia non loquatur de apostatico propriè, sed quod ita in detestationem vocet, sed in §. patet 3. qu. 1. simpliciter appellatur apostaticus. Sed quicquid sit quia opinio Ægidij non tenetur, sed gloss. ibi, si sequamur alium intellectum erit apostaticus ille, qui erit ordinatus à non Cardinalibus, qui verè videtur suspectus de hæresi, maximè hodie per text. in cap. licèt de elect. Et de isto intellectu Ægidij vide quod latè dico in artic. vtrùm cadat simonia in Papam, & vtrùm valeat electio facta per simoniam. Et vide omnino illum textum in §. patet, 3. qu. 1. vbi simpliciter appellat apostaticum illum, qui violenter occupat Papatum, & ille §. in versic. illi ergo, multùm probat opinionem Ægidij, quia loquitur alternatiuè. Sed coniungendo cum fine, videtur quod non sufficiat sola simonia, nisi interuenerit violenta occupatio. Et de intellectu illius text. etiam dicitur infra in quæstione, an Papa sit maior Concilio, & supra in quæstione vacante Sede, ad quem spectet electio Papæ, ad Concilium ne, an Cardinales, quando est priuatus, & in quæstione, an cùm Papa passim committit simoniam sit congregandum Concilium, & alia quæstione de Papa quando esset factus furiosus, vel inutilis, & alia quæstione de defectibus Papæ in electione ex quibus potest congregari Concilium.

SVMMARIVM.

1 *Papa an possit accusari de defectibus insurgentibus ex iure positiuo.*
Et postquam est in quasi possessione Papatus quod non possit accusari, numero 2.

ARTICVLVS IX.

1 SEd hìc consequenter quæro vtrùm Papa possit accusari quod sit laicus, vel quod habeat vxorem, & sic de similibus defectibus insurgentibus ex iure positiuo. Et dic, quod non, quia & Petrus erat coniugatus quando fuit constitutus Pontifex, vt dicit Abbas in capit. licèt de elect. nisi ratione scandali in Ecclesia generari, & quando
2 nollet ordinari, quia postquam est in quasi possessione Pontificatus, non potest ei opponi aliqua exceptio, nec de aliquo accusari, per quod deducatur impedimentum consurgens ex iure positiuo, quoniam ex quo ipse est Papa formiter electus, & in possessione Papatus, est supra ius, & non ligatur iure positiuo, cap. proposuit cum materia de concess. præben. nisi vt dixi esset scandalum exortum, & adesse incorrigibilitas. Et ideò in similibus casibus erit dicendum, sicut dictum est de alijs criminibus in genere, quando est incorrigibilis, & scandalizatur vniuersalis Ecclesia. Et de istis exceptionibus, quod sit laicus, vel vxoratus dictum est supra, de quo plenè per Doct. in dicto cap. licèt, & in cap. vbi periculum in §. cæterum de election. in 6. & in Clem. ne Romani eod. tit. & post gloss. in cap. si quis pecunia, 79. dist.

LIBER NONVS.

TRACTATVS DE CONCILIO.

SVMMARIVM.

1 *Papa ex quibus causis possit deponi.*

2 *Papa notorius hæreticus de hæresi damnata & qui monitus non curat desistere, non indiget depositione, sed tantùm declaratione.*

Et talis non damnatur per Concilium, sed ipso facto fuit damnatus per os Apostoli, & est præcisus ab Ecclesia num.3.

Et si monitus non desistat, sed maneat incorrigibilis an sit degradandus, & curiæ seculari tradendus num.4.

5 *Cap.eiectionem 79.dist.intellect. & num.18.*

6 *Papa hæreticus, & incorrigibilis,an volens redire ad gremium Ecclesiæ sit audiendus, & an recuperabit statum suum.*

Sed si non sit incorrigibilis admittetur ad peragendam pœnitentiam, non tamen recuperabit statum suum num.7.

Declarata vt num.12.13.15.16.

8 *Deprehensus in hæresi, quis dicatur.*

9 *Sententia facit notorium.*

10 *Confessus, & conuictus in iudicio de hæresi,si paratus est corrigi,an debeat, vt hæreticus damnari.*

Et quomodo debeat intelligi num.12.

11 *Cap.Dixit Apostolus 24.q.4.intellectus.*

14 *Obliuio sæpe fallit.*

17 *Occultum, & secretum dicitur,quod quinque sciunt.*

18 *Concilium posse condemnare Papam.*

Et quomodo intelligendum.

19 *Cardinales an possint Papam hæreticum deponere.*

20 *Marcellini sententia in seipsum, & illius exequutio.*

21 *Papa potest esse Iudex in causa propria etiã contra seipsum pronunciando, &c.*

Sed an tali casu dicatur Iudex, vel arbitrator.ibid.

22 *Iudex potest quis esse in causa propria, vbi non requiriiur ordo iuris.*

22 *Lex 1.C.ne quis in sua iudic. non habet locum in Papa.*

24 *Teipsum iudica, quæ sunt verba Concilij ad Cælestinum, quomodo intelligenda.*

Et quare ei sic fuerit dictum nu.26. & numer.29.

25 *Cap.nunc autem 21.distin.intellect.*

Videlicet quo casu Concilium possit ferre sententiam contra Papam.

27 *Marcellinus Papa, si erat notorius idolatra, & fuit restitutus, qua ratione retinuit statum, idest Pontificatum.*

28 *Dependentia ab animo alicuius, eius medio iuramento probantur.*

30 *Papam posse iudicari à Concilio in causa hæresis per cap.si Papa 40.distinctio.*

Et quod Marcellino fuit dictum tuo te ore iudica, reducuntur ad concordiam.

Et soluuntur contraria num.31.

32 *Papa existens, Papa nullo casu reperitur posse damnari, & num.35.*

33 *Marcellini non fuit depositio, sed potiùs renunciatio, quia nemo deponit seipsum.*

23 *Prælatus hæreticus quamdiu non est deductum in notorium quod sit hæreticus, facit actum validum.*

Et quidquid acquirit,Ecclesiæ acquirit ibid.

36 *Concilium potest declarare Papam notorium hæreticum, & de hæresi conuictum, ex qua sententia Concilij dicitur magis declaratiua potestatis abdicatæ, quam inductiua depositionis num.39.*

Et an talis sententia possit ferri, & quomodo num.40.

37 *Cap.si Papa 46.dist. declar.*

39 *Symmachus ideo fuit immunis ab impetitionibus, quibus oppugnabatur, quia de facto thurificauerat idolis.*

Et sententia Symmachi, non fuit iudicialis, sed habuit vim extraiudicialis ordinationis num.44.

41 *Par in parem non habet imperium, reg. declar.*

Et ibi opinio illorum, qui volunt, quod Concilium iudicet Papam in causa hæresis.

Quod quomodo procedat ibid.

Et quomodo intelligatur opin.illorum qui volunt Papam non posse iudicari in Concilio num.42.

Et quomodo intelligatur quod ratione pœnarum inflictarum Concilium iudicat Papam num.45.

43 *Cap. Nunc autem 22.quæst.1.intellectus.*

46 *Papa lapsus in hæresim nondum damnatam, & est in Papatu, an possit iudicari per Concilium.*

47 *Papam posse iudicari de hæresi.*

Quomodo intelligendum.

48 *Hæresis quando dicatur notoria.*

49 *Cap. sæpe profertur, versiculo item Romanorum 24.quæstione secunda, intellectus.*

50 *Tempus quod datur hæreticis ad pœnitendum.*

51 *Hæresis, & schisma strictissimè sumptum æquiparatur, & num. 58.*

Et Papa deponitur tam pro vno quàm pro alio n.63.64. Duo-

52 *Duobus contendentibus de papatu, credentibus papatum ad se pertinere, non dicitur schisma strictissimè sumptum.*

53 *Schisma strictissimè sumptum quando dicatur*

54 *Hæreticus vnde dicatur.*
Et schismaticus vnde ibid.

55 *Forma scribendi schismatico per Papam.*

56 *Cap. denique 7. quæst. 1. exempla contra schismaticos.*

57 *Baptizatus à schismatico non est baptizatus. Quomodo intelligitur.*

58 *Intrusus in papatum nullo errore ductus dicitur schismaticus, & Apostaticus, & Anathematizatus.*
Et an contendentes cum tali de papatu, etiã quod non esset verus Papa diceretur schismaticus num. 60.
Sed intrusus in papatum iusto errore, an dicatur schismaticus, & num. 61.

62 *Papa propter schisma largo modo, an iudicetur per Concilium.*

65 *Schisma duobus modis sumptum non dicitur hæresis, tertio modo sic.*

66 *Papa omnino inutilis ad Pontificatum regendum an sit deponendus.*

ARTICVLVS I.

1 NVnc successiuè quæro ex, quibus causis possit Papa deponi. Et primò de hæresi propriè loquẽdo. Quæ autẽ sit huiusmodi hæresis, vidè glos. & Doct. in cap. firmissimè de hære. & glos. & Doct. in §. quia vero 24. quæstio 3. Sic enim depositus legitur Alchimus summus Sacerdos, quia coinquinatus fuerat sacrificijs Gentilium. 2. Ma-
2 cha. 14. cap. Super quo dic. quod aut Papa est notorius hæreticus de damnata hæresi, quæ quando sit diximus supra, & monitus non curat desistere, & tunc non indiget dispositione, sed tamen declaratione, ipsum esse à iure priuatum, vt dicit Mod. Aret. qui ita intelligit cap. Achatius non 24. quæst. 1 vbi Achatius diffitebatur errorem suum, vel erat ita notorius, quod non erat aliqua defensio cap. olim de re iudic. Vnde tunc declarabitur incurrisse pœnas à iure inflictas contra hæreticos cap. cùm
3 secundùm de hæret. in 6. Et idem ponit Ægid. in capitulo eiectionem 79. dist. qui dicit, quod talis sic notorius, & monitus, & incorrigibilis non damnatur per os Apostoli, & est præcisus ab Ecclesia, vt in dict. cap. Achatius; & desijt esse caput ipsius Ecclesiæ. Vnde dicit, quod tunc Concilium generale habent super his inquirere veritatem, & si repererit eum hæreticum notorium inemendatum, habet curare, quod tota Ecclesia recedat ab eo tamquam ab Ecclesia reprobato, & eiecto, & potest præcipere, quod nullus participet cum eo, vt dicit Hugo in cap. Anastasius 19. dist. Et vltra habet curare ne gregem Domini inficiat, vt perpetuò inuiretur ad pœnitentiam peragendam, vt in cap. excommunicamus §. si quis autem
4 de hære. vel si in errore adhuc pertinaciter perseueraret, forsan finaliter ex ordinatione Concilij debebit degradari, & tradi curiæ seculari, iuxta notata in cap. cùm non
5 ab homine de iudi. & in cap. degradatio de pœnis in 6. Et respondet dando intellectum ad illum tex. cap. eiectionem 79. dist. Idem Ægi. dum vult ille tex. quod eiectionem summorum Pontificum Dominus sibi reseruauit, quod non prætereà Concilium isto casu eum eiecit, sed iam eiectum declarat, ex quo desierat esse Papa, quia iam nudatus non exuitur, cap. frequens de resti spoliat. in 6. Et immò dicit quod in nullo casu imaginabili, & ex nulla causa possibili quantumcumque deponi, vel eijci. Hanc etiam conclusionem reperio per omnia positam in quibusdam allegationibus factis pro Eugenio, quæ incipiunt etsi plurimi, cuius auctorem ignoro, credo autem, quod sint Petri de Monte. Et probat per verba tex. dict. cap. nunc autem 21. dist. in pluribus Patribus, & cap. nemo 9. quæst. 3. & auctoritate sancti Thom. in 4. sentent. dist. 19. in quæst. de fraterna correctione. Ad quod facit quod dicit Bald. in l. rescripta C. de precibus Imperat offe. vbi dicit, quod Papa à nemine cogitur etiam si dicatur hæreticus, allegat 22. dist. cap. qua traditione. Et facit quod ponit Albericus de Rosate in rubric. de hæret. in illa quæstione, vtrùm hæreticus possit capi propria auctoriitate. Subiungit tamen idem Ægidius, quod de vero Papa falsò de hæresi accusato cognoscit Concilium, vt absoluatur, vel purgetur si reperitur innocens, pro quo adduco tex. in §. hinc etiam dist. 17. vbi ita reperitur factum in Symmacho. Sed si per falsos testes probetur nocens, cùm sit innocens, & Catholicus, feratur sententia condemnatoria per Concilium ex falsis probationibus, talis sententia tamquam erronea non transibit in rem iudicatam, nec habebit vim depositionis, licèt forsan pro veritate habeatur l. penul. ff. de iusti, & iur. l. ingenuum ff. de regul. iur. allegat simile de matrimonio in cap. literas de restit. spoliat. Et cap. lator, & cap. consanguinei de re iudic. dicit, quod si Papa in conspectu Concilij perseueret in errore, non est verisimile, quod Conciliũ generale debeat errare in fide, sed si ipse confiteatur fidem catholicam, & neget se in hæresim lapsum; & non sit notorium, tunc Concilium non poterit procedere vlterius contra ipsum, quia tunc non agitur de dubio super fide propter quod Concilium debeat se intromittere, sed solùm obijcitur ei crimen præteritum, in quo non perseuerat, & de quo non scandalizatur Ecclesia, quia non est notorium, sed dubium, in quo casu Concilium non habet authoritatem iudicandi secundùm eum.
6 Ponit verò idem Ægid. in capit. nunc autem 21. dis. quod si papa inciderit in hæresim iam damnatam, & correctus, seu admonitus contemnat admonitionem, & se non corrigat, tunc censetur subuersus, & in semetipso damnatus, & tamquam pertinax hæreticus, & si postea voluerit redire ad gremium Ecclesiæ, isto casu non erit audien-

audiendus; nec recuperabit statum suum, sed detrudendus erit in perpetuum carcerem ad pœnitentiam peragendam, & habebit locum, quod dicitur in cap. ex communicamus el 2. §. si qui autem de hæretic. Et isto vno modo dicitur Papa deprehensus in notoria hæresi, & hoc ex verbis Apostoli ad Titum 3. transumptiuè, cap. dixit Apostolus 24. quæst. 3. Et similiter si
7 Papa inciderit in hæresim iam damnatam & fuerit in ea deprehensus, sed non sit pertinax, & incorrigibilis, & velit corrigi, & redire, debet admitti ad peragendam condignam pœnitentiam, quia Ecclesia non claudit gremium redeunti, & sed non recuperabit statum suum, seu papatum, sed conijcietur in perpetuo carcere ad peragendum perpetuam pœnitentiam. Et isto etiam casu habet locum d. §. si qui autem, quamtumcumque non loquatur in
8 Papa. Dicitur autem quis deprehensus in hæresi secundùm Host. & glos. in dict. cap. excommunicamus il 3. §. si qui autem in glos. in verbo deprehensi, quando publicè deprehensus fuit, ita quod notorium est, hoc est quando notorietas facti talem deprehensum, idest manifestum esse denotat, vt si Papa in publico sermone facto ad clerum, & populum, aut in publico Consistorio errorem suum publicè prædicet, seu defendat capitulo accusatus de hæretic. in 6. capit. euidentia de accusat, & dict. capit. excommunicamus, & quod ponit Bart. in l. 4. ff. de fur. Item dicitur deprehensus in hæresi, quando de hoc fuit per sententiam condemnatus fortè antequam esset Papa, & in sua opinione factus Papa persistit, quia sententia facit notorium l. emptorem in princip. ff. de actio. empti. & Hostiens. in dict. cap. excommunicamus. Ex quo apparet quod non solùm cōdemnatio, sed etiam notorietas facit, ne incidens in hæresim iam damnatam possit post pœnitentiam recuperare statum suum. item apparet quod solus lapsus in hæresim iam damnatam cum notorietate sequuta, absq; alia sententia, seu declaratione sufficit in Papa ad hoc vt ipse dignitatem pontificalem amittat ipso facto irrecuperabiliter. Et ex hoc patet responsio ad cap. nemo 9. quæst. 3. quia videlicet à iure diuino, & per solum lapsum, & nequitiam huiusmodi iudicatus est vt 24. quæst. 1. cap. dixit Apostolus eadem causa quæst. 3. Et idem per omnia ponit Alex. in dict. cap. nunc autem, qui addit etiam, quando in iudicio est confessus, vel conuictus de hæresi, vt tunc dicatur deprehensus per ea, quæ notat Innoc. in cap. cùm speciali in §. porrò de appel. & in cap. vestra. de coha. Cle. & mulie. & in cap. quoniam, & in cap. con-
10 stitutus de filijs presby. Sed videtur, quod quantumcumque quis sit confessus vel conuictus de crimine hæresis in iudicio, si paratus est corrigi non debeat, vt hæreticus damnari, vt in cap. presbyteros, in fin. 50. dist. & 1. quæst. 7. maximum, & 17. dist. nec licuit, & dicit Dom. post. glos. in dicto c. nunc autem. Qui improbat opinionē illorum, qui voluerunt quod illud quod fuit factum cum Marcellino fuit ex dispensatio-
11 ne, quia c. dixit Apost. loquitur in illo qui committit hæresim ignoranter, seù qui non intelligit illud, quod credit esse de se hæreticum, & ait quod non fuit ex dispensatione, sed quia confessus, fuit paratus corrigi.
12 Et sic videtur, quod quantumcumque, quis sit deprehensus in hæresi, si sit paratus corrigi non debet vt hæreticus damnari, & retinebit statum dignitatis Pontificalis, vt dixi supra in art. an Papa possit accusari de hæresi in versic. sed pone, nisi hoc sit post admonitionem, quia si se non correxit ante, sed postquam confessus, vel conuictus est de crimine est paratus corrigi, licèt tunc non debeat vt hæreticus damnari, illud debet intelligi esse verum respectu pœnarum impositarum à iure contra hæreticos, videlicet vltimi supplicij, & aliarum, de quibus post glo. in cap. excommunicamus in princ. Et sic fuit in Marcellino, quia non fuit declaratus incidisse in pœnas contra hæreticos à iure inflictas, sed vt dicit glo. etiam ex alio fuit in eo ita factum, scilicèt, quia metu mortis thurificauerat idolis. Sed quo ad hoc quod retineat statum suum nō parcitur ei, quia non poterit retinere Pontificatum. Et hoc voluit glossa, in capitulo excommunicamus el secundo in verbo deprehensi de hære. & dicitur infra.
13 Aut Papa incidit in hæresim iam damnatam, & ante admonitionem de qua loquitur text. in capit. dixit Apostolus 24. quæst. 3. & ante deprehensionem, de qua loquitur cap. excommunicamus §. si qui autem ipsum pœnitet, & se correctum reddit, & hoc sufficit etiam quantum ad retentionem status sui, quia non poterit deponi per d. cap. dixit Apostolus, & d. §. si qui autem. Et sic intelligitur glos. in dicto capitulo nunc autem, & in cap. si Papa 40. distinct. Quæ dicunt quod Papa paratus corrigi non deponetur, quia tunc talis opinio occulta, vel dictum occultum antè publicationem eius reuocatum, censetur magis ex indeliberatione, vel animi leuitate, vel obliuione sacrarum scripturarum, vel inconsideratione, vel mala attentione, quam ex infidelitate processisse secundùm eumdem Ægi. Qui in hoc reprehendit Lau. & Arch. in dicto cap. dixit, qui voluerunt quod non habeat locum in Papa, cum loquatur ille tex. de non intelligentibus sacram scripturam, & non in Papa, qui præ cæteris debet scire sacram scripturam. Quia sæpe fallit obliuio, vt dicitur in cap. licèt de constit. in 6. dist. 23. cap. præterea 30. qu. 1. cap. 1. & qu. 4. quod autem, & quia videtur inconueniens, & crudele, quod conceditur alijs inferioribus se corrigentibus denegare summo Pastori. Et ex his videtur velle Ægi. quod illæ glos. loquantur in hæretico occulto. Sed si bene aduertatur, relatæ ad tex. loquuntur non solùm de occulto, sed etiam de illo, quem constat in hæresim damnatam incidisse. Quinimò gl. in d. cap. nunc autem, loquitur expresè in illo, qui est confessus se incidisse in hæresim. Vnde potest dic i quod licèt loquantur de illo, quem constat incidisse in hæresim, & est manifestus hæreticus per confessionem, tamen quia statim facta confes-

 sione

sione pœnitet,& paratus est corrigi, euitat pœnas contra hæreticos inflictas,vt dictum est. Non sic de notorio,& incorrigibili hæretico, quia talis respectu notorietatis non euitat aliquas pœnas, vt in d. cap. excommunicamus in §. damnati. Et ad præmissa facit quod dicitur in capit. vestra de coha. cle. & mulie. Et isto modo vt credo etiam loquitur Ægidius. Aut Papa incidit
15 in hæresim nondum damnatam per Ecclesiam, & tunc debet expectari tempus sententiæ ferendæ per Concilium,vt patet 17. dist. §. hinc etiam, & 8. qu. 4. nonne. Et si fuerit declaratum illud,quod Papa tenebat, esse hæresim, & statim post sententiam Papa dicat postquam video hanc opinionem, quam tenui esse erroneam,& hæreticam, & per Ecclesiam nunc damnatam, illam reuoco, & paratus sum corrigi, etiam isto casu procederet glos. quod non posset deponi, & ratio est,quia non constabat ei an sua opinio erat bona, & ideò magis ascribitur fatuitati, nec potest dici hæreticus, nec incorrigibilis, & retinebit Pontificatum. Aut opponitur hæresis occulta damnata, quæ tamen probari potest, vt in l. eos, C. de appel. & accusatus de illa conuincitur. Et similiter dic,quod deponetur, siue declarabitur priuatus, ex quo sententiam expectauit, & fuit pertinax, & factum est notorium, & ipse notorius hæreticus. Et tunc etiam detrudetur in carcerem ad agendam pœnitentiam, sicut dictum est quando est deprehensus, & vult corrigi. Et ita vult Archi. Ioa. Andr. & alij in cap. in fidei de hęre. in 6. quia licèt talis hæresis sit occulta, ex quo poterat probari dicitur manifesta, secundùm illud quod legitur, & notatur in cap. eorum 11. qu. 3. di-
17 citur enim occultum, seu secretum, quod quinque sciunt, de pœni. dist. 2. §. contra, versi. filia, namque secundùm Arch. in dicto cap. in fidei de hære. in 6. & idem Archi. in cap. si Papa 40. dist. Et iudex erit Concilium, quod deponet de facto Papam à Pontificatu, siue declarabit eum hæreticum, & priuatum Pontificatu, secundùm notata in dict. capit. excommunicamus, & posteà illum amouebit, quia habita cognitione criminis, & eo conuicto, satis est à iure priuatus,vt d. cap. excommunicamus, & dict. cap. dixit Apostolus 24. quæst. 3. & voluit Archi. in d.cap. in fidei.Et si ex hoc
18 pur videtur velle, quod Concilium condemnet Papam, nisi dicamus quod intellexerit, quod Concilium iudicare poterit factum, videlicet, an inciderit in hæresim, vel non, sed non condemnare pertinaciam Papæ. Sed hoc similiter videtur vna chimera siue enim post declarationem posset Concilium mandare ipsum detrudi in carcerem, satis condemnat.nisi dicamus quod postquam est declaratum factum, quia tunc non est vlteriùs Papa, sed desijt esse, incarcerat illum, vt priuatam personam. Et sic vno modo restringetur tex. in capit. electionem 79. distinctione. Hugo tamen
19 in cap. in synodo 63. dist. voluit quod Cardinales poterunt Papam deponere. Sed dic quod contrarium est verum, quia non Cardinalium erit iudicium in Papam, sed

Concilij, vt dicit Archi. & alij post eum in dicto capit. in fidei, & Hostien. Ioan. An. & alij in capi. proposuit de concess. præben. & Innoc. in cap. ex parte de verb. sig. Vbi autem est ferenda sententia super crimine, si Papa voluerit in seipsum illam ferre, erit mos illi gerendus, vt fecit Marcellinus in capitu. nunc autem 21. distin. Qui vt legitur in gestis Romanorum Pontificum, & refert ibi Ægid. in d. cap. nunc autem, cum thurificasset idolis, sicut ibi dicitur congregato Concilio Romæ in conspectu omnium confessus est errorem suum, dicens se paratum facere quicquid illi imponerent, qui dixerunt collige causam tuam in sinu tuo, & ore tuo te iudica, & statim tulit sententiam in se, & seipsum deposuit dicens, ego Marcellinus ob scelus idolatriæ,quod infęlix commisi iudico me deponendum, & anathematizo etiam quicumque tradiderit corpus meum sepulturæ, & statim pergens ad Diocletianum vltro confessus est se esse Christianum, & capitalem suscepit sententiam, cuius corpus per 30. dies iacuit inhumatum, posteà autem Beatus Petrus apparuit Marcello, qui ei in Papatum successerat,& præcepit ei, vt corpus Marcellini sepeliret iuxtà se, & sepeliuit illud secus pedes Beati Petri secundùm Hugo. & refert Ægid. Archid. & Domini. in d. capit. nunc autem. Et istam practicam, & formam condemnandi seipsum, ponit etiam Anto. de Butrio in cap. venissent in 2. colum. de iudi. Ex quibus apparet quod ipsemet Papa habet in seipsum sententiam ferre, & non Concilium, & sic potest quis esse iudex in causa propria etiam in pronuntiando contra seipsum, de quo in d. cap. cum venissent,& per Innoc. & alios in d. cap.ex parte de verbor. signif. Sed glo. ibi dicit in d. c. nunc autem quod iudex hic impropriè dicitur, idest arbitrator. Et sic videtur velle quod ipsemet Marcellinus, tamquam arbitrator tulerit contra se iudicium,cùm quis possit esse arbitrator in causa propria, vt in cap. quintauallis de iureiur. Vel secundùm Hugo. ibi in d.cap.
22 nunc autem,quis potest esse iudex in causa propria,in qua non requitur ordo iuris, & ita dicit fuisse factum, ibi. Vnde dicit Domin. quod hoc potest intelligi factum ex eo, quod eo existente coram Concilio confessus est crimen suum, & sic notoriè constitit, in causa notoria autem bene potest, quis esse iudex in causa propria, quia tunc quis potiùs videtur esse executor eius quod ius disponit quàm iudex, vt ponit Inno. in cap. ex par. el 1. de verb. signif. & ita erit pro illo d. Inno. casus in dicto capitulo
23 nunc autem. Sed potest dici quod in Papa non habet locum tex. in l. prima, C. ne quis in sua causa, quia bene potest esse iudex in causa propria, vt dicitur in dicto capitulo cum venisseut de iudic. & ibi hoc dicit Abb. in tertia columna, & in dicto capitulo ex parte, & diximus supra in arti. ad quem spectet congregare Concilium. Dicit tamen Domi. in d. cap. nunc autem, quod ibi non dicitur quod iudicialiter in seipsum sententiam dicat, sed quod quis dicitur in seipsum sententiam ferre, quando con-

confitetur se commisisse delictum depositione dignum, allegat 11. qu. 3. placuit, & 6. distin. capit. sed pensandum, versic. & necessaria. Vnde exponit tex. ibi teipsum
24 iudica.1. considera qualiter puniendus es. Et ex hoc infertur quod quamuis Concilium cognoscat de qualitate delicti, vtrùm sit hæresis, vel non, nõ tamen poterit sententiam ferre, facit quod dicitur in cap. cum contingat de re scrip. & erit vna fallentia ad illam regulam, quod iudex de qua re cognoscit de ea iudicare debet, l. de quare. ff. de iudi. & cap. cùm Ecclesia de cau. poss. & propriet. Item ex hoc infertur aliud, quod non sit verum, quod ille tex. probet quod nullus potest contra Papam ferre sententiam, & quod ipsemet habet seipsum condemnare, imò, & contra Papam hæreticum potest ferri sententia per Concilium, & est iudex Concilium ipsum. Et hoc etiam tenet ipsemet Domi. ibi in dict. cap. nunc autem, & probat tex. in §. hinc etiam dist. 17. vbi Concilium dedit sententiam absolutoriam pro Symmacho, & similiter text. in §. item Symmachus 2. qu. 7. & glo. Hugonis in capitulo si Papa. Et idem tenet ipsemet Domi. in d. cap. si Papa, & Arch. ibi, & idem videtur velle Inno. Card. & alij in d. cap. ex parte de verbo. sig. & idem Archi. & Ioan. An. & alij in d. cap. in fidei de hæret. in 6. Et Hostien. in capit. proposuit de concess. præben. dum dicit, quod Papa non potest iudicari à quoquam nisi in casu hæresis. Et idem, & clariùs Abb. Sicu. in d. capit. proposuit, & in casu hæresis in capit. cum venissent in 3. colum. de iudicijs, licèt aliud videatur sentire in alijs criminibus diuersis ab hæresi, quia in illis debet seipsum condemnare allegat Archi. in d. cap. nunc autem dist. 21. Et idem Petrus de Monte in sua monarch. in quæst. an Papa sit maior Concilio in 2. char. & 2. conclusione, allegat Specu. in tit. de accusation. vers. item Papa, & Hostien. in summa de accusa. in §. quis accusari potest, versi. excipitur, & glos. 15. distin. cap. sicut, & glo. 25. quæst. 1. cap. sunt quidam dist. 19. Anastasius, & ibi glo. & 21. dist. cap. nunc autem. Sed iste tex. inducitur contra. Responde autem quod non obstat dictum cap. nunc autem, quia vltra iam dicta datur alia responsio, quæ fuit Hugonis, & ponit idem Domi. in cap. si Papa in prima oppositione dist. 40. ponendo prius aliorum solutionem, per quam approbatur illorum opinio, qui tenent Concilium posse ferre sententiam contra Papam, quod quamuis ibi noluerint condemnare, tamen poterant, si voluissent. Sed quia hæc non congruit illi tex. ideò transit cùm illa Hugonis, videlicet quòd non potuerunt nec debuerunt, quia enim ibi spontè confessus est errorem suum, non debuit deponi, quia tunc demum est deponendus quando pertinaciter perseuerat in errore suo, & conatur illum approbare 24. quæst. 3. dixit Apostolus, sed si paratus est corrigi, tunc deponendus non est secundùm eum. Vel dic, vt supra dixi, quod licèt sit à iure depositus propter hæresim, non tamen est puniendus pœnis contra hæreticos à iure inflictis, quod credo verius, ex quo est conuictus, vel confessus de hæresi. Posset dari
26 alia solutio, quod idolatria Marcellini fuerat notoria, quia non poterat in templo thurificare, siue grana thuris super prunas ponere, quin esset notorium, argu. capit. decet de immuni. Eccles. & l. sacra. ff. de rerum diui. Sed quia coactus id fecerat secundùm alium intellectum glos. ibi, proptereà quia hoc latebat in mente ipsius, an metu id fecerat, & paratus erat corrigi, fuit ei dictum tuo te ore iudica. bene facit text. in dicto capitulo dixit Apostolus, 24. quæstione 3.

27 Petrus autem de Monte in dict. 2. conclusione dicit ibi processum fuisse cùm Marcellino ex dispensatione, vel quod ibi Marcellinus paratus erat corrigi, Ecclesia autem non claudit gremium redeunti, vt in cap. super eo de hære. in 6. Sed huic repugnat, quod licèt recipi debuisset correctus, non tamen debuisset retinere Pontificatum, vt supra dictum est. Ideò ipse dat aliam, & tertiam solutionem, quod ibi Marcellinus non fuerat hæreticus, licèt idolis thurificasset, quia hoc non fecerat voluntariè sed coactus, sed quia latebat in animo eius, an metu ductus thurificasset, ideò ei dictum fuit tuo te ore iudica, quod
28 enim dependet ab animo alicuius probatur medio iuramento ipsius, vt in cap. si verò el 2. de sen. excom. poterat siquidem facto ostendisse vnum, & corde aliud gessisse, sicut exitus ostendit. Verùm hæc solutio non videtur posse stare, quia ille tex. cap. nunc autem, dicit quod coactus à paganis thurificauerat. Item ille text. tendit ad ostendendum, quod illi, qui sunt inferioris gradus non iudicant superiores, vt patet in sui principio. Item factum, quod thurificasset erat notorium, nec erat recurrendum ad animum. Item quod dicitur, quod cum eo fuit dispensatum, est diuinare, & hoc quod fuit ei dictum, quod seipsum iudicaret ostendit, quod non fuit cum eo dispensatum, sed potiùs fuit sollicitatus, vt seipsum quia non habebat superiorem
29 condemnaret. Vndè videtur verior solutio, quod quia coactus thurificauerat, Concilium noluit eum condemnare, & reliquit
30 eum suo arbitrio. Sed tunc obstat, quod principale intentum illius text. est, quod non potuerit à Concilio iudicari, vt patet in princ. & in fin. cum loquitur de Sixto. Et certè hoc contrarium multum stringit contra opinionem Archi. & aliorum, qui volunt, quod Concilium iudicat de Papa in causa hæresis, quia videtur, quod non possit etiam in causa hæresis condemnare Papam, sed quod seipsum habeat iudicare, & ad hoc facit text. in cap. electionem, 79. dist. & alia iura, 9. quæst. 3. quæ simpliciter loquuntur. Tex. tamen in cap. si Papa, 40. dist. ibi nisi deprehendatur à fide deuius, ostendit, quod in causa fidei Papa potest condemnari, nisi dicamus, quod verba, quæ sequuntur intelliguntur orando pro eo, vt voluit Hostien. in cap. proposuit de concess. præben. Sed ad contrarium potest
31 responderi, vt infrà dico. Item rectè intuenti ex præmissa solutione Hugonis

quam sequitur Domi. in dicto cap. si Papa, & in dict. cap. nunc autem, & alij de quibus supra, infertur vnum, quod videtur contrariari ei, quod ipse dixit, videlicet quod Papa, possit damnari, & deponi per Concilium, & quod Concilium possit ferre sententiam contra Papam, videtur enim, quod illud tantùm habeat locum, quando Papa, qui lapsus est in hæresim est incorrigibilis, alioquin quando est paratus corrigi non debet, nec potest per Concilium damnari secundùm eum. Ex quo sequitur, quod ex quo Papa incorrigibilis in sua hæresi desijt esse Papa, non videtur à Concilio damnari sed à iure damnatus 24. qu. 1. cap. Achatius, & 19. dist. cap. Anastasius.

32 Et ideo videtur concordare cum opinione illorum, qui voluerunt, quod non sit dare casum, quo Papa, existens Papa, possit per aliquem, ne per Concilium quidem damnari, vt refert Ægid. in dicto cap. eiectionem, 79. dist. & dixi supra. Quam opinionem etiam reperio tenere Petrum de Palude in tract. de Potestate Papę, quem nunc non habeo apud me, qui voluit, quod quamdiu manet Papa, cum sit maior Concilio generali, & sit Vicarius Dei, etiam pro hæresi non potest à Concilio nec à toto orbe deponi, sed si sit notoriè hæreticus, & nolit se corrigere, desinit esse Papa, & non est necessaria, nec poterit fieri aliqua depositio, cum sit depositus ipso iure, & priuatus, vt in dicto cap. si Papa, & dict. c. Achatius, sed tunc Domini Cardinales ab ipso recedere debent, & alium eligere. Quo casu synodus, vel successor potest eum, cum non sit Papa, de facto deponere, & eijcere. Et isto modo dicunt procedere iura in dict. §. item Symmachus, & §. hinc etiam, 17. dist. & gloss. in d. cap. si Papa. Et istam

33 opinionem reperio tentam ab aliquibus, præterquam ab Aegid. qui dicunt, quod in cap. nunc autem, ex quo Marcellinus erat adhuc Papa, quia post confessionem erat paratus corrigi, & coactus thurificauerat, licèt ipse iudicauerit seipsum deponendum, illud fuit magis quædam renuntiatio, quam depositio, cùm nullus seipsum deponere possit. Facit quod dicitur in cap. fin. de iusti. & glossa ordinaria in verbo ex ore in dicto cap. nunc autem. Ad quod facit,

34 quod Prælatus hæreticus quamdiù non est in notorium deductum, quod sit hæreticus, quicquid facit valet 24. quæst. 1. in summa facit quod dicitur in l. Barbarius, ff. de offic. præto. & cap. ad probandum de re iudi. Item per Prælatum hæreticum acquiritur Ecclesiæ, vt dicit gloss. in cap. 1. de schisma. Sed hoc non procedit, quia nos loquimur in notorio hæretico, sicut erat Marcellinus. Item si à Concilio generali posset Papa pro hæresi deponi, sequeretur inconueniens, quod ipse, qui est Vicarius Christi, & supremus in Ecclesia militante iudicaretur ab inferiore contra notata in cap.

35 cum inferior de maio. & obe. Et pro certo ista videtur vera opinio, quia quamdiu manet Papa, non potest ab aliquo iudicari, quoniam non habet maiorem in mundo supra se, vt dict. cap. nemo. 9. quæst. 3. Et tenendo istam opinionem, planè procedit tex. in dicto cap. nunc autem, quod ideò Marcellinus non fuit à Concilio, iudicatus, quia Concilium non habet potestatem iudicandi Papam, quantumcumque hæreticum, nec deponendi eum à Papatu, sed ipso iure censetur depositus propter hære-

36 sim, de qua est conuictus. Poterit tamen Concilium ipsum declarare notorium hæreticum, vel de hæresi conuictum, ex qua sententia sequitur effectus, ipsum ex sententia Apostoli esse priuatum Papatu propter hæresim. Ad quod facit, quod dicit Archi. 3. quæst. 6. accusatus, vbi dicit, quod licèt non possit Archiepiscopus deponere Episcopum, poterit tamen declarare ipsum esse priuatum, facit 2. quæst. 6. cap. biduum.

37 Et istam opinionem in effectu habuit Petrus de Monte in d. 2. conclusione, qui dicit, quod sententia Concilij ferenda contra Papam hæreticum magis est declaratiua potestatis iam ab ipso Papa, abdicatæ, quàm inductiua depositionis, vel ab dicationis, quia ex quo Papa est hæreticus desijt esse Papa, & caput Ecclesiæ, iuxtà illud Deuter. 17. non poteris alterius gentis regem facere, qui non sit de fratribus tuis. Item quia extra Ecclesiam non possunt haberi claues Ecclesiæ, vt dicit notabiliter text. in capit. audiuimus, 24. quæst. prima, pro quo etiam facit, quod notatur post gloss. in cap. si de ordi. ab Episcop. qui renum Epis. Et sic potest intelligi, quod dicit Abb. in cap. grauet in vlt. notabili, de præben. quod sicut Metropolitanus non potest puniri per Concilium prouinciale, quia ipse est caput, ita nec Papa per Concilium generale cuius ipse

38 est caput. Et per hæc potest responderi ad cap. si Papa dum ponit exceptionem, nisi fuerit à fide deuius, non enim sonat ille tex. quod tunc Concilium eum iudicabit, sed quod, vel declarabit eum priuatum, vel declarabit ipsum commisisse hæresim non aliter declarando eum priuatum vel quod, quia paratus, est corrigi suo ore habet seipsum iudicare. Et probatur conclusio ista vltima per d. §. hinc etiam 17. dist. iuncto §. item cum Balaam 2. quę. 7.

39 in ver. item Symmachus, quia vt ibi patet impingebatur Symmacho hæresis, & tamen illi de Concilio non fuerunt ausi eum condemnare. & quod fuit factum in versi. item Symmachus fuit de facto, & propterea fuit restitutus. Sed obstat, quia in di. §. hinc etiam, dicitur quod pronunciauit Symmachum immunem ab oppositionibus quibus impetebatur, impingebatur, autem ei hæresis, & sic dedit Concilium absolutoriam videtur autem, quod sicut potest Concilium pronunciare absoluendo ita possit etiam condemnando. Sed respondetur quod illa absolutio non fuit in forma sententiæ, sed declarationis, & cuiusdam ordinationis, quia se purgauerat Sed pro certo salua correctione sanctæ matris ecclesiæ mihi videtur, quod istud sit facere vim in verbis, & non in re quia ex isto intellectu videretur sequi vnum magnum inconueniens, quod Papa esset hæreticus, & non posset propter hæresim à Papatu amoueri, si ipse nollet,

In seipsum sententiam ferre, cum tamen tunc ipse dicatur minor quolibet catholico. cap. homo christianus 40. dist. & gloss. in d. capit. Achatius. Vnde Mod. Aret. dicit, quid aut Papa labitur in hæresim iam damnatam scienter, & voluntariè, & tunc est priuatus ipso iure per d. cap. Achatius & 19. dist. cap. Anastasius & tunc etiam si vellet pœnitere, non euitat pœnas depositionis, nec tunc erit Iudex suæ causæ, quia dignitatem perdidit nec ex pœnitentia tollitur pœna, quam ipso iure incurrit l. qui ea mente ff. de furt. nec ad Concilium spectat Papam eligere ipso deposito. Ita dicit in 3. char. de Concilijs. Vnde posset dici, quod aut loquimur in sententia depositionis, per quam pronunciatur Papa depositus, quia in hæresim damnatam lapsus est, quæ licèt sit tantùm declaratoria eelicti per Papam commissi, virtualiter tamen continet damnationem contra personam, vt dicitur in l. viro, atque vxore ff. solu. matrim. & in l. quid tamen §. si arbiter ff. de arbit. Et isto casu potest saluari dictum illorum, qui volunt, quod non possit hanc sententiam aliquis de mundo ferre contra Papam, sed quod ipsemet debeat seipsum damnare, & ita procedit d. cap. nunc autem, & procedit glos. in cap. sicut laudabile 2. qu. 7. quæ dicit, quod Concilium potest iudicare de Papa sed non damnare. Si autem conuictus, vel confessus hæresim, nolit se emendare nec ferre sententiam in se ipsum crederem, quod Concilium possit declarare eum esse, lapsum in hæresim, & priuatum Papatu, quia postquam est confessus & incorrigibilis, & de hæresi conuictus est effectus notorius hæreticus, & desijt esse Papa 24. quon. 1. Achatius. Et tunc Concilium non dicitur iudicare Papam, sed priuatum Papatu, & vt personam priuatam eum iudicat Nec obstat quod par in parem &c. quia vt dicit ibi gloss. hoc ipso quod est hæreticus est minor quolibet catholico 12. qu. 1. scimus, & lex factum notat. l. palam. §. si. ff. de ritu. nup. Imo. damnatur, vt diabolus 2. quæst. 4. præsul in glos. vnde virtualiter est magis sententia executionis, quàm pronunciationis quia modicum refert hoc casu vtrùm Concilium prouideat, vt Cardinales ab eo recedant, & alium eligant, & ipsum tradant curiæ seculari, an pronunciet, & exequatur, quia exequendo plus facit in effectu, quàm pronunciando. Et hoc in effectu videtur velle Ægi. in §. hinc etiam 17 dis. dum dicit, quod contra Papam non potest ferri sententia nisi in casu hæresis &c Et isto vno modo procedit opinio illorum, qui volunt, quod Concilium iudicat de Papa in causa hæresis. & hoc videtur velle gloss. in cap. præsul 2. quæst. 5. & probat ille tex. in §. hinc etiam 17. distinctione, & in §. Item Symmachus 2. quæstione 7. quia Symmacho obijciebatur hęresis, & Concilium pronunciauit illum immunem, & liberum, vt dicunt Do. post Arch. in cap. in fidei, de hære. in 6. Nec obstat quod in illo tex. dicitur, cuius causam totam Dei iudicio reseruamus, quia per illa verba ostenditur, quod si Papa est hæreticus, non potest à quoquam iudicari, quamdiu manet Papa, sed Dei iudicio reseruatur, vt in cap. nunc autē 21. dit. in fi. & in ca si Papa 40. dist. & in cap. nemo & cap. aliorum 9. qu. 3. Et ita potest intelligi, quod notat Abb. in vlt. not. in cap. graue de præben. videlicèt, quod Papa non potest puniri à Concilio cum sit supra Concilium, sicut nec Archiepiscopus à Concilio prouinciali, quia ipse est caput eius, sed debet denunciari superiori, vt ibi dicit tex. sic Papa quamdiu manet in Papatu si sit incorrigibilis, & criminosus, eius punitio reseruatur Deo d. capit.
43 aliorum. Et sic potest responderi ad cap. nunc autem, quod loquitur in Papa hæretico, non corrigibili, sed potiùs pœnitente, sed si Papa est confessus, seu conuictus pertinax, & incorrigibilis tunc bene potest Concilium eum deponere, quia tunc verè desijt esse Papa. & non habet locum ratio illius tex. quod inferior non iudicat superiorem ad quod principaliter est factus ille tex. cùm adducit exemplum de Marcellino, & Sixto. Et hoc videtur, velle tex. in d. cap. si Papa in dicto. versicul. nisi deprehendatur à fide deuius. Et idem in effectu, quod quamdiu manet Papa etiam si sit hæreticus, non iudicatur à quoquam. sed in ipsum sententiam fert, vul Ægid. in dicto cap. si Papa, in versi. 4. dico vbi dicit, quod si ferat in se sententiam non erit iudicialis nec habebit vim rei iudicatæ, quia in se iurisdictionis, non habet, sed habebit vim cuiusdam ordinationis extraiudicialis, & ipse nollet sententiam ferre, tunc Concilium similiter per modum cuiusdam ordinationis procederet ad amouendum eum à Papatu Si verò esset confessus hæresim damnatam & esset paratus corrigi, tunc procederet, quod dicitur quod non iudicatur à quoquam de mundo, sed suo se ore iudicare debet, quod si non vult, & est pertinax, & incorrigibilis, vel si dicit se paratum corrigi, sed non in tempore, quia diù fuit pertinax, tunc nulla requiritur sententia, ex quo confitetur se in hæresim lapsum, & in confessum nullæ sunt partes iudicis, nisi in exequendo, vt in cap. nos in quemquam 2. quæst. prima Sed ex quo expectauit, donec deprehenderetur in hæresi damnata, & pertinax non vult resipiscere, nec seipsum suo ore damnare, detrudendus est in carcerem perpetuum ad peragendum pœnitentiam, vt dicit illa gloss. in verbo deprehensi, & non punitur pœnis à iure institutis contra hæreticos de quibus cap. excommunicamus de hæret. Aut loquimur in sententia declaratoria incursus pœnarum contra hæreticos inflictarum iuxta notata in capit. cum secundùm, & cum post suam damnatam hæresim est incorrigibilis Et hoc modo Concilium poterit iudicare, quia non propriè Papam deponit, vel condemnat, sed magis declarat depositum, vel condemnatum à iure & ore Apostoli ad Titum 3. Et isto alio modo procedit opinio illorum, qui volunt, quod Concilium in causa hæresis iudicat, & deponit Papam

46 pam. Si verò Papa lapsus est in hæresim nondum damnatam, & est in Papatu quia, nondum iudicatum est per Concilium de crimine, tunc nullus eum iudicat, nec potest ferre in eum sententiam, quia non habet superiorem cap. licèt de elect. Et cùm ipse sit caput Concilij non iudicatur à concilio, vt in capitulo significasti de electione & procedit quod dicit Abbas in dicto capitulo graue in vltimo nor. Sed si postquam Concilium cognouit de crimine, & declarauit esse hæresim non resipiscit tunc dicet illi reipsum tuo ore iudica. quod si facere noluerit, Concilium eum declarabit hæreticum, & depositum, vt supra di-
47 ctum est. Et quod dicitur, quod de hæresi Papa deponitur, & iudicatur, intelligas de stricta hæresi, puta si erraret in articulis fidei, vel in aliquo alio, quod saperet hæresim aliàs ab Ecclesia damnatam, & non de hæresi largo modo sumpto vocabulo, vt est simonia. Ita tenent omnes, & dicit Domi. in cap. si Papa 40. dist. & glo. in cap. si quis pecunia 79. dist. Quando
48 autem dicatur hæresis notoria, & vtrùm ad procedendum contra Papam, & vt dicatur deprehensus debeat vna vel plures, monitiones procedere, vide, quæ dicta sunt supra in arti. vtrùm Papa possit accusari de hæresi, vel simonia, & in quæstione, siue versic. sed pone, quod postquā Papa est accusatus &c. Quæ omnia ibi dicta adde hic pro pleniori huius materiæ expeditione, & maximè in quæstione, quæ incipit, sed pone, quod postquam Papa est accusatus de hæresi fatetur errorem &c quæ omnino vide. Sed adhuc Papa apparet, quod Papa possit damnari non solùm de hæresi, sed etiam de alijs criminibus, vt videtur tex. in cap. sanè pro fertur, in versi. item Romanorum 24. quæst. 2. vbi Dioscorus Papa anathematizatur, quam-
49 vis non fuisset hæreticus. Sed dic quod ibi est sermo de Patriarcha Constantinopolitano, qui appellatur etiam Papa, & ita dicit gloss. & Do. ibi in cap. si Papa 40. dist. Quæ vltra etiam opponit de cap. non liceat 12. quæstione 2. vbi Papa videtur iudicare de successore. Sed dic quod non videtur propriè iudicare de successore, qui prohibet alienare res Ecclesiæ, vt dicit ibi gloss. & Doct. qui videntur velle ex hoc, quod non possit Papa damnari.

50 Quo autem tempore hæreticus possit penitere, vt euitet pœnas, vide Doc. in cap. ad abolendam & in c. excommunicamus el 1. in princ. & cap. penul. post glo. fi. ibi. de hæreti. & in cap. vt commissi de hære. In 6. & 8. dic cap. quo iure & 21. di. cap. nunc autem l. manichæos C. de hære. l. si quis C. de Episcop. & Cle. Vide etiam in tract. Ioan. de Ligna in capitulo hęreticis seu credentibus, & pertinacibus & Gundi. de Villa Diego in 20. quęsito. & Hostiens. in summa de hęre. & Card. in Clement. ad nostrum eodem titulo.

51 Item adde quod eadem, quæ dicta sunt de hæresi, dicenda etiam sunt de schismate strictissimè sumpto, quod habet admixtam hæresim, quia ita poterit Papa deponi propter tale schisma, quod in effectu est hæresis, vt propter hæresim 24. quæst. prima Achatius prima quæstione prima si quis in quit 19. dist. Anastasius. Schisma enim strictissimè sumptum videtur hæresis, quia
52 rarò potest esse schisma sine hæresi. Sed quando duo contendunt de Papatu, & vterquè credit Pontificatum ad se spectare, vt dicit glos. 24. quæst. 1. in summa, & Abb. in causa quia diligentia de elect. & Cardin. in cap. licèt in 24. quæsito eodem titulo, tunc non erit schima strictissimè sumptum, sed schisma sine hæresi, vt ibi per eos.
53 Tunc autem est schisma strictissimè sumptum, quod dicitur hæresis, cum quis venit contra articulum fidei vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam, constituendo sibi aliam Ecclesiam, diuidendo se ab Ecclesia Romana, vt fecerunt Græci, & tunc propriè etiam schismaticus dicitur hæreticus, vt dicit Abb. in rub. de schismat. ad hoc 24. quæst. 3. inter hæresim, & Abb. de iudic. cap. at si clerici §. de adulterius, in versic. item dubitatur, & ita est ipso iure Papatu priuatus propter schisma, quod haber in se hæresim sicut propter hæresim dicto cap. Achatius. Ita dicit Catal. in dictis allegationibus factis pro Ioan. 23. in 5. char. versic. circa primum, quia schismaticus venit contra articulum fidei, & vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam 24. quæst. prima aduocauit, cum 4. capitulis sequentibus, & præcedentibus, & ferè per totam distinctionem illam. Et idem tenet Hostiens. in tit. de schismat. §. secundo in fin. Idem quoque dicit Bald. & refert Barbatius in capit. olim de rescript. quod obstinatus schismaticus est hæreticus. Vnde
54 Sicul. hæreticus dicitur ab electione 24. q. 3. hæresis, quia contempta Doctrina Christiana, vel Apostolorum, vel Romanæ Ecclesiæ eligit sibi aliquam nouam, & falsam credulitatem, contra quos dicit Apostolus ad Galat. primo si etiam Angelus de Cœlo euangelizet vobis præterquam, quod euangelizauimus vobis, anathema sit, sic etiam schismaticus dicitur scissus, & separatus ab Ecclesia, & schisma dicitur scissura, vt in capitulo schismat. 24. quæst. prima. Et meritò, quia vt dicit Cyprianus in Epistola ad Cornelium Papam, non aliunde nata sunt schismata, nisi inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia Sacerdos, & Iudex vice Christi co-
55 gitatur. Inde est quod quando scribit Papa schismaticis non vtitur verbo salutationis consuetæ benedictionis, sed dicit spiritum consilij sanioris secundùm Io. Andr. in prœm. decret. per cap. admonere. 33. quæst. 2. nisi aliter fieret ad captandum beneuolentiam, vt fecit Gregorius XII. scribens fautoribus Benedicti, secundùm quod dicit ibi dictus Anton. Vnde non tuetur schismaticum, qui eundem Deum colit, vt est text. in cap. denique, septima quæstione prima, nam vt dicit ibi text. Core. Datham, & Abiron cum Sacerdote Ataron, & Moyse eundem Deum nouerant, pari lege, & religione viuentes vnum, & verum Deum, qui colendus, atque inuocandus erat inuocabant, & tamen quia loci sui ministerium trangressi, contra Ataron sacer-

cerdotem sacrificandi sibi licentiam vendicauerunt, diuinitus percussi sunt, & thuribula eorum iussu Domini conflata, & in signum perpetuum altari affixa sunt, quia vnitas non capit diuisionem 24. quæst. pri-
56 ma loquitur. Et vide illum text. in d. capitulo denique, qui ponit plura exempla veteris legis contra schismaticos, & est textus Cypriani martyris. Quem vide omnino in Epistola ad Magnum, & contra Nouatianum, vbi ostendit baptizatos à Nouatiano schismatico nō esse baptizatos, tanquam ab eo baptizatos, qui non est in Ecclesia, quia qui in Ecclesia non est diligi, aut ablui, aut lauacro purgari à Christo non possunt. Vnde qui dicit apud Nouatianum baptizari, & sanctificari aliquem posse, priùs ostendat, & doceat Nouatianum in Ecclesia esse, aut Ecclesiæ præsidere. Et est pulchra Epistola contra schismaticos, quæ ostendit Ecclesiæ vnitatem. Sed
57 quod dicit baptizatum à schismatico non esse baptizatum, oportet intelligere, quando non fuit baptizatus in forma Ecclesiæ, quia aliàs esset verè baptizatus, vt in cap. aliud, & cap. nullus, & cap. quomodo de consecr. dist. 4. 1. quæst. 1. in capit. dedit & cap. sicut ergeri. Vide quæ dicuntur in §. verum 32. dist. maximè per Domin. & partem eiusdem Epistolæ Cypriani vide in cap. si quis inquit 1. qu. 1. & quæ dicuntur in cap. sacramenta, & cap. sicut ficti. ead. causa, & quæst. Et hoc fuit de schismaticis obseruatum in Concilio Constantien. in quo ad sedandum antiquatum schisma omnes tres fuerunt depositi Pontificatu videlicet Ioannes 23. Benedictus XIII. & Gregorius XII. Et ibidem in dicto Concilio fuit statutum in constitutione frequens quod Papa non solùm pro hæresi, sed etiam pro schismate possit à Concilio iudicari. Quod & refert Archiep. Florent. in 3. parte summæ in tit. 24. cap. 2. §. notat Abb.
58 Siculus ad fin. Pro quo facit quod hæreticus, & schismaticus æquiparantur, vt est text. & ibi ponunt Doct. in cap. firmissimè de hæret. & benè probat text. in cap. 1. de schismat. cum appellat schismaticos hæresiarchas. Hoc etiam ponit, & tenet Matesil. in suis addit. ad tract. Anton. de Butrio in versic. restat modò respondere ad obiect. Idem etiam Cardin. in cap. licèt in penult. colum. in fine versiculi quarto quæsito circa fin. Et idem in effectu in responsione facta in Concilio ad Oratores Regis Franciæ, in 5. char. in versic. per prædicta, dum ponit intellectum ad cap. cùm secundùm de hæret. in 6. dicens quod cùm illi fuerint schismatici, & sint condemnati per sacros canones, non est necessaria alia sententia declaratoria hominis, & quod cap. cùm secundùm de hæret. in sexto, debet intelligi cum in bonis facienda est executio secus cùm in pœnam afficit personam, quod notat.
59 Sed Moder. Aret. altiùs exoriendo istum passum quando possit propter schisma Papa deponi, tandem in effectu ponendo illa, quæ dicta sunt supra, maximè in articulo vtrùm Papa possit de schismate accusari, concludit, quod aut aliquis intrudit se in Apostolatum temerariè nullo iusto ductus errore, & tunc talis intrusus in Papatum sic temerariè, dicendus est schismaticus, & apostaticus, & ipso iure anathematizatus, vt in capitulo in nomine Domini 23. dist. coniuncto cap. licèt de elect. & 79. dist. capit. si quis probat text. & ibi ponit Cardin. in d. cap. primo de schismat. Et talis eijciendus est omni conatu, vt in dicto capitulo si quis pecunia 79. dist. & dicto capit. licèt. Ille autem Papa, qui cum tali sic temerariè intruso contenderet de Papatu, ex eo solo, quod litigaret, & contenderet de Papatu non esset censendus schismaticus, vt in cap. 1. de schismat. Quod intelligo
60 etiam si non constaret clarè quod iste contendens cùm temerariè intruso sit verus Papa, quia si de hoc constaret, tunc postquam electio reperitur canonicè facta, si superueniat bellica tempestas, & qualiscumque hominum conatus, qui malignitatis studio impediant, ne is qui est verus Papa in Sede Apostolica inthonizari possit, omnino verus Papa auctoritatem habet regendi Ecclesiam Romanam, & administrandi vt in cap. in nomine Domini 23. dist. Si verò in Cathedram Petri aliquo iusto erro-
61 re ducitur, qui eum etiam à culpa excuset, tunc talis non est schismaticus ex hoc solo, quod contendit de Pontificatu, argumen. notatorum in l. fin ff. de adult. Et idem dicit si sit in sola culpa, & non in dolo quia licèt de culpa puniri possit, vt dicitur in d. l. fin. tamen non debebit iudicari schismaticus, & minùs Papa verus cum eo contendens, quantumcumque etiam in parte scissa Papatum regat. Sed si non solùm sunt in scissura, & Papatum in schismate regunt, vel mundum scissum tenent, sed etiam schisma nutriunt nolentes adhibere remedia, vel fingentes, & procrastinantes vnionem, & ad finem non perducentes, tunc iudicabuntur schismatici, etiam si alter sit verus Papa. Et si contingat in tali schismate ipsos inueterari iudicabuntur hæretici 24. quæst. 3. inter hæresim. Et hoc casu poterit Papa deponi propter schisma. Quod intelligo in vero Papa schismatico, sicut dictum est supra de hæretico. Vnde quando est schisma largo modo, prout si
62 Papa foret mortaliter peccans solùm, tunc non est deponendus, nec posset per Concilium deponi, quia tantùm propter hæresim propriè sumptam deponitur, vt 40. distinct. si Papa. Sed si esset schismaticus ita quod eius schisma prolaberetur in hæresim stricto modo sumptam, tunc deponendus esset, & eadem esset pœna schismatis, & hæresis, quia tunc schismaticus est hæreticus dicit Hostien. in summa in tit. de schismat, §. qua pœna, versic. nec obstat, & in §. vnde dicitur, versic. differt autem, ponit Ioan. Andr. in cap. firmissimè de hæret.
63 Quinimmò delictum schismatis grauius videtur omni delicto etiam hæresis 24. qu. 1. non afferamus in fin. & ex perseuerantia fit hæresis 24. quæst. 3. inter hæresim. Facit quod dicitur 24. quæst. 1. aduocauit vbi dicitur, quod fides non potest esse in schismate, quia etsi fortè schismaticus fidem tenet in Deum, tamen erga Dei Ecclesiam schis-

schismaticus fidem non tenet, est enim vna Ecclesia sponsa Christi pulchra, sine macula, sine ruga, hortus conclusus, fons signatus, & puteus aquæ viuæ, vigesimaquarta quæstione prima capitulo quoniam verus,& capitulo omnibus. Ipse enim se separat ab vnitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, à qua qui scissi sunt non videntur Christo fidem exhibere debitam, à quibus euacuatur passio eius, atque distrahitur d. cap. aduocauit 24. quæst. prima, & cap. loquitur. Et sic veniunt schismatici contra articulum,& vnam Sanctam Ecclesiam &c. plures quodammodo Ecclesias constituere satagentes, vt si duo de Papatu contenderent, & esset dubium, vter eorum esset Pontifex, & vterque partem non modicam Christianorum ad se traheret, & in parte Christianorum scissa, & sibi quæsita vterque diu staret, & gauderet fouendo scissuram, tales Ecclesiam scinderent, & in hæresim stricto modo sumptam inciderent, vt dicit glos. in authent. de priuileg. Doct. hereticis, mulier. non præstan. ibi ad omnes, qui non sunt membrum. Nam cum hac sponsa vnus solus debet residere, qui sit vnicus successor Petri, & Vicarius Iesu Christi, & Ecclesiæ sponsus, si autem ei duo præsint, constituunt in Ecclesia duo capita tâquam monstrum, contra text. cap. per venerabilem, qui filij sint legitim. de offic. ordin. quoniam in plerisque. Et vterque est schismaticus. Item ipsam Ecclesiam vnicam corrumpere videntur, ei duos, vt ita dixerim viros attribuendo, & seipsos ambos Ecclesiæ viros faciendo, vnde non conseruant eam pudicam, & incorruptam, sed adulteram designant, sicut mulier, quæ duos viros habet adultera dicitur, arguendo à matrimonio carnali ad spirituale 7. quęst. 1. sicut vir. cap. inter corporalia de translat. Prælat. Vnde non dicitur Christus in eorum cordibus habitare 24. quæst. 1. audiuimus, nec possunt habere Deum Patem, qui Ecclesiæ non habent vnitatem 24. quęst. prima alienus. Ecclesia enim est vnica, & incorrupta, vnius cubilis sanctitatem casto pudore custodiens 24. quęst. 1. loquitur.

64 Vnde ex pręmissis patet, quod cùm schismaticus strictissime sumptus sit hereticus sicut hereticus ipso iure perdit Papatum sic, & schismaticus, qua propter sicut pro heresi deponitur, siue depositus declararur, sic etiam pro schismate. Ad quod facit text. in d. cap. si Papa, qui non dicit simpliciter quod Papa tantùm pro hęresi deponatur, sed dicit quod deponitur cùm reperitur deuius à fide, quod intelligere oportet per Concilium, quod cognoscit de causa Papatus, vt in cap. si duo 79. dist. Sed ille, qui quęrit Ecclesiam scindere dicitur à fide deuiare 24. quęst. 1. alienus, & 1. quæst. teneamus, & 16. qu. fin. cap. sicut Domini. Ergo sicut hęreticus, sic & schismaticus perdit dignitatem Papatus, & potest à Papatu amoueri. Et idem quod de schismaticis strictissimè erit, quando multi erigerent capita contra Romanam Ecclesiam facientes nouam sectam, & noua statuta, vt sunt Fratricelli, sunt enim, & ipsi schismatici, vt vide Abb. in ea, at si clerici in 5. char. §. alium casum de iudic. Et idem videtur dicendum de Papa si ipse est Paganus, Iudeus, vel non baptizatus, nec volens baptizari, quia satis dicitur à fide deuius, nec est capax Papatus, vt supra dictum est ex dictis in cap. licèt de elect. & talis potest per Concilium iudicari, siue sit Iudęus, siue Pagan. & amoueri à Pontificatu, quia in tali non est minor ratio, quàm

65 in hæretico. Et per hoc tollitur contrarium, quod potest obijci ex dictis Abbatis post Hostien. in cap. firmissimè de hær. videlicèt cum dicunt, quod propriè hæresis dicitur solùm in duobus casibus scilicèt quando quis aliter sentit de articulis fidei quàm sentit Rom. Ecclesia, 24. quæst. 1. cap. hæc est fides, & quando quis malè sentit de Sacramentis Ecclesiæ, vt in cap. ad abolendam, de hær. in princ. Quia respondetur, quod schisma capitur multis modis, scilicèt largè, strictè, & strictissimè. Primis duobus modis schismaticus non dicitur hæreticus, sed vltimo modo sic, nam qui se diuidit ab vnitate Romanæ Ecclesiæ constituendo sibi Ecclesiam, ac clericos, & sacerdotes ordinando; est hæreticus propriè dictus, quia venit contra illum articulum fidei, & vnam sanctam Ecclesiam, vt dicit Abb. in rub. de schisma. Et in dubio appellatione schismatici intelligitur de strictissimo modo sumpto, vt notat Abb. in cap. fraternitati, de schisma. Sed quid

66 si Papa, est omninò inutilis, & insufficiens ad Pontificatum regendum, vtrùm poterit deponi, Domi. dicit, quod non in cap. sedulo, 38. dist. quia non potest pro aliqua causa deponi, nisi propter hæresim, vt ipse ibi dicit. De quo vide, quæ dicta fuerunt post quæstionem, an ratione simoniæ, quam Papa committit debeat Concilium congregari, in quæstione, sed quæro vlteriùs pone, &c. & in alia quæstione, quid autem si Papa, efficiatur furiosus, vel demens, &c. Idem etiam fortè esset dicendum de Papa idolatra, scilicèt quod posset, sicut de hæretico dicitur, deponi, capiendo idolatriam, vt sonat in hæresim, sicut adorare creaturam pro Deo, facit, quod dicit S. Thom. in 2. 2. quæst. 94. art. 1. & quod dicitur in præall. cap. nunc autem, 21. dis. & quod dicit Domi. in cap. denique in fin. 7. quæst. 1. & in cap. presbyteros, 50. dist. & in cap. quæro, 6. quæst. 1.

SVMMARIVM.

1 *Duobus contendentibus de Papatu, quorum vnus est verus Papa, tamen nutriunt schisma, & est inueteratum, an poterit deponi, intrusus, sicut verus Papa.*

2 *Opinio Auctoris, quod verus Papa, hoc casu non deponatur, contra Moder. Aret.*

ARTICVLVS II.

1 SEd pone esse duos contendentes de Papatu, & alterum ex eis esse verum Papam, sed diù steterunt in contentione tenentes scissuram inter Christianos, quia vtrique paret magna pars Christianorum, & non

& non curauit tenere vias, per quas tollatur schisma, & fortè nolunt, sed fingunt velle tollere, & non adimpleut, cùm dixerimus, quod isto casu dicitur schisma transire in hæresim, vtrùm ità poterit deponi ille, qui est, verus Papa, & non curat tollere schisma sicut ille, qui contendit, & non est verus Papa, & videtur dicendum, quod non per supradicta, quia verus Papa licitè quærit, quod contendens cum eo eijciatur penitus, & ipse vnicus remaneat, vt in d. cap. in nomine Domini, 23. dist. & aliquid supra dixi. Et cùm ipse non constituat aliam Ecclesiam, immò credat Romanam Ecclesiam esse apud se, licèt dici posset schismaticus non tamen hæreticus, vt dicit Abb. in rub. de schismat, ad quod facit gloss. 24. quæst. 1. §. 1. quæ est prima post gloss. summæ, sed contrarium est verum secundùm Moder. Aret. Quia ex quo vterque detrectat quærere vnionem Ecclesiæ, nec conuocant Concilium, fortè timentes, ne de suis sedibus deponantur, & stant in negligentia, gaudentes quilibet in sua parte scissa, sunt habendi schismatici ambo, & vterque debet à Papatu amoueri, quia Ecclesia vnica esse debet, & oportet, quòd habeat sponsum vnum, & non plures, & qui in sua vnitate permaneat, & ipsi hanc vnionem summè quærere deberent, & affectare, 24. quæst. 1. cap. loquitur, & præsertim Papa, cui primùm præ omnibus Christianæ religionis onus incumbit 24. quæst. 1. cap. officij, & cap. memor., sum. vbi dicit tex. intelligo mihi aliter non licere, quam vt omnes conatus meos ei causæ, in qua vniuersalis Ecclesiæ salus infestatur, impendam. Vndè si vias tollendi schisma non quærunt, quia hoc casu pro bono Ecclesiæ etiam verus Papa, repelli potest, vt vult gloss. sing. in cap. si fortè, 63. dist. grauissimè peccant. Et ideò si moniti non quærunt Ecclesiam vnire, sed detrectant, vterque eorum hoc casu non solùm schismaticus, sed hæreticus est dicendus all. gloss. in cap. si Papa, 40. dist. & quod non solùm non sunt discipuli veritatis, sed erroris magistri, vt in cap. nos si incompetenter, 2. quæst. 7. nam si Christus descendit de cœlis ad redimendum gregem suum perditum, & mortem subijt temporalem, vt in cap. 1. de homic. in 6. quanto magis quisque in cathedra Petri præcipuè verus summus Pontifex curam debet habere gregis Dominici, & ipsum perditum non solùm redimere renunciando Papatui, sed etiam morti naturali se subijciendo, facit tex. in cap. aduersitas, §. cum verò 7. quæst. 1. Quod etiam ponit Abb. in cap. quia diligentia, de elec. quando schisma est inueteratum, quia tunc censentur hæretici: ex quo scindunt Ecclesiam, nec curant vnionem ipsius, facit gloss. in §. quia verò, 24. quæst. 3. & in cap. firmissimè, de hær. & dictum est in quæst. præcedenti, in ver. item adde, quod ista quæ dicta sunt de hæresi, &c. deberent ergo, vel Papatui cedere, vel per sortes litem ipsam de Papatu dirimere, vt dicit Moder. Aret. de quo, an scilicet per sortes esset hæc contentio dirimenda, dictum est supra, & fuit opi. Card. in cap. licèt, de elect. & in cons. 150. incipit quæsitum, vbi ponuntur etiam alij modi, per quos posset tolli schisma de Ecclesia Dei. & plures alij ponuntur per Gersou. & alios, vide apud Aegid. de Bellamera in cap. in fidei de hære. in 6. & alios ponit Card. de Turrecrem. in 4. lib. cap. 10. Nam, vt inquit idem Moder. Aret. quemadmodum fuerunt positæ sortes super vestem Domini inconsutilem, ne diuideretur, multò magis poni debent, vt scissa redintegretur. Et si dicti contendentes istam, vel aliam viam redintegrationis, & reconciliationis non amplectuntur, etiam si iustam habeant causam litigandi dici possunt à fide alieni, 24. quæst. 1. alienus. Et fallunt fraternitatem, & veritatem fidei perfida præuaricatione corrumpunt, 24. quæst. vlt. cap. loquitur. Sed certè
2 quicquid dicat conclusio eius non videtur vera, quod etiam verus Papa debeat eijci, quia ex quo est verus Papa, non potest ab aliquo iudicari, & habent locum iura. cap. nemo. cap. aliorum, & cap. facta, & alia similia, 9. quæst. 3. cum non habeat superiorem, in allegato sæpiùs, cap. licèt, in fin. de elect. Et faciunt quæ dicuntur in regula vtile, in 6. & in alia regula, cap. qui scandalizauerit, eod. tit. in anti. Nisi dicamus, quod loquitur in illo, qui detrectat tollere schisma, nec vult congregari Concilium, sed illud fouet, gaudens in sua parte scissa, ita quod virtualiter est causa scissuræ, & inueterati schismatis, cum tunc possit dici hæreticus, vt supra dictum est, de quo art. clariùs vide infra in 15. modo sedandi schisma.

SVMMARIVM.

1 *Modi sedandi schismatis.*
Et num. 2. remissiuè.
3 *Bigamus non promouetur ad Cardinalatum.*
Primus modus sedandi schisma, num. 4. per Concilium generale.
Secundus modus, num. 5.
Et plura exempla sedati schismatis inter duos contendentes de Papatu, vide hunc modum.
Tertius modus num. 6.
Per compromissum in arbitros, vel arbitratores.
Et ista via à quibusdam impugnatur, ibidem.
Et hoc an sit verum, ibid.
Quartus modus, num. 7. Via recognitionis, quod videlicèt Antipapa cognito suo errore cedat prætensa suo iuri.
Et exempla, quibus hoc modo fuit sedatum schisma.
Quintus modus, num. 8. via cessionis.
9 *Comittere crimen intelligitur, qui id quod emendare potest, non corrigit.*
Sextus modus, num. 10.
Septimus modus, num. 11.
Quod fiat constitutio, quod vno mortuo alius succedat in ius.
Et respondetur ad contrarium, quod Papa, non potest sibi eligere successorem, numero 12.
13 *Papa licèt non possit sibi eligere successorem,*

 potest

potest tamen statuere de illius electione.

Octauus modus num. 14. quod contingente morte alterius, superstes eligatur.

Exemplum sopiti schismatis hoc modo, ibidem.

Nonus modus num. 15. quod fiat constitutio inter duos contendentes, quod altero eorum cedente, vel mortuo, alter pro illa vice eligi non possit, ibid.

Decimus modus num. 16. sed iste modus non tollit schisma in continenti numero 17.

Sed satis est, quod tolletur aliquando, ibidem.

Et iste modus non placet Auctori, numer. 18.

Vndecimus modus num. 19.

20 *Electio Papæ, per Cardinales facienda non est de iure diuino, sed positiuo.*

Duodecimus modus num. 21.

Et exempla quibus schisma tali casu sopitum est.

Et istum dicit esse bonum modum Auctor, ibid.

Tertiusdecimus modus, num. 22.

Et Exempla, quibus tale schisma sublatum est.

Quartusdecimus modus num. 23.

Et hoc modo multa schismata sopita sunt.

Quintusdecimus modus num. 24.

Et iste modus approbatur, ibidem.

25 *Renunciare non cogitur quis rei, in qua credit se ius habere.*

Quomodo intelligendum, ibid.

26 *Vtilitas publica præfertur priuatæ, & ideò tali causa quis priuatur propria vtilitate.*

27 *Discordia in electis ad Episcopatum, cuius iudicio remittatur.*

28 *Scandali euitandi gratia multa prohibentur.*

Item multa conceduntur.

29 *Papa debet potiùs cedere Papatui, quàm pati, quòd populus remaneat scissus, vel diuisus.*

30 *Papa potest cedere papatui, sed an possit cogi cedere, & num. 31. 32. 33. & 35. argum. ab absurdo.*

Auctoris opinio num. 36.

37 *Episcopum propter scandalum debere cedere Episcopatui, dato sibi æquali cambio quomodo intelligendum.*

38 *Papatus non recipit cambium.*

39 *Iuri suo quilibet potest renunciare, quando cessio tangit solùm personam cedentis.*

40 *Cap. si fortè, 63. dist. intellectus.*

41 *Ioan. Cap. decimum, ibi bonus Pastor ponit animam suam, &c. declaratur.*

42 *Nemo cogitur dimittere bona sua temporalia, vel spiritualia, propter aliorum scandalum.*

43 *Scandalum, quid sit, & vtrùm sit peccatum, & cui competat, & quæ sint dimittenda propter scandalum.*

ARTICVLVS III.

1 SEd quid si pro qualibet parte inueniantur volentes intrare ignem, vt dicitur tempore Gregorij aliquos se obtulisse, dic quod tale iudicium est omninò prohibitum, vt in tit. de purga. vulga. per to. Possent enim ob alia peccata succumbere omnes, eod. tit. cap. 2. Et per hoc Deus tentari videretur, eodem tit. cap. fin. infiniti namque mortales pro fide Christi interfecti sunt, pro quibus Deus nullum miraculum ostendit. Vndè dicitur, quod hoc est tentare Deum, & ideò prohibitum. Alios
2 modos sedandi schisma reperio positos in quibusdam scriptis, quæ incipiunt præmissa debita protestatione, quæ credo esse Ioan. de Lignano, quia habent conformitatem cum scriptis eius in cap. licèt, in multis ferè de verbo ad verbum, quamuis in istis scriptis sint multa, quæ non sunt in
3 d. cap. licèt. Qui Ioan. secundùm, quod dicit Dominus Nicolaus in cap. at si clerici, de iud. si non fuisset bigamus fuisset factus Cardinalis, sed quia Papa, non dispensat cum bigamis ad Cardinalatum, non fuit promotus. Ita etiam refert Martinus
4 de Laude. in tract. de Cardinalibus, quæst. 77. Et ibi ponitur, quod primus modus erit per Concilium generale, quod hoc casu est iudex, 79. dist. cap. si duo. Per istum modum Concilij fuit sedatum schisma inter Vrsicinū, & Damasum, nam Vrsicinus de vrbe expulsus, Neapolitanus episcopus constitutus est, & Damasus in Pontificatu confirmatus. Item hac via sedatum est schisma, quod fuit inter Symmachum, & Laurentium, vt in §. hinc etiam, 17. distin. Et sic in Concilio Constantien. fuit sedatum schisma, nam priuato Benedicto, &
5 Ioanne, accedente Gregorio, electus fuit Martinus Quintus. Secundus modus est, vt contendentes de Papatu committant aliquibus potestatem discutiendi iura eorum, vtrùm ipsorum aliquis sit verus Papa, necne, & super hoc pronunciandi, cum cautione, quod stabunt eorum sententiæ. Adducitur, cap. nos si incompetenter, 2. quæst. 7. & ibi glos. 1. & ff. de iurisdict. omn. iud. l. est receptum, & videtur glos. aperta in cap. in synodos 63. dist. Hoc modo sedatum est schisma inter Bonifacium Primum, & Eulalium presbyterum vrbis Romæ, quia iussu Imperatoris ambo contendentes vrbem egressi sunt, & facta inquisitione de veritate electionis amborum, & reperto, quod Bonifacius à maiori, & saniori parte fuerat electus, in Papam susceptus est, & Eulalius reiectus. Aliqui istam viam impugnant, quia isto casu Concilium est iudex, vt dictum est supra, & in cap. Anastasius, 19. dist. & 15. distinctione capitulo sicut sancti, ad fin. & supra dictum est, quod Papa non potest se submittere alterius iudicio. Sed quando est controuersia inter duos pro sedando schismate inueterato aliter videtur dicendum, dic vt ibi dictum
6 est. Tertius modus, quod isti contendentes compromittant in arbitros, vel arbitratores,

tores, & cum hoc statuant, quod pronunciatio det titulum, & ius alterius habeatur pro translato in illum, pro quo fuerit laudatum. Quidam etiam hanc viam impugnant, quia de titulo beneficij non potest compromitti, capitulo nisi essent, de præben. nec transigi. cap. super eo de transac. Sed alij respondent, quod hoc non habet locum in Papa, qui est supra ius, cap. proposuit. de concess. præben. & hoc super quo compromittitur est de simoniacis, quia prohibitis, prima quæstione tertia, saluator, & de offic. delega. ex parte cum similibus. Item super Matrimonio spirituali fieri potest compromissum, de elect. capit. cùm inter Canonicos, de arbi. cap. ex parte. Vndè poterit fieri tale compromissum in laicos, ex quo Papa non ligatur iure positiuo, & tales arbitri poterunt cogi ad arbitrandum etiam per clausuram in conclaui, sicut fit de Cardinalibus in capit. vbi periculum, de elect. in 6. Et quod etiam fieri possit in laicos constat, quia eodem modo fuit sedatum quintum schisma per compromissum factum in Theodoricum regem, qui pro Symmacho Papa sententiam
7 tulit. Quartus modus est via recognitionis erroris, vt Antipapa ductus conscientia cedat suo prætenso iuri, & verum Papam, in suum verum pastorem recognoscat. Sic fuit sedatum, 13. schisma, quia Benedictus X. qui per violentiam Romanorum intrusus fuerat, conscientia ductus renunciauit Papatui, & electus fuit Nicolaus Secundus. Item schisma inter Alexandrum secundum, & cadaloum, qui deficiente sibi fauore Henrici Imperatoris destitit à prosecutione Papatus. Item schisma nouissimum inter Nicolaum Quintum, & Amadeum ducem Sabaudiæ, qui fuerat creatus Papa in Concilio Basilien. & Fœlix vocatus, qui cessauit à prosecutione Papatus recognoscens in verum pastorem ipsum Nico-
8 laum Quintum, modus est via cessionis, hoc est, vt omnes de Papatu contendentes cedant, & conueniant omnes Cardinales, & si qui essent anticardinales, & faciant insimul vnam iustam, & canonicam electionem. Nec poterit opponi, quod aliqui sint anticardinales, & inhabiles, vt satis patet ex tex. cap. licèt, de elect. & Clementina ne Romani eodem titulo, vbi tollitur omnis exceptio insurgens ex defectu personarum eligentium. Et hoc in renunciatione voluntaria, quia Papa potest renunciare papatui, vt est tex. in capitulo primo de renunciatio. in sexto. Et debet hoc facere pro vnione Ecclesiæ, ne plus temporalem honorem, quàm æternam salutem, affectare videatur, vt in cap. nisi cum pridem, in §. pro graui de renuntiat. Quæ ratio ita militat in Papa, sicut in alijs bonis Episcopis, bonus enim pastor non solùm Pontificatum, sed animam suam dat pro ouibus suis, ad hoc, quod notat Ioan. Andr. in dicto §. pro graui. Non solùm enim Papa, vel Papatum prætendens tenetur omne consilium, & opus impendere, vt pax, & vnitas in Dei Ecclesia subsequatur, & inducta conseruetur, sed & omnis Christicola hæc ipsa summoperè quærere debet, vt omnes simus vnum cor, & anima vna in Christo. Nam Christus non habitat in cordibus illorum, qui superbiæ singularitatem secuti à Corporis Christi compage semetipsos abrumpunt, vigesimaquarta quæstione prima audiuimus, & qui nec vnitatem spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, & se ab Ecclesiæ vinculo separat, & Christiani nomen habere non potest, septima quæstione prima Nouatianus. Et quia Christus edificauit Ecclesiam super vnum, vt esset vna non plures, vigesimaquarta quæstione prima loquitur. Tales igitur eam à sua vnitate scindentes, à fide deuiant, & deponi possunt, etiam si alter sit verus Papa, cum sit à fide deuius, quadragesima distinctio. si Papa, secundùm eumdem
9 Moder. Quia qui crimina quæ emendare potest non corrigit ipse illa committere intelligitur, vigesimatertia quæstione octaua capitulo prætereà. Ad hoc est text. in capitulo error, & in capitulo consentire octuagesimatertia distinctione, & capitulo negligere, secunda quæstione septima, vbi dicitur, quod qui potest errori occurrere, & non facit, videtur ipsum fouere, & nu-
10 trire. Sextus modus est, quod vno ex contendentibus mortuo, vel canonice deiecto, collegium ipsius defuncti, vel deiecti expectet deiectionem, vel mortem alterius, vel aliorum contendentium si sunt plures, & tunc ex omnibus collegijs fiat electio summi Pontif. Et vtilis erit constitutio quod interim donec expectatur mors seù deiectio alterius, collegium defuncti, vel deiecti possit administrare, ne per hoc obedientia eius detrimentum patiatur.
11 Septimus modus erit quod per contendentes fiat vna constitutio, quod vno mortuo, vel canonicè amoto alius contendens superstes possit ius verum, vel prætensum defuncti, vel deiecti administrare, vel ipso facto acquirat, absque vlla electione. Sed
12 huic videtur obstare quod Papa non potest sibi successorem eligere 8. qu. prima, cap. 1. & 2. cum sequentibus, & notat glos. dist. 79. cap. si transitus. Potest dici quod hoc tolerari potest pro vna vice, vt tollatur schisma. Nec Papa de plenitudine potestatis agens ligatur illis constitutionibus, quamquam factæ sint in Concilio, ipse enim constitutionibus Concilij derogare potest, vt patet in cap. statutum, de rescrip. in 6. & notat Ioan. And. in capitulo significasti, de electione, & glos. in capitulo vbi periculum in verbo Concilio, in sexto. Vel potest dici, quod per istam constitutionem non eligit sibi successorem, sed tantum suam obedientiam in administrationem concecedit, quod videtur tolerabile, sicut quando inter duos contendentes vnus cedet et ad tollendum schisma, & alius de eius voluntate eligeretur. Ad quod facit quod li-
13 cèt dicatur quod Papa non potest sibi eligere successorem, tamen bene potest statuere de electione successoris 23. dist. capitulo in nomine Domini, & capitulo licèt, de electione, & capitulo vbi periculum, eod. tit. in sexto, & clem. ne Romani, eodem titulo. Potest enim Papa deliberare cum fratribus de successore, vt in capitulo pri-

mo, in gl. prima 8. qu. prima, & 79. distin. capitulo si transitus. Octauus modus erit
14 quod contingente morte alterius ex contendentibus alter superuiuens eligatur. Sic sopitum est schisma inter Siluerium, & Vigilium, quia Siluerio in exilio pro fide Christi mortuo, Vigilius est in Papam receptus, item inter Fœlicem, & Liberium, quia Fœlix martyrio coronatus est. Liberius autem alio nomine vocatus Leo, occupauit Pontificatum pluribus annis, quo tandem mala morte mortuo Damasus ele-
15 ctus est. Nonus modus erit quod per contendentes fiat vna constitutio, quod post eorum cessionem, vel mortem alius ex eis pro hac vice eligi non possit. Huic modo minus obstat, quàm superiori, quod dictum est de eligendo successorem, quia huic nullus certus eligitur successor, sed coarctatur electio ad vnum de cæteris personis, quod fieri potest non solùm per Papam, sed etiam per consuetudinem, vt in capitulo cùm dilectus, de consuetu. Decimus modus est,
16 quod vterque de contendentibus cum suo collegio decernat, quod se moriente, vel cedente non possint Cardinales ad electionem alterius procedere, & quod electio sit nulla, sed teneantur, vel adhærere superstiti, & eum habere pro Papa, vel expectare quod etiam cedat, vel decedat, & tunc vtrumque collegium conueniat Romam, vel in locum vicinum, si ibi esse nõ poterunt ad eligendum alium. Et istum modum ponit Cardin. in versiculo sextus modus in dicto capitulo licèt. Et quamuis iste mo-
17 dus non tollat schisma incontinenti, satis est quod schisma tolletur aliquando, & eo citiùs quò ambo fuerint seniores, & isto casu mortuo altero istorum, quousque alter cedat, vel decedat potest ordinari quod primus Cardinalis illius collegij, vel ipsum totum collegium administret in ijs, quæ non possent commodè reseruari in tempus successoris, ita dicit Cardin. vbi supra.

18 Sed iste modus mihi non placet, quia per hoc non tollitur schisma, & est deterius, quod vnus Cardinalis administret Papatum, maximè in ijs, quæ sunt supremæ potestatis, contra tex. capituli vbi periculum, §. ijdem quoque, nisi admitteretur pro sedando schismate aliquo tempore in posterum. Vndecimus modus est, vt con-
19 tendentes de Papatu aliquos sibi fidos eligant, qui post eorum cessionem soli seclusis omnibus Cardinalibus possint Papã eligere. Hic modus etiam tolerari potest, vt schisma tollatur, quamquam nullus ex contendentibus hoc ambire deberet. Non obstat, quod Cardinales excludantur, quia Papa ex plenitudine potestatis hoc statuere potest, saltem pro vna vice, & ex causa tam graui, vt tollatur schisma, ad hoc 63. distin. capitulo secundo, & capitulo seqq. Nec est absonum quia non est de iure diui-
20 no, quod Cardinales eligant, sed de iure positiuo, capitulo in nomine Domini dist. 23. Duodecimus modus est via reconcilia-
21 tionis cum Papa, & Imperatore, & Principibus, quorum fauore schisma fouetur. Hoc modo sopitum est schisma inter Alexandrum Secundum, & cadaloum, & schisma inter Alexandrum Tertium, & alios quatuor Antipapas. Et iste esset bonus modus hodie tollendi imminens schisma, hoc est vt fieret pax inter sanctissimum Dominum nostrum Iulium Secundum, Pontif. maximum, & Regem Francorum, quod Deus pro sua bonitate fieri concedat. Tertiusde-
22 cimus modus est per capturam intrusi, vel intrusorum. Sic sopitum fuit schisma inter Callixtum Secundum, & Burdinum antipapam, nam Callixtus cępit in Sutrio Burdinum, & schisma sedatum est. Et eodem modo inter Ioannem, 22. & Petrum de Corbario, qui fuit captus, & ductus ad Ioannem 22. & cessauit schisma. Quartus-
23 decimus modus est, via armorum adhibita contra intrusos, Et hac via multa schismata sopita sunt, sicut schisma inter Eugenium Secundum, & aduersarium eius. Item schisma inter Leonem Quintum, & Christophorum. Item schisma inter Leonem Octauum, & Benedictum Quintum, & sic de multis alijs. Alium modum posuit Card. in capitulo licèt de electio. videlicet per iudicium sortis. Sed de hoc vide quod supra dixi in quæstione principali ad quẽ spectet congregare Concilium, in versic.
24 sed hìc quæro pone quod ambo. Quintusdecimus modus est vt cogatur cedere, tam Papa, quàm Antipapa, & quod si nolint, subtrahatur eis obedientia, vt sic per indirectum ad vnionem compellantur, quoniã vnionem subterfugientes, sunt digni omni pœna, cum propter ambitionem infinitas animas perdant. Et hanc viam approbat Petr. de Anchar. in suo tract. schismatis in tertia quæst. & in regula accessorium in 77. char. de regu. iu. & ibi ostendit, quod illa verba si, & quatenus Benedictus cedat non sunt conditionalia, sed modalia. Istam etiam ponit Card. in dicto capitulo licèt in versi. quintus modus, quia ratione scandali prælatus cogitur cedere cap. nisi cum pridem, §. propter malitiam de renun. ibi in verbo cogitur, & quod notatur, septima quæst. prima cap. scias, in glo. fin. & cap. Episcopus de loco in glos. fin. & ibi per Archi. & per eundem dist. 58. d. cap. primo, & Doct. in cap. quæsitum, de rerum permu. & Archi. in cap. suggestsi 7. quæst. prima, & Abb. in cap. primo de elect. Et Ludo. in cons. 332. in vlt. colum. cum concordãt, vbi dicit quod constitutio Constantiens. de non transferendis Episcopis inuitis intelligitur, nisi subsit iusta, & rationabilis causa. Et dicit iustam, quando fit bono pacis, & ratione scandali vitandi, de quo etiam per Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum in 37. col. versic. per istam de-
25 clarationem de consti. Qui licèt loquantur in inferioribus videlicet in prælatis, ratione tamen schismatis videtur maior ratio in Papa propter vtilitatem vniuersalis Ecclesiæ 7. quæstione prima mutatione, & cap. scias, & cap. sequenti. Nec obstat quod di-
26 cit Innocen. in cap. licèt de electio. quod nullus cogitur renunciare rei in qua se credit ius habere, quia intelligitur sine causa. Facit quod dicitur, in capit. non est de sponsa. & de vo. & in regula sine culpa de reg. iur. in 6. Item aliud est congregare,

vt

vt quis simpliciter renuntiet, aliud vt dimittat vnum, & accipiat aliud, vt dicitur in dicto §. propter malitiam, Si autem Papa, vel alius Prælatus ex causa necessitatis, vel vtilitatis cogitur cedere, prouidendum est ei, vnde honestè possit statu suum sustinere. Ita dicit Card. in dicto versi. quintus modus. Quia vtilitas publica est præferenda priuatæ, & sententia multorum sententiæ vnius 7. quæstione prima cap. scias. 8. quæst. prima in scripturis, & ideò propter publicam vtilitatem potest quis, re sua priuari inuitus l. Lucius ff. de euict. Vnde, & populus potest propter maximam communem vtilitatem, & necessitatem regem deponere, vt notat. in l. non ambigitur, ff. de legibus. Istam etiam partem tenere videtur Mathesi. in dictis additionibus ad trac. Anto. de Butrio.

27 Et pro eadem parte faciunt quæ dicuntur in capit. si fortè dist. 63. vbi duobus in discordia electis ad Episcopatum is metropolitani iudicio alteri præferendus est, qui maioribus iuuatur studijs, & meritis, ita tamen vt nullis detur inuitis, & non petentibus, nec plebs inuita Episcopum non optatum contemnat, aut odiat. Et gl. ibi dicit quod si timetur scandalum vtriusque electio cassatur, vt 78. distinct. capitulo si duo. Vnde propter scandalum vitandum, & ne inuitis detur, Episcopus priuatur suo iure, quod ei fuerat ex electione quæsitum. Ad quod facit quod dicitur in cap. considerauimus de elect. in glo. fin. & ibi Docto. quod propter scandalum vitandum potest licitè fieri prohibitio, ne quis eligatur in certa Ecclesia, licèt ipse in nullo deliquerit. Sic videtur dicendum in proposito ad vitandum scandalum, & ne remaneat Pontifex à plebe contemptibilis, & odibilis. Item confirmatur per illud 3. Reg. 4. & quod habetur in cap. afferte de præsumpt. vbi illa mulier maluit filium proprium dari aduersariæ, quàm diuidi. Sic in proposito Papa debet potiùs cedere,
28 quàm permittere, quod Populus Christianus remaneat scissus, & diuisus. Item omnis Christi actio nostra est instructio, filius autem Dei omnipotentis, cuius Papa est Vicarius in terris, pro humani generis redemptione serui formam accipiens se vsq; ad mortem exinaniuit, vt schisma quod ex inobedientia Protoplasti fuerat exortum inter Deum, & homines aboleret multò magis igitur Papa pro salute periclitantium animarum ratione schismatis debet posse compelli cedere papatui. Item faciunt omnia illa quæ fuerunt supra adducta in quinto modo tollendi schismatis. Et istam etiam tenuit Gerson in trac. schismatis in princ. in versic. nono notetur, & maximè vbi fuisset iuratum. Sed idem etiam est secluso iuramento, vbi per cessionem ha-
29 betur vnio Ecclesiæ, & non potest humanitus prouideri, & nisi fiat cessio sequitur malum mortiferum animarum. Ad idem facit quod dicitur in cap. 1. ibi glo. 8. qu. prima, & Alex. ibi. vbi Clemens, qui fuerat electus successor per Petrum cessit vt euitaretur scandalū, quod posset oriri si Pontificatus obtineretur per successionem. Tamen Augu. de Anco. in quarta quæst. per plures articulos ostendit quod Papa possit cèdere Papatui, & idem Archidiac. Florent.
30 in tertia parte summæ titulo vigesimotertio capitulo quinto §. quarto. Sed non dicunt, quod possit cogi ad cedendum. Sed de hoc, quod possit si velit cedere habemus tex. in dicto capitulo primo, de renuntiatio in 6. Quod & ponit Ioan. Andrea, ibi per plura motiua, quibus vt dicit, ibi Domin. cum difficultate respondetur.

31 Sed in contrarium, quod Papa etiam vigente schismate non possit cogi ad cedendum, ponit Ægid. multùm latè per plures tract. plurium clarissimorum Doctorum in consil. 99. Et idem etiam tenuit Bald. in cap. pastoralis, de rescript. & Ægi. in cap. in fidei, de hær. in sexto. Pro qua parte facit, quod Papa non potest ex vlla causa, vel crimine deijci, nisi cùm est à fide deuius, vt sæpius allegato capitulo si Papa dist. 40. Licèt enim electionem summi Pontificis Deus commiserit clericis, & religiosis, deiectionem tamen suo dumtaxat arbitrio reseruauit, dist. 79. in summa, & per Hostien. in summa. §. quis possit in princ. de constit. & per Archi. in capitulo in fidei de hæreti. in sexto, & de electione capitulo licèt. Vndè pro nullo crimine quantumcumque magno deponi potest, excepta hæresi, etiam si foret Ecclesiæ inutilis, negligens, & remissus, vt dicit gl. in dicto capitulo primo de renun. in sexto. Sed quo ad id, quod dicitur de inutili, contrarium videtur tenere Archi. & refert ibi Domin. in capitulo si Papa in fi. 40. distinct. videlicet, quod si Papa efficitur inutilis potest deponi ni allegat. 15. quæst. sexta, alius, & de re iudica. capitulo ad Apostolicæ. Quæ iura loquuntur de Rege, & Imperatore, & in dicto capitulo si Papa, similiter glos. ibi loquitur de Imperatore in finalibus verbis videlicet quod pro quocumque peccato, de quo est incorrigibilis potest deponi. Et ibi addunt Archi. & Domi. nam si est inutilis deponitur, vnde loquitur in Imperatore, & non in Papa. Et de Papa contrarium est verum. Quod & tenet illa glo. in verbo insufficientem de renun. in 6. quia si propter insufficientiam posset deponi, frustra dubitaretur, an eo casu possit renuntiare, ex quo inuitus posset deponi. Et hanc partem tenuit Alexand. in d. cap. si Papa, & communiter omnes, & dictum est supra in articulo proprio, quando Papa est effectus inutilis, vel furiosus, vel est captus à piratis. Et ista insufficientia, vt dicit illa glo. potest contingere ex illiteratura, senectute, & infirmitate, in quibus casibus posset aliter prouideri per coadiutorem, vt dicitur in capitulo primo de cle. ægro. in sexto, vide, quæ dicta sunt supra in quæstione, ex quibus causis possit Concilium congregari, in dicto versicul. sed quid si Papa efficitur inutilis. Non obstat tex. in dicto capit. alius, cum concordantibus, quia illa iura loquuntur in inferiori à Papa secundùm illam gl. in dicto capitulo primo in versiculo insufficientem.

Se-

32 Secundò etiam pro ista parte, quod Papa non possit cogi ad cedendum, facit quod ex quo maximè fuit dubitatum, an Papa volens sponte cedere Papatui possit, vt patet ex dictis Ioan. And. in dicto cap. 1. & diximus supra, quod refert Augustinus de Ancona, & Archiep. Flo. propter quod emanauit ille tex. in dicto cap. 1. frustra videretur dubitandum, an posset renuntiare, ex quo propter schisma posset cogi, & ex quo in illo text. non dicitur quod aliquo casu etiam inuitus possit cogi, non videtur quod possimus ex nostro sensu hoc præsupponere.

33 Tertiò facit quod in dubio numquam potest quis cogi renuntiare iuri suo, vt patet per totum in titulo, quod metus causa, & in cap. super hoc de renunc. l. nec emere, C. de iure deliber. & in l. prima C. de Episcopali audien. l. cum de indebito, ff. de proba. cum similibus. Igitur qui vult dicere quod Papa potest compelli ad resignandum papatum, ostendat iura hoc dicentia l. ab ea parte ff. de probat. Faciunt, quæ dicunrur in l. prima, C. ad l. Corneliam de Sicarijs, & quæ dicuntur in l. ancillæ. C. de fur.

34 Quartò facit, quod ex quo Papa est maior Concilio, vt infra dicetur capitulo significasti, de electio, quia Concilium sine eius auctoritate non consistit, capitulo nec licuit, capitulo regula, capitulo multis, cum alijs decimaseptima distinctione, in tantum quod etiam in ijs, quę ad articulos fidei spectant dicitur esse supra Concilium glossa decimaquinta distinctione capitulo sicut, cùm & ipse solus generalia Concilia interpretetur, & abroget. dicto capitulo, nec licuit, & ibi notatur, & 9. quæstione tertia nemo vbi dicitur standum esse sententiæ Papæ etiam si totus mundus sentiret contrarium facit text. in capitulo statutum de rescrip. in 6. & capit statutum de rescript. in 6. & capitulo constitutionem, & capitulo statutum de sen. excommun. eodem libro, & Clem. ne Romani §. sanè, & Ioan. Andr. in dicto capitulo significasti, non ligatur constitutionibus conciliaribus. Item si de hoc esset constitutio Pontificalis non ligaret successorem l. digna vox C. de ll. sicut nec seipsum ligare potest l. si quis in principio ff. de lega. 3. Nec ligatur decretis sanctorum Patrum, cum ipse eamdem potestatem habeat, quam habuit Petrus Apostolorum Princeps. Vnde & contra præcepta Apostoli dispensat, vt notatur per Hostien. in summa de constit. §. quis possit, & de resti. spoliat. literas facit, quod dicatur in capitulo de libellis 20. distinctione. Vnde non videtur, quod possit alicuius constitutionis auctoritate cogi ad cedendum. Facit quod dicitur 12. quæstio secunda capitulo non liceat, & per Ioan. Andr. in capitulo, cùm ad monasterium de sta. mona. Quinimò non est superior, qui possit eum cogere, neque enim ab Augusto, neque ab omni clero, neque à cuncto populo iudicabitur, vt in capitulo nemo 9. quæstione tertia, & in capitulo cuncta per mundum, & in capitulo per principalem eadem causa, & quæstione nisi in causa hæresis, vt dictum est dict. capit. si Papa, vel nisi se submittat, vt in capit. nos si incompetenter 2. quæst. 7. Sed de hoc dic, vt dictum est in propria quæstione. Item

35 facit, quod si esset verum Papam posse cogi ad cedendum, possent sequi magna magna mala, quia si vero Papæ daretur contradictor apostaticus de facto, posset ex hoc verus Papa cogi ad cedendum, vt schisma tolleretur, & sic esset dare, vel aperire viam fraudibus contra notata in cap. ex tenore cùm vulga. de rescrip. facit, quod dicitur in l. penul. ff. de consti. princ. Item pro hoc facit, quod licèt multa fuerint schismata in Ecclesia, numquam legitur aliquod sedatum per coactionem cedendi.

36 Quid dicendum? Si loquimur in casu, in quo verus Papa fouet schisma cum schismatico, nec requisitus vult prouidere, & maximè vbi, essemus in schismate inueterato, isto casu, ex quo tenet Ecclesiam in scissura, quia requisitus gaudet tenendo Ecclesiam scissam, & non vult dare ordinem, quod sedetur, videtur tale schisma sapere hæresim, ex qua potest deponi vt supra dictum est. Et si potest deponi, multò magis poterit cogi ad eijcendum. Vbi verò esset schisma, quod non videretur imputandum alteri ex contendentibus de papatu, vt puta si ille, qui est verus Papa offerret se paratum ad sedandum schisma, & alter detrectaret omnes alios modos, per quos posset schisma sedari, & malitiosè dicere se paratum cedere, modò alter cedat, & ille, qui nollet cedere esset verus Papa, & amplecteretur omnes alios modos pro vnione facienda, & esset periculum si cederet, ne intrusus remaneret in Papatu propter eius potentiam, si tunc nollet cedere, ille, qui est verus Papa, crederem per rationes supra pro ista parte adductas, quod non posset cogi, ex quo ipse est verus Papa, cedere papatui, nam iura sonant, quod ille, quem constat esse intrusum debet eijci omni conatu, vt in capitulo si quis pecunia 79. distinctione, vbi patet, quod propter alicuius impressionem non debet dimitti quò minùs verus Papa administret Pontificatum. Sicut etiam fuit factum tempore Symmachi, qui contendebat cum Laurentio, quia fuit cognitum per Concilium de eius iure, vt patet in dicto §. hinc etiam 17. distinctione, & non fuit coactus cedere. Et si dicatur, quod si alius schismaticus est in sua potentia, & non potest eijci, nec sententia imponeret finem schismate inter Nouatianum, & Cornelium, vt refert Card. de Turrecre. in 1. par. lib. quarto capitulo 13. dicit. Quid ergo quia honorem cathedræ Sacerdotalis Nouatianus vsurpat, numquid idcirco nos cathedrę renūciare debemus? & quia Nouatianus altare collocare, & sacrificia offerre contra fas nititur, ab altari, & sacrificijs cessare nos oportet, ne paria, & similia cum illo celebrare videamur, vanum prorsus, & stultum est, vt quia Nouatianus extra Ecclesiam vendicat sibi veritatis imaginem, Ecclesia relinquat veritatem,

tem. Sic ergo nec scandalum debet esse causa deserendæ veritatis, vt in regula, qui scandalizauerit de regu. iuris, cum materia. Nec propter malitiam eorum, qui scandala concitant sunt dimittenda temporalia, quia hoc noceret bono communi, vt dicit S. Thom. in secunda secundæ. q. 43. artic. vltim. ergo multò minus quis potest compelli cedere dignitati. Vnde ait tex. 7. quæstione prima quàm periculosum sit in rebus diuinis, vt quis cedat iuri suo, & potestati, scriptura sacra declarat, &c. Si autem loquimur in casu, quo existente schismate in Ecclesia plures assumerentur ad Pontificatum in diuersis obedientijs, sicut fuit tempore Gregorij XII. & Benedicti XIII. & quo ante assumptionem ad Pontificatum quilibet iurasset, & vouisset in conclaui si opus foret pro vnione Ecclesiæ, & omnium obedientiarum, & tollendo schismate cedere, credo salua veritate & determinatione Ecclesiæ, quod quilibet posset compelli ad cedendum. Ratio est quia nullus potest dici verus Papa, tum propter dubium, tum quia sunt nutritores schismatis, & hæretici. Et ita intelligo illos, qui tempore illius schismatis consuluerunt quod possent compelli, quod, & videtur voluisse Antonius de Butrio in capitulo primo de consti. Et isto vno modo teneri potest quod Papa, qui iurauit, & vouit aliquid tempore assumptionis, tenetur illud obseruare, & potest astringi ad obseruandum, videlicet quando est iuratum pro sedando schismate, & obseruantia iuramenti habet sedare schisma, de quo, scilicet quando Papa teneatur obseruare capitula conclauis, quæ iurauit, & vouit, dictum est supra latiùs. Et nonnulli ex illis, qui tenuerunt, quod Benedictus non tenebatur obseruare iuramentum, nec poterat cogi ad cedendum, vt euitarent obseruationem iuramenti, & promissionis fundabant se in schedula conclauis, dicentes eam conditionatam, & non necessariò astringentem ad cedendum, vt potest videri latè in dicto cons. 99. ipsius Ægi. & in dicto capit. primo de iniur. in 6. & in dicto capit. in fidei de hære. eod. lib. Et ex his patet, quod si verus Papa non potest cogi ad cedendũ papatui pro sedando schismate, vbi ipse non est in culpa, nec detrectat illud sedare per omnem viam possibilem, multò minus poterit in casu, quo est vnus verus Papa, & nullum schisma, pro quocumque magno scandalo cogi ad cedendum, quia vt dicit veritas Matth. 18. væ homini illi, per quem scandalum venit, & paulò ante, expedit ei suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, vnde non debet scan-

37 dalum imputari vero Papæ. Non obstat quod dicitur, quod propter vitandum scandalum Episcopus debet cedere dato æquali cambio, vt in dicto capitulo nisi cum pridem §. pro graui. Quia vt dictum est loquitur in inferioribus Prælatis à Papa, quibus potest compensari de melioribus Ecclesijs. Nec est verum, quod ratio-

38 ne maioris vtilitatis, & grauitatis causæ debeat habere locum in Papa, tum quia in papatu non est dare cambium, tum quia in papa subest ratio in contrarium propter perniciosum exemplum, quod sequi potest, quia parabitur via, qua Romanus Pontifex inuitus ex confictis causis compellatur cedere. Confingetur enim aliqua hæresis in eum, vel minùs canonica electio opponetur, sicque erigetur apostaticus aliquis, qui tandem inducetur ad cedendum, vt verus Papa cedere cogatur. Pro-

39 inde Archi. in capitulo quàm periculosum 8. quæstione prima, dicit quod vbi cessio tangit solùm personam cedentis, quilibet potest iuri suo renunciare, vt in capitulo ad apostolicam, & capitulo statuimus de regula, & 2. quæstione quarta mandastis, sed vbi cessio tangit non solùm personam cedentis, sed etiam alios, tunc non potest nisi ex iusta causa, & superiore ratum habente: Facit quod dicitur in capitulo si diligenti, & in cap. significasti de foro compet. & in l. ius publicum. ff. de pac. Potest, & alio modo responderi ad d. §. pro graui, quod ibi non dicitur, quod compellatur, sed quod licet Episcopo petere cessionem. Et licèt §. præcedens videlicèt §. propter malitiam, videatur velle quod potest cogi, non tamen dicit, quod cogatur cedere, sed quod propter plebis maliciam cogitur ab ipsius regimine declinare, vnde potest plebem per alium regere. Facit 7. quæst. prima capit. aduersitas §. hoc tunc, & capit. fin. eadem causa, & quæst. Non obstat. cap. si forte 63. distinc.

40 potest enim responderi, vt supra, quod loquitur in inferioribus à Papa. Item quod loquitur de electo non confirmato, nos autem in vero Papa, & possessore, clarum est autem, quod faciliùs impeditur promouendus, quàm iam promotus capitulo accedens de accusat cap. inter dilectos de excess. Prælat. Facit quod dicitur in capit. quemadmodum de iureiur. Ad illud, quod

41 dicitur Ioann. 10. quod bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis, respondetur quod illud est verum non cedendo, sed pugnando pro ouibus suis, quia pastor, qui videt lupum venientem, & relinquit oues, est arguendus, vt in capitulo aduersitas 7. quæstione prima & 8. quæstione prima sunt in Ecclesia, & in dicto capit. nisi cùm pridem in §. propter malitiam Item Christus pro salute ouium suarum, scilicet humani generis, licèt se humiliauerit, vsque ad mortem, non tamen cessit dignitati suæ. Item Christus pro salute humani generis se humiliauit vsque ad mortem suâ spontè, & voluntate, & non coactus, vnde dicitur Isaiæ capitulo 53. oblatus enim est, quia ipse voluit. Vnde posito, quod ex hoc posset sumi exemplum, quod Papa posset si vellet cedere, non tamen sumitur, quod debeat cogi. Ad illud Salomonis afferte gladium &c. respõdetur quod mulier illa nõ coacta, sed spontè petijt proprium filium dari alteri mulieri, & non diuidi, cùm videret filij di-

42 uisionem imminere. Non obstat quod dictum est supra in 5. modo quod error, cui non resistitur approbatur, quia non dicitur, quod quis compellatur cedere iuri suo. Quinimmò secundùm Sanctum Thom.

Thom. in 2.2. quæſt.43.art.7.& 8.quis non tenetur dimittere bona ſpiritualia, immò nec temporalia propter aliquorum ſcandalum, quia dicitur ſcandalum Phariſæorum, quod eſt contemnendum, vt docet nos veritas Matth. 15. Item patet exemplo ſancti Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui non obſtante ſcandalo Regis Angliæ perſtitit in repetitione rerum Eccleſiæ. Et præmiſſa intelligo de ſcandalo paſſiuo non de ſcandalo actiuo, quia nihil eſt cum ſcandalo actiuo faciendum, dicit text. in cap.nihil de præſcript. & ſanctus Thom. in dicto 7. art. in reſponſione ad primum ar-
43 gumentum. Quid autem ſit ſcandalum, & vtrùm ſit peccatum, & quibus competat, & quæ ſint dimittenda propter ſcandalum, vide ſanctum Thom. in 4. ſentent. diſtinct. 38.quæſt.2. & Ioann.Andr.in dicto cap.niſi in penult. & ante penult. colum. de renunc. & alios ibi, Nic.de Lira Matth.17. circa fin. in verbo liberi, & Doct.poſt gloſ. in cap.qui ſcandalizauerit de regul. iur. in antiq. & in cap.ſanè de temp.ord.

Quid autem ſi Papa nihil fecit propter quod poſſet deponi, tamen ſi renuntiaret extingueret maximum ſcandalum, vtrùm debeat renuntiare? Allegatur immò in cap. niſi cum pridem in 16.colum. de renuntiat. quem non habeo in dicto cap.niſi,ſed quid ſit reſpondendum, ex dictis Doctorum ibi, & ex ſupradictis, ſatis patet.

SVMMARIVM.

1 *Duobus contendentibus de Papatu quo tempore multi hinc inde proceſſus fabricati ſunt, & multæ priuationes ſequutæ.*
Omnia reſeruantur ſucceſſori, & num.2.
Et quid de duobus contendentibus de imperio, num.3.
4 *Geſta per Papam intruſum, qui conniuentibus oculis fuit toleratus, an valebunt.*

ARTICVLVS IV.

1 SEd pone quod duobus contendentibus de Papatu fiant ab eis diuerſi proceſſus, & priuationes, & quod deinde ſedato ſchiſmate confirmentur geſta eorum, ſicut fuit factum in Concilio Conſtantienſi de geſtis per Gregorium XII. quid faciendum erit de dignitatibus ademptis vigore taliũ priuationum, ad hoc eſt bonum conſilium Dominici de ſancto Gemin. 88. incipit Innocentius Papa. Et vide Matheſil. in additionibus ad tract. D.Anton. de Butr. in penult. char. vbi omnia videtur reſeruare determinationi ſucceſſoris in Pontificatu.

2 Sed quid ſi alter ex ſchiſmaticis contendentibus de Papatu, in ſua obedientia priuat vnum Prælatum ſua Eccleſia, vel aliqua commenda, quia defecit ab eo, & prouidet alteri, vtrùm valeat priuatio, & vtrùm geſta per talem in ſua obedientia teneant. Vide Domin. loquentem de Gregorio, tempore, quo erat Caietæ & Caieta erat ſub eius obedientia, & vide eum in conſil. 8. incipit ſuper præmiſſorum, qui concludit ibi, quod ſic.

3 Sed quia dixi de duobus contendentibus de Papatu,quæro quid de duobus contendentibus de imperio, vt quia duo ſunt ſimul electi Imperatores, & contendunt de imperio, & vterque dat priuilegia, & gerit ſe pro Imperatore, vtrùm valeant. De hoc ponit Ioann. Andr. in addit. ad Spec. de reſcr.præſen.in §.fin. & Bald.in procem. decretal. & Card.in Clem.1. in § porrò, de iureiur. & latè Alber. in l. benè à Zenone, C. de quadrien. præſcript. & vide Oldrad. conſ.12. & 23.

4 Quid autem ſi tempore ſchiſmatis vnus ex ijs, qui ſe gerunt pro vero Pontifice in ſua obedientia priuet aliquem Cardinalem Abbatia, & alteri conferat, & cauſa deſuper committatur ad inſtantiam Cardinalis contra prouiſum in generali Concilio, & poſtea Concilium velit eſſe valida geſta omnia per ipſum Pontificem pro ſedando ſchiſmate, vtrùm Cardinalis poterit recuperare Abbatiam. Vide Domin. in conſ. 8. incipit quidam, vbi concludit, quod non. Item vtrùm geſta per Papam intruſum valebunt, ſi conniuentibus oculis fuit toleratus, Bald. in cap.nihil de electione, dicit, quod non; pro quo eſt text. in cap.ſi quis pecunia, 79.diſt.

SVMMARIVM.

1 *Papa caſu quo cogitur cedere Papatui pro vnitate Eccleſiæ, an hoc poterit facere per procuratorem, & num 2.*
Immò etiam ſub conditione, num.3.
4 *Reuocatio procuratoris quando valeat.*
5 *Papa licèt non recognoſcat Concilium pro ſuperiore, tamen eius procurator cedet coram Concilio, non vt Concilium admittat ceſſionem, ſed vt illi conſtet de voluntate reſignantis.*

ARTICVLVS V.

1 SEd quia dicitur, quod Papa debet pro vnione Eccleſiæ renunciare Papatui, an facere poterit procuratorem. Et dicendum eſt, quod ſic per text. in dicto cap.1. de renunciat. in 6. qui text. abſolutè dicit Papam poſſe renuntiare, & regula eſt, quod poteſt quatenus per alium quod poteſt facere per ſeipſum in regula poteſt de reg.iur.in 6. Sicut & in matrimonio carnali, vt in cap.fin.de procur. in 6. Nec hoc, ſcilicet quod Papa reſignet per procuratorem Pontificali, aut alteri cuilibet dignitati, vel beneficio, reperitur prohibitum. Nec poteſt aſſignari ratio, cur Papa hoc minùs poſſit, quàm alij. Et poterit Papa
2 vnum, vel plures procuratores conſtituere in ſolidum, vel coniunctim, & clericum, vel laicum, de procurat. cap.1. in 6. & notat gloſſa in Clement.cùm illuſio de renunciat. Immò maximè videtur procedere in Papa, qui iuri poſitiuo non ſubijcitur, de conceſſ. præben. cap. propoſuit. Poterit inſuper procuratorem abſentem, vel præſentem, ſimpliciter, vel ſub conditione, & vſ-

& vsque ad diem, & in perpetuum constituere, ff. de procur. l. 1. & l. item, cum l. sequenti, instit. mandati, §. mandatum, & l. 1. ff. mandati. Et ita fuit seruatum in Concilio Constantien. vbi Gregorius XII. cessit Papatui per procuratorem, videlicet Carolum Malatestam, in 14. sessione. Et illud, quod de conditione dicitur, multas
3 amputauit dubitationes tempore eiusdem Gregorij. Nam si Papa constituat procuratorem ad sponte cedendum sub conditione, quatenus alius tunc existens Antipapa, vel alij Antipapæ simili modo sponte, & libere cedant per se, vel procuratorem idoneum, timeri non poterit de fraude, vel violentia quicumque constituatur procurator, etiam si vnus ex contendentibus per alium, cum hac conditione fieret procurator, quia si fieret cessio contra formam mandati, omninò nihil valeret, vt de rescript. capit. cùm dilecta de offic. delegat. cap. cum olim, Abbas, Cod. de procur. l. si procurator, & l. diligenter, ff. mandati, & de restitut. spoliat. cap. Pisanis, cum simil. & tenent Doct. in dicta Clement. 1. in glos. in verbo libere de renunciat. Nec obstat si
4 dicatur, quod alter posset decipere alium si post reuocaret procuratorem suum, & hoc celaret, quia non valeret in præiudicium alterius, vt notatur l. 1. in glos. ff. de contrahen. empt. & Bald. in l. mandatum, C. mandati, & dicitur in dicta Clement. 1. & cap. ex parte Decani de rescript. & Ioan. Andr. in cap. quoniam Abbas, de offic. delegat. vide quæ dicuntur in cap. quamuis de procur. in 6. Et maximè in extraiudicialibus, vt ponit Milis in verbo procuratoris mandatum. Sed de remedijs ad euitandum suspicionem deceptionis, latè infra in quæstione, sed quia dictum est. Item
5 non obstat si dicatur, quod Papa, ex quo non habet superiorem, non habet renunciare in manibus alterius, vt dicit Ioann. Andr. & alij post eum in cap. 1. de renunc. in 6. per verbum libere ibi positum, nec in manibus Cardinalium, nec in manibus Concilij. Quia respondetur, quod si loquimur in sedando schismate tunc Concilium est iudex: & coram Concilio procurator cedet, & valebit cessio, non vt Concilium admittat talem cessionem, sed vt constet Concilio de expressione, & declaratione voluntatis resignantis, & Cardinales poterunt procedere ad alterius electionem. Et hoc probatur in dicto cap. 1. & idem si fieret cessio coram Cardinalibus, vt ibi.

SVMMARIVM.

1 *Procurator constitutus ad renunciandum si reuocetur, nec intimetur his, cum quibus habet agere, & renunciet, an valebit renunciatio.*
Quid in inferioribus, & quid in Papa. ibid.

ARTICVLVS VI.

1 Sed quid si Papa constituat procuratorem ad renunciandum, deinde ipsum reuocet, nec de reuocatione ipsum certificet, aut illos cum quibus habet renunciare, deinde procurator renunciat, an renunciatio valebit? In inferioribus à Papa clarum est, quod valebit per text. in dicta Clement. cùm illusio, de renunc. Sed in Papa aliud videtur, quia non ligatur iure positiuo, cap. proposuit, de concess. præbend. quod notat. Et hoc est verum indubiè in vno indubitato Papa papatus possessore, sed in duobus nutrientibus schisma aliter tenerem per dicta supra, quia in nutrientibus schisma non est dare verum Papam, qui dicatur esse supra ius.

SVMMARIVM.

1 *Papa si post renunciationem, quando agitur per Cardinalem de electione Papæ dicat se non renunciasse, quid agendum.*
2 *Renunciatio aut est notoria, aut non.*
Et hoc casu cognitio esset Concilij, & congregaretur per Clerum, vel populum Romanum, num. 3.

ARTICVLVS VII.

1 Sed quid si Papa post renunciationem, dum Cardinales procedunt ad alterius electionem neget se cessisse, quid agendum?
2 Dic quod si cessio est notoria, nihil ei prodesset, nec faceret rem dubiam, vt ponit Ioann. de Imola, & Domin. in dicto cap. 1. de renunc. in 6. per notata per Innocent. in cap. ex parte, il 1. de verbor. significat. Ad quod facit quod ponit Ioann. Andr. in cap. vbi periculum, in verbo, decem diebus, de electione, in 6. Si autem cessio non esset notoria, dicit Ioann. Andr. in dicto cap. 1. non esse verisimile quod Deus permittat talem casum euenire. Et si contin-
3 geret, dicit, quod iudicium esset Concilij, & quod esset congregandum per Clerum, & populum Romanum 65. distinct. capit. si fortè. Domin. autem dicit, quod esset standum Concilio generali, sed non dicit per quem congregaretur. De quo dic, vt dictum est supra in quæstione propria, & vide quod dicitur in cap. licèt, de elect.

SVMMARIVM.

1 *Papa mortuo in alia Ciuitate, quàm vbi erat residentia, Cardinales ibi debent conuenire pro noua electione.*
Numquid sit idem si fiat renunciatio per procuratorem, an sit facienda electio, vbi est facta renunciatio. ibid.
2 *Mors ciuilis, & naturalis æquiparantur quotiescumque producunt eumdem effectum.*
3 *Glossa penult. in cap. susceptum, de rescript. in 6. quæ dicit, quod mors ciuilis numquam æquiparatur morti naturali, & econ-*

ècontra nisi in casibus à iure expressis declaratur.

4 *Beneficium ibi dicitur vacare, vbi quis illud cedit, siue vbi quis priuatur.*

ARTICVLVS VIII.

1 Consequenter ad prædicta quæro quid si Papa existente in vna Ciuitate cum sua curia fiat renuntiatio in alia Ciuitate per procuratorem, vbi debebit fieri electio successoris, an in loco vbi est facta cessio. Nam si moritur Papa in alia ciuitate, quàm vbi Curia residebat, ibi fieri debet electio, cap. vbi periculum, §. porrò, de elect. in 6. & in Clement. ne Romani in gl. eod. tit. constat autem quod vbi est facta cessio per procuratorem, ibi vacat Ecclesia, & non in loco, vbi moratur ille, cuius nomine facta est cessio per procuratorem, vt est glos. 1. in Clement. 1. vt lite pend. in verbo collatio, & notat Archid. in cap. 2. de præben. in 6. Per cessionem enim fingitur quodammodo mortuus quoad illam dignitatem, 7. quæst. 1. §. Ecce in quibus.
2 Æquiparantur enim mors ciuilis, & naturalis quandocumque eumdem effectum producunt mors naturalis, & ciuilis, vt dicit Bartol. in l. ex ea parte, §. penult. ff. de verbor. oblig. Et pro hac parte vide expressè glos. in Clement. ne Romani in vers. moriente, de election. Facit quod dicitur per Card. in Clement. fin. in 14. quæsito, de procur. & Ludou. consil. 374. & decis. 376. in nouis in tit. de procur. incipit, item fuit dubitatum vtrùm Clementina. Sed in contrarium apertè videtur, quod notatur in
3 cap. susceptum, de rescript. in 6. in glossa penultima, vbi dicitur, quod mors ciuilis numquam æquiparatur naturali, nisi in casibus à iure expressis, & sic dispositio, cap. vbi periculum non debet habere locum in morte ciuili. Et propter ea vtile esset, quod per ipsos contendentes de Papatu ante cessionem hoc terminaretur ad tollendum omne dubium. Sed si hoc non esset factum, omninò crederem vacationem inductam in loco, in quo renuntiatio esset facta per procuratorem. Et ita fuit in Gregorio XII. cuius procurator cessit in Concilio, & Concilium, admisit cessio-
4 nem. Ad quod facit etiam, quod ibi vacat beneficium vbi fit depositio, siue vbi quis priuatur, & non in loco beneficij, vel vbi persona moratur, vt est decis. in antiq. in tit. de præben. incipit nota. Et sic fuit etiam in eodem Concilio Constantien. seruatum, in quo fuit priuatus Ioannes XXIII. & Gregorius per procuratorem cessit, & deinde Martinus in Papam electus est. Non obstat quod dicitur in dicto capitulo susceptum, quia illud est verum, nisi sit eadem ratio de vno casu & alio, vt dicit dicta decisio, item fuit dubitatum vtrùm Clem. in tit. de procur. in nouis, & dicitur in dicto cap. susceptum.

SVMMARIVM.

1 *Electionis faciendæ post renunciationem plurium contendentium de Papatu modus.*

2 *Cardinalibus in electione Papæ nulla opponitur exceptio ad eos excludendum ab electione.*

3 *Inhabilis admissus ad electionem Pontificis non vitiat electionem.*

ARTICVLVS IX.

1 Sed tunc quæro qualiter post renunciationem contendentium de Papatu, fieri debet electio? Dic, quod ipsimet antè cessionem habilitare poterunt, & dare voces in electione futuri Pontificis illis, qui prætendunt se Cardinales in alijs obedientijs, & illi cum protestatione poterunt admittere hanc habilitationem, & tunc eligetur alter ex contendentibus, vel alius tertius per vtrumque Collegium Cardinalium, secundùm Cardin. in dicto cap. licèt, verbo quartus modus. Vbi plùs dicit,
2 quod ex quo vterque habetur pro Papa vtrumque Collegium habet ius in electione, maximè quia in electione Papæ non admittuntur exceptiones contra Cardinales ad excludendum eos ab electione, quæ tamen admittuntur in alijs casibus, vt in Clement. ne Romani, & hoc ad sedandum schisma, & vt celeriùs prouideatur de fu-
3 turo Pontifice vero. Et per admissionem inhabilis in electionem Pontificis, non vitiatur electio, vt in dicta Clement. ne Romani, maximè si fiat cum protestatione, argum. cap. cùm Ecclesia Sutrina, de causa possess. & propriet.

SVMMARIVM.

1 *Papa constituens Procuratorem ad renunciandum, numquid possit astringi ad illum non reuocandum.*

At an possit astringi ad iurandum.

Et an tenebitur illud iuramentum seruare, ex quo potest, sine interitu salutis æternæ, ibid.

2 *Actus factus contra iuramentum an valeat, remissiuè.*

ARTICVLVS X.

1 Sed vtrùm poterit sic astringi in constitutione Procuratoris, vt non possit illum reuocare? Bartol. in alijs, quàm in Papa loquendo, dicit, quod non, in leg. cùm precario, ff. de precar. quia hoc pendet à voluntate constituentis, sicut dicimus in testamento. Nàm facere non possumus, quin nobis liceat voluntatem nostram mutare, vt in leg. si quis, in principio testamenti, ff. de legat. tertiò. Posset tamen astringi iuramento, quod non reuocaret, & astringeretur ad obseruandum iuramentum, quia valet tale iuramentum, ex quo potest seruari sine interitu salutis æternæ. Et ità dicit Ioan. Andr. in regula, quod semèl,

semel, de regul. iur. in 6. in Mercur. in testamentis, quod si aliquis facit testamentum, & iurat se illud non reuocaturum, tale iuramentum valet; sed si non obstante iuramento reuocet, valet reuocatio, sed est periurus. Et ità videtur in proposito per ea, quæ dicuntur in dicta Clement. 1. de renunciat. & est bona gloss. in cap. vltima voluntas, 13. quæst. 2. Et est videnda illa
2 materia, de qua in cap. dilecto, de præben. an, & quando actus factus contra iuramentum teneat, quæ est materia brocardica.

SVMMARIVM.

1 *Cedens Papatui per Procuratorem quomodo sibi prospicere possit, ne per alium cedere debentem decipiatur.*
Vide plures formas renunciandi vsque ad num. 3. per totum.
2 *Saluo-conductui inimici, quis non tenetur credere.*
3 *Renunciatio conditionalis an possit reuocari, antequam purificetur conditio.*
4 *Schismata quæ, & quot fuerint in Ecclesia Dei, remissiuè.*
5 *Papa accusatus de apostasia, & conuictus an possit deponi, remissiuè.*
Et de qua apostasia intelligendum, ibid.
6 *Papa accusatus, & conuictus, quod sit mulier deponitur per Concilium.*
In mulierem non cadunt claues Ecclesiæ, ibid.
Item non cadit iudicium, quod est officium virile, & non posset seipsam suo se ore iudicare, ibid.
7 *Papa infante electo, diceretur fatua electio, nisi à Spiritu sancto procederet.*

ARTICVLVS XI.

1 SEd quia dictum est, quod volens cedere Papatui potest cedere per Procuratorem, quid agendum est, vt in cessione facienda vitetur omnis deceptio, & in primis ne si vnus priùs resignat, alius dicat posteà se nolle resignare? Dicit Mathesill. in dicto tract. in versic. ad octauum, quod possunt conuenire in vnum locum, qui sit communis, vel neutralis amici, habitis literis salui-conductus, vel obsidibus competentibus, & quia cum agatur de se humiliando, siue de resignando hinc indè Papatu, & non de ipso acquirendo, non videtur habenda tanta suspicio, & videtur cessare,
2 quod dicitur in capit. accedens, vt lite non contest. quod non tenetur quis se credere saluo-conductui inimici. Et ipsis conuenientibus poterit res expediri Primò si ad interrogationem tertij, an ambo renuncient prætenso iuri ambo respondeant ità, hoc enim sufficeret, leg. 1. §. si quis ità, ff. de verborum obligat. & instit. de duobus reis, §. 1. Item possent ambo simùl respondere scripto, leg. 1. §. fin. & leg. seq. ff. de pact. Item posset vnus primò incipere, & renunciare conditionaliter, dicendo si talis ex aduerso renunciabit Papatui, ego renuncio, vel è cōtra. Nec obstat si dicatur, quod
3 renunciatio conditionalis posset reuocari antequam purificaretur conditio. Respondetur enim, quod hoc periculum cessaret, si ambo eodem momento, & in eodem loco, vel modico temporis interuallo renunciarent, sic quod essent tam propinqui, quod non posset vnus cum alio loqui, quin alius ex aduerso intelligeret. Item si renunciatio fieret in diuersis locis eiusdem Ciuitatis, posset renuncians remanere in conditione de præterito, dicendo si talis renunciauit Papatui purè, vel sub conditione, si ego renunciabo iuri, quod habeo in Papatum, nec reuocauerit talem suam renunciationem, ego renuncio. Si enim reperiretur ista conditio de præterito falsa, secunda renunciatio haberetur pro non facta, leg. cùm ad præsens, ff. si certum pet. & leg. cùm in secundo, ff. de iniusto testam. Item ad maiorem cautelam is, qui prior renunciauit poterit renunciare sub conditione de præterito, scilicet si alter renunciauit iuri suo. Nec obstat si dicatur, quod hìc potest esse periculum, ne exprimens verba apta ad renunciandum nō habeat animum ad renunciandum. Quia respondetur, quod similiter huic periculo potest de facili prouideri, scilicet, quod secundus renunciet sub conditione de præterito, si alter renunciauit, nec reuocat dictam suam renunciationem, & si talis renunciatio fuit vera, & non simulata, nec vlla præcessit protestatio contraria. Item posset in renunciatione conditionali, vel pura renuncians expresse vti his verbis, reuocando omnem protestationem sub quacumque verborum forma, si quam aliquo tempore propinquo, vel remoto appareret me fecisse, per quam animus renunciandi abesse videretur, & præsens renunciatio impediretur, leg. si quis in principio testamenti, ff. de legat. tertiò, leg. pacta nouissima, C. de pact. Similiter etiam via cessionis esset plana, si fieret per Procuratorem ab vtroque constitutum, vel si vnus faceret per se, & alter per Procuratorem. Nàm per conditiones de præterito tolli possent omnia pericula, quia si postquam vnus renunciasset timeret, ne Procurator esset reuocatus, vteretur hac forma verborum, si talis Procurator non est reuocatus, & habet sufficiens mandatum ad renunciandum, &c. vt dicta leg. cùm ad præsens. ff. si certum pet. Ità dicit Mathesill. de quo etiam aliquid supra in quæstione, quæ incipit, sed quia dicitur, quod Papa.

Quæ autem, & quot fuerint schismata
4 in Ecclesia Dei, vide omnia connumerata per Card. de Turrecremata in prima parte lib. 4. de Ecclesia cap. 9. & per Gerson. in tract. schismatis, in quæstione, quot fuerunt schismata in Veteri, & Nouo Testamento.

Verùm autem Papa accusatus de apo-
5 stasia possit per Concilium deponi postquam est conuictus, dic quod loquendo de apostasia, quæ propriè cadit in Papam, videlicet de apostasia perfidiæ, vt secunda quæstione septima, capitulo non potest, & 17. dist. cap. Anastasius, de ista est dicendum per omnia, sicut dictum est supra in casu hæresis.

Quid antem si reperiatur, quod est mu-
6 lier, & accusatus est, & conuictus, credo, quod poterit per Concilium deponi. Tùm quia in mulierem non cadunt claues Ecclesiæ, vt in cap. noua, de pœnit. & remiss. nec cadit in eam ius habendi, seu possidendi Pontificatum, vt dicitur in capit. licèt, de elect. Tùm etiam, quia non cadit in eam officium iudicandi, quod est officium virile, 3. quæst. 7. §. tria, leg. secunda, ff. de regul. iur. dicitur in capit. dilecti, de arbitr. vndè non poterit in se Papam sententiam ferre, nec suo ore seipsam iudicare. Et cessat, quod dicitur in capit. nunc autem distin. 21. Item ratione scandali in vniuersali Ecclesia, de quo dicendum est vt infrà in proxima quæstione. Ideò poterit per Concilium damnari, & amoueri, & declarari non fuisse capax Pontificatus, iuxtà notata in cap. licèt, de elect.

Sed quid si esset infans, ista potest dici
7 fatua inuestigatio, quia cùm ætas illa etiam, quod videt ignoret, nec habeat consensum, vt in leg. quamuis la 1. §. infans, ff. de acquir. possess. & discretione careat, vt in cap. ex eo, de elect. in 6. non est verisimile, quod Cardinales facerent tam indiscretam electionem, nisi miraculosè à Spiritu sancto procederet, vt dicit Anton. in capit. licèt, de elect. & Bald. ibidem dicit de hermaphrodito, muto, & surdo. Et propterea non oportet de hoc quærere.

SVMMARIVM.

1 *Papa si vendat Episcopatus, & monitus non desistat, ex quo scandalizatur vniuersalis Ecclesia, an poterit deponi per Concilium argum. quod sic num. 2. 4. 5. 6. 10. 11. 13. 18. 25. 27. 33. 34. 40. 42. 47. 48. 54. 57. 59. 62. 64. 65. 67. 68. 69. Argum. quod non nu. 86. vsque ad nu. 99. Auct. opinio num. 100. vsque ad numero 149. resp. ad contr. num. 150.*

3 *Clericus pro simplici homicidio non debet tradi curiæ seculari, tamen secus si concurrat alia qualitas.*

4 *Cautio priuata licèt non probet per se, tamen probat cum alijs adminiculis.*

7 *Multitudo, & grauitas criminum facit quem de fide suspectum.*

8 *Hæresis præsumptio inducitur ex leuibus indicijs.*

9 *Papa non solùm delinquens, sed etiam negligens, & remissus in docendo, quæ ad salutem pertinent, debet deponi.*
Enumerantur plura delicta nominatim, ex quibus Papa deponi potest num. 62.

10 *Contumacia dicitur hæresis, & quælibet contumacia est digna excommunicatione qua non est maior pœna in Ecclesia.*
Et contumax dicitur infidelis ibidem.

12 *Inobedientia est peccatum ariolandi, idolatriæ, & paganitatis.*

14 *Misericors non dicitur, qui vni parcit, & alios in discrimen adducit.*

15 *Federicus Imperator propter obstinationem fuit à Papa depositus.*

16 *Excommunicatus propter suspitionem hæresis, si per annum in excommunicatione perseuerat, punitur vt hæreticus.*
Excommunicatus verò ex alia causa etiam post annum non damnatur vt hæreticus.
Licèt habeatur suspectus num. 108.

17 *Prælati sunt positi tamquam signum ad sagittam, & num. 33.*

19 *Potestas secularis coercet, quos non potest Ecclesia corrigere.*
Et quibus non potest prodesse correctio, non parcat abscistio, num. 20.

21 *Scandali ratione etiam superior potest deponi.*

22 *Scandalizans etiam sine praua intentione punitur. Exemplum in Petro, ibid. & num. 23.*

24 *Ecclesia de necessitate, est Concilium, quia impossibile est, quod vniuersalis Ecclesia congregetur.*

26 *Scandalum est tales personas supra se positas habere, quas vltra modum vitiosas esse constat.*

28 *Ethnicus vnde dicatur, & quare.*

29 *Scandalizare aliquem quid sit.*

30 *Prælati tot motibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.*

31 *Matth. 18. si peccauerit, & cætera. An ista verba conueniant Papæ, sicut, & alijs.*

33 *Papæ non potest dici cur ita facis.*
Quomodo intelligendum.

35 *Scandali vitandi causa promouendus, non promouetur.*
Et ratione vitandi scandali præcepta iuris relaxantur, ibidem, & num. 36.

37 *Episcopus exercens vsuras, homicida falsarius, & incorrigibilis deponitur.*

38 *Coniugatus si eligatur in Papam, & vxor nolit ingredi monasterium tenetur renunciare, & reddere debitum, ne reddens debitum scandalizet Ecclesiam.*

39 *Papa non posset tollere in totum canonem, si quis suadente.*
Et si cassasset deberet cassationem reuocare, propter scandalum.

40 *Cap. si Papa dist. 40. declaratur, & n. 73. & num. 97. & num. 144. 165.*

41 *Collegium exercet iurisdictionem in singularem personam de collegio.*

43 *Papæ si præcipiat aliquid intolerabile, & & per quod scandalizetur status Ecclesiæ non est obediendum.*

44 *Ratione scandali licet Papæ resistere.*

45 *Mens rescribentis talis præsumitur, qualis esse debet.*

46 *Faciens contra legem non debet gaudere beneficio legis.*

49 *Odio habere Deum est grauius peccatum, quàm infidelitatis, aut hæresis.*

50 *Papa si sit hæreticus occultus licèt non possit deponi, quia Ecclesia non iudicat de occtis tamen potest accusari.*

51 *Incorrigibilitas non solùm in faciendo, sed etiam in omittendo punibilis, &c.*

52 *Papa etiam de lege naturæ ob delictum notorium, de quo est incorrigibilis, & scandalizat Ecclesiam, debet deponi.*
Item inspecta lege can. ibid.
Quod an sit verum num. 112.

55 *Ecclesia debet posse eijcere sponsum scandalosum, & malè viuentem.*

56 *Vxor vbi non potest cohabitare cùm viro sine*

Impe-

Exem-

ARTICVLVS XII.

1 NVnc successiuè quæro, Papa vendit Episcopatus, & beneficia passim, & notorie, & monitus non vult desistere, & est incorrigibilis, & sic scandalizat vniuersalem Ecclesiam, vtrum ex hoc posset deponi in Concilio, quia vt supra vidistis Concilium, quod ista est sufficiens causa congregandi Concilium, & accusandi eum de huiusmodi simonia in Concilio ea accusatione, vt dixi, quæ potiùs habet vim cuiusdam publicæ denunciationis. Et videtur primò dicendum quod sic, nam cum
2 gloss. in cap. si quis pecunia 79. dist. dubitet vtrùm Papa possit accusari de Simonia non notoria vbi non est incorrigibilis, & vbi non scandalizatur Ecclesia, & hoc propter grauitatem criminis, de quo possunt benè inspici, quæ dicta sunt supra in artic. vtrum ob hoc, quod Papa est Simoniacus possit Concilium congregari, videtur omninò tenendum, quod possit accusari, & deponi propter incorrigibilitatem notorietatem, & scandalum, quod facit in Eccle-
3 sia Dei. Facit quod dicitur per Abb. in cap. at si clerici in princ. in 15. colum. & in cap. cum non ab homine per alios de iudic. videlicèt, quod licèt pro simplici homicidio clericus non debeat tradi curiæ seculari, tamen si cum homicidio concurrat aliâ qualitas, puta quod interfectus erat presbyter, vel pater, vel quod fuit per assassinos interfectus, & sic de similibus, debet tradi curiæ seculari. Et similiter text. & ibi dicta in leg. si adulterium cum incestu, ff. de adult. Facit illud vulgare, quæ non prosunt singula, multa iuuant, & per Barr. in leg. prima §. item Cornelio ff. de quæstionibus, & in leg. 1. C. qui numero tutelarum. Vnde licèt cautio priuata non
4 probet per se, probat tamen cum alijs adminiculis, vt in leg. instrumenta C. de probat. Item si gloss. in cap. si Papa, vult pro quocumque crimine, de quo est incorrigibilis, eum posse accusari, & deponi, quia contumacia facit hæresim, quantò magis pro crimine simoniæ, quod est grauissimum & appellatur Simoniaca hæresis, vt in cap. patet 1. qu. 7. & pluribus iuribus, vbi supra allegatis, cum qua concurrit notorietas delicti incorrigibilitas, & scãdalum in vniuersali Ecclesia. Facit quod ponit Abb. in dicto cap. at si clerici in 15. colum. quod licèt depositus ratione alicuius delicti non debeat statim tradi curiæ seculari, vt in c. cum non ab homine eod. tit. tamen si cum crimine concurrit incorrigibilitas, aliud erat, quia tradetur curiæ seculari, vt ibi dicitur, facit ad idem quod dicitur de data facultate dispensandi, cum incestuoso, & cum adultero, quod non poterit dispensari, quando in eadem persona concurrunt ambo defectus, vide Anton. in cap. at si clerici in §. de adulr. de iudic. circa fin. Et multa similia possent adduci sub illo brocardico quando sub simplici contineatur mixtum, & quod funiculus duplex difficiliùs rumpitur, vt in cap. 1. de treu. & pace. Secundò facit quod si, vt supra dictum est
5 ad sedandum schisma verus Papa secundùm aliquos potest cogi ad cedendum, vel saltem conuenit, quod cedat, multò magis, vbi cum scandalo vniuersalis Ecclesiæ concurrit crimen atrocissimum in eius persona, & incorrigibilitas, per quam videtur præ se ferre quamdam infidelitatem, vt dicit dicta gloss. in dicto capit. si Papa 40. dist. debet posse cogi & deponi. Tertiò fa-
6 cit in argum. text. in cap. cùm non ab homine in fin. de iudic. qui dicit quod quando clericus est incorrigibilis, & venit in profundum malorum, & contemnit, quia Ecclesia non habet vltra quid faciat, ne possit esse vltra perditio plurimorum per secularem comprimendus est potestatem & cæt. Ex quo habetur, quod incorrigibilis est perditio aliorum, vt & in simili est text. in cap. si Papa dum dicit innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ cum ipso vapulaturus. Item dicitur positus in profundo malorũ, ex quo videtur similis hæretico. Facit quod dicitur in cap. ferturi. qu. 1. & benè text. in cap. nulli dist. 19. & in cap. violatores, 25. qu. 1. vbi tales violatores canonum dicun-

cuntur blasphemare Spiritum sanctum. Et
7 propter multitudinem, & grauitatem criminum, de quibus quis est incorrigibilis, efficitur de fide suspectus, vt 38. dist. cap. fin. & 81. dist. cap. si quis sunt & est text. in cap. fin. de pœnis, facit text. in cap. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. Et si monitus est incorrigibilis, & pertinax, videtur quod possit contra eum procedi propter scandalum causatum in vniuersali Ecclesia, ne fie perditio animarum multarum. Facit quod
8 etiam leuia indicia, siue signa sufficiunt ad præsumendum aliquem hæreticum, ita Innocen. in capitulo sicut il 1. de simonia. Et Archid. in cap. vt officium de hæret. in 6. dicit quod nihil est, quod magis faciat aliquem hæreticum, quàm error, & pertinacia, vt Clem. 1. de vsur. in fin. & in Clem. 1. §. porro de sum. Trin. 24. quæst. 3. dixit Apostolus, ibi Archid. Ad hoc est quod legitur in epistola Beati Clementis successoris Petri ad Iacobum fratrem Domini, qui referens verba per Beatum Petrum sibi dicta in sui promotione ad summum Apostolatum sic inquit. Si enim mundialibus curis fueris occupatus, & teipsum decipies, & eos, qui te audiunt, non enim poteris, quæ ad salutem pertinent pleniùs singulis distinguere, & ex eo fiet, vt & tu tamquam, qui non docueris, quæ ad salutem pertinent deponaris, & discipuli per ignorantiam
9 pereant. Ex qua auctoritate videtur probari, quod non solùm quando delinquit, & scandalizat Ecclesiam possit Papa deponi, sed etiam quando est negligens, & remissus in docendo, quæ ad salutem pertinent, ne discipuli per ignorantiam pereant. Et de ista auctoritate Beati Clementis sæpiùs facit mentionem Ludou. Roman. in tract. qui incipit dixerit fortè quispiam, & in sermone, qui incipit, in Dei omnipotentis vbi dicit, quod illa epistola Beati Clementis non est obscuræ notitiæ, quia habetur formaliter in eo volumine quod nuncupamus librum Conciliorum Isidori, & ex ea sumpsit Gratianus multa decreta, vt in cap. si inimicus dist. 93. & in cap. te quidem, & cap. sicut 11. qu. 1. Quartò facit quod con-
10 tumacia dicitur hæresis, & qui monitus, vt desistat à criminibus non vult corrigi dicitur ariolari, & committere peccatum idolatriæ, vt in cap. si qui presbyteri, 81. dist. Et quælibet contumacia quantumcumque minima digna est excommunicatione, vt dicit gloss. in cap. duo sunt quippè 96. dist. quam dicit in hoc singularem Abb. in cap. 1. de iudic. & tamen non est maior pœna in Ecclesia Dei ipsa excommunicatione vt in cap. corripiantur 24. qu. 3. & dici decis. 34. incipit item si quos, & est 11. in tit. de sentent. excommunic. Ergo multò magis imputatur delictum contumaciæ quando consurgit occasione delicti notorij, de quo quis est incorrigibilis, & scandalizatur Ecclesia Dei, & non immeritò dicitur talis hæreticus, quia est contumacia in Deum, & ideo etiam contumax dicitur infidelis dist. 38. nullus. Et isto modo arguit illa gloss. in dicto cap. si Papa dist. 40. quæ hoc tenuit. Quintò ostendi-
11 tur, nam si Papa stat in crimine notorio scandalizante totam Ecclesiam, & monitus non vult desistere, incidit in suspicionem hæresis. Hoc probatur in cap. nullus 38. distinctione vbi dicitur quod qui rebelliter viuit, & discere, atque bona agere recusat magis diaboli quam Christi membrum esse ostenditur, & potiùs infidelis, quàm fidelis esse monstratur. Ad idem, capitulo si qui
12 sunt 81. distinctione vbi dicitur, quod inobedientia est peccatum ariolandi, & idolatriæ, & paganitatis. Ad idem octaua quæstione prima sciendum, vbi dicitur, ariolandi peccatum inobedientia esse monstratur, sola enim est, quæ fidei meritum possidet obedientia, sine qua quisque infidelis ostenditur, etiamsi fidelis esse videatur. Et de hoc, quod quis ex tali repugnantia, & contemptu mandatorum Ecclesiæ dicatur incurrere suspicionem hæresis est text. in dicto cap. fin. de pœnis, & dicit S. Thom. in 4. sentent. distinct. 21. qu. 1. artic. 1. quæstiuncula 1. in corpore, & hæresis est species infidelitatis, vt dicit idem Thom. in secunda secundæ quæst. 11. art. 1.
13 Sextò ad idem est text. in cap. nouit. de iudic. & in cap. sed illud dist. 45. & in cap. omnibus 23. qu. 1. In quibus iuribus patet quod est ethnicus & publicanus, & sic infidelis ille, qui monitus ab Ecclesia non acquiescit, nec recipit correctionem, & emendationem criminis. Et dicit ille text. in dicto cap. sed illud, quod non est miseri-
14 cordia vni parcere, & omnes indiscretè in discrimen adducere, quia ex vno peccatore populus polluitur, sicut ex vna oue morbida vniuersus grex inficitur. Quæ maximè videntur vera in Papa, quia præest vniuersis fidelibus, & debet esse exemplar bonorum morum. Facit text. in prooemio Clem. in §. quia expedit enim, vt vnus moriatur pro populo, ne tota gens pereat. Vnde dicit text. in cap. sicut 2. quæst. 7. ne totum quod absit corpus morbus inuadat, si non fuerit languor in capite curatus. Et text. 7. quæst. 1. cap. quamuis, dicit ne languescente pastore grex, quod absit insidiatoris den-
15 tibus laniandus exponatur. Ad quod facit quod Federicus Imperator propter obstinationem in delictis, qui more aspidis surdæ aures obturauerat, & ob suam incorrigibilitatem tamquam de hæresi suspectus à Papa deponitur in cap. ad Apostolicæ de re iudic. Et ibi dicit gloss. quod si talis suspectus de hæresi propter suam pertinaciam & incorrigibilitatem, in delictis per annũ sic perseuerat, nec se emẽdat, nec se purgat, punitur vt hæreticus, vt in capitulo excommunicamus il 1. §. qui autem de hæret.
16 Et idem etiam dicit gloss. in dicto capit. fin. de pœniten. in eo, qui propter suspicionem hæresis excommunicatus, per annum in excommunicatione perseuerat, ad hoc cap. cum contumacia, de hæret. in 6. Accedit quod vita pastoris debet esse exemplo subiectis 2. quæst. 7. cap. cùm pastoris. Et ne propter malos mores eius vita despiciatur, nã cũ eius, qui præsidet vita despicitur, eiusdem etiam iussio contemnitur 3. qu. 7. cap. infames §. fin. Et ne qui positus est vt aliorum errores corrigat, dicatur præcæteris errorum magister 2. quæst. 7. cap. nos si com-

si competenter, nam quod à Prælatis agitur, facilè trahitur à subditis in exemplum
17 cap. magnæ de vot. nam sunt positi tamquam signum ad sagittam, de accusat. cap. qualiter, & quando, Ideo tot mortibus capita digna sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt 11. quæst. 3. cap. præcipuè. Et quis eum, quem paulò ante iacentem viderat veneretur Antistitem, dist. 61. cap. non negamus. Et magna erit in omnibus confusio, si quod requiritur in membris non repetitur in capite, eadem dist. miramur. Irreprehensibiles, enim esse conuenit, quos præesse necesse est corrigendis capit. in Sacerdotibus 61. dist. quia capite vulnerato, facilè singula membra corporis debilitantur 6. quæst. 1. cap. sunt plurimi §. verum. Et vulnerato pastore quis curandis ouibus adhibebit medicinam, aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui iaculis hostium semper se feriendum exponit, aut qualem fructum de se producturus est, cuius graui peste radix infecta est 1. qu. 3. cap. fertur, sine causa enim conatur quis ramos incidere, si venenosam radicem non quærit euellere, de pœnit. dist. 3. cap. quia radix. Et nemo in Ecclesia amplius nocet, quàm qui peruersè agens nomen, vel ordinem sanctitatis, & Sacerdotis habet, delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur dist. 83. capit. nemo quippe, qui enim positus est ad gubernationem populorum non debet fieri ruina multorum 11. quæst. 3. cap. ita corporis.
18 Septimò facit quod Petro scandalizante Gentiles in obseruatione legalium Paulus publicè eum reprehendit vt 2. quæstione 7. Paulus ilz. Multò magis igitur Papa potest corrigi, & reprehendi, si scandalizat Ecclesiam, & si potest reprehendi ne inutilis sit reprehensio, vbi ille non acquiescit, sed est incorrigibilis, nec desinit pertinaciter in delictis perseuerare, & Ecclesiam scandalizare, debet posse deponi, vt in capit. nec licuit 17. distinct. Et etiam per potestatem secularem, cùm Ecclesia non habet vltra quid faciat, debet posse coerceri, ne
19 sit aliorum perditio, vt dicit ibi text. nam malos, quos non potest Ecclesia corrigere, debet secularis potestas coercere capitulo incestuosi 24. quæst. 5. facit text. in capit. cùm non ab homine de iudic. Et hoc valdè benè ostendit text. in cap. illud sanæ 24. quæst. 3. tum allegat illud Euangelij Matthæi cap. 5. si oculus tuus dexter scandalizante erue eum, & proijce abs te, & capit. inquiens melius esse oculum, pedem, vel dexteram manum à compage corporis auferri, & his in seculo membris carere, quàm cum ipsis, in æterna supplicia ire, intelligens per membra compage corporis coniuncta corpus mysticum Ecclesiæ, in quo si sunt mali debent ab Ecclesia eijci. Et subiungit, nam superfluè extra Ecclesiã positis resistimus, si ab ijs, qui intus sunt in eis, quos decipiunt vulneramur, quibus igi-
20 tur prodesse non poterit correctio non pareat abscissio. Et si textum euangelij deducimus in eum sensum videtur notandum quod primò ponit de oculo tamquam de excellentiori membro, quod est in capite, & sic videtur, quod etiam caput Ecclesiæ, id est Papa vbi per illud scandalizatur vniuersalis Ecclesia, à compage corporis auferendum sit ratione scandali, & periculi perditionis aliorum. Facit illud Matth. 6 lucerna corporis tui est oculus tuus, si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuũ lucidum erit, si autem oculus tuus nequam erit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Et licèt ibi intelligatur de oculo interiori munditiæ cordis, tamen ponitur oculus pro nobiliori, & principaliori membro corporis, per quod illuminatur, vel obtenebratur totum corpus. Sic autem, & per Papam perseuerantem in criminibus, & incorrigibilem, & Ecclesiam vniuersalem scandalizantem etiam subditi obtenebrantur, & cateruatim innumerabiles populi cum eo ducuntur in gehennam, ut in cap. si Papa 40. dist. Vnde ne totum corpus putrescat abscindi ab hoc corpore debet, dicit text. in capit sed illud 45. dist. & in cap. ecce autem 24. quæst. 3. Et ne totum corpus languor inuadat, si non fuerit in capite curatus 2. qu. 7. cap. sicut, & ne positus ad gubernationem populorum efficiatur ruina multorum, vt
21 dicit text. in d. cap. ita corporis 1. qu. 3. Addo quod ratione scandali etiam superior potest deponi, per illud, quod dicitur Matth. 18. in illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes quisputas est maior in regno cælorum, & aduocans Iesus paruulum statuit eum in medio eorum, & dixit, Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intbitis &c. qui autem scandalizauerit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris Et deinde replicat, si manus tua, aut pes tuus scandalizat te &c. & postea subijcit, videte ne contemnatis vnum ex his pusillis, dico enim vobis, quod Angeli eorum semper in cœlis vident faciem patris mei Et interposita postea parabola de oue, quæ perierat, subiungit doctrinam de correctione fraterna, si peccauerit in te frater tuus &c. Ex quo apparet, quod Christus voluerit, quemlibet scandalizantem, vel peccantem in fratrem subditum esse correctioni Ecclesiæ, & quod etiam intellexerit de Petro, quia erat cum alijs discipulis
22 Et clariùs quia cum dixisset discipulis de sua passione futura in Ierusalem, Petrus cœpit contradicere dicens, absit a te Domine hoc, qui conuersus dixit Petro, vade post me Satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed hominum, & tamen antea in 16. cap. illi dictum fuerat, tu es Petrus & tibi dabo claues regni cœlorum, vnde erat iam ei concessa, vel promissa authoritas præsidentiæ. Et quamuis Petrus non dixerat illud peruersa intentione, sed potiùs ex quadam charitate, nihilominùs ex huiusmodi scandalo sequutum videtur peccatum, vel saltem correctio Petri, vnde nominatus fuit Satanas, & di-

& dictum est ei, quod non saperet, quæ
23 Dei sunt, sed hominum. Vnde si ratione scandali in pusillum etiam non malo animo præstiti expedit demergi in profundum maris, multò magis hoc habebit locũ in scandalizante vniuersalem Ecclesiam Et notandum est quod primò vult illum corrigi fraterna correctione, postea deferri Ecclesiæ, postea demergi in profundum maris, quæ pœna erat de consuetudine palestinorum, vnde si scandalizanti, siue ex inaduertentia pœna imponitur, quantò magis notorio criminoso incorrigibili, & scandalizanti Ecclesiam imponenda est. Et notandum est, quod verba dicta sunt Petro, & Apostolis, qui de dignitate contendebant secundùm gloss. ordi. ibi. Ex quo sequitur. quod etiam Papam comprehendit de Pontificatu contendentem. Imò etiam sequitur, quod si propter contentionem dignitatis generatur scandalum in Ecclesia, & est incorrigibilis, debet amoueri. Quod patet ex continuatione, & connexitate parabolarum de scandalo, non solùm in committendo, sed etiam in omittendo, nam primò dicit de scandalizante etiam vnum ex pusillis, secundò de parabola ouis deperditæ, quod est scandalum pastoris negligentis, tertiò de parabola peccantis in fratrem. Quæ omnia dicta sunt discipulis, & consequenter Prælatis
24 Ecclesiæ, qui in illorũ locum succedunt, & Petro, & consequenter Papæ. Item dicta sunt in pœnam etiam iurisdictionis contentiosæ, quod ostendit cum dicit dic Ecclesiæ, quæ Ecclesia de necessitate est concilium, quia impossibile est, quod vniuersalis Ecclesia congregetur. Vnde habetur quod propter scandalum quis debet mori, quando monitus est incorrigibilis, quia autem Ecclesia militans non imponit pœnam sanguinis succedit depositio loco pœnæ mortis, vt dicitur in cap. cum non ab homine de iudic. & in cap, ad audientiam
25 de cri. fal. Octauò facit, quod sicut potest ratione magni scandali Episcopus ab Ecclesia amoueri, & cogi ad cedendum in publicam vtilitatem, vt in cap. nisi cum pridem. §. per graui de renunt. à pari videtur idem dicendum in Papa, ex quo per eum scandalizatur vniuersalis Ecclesia, quia eadem ratio est de toto ad totum, quæ de parte ad partem, vt in l. quæ de tota ff. de rei vindic. cum simil. Immò maior ratio videtur in proposito ratione maioris scandali vniuersalis Ecclesiæ, facit quod dicitur in capitulo bonæ, de postulat. Prælat. & in cap. licèt in cap. de regula.

Nec obstat si dicat. quod Papa iudicatur à Deo, vt in cap. facta 9. qu. 3. Quia etiam Deus reseruauit sibi iudicium de Episcopis, vt est tex. in cap. oues 6. qu. 1. Imò, vt dicit ibi tex. Deus elegit eos, vt essent oculi sui. Vnde Propheta ait, qui tetigerit vos tanget pupillam oculi mei, Zach. 2. cap. & ponit Hugo, & Domi. in d. capit. oues. Ad quod faciunt illa, quæ dicta sunt in art. vtrùm Papa possit cogi ad cedendum Papatui; facit etiam quod dicit text. in cap. de ijs 50. dist.
26 quod scandalum populo Dei est tales personas supra se positas habere, quas vltra modum vitiosas esse constat Et alibi dicit: tex. quod nihil magis abhominabile esse potest populo christiano, quàm fidem Christi in membris quæri, si illa in capita Ecclesiæ non reperiatur, nam & totius familiæ domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore non inuenitur in capite 61. dist. cap. miramur. Non ad idem facit illud Euangelij Matth. 18. si peccauerit in te frater tuus &c. quod si te non audierit dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, vt 2, quæst. 1. cap. si peccauerit, & capit. sed illud 45. dist. & cap. nouit. de iudic. &c. quemadmodum de iureiu. & 24. quæst. 1, cap. omnibus. Per quæ verba ostenditur quod ille, qui est incorrigibilis, & non audit Ecclesiam, & correctionem est hæreticus. Et ita exponit gloss. in d. cap. omnibus, vel ethnicus, idest gentilis secundùm gloss. in d. c. quemadmodum, & gloss. ibi Matth. 18. & latè Abb. in d. cap. nouit. vbi ponit quare
28 dicatur ethnicus, & vnde. Et licèt Hostien. in cap. proposuit de conces. præbendixerit, quod in Papa illud dic Ecclesiæ intelligendum est de Ecclesia triumphante, quasi illa sola iudicet Papam vt in ca. nemo, & cap. aliorum, & in cap. facta 9. qu. 3. vel si de Ecclesia militanti accipitur dictum, quod intelligatur dic Ecclesiæ scilicet, vt oret Deum pro eo, tamen non videtur fundari aliqua probabili ratione, cur alio modo interpretatur in Papa, & alio modo in alijs, tum quia eadem authoritas non debet diuerso iuri censeri capit. cum in tua de deci. c. quia circa de priui. 12. qu. 2. cognouimus l. iam hoc iure ff. de vulga. & pupil. & l. in testamento C. de testa. mili. cum simil. Tum etiam quia generaliter prolatum l. de precio. ff. de publicina &c. vt circa de elect. in 6. Tum etiam quia Dominus verba illa dixit Petro simul cum alijs Apostolis, cum dixit qui. enim scandalizauerit vnum, de pusillis, istis expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Vnde gloss. ordi. ibi dicit, & si hoc generaliter dicitur cõtra omnes, tamen hic specialiter contra Apostolos. Et subiungit, quicumque ergo speciem sanctitatis habens verbo vel exemplo cæteros destruit melius esset ei, vt eum sub exteriori habitu ad mortem terrena acta constringerent, quàm sacra officia cæteris in culpa imitabilem ostenderent, quia si solus caderet
29 tolerabilior eum pœna cruciaret. Et glo. Nicolai ibi dicit scandalizare aliquem est facere eum ruere in mortale peccatum ex dicto, vel facto suo malo. Huiusmodi autem est Papa, qui ex notorio delicto scandalizat Ecclesiam, & est incorrigibilis igitur, & in eo; sicut in cæteris, habet locum prædicta authoritas, nec aliter interpretanda est in eo; quàm in alijs, cum ita subijciatur Papa doctrinæ Euangelicæ sicut alij, vt in capit. sunt quidam 25. q. 1. Posset etiam intelligi authoritas Hostien. cùm peccatum est occultum, & non scandali-

dalizatur Ecclesia. Quinimò magis videtur habere locum in Papa, quàm in cæteris, quia sicut grauiùs suo exemplo scan-
30 dalizat subditos, sic est grauiùs puniendus Vnde dicit tex. in cap. præcipuè. 11. q. 3. referendo verba Beati Gregorij, quod Prælati tot mortibus digni sunt quot ad subditos suos perditiones exempla transmittunt, vnde necesse est vt tantò se cautiùs à culpa custodiant, quantò per praua, quæ faciunt non soli moriuntur. Facit in proposito, quod illa authoritas Matth. 18
31 videlicèt si peccauerit in te frater tuus &c. ita conuenit in Papa, sicut in alijs proximis. Nam & Papa frater noster est cùm vnus Pater, scilicèt Deus, & vna mater scilicet Ecclesia omnibus fidelibus sit. Ergo sequitur; quod & ad ipsum se extendat dicta authoritas simpliciter, sicut ad alios, & quia sub nomine fratris quilibet christianus intelligitur, vt 11. quæst. 3. cap. ad mensam, & gloss. in d. cap. si Papa 40. di.
32 Non obstat si dicatur quod Papæ non potest dici cur ita facis, quia illud est verum per correctionem pænalē, sed benè per fraternam correctionem, quæ ad omnes se extendit, vt declarat S. Thomas in secun-
33 da secundæ qu. 33. art. 4. Decimò facit, quod validum est argumentum à corpore mystico Ecclesiæ vniuersalis ad corpus materiale hominis, vt in cap. illud sanè 24. qu. 3. & ponunt Doc. in cap cum non liceat de præscrip. &c. non decet 12. dist. Sed sic est quod ratione scandali in corpore materiali quis deponitur ab administratione Ecclesiæ & ab offic. sacerdotali, vt in cap. presbyterum cum duobus sequentibus de. cle. ægro. & in c. 1. de corpore vitiatis, ergo a pari. Imò multò magis debet amoueri Papa, qui scandalizat Ecclesiam vniuersalem. Facit bene in argu. tex. in cap. ecce 24. qu. 3. Vndecimò
34 facit quod multa sunt, quæ ad vitandum scandalum fiunt & multa, quæ omittuntur, vt vide tex. & gloss. in cap. cum ex iniunćto de no. ope. nun. gloss. in cap. cum quis 23. q. 4. & Roma. in l. si verè in §. de vito in 7. fallen. ff. solu. ma. Infantum,
35 quod aliàs promouendus ad vitandum scandalum non promouetur, vt in c. cum teneamur &c. cum non ignores de præben. & cap. 3. de iu. pa. & in cap. cum olim de cle. coniuga. Et pro scandalo vitando Ecclesia tolerauit Episcopos in aliorum locum de facto surrogatos, vt in capit. hæc quippe 3. quæst. 6. Et vt supra dixi potest remoueri Episcopus ab Ecclesia ad vitandum scandalum, vt in di. §. pro graui, in c. nisi cum pridem de renun. & Arch. in cap. suggestum 7. q. 1. & Abb. in cap. 1. de elec. Et multas remissiones ostendentes, quod ratione pacis inducendæ; & sedandi scandali præcepta iuris relaxantur, ponit Ludo. conf. 332. incipit quò ad primum in fi. & Feli. in ca. nihil de præscrip. Et licèt
36 aliàs lite pendente quis non debeat priuari sua quasi possessione iuris eligendi, vel præsentandi, vt dicitur in cap. cumana de electio. & in capitulo 2. de in integr. restit. tamen ad vitandum scandalum prohibetur eligere, vt dicit Abb. in d. cap. 2. allegat. l. æquissimum ff. de vsufruct. Et præmissa dicuntur in casibus, vbi scandalum non inducitur in vniuerso, sed in particularibus locis, & rebus, item vbi scandalum non directè generatur in animis, sed in corpore, in casu autem, quo Papa notorius criminosus scandalizat vniuersalem Ecclesiam generatur scandalum in animis, quia per hoc inducuntur subditi ad credendum quod ipse non committeret illa, si esset peccatum ea committere 11. quæst. 3. præcipuè, cap. qualiter, & quando de accusat. quales enim inquit Plato sunt principes, tales solent fieri ciues, & idem dicit Cicero in suis familiaribus, & Boetius in 1. de consolatione. Vnde quanto anima est pretiosior corpore, eò grauiùs est scandalum vniuersale in Papa, quàm in alijs inferioribus capitulo solitæ de maior. & obed. cap. præcipimus 12. quæst. 1. cap. si habes 24. qu. 1. cap. sedulo 29. dist. Item eò grauius est, quò vniuersalius cap. si Papa 40. dist. ibi innumerabiles secus populos &c. Si igitur Epi-
37 scopus ex eo, quod vsuras exercet, non desistens deponitur, vt in cap. Episcopus 47. dist. & idem si homicidium commiserit, vt in cap. si quis homicidium 50. dist. & idem si capitale crimen comiserit, aut chartam falsauerit, aut falsum testimonium dixerit, vt in cap. si quis Episcopus ea dist. & ibidem quando ipse est incorrigibilis, vt in cap. 1. vbi glos. & in cap. tantis Daniel. 81. dist. & sic de similibus ex quibus non scandalizatur Ecclesia vniuersalis, quantò magis videtur dicendum in Papa ratione vniuersalis scandali, quia est notorius criminosus, & incorrigibilis, quod debeat posse deponi, & quod vera est glos. in di-
38 cto cap. si Papa. Accedit quod dicit glos. in cap. si quis pecunia 79. dist. quod si coniugatus eligitur in Papam valet electio, sed si vxor non potest induci ad vouendum continentiam, oportebit eum renuntiare papatui, & reddere debitum vxori. Et hoc quia si vellet tenere Papatum, & reddere debitum vxori, ex hoc multùm scandalizaretur Ecclesia propter malum exemplum, quod daret Cardinalibus, & alijs cap. licèt de elect. Et secundùm quod dicit Mathesil. in addi. ad tract. Ant. de Butr. in 3. chartam, si eo casu Papa nollet renuntiare, posset propterea deponi à Papatu per Concilium, quod est valdè notandum ad illam
39 glos. Et ita dicit quod posset saluari quod ponit Ioan. Andr. in cap. nulli de sent enc excommunic. dum vult quod Papa non posset in totum tollere canonem si quis suadente, sine Concilio generali, quia potest intelligi quando totus Clerus ex hoc multùm scandalizaretur, & tunc si cassasset illum text. deberet cassationem reuocare, vt cessaret tale scandalum per text. in d. cap. cùm ex iniuncto, & dicto §. pro graui. Accedit, quod ponit Felin. in d. cap. 2. de prescript. in 3. colum. quod ratione scandali euitandi, si reperiuntur duo electi ad Pontificatum, Concilium potens vtramque electionem cassare per glos. quam dicit singularem 63. dist. in cap. fin. quæ est glos. fin. dum allegat. cap. si duo 79. dist. Quæ glos. secundum cum intelligitur, etiam si altera

electio tenebat, aliàs nihil operaretur con-
sideratio scandali. Et hæc glos. vt dicit
Felin. in d. cap. 2. non fuit gustata, nec à
Baldo, nec à Saliceto qui scripserunt super
40 schismate Vrbani. Duodecimò facit dict.
cap. si Papa 40. dist. à quo dependet omnis
ista machina, per quem text. dicunt Doct.
in cap. in fidei de hæret. in 6. quod Papa
potest deponi tantùm pro causa fidei strictè
sumptæ. Qui text. si benè inspiciatur non
dicit quod Papa non possit deponi nisi
tantùm pro crimine hæresis strictè sumptę,
sed tantùm dicit quod non possit Papa iu-
dicari, nisi deprædendatur à fide deuius.
Sed ita est quod à fide dicitur deuiare ille,
qui subuertit vniuersalem statum Ecclesiæ,
probatur in capitulo si eadem 25. quæst. 2.
& melior text. in cap. generali 25. quæst. 1.
& in capitulo violatores ea causa, & qu.
Papa enim censetur positus, non ad destru-
ctionem, sed ad constructionem, vt dicit
text. in cap. memor 24. quæst. 1. & dicitur
2. ad Corint. 10. & 13. Ergo & eò, quod
Papa criminosus notorius scandalizat vni-
uersalem Ecclesiam ipse potest deponi. Fa-
cit quod legitur Ioann. 15. si quis in me
non manserit, mittetur foras sicut palmes,
& arescet, & colligent eum, & in ignem mit-
tent, & ardebit, & notant Doct. in capit.
ad abolendam §. 1. de hæret. nam si Pastor
efficitur Lupus rapax, oues non tenentur
eum audire, quia est mercenarius, & non
Pastor, vt legitur Ioan. 10. Et consideran-
dum est quod text. in d. cap. si Papa, tan-
tùm loquitur per dictionem denotantem
singularitatem personæ, & non vniuersita-
tem personarum, quia dicit huius culpas
isthic redarguere præsumit mortalium nul-
lus. Vnde etsi nullus mortalium præsumit
eum redarguere, non sequitur, si est notorius
criminosus, & incorrigibilis, & scanda-
lizans Ecclesiam quòd Concilium non pos-
sit eum redarguere, & deponere. Quod
41 maximè apparet, quia non inconuenit
quod Collegium exerceat iurisdictionem
in singularem personam de Collegio, vt in
cap. irrefragabili §. excessus de offic. ordin.
& cap. dilecta de excess. Prælat. l. fin. cum
simul C. de iurisdict. omnium iudic. Tertio
42 decimò facit quod plus est facto aliquid
agere, quàm verbo, vt in cap. dilecti de ap-
pellat. l. si tamen §. ei qui ff. de ædili. edic.
l. de quibus in fin. ff. de ll. Sed quamuis
43 regulariter sit Papæ obediendum, tamen
si aliquid graue, & intolerabile præcipiat,
per quod scandalizaretur vniuersalis Eccle-
sia, non est ei obediendum, sed resisten-
dum. Ita dicit Innocen. quem omnes se-
quuntur in capit. inquisitioni de sentent.
excommunicatio, & Abb. in capit. si quan-
do de rescript. & in cap. cùm teneamur de
præbend. & in cap. ex parte de verborum
signific. & Cardin. consilio 150. in 6. quæ-
sito, incipit sæpè quæsitum, & idem in ca-
pitulo licèt de elect. & in glos. capit. literas
de restit. spoliat, & glos. in cap. per prin-
cipalem 9. quæst. 3. Facit illud Apostoli,
quod ponitur 45. distinctio. in cap. sed il-
lud, peccantem coram omnibus argue. Et
quod Paulus restitit Petro in faciē ad Ga-
lat. 2. de quo 2. quæst. 7. capitulo Paulus

el secondo. Non enim potest Papa aliquid
facere, vel mandare, per quod turbaretur,
vel destrueretur vniuersalis status Ecclesiæ,
vt in capitulo quæ ad perpetuam ibi glos.
& in cap. sunt quidam ibi Archid. in fin.
25. quæst. 1. & in effectu idem etiam ponit
Innoc. & alij post eum in capitulo quantò
de consuetudine. Intantum quod Abb. Si-
culus in dicto capitulo inquisitioni, dicit
quod Cardinales, qui discesserant à Grego-
rio XII. non tenebantur citati comparere,
ratione scandali quod imminebat. Ergo
44 cùm ratione scandali liceat resistere Papæ,
& ei non obedire, à pari quando Papa est
notorius criminosus, & incorrigibilis, &
scandalizans vniuersalem Ecclesiam poterit
ratione scandali deponi. Paria enim sunt
aliquem esse depositum à Papatu, & esse
Papam sine obedientia, argument. l. in le-
ge ff. de contrahenda empt. & l. Rutilia ff.
eodem, & in capitulo cùm super concess.
præben. cum simil. Et paria sunt aliquid
non esse, & inutiliter esse, vt in capitulo
inter corporalia de translat. Prælat. Non
45 obstat si dicatur quòd licèt possit ei resisti,
tamen ipse non potest iudicari, quia nemo
iudicat primam sedem, & quod facta Papæ
à Domino iudicantur capitulo nemo, & ca-
pitulo aliorum, & cap. facta 9. quæst. 3. &
dicto capitulo si Papa. Quia illud priuile-
gium quod non possit ab alio iudicari, non
videtur habere locum in casu, quo scandali-
zatur ab eo Ecclesia vniuersalis, argumen.
capit. suggestum de deci. vbi priuilegium
non habet locum, quando inde scandalum
resultaret. Et ista videtur mens illorum iu-
rium, quia talis præsumitur mens rescri-
bentis, qualis esse debet, vt dicit Bal. in l. ex
facto in princ. ff. de vulgar. & pupill. Non
46 enim est verisimile, quòd voluerint eum, qui
committit in legem gaudere beneficio le-
gis C. de iure delib. l. scimus §. si verò ff.
quod metus causa l. isti quidem, & capit.
frustra de vsu. Facit quod dicitur de priui-
legio in cap. priuilegium 11. quæst. 3. Nec
videtur, quod voluerint illa iura priuilegia
re personam Papæ in scandalum, & præiu-
dicium vniuersalis Ecclesiæ, cum magis vi-
deatur habenda ratio Ecclesiæ vniuersalis
quàm Papæ, argumen. capit. si gratiosè
de rescript. in 6. & quod dicitur in capitulo
ne aliqui in glos. fin. de priuileg. eodem lib.
& in capitulo finali de rescript. etiam in
sexto. Quartodecimò facit illud quod dicit
47 Abb. in capitulo proposuit de concession.
præben. vbi ait quod dictum Hostiens. quod
in Papa exponit illud Euangelicum dic
Ecclesiæ, de Ecclesia triumphante, non ha-
bet locum in crimine scandaloso notorio,
& quod idem dictum intelligitur in delicto
occulto, & ideò si Papa scandalizat vni-
uersalem Ecclesiam poterit de hoc accusari
& deponi, ex quo est notorius criminosus,
48 & scandalizat Ecclesiam. Quintodecimò
probatur arguendo à sufficienti partium
enumeratione, vt l. patre furioso ff. de ijs,
qui sunt sui, vel alien. iu. l. cùm ij. §. si præ-
tor ff. de transac. cum simil. Aut enim po-
nimus Papam notorium criminosum non
posse deponi quantumcumque incorrigibi-
lem, & scandalizantem Ecclesiam eo respe-
ctu,

ctu, quia non habet superiorem, vt in capitulo licèt de elect. & in d. capit. si Papa, vbi dicitur quod à nemine iudicatur, & in §. patet 3. quæst. 1. & in capitulo nemo cum seq. 9. quæst. 3. Et hoc videtur cessare, quia qua ratione Concilium iudicat de Papa in vno casu, vt in casu hæresis, de quo est text. in cap. si Papa; eadem ratione videtur, quod poterit esse superior ad iudicandum de eo in alio casu, quia non reperitur in sacra Scriptura, quod Deus dederit maiorem potestatem Ecclesiæ in causis fidei, quàm in alijs, immò vsus est verbis generalibus, videlicet quæcumque alligaueritis &c. Matth. 18. Facit illud, quod legitur ad Galat. 2. & act. 11. in princ. & in cap. Paulus el 2. & cap. testes §. item Paulus 2. quæst. 7. Si enim Paulus potuit eum reprehendere, multò magis Ecclesia, & maximè quando casus est inferior hæresi, vt in proposito argumen. cap. cùm in cunctis de electione cum similibus, regula cui licèt de regul. iu. in 6. Quod ostenditur ratione,
49 quia aut volumus Papam tantùm in casu hæresis posse deponi ratione grauitatis peccati. Et hoc non potest procedere, quia habere Deum odio est grauius peccatum, quàm sit hæresis, vel infidelitas, vt pouit S. Thom. in secunda secundæ quæst. 34. artic. 2. Aut ratione maioris scandali in Ecclesia quasi Papa hæreticus plus scandalizet Ecclesiam, quàm si aliter delinquat. Et hoc etiam non procedit, quia Doct. omnes in dicto cap. si Papa 40. dist. & in cap. fidei de hæret. in 6. volunt quod etiam de occulta hæresi possit Papa accusari, & ta-
50 men nulli dubium quod si Papa est occultus hæreticus, & viuit exteriùs tamquam bonus Catholicus, Ecclesia non scandalizatur, quia Ecclesia non iudicat de occultis, vt in capitulo sicut el 2. de simon. cap. à nobis el 2. de sentent. excommunicat. 2. quæst. 5. consuluisti not. in cap. 2. de offic. ordin. Sed quando est notorius criminosus, & incorrigibilis, & intolerabilis, tunc benè generatur scandalum, vt in capit. qualiter el 2. de accusat. Aut ponimus eum non
51 posse deponi, quia non reperitur statutum quod ratione incorrigibilitatis, & scandali in Ecclesia possit deponi. Et similiter non videtur procedere, quia si loquimur in veteri lege, reperimus quosdam ratione scandali, & incorrigibilitatis non solùm in committendo, sed etiam in omittendo fuisse à Deo punitos, vt patet de Heli summo Sacerdote, qui quamuis in se bonus esset, quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit, & in se pariter, & in ipsis animaduersionis diuinæ vindictam excepit, dum filijs eius in bello peremptis ipse de sella corruens fractis ceruicibus expirauit cap. licèt Heli de simon. & cap. legant 37. dist. Quinimo, vt innuit glos. Nicolai 1. Reg. 8. hæc negligentia Heli, & non nulla etiam fortè Samuelis fuit occasio, vt terminaretur regimen per iudices, & reges instituerentur. Ex quo patet quod à Papa ratione solius negligentiæ, quæ scandalizat populum debet auferri dominium, & regimen administrationis Pontificatus. Ad quod facit ratio text. in dicto capitulo si Papa, cùm dicit quod quando Papa est negligens, & remissus in suis operibus, officit sibi, & omnib. & innumerabiles populos secum ducit in gehennam, meritò igitur videtur amouēdus ab administratione Pon-
52 tificatus, quem nescit gubernare. Si autem inspicimus legem naturæ, ratio naturalis dictat, quod ob scandalum in Ecclesia, & delictum notorium, de quo est incorrigibilis debeat, & ipse Papa deponi, sicut quilibet alius. Immò tantò magis quantò maiori præfulget dignitate, vt in cap. cùm quidam de iureiur. & in cap. homo christianus, 40. dist. Immò ex quo propter eius delictum ponitur in periculo vniuersalis Ecclesia, meliùs est vt ipse abijciatur, & amoueatur, quàm vt tota gens pereat, iuxtà illud Ioann. 11. expedit vobis, vt vnus moriatur pro populo, &c. Si attendimus legem Canonicam, & illa quando quis est incorrigibilis de delicto vult eum deponi, vt in cap. cum non ab homine de iudi. cum simil. quod licèt non loquatur præcisè in Papa, tamen à simili arguimus eamdem in diuersis personis conclusionem quando lex non reperitur, quæ casum decidat, vt in cap. translato. de const. cum simil. Er-
53 gò sicut ratio legis arguit vnum inferiorem deponendum, a pari, & superiorem, in quo maior subest ratio, propter excellentiam dignitatis, quæ dehonestatur in illius persona, & ex cuius transgressione maius generatur scandalum in vniuersali Ecclesia, cum sit positus tamquam signum ad sagittam, vt in cap. magnæ de vo. in cap. qualiter, & quando de accusa. Vndè suo exemplo inducit alios ad malum faciendum, iuxtà illud Apostoli. ad Gala. cap. 2. si tu cùm Iudæus sis gentiliter viuis, & non iudaicè, quomodo gentes cogis iudaizare? vbi gloss. supplet ad verbum cogis, non docentis Imperio, sed conuersationis exemplo. Sextò decimò facit, quod contrario-
54 rum eadem est disciplina, l. 1. ff. de ijs, qui sunt sui, vel alie. iu. l. sciendum, §. fin. ff. qui satisda. cogan. 8. quæst. 1. sciendum, ibi Archi. & eadem iuris dispositio, vt in l. 1. ff. solu. Matri. & l. penul. Cod. de solu. & l. fin. C. de fruct. & litis expen. Et vna, ac eadem res non debet diuerso iure censeri, duodecima quæstione secunda capitulo cognouimus, & de deci. capitulo in tua. de priui. quia circa, & in l. eum qui, §. fin. ff. de vsu capi. Sed inter Papam, & vniuersalem Ecclesiam contractum est Matrimonium, ergo non debent ad imparia iudicari, capitulo gaudemus de diuort. Clarum est autem, quod Papa, potest renuntiare papatui quando videt se inhabilem ad gubernandum papatum, vt in cap. 1. de renun. in 6.
55 igitur, & Ecclesia debet posse abijcere sponsum criminosum, & male viuentem, & scandalosum ipsi Ecclesiæ. Facit tex. & quæ ibi dicuntur in cap. quanto, & in d. capit. gaudemus de diuor. Vbi enim vxor non
56 potest viro cohabitare sine contumelia creatoris, non est seruituti subiecta secundùm Apostolum, vt in cap. si infidelis, 28. quæstio. 1. Sic igitur, & Ecclesia habens sponsum eam scandalizantem debet posse
57 eum à se abijcere, & repudiare. Decimoseptimò

ſeptimò faciunt iura volentia Papam criminoſum teneri ad ſe purgandum, vt in cap. mandaſtis, 2. quæſt. 4. de Sixto, & in c. auditum eadem cauſa, & quæſt. de Leone. Et de Damaſo in capit. nos ſi incompetenter, §. Item Hieronymus, 2. quæſt. 7. & legitur in eius vita, qui de adulterio accuſatus, in ſynodo cum 42. Epiſcopis ſe purgauit; Concordius autem, & Calixtus eius accuſatores damnati ſunt. Et de Symmacho eadem cauſa, & quæſt. & cap. §. item Symmachus. Indicitur enim purgatio, vbi quis infamatus eſt de aliquo crimine ſcandaloſo, vt in cap. inter ſollicitudines de purga. canon. Conſtat autem, quod cum quis in purgatione deficit, debet deponi, vt in cap. cum P. Manconella, & in dicto cap. inter ſollicitudines, & cap. cum dilectis de purgat. canon. Ergo ſequitur, quod & Papa, ratione criminis, de quo eſt incorrigibilis, & ex quo Eccleſia ſcandalizatur poſſit deponi.

Confirmatur hoc per text. in cap. ſi quis ſuper his, 2. quæſtione 7. vbi eſt text. Gregor. qui dicit, ſi quis nos redarguere, vel extra authoritatem nos facere contenderit, veniat ad Sedem Apoſtolicam quatenus ibi vnus ex vobis ſententiam ſuſcipiat ſuam
58 Patet autem ex verbis huius text. dum dicit extra authoritatem, &c. intelligi depoſitionem, quæ non eſt aliud, quàm quædam ex auctoratio, vt eſt text. in cap. degradatio de pœnit. lib. 6. Facit tex. in l. 2. ff. de ijs, qui notantur infa. Decimooctauò facit
59 authoritas Petri, qui in epiſtola Beati Clementis, ad Iacobum inquit Clementi, ſi enim mundanis curis fueris occupatus, & teipſum decipies, & eos, qui te audiunt, non enim poteris, ea, quæ ad ſalutem pertinent plenius ſingulis quibuſque diſtinguere, & ex eo fiet, vt tu tamquàm qui non docueris, quæ ad ſalutem hominum pertinent, deponaris. Ex quo patet, quod poſſit deponi pro alio, quàm crimine hæreſis. Hoc idem
60 confirmatur ex illa authoritate Matth. 5. de ſale infatuato, quam declarat Hieron. & refert Gratianus. 2. quæſtio. 7. non omnes, vbi dicitur in perſona Beati Petri, & diſcipulorum ſal. id eſt ſtulti. Prælati inſipidi in prædicando, & fatui in delinquendo ad nihilum prodeſt niſi, vt projiciatur foras id eſt deponatur, & conculcetur à porcis id eſt à demonibus, qui dominantur malis Prælatis quaſi pecori ſuo, vt dicit ibi gloſ. allegat text. 24. quæſtio. 1. §. his authoritatibus. Idem etiam confirmatur per illud
61 Ioann. 15. ad omnes Apoſtolos, inter quos erat, & Petrus, ego ſum vitis vera, &c. omnem palmitem in me non ferentem fructum, ſcilicet per traditionem doctrinæ, tollet eum, & infra, ſi quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardebit, &c. Igitur ſi inſipidus Prælatus eijcitur foras, id eſt deponitur, & palmes, vt erat Petrus, & conſequenter, qui vis eius ſucceſſor non ferens fructum mittendus eſt in ignem, vt ardeat, conſequenter, & Papa incorrigibilis, & inſipidus, & non ferens fructum erit deponendus. Decimo-
62 nonò facit, quod tota Eccleſia militans eſt vnum corpus ordinatum per Chriſtum; iuxtà illud ad Roma. 12. multi vnum Corpus ſumus in Chriſto. Iſtius autem Corporis caput eſt Papa, vt dicit Sanctus Tho. in 3. par. quæſtio. 8. artic. 6. & text. in cap. ſacroſancta, 23. diſtinction. & c. cùm beatiſſimus, 24. quæſt. 1. Vbi ergò caput ſcandalizat vniuerſalem Eccleſiam, ſi non poſſet deponi ſequeretur, quod non fuiſſet ſufficienter prouiſum corpori Eccleſiæ, ne ipſum capite langueſcente pereat, quia cùm caput dolet cætera membra languent. Cùm ergo Chriſtus non defecerit in neceſſarijs Eccleſiæ militanti, ſequitur, quod per Eccleſiam Papa illam ſcandalizans deponi poſſit.

Quòd etiam demonſtratur quadam naturali ratione, quia quamuis caput in corpore humano ſit ordinatum ad directionem, & gubernationem membrorum, nec membra debeant recedere à capite, tamen ſi caput in corpore humano efficiatur languidum, licitum eſt membris illud ligare, & cauterizare, ne totum corpus languor inuadat, ſi dolor non fuerit in capite curatus, vt in cap. Ecce autem, 24. quæſt. 3. Sic etiam ſi Papa, efficeretur furioſus, & habens enſem in manu exiret palatium, & occideret omnes ſibi obuios, vtique tunc liceret ſubditis eum capere, & ligare alioquin ſi poneremus Papam homicidam, nullam præ ſe ferentem religionem, perſequentem bonos, tyrannidem exercentem, venena miniſtrantem, religioſos, & Cardinales trucidantem, altaria, & res ſacras ſpoliantem, cum Iudæis conuerſantem, beneficia, Epiſcopatus, & Eccleſiarum bona vendentem, & quæcumque crimina citra hæreſim committentem, & incorrigibilem, & notoriè iſta committentem, ſi non poſſet deponi, nec eſſet dare remedium contra talem Papam, nihil aliud eſſet, quàm ponere Eccleſiam Dei in diſcrimine, & dicere, quod Chriſtus non perfectè, & ſufficienter prouiderit Eccleſiæ ſuæ. Vndè dicit Innoc. in cap. quod ſuper de vo. quod Chriſtus non fuiſſet diligens paterfamilias, niſi Vicario ſuo, quem in terra dimittebat plenam poteſtatem ſuper omnes dimiſiſſet. Facit, quod dicitur per eumdem in cap. ad Apoſtolicæ de re iudic. & in cap. pro humani de homic. in 6. vbi eſt bonus text. Dicere autem, quod Chriſtus non perfectè prouiderit Eccleſiæ ſuæ, eſt hæreticum, cùm Dei perfecta ſint opera Deuter. 32. Nec dicendum eſt, quod Eccleſiam ſuam in aliquo dereliquerit, vt dicit in ſimili gloſ. in verbo vacante in cap. 1. de ſchiſma. in 6. Et ſi Deus Eccleſiam ſuam, vtpotè ſponſam ſibi dilectiſſimam inſtituit, & ordinauit optimo regimine gubernandam, & ſi de ſynagoga de qua minùs videtur, dixit Dominus, quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci ei, vt dicitur Iſa. 5. quantò magis videtur dicendum, quod prouiderit Eccleſiæ ſuæ, & quod non dimiſerit eam in caſu tanti ſcandali ſine remedio? quam dimiſiſſet derelictam, ſi contra talem Papam, notoriè talia committentem, & incorrigibilem non poſſet procedi ad depoſitionem.
63 Accedit, quod verum caput Eccleſiæ, eſt Chri-

Christus. vt in cap. vnico de sacra vnct. & dicit gloss. in Clement ne Romani de elect. nam Ecclesia est Corpus Christi, vt dicit Apostolus in plerisque locis, & text. in capit. schisma in fin. & in capit. aduocauit, 24. quæstio. 1. Vigesimò facit, quod nihil
64 tam naturale est, quàm vnumquodque eodem genere dissoluere, quo colligatum est, l. nihil tàm naturale, ff. de reg. iur. Et omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur, cap. 1. de reg. iur. Sed sic est, quod dignitas Papatus acquiritur per electionem à Cardinalibus, vt in cap. licèt, de elect. & in cap. vbi periculum eod. tit. in 6. cap. in nomine Domini, 23. dist. & Clem. 2. de elect. Ergo sicut suadentibus meritis fuit in arbitrio Cardinalium decernere ipsum eligendum, ita suadentibus demeritis, & incorrigibilitate debet in eorumdem Card. arbitrio esse decernere ipsum deponendum, quia eius est destituere, cuius est instituere, capit. cum ex iniuncto de hæret. 18. quæst. 2. cap. Abbas. Et eius est absoluere, cuius est ligare, vt in cap. inferior ibi gloss. 21. dist. & cap. cùm inferior ibi gloss. de maior. & obed. Accedit, quod dicit S. Thom. in lib. de regi. princ. quod si ad ius alicuius communitatis pertinet sibi prouidere de rege, ab eadem rex institutus si fuerit in tyrannum conuersus poterit destitui. Et si nolumus hoc spectare ad Cardinales, saltem spectet ad Concilium cum Cardinalibus, qui sunt pars Concilij. Nec est absonum, quod Collegium exerceat iurisdictionem in singularem de Collegio, vt in cap. irrefragabili, §. excessus de offic. ordin. & in c. dilecta. de exces. Prælat. & l. fin. C. de iurisd. omnium iudi. Et sic, quod Concilium exerceat iurisdictionem in Papam tamquàm vnum de Concilio, declarando ipsum subuersum, & proprio iudicio condemnatum.
65 Vigesimoprimò facit, quod deficientibus authoritatibus recurrimus etiam ad exempla, & chronicas, vt dicitur in cap. inter
66 dilectos, de fide instru. & in cap. de quibus 20. dist. Sed in gestis antiquarum historiarum reperiuntur plures Romani Pontifices priuati ob aliud, quàm hæresim, vt fuit Christophorus, qui malis artibus Pontificatum adeptus, de illo deiectus est. Et in veteri testamento Alchimus, qui pontificatum sibi vsurpauerat, vt patet 2. Macha. 14. ibi gloss. Nicolai. Item Benedictus Quintus, & Benedictus Nonus, Gregorius 6. Ioannes, 12. & multi alij, & in Concilio Constantien. Ioannes 23. & Benedictus XIII. & Gregorius XII. & nouissimè in Basilien. Eugenius Quartus, qui omnes non ex causa hæresis, sed alijs de causis reperiuntur depositi. Sic & in veteri lege rex Salomon priuauit Abiathar Pontificatu eò quod secutus fuerat partes Adoniæ
67 contra eum, vt legitur, 3. Regum 2. Vigesimosecundò facit, quod omne, quod debemus Papæ, pro vitanda morte corporali, debemus ei pro vitanda morte spirituali, sed in casu, quo Papa, iniustè, & sine causa quacumque vellet proximum interficere, quilibet tenetur, & potest de iure Papam impedire. Ergo vbi Papa, notoriè scandalizat Ecclesiam potest ab alio impediri, & si aliter impediri non potest, quia est incorrigibilis, debet posse deponi. Vi-
68 gesimotertiò pro ista parte adducitur illud Ioann. 19. non haberes potestatem aduersùs me vllam, &c. Vndè colligitur, quod Pilatus, qui gerebat vices Imperatoris, habuit iurisdictionem coactiuam in Christum vt hominem mortalem, sed Papa non est magis exemptus à iurisdictione Imperatoris quàm fuerit Christus, ergo, & ipse subiectus est, iurisdictioni Imperatoris, ergò poterit ab eo deponi. Confirmatur per text. in cap. Constantinus 96. distinct. vbi patet, quod principatus fuit datus Papę à Constantino, ergo erat ipso Papa superior.

Ad idem facit, quod Petrus, & Paulus fuerunt æqualiter subditi Imperatori, sed Paulus appellauit ad Cæsarem, vt legitur actuum. 25. cap. ergo etiam Petrus fuit illi in iurisdictione subiectus, ergo & successores, qui non sunt magis exempti quàm Petrus. Item in veteri testamento potestas summi sacerdotis fuit à Deo instituta, vt patet Exo. 28. & 29. & tamen hoc non obstante Abiathar, qui erat summus sacerdos, fuit, vt paulò ante diximus, depositus per Salomonem eò quod conspirauerat cum Adonia. Ergo à pari videtur quod Papa possit iudicari ab Imperatore de alijs criminibus, quam hæresis, ex quo ei subest in iurisdictione coactiua. Et de hoc videtur tex. in cap. nos si incompetenter 2. qu. 7. Vigesimoquartò etiam pro ista parte adducitur authoritas illius glo. in d. cap. si Papa, quæ hoc vult. Et licèt dicat quando est incorrigibilis eum posse accusari, & nihil dicat de depositione, tamen in se bene intellecta etiam secundùm rationes, quas allegat, sentit, quod ex accusatione possit deponi. Et ita multi Doct. intelligunt illam glos. quos infra refero, & est communiter approbata. Nec obstat quod aliqui voluerunt improbare glos. in ratione sui, quod ideò Papa potest deponi quando est notorius criminosus, & scandalizans Ecclesiam quia est in contumacia, quæ contumacia est hæresis secundùm illam gl. cum secundùm eos contumacia propriè non sit hæresis strictè, & propriè sumpta, secundùm quod loquitur tex. d. cap. si Papa, & sic videtur quod ratio, super qua se fundat non sit bona, & consequenter conclusio glossæ falsa. Quia respondetur quod illa glos. ponit duos casus, in quibus Papa potest accusari, primus est in hæresi strictè sumpta, prout est in articulis fidei, & in alijs damnatis ab Ecclesia, secundus est non in casu hæresis propriè, & strictè, sed largo modo sumptæ, cum qualitate scandali, aliàs glos. non diceretur ponere duos casus sed vnum, quia secundus comprehenderetur in pri-
70 mo, quod non intendit illa glos. Non obstat etiam quod text. in dicto capit. si Papa, primò ponit regulam generalem, quod Papa à nemine potest iudicari, & deinde ponit exceptionem prętérquam in casu hæresis, quasi exceptio firmet regulam in omnibus alijs casibus nō exceptis, l. quæsitum. §. denique ibi Bart. ff. de fundo instruct. l.

nam

nam quod liquidè in fin. ff. de penu lega. l. legata inutiliter, ibi Bar. ff. de lega. 1. & Bal. in l. 1. C. de posthu. hæredi. instit. & Bar. in l. generali §. vxori ff. de vsufructus lega. & glos. in rub. de regu. iu. in 6. 32. qu. 7. capit. dominus de coniu. lepro. c. 2. in fine cum simil. Quia illud est verum in casibus dissimilibus ab exceptis, sed secus in similibus. Abb. in cap. cùm dilecta de confir. vti. vel inuti. & in cap. iurauit de proba. & in capitulo ad audientiam de cler. non resi. & Bald. in capitulo post translationem de renun. Sed iste casus incorrigibilitatis est similis hæresi, saltem largo modo vt dictum est, ergo non comprehenditur in regula, sed sub exceptione illius tex. Et idem videtur dicendum de similibus criminibus, quæ largo modo dicuntur hæreses, vt est simonia, contumacia, inobedientia, & auaritia, quæ dicitur idolorum seruitus, & similia, si in his notoriè delinquit, & est incorrigibilis, & scandalizatur Ecclesia. Accedit etiam quod text. in d. cap. si Papa, cum ponit regulam loquitur in Papa, quando est negligens fraternæ salutis, inutilis, & remissus in operibus suis, & à bono taciturnus. Ex quo apparet quòd regula non est generalis, nec conuenit in Papa committente delictum notorium, scandalosum, & de quo sit incorrigibilis, sed tantùm quando est delictum in omittendo, & in negligentia consistens.

71 Grauiùs autem est crimen commissionis, quam omissionis l. si mora, ff. sol. matri. ibi glos. 16. quæst. 3. placuit in gl. & gl. 16. qu. 6. si Episcopum l. iubemus. §. æconomus. C. de sacro sanc. Eccles. & in regula delictum cum simil. de regu. iud. in 6. Et ideò non valet argumentum à delicto omissionis ad delictum commissionis, vt dictis iuribus, & ponit Bar. in l. licet §. fin. ff. de peculio tex. in l. argentarius §. cum autem ibi Bal. ff. de æden. & ita dicit Abb. Sicut intelligendum illum tex. d. cap. si Papa.

72 Item exceptio solùm firmat regulam in ijs, quæ aliàs comprehenderentur sub regula, sed secus in ijs, quæ non comprehenderentur, Bar. in d. l. quæsitum in §. denique, & Ludo. consi. 259. incipit in casu proposito, & clariùs glosa in d. rub. de regu. iu. in 6. Sicut si diceretur omnis homo currit excepto equo titij, & si diceretur omnes libri sunt mei excepta domo, secundùm Bar. in l. in ijs, ff. de ll. Hìc enim propriè non est exceptio, quia id, quod sequitur dictionem exceptiuam, non comprehenditur sub eo, à quo fit exceptio. Vnde in proposito vt exceptio posita in d. cap. si Papa conueniat regulæ ibi positæ, requiritur quod sit hæresis, quam incurrerit ex negligentia, & remissione, vt in exemplo, quia non vult ministrare sacramenta, non vult confiteri nec celebrare, quia fortassis credit hæc esse superflua, & minimè necessaria, ex his, enim posset Papa accusari, & deponi, secus si ea, in quibus est negligens, & remissus non concernant fidem, quia non poterit ab aliquo accusari. Et hic videtur intellectus illius text. dicti capituli si Papa. Et si dicatur ergo quando esset à fide deuius in committendo, & non in negligendo non posset accusari, vel deponi. Dico quod non sequitur, quia non est facta regula generalis in illo text. de quocumque genere criminis, siue in committendo, siue in omittendo, & propterea non potest dici quod exceptio firmet regulam in alijs, quæ non continentur in regula, & sic in hæresi, quam incurreret committendo. Quinimmo dico quod potiùs probatur contrariũ, hoc est quod in alijs ab ijs, quæ consistunt in omittendo, quodcumque erit crimen commissionis, siue sit hæresis, siue non poterit de eo accusari quando erit incorrigibilis, & scandalizans Ecclesiam, quia in isto casu non loquitur tex. in dicto cap. si

73 Papa. Vnde subtiliùs considerando intellectum illius tex. inuenitur, quod potest induci per glo. ibi, quia ille tex. est pro eo, quod concludit ibi glo. Et inducitur hoc modo primò ponderando verba illa innumerabiles populos cateruatim secum ducit. ex quibus patet quod loquitur in crimine notorio, & scandalizante Ecclesiam. Item ponderando illa verba si suæ, & fraternæ salutis negligens deprehenditur, &c. ex quibus colligitur quod sit incorrigibilis. Vnde tex. ille loquitur, & ponit regulam in crimine notorio, de quo scandalizatur Eccl. & de quo est incorrigibilis, licèt solùm ponat regulam de crimine, quod consistit in omittendo, & in negligentia. Dein-

74 de ostendendo quod ille tex. probat sensum glo. hoc modo, validum est argumentum à contrario sensu in iure 25. dist. cap. qualis 45. dist. cap. disciplina, gl. in cap. cum Apostolica, de ijs, quæ fiunt à Præl. l. 1. §. huius rei cum vulgaribus, ff. de officio eius, cui man. est iuris. Sic ergo, in crimine negligentiæ, & quando est inutilis, & remissus in suis operibus, & à bono taciturnus, nullus mortalium eum redarguere potest quia minus delinquit. Et considero verba illa quod tunc magis officit sibi, licèt & omnibus consequenter. nam ex quo sibi magis, videtur magis excusandus, & censendum quod nullus eum accusare possit, cum non præsumatur, quod quis seipsum lædere velit. Vnde videtur magis redarguẽdus de ignauia, & pusillanimitate, quàm de malitia. Sequitur ergo à contrario quãdo non est criminosus negligẽdo sed committendo scelera, & crimina, per quæ scandalizatur Ecclesia, & est incorrigibilis, quod possit accusari, & deponi, etiam si sint crimina, quæ non contineant hæresim.

75 Nec obstat si dicatur quod argumentum à contrario non est validum, quando resultat contrarietas in iure, vt 3. q. 6. cap. non liceat, & in cap. significasti cum similibus de foro compet. Quia respondetur quod nullibi reperitur ista contrarietas in iure, quod si Papa committit aliquod crimen graue, & est incorrigibilis, non possit accusari.

76 Et si dicatur quod in contrarium sunt multa iura simpliciter dicentia, quod nemo iudicat Papam, vt in cap. aliorum 9. qu. 2. & in cap. nunc autem 21. dist. & in §. hinc etiam dist. 17. & in cap. facta in cap. ipsi canones, & cap. cuncta per mundum eadem causa, & qu. ergo non debet sumi il-

lud

lud argumentum à contrario sensu. Re-
spondetur quod illa iura, quæ dicunt Pa-
pam à Deo tantùm iudicandum, magis
intelligi videntur in foro poli, quam in fo-
ro iudiciali, quod patet, quia etiam dici-
mus in Episcopo, quod est à Deo iudican-
dus, vt in cap. accusatio, el primo 2. qu. 7.
77 Item responsio alia habetur ex supradi-
ctis, quia vt dictum est, quando committit
in Ecclesiam, & eam scandalizat, non de-
bet gaudere illo priuilegio, per notata in
cap. suggestum, facit quod dicitur in cap.
qnia frustra de vsu. Item responderi potest,
78 quod sicut illa iura generaliter loquentia
admittunt exceptionem in casu hæresis, vt
in cap. si Papa, licèt in illis non fiat de hoc
mentio, ita & exceptionem in casu, quando
Papa est notorius criminosus in commit-
tendo, & scandalizat Ecclesiam. Item ter-
tiò potest responderi, quod illa iura lo-
quuntur per dictiones distributiuas nemo,
79 nullus, & similes. Vnde ex eis habetur, quod
à nulla speciali persona cuiuscumque pote-
statis potest Papa iudicari, quia hæc est na-
tura distributiui, vt æquiparetur speciali
numerationi, vt ponit Bal. in l. Stichum,
§. 1. ff. de verbo. oblig. & in l. sicut in an-
nos, ff. quibus mod. vsusfruc. ammi. & l.
huiusmodi §. pen. ff. de lega. 1. Et est ra-
tio, quia non est maior potestas, quàm po-
testas ipsius, quia non habet superiorem,
vt in d. cap. licèt, de elect. Et nullus homi-
num est maior eo, nec Augustus, nec Reges
&c. vt in dicto capitulo nemo 9. quæstio 3.
Sed per hoc non excluditur Concilium,
quod repræsentat Ecclesiam vniuersalem.
Vnde licèt nullus possit ipsum iudicare,
poterit tamen Concilium.
80 Item 4. potest responderi quod iura præ-
dicta non militant in Concilio generali,
quia iudicium vniuersalis Ecclesiæ dicitur
iudicium Dei, prout dicitur Act. 15. Et
per hoc respondetur iuribus, quæ dicunt,
quod facta Papæ iudicantur à Deo, vt in
cap. facta 9. qu. 3. & d. c. nunc autem 21.
dist. quia iudicium Concilij dicitur iudi-
cium Dei. Pro hoc facit, quod fuit decla-
ratum in Concilio Constan. in 4. sessione,
quod generale Concilium potestatem ha-
bet immediatè à Deo. Addo etiam vnam
rationem, nam quod, si Papa committit si-
moniam, & scandalizat Ecclesiam, & de
hoc est incorrigibilis, possit deponi, probo
sic; pœna commensuratur delicto, & ex gra-
uitate pœnæ arguitur grauitas delicti, cap.
fœlicis, de pęnis in 6. de pęni. dist. 1. cap.
mensuram. Tunc sic propter delictum ido-
81 latriæ Papa deponi potest, vt in cap. nunc
autem 21. dist. sed sic est, quod maius est
delictum simoniæ, quàm idolatriæ. Proba-
tur quia maior imponitur pęna veteri lege
simoniacis quam idolatris, hoc probat tex.
in cap. cito turpem 1. quæst. 1. Ergo cum
posset pro idolatria deponi, multò magis
poterit pro simonia.
Ad idem facit à simili, quod idem iudi-
cium debet esse de Papa respectu generalis
Concilij, quod est de Archiepiscopo respe-
ctu prouincialis Concilij. Sed si Archiepi-
scopus, qui est caput, delinquat, iudicatur
per Concilium prouinciale, vt est tex. in
cap. sicut, el. 2. 2. qu. septima. Et si Archie-
piscopus proferat sententiam iniustam re-
tractatur à Concilio, vt in cap. primates. 2.
qu. 1. ergo à pari idem dicendum videtur
in Papa, quod quantumcumque sit supra
Concilium, quando est criminosus iudica-
ri potest à Concilio, & facit, quod dicitur
17. distin. cap. multis. Vltimò facit quod
82 per mutationem qualitatis personæ, cui
commissa est potestas videtur etiam muta-
ta mens committentis, sicut dicitur de
procuratore, qui censetur reuocatus hoc
ipso, quod est effectus vnus ribaldus Domi-
no, l. si cùm Cornelius ff. de solu. c. quem-
admodum, de iureiur. Et in quacumque
facultate damnata subintelligitur clausula
re in eodem statu manente. Pro hoc bonus
tex. 22. q. 2. cap. ne quis, vbi dicitur quod
si is, qui commendauit alicui gladium re-
petat illum furens, non debet tunc illi red-
di, ne vel se, vel alium occidat. Ita in pro-
posito potestas data Papæ, quando effectus
est simoniacus, & incorrigibilis, videtur
ab illo reuocata, & non esse illi parendum.
Accedit, quod deficiente superiore, licet
vnicuique ius sibi dicere 1. distin. cap. ius
gentium, Inno. in cap. olim. el 1. de resti.
spo. cap. 1. de mili. vasal. qui contumax
est in vs. feu. vbi vasallus potest deprædа-
re dominum in defectum iustitiæ. Et in de-
fectum magistratus, reuertimur ad ius
pristinum ante constitutos magistratus,
quo tempore licebat vnicuique ius sibi di-
83 cere. Dato ergo, quod Papa etiam in casu
incorrigibilitatis non habeat superiorem,
tamen si criminibus suis induceret Eccle-
siam in perditionem, nec posset aliter cor-
rigi, liceret iure naturali, illum expellere,
quia non dicitur Pontifex, qui abutitur
Pontificali potestate, nec videtur volunta-
te Dei constitutus, ex quo est malus, & in-
corrigibilis. Facit tex. in cap. audacter 8.
qu. 1. vbi Hiero. adducit exemplum de
Saule, qui licet fuisset electus à Domino,
tamen quia præuaricatus fuerat, iam non
habebat eum pro Rege, sed dixit contra po-
pulum, fecerunt sibi Regem, & non per me,
Principem, & non per consilium meum.
Sic in proposito si electus in Papam sit cri-
minosus, & incorrigibilis, iam apparet ele-
ctionem non esse secundùm Dei volunta-
tem factam, & quod eligentes errarunt eli-
gendo talem, igitur tamquam sal infatua-
tum, quod ad nihilum valet, vltra nisi
vt mittatur foras, & conculcetur ab homi-
nibus, eijciatur, & deponatur. Cum illa
opinione, quod propter simoniam, vel
aliud crimen de quo est incorrigibilis, &
propter quod scandalizatur Ecclesia possit
per Concilium deponi, sunt vltra dictam
glo. in d. cap. si Papa, omnes illi Doctores
quos supra retuli in artic. an Papa possit
accusari de simonia, in versi. restat dicen-
dum. Vbi refero Abbatem hoc in pluribus
locis tenentem, & Petrum de Ancha. & Lu-
douicum Pontanum in pluribus locis, &
maximè in sermone habito per eum in
præsentia Ducis Sabaudiæ, incipit in Dei
omnipotentis, & Dominicum, & Mathesil.

 & Pe-

& Petrum Card. Cameracen. & Cataldinum de Boncompagnis, & vniuersitatem Cracouien. & Ioannem Milis, & Felinum, & Alexandrinum, & Baldum, & Gersonem. Quibus adde Ioa. de Imo. in cap. proposuit in 11. col. super glo. in verbo dispensare de de concess. præben. & Bal. in cap. olim. de rescrip. in duobus locis. Nam primò in 4. col. referendo Hugonem dicit, quod Cardinales possunt authoritate Dei deponere Papam, & tamen non sunt maiores Papa allegat Hugo 63. distin. cap. in synodo, & cap. si Papa 40. dist. Posteà in vlt. col. allegat Huguttionem in c. si duo. 79. dist. ad hoc quod Papa potest remoueri propter notorium crimen enorme. Et infert ad schisma, quod tunc vigebat dicens, tene menti, & de facto est, quia dicitur quod quidam ex eis est notoriè periurus, de elect. c. venerabile, & sic sentit, quod ob notoriū periurium Papa possit deponi. Qui omnes dicunt glo. in d. cap. si Papa communiter approbatam. Et istam opinionem videtur tenere glos. in capitulo si fortè dist. 63. qu. allegando glo. in cap. si duo. dist. 79. dicit quod ratione scandali vitandi, si reperiuntur duæ electiones de diuersis personis factæ ad Papatum, potest Concilium vtramque cassare. Et debet intelligi, quod altera tenebat, aliàs ibi nihil operaretur consi-
85 deratio scandali. Et idem videtur tenere Felin. in capitulo ad audientiam de præscr. allegando Abbatem in cap. cum venissent, de iud. qui etiam dicit, quod cùm Papa aliena rres Ecclesiæ, non præsumitur in eo causa, licèt aliàs in Principe semper præsumatur causa, vt in cap. quæ in Ecclesiarum, de constitutionibus.

85 Sed in contrarium faciunt omnia illa iura, quæ dicunt quod facta Papæ tantùm à Deo iudicantur, vt in d. cap. si Papa, & in d. cap. facta 9. quæst. 3. & cap. aliorum eadem causa, & qu. vbi tex. dicit aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminare, sed sedis istius præsulem suo sine quæstione reseruauit iudicio. & qui Dei iudicio reseruatur, ab humano iudicio iudicari non potest, vt in c. quorumdam dist. 23. Ad idem c. cuncta per mundum eadem causa, & qu. & alijs pluribus. Quod dicit glo. in cap. si quis pecunia dist. 79. & tex. 17. dist. §. hinc etiam, & in d. cap. nunc autem dist. 21. cum simil. Nec responsiones datæ supra ad dicta iura videntur sa-
87 tisfacere. Et quo ad primam de capit. suggestum, ibi est longè diuersa materia, quia loquitur in priuilegio concesso loco, & personis, quod reuocatur cessante causa ipsius, & quod amittitur in multis casibus, vt ibi gl. & Doct. & in cap. tuarum, de priuile. Sed in proposito sumus in præeminentia dignitatis acquisita cum dignitate perdenda, & non in aliquo priuilegio per superiorem cōcesso, quod de facili ammittitur, & reuocatur per superiorem. Item ibi est sermo de priuilegio concesso à superiore inferiori, hic nos sumus in reuocanda dignitate superioris ab inferiore, quod est
88 penitus contrarium. Ad secundam responsionem dicitur, quod est magna ratio diuersitatis inter casum hæresis, & alterius criminis; quia in primo casu desinit esse Papa quàm primùm est hæreticus, & efficitur minor quolibet catholico, vt in cap. Acharius 24. quæst. 1. ideo non tam damnatur, quàm declaratur damnatus, vt dicitur in d. cap. si Papa, & supra sæpiùs dictum est. In alijs autem criminibus requiritur depositio, & deiectio, quæ à nullo hominum fieri potest, quia eam sibi Dominus reseruauit, vt cap. eiectionem 79. dist. Item quo ad alia crimina nullibi reperitur hoc statutū, quod possit Papa amoueri, sicut in hæresi vt in d. cap. si Papa, ideo est longè diuersa
89 ratio de vno, & alio. Ad tertiam responsionem dicitur quod iura non tantùm per dictiones distributiuas loquuntur, sed etiam per vniuersales. Quod patet primò in dicto in dicto cap. nemo 9. quæst. 3. dum dicit quod neque ab Augusto neque ab Augusto neque ab omni clero, quod glos. ibi exponit in Concilio, nec à regibus, nec à populo Iudex iudicabitur, & sic nec à Concilio potest iudicari. Et similiter in c. nunc autem 21. dist. & in §. hinc. etiam 17. distinct. agitabatur causa in Concilio. & respondetur quod non est Concilij de Papa iudicare. Item tex. clarè probat in dict. cap. eiectionem, vbi dicit, quod licèt electionem Papæ Deus concesserit bonis sacerdotibus, & spiritualibus populis, tamen eiectionem ipsius sibi reseruauit, & sic nec boni sacerdotes, nec spirituales populi, ex quibus consistit concilium possunt illum deponere. Et cum dicitur, quod nemo, nullus, & similia distributiua non possunt conuenire nisi singularibus personis, respondetur quod illud non est verum simpliciter, quia quando illis nominibus adiungitur dictio collectiua, vt puta populus, vel clerus &c. tunc non distributiuè, & singulariter, sed collectiuè simul, & communiter sumuntur, iuxta illud ad Hebræ. 3. & Moyses quidem fidelis erat in omni domo eius, idest in tota domo, idest synagoga Iudeorum. Ad idem est illud 3. Regum 8. conuertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel. Item illud 1. Paralip. 29. præcepit autem Dauid vniuersæ Ecclesiæ, benedicite Domino Deo nostro, & benedixit omnis Ecclesia Domino Deo patrum suorum. Et illud Matt. 2. turbata est omnis Ierosolyma. De quibus distributiuis, & collectiuis per Bar. in l. hoc articulo, & ibi Bal. Ang. & Imo. ff. de hær. insti. & Bar. in l. qui filiabus §. 1. ff. de leg. 1. Bal. in l. fi. C. de impub. & alijs substit. Item quod non obstante, quod aliqua iura loquuntur distributiuè, intelligatur etiam quod de Papa nullus etiam clerus, populus, vel Concilium iudicat, probat tex. in dict. cap. si Papa, vbi dicitur quod Papa à nemine potest iudicari, nisi deprehendatur à fide deuius, si enim caperemus à nemine singulariter tantùm, videlicet ab illo, vel illo, vt puta à Petro, vel Ioanne singulariter, tunc sequeretur quod fuisset dubitatum, an vnus tantùm posset Papam à fide deuium iudicare, & quod non fuisset dubitatum, an à Concilio posset iudicari, hoc

autem

autem est falsum, vt patet ibi in dict. cap. si Papa post glos. & in cap. nunc autem 21. dist. Ad quartam responsionem cùm di-
90 citur, quod iudicium Concilij est iudicium Dei, dicitur quod aliquem iudicari Dei iudicio potest intelligi duobus modis, vno modo immediatè ab ipso Deo sine alicuius hominis ministerio, & de isto iudicio loquuntur iura præallegata, quod solus Deus iudicat Papam, & isto modo iudicium Concilij non est iudicium Dei. Alio modo mediatè, vt est iudicium potestatis à Deo alicui datæ. Et sic conuenit etiam simplici sacerdoti, vt est tex. in §. sed quem, de pœnit. dist. 3. quia quem sacerdos iudicat, Deus dicitur iudicare, cuius personam gerit, & tex. in capitulo nemo vndecima quæstio. 3. vbi dicitur nemo contemnat Ecclesiastica vincula, non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit. Et hoc modo istud dicitur iudicium Dei per homines, & sic iudicium Concilij dici potest iudicium Dei.

Et de isto iudicio mediato ex potestate à Deo data non loquuntur illa iura, quod ostendit ille tex. in cap. eiectionem 79. di-
91 stinct. Secundò pro ipsa parte facit tex. in capit. eiectionem 76. distinct. & 9. quæstio. tertia nemo, cum pluribus sequen. alio modo inductis, cum dicunt quod nemo Papam iudicat, & cap. si Papa 40. dist. & secunda quæstio. septima, oues, & 6. quæst. prima oues & 21. distin. c. nunc autem, & & 17. distinct. §. hinc etiam, & 21. dist. cap. intantum, & cap. licèt de electione. & in extrauaganti Bonifacij, vnam sanctam. Et ideò quod Papa quantumcumque notorius, criminosus, & incorrigibilis, & scandalizans Ecclesiam non possit deponi, arguunt omnia illa iura, dum volunt quod Papa à nemine iudicatur, & iura, quæ volunt, quod non habet superiorem, vt in d. cap. licèt de electione, & in §. patet tertia quæst. 1. Quia si non habet superiorem non habet, qui eum iudicet, cùm inferior non iudicet superiorem, vt in capitulo cùm inferior, de maior. & obed. & cap. inferior 21. distinctio. Facit text. in capitulo bene quidem, & in capitulo vbinam, & capit. denique, & capit. satis euidenter, & melior tex. in capitulo quis dubitet 96. distin. Inferior enim non potest iudicare superiore, nisi se submiserit, vt in 2. quæstio. septima, non si incompetenter, & in l. est receptum ff. de iurisd. omnium iudicum. An autem Papa possit se submittere alterius iurisdictioni, vt possit etiam deponi dicitur latè supra, & videtur, quod non possit per notata Ioan. Andr. in cap. Ecclesia, de constit. & in cap. significasti ibi Abb. de foro competent. & faciunt etiam pro ista parte omnes rationes, & auctoritates, quas adducit Card. de Turrecrem. in articulo, quod Romanus Pontifex extra casum hæresis non habet Iudicem superiorem in terris; qui artic. est in secundo lib. cap. 93. Et ad hoc facit tex. in cap. graue, & quod ibi notat Abba. in vlt. nota. de præben. vbi dicitur, quod quia Metropolitanus est caput Concilij prouincialis non potest iudicari, siue puniri ab ipso prouinciali Concilio, sed denuntiatur, & relinquitur iudicio superioris, vt dicit ibi text. A pari arguit ibi Abbas quod Papa non potest puniri per Concilium generale, quia ipse est caput eius in cap. significasti, de elect. relinquitur ergo iudicio superioris sui, hoc est Dei, vt dict. capit. aliorum 9. quæst. 3. Tertiò faciunt pro ista parte omnia iura, & rationes, quæ infra adducuntur ad probandum Papam maiorem Concilio. Quartò facit illud, quod dicit Hostien. in capit. proposuit, de concess. præben. videlicèt quod illud Euangelium Matth. 18. dic Ecclesiæ non habet locum in Papa. Et idem simpliciter videntur velle Archid. & Doct. in dicto cap. si Papa 40. distin. supplentes enim ad glos. dicentem, quod non potest denunciari crimen ipsius Papæ, dicunt quod ideo est, quia non habet superiorem. Et idem Hostien. in cap. magnæ, de vo. & in cap. per tuas, de simo. & in licèt, de accus. secundùm Dom. in dict. c. si Papa. Et idem dicit gloss. in cap. si peccauerit 2. quæst. 1.

93 Et per hoc patet, quod non obstat, quod dicitur in 9. & 14. motiuis supra pro parte opposita adductis, quia ex quo illa auctoritas dic Ecclesiæ intelligitur, idest prælato secundùm gloss. Nico. ibi, & ponunt Doctor. in capitulo nouit de iudic. non possunt intelligi in Papa, quia non habet Prælatum supra se, nec per inferiores est arguendus, facit illud Apost. 1. ad Timo. 5. & transumptiuè 3. quæst. 7. Paulus, seniorem ne increpaueris, & illud 3. quæst. 6. non liceat, & illud Exo. 16. omnis, qui montem tetigerit lapidabitur. Non obstat quod dicitur, quod ita sit subiectus Papa legi euangelicæ, sicut quilibet alius Christianus, quia illud est verum in ijs, quæ ei conueniunt, sed illud dic Ecclesiæ non conuenit in persona Papæ, qui non habet cui delictum eius deferatur, sicut si diceremus quod præceptum, honora patrem tuum, & matrem, non conuenit in eo, qui caret pa-
95 tre, & matre. Non obstat quod verba illa dirigantur Petro, quia diriguntur ei tamquam capiti Ecclesiæ, & Apostolis simul. Item oportet ea intelligere in Petro secundùm ea, quæ possunt personæ eius conuenire, vt est prima pars illius præcepti, sed secus de illa dic Ecclesiæ, quæ ei non potest conuenire passiuè, sed tamquam capiti Ecclesiæ, & iudici. Non obstat quod dicitur, quod immò, quia sicut grauiùs suo exemplo scandalizat subditos ita grauiùs est puniendus, quia respondetur verum esse, quod grauiùs est puniendus, sed non ab homine, sed à Deo, vt dicto cap. nemo, & capitulo aliorum, & capitulo facta. Quinimò, vt dicit glos. in dicto capit. aliorum est puniendus sine venia, sicut diabolus, qui maximus comparatione aliorum creatus est, vt de pœni. dist. 2. capitulo principium, idem esset dicit glos. in cap. præsul. 2. quæst. 5. Et de ista auctoritate dic Ecclesiæ vide quod latè

examinatur in artic. an Papa sit maior Concilio. Quintò pro ista parte facit tex-
97 tusmet in dicto capitulo si Papa, vbi vult Papam tantùm in crimine hęresis posse damnari, & ponit istam tantùm exceptionem ad regulam, quod Papa à nemine damnatur, ergo stat firma regula, quod nec pro crimine, de quo esset incorrigibilis, & scan-
98 dalizaretur Ecclesia. Nec obstant in contrarium supra adducta arguendo à contrario, quia dictum argumentum à contrario est sumptum ex illis verbis remissus, inutilis, & taciturnus, quæ sunt in princ. text. ex quibus rectè intelligendo illum tex. ne resultet contrarietas ad iura simpliciter volentia Papam, à nemine iudicari non debet sumi regula à qua deriuetur exceptio ibidem posita, nisi quando est à fide deuius, & sic non debet intelligi tex. tantum in criminibus, quæ consistunt in omittendo. Sed debet sumi regula in illo tex. ex illis verbis, huius culpam istic redarguere pręsumit mortalium nullus quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, quæ verba complectuntur etiam crimina, quæ sunt in committendo. Et ab ista regula sequitur exceptio, nisi deprehendatur à fide deuius, alioquin sequeretur inepta exceptio ad casum hæresis, quæ committererur in negligendo, & non esset perfecta exceptio, sed potiùs exceptionis restrictio, cùm tamen exceptio illa, nisi sit à fide deuius, comprehendat hæresim simpliciter, siue in committendo, siuè in omittendo. Et licèt text. in princ. loquatur in Papa, qui culpatur de negligentia, tamen ratio, ex qua sumitur regula, & exceptio est generalior, & ideo quan-
99 tumcumque dictum sit speciale, ex quo ratio est generalior, debet generaliter intelligi tex. in l. regula, ibi Bar. ff. de iuris, & fac. igno. l. cùm pater §. dulcissimis ff. de leg. 2. ad hoc tex. & glos. in l. generaliter ff. de in ius vocan. Facit tex. in l. fin. C. de sent. pas. ibi quod est maximè absurdum eodem tempore nec in patris nec in sua quemquam fuisse potestate. Quæ ratio conuenit in captis ab hostibus, & reuersis iure postliminij, vt in §. si ab hostibus institutio, quibus modis. ius. patriæ potest. soluitur.

100 Quid dicendum? In hoc artic. vt magis elucesceret veritas, visum est ad vtramque partem arguere. Porro non possum non mirari de ijs, qui fuerunt in illa opinione, quod Papa ratione notorij criminis, de quo est incorrigibilis, & per quod
101 scandalizatur Ecclesia possit deponi, nitentes sensu vnius glossæ, quæ loquitur titubando per verbum credo, & licèt resp. Doct. per verbum credo, æquipolleat responsioni per verbum affirmo, si quis filio §. irritum, & ibi Bal. ff. de iniu. rup. & irrit. test., & si variat sit erubescendum, vt in l. eos C. de modo mulctarum, & Bal. in l. de tutela C. de in integ. restit. min. tamen minus dicit, qui dicit se credere, quàm qui affirmat. Barto. in l. Marcellus §. 1. ff. rerum amo. l. inter omnes §. rectè ff. de fur. Et maximè ad idem est, quod ponit Calde. in consil. 4. de confes. & refert Domi. in cap. primo de confess. in 6. Facit quod dicitur in l. mutus ff. de procu. & in l. si duo ff. de arbit. post glos. ibi. Et glossator ipse dixit contrarium in cap. si quis 79. dist. scilicèt quod tantùm in casu hęresis strictè sumptę. Papa potest accusari. Et cùm velint Papam esse supra omnes canones, & leges, vt in ca. proposuit de conces. præben. & solutum omnibus legibus, vt l. Princeps, & l. digna vox ff. & C. de ll. ipsum conantur ligare auctoritate vnius glosellæ, cùm tamen, nec illius rationes concludant. Fun-
102 datur enim glos. 1. in text. 38. dist. c. nullus, vbi dicitur, quod qui rebelliter viuit, & discere, atque agere bona recusat, potiùs diaboli, quàm Christi membrum esse ostenditur, & potiùs infidelis esse, quàm fidelis monstratur. Secundò fundatur text. cap. si qui presbyteri 81. distin. vbi dicitur quod peccatum paganitatis incurrit, qui sedi apostolicæ obedire contemnit, & quasi scelus idolatriæ est nolle acquiescere. Qualiter autem hoc debeat intelligi, glos. in dict. cap. si qui presbyteri ibi in verbo contemnit, remittit. ad cap. nulli fas 19.
103 dist. & ad cap. omnes 22. dist. Et in d. c nulli fas, declarans omnia huiusmodi iura, dicit, quod qui asserit Romanam Ecclesiam non esse caput, nec posse condere canones, est hæreticus, sed si quis aliter transgreditur eius mandatum non est hæreticus, licèt peccet eodem modo gloss. in cap. generali verbo inhibemus, de elec. in 6. Coniungendo ergo omnes glos. simul, & intelligendo vnam per aliam, ita demum criminosus, qui facit contra canones, & est pertinax, & incorrigibilis incurrit crimen hæresis, si dicit Romanam Ecclesiam non esse caput. nec posse condere canones, aliàs; secùs, licèt peccet. Et ad hoc ferè per totum sunt omnia illa iura. 25. qu. 1.

104 Itē certum est, quod contumacia, & incorrigibilitas de se non est hæresis, nisi quando negatur potestas clauium, vt dictum est, & præsertim non est hæresis strictè sumpta, idest contra articulos fidei, propter quam solam potest Papa deponi, & non propter hæresim largè sumptam, vt dicit. d. gloss. in d. cap. si quis pecunia 79. dist. cap. sicut sancti, & in cap. Anastasius 19. dist. Tex. autem in dicto c. omnes 22. di. ad quem remittit gloss. prædicta in d. cap. si qui presbyteri, dicit, quod qui Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso omnium summo Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur, & est hæreticus dicendus. Omnia igitur huiusmodi iura loquuntur de inferioribus à Papa, qui agūt cōtra canones, & cōtra sedem Apostolicā. Præterea
105 si attendatur ratio illius gloss. in d. c. si Papa, quæ solùm fundatur super contumacia, videtur quod etiam de crimine nondum notorio, & de quo non scandalizatur Ecclesia posset Papa accusari, dum tamen sit incorrigibilis, & iura, quæ allegat indistinctè loquuntur, siue crimen sit notorium, siue non, siue exinde scandalizetur Eccle-

Ecclesia, siue non, cuius contrarium tenet eadem gloss. dicens, quod propter hæresim occultam potest accusari, non autem propter aliud crimen occultum. Nec obstat quod dicit Archi. in dicto cap. si Papa
106 circa fi. gloss. qui videtur velle, quod si esset criminosus & incorrigibilis, & scandalizans Ecclesiam. videretur docere hæresim, quia illa verba Archi. non sunt posita super quæstione illa glossæ vtrùm pro crimine notorio, de quo est incorrigibilis & scandalizatur Ecclesia possit deponi, sed super penultima quæstione glossæ, in vers. item numquid Papa posset statuere, quod non possit accusari de hæresi, & ad responsionem glossæ, quod non, quia ex hoc periclitaretur tota Ecclesia, supplet Archi. nam sic doceret hæresim, vnde videretur subuertere vniuersalem statum Ecclesiæ. Alioquin dictum Archidiaconi non esset verum, si intelligeremus ipsum, quod inquantum Papa esset criminosus, & incorrigibilis videretur docere hæresim, nec illa verba Archi. conuenirent ad illam partem gloss. in versi. item numquid, supra positam, quia criminosus, qui nihil statuit, & nihil prædicat, & nihil studet, non potest dici docere hæresim. Et ex his patet
107 responsio ad 24. motiuum in contrarium quia non est verum dicere, quod crimen notorium iunctum cum incorrigibilitate & scandalo Ecclesiæ, sit casus similis hæresi, de qua loquitur exceptio dicto capitulo si Papa, quia licèt peccet talis incorrigibilis, criminosus, non tamen est hæreticus, vt dictum est. Et licèt glos. ponat duos casus, tamen secundus est omnino dissimilis à primò nec fundatur iuribus, quæ allegat. Et si esset vera conclusio in secundo casu, quod quando cum crimine quod largo modo hæresim sapit, interuenit qualitas scandali, ex hoc posset Papa deponi, idem diceremus in simonia, quæ largo modo appellatur hæresis, vt supra dixi, & patet in pluribus iuribus prima quæstione prima. idem quoque esset de auaritia, quæ dicitur idolorum seruitus vt in capit. saluator prima quæstione tertia & cap. idolatria 28. qu. prima, idem & de inobedientia, vt in d. cap. si qui presbyteri 81. dist. & his similibus. Et tamen glos. in dicto capitulo, si quis pecunia 79 distinctio non vult propter simoniam posse Papam accusari, sicut nec aliæ glos. supra allegatæ.

Et per hoc patet, quod bona est etiam ratio illorum, qui improbantes gloss. in d. cap. si Papa. dicunt quod ratio gloss. non est bona dum dicit quod contumacia est hæresis, quia non est verum, quod sit hæresis propriè. de qua tex. in d. cap. si Papa vult posse Papam accusari, & de qua Doc. loquuntur in cap. in fidei de hære. in 6. Comprobatur, quia Papa non potest accusari, & minùs deponi, de hæresi non damnata per Ecclesiam, sed solùm de damnata, & vera hæresi, vt dicit Hugo. Archi. Ægid. Alexand. & alij in dicto cap. si Papa. Sed simpliciter capiendo aliquem criminosum contumacem, & incorrigibilem, & scandalizantem Ecclesiam, non dicimus eum incidere in hæresim damnatam, si non credit, quod illa contumacia & incorrigibilitas illius criminis non sit peccatum, & quod per Ecclesiam non potuerit decerni esse peccatum, vt dicit illa gloss. & Doct. in cap. generali in verbo inhibemus de electi. in 6. Quod probatur
108 per tex. in cap. cum contumacia de hære. in 6. vbi vult. quod ob contumaciam excommunicatus, & per annum pertinaciter in excommunicatione persistens tunc demum potest condemnari, vt hæreticus quando est excommunicatus ex causa hæresis, si ergo contumax ex alia causa est excommunicatus, etiam post annum non damnatur, vt hæreticus, licèt aliàs habeatur suspectus de hæresi, vt est tex. & ibi gloss. in cap. si. de pœnis possetque ex hoc indici purgatio in qua si deficeret locus esset tex. in cap. excommunicamus el 1. §. credentes de hære. Vnde hæc suspicio esset probabilis, & non violenta, vt dicit Car. in d. cap. si. post Innoc. Quapropter sola contumacia, & incorrigibilitas non dicitur vera hæresis, & ideo non potest Papa ex tali delicto de, quo est incorrigibilis deponi, & maximè, quia hoc nullo iure cauetur. cap. illa. ne sede vacan. ca. is qui de senten. excommun. in 6. l. illam C. de collat.

109 Item quod ista conclusio sit vera, ostenditur alijs rationibus vltra præmissas Clarum est in primis, quod Papa non habet potestatem à Concilio, sed à Deo, vel saltem principaliter à Deo, & secundariò à Concilijs, iussu, & authoritate Dei, vt est tex. in §. hinc etiam 17. dist. & ibi glo. ergo nō debet esse in potestate Concilij, seu Ecclesiæ hanc authoritatem ab eo auferrè vel tollere, & contrahere nec eū deponere, si-
110 ue exauthorare. Facit quod in simili dicimus Papam habere duplicem gladium & spiritualem, & temporalem, spiritualem in habitu, & exercitio, sed temporalem in solo habitu. Exercitium autem est commissum Imperatori etiam iussu Dei secundùm, quod notatur, capitulo nouit de iudic. ex quo sequitur, quod Papa non potest tollere exercitium iurisdictionis, temporalis ab Imperatore, quod exercitium in eum contulit iussu Dei, vt notant Doc. in dicto capitulo nouit. Hoc idem probatur exemplo Dauid, qui cùm homicidium, & adulterium commisisset, non est à Deo damnatus, nec illico depositus, sed missus est propheta Nathan, qui illum argueret, vt habetur 3. quæstione 7. §. item cùm Dauid. Item, & clariùs osten-
110 ditur exemplo, nam legitur 2. reg. 6. quod cùm arca Domini reduceretur de Gabaa in Ierusalem, à bobus recalcitrantibus arca inclinata est, cui cùm Oza leuita manum adhiberet, vt eam erigeret, à Domino percussus interijt Per arcam Prælati intelliguntur, per Ozam subditi, per inclinationem arcæ casus intelligitur Prælatorum, per illum, qui manum adhibuit intelliguntur reprehendentes, vel accusantes vitam Doctorum, qui à Domino percussi intereunt, ita dicit tex. 2. qu. 7. capitulo plerumque §. de his, versiculo

item

item legitur. Si autem hoc de inferioribus Papa dicitur, multò magis idem di-
111 cendum est de Papa. Vnde & in Papa idem clariùs ostenditur, nam legitur in Exodo, quod Maria soror Aaron, quæ prima post trãsitum maris rubri sumpto tympano hymnum cantare meruit, postea murmurans in Moysem eo, quod æthiopissam duxerat vxorem, à Domino lepra percussa est. Per Mariam autem Synagoga intelligitur, quæ in Moysem idest in Christum murmurauit, quia æthiopissam idest Ecclesiam de gentibus sibi copulauit quos lepra perfidiæ, & erroris sordidos fecit ea. cau. & quæstione 5. de his versiculo item obijcitur, & §. his ita versiculo Moyses. Synagoga autem congregatio dicitur vt dicit Archi. in capitulo Ecclesia de consecra. distinctione prima. & Ioan. de Ana. in capitulo Iudæi de Iudæis & Ioan. Andr. in capitulo fundamenta in prin. de elect. in sexto, cui non licuit, iudicare de Christo, igitur nec Concilio licèt de Papa iudicare. Et pro hoc facit tex. in capit. oues, secunda quæstione septima, vbi dicitur, quod oues suum pastorem nec reprehendere, nisi à fide deuiauerit, nec accusare pos sunt. Quod optimè competit Papæ, ipse enim est Pastor omnium, & Concilium generale est ouile, iuxta illud Ioan. 10. erit vnum ouile, & vnus Pastor. Ad idem 6. quæstione prima oues, & text. in capitulo nolite 21. distinctione. Confirmatur hoc
112 quia si ratione alicuius criminis, de quo sit incorrigibilis Papa posset deponi, frustra à Doctoribus prodita essent diuersa remedia, quibus prouideri debeat, quando, Papa est notorius criminosus, & incorrigibilis, & scandalizans Ecclesiam, vt dixi supra, vbi recitaui septem remedia data à Doctoribus, post illam quæstionem, an Papa possit accusari de crimine notorio, de quo est incorrigibilis. Et vbi est dare remedium sine depositione non debet pro-
113 cedi ad deponendum, argu. l. & si quis §. diuus ff. de religi. & sumpt. fune. Bald. in l. nemo martyres C. de sacrosan. Eccle. & maximè ad euitandum scandalum, quod posset ex priuatione oriri, possent enim inde nasci schismata, quæ vt plurimum in
114 simili casu sunt exorta ratione autem vitandi scandali receditur sæpiùs à regulis iuris, vt dicit Ludo. in l. si verò §. de viro in 7. fallen. ff. solu. matri. Ad hoc gloss. in capitulo latores de cle. excom. minist. cap. cùm ex iniuncto de noui operis. nun. Et maius esset scandalum schismatis, quam sit ex hoc, quod Papa est criminosus, & incorrigibilis. Vnde in simili dicit tex. in l. prima & in l. maritus ff. de quæstioni non esset à quæstionibus inchoandum, & tex. in l. de minore in §. tormenta eo tit. dicit, quod in excutienda veritate plurimum vox ipsa, & cognitionis subtilis diligentia confert. & considerare oportet cuius existimationis quisque in ciuitate sua sit, & non illico ad tormenta procedere.
115 Quapropter in simili vbi est dare aliud remedium. semper iura volunt per tutiorem viam procedi. Sic etiam tex. in l. vnius in §. in ea. eo. tit. dicit. tormenta non facilè adhibenda sunt, sed instandum accusatori est, vt quod intendit probet. Vnde in proposito ex quo prodita sunt alia remedia contra Papam notorium criminosum, & incorrigibilem, non debet deueniri ad depositionem, maximè cum nullibi reperiamus cautum, quod ex dicta causa possit Papa deponi. Erubescimus autem sine lege loqui. l. illam cum simil. C. de colla. Nec ex proprio sensu debemus, procedere ad aliquem condemnandum, maximè cum tex. dicat in capitulo, ne innitaris prudentiæ tuæ de consti. quod prudentiæ suæ innititur, qui in ijs, quæ ei agenda dicendaue videntur iudicium suum Patrum decretis præponit, sicut propriè est in proposito, cùm sentientes Papam deponendum dicant directè contra illa iura in capitulo nemo, & in capitulo aliorum, & in capitulo facta, & capitulo ipsi. nona quæstione tertia, vbi patet, quod Papa non potest ab aliquo homine iudicari, sed à solo Deo. Nam ipse vicem veri Dei gerit in terris, vt in c. quanto de translat. Præla. Et habet cæleste arbitrium c. 1. in fi. de summa Trin. & idẽ consistoriũ siue Tribunal cũ Christo, vt ibi dicunt Do.
116 Non obstat, quod dicitur, quod Papa est subiectus correctioni Euangelicæ, sicut, & cæteri, quia patet responsio, quod licèt sit subiectus, non tamen quo ad depositionem, etiam si illa verba dic Ecclesiæ intelligerentur, id est Concilio. Quamuis enim posset Concilium congregari eo respectu ad resistendum, & prouidendum per alios modos, non tamen per depositionem, quia in hoc non subest Concilio nisi in casu hæresis, vt supra dictum est. Pro quo facit ratio, quia potestas Papæ est à Deo; Sacerdotium enim fuit translatum de Aaron in Christum, & à Christo in Petrum, vt notatur in cap. translato, de constit. & probatur dist. 21. in nouo, & ideo dicitur tenere caput, & principium Apostolatus 22. dist. sacrosancta. Et quod sit à Deo est text. in cap. nouit. de iudic. & in §. hinc etiam 17. dist. quia à solo Deo iudicatur, vt ibi. Quod autem à Deo est, homines non
117 possunt dissoluere, ne fortè videantur Deo repugnare, vt habetur actuum 5. Ergo sequitur, quod non potest ob quodcumque crimen à quo quam deponi, præterquam in casu hæresis per dictu capit. si Papa, & est bona gloss. in cap. 1. de renunt. in 6. in verbo insufficientem, & sic nec à Concilio, quod & probat text. in dicto capit. sacrosancta 22. dist. Subijcitur ego correctioni Euangelicæ, sed non propterea depositioni. Facit quod in simili dicitur, quod cui commissa est correctio non poterit deponere 50. dist. cap. contumaces, de statu Monachorum, capitulo ea quæ §. quod si Abbas ff. de officio præsidis leg. legatus, gloss. in cap. quærenti de verb. signif. Non
118 obstat quod dicitur, quod vna, & eadem res non debet diuerso iure censeri, & quod ita est frater Papa, sicut cæteri, quia respondetur, quod est ob diuersitatem rationis. Quia enim est omnium superior, nec est, cui facta eius deferantur, sed tantùm Deo reseruantur, vt in cap. facta 9. qu. 3. ideo

pro-

propter diuersitatem rationis in subiecto non est absonum, quod vna, & eadem res
119 diuersoiure censeatur. Nec obstat quod verba illa fuerint directa Petro simul cum alijs, quia hoc potiùs facit pro, nam si sunt dicta Petro, sunt illi dicta tamquam capiti, cui competit alios corrigere, & non corrigi, vt 2. qu. 7. cap. maiorum, & cap. oues cum simil. Et considerandum est, quod dicitur in singulari, sit tibi sicut ethnicus & publicanus non enim dicitur sit vobis sicut ethnicus, & publicanus, sed dicitur sit tibi quasi capiti, & superiori, ad quem spectat correctio. Et sic intelligendo potiùs faceret pro Papa, quàm contra. Ad quod facit, quod dicit sanctus Thomas in secunda secundæ, qu. 11. art. 4. quod Dominus paulò inferiùs ibi non dico tibi septies, & capit. loquitur Petro de peccato in eum commisso, quod est semper dimittendum, vt fratri redeunti parcatur, non autem de peccato in Deum, vel in proximum commisso, quod non est nostri arbitrij dimittere secundùm Hieron. sed in hoc est à lege modus statutus, secundùm quod congruit honori, Dei, & vtilitati proximorum.

120 Sed si volumus præmissa verba, Petro directa, impersonaliter cap. in quocumque fideli, vt capiuntur in dicto cap. nouit de iudic. & 2. qu. 1. si peccauerit, & vt communiter intelliguntur, tunc verba illa dic Ecclesiæ, & alia, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus non possunt conuenire in persona superioris respectu inferioris in foro iudiciali, quia inferior non iudicat superiorem cap. inferior dist. 21. & cap. cùm inferior. de maiorit. & obedien. cum simil. Vnde dicit Archidiac. in dicto cap. si peccauerit, & refert Abb. in dicto cap. nouit, quod auctoritas illa Euangelica, inquantum concernit actum iustitiæ non pertinet ad subditos respectu Prælati, sed benè inquantum est actus charitatis, idem, & latiùs ponit sanctus Thomas in secunda secundæ qu. 33. art. 3. vbi dicit, quod vna est correctio, quæ est actus charitatis, quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem, & hæc pertinet ad quemlibet charitatem habentem, siue sit subditus siue Prælatus 24. qu. 3. cap. tam Sacerdos, alia est correctio quæ est actus iustitiæ, per quam intenditur bonum commune fratris, sed etiam interdum per punitionem, vt alij à peccato timentes desistant; & talis pertinet ad solos Prælatos, qui non solùm habent admonere, sed etiam corrigere puniendo. Idem etiam & clariùs ponit Nicolaus de Lyra, Matth. 19. vbi etiam dicit quod ibi in illa auctoritate Saluator loquitur de correctione, quæ est actus charitatis, quæ conuenit cuicumque fideli, & non de illa, quæ est actus iustitiæ, & tendit ad pœnam temporalem.

121 Hoc idem posuit in effectu Cardinal. de Turrecrem. in lib. 2. de Eccles. capit. nonnagesimo octauo vbi dicit, quod licèt Papa sit frater noster conformitate naturæ, & fidei religione, est tamen Princeps, & caput totius vniuersalis Ecclesiæ. Vnde licèt inquantum est frater, ad eum se extendat prædicta auctoritas, in ea parte in qua tangitur simplex fraterna correctio, quæ est actus charitatis, inquantum tamen est Princeps, & caput supremam habens iurisdictionem in Ecclesia, non se extendit ad eum dicta auctoritas in ea parte, in qua contra non suscipientem fraternam correctionem iubetur fieri denuntiationem. Ad quod adducit Alber. Magnum in 4. sentent. 19. dist. & S. Thomam ibidem, qui dicit quod si non est superior est recurrendū ad Deum orando, vt eum emendet, aut de medio tol-
122 lat. Et ad idem adducit, quod quidam accusari non possunt propter excellentiam dignitatis, vt Papa, qui non potest accusari, nisi de crimine hæresis, vt legitur in gestis Bonifacij martyris, & est ille text. in cap. si Papa dist. 40. Et ideo verum est, quod
123 dicit Hostien. in dicto cap. proposuit, de concess. præbend. & dixi supra in 4. argument. quod illud dic Ecclesiæ non conuenit in Papa in actu iustitiæ, & iudiciali. Et hoc videtur tenere Abb. in dicto capit. nouit. vbi reprehendendo gloss. in dicto cap. si Papa, quæ voluit, quod denuntiatio Euangelica in Papa non habeat locum nisi de tali crimine, de quo possit accusari, quia aliàs esset inutilis, ipse dicit se credere quod debeat fieri hæc denuntiatio, si sit tale crimen, de quo non possit accusari, saltem in secreto, & in præsentia aliquorum testium, licèt postea non possit fieri talis denuntiatio superiori, quia fortasse corrigeretur per talem admonitionem, & sic denuntians lucraretur animam eius, allegat in simili text. in Clement. secunda §. notarij de hæret. vbi notarij admonent inquisitores hæreticæ prauitatis in secreto, quando excedunt in suo officio. Quinimmò idem sanctus Thomas in secunda secundæ quæst. 33. art. septimo dicit, quod si peccatum est publicum tunc est publicè arguendum, quia non tantùm est adhibendum remedium ei, qui peccauit, vt melior fiat, sed etiam alijs, in quorum notitiam deuenit, vt non scandalizentur, iuxta illud Apostoli primæ ad Timoth. 5. peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant, quod intelligitur de peccatis publicis, vt August. dicit in lib. de verbis Domini. Et idem in effectu dicit Nicolaus de Lira in verbo vade, & corripe.

124 Vnde sequitur solutio ad contrarium supra signatum, quod ita sit Papa subiectus illi dispositioni Euangelicæ, & ita dicatur frater, sicut quilibet alius, nam aliter conuenit in eius persona, qui superiorem non habet, quàm in alijs inferioribus. Et ad idem est Ioannes in summa confessorum lib. 3. tit. 9. §. 9. & ad idem Petrus de Palude, & August. de Ancona, vt refert Card. vbi supra. Et quod illa verba dic Ecclesiæ intelligantur id est publicè argue, sentit Fœlix Papa in epistola responsiua ad Athanasium, & Episcopos Ægyptiorum, Thebaidorum, & Lybicorum in Alexandrina Synodo congregatos, cum dicit, & si eos non audierit, dic Ecclesiæ, id est accusa eum publicè, & non priùs. Differentiam
125 autem inter admonitionem charitatiuam, siue Euangelicam, & iudicialem, siue iusti-

iustitiæ, & in quibus conueniant, ponit Abb. in dicto cap. nouit. & Specul. in tit. de denunciatione in §. secundo, versiculo, vt autem, & summa Angelica in verbo denunciatio. Et de prædicta auctoritate dic Ecclesiæ in Papa vide, quæ dicuntur latè infra in articulo, an Papa sit maior Concilio. Et vide pulchra dubia examinata per Cardinalem de Turrecremata in dicto capitulo si peccauerit, secunda quæstione prima circa materiam istius denunciationis Euangelicæ.

Ad idem, quod Papa non possit deponi ob crimen, de quo sit incorrigibilis, facit illud, quod legitur 1. reg. 24. & 26. vbi dicitur, quod licèt Saul esset factus indignus regno propter notorias suas iniquitates de quibus erat incorrigibilis, & scandalizabantur subditi, & pluries esset datus in manus Dauid, quem ipse persequebatur, numquam tamen Dauid voluit insurgere in eum, Quinimmò appellabat eum Dominum suum, & Christum Domini, dicens nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descendens in prælium perierit, propitius sit mihi Dominus ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. Vnde reliquit eum iudicio Dei. Quod conuenit ad illud
126 quod dicit Hostien. quod illud dic Ecclesiæ in Papa intelligitur, scilicet, vt oret Deum pro eo, vel vt eum de medio tollat. Eius enim facta Dei iudicio reseruantur, vt in cap. facta 9. quæst. 3. Dicant ergo subditi Papæ, vt Dauid dixit Sauli, iudicet Dominus inter me, & te, & liberet me de manu tua, & de omni angustia. Facit etiam, quod dicitur in capitulo nunc autem dist. 21. vbi licèt Marcellinus scandalizasset Ecclesiam, non tamen depositus est ob notorium, & scandalosum crimen. Item quamuis Petrus priùs dixisset, & si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor, vt patet Matth. 26. & postea Christum negasset, non tamen reperitur depositus. Sed ad illud respondetur, quod neuter ipsorum fuit incorrigibilis, quia si fuissent incorrigibiles potuissent deponi, quia erat crimen hæresis, vt in dicto cap. si Papa, & præter hoc Petrus secundùm quosdam nondum tunc constitutus erat Pontifex. Et ideo illi text. non conueniunt in proposito dubio exemplo aut Dauid, potest responderi ad illud, quod dicitur de Petro notoriè scandalizante Ecclesiam, & inducente Gentiles ad iudaizandum, vt dicitur ad Galat. 2. & secunda, quæst. 7. quòd Paulus restitit illi in faciem, respondetur enim, quod hoc facit pro, quia non dicitur ibi, quod Paulus conuocato Concilio Apostolorum, & aliorum Petrum cogentem gentiles iudaizare deposuerit, sed quod illi restiterit in faciem. Ratio autem, vt dicit Petrus, de Monte in sua Monarch. quæst. 8. cur eum non deposuerint, fuit quia cùm illi Spiritu sancto ducerentur sciebant, se non posse, quod à Christo institutum fuerat quouis modo immutare. Et ideo vbicumque Papa tale crimen committit, propter quod ipse non sit alienus ab Ecclesia, sicut est omne crimen aliud ab hæresi, non potest etiam à toto mundo deponi. Potest tamen exemplo Pauli Papæ turbanti Ecclesiam resisti, & obuiari, ne contaminet, seu scandalizet eam.
127 Item pro ista parte facit auctoritas sancti Thomas in quarto sentent. dist. 19. qu. 2. art. 2. quæst. 3. ad 1. argum. vbi ait, quod quamuis Prælati sint à subditis corrigendi non tamen est eis pœna infligenda, sed recurrendum est ad superiorem denuntiando, vel si non habet superiorem recurrendum est ad Deum, qui eum emendet, vel de medio subtrahat. Sed Papa non habet superiorem, ergo quoad eum si est incorrigibilis nullum est aliud remedium, quàm recurrere ad Deum. Hoc autem recurrere ad Deum, vt eum emendet, vel vt prouideat Ecclesiæ suæ prout nouit magis expedire, placet mihi, nam vt Dominus dicit Luc. 18. oportet semper orare, & non deficere; & Marc. 13. dicit, vigilate, & orate, quia nescitis quando tempus sit. Et Iacobus in sua epistola cap. 5. dicit, infirmatur aliquis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, & post pauca, orate pro inuicem, vt saluemini, multùm enim va-
128 let deprecatio iusti assidua. Sed numquam placuit, quod dicitur orandum, vt Deus eum de medio tollat, quia istud est contra institutum Ecclesiæ, quæ orat pro persecutoribus, & hæreticis, & infidelibus, vt patet in collectis feriæ sextæ in parasceue vnde Matth. 5. dicitur, orate pro persequentibus vos, item ibidem diligite inimicos vestros, & Luc. 6. orate pro calumniantibus vos, & Dominus in cruce dixit, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Item hoc videtur impossibile in Ecclesia vniuersali, quod omnes orent, vt tollat eum de medio propter distantiam locorum, & ignorantiam incorrigibilitatis Papæ, & sic Ecclesiæ esset diuisa in orando, quia vna pars illorum, qui ignorarent, orarent, vt conseruaret eum, vt patet in collecta pro Pontifice, item intra secreta missæ, cum dicitur, in primis, quæ tibi offerrimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum vnà cum famulo tuo Papa nostro. Item, quia contingere posset, vt breui corrigeretur, iuxta illud Ioann. 11. nonne duodecim sunt horæ diei, ergo euenire posset, vt post correctionem, quis oraret, vt Deus tolleret eum de medio, quod esset orare, vt tolleret de medio, iustum, quod non est orandum.

Et quod quia incorrigibilis Papa non possit deponi, tenet August. de Ancon. in tract. de potest. Pap. qu. 5. artic. 4. Eamdem etiam tenet sanctus Thomas, vt tetigimus in 4. sentent. dist. 29. in fine quæst. 2. Idem etiam Archiepisc. Florent. in 3. par. summ. in tit. 23. cap. 5. verbo vtrùm Papa possit deponi. Et idem Archiepisc. eodem libro tit. 24. cap. 2. versic. nota, Abb. de Sicilia, & idem Archiep. 2. par. summ. in tit. 3. de superbia in cap. 1. in verb. schisma autem. Idem quoque tenuit Martinus de Laude in tract. de Cardinalibus qu. 77. Idem etiam tenuit Petrus de Palude, vt refert idem Archie-

chiepiscopus in ambobus locis primò ad-
129 ductis. Dicit tamen August. de Ancon. quod posset saluari illa gloss. in dicto cap. si Papa, intelligendo eam loqui quando crimen, quod committit, de quo est incorrigibilis, & quod de se est peccatum, ipse credit, & dicit pertinaciter non esse peccatum. Tunc enim propriè esset hæresis, facit text. in Clement. 1. de vsur. & supra dixi. In hunc etiam sensum accipit illam gloss. vt videlicet intelligatur, quando illud, quod Papa committit, quod de se est peccatum ipse facto, & verbis defendit non esse peccatum, quia tunc esset hæresis, & esset locus illi gloss. in dicto capitulo Papa.

Istam etiam, vt supra diximus, tenet Cardin. de Turrecrem. in lib. 2. de potest. Pap. cap. 98. quam firmat auctoritate beati Bernardi, qui scribens Innocentio Papæ dicit, quis faciet mihi iustitiam de vobis, si haberem Iudicem, ad quem vos trahere possem, iàm nunc ostenderem vobis, vt parturiens loquor, quid mereamini. Extat quidem tribunal Christi, sed absit, vt ad illud appellem vos, &c. Et ad idem allegat alios plures idem tenentes, & vt Ioann. in summa Confessorum lib. 3. tit. 9. §. 9. & Albertum Magnum in 4. sentent. dist. 19. Et idem videtur replicare in tract. schismatis cap. 13. col. 2. Et idem videtur velle Imol. in Clement. ne Romani col. 17. de elect. Idem etiam ponit per multas rationes idē Cardin. de Turrecrem. in dicto cap. si Papa, & respondet ad plura obiecta. Istam eamdem opinionem tenet Petrus de Monte in suo tract. Concilij qu. 8. Istam etiam tenet
130 Modernus Aretinus, & in effectu videtur idem velle, quod August. de Ancon. videlicet, quod ex delicto quantumcumque grauissimo, etiam notorio, & scandaloso, si non sapit hæresim stricto modo sumptam, Papa deponi, vel accusari non debet per dictū cap. si Papa dist. 40. & cap. nemo, & cap. aliorum dist. 9. quæst. 3. & cap. sanè dist. 24. quæst. 2. si verò non solùm in tali crimine est, & persistit, sed ipsum non esse crimen verbo defendit, quod tamen iure Diuino, vel naturali damnatum sit, non dico iure positiuo, quia huic iuri posset derogare, cùm ipse non sit ei subditus, vt in allegato sæpiùs cap. proposuit, de concess. præbend. tunc non de ipso crimine, sed de hac assertione, & hæresi damnari poterit, quia talis assertio hæresis est, vt cap. penult. & fin. dist. 30. & dixi supra ad intellectum gloss. in dicto cap. si Papa. Subiungit tamen Modernus prædictus idem se credere. si peccatum habet causam successiuam, vel reiterabilem, & Papa sæpiùs monitus semper tale peccatum reiterat, vel in ipso successiuè, spernens tales monitiones, persistit pertinaciter, & vniuersam Ecclesiam scandalizat. Cum enim tunc videatur asserere ipsum peccatum non esse crimen, siue delictum, quia mendacia, & assertiones ità operationibus, & factis fiunt, sicut verbis, vt de appellat. cap. dilecti, de accusat. inquisitionis, §. nec ad petitionem, in verbo asserunt, & ff. de ædil. edict. leg. si tamen, §. ei qui, & dist. 22. quæst. 6. capit. cauete, isto casu, quia fortè propter tale peccatum facit populos à fide deficere, videtur tamquam hæreticus, non recipiens admonitiones, accusandus esse, &
131 deponendus, quia par est à fide exorbitare, & alios exemplo, vel verbo à fide deijcere, dist. 2. qu. 7. cap. quis ex vobis aliàs, cap. Paulus, facit de pœnis, cap. fin. & de præsumpt. cap. literas. Hoc enim casu, vt ipse dicit, non solùm sibi nocet, sed toti Mundo, præsertim, quia idiotæ, & simplices facilè imitarentur sic enarrantem, & talia committentem peccata. Et subiungit, quod hoc casu potest ab Imperatore interrogari, si vult talem vitam sequi, vel de fide super hoc interrogari potest, vt distinct. 25. q. 1. Satagendum, & si perseuerat in crimine, poterit vt hæreticus iudicari, adducit capit. cùm contumacia, de hæret. in 6. Et ideò inquit, tempore sacrilegi schismatis Papa, qui iurauerat, & vouerat ad redintegrandum vnionem renunciare Papatui, quia sæpè monitus implere iuramentum non curauit, sed spreuit, & diù in sua obstinatione stetit à Concilio Constantien. & priùs in Pisano pro hæretico est damnatus, quia monitionibus factis de ipso adimplendo, & ipso in peccato persistente, de hæresi suspectus erat, tamquam non crederet id esse peccatum, quod erat, ideò meritò extitit depositus, & damnatus. Vndè, post effusionem multorum verborum, concludendo dicit, quod pro nullo crimine Papa accusatur, siue deponitur, nisi pro hæresi strictè sumpta, vel pro notorio crimine vniuersalem Ecclesiam scandalizante, in quo Papa monitus, vt desistat, perseuerat, vel ipsum reiterando continuat, quia tunc de hæresi est suspectus, videlicet, quod non credat Deum esse criminum vltorem, siue esse aliam vitam. Et
132 sic est suspectus in articulis fidei. Et hoc modo dicit posse verificari gloss. in dicto cap. si Papa, quia text. ibi non dicit, quod pro sola hæresi possit iudicari, sed cùm deprehenditur à fide alienus. Item Papa sic peccando, & pertinaciter perseuerando in crimine perturbat statum vniuersalis Ecclesiæ, & in subuersione, & grauissimo periculo ponit, igitur sustineri non debet dist. 24. qu. 1. cap. memor sum, & dist. 25. qu. 1. quæ ad perpetuam, & eadem causa qu. 2. si ea aliàs videretur ei licere Ecclesiam destruere, quod Papæ non licet, 2. ad Corinth. 13. dùm dicitur ibi secundùm potestatem, quæ data est mihi ad ædificationem, & non in destructionem. Sed certè si benè considerentur verba præcedentia Modern. Aretin. ipse videtur sibi ipsi contrariari. Nàm in principio vult, quod pro quocumque delicto grauissimo, notorio, & scandaloso, in quo persistit, si non defendat, ipsum non esse peccatum, non possit deponi; & posteà vult, quod si delictum habet causam successiuam, & reiterabilem, & monitus non desistit, possit deponi. Ista autem sunt contraria, quia si est delictum, de quo scandalizatur Ecclesia, & in quo persistit, non potest non esse successiuum, & non momentaneum, nisi dicatur, quod in principio loquitur in delicto vni-

co actu commisso, de quo non pœnitet, super quo non formatur quæstio eius, nec loquitur gloss. in dicto capit. si Papa, quia non loquitur, nisi quando persistit, & est incorrigibilis. Item cum adducit de priuatione Papæ, quia iurauerat cedere, ibi fuit actus momentaneus; & in illo concludit, quod fuit depositus. Sed si benè aduertatur, causa depositionis non fuit inobseruantia iuramenti tantùm, quia actus illius inobseruautiæ non erat hæresis, sed fuit, quia fouebat schisma antiquatum, & detrectabat vnionem Ecclesię, ex quo committebat in articulum fidei, & vnam sanctam Catholicam Ecclesiam. Item protulerat verba hæretica, & quæ nutriebant schisma, & ideò fuit depositus. Item dubium erat in illo schismate apud doctissimos viros, quis ipsorum esset verus Papa, iuxtà cap. si duo distin. 79. & ideò illa allegatio non conuenit. Item si diceremus, quod ex eo: quod crimen, de quo quis est incorrigibilis habet causam successiuam, ipse est hæreticus, multi essent hæretici, quia multi sunt perseuerantes in crimine, & idem delictum sæpiùs iterantes, qui tamen non dicuntur hæretici, nec quod sine iure probari potest; & iura, quę allegat non tendunt ad hoc, quod talis dicatur hæreti-
133 cus. Vndè quantumcumque sit crimen habens causam successiuam, & reiterabilem, & de quo, quis sit incorrigibilis, non facit eum hæreticum, nisi pertinaciter asserat illud non esse peccatum, vt si quis assereret, quod iurare semper, & indifferenter est peccatum, vt in cap. excommunicamus il 1. §. adijcimus in fin. de hæret. & propter hanc causam olim fuerunt damnati Humiliati, vt hæretici, vt notat gloss. in capit. olim il 1. de restit. spol. Item si quis teneret portare calceamenta in pedibus esse peccatum propter verba Christi Luc. 10. esset hęreticus, vt in cap. quidam in fin. distin. 24. qu. 3. Item, qui dicunt, homines non posse saluari, nisi proprijs renuntiauerint, vt in dicto capit. quidam, & sic de multis alijs exemplis, quæ ibi ponuntur, & in Clement. ad nostrum, de hæret. & benè text. in cap. fin. dist. 30. Nec est ità simpliciter intelli-
134 gendum, quod sit par à fide exorbitare, & alios exemplo, vel verbo à fide deijcere, vt dicit text. in dicto §. item Paulus dist. 2. qu. 7. quia intelligitur quando exemplum, & verbum, quod alios inducit ad hæresim, est in se hæreticum, & non quando exemplum, vel verbum de se non est hæreticum, sicut in casu nostro. Et hoc ostendit text. in dicto cap. si Papa, quod loquitur in crimine notorio, & scandaloso, propter quod innumerabiles populos cateruatim secùm ducit in gehennam, & tamen text. ibi dicit, quod propter hoc nullus mortalium eius culpam potest redarguere, nisi sit à fide deuius. Concedi tamen secundùm ali-
135 quos fortè posset, quod si Papa propter suam pertinaciam in notorio delicto scandalizaret Ecclesiam, & sæpiùs monitus ab eo desistere nollet, sed obstinatiùs illud committeret, ità quod appareret eum venisse in profundum malorum, & numquam pœnitentiam acturum, & delictum esset contra ius naturale, seu Diuinum, & requisitus, vt saltèm consulens subditis declararet se non credere crimen, quod committit non esse peccatum, sed credere se sic faciendo peccare, & fragilitate quadam illud committere, hoc declarare nollet, vel requisitus, vt declaret, an illud committere sit peccatum; necne, cùm hoc declarare ad eum spectet, vt in cap. hæc est fides, dist. 24. q. 1. vt sic deprehenderetur, an in hoc malè sentiret de fide, hoc etiam declarare nollet, quia tunc faceret se suspectum de hæresi, posset contra eum procedi, non tamen illicò deponi, argum. cap. grauem, de pœnis, & cap. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. & & eius, quod dicunt Doctor. in capit. proposuit, de concess. præbend. maximè Imol. Vndè posset ex hoc congregari Concilium, vt dictum est, & moneri per Concilium, vt responderet, quid sentiret de fide, quam habet in auctoritate Ecclesiæ. Pro hoc est dist. 25. quæst. 1. cap. satagendum, vbi Rex cogit Papam respondere, quid sentiat de fide. Et si sic etiam non corrigeret se, & nollet super hoc etiam pluriès requisitus respondere, tunc quia eò magis faceret se suspectum de hæresi, posset ei indici purgatio debita seruato eo, quod dicitur in c. 1. & 2. quæst. 1. & purgari posset iuxtà formam cap. omnibus dist. 2. qu. 5. & cap. inter sollicitudines, de purgat. canon. Et hoc fieri non est absonum, vt patet in Xixto, & Leone, capit. mandastis, & capit. auditum dist. 2. qu. 4. & ostendit ille text. in dicto cap. satagendum, qui vult, quod debet respondere, vt tollatur omnis suspicio; vbi autem non respondetur, suboritur maior suspicio, ideò est indicenda purgatio. Imò ille text. insinuat, quod in hoc casu sacræ Scripturæ innuunt Papam esse subditum Imperatori, vel Regi, vt cogatur respondere. Vndè eo non respondente licebit in eum vti superioritate ad hoc, vt se purget. Et si sic adhùc esset pertinax, & incorrigibilis, & detrectaret purgationem, liceret ei resistere, & possent adhiberi omnia alia remedia supra posita ad eum reducendum. Et si adhùc esset pertinax, & esset causa generandi scandalum in vniuersali Ecclesia circa ea, quæ concernunt fidem, tunc fortè posset procedi contra eum iuxtà formam generalis Concilij, cap. excommunicamus il 1. de hæret. quia ex quo generaret scandalum circa fidem, & desineret illi obuiare, esset vehemens præsumptio hæresis propriè dictæ, quia non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, vt in capit. error distinct. 83.
136 Vndè dicit text. in cap. 2. de hæret. quod qui alios cum potest ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat. Ad idem dist. 23. q. 3. cap. qui potest, cum similibus. Et hoc modo posset admitti, quod dicit Ludouic. in cons. 523. incip. quæstio discutienda in col. 5. quod posset excommunicari, & si in excommunicatione persisteret per annum, fortè tunc tamquam hæreticus posset deponi, per illum textum in capit. cùm contumacia, de hæret. in 6. & dicto capit. excommunicamus il 1. in §. qui autem, ibi gloss. & Doctor. eodem titulo in

antiq.

antiq. quia ex quo eius delictum notorium cum incorrigibilitate generat hæreses in Ecclesia vniuersali, & non curat, vel defendit delictum iure naturali, & Diuino damnatum, dicendo illud non esse delictum satis videtur à fide deuius. Tunc enim non tam deponeretur pro crimine notorio scandalizante Ecclesiam, quàm pro hæresi, quæ redundat ex pertinacia in excommunicatione in eum fulminata ob suspicionem hæresis, qua deprehenditur verus hæreticus præsumptione iuris, & de iure, quæ non admittit probationem in contrarium, vt in capitulo his, qui, de sponsal. in glos. Et si dicatur,
137 quod Papa non ligatur illis iuribus, quæ præsumunt, & statuunt talem haberi pro hæretico, nec datur in illis facultas excommunicandi superiores ab inferiori, & maximè Papam. Respondetur, quod licèt Papa non ligetur pœnis illis iuribus inductis, cum sit supra ius, vt in d. cap. proposuit & l. princeps legibus ff. de legibus, ligatur tamen dictamine naturalis rationis illorum iurium, iuxta notata in cap. 1. de probat. & in l. Cæsar. ff. de public. & l. digna vox Cod. de legibus, & præter hoc in proposito est præsumptio hæresis ex contemptu. & pertinacia in delicto, & censuris, & ex denegatione responsionis, facit textus in cap. 2. de confes. in 6. Et Concilium tunc efficitur iudex, quia est causa hæresis. Et ex quo Concilium est tunc supra eum poterit procedere ad censuras contra eum. Et hoc maximè in proposito suadet denegatio purgationis, & tolerantia scandali, circa fidem, cum tamen ad eum spectet ponere animam pro ouibus suis, vt in cap. aduersitas 7. qu. 1. & in cap. sit rector dist. 40. & gerere curam, & custodiam Dominici gregis, & sollicitis studijs animarum saluti subditorum inuigilare, & ipsorum animas Deo lucrifacere, vt in cap. 1. de homic. in 6. & ad eum spectat hæreses extirpare, & non fouere, vt in
138 Clem. ad nostrum de hæret. Et si dicatur, quod si non ligatur pœnis inductis per illum text. ergo non debet posse deponi, dicendum est quod illa pœna non tam est inducta per illum, quàm etiam per legem diuinam, vt in pluribus cap. 24. quæst. 1. & eadem causa quæst. 3. Vnde dicit Apostol. ad Tit. 3. hæreticum hominem post primam, & secundam admonitionem deuita, sciens quod subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit cùm sit proprio iudicio condemnatus. Item ille text. est constitutio conciliaris disponens circa ea, quæ sunt in fauorem fidei; facit quod dicitur post Ioann. Andr. in cap. nulli, de sentent. excommunic. & post gloss. in cap. si Imperator dist. 96. & Cardin. in cap. perpendimus, de sentent. excommunic. & quod dicitur, quod in ijs, quæ sunt fidei Papa non dispensat contra quatuor Concilia, vt in cap. sunt quidam 25. quæst. 1. Bene etiam facit text. in Clement. 1. de vsu. Et bonus est tex. in cap. final. dist. 30. vbi est textus, quod si quis non pro abstinentia, sed pro execratione escarum abstinet à carne, debet requiri, vt degustet, si autem spernit, & degustare non vult debet tamquam de hæresi suspectus deponi, & est constitutio
139 conciliaris. Et istam opinionem, quod possit deponi, quando generatur scandalum in Ecclesia circa fidem tenuit etiam Ægid. in d. cap. si Papa. Qui dicit istam fuisse opinionem Ioannis Teuthonici, quæ est gloss. ibi, & Bartholomæi, & Ioannis de Ioannis. Sed Car. cum quo transit Alex. in d. cap. si Papa, videtur tenere simpliciter etiam si sit notorium delictum, de quo quo sit incorrigibilis, & per quod scandalizetur Ecclesia, etiam circa fidem, quod non possit propterea à quoquam deponi, quia non habet superiorem, qui possit eum deponere, vt in d. cap. licèt de elect. & cap. hinc etiam dist. 17. & cap. nunc autem dist. 21. & d. cap. si Papa & 3. quæst. 1. in §. patet & dist. 79. electionem & 9. quæst. 3. nemo cap. aliorum & cap. facta, cùm simil. Pro quo etiam facit, quod videmus Concilium Prouinciale ita fieri contra Archiep. sicut contra alios Prælatos, sed non potest Concilium Prouinciale punire Archiepiscopum, vt in cap. graue, de præbend. & in cap. fin. de statu Monachorum, sed debet denuntiari superiori, vt ibi, à pari idem videtur dicendum in Papa, quod non possit pro quocumque crimine puniri per Con-
140 cilium. Vnde dicit ibi Petrus de Anchar. in 8. notabili, ideò statutum est in Archiepiscopo, vt licèt cognoscat Concilium Prouinciale de eius delictis non possit illum propterea punire, ne per consequentiam videretur concessum Papam per Concilium generale puniri. Et pro certo si benè consideretur, ista vltima opinio est verior in puncto iuris, & pro ea est casus in d. cap. si Papa, qui text. solùm vult Papam à Concilio iudicari in casu hæresis strictè sumptæ, & hoc probat. ille textus dum dicit à fide deuius, quia intelligit de hæresi in articulis fidei. Licèt aliqui in
141 ea parte allegent pro se in contrarium illum text. vt fuit Mathesil. quasi minus sit esse à fide deuium, quàm esse hæreticum, cum sit penitùs contrarium, nam sunt multæ hæreses, quæ non sunt strictè, & directè contra articulos fidei, de quibus in symbolo. Fateor tamen quod etiam dicitur à fide deuius, qui incidit in aliquam hæresim ab Ecclesia damnatam. Et de illa potest intelligi, quod vbi supra dicit August. de Ancon. quod si Papa diceret, & assereret illud, quod de se est peccatum lege diuina, non esse peccatum, & de illo aliàs iudicatum fuisset, quod tenere illud non esse peccatum est hæreticum, & hoc non obstante ipse assereret contrarium, posset accusari, & deponi, quia est à fide Romanæ Ecclesiæ deuius, qui in illas damnatas hæreses incidit; facit, quod dicitur in dicto cap. sunt quidam, & in capitulo contra statuta 25. quæst. 1. & in cap. Achatius 24. qu. 1. & in cap. Anastasius distinct. 19. & in dicta Clement. 1. de vsu. Licèt Augustin. de Ancon. simpliciter dicat, quod si assereret illud non esse peccatum, quod lege diuina est peccatum, posset tamquam hæreticus deponi, non considerando, an aliàs iudicatum sit illam assertionem esse hæreticã.

142 Et ista vltima opinio videlicèt, quod etiam si esset notorius, criminosus, & incorrigibilis, & scandalizaret Ecclesiam, etiam circa fidem suo exemplo vitioso non prædicando aliter, vel asserendo contra fidem, non possit deponi, est etiam tutior, quia si potest Papæ turbanti vniuersalem statum Ecclesiæ de facto resisti, vt supra dictum est. & si non est ei parendum, quando præcipit aliquid iniustum, per quod turbaretur status vniuersalis Ecclesiæ, vt in cap. per principalem 9. quæst. 3. in gloss. & dicto cap. nulli, post Ioann. Andr. & in cap. quæ ad perpetuam in gloss. & in cap. sunt quidam per Archid. 25. quæst. 1. & per Abbat. Sicul. in cap. 2. de maior. & obed. non est opus venire ad depositionem, satis est enim, quod non est ei obediendum cùm præcipit aliquid iniustum, vel quod continet hæresim, vel ex quo vehementer præsumitur turbatum iri statum Ecclesiæ, vel alia mala esse ventura, vt notat Innocent. Hostien. Ioann. Andr. & Anton. in cap. inquisitioni, de sentent. excommunic. & idem Innocent. in cap. quanto, de consuet. Et quando turbaretur status vniuersalis Ecclesiæ, idem dicit gloss. in cap. per principalem 9. quæst. 3. facit, quod dicit Felinus in cap. ad audientiam, de præscript. Sic etiam non videtur ei obediendum quando vniuersaliter dispensat contra generale statutum Ecclesiæ, vt gloss. 25. quæst. 1. quæ ad perpetuam, & Archid. in cap. si Papa dist. 40. & dist. 15. sicut & gloss. in §. his omnibus 8. quæst. 1. Licèt sit secus, si non vniuersaliter, sed particulariter facit contra statutum Ecclesiæ, vt dicit Archid. 25. quæst. 1. cap. sunt quidam. Et aduerten-
143 dum est, quod aliud est facere contra generale statutum Ecclesiæ, vt loquitur gloss. in d. cap. sunt quidam 25. quæst. 1. vbi decoloratur status vniuersalis Ecclesiæ. De quo etiam Milis in verbo Papæ non est obediendum. Facit quod dicitur in capitulo Iulianus cum seqq. & cap. non semper & cap. qui restitut. 11. quæst. 3. Et procedit hoc, quod est ei resistendum, & non obediendum maximè in concernentibus fidem.

Et tunc satis est, quod ista via potest prouideri, & tamquam tutior est amplectenda, quia per istam viam non potest oriri aliquod schisma in Ecclesia, sicut quando procederetur ad depositionem. Item posset contingere, quod etiam omnibus modis supra tactis requisitus esset incorrigibilis, & turbaret vniuersalem statum Ecclesiæ circa fidem, & tamen ipse non esset hæreticus, & tamen vt sæpiùs dictum est non potest de alio damnari, quia in alijs non habet superiorem, quando autem est hæreticus, est minor quolibet Christiano, & est ipso facto exutus Papatu, vt dicitur in dicto capitulo si Papa. Quin-
144 immò si rectè consideretur, text. in dicto capitulo si Papa non probat, quod propter hæresim, seu quia factus à fide deuius, Papa possit deponi, sed tantùm, quod potest redargui, & Ecclesia orare debet pro eo. Licèt per alia iura hoc probetur, vt in capitulo Achatius 24. qu. 1. & dicitur in dicto capitulo nunc autem distinct. 21. & in dicto capitulo si Papa, & in cap. in fidei de hæret. in 6. & supra latè dixi quando Papa est ipso facto exutus Papatu propter hæresim, & quando non. Ex quo infertur, quòd cùm etiam in casu hæresis iura, & Doctorum dubitent vtrùm Concilium possit Papam deponere, cum aliqui velint, quod debeat seipsum deponere, & in seipsum sententiam ferre, aliqui autem, quod ipse ex hoc sit ipso facto exutus titulo Papatus, & quod tantùm expectetur sententia declaratoria ferenda per Concilium, vt examinant Doctor. in dicto cap. in fidei, & in dicto cap. si Papa, & in dicto cap. nunc autem, & in dicto §. hinc etiam dist. 17. & dictum est supra in quæst. vtrùm Papa propter hæresim possit à Concilio deponi, & non ob aliud dubitent, nisi quia eiectio, & damnatio Papæ Dei iudicio reseruatur, vt in cap. eiectionem dist. 79. & cap. nemo aliorum, & cap. facta cum alijs simil. quia non habet superiorem, vt in dicto cap. licèt de elect. cum concordant, & in hoc videntur concordare Doctor. omnes post Hostien. in cap. proposuit, de conces. præbend. cùm volunt Papam non posse damnari pro aliquo crimine, præterquam pro hæresi, excepto Cardinale Florent. quem ibi refert Immol. & excepto Abbate Siculo qui volunt, quod etiam pro quocumque crimine notorio scandalizante Ecclesiam possit damnari, de quibus dictum est satis supra, sequitur, quod pro quocumque alio crimine quamtumcùmque notorio, & scandaloso, etiam circa fidem, nisi aliàs clarè deprehendatur à fide deuius, & hæreticus, nullo modo potest deponi, cum nullibi de iure reperiatur, quod aliquod aliud crimen notet, & iudicet eum, & exuat ipsum titulo Papatus, nisi sola hæresis propriè sumpta. Et si nulla veteris, vel noui testamenti, aut sacrorum Canonum de hoc reperitur auctoritas, fatuum est hoc confingere ex proprio sensu sola auctoritate vnius Glosellæ contra textum in l. illam Cod. de col. Et Impe-
145 rator, dicit in authentica de triente, & semisse §. consideremus, quod cùm aliquis non lege agit, erubescit, & ibi gloss. dicit non valere responsionem, quæ lege non probatur.

146 Istam etiam opinionem habuit Frater Ioannes Parisinus Doctor in tractatu de potestate Papæ in quæstione vtrùm sit reprehensibile iudicare de factis Papæ, vbi dicit quod etiam si Papa suo ipsius nouo, & iniurioso sensu assereret aliquem hæreticum, qui teneret aliquid, de quo sunt opiniones, nihilominus esset cum patientia tolerandus quantùm fieri posset sine præiudicio iustitiæ, & veritatis, iuxta illud Matthæi 5. quicumque angariauerit te mille passus vade cum illo, & alia duo, & quod deberet ad Deum haberi recursus, quia cor regis in manu Dei est, & potest quò
147 vult illud inclinare. Si tamen esset reipub. periculum ex mora, puta si traheret populum ad malam opinionem, vel si esset periculum rebellionis eo, quod indebitè commoueret populum per abusum spiritualis

Gla-

Gladij, in hoc casu Ecclesia deberet moneri contra Papam, & agere in ipsum, & Princeps posset violentiam Gladij Papæ, repellere per gladium suum, cum moderamine. Nec in hoc ageret contra Papam, sed contra hostem suum, & contra hostem reipublicæ, sicut Aod Hebræus, qui Eglon Regem Moab interfecit, eo quod graui seruitute populum Dei premebat, non est reputatus interfecisse rectorem, sed malum hominem, & hostem, hoc enim agere, vt ipse dicit non est contra Ecclesiam agere,
148 sed pro Ecclesia, quia sic etiam commendabiliter populus zelo fidei commotus Constantinum Papam, qui erat Ecclesiæ in scandalum, oculis priuauit, & deposuit. Sic & Henricus Imperator Romam veniens Benedictum IX. & alios duos, qui contentionibus suis scandalizabant Ecclesiam, Imperiali, & Canonica censura deposuit, & Clementem II. Romanæ Ecclesiæ præsulem constituit, vt dicit legi in chronicis
149 Romanorum. Mihi placet dictum, quod Papæ scandalizanti Ecclesiam vniuersalem & incorrigibili potest resisti, & non deponi, nec iudicari, quia non habet superiorem, sed non placet exemplum per eum positum, si Papa asserat aliquem hæreticum, qui teneret aliquid, de quo sunt opiniones, & si Papa teneret hæreticum esse asserere Regem Franciæ non esse subiectum, tum quia hoc iudicare, vbi sunt opiniones est proprium Papæ, vt in cap. maiores de Bapt. tum quia ex hoc non dicitur generari scandalum in Ecclesia, nec in hoc Papa committit quippiam, cur debeat corrigi, vel deponi. Similiter non placet exemplum de Rege Moab, & de Constantino Papa, & de Benedicto IX. quia non conuenit dicto, nam illud non est resistere, sed vim inferre, vt in l. vt vim de iustit. & iur. l. scientiam §. qui cum aliter ff. ad leg. aquil. Clement. 1. de homic. cap. significasti il 2. de homic. & ibi Doctor.

150 Restat nunc respondere ad adducta in contrarium. Et ad primum, cum dicitur, quod si gloss. dubitauit in sola simonia, multò magis cum alijs qualitatibus. respondetur, quod consequentia non est bona, si qualitates inhærentes non sunt tales, quod propter omnes simùl, vel earum aliquam posset aliàs deponi. Ad hoc text. in dicta leg. 1. C. qui numero tutelarum, vbi plura imperfecta non faciunt vnum perfectum, quia ex pluribus diuersis numquam resultat vnum integrale, ff. de solut. leg. vbi fideiussor. In ijs enim, quæ sunt diuersi generis, & formæ, in quibus termini sunt distincti, non habet locum regula, quæ non prosunt singula, vt dicit ibi Bald. nàm omnia simul iuncta non tendunt ad perficiendum vnum totum, hoc est ad faciendum Papam hæreticum, quia omnia simul non ostendunt eum hereticum, & ideò sicut singula non prosunt, ità nec simul iuncta. Dicit Bartol. in dicta leg. 1. §. idem Cornelio, ff. de quæstionibus, & Angelus instit. de excusat. tutor. in §. item tria. Sic etiam habens plures gradus, quorum nullus sufficit ad præcedentiam, non præcedet virtute omnium, vt Ludou. cons. 333. incipit quoad primum, & Felin. in rubr. de maior. & obedient. in col. 2. Faciunt ad hoc, quæ ponuntur à Doctoribus de singularitate testium in cap. licet ex quadam, de test. & in capit. cùm dilectus, & in cap. bonæ il 1. de elect. & in cap. licèt, de probat. & capit. qualiter, & quando, de accusat. & in leg. ob carmen, ff. de test. & in leg. testium, ff. eo, & in leg. data opera, C. qui accusare non poss. & in leg. admonendi, ff. de iureiuran. cum concordan. Ad illud, quod pro qualificato delicto Clericus traditur curiæ seculari: respondetur, quod nihil facit, quia iura adducta loquuntur in personis, quæ subiectæ sunt dispositioni legali imponenti pœnam depositionis, & degradationis, & traditionis curiæ secularì, non autem loquimur in Papa, qui non ligatur legibus, & qui pro nullo crimine deponitur excepta hæresi, vt sæpiùs dictum est, & omninò qualitates aggrauantes delictū, nisi sapiant hæresim eum non ligant. Facit quod dicitur in leg. ille, à quo, §. tempestiuum, ff. ad Trebell. & in leg. nàm Magistratus, ff. de arbit. cap. innotuit, de elect. cum similibus. Ad secundum respondetur
151 quod non obstat quod dicitur, quod si Papa potest cogi cedere Papatui pro sedando scandalo schismatis, multò magis vbi ipse est notorius criminosus, & incorrigibilis, & scandalizans Ecclesiam, quia illa conclusio non vendicat sibi locum in vero Papa, quem constat esse verum Papam, vt supra dictum est. Item illa conclusio intelligitur quando fouet schisma inueteratum, quod sapit hæresim, ideo eo casu posset etiam deponi, vt dictum est. Sed nos sumus in casu, vbi delicta non sapiunt hæresim propriè. Non obstat tertiò, quod
152 dicitur de cap. cùm non ab homine, quia propter hoc quod est incorrigibilis licèt possit esse perditio plurimorum, non tamen reperitur iure cautum, quod possit deponi. Immò directè in contrarium est textus in dicto cap. si Papa, vbi licèt sit remissus, & negligens, ex quo posset sequi perditio multorum, tamen dicit ibi text. quod à nemine iudicatur, nisi sit à fide deuius. Ad id, quod dicitur, quod positus in profundo malorum est similis hæretico, respondetur, quod sufficit, quod non sit
153 hæreticus. Quod autem dicitur, quod violans canones dicitur committere in Spiritum sanctum, conceditur quod peccat, sed non dicitur hæreticus, nisi crederet canones non esse seruandos, & non potuisset disponi hoc esse peccatum, vt dicitur in gloss. in cap. generali, de elect. in 6. & in cap. generali, & cap. omnia, 24. qu. 1. & dicto cap. si qui 81. dist. in fin. Ad illud,
154 quod dicitur, quod propter incorrigibilitatem efficitur suspectus de hæresi, respondetur, quod ex sola suspicione non potest deponi, & licèt esset suspectus posset esse, quod in se non esset hæreticus. Et text. in cap. excommunicamus il 1. circa princip. de hæret. non vult aliquem ex suspicione hæresis damnari, sed priùs purgari, & deinde excommunicari, & idem text. in dicto capit. final. de pœnis, ergo nec deponi.

Et si

Et si dicatur ergo si non potest deponi, statim, poterit contra eum procedi, vt tandem deponatur, respondetur, quod Papa non potest cogi ad se purgandum de quocumque crimine, vt patet in cap. mandastis, & meliùs in cap. auditum, 2. qu. 4. Ad
155 auctoritatem Clementis referentis monitionem beati Petri respondetur, quod non dicit, quod debeat deponi à Concilio, sed potiùs loquutus est Petrus spiritualiter, cum enim esset Spiritu sancto plenus, commonens, dixit illa verba, videlicet tamquam qui non docueris, quæ ad salutem pertinent, deponaris, scilicet à Deo, & non ab homine, cui Papa non est subditus, vt in cap. nemo, & in cap. facta, 9. qu. 3. Et quod ita loqueretur beatus Petrus, patet ex eius verbis, dum dicit, si enim mundanis curis fueris occupatus, &c. Item non est loquutus per modum decernentis, & statuentis, sed per modum instruentis, & admonentis. Item illud verbum deponaris potest referri ad factum, quasi dicat, ne per violentiam abijciaris de facto. Et ista est vera solutio, licèt Ludouicus semper dixerit illam auctoritatem notandam literis aureis contra Papam. Ad quod vide etiam, quod dicitur in responsione
156 ad 18. arg. Ad quartum, quod contumacia dicitur hæresis, respondetur, quod hoc est largo modo, & non propriè. Et ob talem hæresim Papa non potest deponi, sed solùm ob propriè, & strictè sumptam, vt dictum est supra in intellectu, cap. si Papa, & ex ibi, & supra dictis patet responsio.
157 Ad quintum, sextum, & septimum respondetur, quod non sequitur, quod ibi dicitur, quod sicut Paulus restitit Petro, ita & Papa potest corrigi, & potest ei resisti ab Ecclesia, & ne sit inutilis resistentia, debet propterea posse deponi. Non sequitur dico, tum quia hoc non reperitur factum in Petro, tum etiam quia Papa à nemine iudicatur, dicto cap. si Papa. Ad illud de Imperatore in 6. argum. facilis est responsio, est enim disproportio de Papa ad Imperatorem, quia Papa non habet superiorem, vt in cap. licèt, de elect. Imperator autem sic, vt in Clement. Pastoralis, de re iudic. & in capit. ad Apostolicæ eod. tit. in 6. & cap. si Imperator, 96. dist. Ad ea, quæ dicuntur de oculo eruendo à compage corporis propter scandalum, & de scandalizante vnum de pusillis, & oue perdita, respondetur, quod non inferunt necessariò, quod illæ auctoritates conueniant in proposito, nec quod Papa propter scandalum debeat deponi à Concilio, & sunt magis intelligendæ quo ad bonum animarum, & in foro poli, quàm in foro fori.
158 De præcepto correctionis fraternæ qualiter intelligatur, & vtrùm conueniat in Papa, dicendum sicut supra dictum est, & sicut dicit Hostien. in dicto cap. proposuit, quem sequuntur communiter Doctor. qui vult, quod illud dic Ecclesiæ non conueniat in Papa, nisi per modum orandi ad Deum pro eo. Sed formaliùs respondendo dico, quod illa auctoritas non fuit dicta Petro peccanti in alium, sed quando alius peccasset in Petrum, & consequenter cùm aliquis scandalizat fratrem dicendum est post monitionem Prælato, & consequenter Papæ tamquam supremo Prælato Ecclesiæ, sed quando èconuerso Papa peccat in fratrem, illa auctoritas nihil facit, maximè quando scandalizatur Ecclesia, quia ex quo tunc Eccles. est læsa, non posset habere locū illa auctoritas; sequeretur enim quod Ecclesia diceret Ecclesiæ, & sic esset iudex in causa propria. Similiter si Papa peccat in fratrem, non potest habere locum illa auctoritas, nam si volumus intelligere, quod illud dic Ecclesiæ intelligatur de Concilio, tunc resultat magnum inconueniens, quod si inferior à Papa scandalizat fratrem, idest proximum, ob hoc sit congregandum Concilium, hoc autem est impossibile, cum quotidie sint in Ecclesia vniuersali mille, qui scandalizant proximum. Et propterea oportet intelligere dic Ecclesiæ, hoc est Prelato, & superiori habenti superioritatem, potentiam, & iurisdictionem. Item similiter dicendum est quod non conueniat in Papa, quia si pro quolibet scandalo illato vni personæ particulari per Papam esset congregandum Concilium, Papa esset deterioris conditionis, quam quilibet priuatus, & semper oporteret quod Concilium teneretur, quia quotidie aliquæ particulares personæ scandalizantur de Papa propter multitudinem negotiorum, quæ habet Papa exequi in subditos. Item glos. & Doct. in d. cap. si Papa tenentes illam opinionem, volunt quod quando Papa scandalizat Ecclesiam possit à Concilio deponi, siue accusari, & non loquuntur quando scandalizat vnum pusillum, vnde in quamcumque partem vertamus illam auctoritatem, vera est opinio Hostiens. quod illa auctoritas non habet locum contra Papam. Immò si bene inspiciatur, illa fuit principaliter dicta in fauorem Petri, cui verba dirigebantur, videlicet quod si aliquis eum scandalizaret, primò eum corriperet, & si non desisteret diceret Ecclesiæ, hoc est Concilio, hoc est omnibus alijs Prælatis, & Principibus Christianis, & Catholicis, vt sibi subuenirent ad quod tenentur capitulo cùm ad verùm 96. dist. & in capitulo Principes 23. quæst. 5. Et ideò dicendum est quod illa auctoritas dic Ecclesiæ est intelligenda, id est superiori Prælato, quem Papa non habet supra se, immò non conue-
159 nit in eum. Ad octauum respondetur quod non obstat, quia text. in §. pro graui loquitur in Episcopo, cuius amotio non est ita periculosa, & in eo, qui habet superiorem. Non obstat etiam quod dicitur in cap. oues 6. quæst. 1. quod Episcopi sunt iudicandi à Deo sicut, & Papa, quia exponitur ibi text. à Deo id est ab Ecclesia 11. q. 1. §. item Constantinus, & 2. quæst. 7. cap. accusatio ponit Domin. in d. capit. oues.
160 Ad nonum contrarium patet ex supradictis responsio. Ad decimum argumentum à corpore mystico ad corpus materiale, seu naturale, hominis respondetur quod illud argumentum procedit respectu separationis, & concedentiæ, non respectu dignitatis, subsistentiæ, & finis, quia non eodem fine

cat, vt in Clem. 2. de electione licèt tunc caput sit Christus, vt dicitur in capit. primo de schismat. in 6. hoc autem non est in corpore naturali, quod nullo modo potest subsistere sine capite, & desinit separato capite. Item secundò respondetur quod ratione scandali non separatur corpus naturale à capite, sicut per depositionem Papæ fieret, quia separaretur à corpore mystico. Item dicitur quod ista non est bona argumentatio à corpore naturali ad mysticum, quia concluderet quando inferret depositionem totius corporis mystici, vt sicut deponitur corpus naturale, ita deponeretur corpus mysticum, sed non infert, nisi depositionem personæ Papæ. Et immò congruentiùs argueretur à capite mystico inferiori ad caput mysticum superius, hoc est, quod sicut deponitur Rector ab ordine, vel administratione Ecclesiæ ratione scandali, ita & Papa, hoc autem non posset procedere ob disproportionem capitis ad caput, quia non eodem modo iudicatur superior, quo inferior, vt in cap. oues 6. q. 1. facit quod dicitur in capit. cùm inferior de maiorit. & obed. cum simil. Item datur diuersitas inter corpus naturale, & mysticum, vt vide quod dicitur in fine responsionis ad 19. argument. Ad vndecimum in-
161 quantum dicitur, quod ratione sedandi scandali iuris præcepta relaxantur, & maximè si est scandalum circa animam,&quod Papa,quò est cæteris sublimior eò grauius, & vniuersalius est scandalum ab eo datum, & quod ob multa delicta, & maximè ratione incorrigibilitatis Episcopus deponitur, conceditur quod ista aggrauant delictum in Papa, sed iura non dicunt Papam ob hæc deponendum. Ad id, quod dicitur de glos. in cap. si quis pecunia, respondetur quod non dicitur quod propter hoc
162 possit deponi. Vnde dicit Mathesil.quod si Papa reperitur habere vxorem, tenebitur reddere debitum, si mulier non potest induci ad seruandam continentiam, vel cedat Papatui, & cum ea habitabit, non dicit quod cogetur cedere, & quod propterea deponetur. Quinimò Ant. in cap.licèt in 7. colum. de elect. in vers. quando quot testes, dicit quod si non poterit induci vxor ad continentiam seruandam reddet debitum, & erit Papa, nec hoc contrariatur substantiæ Papatus, quia & Petrus habuit vxorem, & hodie Presbyteri Græci habent vxores, vt in cap. olim de cler. coniuga.
163 facit quod dicitur 27. quæst. 2. agathosa. Quinimmò aliqui voluerunt quod electio facta de Papa quantumcumque notorio vxorato, non retractetur, sed quod vxor priuetur suo iure petendi debitum, de quo vide Alexand. in d. cap. si quis pecunia circa fin. vnde satis est in proposito quod non cogitur cedere, nec ex hoc potest deponi.
164 Ad illud quod quando in discordia electi sunt duo ad Pontificatum, ad vitandum scandalum vtraque electio cassatur etiam si altera sit bona. Respondetur quod hoc intelligitur ante admissionem, & receptionem ad Pontificatum, quo casu faciliùs ratione scandali vitandi quis non admittitur, vt in d.cap.nisi de renunt. quam postquam sine terminatur corpus mysticum quo naturale. Vnde sicut non licet separare membra à capite mystico. Non sic autem est respectu dignitatis, subsistentiæ, & finis, quia non eodem fine, vel dignitate terminantur, quia sine capite, hoc est Pastore, sine Papa potest stare corpus mysticum quod est Eccles. vt patet quando Sedes vacat est receptus, & in pacifica possessione Pontificatus. Facit regula vulgaris cap. quemadmodum de iureiur. videlicet quod turpiùs eijcitur, quàm non admittitur hospes, & dictum fuit supra in q. an quando Papa committit Simoniam possit contra eum de ea excipi, & in q. an quando passim committit Simoniam possit congregari Concilium. Item non dicit illa glossa, quod etiam si constaret alteram esse bonam, vtraque deberet cassari, sed fuit additio ex opinione Abbatis, & Felini, qui dixerunt sic illa debere intelligi. Quod non credo verum esse, quando constaret alteram esse bonam, quia sic esset amouere verum Papam à Pontificatu, quod vt sæpiùs dictum est nemini licet per cap. facta, & alia concord. 9. quæst. 3. sæpius adducta. Et posset intelligi glos. quando nondum esset cognitum, vter eorum sit verus Papa, & quando tanta est incertitudo vtra electio sit bona, vt non possit sine magni scandali periculo erui veritas, & non postquam constaret alteram electionem esse bonam. Et hoc ostendit ex text. quem allegat videlicet cap. si duo 79. dist. qui loquitur de duobus, qui temeritate concertantium contra fas fuerunt ordinati, & sic vbi neutrius erat bona electio. Item ille text. in cap. si fortè, loquitur in inferioribus Prælatis à Papa, licet glos. allege. concordantem illum text. cap. si duo, in hoc quod vult vtramque electionem debere cassari, & text. in dicto cap. si fortè, vult quod ex duobus in discordia electis Archiepiscopus possit alterum præferre, qui maioribus meritis iuuatur, ità tamen, vt nullus detur inuitis, & non petentibus in Episcopum, ne plebs illum odiat. &c. Et ideò ex scandalo glos. sumit argument. quod vtraque electio cassabitur, quia non stabitur propter scandalum iudicio Archiepiscopi. Hoc tamen de stando iudicio Archiepiscopi hodie est correctum per text. in cap. quia propter de elect. dicit glos. 9. quæst. 3. in sum. & Domin. ibi, & in d. cap. si fortè. Et ideò non videtur Abb. benè ponderare illam glos. dum trahit eam ad electionem de duobus ad summum Pontificatum in discordia factam, & dicit quod vtraque cassari debeat etiam si altera esset bona. Et videtur, quod d. glos. non fuerit malè gustata à Doctoribus, contra Felin. in d. capitulo 2. de præscript. quia non fuit mens illius glos. nec ibi ad hoc ab aliquo fuit declarata, loqui in duobus in discordia ad Papatum electis. Ad Duodecimum cùm dicitur quod cap. si Papa, loquitur quando est deuius à fide, & quod satis dicitur deuius à fide, qui subuertit statū Ecclesiæ, respondetur quod illa iura, quæ allegantur non probant hoc, sed tantùm loquuntur de subuersoribus canonum, qui appellantur præuaricatores fidei, & blas-

& blasphemi Spiritus Sancti, quod non est in casu nostro, item cap. si Papa, loquitur, quando est à fide deuius propriè, hoc est quando errat in articulis fidei, & ità loquuntur Doct. in d. cap. in fidei de hæret. in 6. Ad Tertiumdecimum cùm dicit per nota. pro Innoc. quod Papæ turbanti vniuersalem statum Ecclesiæ non est obediendum, & quod paria sunt non esse, & esse sine obedientia. Respondetur non esse verum, quod sint paria in proposito, quia non est obediendum illi, sed resistendum, in eo tantùm, in quo turbat vniuersalem statum Ecclesiæ, sed in alijs est ei obediendum. Et ita intelligitur not. Innoc. & aliorum in d. cap. inquisitioni, & in dicto cap. sunt quidam, cum alijs ibi allegatis. Ad illud quod dicitur de cap. suggeltum
165 est aliàs responsum. Et quod dicitur, quod non est verisimile, quod iura voluerint priuilegiare illum, qui committit in legem, respondeo quod priuilegium, quod non possit ab aliquo iudicari, nisi à Deo, datum est à Deo dignitati, & non personæ, & ideò non potest illo priuari, quamdiù est in dignitate Papali. Facit quod dicitur in cap. si diligenti, & capitulo significasti de foro compet. cùm simil. Quo ad quartumdecimum de dicto Abbatis, quomodo intelligatur dictum Hostiens. dictum est supra.
166 Ad quintumdecimum, à sufficienti partium enumeratione sumptum, respondetur quod ex omnibus illis, & alijs rationibus non potest ratione scandali Papa deponi, propter indecentiam, periculum futuri schismatis, & quia nullo iure reperitur cautum hoc fieri posse, & quia à solo Deo iudicatur, & alijs rationibus supra pro ista parte adductis. Non obstat ratio prima, videlicet quod qua ratione iudicat Concilium in causa hæresis, eadem ratione debet iudicare in alijs, quia respondetur quod in causa hæresis ratio est, quia tunc Papa est minor quolibet Catholico, vt dicitur in dicto capitulo si Papa, & in glos. in capitulo præsul. 2. quæst. 4. & in cap. aliorum 9. quæst. 3. & dicitur in cap. fidei de hæret. in 6. Ad illud quod non reperitur data maior potestas Concilio iudicandi in causa fidei, quàm in alijs, respondetur, quod etiam non reperitur in sacra Scriptura, quod data fuerit facultas Concilio iudicandi de Papa, præterquam in causa fidei, immò potiùs contrarium, vt in dicto capitulo si Pa-
167 pa. Ad illud quod maius est peccatum odio habere Deum, quàm hæresis, respondetur, quod qui odio habet Deum, non ita est scandalosus Ecclesiæ, sicut heretici, qui vt dicit text. habent caudas colligatas, vt in capitulo excommunicamus de heret. Et sophismatibus suis, & arte diabolica sępe opprimunt Ecclesiasticos, vt dicit text. in cap. transferunt 24. quęst. 3. Item hæreticus est separatus ab Ecclesia, & à fide, vt in capitulo de illis ibi glos. 23. quęst. 3. quod non est in illo, qui odio habet Deum, & ideò qui non est fidelis non potest esse caput fidelium. Facit quod dicitur in cap. illud sanè cap. cau. & qu. & est bonus text. in cap. nemo quippe 83. dist. & 11. quęst. 3. cap. præcipuè, & de vot. cap. magnæ. Ideò non absurdè dicitur quod talis tanquam ab Ecclesia pręcisus à Concilio iudicatur. Item
168 quia hęresis est morbus contagiosus, vt in cap. resecandę, & cap. corripiantur, & cap. ecce 24. q. 3. Non sic autem est de eo, qui odit Deum, qui sibi ipsi nocet, & non inficit alios. Vnde Iudas odio redemptorem habuit, cū eum vendidit, & mox laqueo se suspendit, vt in cap. qui studet 1. qu. 1. Ad illud quod arguitur de Heli. respondetur quod ipse fuit punitus à Deo, cuius etiam iudicio crimen Papę reseruatur, vt in d. cap. facta 9. quęst. 3. Et ad hoc potest latiùs responderi, per id quod dicetur infra de Abiathar in responsione ad vigesimumtertium argument. quia Deus voluit quod regimen transferretur in reges propter peccatum filiorum Heli, & ipsius Heli. Ad illud
169 quod dicitur de ratione naturali, quod dictet Papam debere deponi, & quod melius sit ipsum abijci, quàm totam gentem perire, respondetur, quod ex crimine scandaloso Papæ, non perit vniuersalis Ecclesia, quæ numquàm potest errare, & pro qua Christus orauit, vt in cap. à recta. 24. quæst. 1. & capitulo maiores de bap. Item non
170 semper pro quocumque crimine debet quis scandalizari, nec iudicari, sicut dicimus de homicidio Sampsonis, licèt enim aliàs homicidium sit de se malum, tamen interpretamur illud fuisse nutu Dei factum. Ad quod facit, quod dicit tex. in cap. absit. 11. quæst. 3. & in cap. in scripturis, 96. dist. quod non est quicquam sinistrum de sacerdotibus arbitrandum, multò minùs igitur de Papa, vndè nisi appareret hæreticus, non est illico procedendum contra eum, nec præsumendum malum de eo, nam & Petrus
171 negauit Christum, & pœnitentia ductus fidelior factus est, vt in cap. fidelior, 50. dist. Et quo ad rationem naturalem illa magis dictat non esse deponendum, ne deterius inde contingat. & hoc ostendunt rationes inductæ pro ista parte, quæ sunt fundatæ in ratione naturali, & authoritatibus sacræ scripturæ, & authoritas illa, quæ loquitur de Christo verificabatur, quia nisi fuisset mortuus, non fuisset redemptio generis humani vniuersalis, quod non potest conuenire in proposito, quia per delictum Papæ, non potest perire vniuersa gens. Ad id; quod dicitur de iure positiuo, respondetur, quod illud quod adducitur, loquitur in inferioribus, & Papa non astringitur illo. Ad decimumsextum, quod est difficile
172 motiuum, respondetur, quod in proposito non est paritas de vno casu ad alium, videlicèt de cessione, quæ fit voluntariè, ad depositionem, quæ fit coactè, & ideò dicere, quod licèt Papa possit cedere Ecclesiæ, Ecclesia non potest eum deponere, non est iudicare Papam, & Ecclesiam ad imparia, sed si diceretur, quod Papa deponit vniuersalem Ecclesiam, & Ecclesia non deponit Papam, tunc iudicarentur ad imparia. Et hoc non potest esse, quia Papa non potest vniuersalem Ecclesiam destruere, vt dicitur in cap. cùm quidam, 25. quæst. 1. & quod dicit Inno. in cap. inquisitioni. de sent. excom. & Ioann. An. in cap. nulli co. tit. Sed secundùm quid hoc non esset absur-

surdum, ratione superioritatis, quia Papa est supra Concilium, vt in capitulo significasti de elect. & est caput, & rector vniuersalis Ecclesiæ, vt in cap. nouit de iudi. & in cap. vbi periculum. §. cæterùm de elect. in 6. 2. quæst. 6. omnes, cum cap. sequenti, & cap. ad Romanam el. 2. Et gloss. 7. quæst. 1. cap. non autem, vbi dicit, quod qui dicit posse esse duos Papas, vel Papam non esse caput Ecclesiæ, errat contra illum articulum fidei, & vnam sanctam Catholicam Ecclesiam, &c. Non obstat, quod dicitur, quod non debet eadem res diuerso iure censeri, quia ex diuersis rationibus potest vna, & eadem res diuerso iure censeri, vt dicitur in dicto cap. cùm in tua. Et similiter non obstat, quod dicitur, quod contrariorum eadem est iuris dispositio, respondetur enim, quod illud est verum quando est eadem ratio, sed si est diuersa ratio, tunc non est eadem iuris dispositio sed contraria, l. fin. ff. de calũ. l. fin. §. fin. ff. de lega. 3. ponit Dy. in l. prima. ff. solu. matri. & Angelus insti. de ijs, qui sunt sui, vel alie. iu. in prin. Et si dicatur arguendo à Matrim. car-
173 nali ad spirituale, vt in c. inter corporalia de transla. Præla. quod licèt etiã mulier sit subdita viro, vt 33. quæst. 5. cap. hæc imago, & cap. mulierem, tamen non iudicatur ad imparia cum viro, vt in dicto cap. gaudemus de diuor. vndè sicut non potest mulier dimittere virum excepta causa fornicationis, vt in cap. 2. de diuor. ita nec vir vxorem, vt in cap. ex parte de sponsa. 32. quæst. 1. in coniugio, & quæst. 5. si vxorem, & cap. præceptum, quia quicquid viris præcipitur, hoc redundat ad fœminas, vt in cap. præcepit. 32. quæst. 5. igitur eodem modo dicendum est in Matrimonio spirituali, quod sicut Papa, potest cedere Pontificatui, & dimittere Ecclesiam, ita & Ecclesia propter crimina Pontificis potest dimittere eum, ad quod facit, quod quando vir scandalizat vxorem, vxor potest dimittere virum, vt in cap. de illa, & in cap. quanto de diuort. Respondetur, quod non est in omnibus par ratio de Matrimonio spirituali, & Matrimonio carnali, quia difficiliùs dissoluitur Matrimonium carnale, quàm spirituale, quia carnale dissoluitur authoritate Dei, sed spirituale, authoritate Papæ, vt dicitur in dicto cap. inter corporalia. Vndè licèt Matrimonium
174 spirituale dissoluatur consensu, & cessione, non potest solo consensu, & cessione dissolui carnale, vt in dictis iuribus, & cap. super eo, de eo qui cog. consang. vxo. su. cap. porrò, de diuor. & l. consensu, C. de repu. & diuor. & Facit vna ratio, quam adducit Ioan. Andr. in cap. 1. de renunt. in 6. vbi dicit, quod cum arguitur à Matrimonio spirituali ad carnale, transitur in sacramentum Ecclesiæ, propter quod ex consensu sequitur indissolubile vinculum, quod non est in spirituali coniugio. Cuius dicti rationem assignat, quia spirituale coniugium inter Prælatum, & Ecclesiam respicit bonum publicum, & commune, si igitur insufficiens, vel inhabilis cedere non posset, sequeretur malum reipub. & quantò maior est Prælatus, eo maius bonum Reipublicæ respicit, & tantò maius esset malum; item quia, quod ex charitate institutum est contra charitatem militaret, nam si præsidens inutiliter non posset resignare, hoc ad malum, & confusionem Ecclesiæ, & damnum animæ præsidentis redundaret.
175 Carnale autem coniugium respicit priuatum bonum, & si confunderetur ipsius dissolutio, fortè ipsi viro esset bonum, quia meliorem acciperet vxorem, sed sequeretur ex hoc vniuersale malum, quia cum communiter plus ducat homines concupiscentia, quàm ratio, multi vxores dimitterent, nec sic de prole haberetur cura, vt nunc. Et
176 hoc vltimum dicit text. in d. l. consensu. Vndè ex præmissis patet magnam esse differentiam inter matrimonium Carnale, & spirituale, & non procedere argumentum de vno ad aliud respectu dissolutionis.

Cùm dicitur igitur, quod non debent Papa, & Ecclesia ad imparia iudicari, & quòd sicut Papa, potest dimittere Ecclesiam, ita, & Ecclesia Papam, sicut dicitur de viro, & vxore, respondetur, quod non est dare casum, quo Papa cedat Pontificatui, & dimittat vniuersalem Ecclesiam ratione defectus in Ecclesia, quia illa semper est immaculata, & sine ruga, vt in cap. omnibus, 24. quæst. 1. loquendo de Ecclesia non repræsentatiuè, vt est Concilium, quod potest errare, sed de ea, quæ non potest errare, vt dicit Abb. in cap. significasti de electio. & ratione cuius Papa, recipit potestatem à Christo, vt in cap. quodcumque, 24. quæstio. 1. Sed si cedit, hoc contingit ex defectu in propria persona ipsiusmet Papæ, vel quia sentit se insufficientem, vel inhabilem ad gubernandum eam, sicut si vir separaretur ab vxore, quia esset frigidus, vt in capit. fraternitatis de frigi. & malef. Vndè non minùs potest dici Papa, repudiari ab Ecclesia, quàm ipse repudiare eam. Et ideò non conuenit dicere, quod iudicentur ad imparia, eo quòd Papa, cedit Ecclesiæ, & Ecclesia non dimittit Papam, quia non est defectus in Ecclesia, sicut in viro, & vxore, nam sicut vir propter adulterium per eum commissum repudiatur, sic & vxor propter adulterium per eam commissum repudiatur, & sicut vir repudiatur quia est frigidus, sic & mulier repudiatur, quia est arcta, vt dicto capitulo fraternitatis. Quòd autem Ecclesia repudiet Papam, hoc fieri non potest, nisi causa fornicationis spiritualis, quia Papa fit hæreticus, dicto capitulo si Papa, sicut enim consummato matrimonio carnali non potest dimitti coniux, nisi causa fornicationis, ita nec Ecclesia potest dimittere Papam, nisi propter fornicationem spiritualem, idest hæresim.
177 Sed prædictis obstat, quod si Papa, sine aliqua causa ex nuda tamen voluntate cederet, cessarent prædicta, & viderentur omnino ad imparia iudicari. Sed ad hoc respondetur, quod secundùm iura hoc non potest contingere, quod quis resignet sinè aliqua causa saltem intrinseca. Immò præsumunt, quod nullus spontè sine magna causa renuntiet beneficio multis laboribus acquisito, vt in cap. super hoc de renun. Et

nullus præsumitur tàm fatuus, vt velit iactare suum, l. cum de indebito, ff. de prob. & iura non fundantur super non verisimili, vt est tex. in d. cap. super hoc, & in cap. quia verisimile de præsump. Sed videtur obstare tex. in capitulo primo de renun. in 6. cum dicit liberè, & glos. iuncto tex. ibi cùm dicit maximè, quasi etiam si non ad sit insufficientia, possit si velit re-
178 signare. Sed quo ad verbum liberè respondetur, quod intelligitur sine alicuius consensu, vt ibi, quo ad verbum autem maximè dicitur, quod non excludit alias causas. Quo ad id, quod dicitur, quod vxor
179 potest dimittere virum, si eam scandalizat, respondetur, quod iura adducta loquuntur in scandalo, quod prouenit ex hæresi, & infidelitate viri, quo casu etiam Papa, scandalizans Ecclesiam per hæresim, & infidelitatem dimittitur ab Ecclesia, vt dicto capitulo si Papa. Ad Decimumsepti-
180 mum respondetur, quod inferioribus indicitur purgatio ratione scandali, vt dicto cap. inter sollicitudines, sed non est, qui possit Papæ indicere purgationem, quia non habet superiorem, qui possit eum cogere ad se purgandum. Et purgatio Papæ, de qua in iuribus allegatis, fuit facta sponte, & non necessitate aliqua. Et hoc probat ille tex. in d. cap. auditum in fin. 2. quæst. 4. & ideò ex illis iuribus infertur, quod non possit deponi ob aliquod crimen.
181 Ad text. in cap. si quis super ijs, respondet ibi Archi. quod ibi Gregorius, vel loquitur ex humilitate, vel culpabatur de hæresi. Sed Do. ibi dicit, quod non fuit causa hæresis, & quod Gregorius scripsit ex humilitate, & idem dicit ibi Hugo secundùm eum. Facit quod dicitur in cap. nihil de præscript. vbi dicitur de Gregorio, quod loquebatur in singulari, licèt esset Papa, ex humilitate. Facit ad prædicta text. in cap. Petrus, 2. quæstio. 7. vbi dicitur, quod Petrus querimoniæ factæ contra eum cur ad gentes intrasset, non ex potestate officij, qua potuisset dicere oues pastorem suum non accusent, nec reprehendant, sed ex authoritate diuinæ virtutis qua Gentiles acceperant Spiritum sanctum respondit. Et ibi Gratianus dicit, cum ergo Petrus potuerit ex officio repellere querelas, sed noluit, non hoc exemplo prælati coguntur suscipere reprehensiones subditorum. Ad Decimumoctauum de epi-
182 stola beati Clementis ad Iacobum, respondetur, quod aliqui text. habent loco verbi deponaris verbum puniaris. Sed vtcumque sit, debet intelligi à Deo, cuius iudicio Papa est reseruatus, vt in capitulo facta, 9. quæst. 3. Et quod ita intelligatur deprehenditur ex capit. electionem, 79. dist. qui est text. Anacleti, qui successit statim post Clementem. Item cum dicitur deponaris, intelligitur in casu, in quo potest deponi, vt in casu hæresis, quod potest deprehendi ex verbis ibi, tamquàm qui non docueris, quæ ad salutem hominum pertinent, quod est dicere, si non docueris, quæ ad salutem pertinent, sed hæreses, & errores. Ad quod adde, quod dictum est supra in responsione ad tertium argumentum, Ad
183 decimumnonum respondetur, quod satis est prouisum per alia remedia, quando Papa scandalizat Ecclesiam, vt supra dictum est, & maximè per viam resistentiæ, absque eo, quod deponatur, alioquin idem possemus dicere in quocumque delicto Papæ, quòd Christus minùs sufficienter prouiderit Ecclesiæ suæ, ex quo non reliquit iudicem, qui Papam corrigeret, & in eum iurisdictionem haberet, cum tamen voluerit suum Vicarium omnibus esse superiorem, & vt quicquid voluerit soluere, vel ligare possit super terram, vt in cap. quodcumque, 24. quæst. 1. & cap. nouit. de iudic. cum simil. Sicut enim in ordine totius vniuersi quo ad esse naturæ in genere mobilium, & mouentium non est processus in infinitum nec ordinis retrogradatio, sed deuenitur ad vnum, quod sic omnia mouet, quod à nullo alio mouetur in genere illo, vt dicit Aristot. sic videtur dicendum in ordine vniuersalis Ecclesiæ quo ad esse disciplinæ, quod sit deueniendum ad vnum, cuius sit omnes corrigere, & iudicare, & quià nemine iudicetur, qui est Papa. Pro hoc est
184 bona gloss. in clem. ad nostrum de hæretic. quæ parificat Ecclesiam militantem Ecclesiæ triumphanti, vt sicut in triumphanti vnus summus est princeps Deus, sic & in militanti vnus præsit princeps videlicèt Papa, cui omnes alij obediant necesse est, vt patet in extrauaganti vnam sanctam. Nec præscindendus est à corpore Ecclesiæ, sicut nec caput naturale à corpore naturali, quia ab illo pendet sensus, motus, &
185 virtus corporis, & sine eo corpus non viuit. Hinc est, quod Christus Matthæi, 18. inter membra ratione scandali abscindenda non nominat caput, sed membra illa cum quarum abscisione stat vita, sensus, & motus corporis, à Papa autem pendet post Deum salus vniuersitatis fidelium, vt in allegato. cap. si Papa, 40. dist. Et quantum-
186 cumque Papa, sit caput Ecclesiæ non efficitur malis moribus membrum putridum, quia non potest totum corpus vniuersalis Ecclesiæ inficere, non permittente hoc Spiritu sancto, quo Ecclesiæ corpus, & viuit, & vegetatur, & à quo salus eius principaliter dependet, quia Christus est pollicitus se semper cum corpore suo mansurum, dicens, ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, Matth. vlt. Et pro ista Ecclesia Christus rogauit, vt in cap. à recta. 24. quæst. 1. & ideò languescente capite membra non inficiuntur. Ad quod adde, quod dictum est in responsione ad decimum argumentum. Ad vigesimum contrarium respondetur, quod regula illa habet
187 locum in ijs, quorum dissolutio dependet à potestate contrahentis, sicut est in contractibus, qui solo consensu conficiuntur, & contrario consensu dissoluuntur, l. sicut C. de act. & oblig. l. 1. C. quando liceat ab emp. rece. Sed in ijs, quorum dissolutio non dependet à potestate partis, non potest quid eodem modo dissolui quo colligatum est, vt est in proposito, quia postquam quis electus est in Papam, non habet vltra aliquem in superiorem, sed ipse est omnium supremus, vt in sæpè allegato

cap.

cap. licet. Et ideò quamuis matrimonium carnale contrahatur nudo consensu, non dissoluitur nudo consensu, quia non dependet à coniugibus dissoluere quod Dei voluntate coniunctum est, quos enim Deus coniunxit homo non separat, cap. quos Deus 33. qu.2. & rationem assignat glo.in capitulo qua propter 27.q.2. Sic dicendum est, & in matrimonio spirituali. Et idem videmus in ordinibus; & in baptismo, quia sacramenta semel habita, numquam amittuntur 1. qu. 1. quod quidam. Ad idem facit tex. in capitulo licèt, & cap. magnæ de vo. & quod dicitur in cap. statuimus de regula. & in cap. 2. de transl. præla. Et istas, & similes fallentias ponunt glos. & Doct. in d. cap. 1. de regu. iud. Ad illud
188 quod eius est destituere,cuius est instituere respondetur,quod illud procedit in subiectis dispositioni iuris communis,vt dicit Abb. in d. cap. cum ex iniuncto. Papa autem est supra ius, vt sæpè allegato cap.proposuit de conces. præben. Item Cardinales non propriè instituunt Papam, sicut nec canonici, qui eligunt Episcopum possunt deponere eum,quia hoc spectat tantùm ad Papam, vt in cap. 1. & 2. de transl. prælat. &c. quod translationem de offic. lega. Ad id, quod dicit S. Th. de Rege,respondetur quod habet superiorem, cum efficitur tyrannus, ideò potest amoueri, facit quod dicitur l. si cùm Cornelius, ff. de solu. Sed non est dare superiorem Papæ, vt sæpius dictum est, ideò est Dei iudicio relinquendus, cap. facta 9. quæst. 3. & capit. nemo,
189 cum simil. Ad vigesimum primum de exemplis maiorum respondetur,quod licèt multi reperiantur depositi, illi, aut non erant indubitati Pontifices, aut de facto, & non legitimè fuerunt depositi. Non enim est per exempla iudicandum, vt in cap. de quibus ibi bona glo. de hoc 20. dist. l. nemo, C. de sen. & interloc. omnium iudi. l. sed licet, ff. de offic. præsi. cap. cum ex iniuncto de hære. cap. magnæ in verb. trahitur in exemplum de vo. c. ex merito qu. 6. l. 1. de quibus ibi glo. ff. de ll. nisi quo ad Deum, & pro euitando peccato, vt dicit glo. in authen. vt omnes obe. iudi. §.1. colla.5. Vbi enim est ratio non attenduntur exempla, vt dicit tex. in c. sana dist. 9. Propterea dicit Cardi.in cap. venerabilem de elect. quod licèt multa ingenia laborauerint inuestigando initium monarchiæ terrestris, & de monarchia prodierint multi libri, nulla tamen disputatio potest esse minùs vtilis. Et ideo argumentum ab exē-
190 plis chronicarum non est omninò solidum, quia multæ impressiones, & violentię fuerunt factæ ab Imperatoribus contra Pontifices. Ad id quod dicitur de Ioa. 12.
191 qui legitur congregato Concilio depositus, & suffectus Leo respondetur, quod constat hoc etiam de facto actum fuisse, vnde, & postea restitutus fuit congregata synodo Romę, vbi & Leo, & omnia eius gesta damnata sunt, vt patet apud Vincen. historialem l. 25. cap. 86. non multò post autem in adulterio deprehensus, confossus interijt. Alij dicunt eum nutu Dei perijsse, vt pote qui tantùm Dei iudicio deponendus reseruabatur. Sunt etiam, qui dicant eum malis artibus Pontificatum occupasse, fuerunt enim gesta illorum temporum negligentia scriptorum non parum confusa,vt legitur in eius vita apud Historicos. Et de similibus exēplis vide Card. de Turrecre. in 2. li. cap. 103. Item potest dari alia responsio, quod in casu nostro non deficit ius, quia habemus iura, quod Papa à nemine potest iudicari, nisi fiat à fide deuius, vt in d. c. si Papa. Ad vigesimum se-
192 cundum respondetur,quod non valet consequentia, potest aliqua ex causa resisti Papæ,ergo potest deponi, quia resisti semper potest,quando præciperet aliquid quod esset peccatum lege diuina, vt in c. Iulianus, & cap. qui resistit 11. q. 3. & tamen non potest deponi,nisi in casu hæresis, vt in d.
193 cap. si Papa. Ad vigesimum tertium respondetur, quod Christus non fuit subiectus iurisdictioni Pilati, vel Cæsaris, nisi inquantum ipse voluit, vnde Isaiæ 53. dicitur,oblatus est,quia ipse voluit. Ad id quod dicitur de Constantino, respondetur quod tex. nihil dicit de Papa, quod subijciatur Imperatori. Imò ibi potiùs dicitur contrarium in dicto capitulo Constantinus,nam
194 potestas Papæ est à Deo,vt in cap.in nouo 21. dist. cum concordan. Ad illud de Paulo respondetur, quod ex hoc quod appellauit ad Cæsarem,non designatur,quod Cæsar esset eius iudex, sed potiùs illius, à quo fuerat iniuria affectus, & tamquam actor voluit sequi forum rei, capitulo cum sit de foro compe. cum simil. Ad illud de Abiathar respondetur, quod illud fuit factum Dei voluntate, qui hoc futurum prædixerat, vt legitur ibidem 3. reg. cap.2. vbi dicit textusmet illud factum, vt impleretur sermo Domini, quem loquutus est super domum Heli in Silo. Et ibi supplet glos.
195 Nic.scilicet quod eijceretur à sacerdotio, vt habetur 1. reg. 2. Item vt dicit, ibi glo. Abiathar sacerdotio expulsus,non tamen occisus significat iudæos,quorum sacerdotium licèt sit abolitum, ipsi tamen propter eos, qui in fine mundi ex eis crediturі sunt deleti non sunt. Ad vigesimum quartum de glos. in cap. si Papa est supra responsum
196 Ad illud, quod dicitur, quod & Episcopi sunt tantùm à Deo iudicandi sicut Papa, & nihilominus sæpius reperiuntur, & in Concilijs, & à Pontificibus depositi, ergo cap.nemo, & seq. sonantia, quod nemo iudicat Papam intelliguntur in foro conscientiæ respondetur, quod non obstat. Et primò quo ad text. in cap.
197 accusatio, cum dicit quod Episcopi à Deo iudicantur, respondetur quod ibi per iudicium Dei intelligitur iudicium Ecclesiæ, & perinde est dicere quod iudicantur à Deo, atque dicere, quod iudicantur ab Ecclesia, vt in cap. quod suspecti 3. qu. 5.
198 ibi iudicia diuina, id est Ecclesiastica. Et si dicatur quare non sic exponi debet in iuribus, quæ loquuntur de Papa respondetur, tum quia non habet superiorem,tum etiam quia iura clarè dicunt, quod in foro iudiciali non iudicatur à quoquam, sed Dei iudicio reseruatur, vt in cap. nunc autem 21. dist. cum simil. Ad illud quod arguitur

199 de capitulo cito turpem ex grauitate pœnæ, respondetur duobus modis, primò quod illud, de quo ibi fit in detestationem criminis, non quod maius sit delictum simoniæ, quàm idolatriæ. Et hoc patet ex eodem tex. vbi appellatur crimen inexpiabile, & tamen in hoc seculo quodlibet peccatum mortale est remissibile, & expiabile de pœnit. dist. 7. nemo. Et reperitur in veteri testamento sæpiùs maximas pœnas inflictas fuisse pro minori delicto, vt patet de murmuratione populi num. 14. & de Anania, & eius vxore act. 5. & 12. qu. 1. dilectissimis, & sic de similibus. Vel secundò respondetur, quod ibi tex. loquitur in simonia, quæ est propriè hæresis, quia Giezi voluit emere gratiam Spiritus sancti pecunia, & ideo errauit in fide committendo in ijs, quæ sunt prohibita quia simoniaca, vt in cap. ex parte de offic. delega. & supra dictum est in atti. vtrùm electio Papæ per simoniam facta teneat, & an Papa illaque-
200 tur crimine simoniæ. Ad argumentum à simili de Archiepiscopo, qui iudicatur à Concilio prouinciali, respondetur quod non est omnino simile de Archiepiscopo, & Papa, quia à Concilio Prouinciali potest recurri ad Papam, & Archiepiscopus habet superiorem, vt in cap. quamuis, cap. multum, & cap. dudum cum sequen. 3. qu. 6. & tex. de Archiepiscopo in capit. graue de præben. Sed secus in Papa, vt in §. patet. 3. qu. 1. & cap. licèt de elect. Item responderi potest alio modo, quod ibi in d. cap. sicut fuit iudicatum ex commissione, & auctoritate papæ, vt dicit ibi Hugo. & re-
201 fert Doctor. Vel tertiò, vt dicit ibi glos. Concilium potest cognoscere, sed non iudicare de causa Archiepiscopi. Et ideò sumitur, ibi per glos. argumentum, quod Concilium generale potest cognoscere de causa Papæ, sed non iudicare. Et idem videtur sentire glos. in cap. mandastis 2. qu. 4. Licèt in causam hæresis sit glo. in contrarium cap. nemo 9. qu. 3. & dicit Innoc. in capit. ex parte de verbo. sig. & Archi. & alij in cap. in fidei de hæte. in 6. & dicitur in loco suo. Item quartò respondetur, quod Concilium, aut iudicat de persona Archiepiscopi ad effectum admonendi ipsum Archiepiscopum, vt se corrigat, & emendet, & via cuiusdam denuntiationis, vt ipso post modum se non emendante causa deferatur ad Papam, & hoc modo poterit, & procedit quod dicitur in d. cap. sicut. Aut ad finem iudicandi personam Archiepiscopi, & nullo modo potest, vt in d. cap. graue, & sentit ibi Alex. in d. cap. sicut. Et non obstat, nec procedit argumentum à simili ab Archiepiscopo ad Papam per præmissa. Quando autem possit appellari ab Archiepiscopo ad Concilium prouinciale, vide ibi in d. cap. sicut & in cap. multis dist. 17. & in cap. Primates 2. qu. 1. Et ibi tradunt Doct. quod nec Episcopus potest damnari per Primates, nisi ex commissione Papæ, vt dicit ibi Dominis tex. tamen ibi probat contrarium quando rite proceditur per Primates, aliàs retractatur de facto eorum sententia per synodum, vide ibi glos. & Doct. Ad vltimum respondetur, quod lex si cùm Cornelius &c.
202 ne quis, loquuntur quando facultas reuocandi actum dependet à nuda voluntate agentis, vt est in Domino constituente procuratorem, qui potest illum reuocare, vt dicitur in cap. mandato de procu. & in c. 2. eod. tit. in 6. Ad illud de c. ne quis, respondetur quod procedit in eo, qui habet facultatem retinendi gladium, sed in proposito non est in posse Concilij retinere facultatem supremam Pontificis, quam non habet; non negatur tamen, quin per viam monitionis, & alia remedia supra dicta
203 possit ei resisti, sed non deponi. Nec concludit in proposito, illud, quod subijcitur, quod vbi deficiunt magistratus redimus ad ius primæuum naturale, quia istud si militaret in Papa, ita haberet locum, quando esset corrigibilis, sicut quando esset incorrigibilis, quia numquam habet superiorem, vt in cap. licèt de elect. & eius causæ reseruantur Dei iudicio, vt in c. aliorum. 9. qu. 3. cum simil. Et quo ad id quod dicitur de Saule, etiam ipse fuit punitus Dei iudicio, vt patet. 1. reg. 31. & non depositus.

204 Et ex his apparet absoluta quæstio ista. Ex quibus concluditur, quod Papa pro crimine quocumque etiam notorio, & scandalizāte Ecclesiam, & de quo est incorrigibilis, modò non sit crimen hæresis, non potest deponi. Et vltra prædictos Doctores supra pro ista parte adductos, alios idem tenentes adducit Card. de Turrecre. in 2. lib. capit. 93. in fine videlicet Hugonem de Sancto Victore, dictum Albertum, Alexandrum de Ales, Bonauenturam, Petrum de Tarantasio, Innocentium quintum in quarto, dictum Vlricum in summa, Ricardum de media villa in quarto, Petrum de Palude, Patriarcham Ierosolymitanum, Herulum, & Alexandrum de Elpidio in tract. de Eccles. pot. item Innocen. Hostien. Ioannem And. Guidonem, Archidiaconum. Qui omnes volunt Papam verum, & indubitatum extra casum hæresis strictissimè sumptæ nullum in terris iudicem habere superiorem, sed tantùm Deum in cęlis, cuius vices ipse gerit in terris, Et si bene aduertatur, ista est cōmunis omnium Scribentium opinio, quicquid dixerit Decius in quodam suo consilio nouiter impresso numero 151. incipiente maximi ponderis. Et quod ista sit communis, vltra alios supra adductos, tam theologos, quàm Canonistas etiam ostendunt omnes præcipui Doctores Canonistæ, cum dicunt, quod Papa non potest ab aliquo iudicari, nisi pro hæresi, vt voluerunt maxime Innoc. in cap. ex parte de verbor. significatio. Ioan. And. Anton. & Card. & idem Ioan. And. post Host. & Anton. de Butr. Card. & alij in cap. proposuit. de conceß. præbend. Et Aliqui idem replicant in capitulo licèt de elect. & in capit. in fidei de hæretic. in 6. Et licèt non ponant istam quæstionem in forma, videlicet quod quando Papa est incorrigibilis de crimine notorio scandalizante Ecclesiam, tamen rectè intuenti hoc volunt; ex quo excludunt omnes alios casus, & tantùm casum hæresis ponunt, in quo pos-

possit procedi contra eum. Adde tamen
205 unum quod incorrigibilitas interdum colligitur ex verbis non directè, & expressè sonantibus incorrigibilitatem, sed solum tacitè, & per indirectum. Hoc consuluit Cardin. consil. 53. incipit proponebatur casus, vbi dicit quod clericus, quidam poterat dici incorrigibilis ex eo, quod confitendo se voluisse dare castrum sancti Angelij Colúnensi, qui cum viris armatis ingrediens faceret tumultum, dixit quod res habuisset effectum, si non fuisset vtilitas animi vnius illorum, qui fuerant requisiti, & obiurgabat reuelatorem de vilitate animi, nam per hæc verba ostendebat, se non pœnitere, ergo erat incorrigibilis. Et illud dictum refert Felinus in capitulo Rodulphus in 27. columna versiculo limita primò.

206 Vtrùm autem sint alij casus, in quibus Concilium possit iudicare de Papa vltra hæresim, schisma, Idolatriam, & similes causam fidei concernentes, vide Gerson in tract. de Auferi. Papa ab Eccles. in 19. consideratione, vbi ponit sex alios casus, de quibus dictum est supra, vbi agitur de exceptio. quæ opponuntur contra Papam, vel ibi, de quibus potest accusari. Et ex his apparet quid dicendum, si Papa passim committit vsuram, & permittit alios publicè eam exercere, & approbat contractus vsurarios, ex quo scandalizatur Ecclesia, patet enim, quod non potest statim per Concilium deponi, sed debet priùs moneri, si autem non desistat, nec reuocet similes contractus, poterit interrogari, an credat quod exercere vsuram, & facere similes contractus vsurarios sit peccatum, nec ne. Et si teneret, vel assereret non esse peccatum, & posse fieri similes contractus sine peccato, tunc ex quo, & lege diuina, & humana vsura est interdicta poterit tamquam hæreticus, & de fide malè sentiens iudicari, vt probat tex. in cle. 1. de vsu, qui est conciliaris. Et idem possumus dicere in similibus casibus, in quibus post monitionem, & perseuerantiam sentiret illud, quod generat, & est peccatum non esse peccatum, quod posset procedi contra eum, tamquam de hæresi suspectum, vt supra dictum est, & posset vt pertinax damnari, ex quo non resipiscit.

SVMMARIVM.

1 *Testes quot sufficiant contra Papam.*
Et dicendum, quod duo, & in hoc est deterioris conditionis, quod an sit verum. ibidem.

2 *Cap. præsul. 2. qu. 5. intellectus, & ibi glosa reprobatur.*
Et de varijs intellectibus d. cap. præsul. ibi. remiss.

ARTICVLVS XIII.

Sed quia dictum est quando, & ex qua causa possit Papa deponi, quæro quot
1 testes sufficiant contra Papam? glos. in cap. præsul. 2. qu. 5. dicit quod duo, & ad hoc consueuit allegari singularis. Et subiungit eadem gl. in hoc Papam esse deterioris conditionis, quia ipse sine comparatione treatus est maior alijs, & ideò sine spe veniæ condemnandus est, vt diabolus de pœnitent. distinctione 2. principium. Sed in contrarium facit text. ibidem, quia si in condemnatione Cardinalium requiruntur aliquando 72. aliquando 64. aliquando 27. ad minus, multò magis videretur idem dicendum in Papa, arg. eorum, quæ ponuntur in cap. fęlicis de pœnis, & clem. 1. eod. tit. Et ex ista ratione per illum text. dixit August. de Anc. in tract. de pot. Papæ qu. 5. art. 5. quod text. in cap. præsul habet locum etiam in Papa, quicquid dicat gl. ibi quam dicit procedere in casu, quo Papa impeteretur de hæresi, quæ esset ita aperta, & manifesta, quod non posset aliqua tergiuersatione celari. Et cum eo transit etiam Fel. in cap. per tuas de maio. & obed. Quibus non assentior, cùm ille tex. patiatur varios intellectus, quos ibi, & in dict. cap. per tuas ponunt Doct. & supra retuli in quæstione, qui præferantur in Concilio, Cardinales, ne an Patriarchæ, tum etiam quia restrictio, quæ datur ad gl. non videtur bona, quia si hæresis est notoria, non indiget testibus, ad conuincendum Papam aliter, quia sufficit notorium, quod allegetur, vt dicit gl. reputata singularis in clem. appellanti de appella. & Doctor. in cap. 2. in gl. 1. vt lite non contes. Vnde cùm Dominus dixerit Matth. 18. quod in ore duorum, vel trium stat omne verbum, & Ioan. 8. quod duorum hominum testimonium verum est, de quo in cap. in omni negotio, de testi. & idem Ioa. 5. tres sunt qui testimonium dant in cœlo, &c. testimonium duorum, vel trium omni exceptione maiorum contra quantumcunque personam, plenum est, alioquin numquam posset conuinci Papa de hæresi, si tot testes requirerentur. Vtrùm autem gesta per Papam depositum ante declarationem teneāt Bald. in cap. olim, de rescrip. circa finem videtur dicere quod gesta ante tenent. Vnde dicit, quod aut Papa est intrusus, & nullę eius promissiones tenent. C. de sacrosan. Eccl. l. decernimus. Aut est extrusus id est ex post facto remotus, & tunc valent quæcumque fecit, antequam priuaretur. ff. de mino. l. Æmilius. Ista est materia, l. Barbarius, ff. de offic. præto. & cap. ad probandum, de re iud. cum similibus.

LIBER DECIMVS.

TRACTATVS DE CONCILIO.

SVMMARIVM.

1 *Appellari an possit à Papa ad Concilium.*
Et argumenta, quod possit, num. 2. 4. 6. 7. 8. 10. 11. 13. 14. 16. 17. 19. 20. 22. 24. 27. 28. 30. 31. 32. 33. *& num.* 34.
Quod non possit argumenta, numer. 35. 38. 39. 40. 42. 45. 46. 49. 54. 55. 56. *& num.* 66.
Et respondet ad contraria supra adducta; nu. 70. *vsque ad nu.* 90.

3 *Appellatio est de minori ad maiorem prouocatio.*

5 *Appellatio est prioris sententiæ impugnatio, & reformatio.*

9 *Papam quo ad remedium appellationis esse minorem Concilio argumentum.*

12 *Appellare non licet à præcepto Dei.*
Nec à Canonibus editis in Concilio, ibidem.

14 *Restitutio datur etiam contra sententiam Papæ.*

15 *Error velatus faciliùs inuestigatur à multis quàm à paucis.*

16 *Appellare non licet ab illo iudicio, quod est vltimum, & supremum.*

18 *Orbis maior est vrbe.*

19 *Dic Ecclesiæ istius auctoritatis declaratio.*

20 *Papa siuè princeps, non potest tollere ea, quæ sunt iuris naturalis.*

21 *Appellatio est, quædam defensio.*
Et defensio est, de iure naturali, ibid.
Appellatio est, clamor ab inferiore, ad superiorem, nu. 32.

23 *Capitulo Anastasius,* 19. *distinctione, & cap. cum aliquis,* 24. *quæstione* 3. *declarantur.*

24 *Potestas Ecclesiæ, in Concilio, & tota Ecclesia non moritur, in hoc vel illo Papa sic.*

25 *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Istorum verborum expositio, & intellectus.*

26 *Qui potest maius, multò magis, quod est minus.*

27 *Bonum commune præfertur priuato.*
Et quod prodest pluribus præfertur ei, quod prodest paucioribus, ibid.

28 *Communitas excommunicari non potest.*

29 *Appellatio datur ab omni deuio, & obliquo ad rectum, & regulatum.*

32 *Iudicia humana sunt variabilia.*

35 *Appellatur de qualibet mundi parte ad Sedem Apostolicam.*

36 *Appellatio à Papa deficit in substantialibus.*

37 *Appellatio interposita de pari ad parem per errorem toleratur.*
Non tamen à maiori ad minorem, ibid.
Licèt error interuenerit.

38 *Appellans, in causa appellationis, eximitur à iurisdictione eius, à quo appellat.*

39 *Appellare non licèt ab eo, à cuius obedientia non licet recedere.*

41 *Electio quid sit.*

43 *Inferior non tollit legem superioris, & maximè si inferior recipit potestatem ab illo superiori, ibid.*

44 *Appellatio est de iure positiuo, & introducta priuilegio iuris positiui.*
Iustitiæ redditio est de iure naturali, ibid.

45 *Ordo rerum naturalium in regimine naturali, à nemine potest immutari nisi à Deo.*
Et ordo iudiciarius in regimine moralium, à nemine immutatur, nisi à Papa, qui vicem Dei gerit in terris.

46 *Appellare non licet ab eo, ad quem omnes oppressi appellant.*
Appellare non licet ab aliquo ad ipsummet, ibid.

47 *Petrus pro omnibus claues recepit distributiuè, & collectiuè.*

48 *Factum à Papa, dicitur factum à sede Apostolica, & è contra.*

50 *Pasce oues meas, exponitur.*

51 *Appellatio à Vicario, eadem est cum appellatione ab Episcopo, sic appellatio à Papa, qui est Christi Vicarius, eadem cum appellatione à Christo.*

52 *Appellare à Papa, ad Deum, an possit, cum idem sit Consistorium Dei, & Papæ.*

53 *Hierarchia inferior conuenit superiori.*

54 *Appellatio impedit causæ cognitionem.*

57 *Appellationis remedium est de iure positiuo.*
Et Papa, per suum rescriptum potest illud tollere, ibid.

58 *Appellari à Concilio ad Papam, tribus casibus potest.*

59 *Appellatio à Papa malè informato, admittitur ad eumdem benè informatum ad hoc, vt corrigat errorem suum.*
Et ista non est propriè appellatio, sed largo modo, num. 60.

61 *Appellare à Papa hæretico, vel qui sententiam hæreticalem tulit, vel hæreticè dogmatizat, an liceat.*

62 *Appellatio ad hoc, vt suspendat, oportet quod sit valida.*

63 *Ap-*

63 *Appellatio nihil valet, si sententia transiuit in rem iudicatam.*
64 *Papæ omnem creaturam subesse credendum de necessitate salutis.*
65 *Pij constitutio innouata per Iulium II. contra appellantes à Papa, ad Concilium, num. 65.*
66 *Appellare licere dicentes à Papa ad futurum Concilium, hæreticum.*
Rationes plures, ibid. & nu. 67.
Immò nec si Papa in hæresim laberetur esset ad futurum Concilium appellandum, sed monendus primò, num. 68.
69 *Papa non potest habere summi capitis dignitatem, si non tenet fidei vnitatem.*
71 *Deum non derelinquere suos fideles quomodo intelligendum.*
72 *Iustitia humana in hoc seculo numquam benè discutitur, sed in futuro.*
73 *Appellans non consideratur an erret, vel non, sed habetur respectus ad maioritatem, & superioritatem.*
74 *Appellatio non interponitur à Concilio ad Papam, quando est legitimè congregatum, cum præsidet Papa.*
Et ratio, ibidem.
75 *Argumentum de Episcopo ad capitulum, non procedit, de Papa ad Concilium.*
76 *Argumentum de Archiepiscopo ad Papam, non valet.*
77 *Concilij iudicium non est maius, quàm Papæ.*
78 *Papa licèt pro peragendis congreget Concilium, non tamen sequitur, quod sit inferior.*
79 *Concilium tunc dicitur supremum, cùm Papa est in eo.*
80 *Appellare à Concilio ad Papam licet, sed non è contra.*
81 *Petrus licèt reprehensus fuerit à Paulo, non tamen à Petro appellabatur ad Paulum, nam Paulus erat inferior Petro in administratione.*
82 *Dic Ecclesiæ, ista auctoritas non habet locum in Papa.*
83 *Appellare, licèt non possit ab aliquo propter eius dignitatem, non tamen tolluntur defensiones, nam competunt alia remedia, videlicet supplecationis.*
84 *Concilij appellatione intelligitur de Concilio auctoritate Papæ congregato, & cui Papa præest.*
85 *Concilium habere auctoritatem iudicandi Papam nullibi cautum reperitur etiam in causa fidei per viam appellationis.*
86 *Appellare à sententia Papæ, non est commune bonum.*
87 *Appellare non licere ab obliquo ad rectum quomodo intelligendum.*
88 *Papa maior est Apostolo.*
89 *Cap. ad Apostolicæ, de sent. & re iud. in 6. intellectus.*
90 *Constantien. Concilij intellectus.*

ARTICVLVS PRIMVS.

1 VLterius quia clarum est, quod à Concilio rectè appellatur ad Papam, vt est text. in cap. cuncta per mundum 9. quæst. 3. & in cap. sicut excellentiam 23. quæst. 4. & 2. q. 6. cap. ad Romanam, quæro vtrùm etiam à Papa possit appellari ad Concilium, videtur quod iste articulus hodie superfluè examinetur, vt patebit ex infra dicendis, sed ad ostendendum, quod absque aliqua declaratione non licebat ad Concilium appellare, arguam ad vtramque partem. Nec abs re hoc fiet, ad ostendendum, quod qui declaratoriam ediderunt, non nudam voluntatem sed veritatem secuti sunt. Et erit vtile ad excitandum ingenia, sicut in simili facit Ioan. Andr. in cap. primo, de renun. in 6. vbi examinat ad longum vtrùm Papa possit renuntiare papatui seclusa illa constitutione cap. 1. de renuntia. in sexto. Et videretur dicendum quod sic. Primò quia
2 Concilium videtur esse maioris auctoritatis, quàm Papa solus. Quod probatur, quia in Concilio generali non solùm interest Papa, sed omnes prælati orbis, vt in cap. 1. & per to. 17. di. & per Concilium repræsentatur tota Ecclesia vniuersalis, vt patet a&. 15. & 15. dis. cap. sicut in fin. & supra sæpius dictum est, item in Concilio Constantiensi, fuit declaratum quod quilibet etiam si sit papalis dignitatis tenetur obedire Concilio. Sed nulli dubium est, quin tota simul iuncta cum capite suo, sit maioris auctoritatis, quàm solus Papa, igitur. Probatur assumptum, quia potestas clauium fuit data toti Ecclesiæ, ita quod per Papam exerceretur tamquam per caput Ecclesiæ, vt in cap. manet 24. quæstio 1. & in capit. ita Dominus 19. dist. cum sim. Et quod sit maioris auctoritatis probatur, quia constitutio totius Concilij in quo Papa præest, est maioris auctoritatis, quàm solius Papæ, vt in cap. 1. & ibi Archi. 20. dist. Sed
3 sic est quod appellatio est de minori ad maiorem prouocatio, vt patet ex definitione ipsius, data per Abb. in rub. de appell. & per Summistas in tit. de appella, & 2. qu. 6. anteriorum cum simil. igitur. Alioquin si aliter diceretur, videretur quod Deus deseruisset fideles, quia non esset, qui eos appellantes releuaret, quod est contra illud quod dicitur ad Hebræ. 13. Secundò quia
4 solus Papa potest errare, & esse hæreticus, vt 40. dis. si Papa, & insufficiens ad regimen papatus, vt in cap. 1. de renun. in 6. Sed Ecclesia vniuersalis non potest errare, vt in c. à recta 24. quæst. 1. & in cap. maiores de bapt. Ideo conueniens est quod ab eo, qui potest errare, appellari possit ad eum,
5 qui non errat, quia appellatio est prioris sententiæ impugnatio, & reformatio, vt patet in dicta definitione igitur. Tertiò
6 faciunt pro ista parte omnia illa motiua, quæ adducuntur contra Papam in artic. an
7 Concilium sit supra Papam. Quartò adducitur

ducitur illud,quod fuit statutum in Concilio Chalced. quod ab electa synodo non appelletur, & in Tolet.Conc.vt à sententia synodi non appelletur. Quintò arguitur à simili, sicut enim idem est consistorium Episcopi, & capituli, in quo Episcopus, vt Prælatus præsidet, pariformiter videtur idem consistorium Concilij, & Papæ, in quo Papa præsidet. Sed sic est,quod de gestis in capitulo in quo Episcopus, vt Prelatus præfuit non appellatur ad Episcopum, vt in c. à collatione de appel. & c.2. de consuet. Ergo de gestis in Concilio in quo Papa præfuit, non erit appellandum
9 ad Papam,& si non ad Papam,ergo quo ad remediũ appellationis Papa est minor Cõcilio,ergo debet posse appellari à sententia Papę ad Concilium,quia non est dare alium superiorem dict.cap.si Papa 40. dist. facit tex.in cap.licèt in fin.de elect.& §.patet 3.
10 quæst.1. Sextò sic, sicut ab Archiepiscopo appellatur ad synodum prouincialem in quo Archiepiscopus præsidet, ita si appellatur à Papa,qui præest Concilio generali, appellandum est ad Concilium. Quod autem ab Archiepiscopo appelletur ad Concilium prouinciale, ostendit text. iuncta glos.in capit.multis 17. dist. & text.iuncta glos.in cap. sicut 2.quæst.7. & est text. bonus in cap.Primates 2.quæst. 1. in fin. vbi si primates malè condemnant Episcopum, eorum sententia retractatur per synodum, & glos.in dicto capit.à collatione. Quod autem idem dicendum sit de Papa,ostenditur à simili,sicut supra proximè dictum est.

Ad quod facit quod act.25.Paulus quantumcumque haberet potestatem ligandi, & soluendi pari consortio cum Petro, vt in capit.loquitur 24.quæst.1.& cap.in nouo 21. dist. tamen cùm Festus quæsisset ex eo, an vellet remitti in Hierosolymam,& ibi iudicari, &c. respondit ad tribunal Cæsaris sto, & iterum Cæsarem appello. Si igitur Paulus appellauit ad Cæsarem, cur non eodem modo licet appellare ad Con-
11 cilium. Septimò, quia à sententia Concilij non potest appellari,vnde in Concilio Aphricano Carthaginen. vbi præfuit Augustinus,Patres scribentes Cęlestino Papę, dixerunt non recipiendas appellationes à Concilio, quia ita statutum fuerat in
12 Concilio Nicęno. Quod corroboratur, quia à Dei præcepto non appellatur, sed canones editi in Concilijs à sanctis Patribus, sunt editi instinctu Spiritus sancti, vt est text.in capit. violatores 25. quæst. 1. & text.in cap.maiores 24.quæst.1. Imò tex.in cap. contra statuta 25. quæst.1. dicit contra statuta Patrum aliquid condere, vel mutare, nec huius quidem sedis potest auctoritas &c. & est text.Zozimi Papæ, ergo si ab eorum constitutionibus non licèt appellare licebit.Et si à concilio non licet appellare, sequitur, quod sit maius, merito igitur si à Papa sit appellandum; appella-
13 ri poterit ad Concilium. Octauò Concilia dederunt auctoritatem sedi Apostolicæ saltem secundariò, vt dicit text.iuncta glos.in §.hinc etiam 17.dist.& glos.3.quæstio. 6. dudum, & dixi plenè supra in propria quæstione; vnde sequitur quod Concilium sit maioris auctoritatis quàm Papa, alias non potuisset dare potestatem, quia nemo dat quod non habet, vt in cap. Daibertum 2.quæst. 7. & cap. quod autem de iurepat. Ad hoc tex. & glos. in cap. inferior. 21.dist. & cap.cùm inferior de maior.& obed.Ergo videtur quod à Papa ad Concilium legitimè appelletur.Nonò pro-
14 batur per tex.in capitulo cum ex literis de in integr.restit.vbi contra sententiam Papæ datur restitutio in integrum, & ibi dicitur non negamus sententiam Romanæ sedis posse in melius commutari. Ad idem tex. in ca.sententiam 35.quæst.9.& cap.veniam eadem causa, & quæst.& cap.cùm olim de re iudic. Ergo si tamquam erronea, & malè lata commutatur, potest retractari. Sed hoc non potest ab aliquo meliùs fie-
15 ri, quàm à concilio, tum quia velatus error faciliùs in Concilio generali cap.de quibus 20. dist in. cap.prudentiam de offic.delega.C.de fideicom. l. fin.& C.de ingenuis, & manumis. l.2. tum etiam quia Papa in rebus arduis, in quibus dubitat, congregat generale Concilium, & illi se submittit, vt in c.de eo 50.dist. cap. benè quidem 35.quæst.5.in cap.ad sedem. Item Papa dum efficaciori modo vult aliquid constituere contra vitia, curat vt omnes in Concilio existentes sententias, subscriptionesque proprias accomodent 35. q. 9. cap.quod quis. Similiter cum contra delinquentes non habet vltra quid faciat, pro potiori remedio habet congregare Ecclesiam aduersùs eosdem 11.quæst.3.præcipuè ad fin. Videmus enim, quod etiam quando Papa non citata parte nulliter, & de facto procedit, & facit iniustitiam, quod minùs rectè sit retractatur, disputat glos.in extrauaganti rem non nouam, & faciunt, quæ dicuntur per Abb. in Clem. 1. in fin.de proba.& Ludo. consilio 350. & quæ dicuntur in capitulo cùm olim de re iud. Decimò probatur sic,non licèt appel-
16 lare ab illo iudicio, quod est vltimum, & supremum, quasi examinans omnia alia, sed iudicium Concilij est huiusmodi, vt patet per August.in epistola ad Glorium, & Eleusium, & Fœlicem grammaticum. Et si ab eo non appellatur, benè ad ipsum tamquam supremum prouocatur, est enim gradatim appellandum, vt in cap. dilecti de appel. Super quo vide quod dico in responsione ad vigesimum contrarium, in artic.an Papa sit maior Concilio, vbi respondetur ad authoritatem Augustini. Vn-
17 decimò pro hoc adducitur tex. in cap.1. in §. solent. ff. quando appellan. sit vbi licèt præses sit de ordine, tamen si appellatur ab ordine, appellatur ad præsidem, à pari licèt Papa sit præsidens Concilio,si ab eo appellatur, poterit ad Concilium appellari,vide glossa in d.cap. à collatione de
18 appel. Duodecimò probatur per tex. in ca.legimus 93.dist.vbi Hieron. dicit quod orbis est maior vrbe, & ibi glos. colligit argumentum,quod statutum Concilij præiudicat statuto Papæ, si sibi inuicem contradicant. Si ergo Concilium est maioris

ris auctoritatis, quàm Papa solus, meritò ab eo appellari poterit ad Concilium. 2. quæst.6. anteriorum. Quod etiam probatur ex auctoritate Apostoli, ad Galat. 2. & transumptiuè in cap.Paulus el 2. 2. q.7. vbi dicit tex. quod Paulus reprehendit Petrum, quia inducebat suo exemplo alios ad iudaizandum, nam cùm primò comederet cum gentibus, & non discerneret inter cibos, sicut discernebant Iudæi, subtrahebat se à gentibus, & discernebat inter cibos, sicut faciebant Iudæi, & ideò Paulus eum reprehendit. Et subiungit ibi text. quod hoc Paulus non fecisset, si se parem Petro non cognouisset. Et ad idem tex. in §.item Paulus eadem causa,& quæst.Vnde quod vni conceditur, benè debet concedi vniuersali Ecclesiæ, posset enim contingere casus, in quo Papa turbaret, vel confunderet vniuersalis Ecclesiæ statum, quo casu si ab eo non posset appellari, posset Ecclesiam, & omnia subuertere, quod non est dicendum, cùm in arduis maximè concernentibus statum vniuersalis Ecclesię debeat recurri ad Concilium, sicut in causis fidei, vt in cap. Anastasius, & quod ibi dicitur 19. dist.& in cap. sicut 15. dist. Et facit quod dicitur Act.15.vbi cùm fuisset dubitatum, an conuersi ad fidem deberent circumcidi, missum est, non ad Petrum tantùm, sed ad eum cum tota Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes communi consilio declararunt non esse necessariam circumcisionem. Ergo cùm opus erat recurrebatur ad Concilium etiam inter illos, qui erant pleni spiritu sancto, & informati de potestate Papæ, id est Petri, & Ecclesiæ, vnde meritò dicendum est, si ab eo contingat appellari, quod appelletur ad Concilium. Tertiodecimò pro
19 ista parte facit illa auctoritas Euangelica Matth.18. & in cap. nouit de iudi.& 2.q.1. cap.si peccauerit, vbi postquam in fraterna correctione, quis non vult audire, dicitur in glos.cap. si Papa 40. dist. & Doct. in cap. proposuit de conces. præben. Sed nullus est melior modus dicendi Ecclesiæ, quam per viam appellationis, ergo à Papa appellatur ad Concilium, attento maximè, quod iudicat de Papa iuxta dict. cap. si Papa. Quartodecimò adducitur, quod ea, quæ sunt iuris naturalis Prin-
20 ceps, siue Papa non potest tollere Clem. pastoralis de re iudic.cap. quæ in Ecclesiarum, cùm materia de consti. §.sed natura-
21 lia insti. de iure na. gen.& ciu. Sed sic est quod appellatio est quædam defensio, vt in cap.cùm inter.de excep.& in capitulo significauerunt eod. tit. Defensio autem est de iure naturali l. & vim. ff. de iusti. & iu. l.sententiam §.qui cùm aliter ff. ad legem aquil.& capit. significasti de homi. & dict. Clem.pastoralis. Si autem diceremus quod non licet à Papa appellare ad Concilium, esset tollere defensionem, quia ad nullum alium potest à Papa appellari, quia nullum habet superiorem, vt in cap. licèt de elec.
22 & d. §. patet 3.q.1. Quintodecimò hoc videtur decidere Augu. in epistola ad Glorium, & Eleusium, vbi inter cætera contra quosdam Donatistas, qui fuerant reprobati, & quidam Cecilianus Episcopus absolutus per sententiam Melchiadis tunc Romanæ Vrbis Episcopi, & quorumdam aliorum collegarum ab Imperatore ad Donatistarum preces deputatorum, sic inquit. Quod si diceretur malos, & peruersos fuisse Iudices, quæ vox est omnium malorum litigatorum, cùm fuerint etiam manifestissima veritate superati &c.Et subdit, ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt non bonos Iudices fuisse. restabat adhuc plenarium vniuersalis Ecclesiæ Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur. Ex qua auctoritate infertur, quod à sententia Romani Pontificis, vel quam Ecclesia tulisset cum summo Pontifice, potest haberi recursus ad Concilium, & per ipsumConcilium sententia Papæ reprobari potest, si conuincitur iniusta. Facit quod legitur, & notatur in cap. Ana-
23 stasius 19.distinctione, & in capitulo cùm aliquis 24.quæst.3. Et si dicatur quod in casu prædicto Papa cognouit ad instantiam Imperatoris, & tamquam ex delegatione eius, vnde fuit postea appellatum ad Imperatorem. Respondetur, quod ex quo Imperator scripsit Papæ de pertinentibus ad ipsiusmet Papæ iurisdictionem, potiùs videtur iurisdictionem eius excitasse, quàm potestatem delegasse, vt dicitur in cap.licèt de offic.ordi. & ideò ibi Aug. in dict. epistola in 2. col. appellat illud iudicium Ecclesiasticum. Nec obstat, quod fuit appellatum ad Imperatorem, quia de facto illud processit, nec Aug. hoc ibi approbat. Et in istis Concilijs multùm valet consuetudo, & auctoritas sanctorum. Nam, vt dicit idem Aug. in lib. de fide Christiana, & est tex. in cap.catholica Ecclesia per orbem diffusa tribus modis probatur existere, quicquid enim in ea tenetur, aut auctoritas est scripturarum, aut certè propria, & particularis institutio, sed auctoritate tota constringitur, vniuersali traditione maiorum nihilominùs tota. Ad idem tex.eiusdem Aug.in cap. omnia 27.
24 dist. Sextodecimò facit quod Concilium habet superioritatem etiam contra Papam, vt dict.cap. Papa 40.dist.& in capit. Anastasius 19.dist.& dicit glos.in cap.sicut 19.dist. Et in Concilio Constantien. dicitur quod quilibet etiam Papali dignitate præfulgens tenetur Concilio obedire, quod conuincitur ratione, quia potestas Ecclesiæ in isto, vel illo Papa moritur, sed in Concilio & in tota Ecclesia non moritur, pro hoc cap.si gratiosè de rescrip.in 6. Et si dicatur quod cap.si Papa cum alijs concordan.supra adductis loquuntur in causis fidei, in quibus Concilium est supra Papam, & meritò tunc admitti posset in tali causa, quod à Papa appellaretur ad Concilium, vt voluit Abb.Sicu.in allegationibus incipien.quoniam veritas, &c,in decima ratione. Posset responderi quod hæc specialitas, quod tantùm in causa fidei Cōcilium sit supra Papam non probatur iure diuino. Non enim legitur quod in causis fidei Deus dederit Ecclesiæ, vel Concilijs ma-

maiorem poteſtatem, quàm in alijs cauſis,
vel quàm papæ, nam Chriſtus in translatio-
ne poteſtatis vſus eſt, eſt verbis generali-
25 bus, & ante poſſeſſionem Matth. 19. cùm
dixit Petro, tu es Petrus, & ſuper hanc
petram ædificabo Eccleſiam meam, quod
eſt dicere ſuper iſtum articulum fidei, quem
confeſſus es, reſpondendo me eſſe Chri-
ſtum filium Dei viui, ædificabo Eccleſiam
meam, vt notat gloſ. in capit. ita Dominus
19.diſt. Et poſt reſurrectionem, cùm Chri-
ſtus fecit Petrum Principem, vt notatur in
cap. conſiderandum, & in cap.fidelior 50.
diſt.& in cap. in nouo 21.diſt.dixit, paſce
oues meas, Ioan. vl.Similiter, & ante paſ-
ſionem generaliter loquendo dedit eis pote-
ſtatem, vt habetur Matthæi 18. dum dixit
Apoſtolis, ſi peccauerit in frater tuus &c.&
poſtea ſubiunxit Amen dico vobis quodcū-
que ligaueritis ſuper terram erit litigatum
& in cœlis, & quodcumque ſolueritis ſu-
per terram erit ſolutum, & in cœlis. Et
poſt reſurrectionem cum eamdem poteſta-
tem recenſuit, inſufflauit primò in Apoſto-
los, & dixit accipite Spiritum ſanctum,
quorum remiſeritis peccata remittuntur
eis, vt habetur Ioann.20. & cap. ſignifica-
ſti de elect.Demum in aſſumptione, cùm
dedit omnibus exercitium dixit,ite,& præ-
dicate Euangelium omni creaturæ Matth.
vlt.& Marci.vl.in Pentecoſte verò per miſ-
ſionem Spiritus ſancti omnia confirmauit.
Vnde ex præmiſſis apparet quod generali-
ter fuit data poteſtas non plusPetro,quàm
Eccleſiæ, vel Apoſtolis, vel è contra, nec
magis in cauſis fidei,quàm in alijs. Cùm
ergo Eccleſia vſa ſit hac poteſtate in cauſa
fidei etiam ſupra Papam, ſequitur, quod
& in omnibus alijs arduis, vbi Papa iudi-
cio vniuerſali erraret, vti poteſt, quia
26 qui poteſt maius, videlicèt in cauſis fidei,
multò magis quod minus eſt.capit.ex par-
te el 2. cùm ſimil. de dec. Si ergo Conci-
lium repræſentans vniuerſalem Eccleſiam,
vt ſçpiùs dictum eſt, iudicat de Papa in
cauſa fidei, vt in dicto cap.ſi Papa & dici-
tur capitulo in fidei de hære.in 6. poſt Ar-
chiep.ſequitur, quod poteſtatem recipit à
Deo, à quo eſt omnis poteſtas 23. quæſt.2.
capitulo quid culpatur, facit illud euan-
gelicum non haberes poteſtatem aduerſùs
me vllam,niſi tibi datum eſſet deſuper. Er-
go ſequitur quod Concilium habens pote-
ſtatem, vel quod vtitur iſta poteſtate in
Papam eſt ſuperior ex præmiſſa auctorita-
te Chriſti,& conſequenter à Papa ad Con-
lium appellari poteſt. Facit quod dicitur
in cap. cùm inferior de maior.& obed.De-
27 cimoſeptimò facit, quod ſecundùm Aug.
bonum commune præfertur cuilibet bono
priuato capit. bonæ el 1.de poſtu. prælat.
capit.licèt de regula 7. quæſt. 1. ſcias, di-
citur in l. 1. ff.ſolu. matrim. Sic etiam illud
quod prodeſt pluribus, præfertur ei, quod
prodeſt paucioribus l. actione §.Labeo ibi
gloſſ.ff.pro ſocio l.vnica in fin.C. de cadu.
tollen. vbi Imperator dicit communem
ſubditorum vtilitatem præferendam ſuæ
propriæ vtilitati, & in authen.de non alie-
nan. §. quia verò veriſimile in fin. Sed ſic
eſt, quod generale Concilium repræſentat
bonum commune, quia ad commune
totius Eccleſiæ bonum congregatur,igitur
Papa cùm ſit perſona priuata meritò ſub-
eſſe debet auctoritati, & poteſtati Conci-
lij, & conſequenter debet poſſe ab eo ad
Concilium appellari, quia alioquin poſſet
omnia ſubuertere,ſi reprehenſorem,qui au-
ſus eius comprimeret non haberet. Deci-
28 mo octauo ad idem facit,quod communi-
tas errare non poteſt, vnde, & Eccleſia,
quæ per Concilium repræſentatur, errare
non poteſt, vt in cap. à recta 24. quæſt.1.
capit. maiores de bap. Vnde dicitur quod
communitas excommunicari non poteſt
cap.Romana §.in vniuerſitatem de ſen. ex-
29 com.in 6. Papa verò errare poteſt, ſed ab
omni deuio, & obliquo appellari poteſt
ad rectum, & regulatum, igitur à Pa-
pa ad Concilium poteſt appellari. Et
eſt motiuum Auguſtini de Ancon.in tract.
de poteſt.Papæ quæſt.6.ar.6. Decimonono
30 facit, quod act. 25. Paulus appellauit ad
Cæſarem, & ſic maior ad minorem, igitur
fortiùs licet à Papa appellare ad conci-
31 lium. Vigeſimò facit quod ſi non liceret,
appellare à Papa ad Concilium, viderен-
tur fideles Chriſti à Deo derelicti, eo quod
non eſset, qui eos ab oppreſſionibus rele-
uaret, contra illud ad Hebræ.13. non te
deſeram,neque dereliuquam, & quod di-
cit gloſ. in verbo vacante in cap. vnico de
ſchiſma. in 6. Vigeſimoprimò facit, quod
iudicia humana ſunt variabilia cap. non
debet de conſang, & affi. & Papa plerum-
que decipitur, & eius iudicium offuſcatur;
eſset ergo inconueniens eſse fideles ſine re-
ctore 2. qu. 6. liceat. Ad hoc Apoſt. Ia-
cobus cap. 5. ecce merces operariorum ve-
ſtrorum &c. clamat ad me &c. Sed appel-
latio non eſt aliud, quàm clamor ab infe-
riore ad ſuperiorem, igitur. Vigeſimoſe-
33 cundò de hoc videtur tex. in ca. ad Apo-
ſtolicæ de re iudi. in ſexto, vbi Papa dicit,
quod erat paratus conuocare Concilium,
& de Concilij conſilio ſatisfacere Impera-
tori, ac reuocare ſententiam, ſi quam con-
tra eum iniuſtè tuliſſet. Ecce quod in re-
uocatione ſententię Papæ aditur Conci-
lium, ergo à Papa appellatur ad Conci-
lium. Et pro iſta parte facit, quod dici-
tur in vltima ſeſſione concilijConſtantien.
vbi Oratores Regis Poloniæ, & Ducis Li-
thuaniæ petierunt à Papa, & Concilio, vt
antequam Concilium diſſolueretur, dam-
naretur libellus fratris Ioannis Falkenberg
qui continebat diuerſos errores, & hære-
ſes, ſubiungentes. quod alioquin appel-
labant ad futurum Concilium. Et Papa
tunc approbauit omnia geſta per illud
Concilium, & concluſa in materia fidei.
Ex quo videtur, quod ſi talis appellatio
non valeret non fuiſset admiſsa proteſta-
tio de appellando ad futurum Concilium
ſed potiùs impugnata,cum in eodem Con-
cilio iam pręſideret Martinus Papa paulò
ante creatus.

35 In contrarium, quod à Papa ad Conci-
lium non poſſit appellari, primò videtur
text. in cap. cuncta per mundum 9. qu. 3.
vbi dicit tex. Romana Eccleſia fas habet
iudicandi de omnibus, neque cuiquam
de

de eius licet iudicare iuditio. Vnde si de ea non licet iudicare, nec per uiam appellationis, & ideo subiungit tex. siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est ab illa autem nemo est; appellare permissus &c. Ad idem tex. in capitulo ipsi sunt ea. cau. & q. Quinimò im-
36 possibile est ab eo appellare, quia non est dare ad quem, nec substantialia appellationis possent aliquo modo seruari; quia appellatio non potest fieri, nisi ad superiorem ff. de mino. l. præfecti §. fin. & ff. de appel. l. Imperatores. & patet ex definitione appellationis, quam ponit Hostien. in sum. in tit. de appel. §. 1. Cum ergo Papa sit supra omnes, & nullum supra se habeat, d. c. cuncta, &c. nemo, patet ab eo, appellari non posse. Vnde licet tolerari
37 possit appellatio à pari ad parem interposita errore interueniente; l. prima §. penul. ff. de appel. emissa tamen à maiori ad minorem non tenet etiam si error interuenerit, vt ibi. Imò nec valet consuetudo quod talis appellatio teneat, quia interposita contra substantiam appellationis, vt in cap. non putamus de consue. in 6. Cum igitur vt tactum est ipse sit supremus omnium, fidelium, & infidelium, vt ponit Innoc. in cap, quod super ijs de vo. & dicit in extrauaganti vnam sanctam, ab eo appellari non potest. Accedit, quod regulare est, vt à sententia Imperatoris, vel Principis, non appelletur l. 1. ff. à quibus appel. non licet. Ab illo enim, qui non habet superiorem non licet appellare, vt 2. qu. 6. anteriorum, & gloss. in summa ea. cau. & qu. Sed huiusmodi est Papa, vt sæpe allegato, capit. licet in fin. de elect. sicut enim Imperator est Dominus in temporalibus & in eis ab eo nullo modo licet appellare, pariformiter nec à Papa, qui est Dominus in spiritualibus, vt in cap. solitæ de maio. & obe. licet appellare. Quinimò nec à sententia Regis non recognoscentis superiorem, licet appellare, vt per Cy. in l. fi. C. de dona inter vi. & vxo. Nec à rege recognoscente superiorem Bal. in l. 1. ff. de offic. præfec. præto. & in ru. ff. in 3. col. Nec à Senatu l. 1. ff. in prin. §. 1. ff. à quibus appel. non licet. Similiter nec à sententia præfecti prætorio licet appellare, vt in l. à proconsulibus, C. de appellat. & in l. prima C. de offic. præfec. præto. de quo videndum in Spec. in ti. de appel. in §. videndum restat. Ex quo videtur, quod nec à sententia Cardinalis possit appellari cum æquiparetur, præfecto prætorio, vt in l. prima, ibi glo. ff. de offic. præfec. præto. & in cap. secundo de offic. legat. Quod aliqui intelligunt quando reperitur ei causa commissa appellatione remota, alioquin secus per notata in cap. Rainutius, & cap. Rainaldus, de testa. & Bal. in d. l. prima & Spec. in tit. de legato §. superest, vers. illud autem. Sed quidquid sit, saltem à cœtu, siue Collegio Cardinalium non appellatur, sicut nec à sententia senatorum, vt in d. l. prima ff. à quibus appel. non licet, quia Ecclesia senatum habet 16. qu. 1. Ecclesia.
38 Secundò facit, quod qui appellat ab aliquo, in causa appellationis eximitur à iurisdictione eius, à quo appellat cap. proposuit cap. cum teneamur, & cap. ad hæc, de appel. Sed nullus Christianus aliquo casu est exemptus à iurisdictione Papæ, quia quando Christus dixit Petro pasce oues meas, non distinxit inter oues, nec aliquas excepit, vt in cap. solitæ de maio. & obe.
39 & in extrauaganti vnam sanctam. Tertiò facit, quod ab illo non licet appellare, à cuius obedientia non licet recedere, quia appellans recedit ad obedientia illius à quo appellat, & ideo dicitur, quod ab obedientia non licet appellare, vt in capitulo ad nostram el primo, de appel. sed nulli Christiano licet recedere ab obedientia Papæ, vt in cap. præceptis 12. dist. Ergo nulli Christiano licet à Papa appellare. Quartò Concilium fit ex multis personis, vt per illas proponantur diuersæ viæ, ex quibus ille, qui præest Concilio possit, vnam præ alijs eligere, nam secundùm
41 Damas. electio est multis præexistentibus vnum præ altero eligere & apud Arist. 3. Ethic. electio est determinatio Consilij. Sine Papa ergo, vel eius authoritate in Concilio nulla potest fieri electio de ijs, quæ proponuntur, ideo dicitur 17. dist. quod authoritas congregandorum Conciliorum penès Apostolicam sedem residet, quia absque Romani Pontificis authoritate Concilium nec authoritatem, nec firmitatem habet, Ergo à Papa ad Concilium non licet appellare, quia esset appellare ab eodem ad ipsummet contra notata in capit. à collatione, de appell. in 6. cap. si a subdelegato, de off. deleg. eo. li. & latè Doc. in cap. super quæstionem §. si verò, de off. delegat. Accedit, quod nullibi legitur à Concilio introductum, quod liceat ad ipsum à Papa appellare, vel quod tali appellationi aliquod priuilegium dederit. Igitur talis appellatio est frustratoria, & nullum habet effectum, nec suspensiuum nec deuolutiuum, nec reuocarentur ea, quæ fierent contra per modum nullitatis, vel iniustitię, nec est dare aliud remedium nam deest superior & efficacia appellationis, facit quod ponit Collectarius in cap. quæ multotiens, de reg. iur. de appellatione emissa à Papa ad Deum, & quod dicitur infra in proximo contrario. Quintò
42 appellatio debet fieri à minori ad maiorē & non à maiori ad minorem, vel de pari ad parem, nisi vt supra dictum est, vt in c. anteriorum §. illo 2. qu. 6. Siue ergo dicamus, prout est veritas quod Papa sit maior Concilio, vt in d. c. significasti, de elect. siue dicamus quod sit par, quia par in parem non habet imperium c. innotuit. de elect. nunquam appellare licebit à Papa ad Concil. Et pro ista parte faciunt omnia illa motiua quæ habent, quod Papa sit maior Concilio, & quod à sententia Papæ non licet appellare, & quod inferior
43 non tollit legem superioris, vt in elect. ne Romani de elect. quæ fuit edita in Conci. vbi Io. An. dicit illud maximè esse verum, vbi inferior ab illo superiore recipit potestatem. Et idem dicit esse de Concilio, per c. significasti, de elec. & 3. qu. 9. cap.

cuncta per mundum & c. nemo, & c. sancta, & capitulo ipsi, cum pluribus alijs in dicta quæst. Nec obstat si dicatur, quod illa iura sunt familiare testimonium ab ipsis met Pontificibus, quia hoc dicere est sacrilegium, vt patet in capitulo licèt ex suscepto de foro compe. & in capitulo nulli fas 19. distin. constat enim nunquam hoc fuisse reuocatum in dubium, licèt post illa iu-
44 ra multa fuerunt celebrata concilia, Idem etiam si contenderetur, quod Concilium sit superius Papa, quia appellatio est de iure positiuo, & iuris positiui priuilegio introducta, licèt redditio iustitiæ sit de iure naturali cle. pastoralis de re iudi. & Inno. in capitulo, quæ in Ecclesiarum de constit. nam quando tollitur appellatio, quę fiunt contra appellationem nō reuocantur tanquam attentata & inuocata, sed per modum iniustitiæ, vt ibi notatur. Facit quod ponitur de clausula appellatione remota & illius effectu in capitulo vt debitus & c. pastoralis de appel. Vnde cùm totum ius positiuum sit submissum Romano Pontifici, nam ipse est supra illud, vt in sæpiùs allegato capitulo proposuit de conces. præben. sequitur, quod non potuerit sibi ipsi legem dicere à qua non liceat recedere, sicut nec legitur dixisse. Igitur sequitur, quod appellatio quatenùs est de iure positiuo ab eo fieri non possit, & si fieret priuilegia iuris positiui non haberet.

45 Sextò facit quod ordinem rerum naturalium in regimine naturali nullus potest immutare nisi Deus, & in regimine morali ordinem iudiciarium nemo potest immutare, nisi Papa, qui gerit vicem Dei in terra, facit quod dicitur in cap. fin. de hære. in 6. vbi inferior à Papa non potest committere causam summariè, nec alterare ordinem iudiciarium. Sed sic quod ordo iudiciarius, qui vertitur inter homines præsupponit authoritatem Papę ad Concilium in conuocando, & authoritatem tribuendo, & modum appellationis vnius ad alterum ordinando. Ergo sequitur, quod ridiculosa esset appellatio ad Concilium, cùm ordinem iudiciarium in regimine Ecclesiæ concilium immutare non possit absque authoritate Papæ. Ergo à
46 Papa ad ipsum non licet appellare. Septimò non licet appellare ab illo, ad quem est ab omnibus, si oppressi fuerint, appellandum, quia non licet eidem in eadem causa appellare ab aliquo ad ipsummet. Sed omnis oppressus appellat ad Papam 2. q. 6. quisquis cap. omnis & cap. ad Romanam. Ergo nulli qualitercumque oppresso licet appellare ad Concilium à Papa, ad quem omnes oppressi appellant, & de hoc est bonus tex. in capitulo ideo el 1. 2. quæst. 6. vbi tex. dicit quod ideo sedi Apostolicæ priuilegia sunt concessa tam de congregandis Concilijs, & iudicijs ac restitutionibus Episcoporum, quam de summis Ecclesiarum negotijs, vt ab ea omnes oppressi auxilium, & iniustè damnari restitutionem sumant. Facit quod in Romano Pontifice est suprema potestas 11. distinct. c. nolite & 2. qu. 6. decreto, & c. qui se scit. Et tex. in ca. dudum 3. quæst. 6. vbi dicitur decretum à sanctis Apostolis eorumque successoribus in antiquis statutis non licere præter conscientiam Romani Pontificis concilia celebrare, vel Episcopum damnare, quoniam sanctam Romanam Ecclesiam primam omnium Ecclesiarum esse voluerunt, ex quo sequitur quod Apostoli, qui constituebant Concilium, vt patet act. 6. & 15. voluerunt, quod Papa haberet supremam potestatem, & idem innuit tex. in c. in nouo 21. dist. dicens, quod ipsi voluerunt Petrū esse suū Principē. Deinde subiungit idem text. in capitulo dudum, & sicut Beatus Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hęc Ecclesia eius nomine consecrata Domino instituente prima sit, & caput cæterarum. Et sequitur, & ad eam quasi ad matrem, atque apicem omnes maiores Ecclesiæ, causæ, & iudicia Episcoporum recurrant, & iuxta eius sententiam terminum sumant, nec extra Romanum quicquam ex his decerni debere Pontificem. Ergo solus Romanus Pontifex omnes alios iudicat, nec ab aliquo iudicatur, vt in capitulo nemo, & capitulo aliorum, & capit. facta 9. quæst. 3. vbi dicitur, quod de eius persona iudicare est solius Dei. Si enim Petrus pro
47 omnibus claues recepit, vt in cap. audiuimus 24. quæst. 1. sequitur, quod omnibus est superior. Et intellige distributiuè, & collectiuè, vt ponit Ægid. consil. 99. Non enim accepit auctoritatem à Concilijs, sed à Deo, Concilia autem ab eo receperunt, dicto capitulo significasti, & cap. regula, & cap. nec licuit dist. 17. Ad idem cap. futuram 12. qu. 1. Idem in cap. si Papa, 40. dist. Idem in c. nunc autem dist. 21. Idem in §. verum, distinct. 17. Et benè text. in cap. pater 9. qu. 3. vbi dicitur, sedis Apostolicæ, cuius auctoritate maius non est, iudicium à nemine est retractandum, neque cuiquam de eius licet iudicare iudicio, sententiamque illius constituerunt canones non oportere dissolui. Si autem eius iudicium non potest retractari, nec dissolui, sequitur, quod non potest ab eo appellari, quod est remedium retractatiuum. Ergo à sententia Papæ ad Concilium non potest appellari, tum quia à tali sententia non appellatur, tum quia deest Concilio potestas de ea iudicandi. Nec dicatur, quod iura illa loquuntur in Romana Ecclesia, quam constat etiam ex Cardinalibus, & alijs Prælatis, vt patet in c. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. & capitulo fundamenta, §. ne autem de elect. eod. lib. & capitulo antiqua de priuil. & capitulo sacrosancta, distinct. 22. cum similibus, aliud autem est Apostolica sedes, aliud Romanus Pontifex, vt probatur in capitulo enimuerò, & capitulo nulli fas, 19. dist. & capitulo si gratiosè de rescript. in 6. Tum quia text. in capitulo dudum, & in capitulo aliorum, & in capitulo facta, & capitulo futuram, & capitulo si Papa, & §. verum, & capitulo nunc autem, clarè loquuntur de Romano Ponti-
48 fice. Tum quia illud, quod facit Papa dicitur facere sedes Apostolica, & è contra, vt dicit Ioannes Andreas in capitulo si abbatem de electione in 6. & ponit Cardin.

Flo-

Florent. in Clement. quia contingit in 5. quæstione de relig. Dom. Sic ergo patet, quod si admitteretur appellatio à Papa ad Concilium, nihil aliud esset, quàm ponere, licere appellare à capite ad membra, quia Papa est caput vniuersalis Ecclesiæ, vt in capitulo rogamus 24. quæst. prima, & cæteri Episcopi, & alij existentes in Concilio dicuntur membra, vt in capitulo ita Dominus 19. dist. & in dicto capitulo funda-
49 menta. Octauò sicut Episcopi, & Vicarij idem est tribunal, vt in capitulo primo de offic. Vica. in 6. & in capitulo secundo de consuet. eodem modo Christi, & Papæ, qui est eius Vicarius, capitulo vbi periculum, §. cæterum de electione in sexto, & capitulo Apostolicæ, §. nos itaque de sententia & re iudic. in 6. & capitulo primo de homic. eod. lib. & in capitulo quanto, & capitulo licèt de translat. Prælat. cum simi-
50 libus. Vnde Chrysost. super illud Ioannis vlt. pasce oues meas dicit, id est loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum, vt ipsi loco mei te assumentes vbique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment, vnde sicut idem est appellare
51 à Vicario Episcopi, quod appellare ab Episcopo, dicto capitulo secundo, sic appellare à Vicario Christi, idem est, quod appellare à Christo. Item nihil aliud esset dicere, quàm, quod tribunal Christi sit inferiùs tribunali Concilij, hoc autem esset hæreticum dicere, capitulo primo de summa Trinitate, ergo. Facit, quod Papa vicem Dei gerit in terris, vt in capitulo vnico, vt Ecclesf. benefic. ergo ad Deum, & non ad alium esset appellandum, cum non constet, quod aliud tribunal ordinauerit.
52 Immò fortiùs dicit Hostien. & Ioannes Andreas, quod à Papa ad Deum non posset appellari, quia idem est consistorium Dei, & Papæ, & ipse vicem Dei tenet indicando, claue tamen non errante, vt in capit. quanto de translat. Prælat. Item si posset appellari ad Concilium, duo dicerentur esse generales Vicarij Christi, quod asserere esset hæreticum dicit Hostien. & Ioannes Andreas in capitulo per venerabilem, §. rationibus, qui filij sint legit. sicut ponere duo principia est hæreticum 24. qu.
53 fin. cap. penult. versic. Cerdoniani. Ne igitur hæreticus videaris hæc sit tua fides, quod sicut Deus est immutabilis, de summa Trinitate cap. 1. sic vnus est Vicarius eius in terris generalis, qui præest omnibus sicque inferior hierarchia conuenit superiori, dicit Ioannes Andreas in dict. §. rationibus. Facit gloss. in Clement. ad nostrum de hæreticis. Præterea Petro dictum est pasce oues meas, in quo plenitudo Vicariatus fuit ei concessa, quam non legimus datam Concilio. Nonò ab eo, ad quem omnes
54 causæ etiam fidei sunt deferendæ, non est etiam in causa fidei appellandum, quia per appellationem impeditur causarum cognitio, vt per totum ff. nil nouari appel. pend. & potiùs recedi dicitur ab eo, & impediri, ne causæ ad eum deferantur, vt in capitulo eum qui de dolo, & contum. in 6. Ad Papam autem deuoluuntur omnes causæ etiam fidei, vt in capitulo maiores de baptism. 24. quæst. prima capit. quotiens dist. 17. multis 3. qu. 6. dudum, & in cap. 1. de translat. Prælat. Ergo à Papa non licet appellare ad Concilium. Decimò clarum
55 est, quod à Concilio appellatur ad Papam, vt in cap. cuncta per mundum 9. quæst. 3. Et Papa iudicat de Concilio, & reuocat eius gesta, vt latè dixi in quæstione vtrùm Papa possit tollere constitutiones conciliares, & ponit Alexand. in rubr. de appellat. in 13. colum. Ergo à Papa, qui est iudex appellationis à Concilio non potest appellari ad Concilium dict. capit. anteriorum §. illo, secunda quæstione sexta. Vnde sanctus Thomas in quæstionibus de potest. quæstione decima, articulo quarto ad 13. argumen. dicit, quod sola Romana Pontificis auctoritate Synodus congregari potest, & ab eo sententia Synodi confirmatur & ad ipsum à Synodo appellatur, quæ omnia patent in gestis Chalcedonensis Conci-
56 lij. Vndecimò facit, quod nullus appellat à sententia Papæ, vt in cap 1. de translat. Prælat. & in cap. sicut vnire, de excess. Prælat. & vtrobique gloss. vnde versus, transfert, & mutat, appellat nullus ab ipso. Si ergo ab ipso nullus appellat, sequitur, quod ad Concilium à Papa non possit appellari. Accedit, quod remedium appella-
57 tionis est iuris positiui, leg. 1. C. de sen. præfect. prætor. cui Papa non subijcitur, vt in cap. proposuit de concess. præbend. leg. digna vox, Cod. de leg. & ideo dicitur quod Papa potest per suum rescriptum tollere remedium appellationis, vt dicunt Doct. in capitulo primo de rescript. & in rubr. de appellat. & Moderni in capitulo cum inter de except. Ex his, & alijs ratio-
58 nibus Doct. moderni, maximè Alexand. in rubr. de appel. tenent, quod nullo modo licet appellare à Papa ad Concilium. Et hoc idem tenet Cardin. de Turrecrem. in 3. lib. cap. 47. præterquam in tribus casibus, videlicèt in casu hæresis, similiter in casu in quo ex facto Papæ decoloratur, seu immutatur status vniuersalis Ecclesiæ, vel quãdo ex eius præcepto vehementer præsumitur secuturum scandalum in vniuersali Ecclesia, quo casu licebit appellare, saltem vt Concilium resistat Papæ, ne confundat Dei Ecclesiam per notata per Innocen. in capitulo quanto de consuet. Et ex hoc dicit in casu suo, videlicèt quando Papa priuaret Episcopum sine aliqua causa, sed solùm nuda voluntate, quod posset appellari ad Concilium, quia hoc casu non iudicatur Papa, sed potiùs ei resistitur, de quo art. vtrùm sine causa Papa possit amouere, & deponere Episcopum, vide latè Barbatium in capitulo, quod translationem, de offic. legat. Tertio casu quando Papa consentit, quod appellatio deferatur ad Concilium cui se submittit, ex quo ipse est præsens, per capitulo nos si incompetenter, cum concordan. secunda quæstione septima. Di-
59 cit tamen, quod benè admitteretur appellatio à Papa malè informato ad eumdem benè informatum, ad hoc vt corrigeret errorem suum. Facit text. in cap. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. vbi Papa dicit se paratum reuocare gesta contra Imperatorem

torem si in aliquo eum læsisset, & Imperator dicit, non erubescimus, si quid melius etiam horum, quæ ipsi priùs diximus adinueniamus hoc sancire, & competentem prioribus imponere correctionem, vt in authent. de nupt. in princ. collat. qnarta. Ad idem capitulo tum ex literis de restitut. in
60 integrum. Et istud non propriè erit appellatio, quia non suspendit iudicatum, nec deuoluit causam ad superiorem, sed est appellatio largè sumpto vocabulo, quia per eam prouocatur ipsemet Papa, diligentiùs negocium examinat Okam tamen lib. 6. primæ partis cap. 17. cum pluribus sequentibus tenet, quod à Papa hæretico, vel qui sententiam hæreticalem tulisset, vel publicè hæresim dogmatizaret, liceret appellare ad Concilium. Augustinus de Ancon. qu. 6. art. 6. tenet, quod non licet appellare, nisi eo casu, quo esset hæreticus, quia tunc posset haberi recursus ab eo ad Concilium. Et idem in effectu tenet Gerson. lib. tertio in tract. an liceat in causis fidei à summo Pontifice appellare, seu eius iudicium declinare, & ad hoc alleg. constitutionem Martini Quinti in Concilio Constantien. editam anno primo Pontificatus eius, videlicèt nulli fas est à Romano Pontifice Christi Vicario in terris appellare, &c. Idem Ægidius in consil. 99. in 18. quæst. quartæ partis, qui refert plures idem tenentes. Quod, & sensit sanctus Thomas in secunda secundæ, qu. 69. art. 2. & 4. qui dicit quod tales præsumuntur appellare causa moræ afferendæ, & ne sententia iusta contra eos proferatur, ideò eorum appellatio non tenet, sed puniendi sunt secundum eum.

Quinimmò idem Ægidius in dicto consil. dicit, quod cauere debent sibi tales, qui dicunt, quod à Papa possit appellari ad Concilium, quia videntur in Ecclesia Dei ponere duo capita, minus, à quo appelletur, & maius, ad quod appelletur, & sic errarent in illo art. vnam sanctam, &c. prout plenè hæc materia deducitur in lib. de Ec-
61 clesiastica potestate secundùm eum. Vndè concludit, quod talis appellatio etiam præcedens non suspendit supremam potestatem Papæ, quia ex quo non potest appellari, non poterit operari aliquem effectum, regula non præstat in 6. quia iura, quæ dicunt per appellationem causari suspensionem loquuntur, quando appellatio tenet cap. pastoralis de appel. cap. non solùm eod. tit. in 6. cap. per tuas de senten.
62 excom. Vnde si sententia transiuit in rem iudic. nihil operatur appellatio, ff. à quibus appel. non licet leg. 1. §. fin. cap. quo ad consultationem de re iudic. & l. 1. & 2. C. quorum appel. non recip. & 2. quæst. 6. §. sunt etiam, quorum. Nec appellantes iuuantur aliqualiter per talem appellatio-
63 nem. Plus adhuc dicit Ægid. ibi in dicto consil. quæst. 20. ait enim, quod si tales dogmatizantes, quod possit à Papa appellari ad Concilium, & quod sententia Papæ propter talem appellationem non sit timenda, nec debeat seruari, hoc pertinaciter assererent, essent habendi de fide suspecti, quia determinatum est per Ecclesiam quod credere omnem creaturam subesse Romano Pontifici in spiritualibus est de necessitate salutis, vt in extrauaganti, quæ incipit vnam sanctam, &c. Sed credere à Papa ad Concilium appellari posse est credere illum ad quem appellatur esse superiorem Papa. Igitur sic etiam credere sententiam Papæ non ligare propter appellationem interpositam ab eo in ijs, quæ ad Papam pertinent in spiritualibus, est contra legem diuinam, & malè sentire de potestate Papæ, & maximè in merè positiuis vndecima quæstione prima capitulo quicumque. Et cùm tales separent se ab vnitate Ecclesiæ, dicuntur schismatici, schisma autem sonat in hæresim 24. quæst. prima, schisma, & qu. 3. cap. inter hæresim. Immò ex eo solo, quod subijci renuunt Romano Pontifici sunt schismatici, vt plenè prosequitur sanctus Thomas in secunda secundæ qu. 39. art. 1. Et propterea Barbat. in c. super quæstionum in §. si verò in 6. colum. dicit quod disputare vtrum à sententia Papæ possit ad Concilium appellari, esset ponere os in Cœlum, & quod stat determinatioui Pontificali factæ Mantuæ vnà cum Cardinalibus per Pium secundum, quod à sententia Papę non licet appellare ad Concilium futurum, de qua etiam meminit Alexand. in rubr. de appel. 12. colum. Et istam opinionem, quod non liceat, nec possit appellari à sententia Papæ ad Concilium, tenet Martinus de Laude in tractatu de Principibus quæst. 266. allegat Albericum, idem tenentem in leg. prima ff. de offic. præfect. prætor. & Angel. in l. prima ff. de ferijs. Et hodie illa constitutio Pij est innouata per Iulium Secundum, qui declarauit schismaticos appellantes à Papa ad futurum Concilium vltra pœnas per Pium inflictas.

Tenor autem Bullæ Iulij sequitur, & est talis:

IVLIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

SVscepti regiminis nos cura sollicitat, vt eorum malitijs, & audaciæ, quorum sceleris cœcitas, & damnandæ ambitionis improbitas animos occupantes, discordiarum satore, ac schismatum inuentore, & alumno, humani generis inimico procurante eos in illam temeritatem impellunt, vt quæ sibi à iure interdicta, & à sanctis Patribus etiam in congregatione Fidelium pro huius sanctæ Sedis dignitate, & Ecclesiæ vnitate seruandis, ad schismatis occasionem tollendam, quo in Dei Ecclesia perniciosior morbus inueniri vix potest, Spiritu sancto cooperante, non minùs prouidè, & salubriter, quàm necessariè decreta, & statuta esse nouerint, damnata audacia, & exquisitis artibus, & fraudibus attentare temerè conentur, & eis contrauenire contendant, nunc nouorum editione

iurium,

iurium, nunc antiquorum innouatione, & declaratione, nunc verò extensione, & nouarum pœnarum adiectione, prout salubriter expedire conspicimus, sollicitis studijs obuiare curemus. Sanè licet olim fœl. record. Pius Papa II. prædecessor noster de Fratrum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, cunctorumque Prælatorum, ac Diuini, & humani iuris Interpretum, Curiam Romanam sequentium in Dieta, seu Congregatione Mantuana existentium approbatione, matura priùs, & graui præmissa discussione, & de eorumdem congregatorum vnanimi consilio, & assensu, ac ex certa scientia, prouocationes ad futurum Concilium efficacissimis, & palpabilibus rationibus tamquam erroneas, & detestabiles damnauerit, ac sub excommunicationis latæ sententiæ, & interdicti pœnis præceperit, ne qua persona cuiusuis dignitatis, siue etiam Vniuersitas, aut Collegium, quouis quæsito colore ab ordinationibus, sententijs, seu mandatis quibuscumque suis, ac successorum suorum appellationem huiusmodi interponere auderet, & contrafacientes, vnà cum fautoribus suis, & consilium, auxiliumve præstantibus, siue hi Tabelliones essent, siue Testes, siue Aduocati, siue alij quicumque, non solùm pœnis, & censuris prædictis, sed etiā ijs, quæ læsæ maiestatis, & hæreticæ prauitatis reis imponuntur obnoxios esse statuerit, Leonardus tamen Lauredanus Dux, Rogati, ac generale consilium, & commune Venetiarum, omnesque, & singuli Patritij, & Ciues Communis eiusdem, vnà cum Prouisoribus, Potestatibus, Commissarijs, & reliquis Officialibus suis, quorum auctoritate, industria, consilio, opera, aut fauore Ciuitates, Oppida, & Castra, arces ad nos, & sanctam Romanam Ecclesiam legitimè pertinentes occupatæ fuerant, aut detinebantur, de Fratrum nostrorum consilio à nobis requisiti, & moniti, vt intrà certum terminum sub pœnis tunc expressis, nos, & sanctam Apostolicam Sedem plenè, & omni ex parte inconcessa sibi auctoritate, & libertate, cum obedientia recognoscerent, & redintegrarent, ac Rauennam, Ceruiam, Ariminum, Fauentiam, Sarsinam Ciuitates, cum Oppidis, Castris, Terris, & districtu ipsarum, cumque Cæsenaten. Forolivien. ac Imolen. Territorij, Castris, Oppidis, Terris, & locis, quæ occupabant integrè, & expeditè nobis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ, cuius iuris esse noscebantur relaxarent, atque indè recederent, nec impedirent, quo minùs illorum Ciues, & habitatores ad piæ Matris suæ Romanæ Ecclesiæ obedientiam reuerterentur, omnes eorum fautores ab auxilij in talibus præstatione deterrendo, ità quod requisitioni, monitioni, & mandato nostro huiusmodi non parentes, maioris excommunicationis sententia de simili consilio eo ipso innodati censerentur, à qua præterquam in mortis articulo constituti per alium, quàm per Romanum Pontificem, etiam prætextu cuiuscumque facultatis cuicumque pro tempore concessæ absolui non possent; quàm quidem excommunicationis sententiam in huiusmodi nō paritionis euentum, iteratis etiam vicibus aggrauauimus, paternis monitis, & salutaribus iussis obsequi, prout debebant indebitè recusantes, ceu qui iuri proprio diffidunt, & superioris mandata contumaciter obaudiunt, vt quæ minùs iustè vsurparunt indebitè etiam cum animarum suarum detrimento retineant, ad prohibitum, atque damnatum remedium confugientes à requisitione, monitione, & mandato, ac sententijs, censuris, & pœnis prædictis nulla constitutionis Pij prædecessoris hoc expresè vetantis, habita ratione ad futurum Concilium temerè, vt accepimus prouocarunt, prout etiam perditionis filij quondam Ioannes Bentiuolus, & eius nati cùm eos à tyrannica oppressione dilectæ Ciuitatis nostræ Bononiæ expellere decreuissemus damnabiliter fecisse dicuntur, videlicèt ad futurum Concilium prædictum appellasse, & prouocasse. Nos igitur, quàm detestanda sit eorum peruersitas attendentes, qui proprijs innixi, commodis, & nefarijs cupiditatibus mancipati, salubria decreta Patrum, & superiorum iussa spernentes, inconsutilem Christi tunicam scindere, aut etiam scissionis causam præbere contendunt, & Ecclesiæ vnitatem diuidere, prædictæ sanctæ Sedis Apostolicæ Principatum tollere, & contra tot sanctorum Patrum, & sacrorum Conciliorum decreta temerè, & damnabiliter magna audacia venire non erubescunt, & contrafacere non verentur, asserentes inter cætera, consulentes, persuadentes, determinantes, seu determinationi huiusmodi interessentes sola Consilij præstatione, seu persuasione, deliberatione, aut determinatione, quod aliquibus casibus à Romano Pontifice, seu eius sententia, vel decreto ad futurum Concilium generale appellari possit, dicta Pij prædecessoris Constitutione non ligari, nisi in ipsa actuali appellatione, & illius interpositione, vel scripturæ compositione se immiscuerint, ne de cætero tali assertione se excusare, ac tale quid in posterum præsumere impunè valeant, opportunam tam immani, & periculoso morbo medelam adhibere volentes, hac generali, & in perpetuum valitura Constitutione, ex certa nostra scientia, & potestatis plenitudine, venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio promulgata, sancimus, Constitutionem Pij prædecessoris præfatam, tam citrà, quàm vltrà montes, & in vltramontanis partibus quoad omnes tam Ecclesiasticas, quàm seculares personas, etiam Regali dignitate, ac Cardinalatus honore fulgentes, Capitula, Vniuersitates, Communitates, Collegia, Congregationes, & Synodos, ac Parlamenta, valuisse, valere, & perpetuò valituram declaramus, cum suppletione solemnitatis cuiuslibet etiam publicationis omissæ, cuius in illa edenda, vel publicanda defectus prætendi posset, quæ iuxtà illam fieri requirebatur, eamque ex præterito, nunc, & in posterum inuiolabiliter obseruari mandamus, ipsius violatores cuius-

cuiuscumque dignitatis existant pœnis, & censuris in eadem expressis, quocumque tempore subiacere statuentes, contraria consuetudine, seu potiùs corruptela non obstante, decernentes, & declarantes vltrà pœnas impositas, quas ipso facto dictos violatores, & contrauenientes incurrere volumus, ipsos, & eorum quemlibet pro veris, & indubitatis schismaticis, & inconsutilis tunicæ Domini Nostri Iesu Christi violatoribus, & dissipatoribus, ac de Catholica fide malè sentientibus habendos, & reputandos, pœnisque canonicis, & legalibus contra tales impositis subiacere, & cum Dathan, & Abiron partem, & damnationem habere, ipsasque etiam pœnas, & earum quamlibet omnes illos incurrere volumus, cuiuscumque conditionis existant, & gradus, prærogatiua fulgeant, qui in Senatu, Consilijs, Parlamentis, Congregationibus etiam Synodalibus, & Prouincialibus, vel aliàs quomodolibet tacitè, vel expressè, voce, vel scripto, per se, vel alium, cuiuscumque timoris, vel reuerentiæ velamine, vel prætensa excusatione, & superioris mandato non obstantibus, decreuerint, consuluerint, seu deliberauerint, vel aliorum dicta approbauerint, consilium, aut vocem dederint, vt ad futurum vniuersale Concilium à nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus contra prædictam Constitutionem appellare liceat, possit, vel debeat, dictas pœnas ad ipsos, & eorum quemlibet contrauenientem in præmissis tenore præsentium extendentes, & locum habere declarantes omni ambiguitate cessante. Et nihilominus prouocationes, & appellationes tam per Leonardum Ducem, Rogatos, Consilium, & Commune Venetiarum factas huiusmodi, quàm per quoscumque alios prædictos pro tempore faciendas, & indè secuta quæcumque, vtpotè contra Pij prædictam, ac præsentem Constitutiones attentatas nullas, prout sunt, & inualidas, nullíusque roboris, vel momenti fuisse, & pro tempore fore, auctoritate, scientia, & potestate similibus statuimus, decernimus, & declaramus, ac pro potiori cautela cassamus, & annullamus. Et vltrà supradictas pœnas, quas contra Constitutionis huiusmodi violatores in suo robore permanere decernimus, loca quæcumque, ad quæ violatores ipsos declinare, & in quibus scienter stare permitti contigerit, Ecclesiastico supponimus interdicto, decernentes illud quamdiù ipsi violatores inibi scienter steterint, vt præfertur, & per triduum post eorum indè discessum firmiter obseruari, ae præsentes literas in quinterno Cancellariæ etiam describi mandamus, non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinarionibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hac paginam nostræ sanctionis, declarationis, mandati, statuti, decreti, voluntatis, extensionis, cassationis, annullationis, & suppositionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimoquingentesimonono Kalendis Iulij, Pontificatus nostri anno sexto.

Iac. Quæstemberg. Sigismundus.

66 Et quod sit hæreticum dicere simpliciter, quod à Papa liceat appellare ad Concilium, ostenditur, quia quicumque priuilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum auferre conatur, est hæreticus, vt text. in cap. omnes distinct. 20. Sed dicens, & tenens, quod liceat appellare à Papa ad Concilium, aufert priuilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum, ergo hoc dicens est hæreticus. Quod autem auferat, siue auferre conetur priuilegium Romanæ Ecclesiæ, patet, quia conatur auferre priuilegium capitis, & principalitatis, quod est in Papa, vt in cap. rogamus distin. 24. quæst. 1. & in cap. non decet dist. 12. & cap. præceptis eadem distinct. cum similibus. Item conatur auferre priuilegium plenitudinis potestatis, quæ est in solo Romano Pontifice, vt in cap. decreto, & cap. qui se scit dist. 2. qu. 6. & in cap. ad honorem, de auctor. & vsu pal. & capit. proposuit, de concess. prebend. Item conatur auferre priuilegium superioritatis Papæ ad Conciliũ, quia Papa dat robur Concilijs, vt in capit. significasti, de elect. Item conatur auferre priuilegium, quod à nullo iudicatur, nisi à Deo, vt in capit. nemo, cap. aliorum, & capit. facta dist. 9. quæst. 2. & cap. si Papa dist. 40. & §. hinc etiam dist. 17. cum simi-
67 libus. Et per istum modum argumentandi Archiep. Florent. in par. 3. summ. tit. 24. cap. 2. §. quoniam quidam, tenuit esse hæreticum dicere, quod à Papa possit appellari ad futurum Concilium, & idem dicit, quod nec ad successorem. Et respondet, quod licet Papa posset errare, & posset fieri hæreticus, tamen à nullo hominum potest per modum iudicij condemnari. Quinimò
68 etiamsi in hæresim Papa laberetur notoriè, adhùc tamen non esset à Papa appellandum ad Concilium, sed primò monendus esset à Cardinalibus, qui si vellet se corrigere eum iudicare non deberent, sed ipsemet ab errore desistens seipsum deberet punire, sicut aliàs supra dictum est de Marcellino in cap. nunc autem distinct. 21. Sed si pertinaciter vellet in hæresi persistere, tunc esset ipso facto à Papatu deiectus dist. 23. qu. 1. audiuimus, & minor quolibet Catholico, vt dicit gloss. 24. qu. 1. in princ.
69 non enim potest habere summi capitis dignitatem, si fidei non tenuerit vnitatem, vt dist. 24. qu. 1. dicto cap. audiuimus, & cap. alienus. Ergo voluit, quod nullo casu possit appellari à Papa recepto ad Concilium, nec à Papa ad successorem, & quod aliter tenere ex prædictis sit hæreticum. Et hæc opinio placet, quia tendit maximè ad euitandum contemptum Sedis Apostolicæ, & scandalum, quod indè posset oriri. Et hanc opinionem tenet Collectarius in capit. quæ multotiès, de regul. iur. Et idem Ægid. in dicto

dicto conf. 99. qui refert quemdam Gulielmum Benedicti eamdem tenere, & probare duplici ratione. Primò, quia non solùm est hæreticus, qui tenet contra Catholicam fidem, siue articulos fidei pertinaciter, sed etiam ille, qui peruersum dogma pertinaciter dogmatizat, vel falsas, vel nouas opiniones gignit, & sequitur dist. 24. quæst. 3. capit. hæreticus, & capit. inter hæresim, & Clement. vnica, §. fin. de vsu. Vndè August. contra Manichæos, qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumque quid sapiunt, si correcti, vt sanum sapiant resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera documenta emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt, capit. qui in Ecclesia dist. 24. qu. 3. sed tales hoc pertinaciter dogmatizantes dicuntur peruersum dogma, & pestifera, & mortifera documenta dogmatizare, quia contra dispositionem legis Diuinæ, & positiuæ, vt supra ostensum est. Igitur &c. Secundò ostendit ratione, quam supra posui, quia conantur auferre priuilegium principalitatis Romanæ Ecclesiæ, & incidunt in extrauagant. vnam sanctam. Pro hoc dist. 22. cap. omnes, glos. in cap. 1. dist. 24. qu. 1. & in cap. didicimus, eadem causa, & quæstione, & glos. in verbo Ecclesiæ, in Clementina ad nostrum, de hæret. Ad quod etiam allegat sanct. Thomam in secunda secundæ qu. 11. artic. 2.

70 Restat nunc respondere ad contraria. Et ad primum negatur assumptum, quia licèt in Concilio præsit Papa, tamen quando appellatur à Papa ad Concilium, tunc Concilium iudicat sine Papa, & vbi Concilium est sine Papa, non dicitur maius, immò inferius Papa. Ad Constitutionem Constantiensem, dicitur, quod non potuit subijcere Papam Concilio, vt supra dictum

71 fuit. Nec obstat, quod Deus non derelinquit Fideles suos, quia verum est, quod non ità derelinquit, quin eos per preces, & orationes exaudiat, & cor præsidentis quandoque immutet, non autem per viam contradictionis, siue appellationis, vt ibi Genes. 43. Deus autem meus Omnipotens faciat eum vobis placabilem, &c.] Nec hu-

72 mana iustitia in hoc seculo semper benè discutitur, sed in futuro, vt in cap. à nobis, de sentent. excommunicationis. Ad

73 secundum, quod quilibet potest errare, dicitur, quod ità potest errare Concilium, sicut Papa, vt supra in alijs dictum est, cap. placuit, & cap. tria distin. 36. quæst. 2. Et in materia appellationis non consideratur, an quis potest errare, vel non, sed habetur respectus ad maioritatem, & superioritatem, quia, ad quem appellatur, ostenditur superior, vt in dicto capitulo anteriorum distinct. 2. quæst. 6. & §. illo. Quoad tertium, respondetur illis contrarijs in quæstione sua propria. Ad quar-

74 tum conceditur, quod non appellatur à Concilio, quando est legitimè congregatum cum preside Papa, quia si appellaretur ab eo appellaretur à Papa, & idipsummet, quia non est dare alium superiorem, vt in cap. l. licèt de elect. & d. cap. aliorum, & cap. nemo, & cap. facta 9. quæst. 3. Et appellatio ab eodem ad seipsum non admittitur, dicto cap. non putamus de consuet. in 6. & cap. 1. de offic. vicar. eod. lib. & dicitur in d. cap. super quæstionum, in §. si verò, de offic. delegat. & in dicto §. illo. Et cùm Concilia dicunt non appellari à Concilio, intelligitur in quo præest Papa, vnde in 6. actione eiusdem Chalcedonen. Concilij dicitur, quod in omnibus Synodis Apocrisarij Apostolici decretas sententias primò propter auctoritatem Sedis Apostolicæ confirmabant, & aliàs nullum robur habebant. Vnde in Concilio Antiocheno dicitur, quod perfectum Concilium dicitur, in quo interfuit Archiepiscopus, & perfecta Synodus, & plenaria est, in qua etiam Episcopus Metropolitanus interfuit, igitur, & Concilium vniuersale tunc erit perfectum, & plenarium, quando in eo Papa interuenit. Præterea etsi à Concilio non appellatur, etiam à Papa non appellatur, nec sequitur si à Concilio non appellatur, sicut nec à Senatu, vt in l. prima, ff. à quibus appellare non licet, quod à Papa adipsum sit appellandum, sicut nec ab Imperatore ad Sena-

75 tum. Ad quintum respondetur, quod non est idem iudicium de Episcopo, & capitulo quod de Papa, & Concilio, quia Papa non habet superiorem, sicut Episcopus, nec consequentia ibi posita est bona. Ad sex-

76 tum datur similis responsio, quod non est eadem ratio de Archiepiscopo, qui habet superiorem, & de Papa, qui nullum habet superiorem. Item quod dicitur de Paulo, qui appellauit ad Cæsarem, nihil facit ad hoc, quod à Papa debet appellari ad Con-

77 cilium. Ad septimum datur eadem responsio, quæ supra ad quartum. Nec est verum, quod maius sit iudicium Concilij, quàm Papæ, vt dixi supra in quæstione, cuius sententia præferatur Papæ ne, an Concilij, & ponitur in propria quæstione de superioritate Papæ ad Concilium. Et à Papæ auctoritate Concilia sumunt robur, vt in capitulo significasti sæpiùs allegato, de elect. Nec est bona consequentia, sicut nec esset si diceretur à præfecto prætorio non appellatur, ergo debet ab Imperatore appellari ad præfectum prætorio, vel ad Senatum. Ad octauum responsio patet in quæstione, an Concilium sit supra Papam.

78 Ad nonum dicitur, quod licèt à sententia Papæ possit supplicari, & peti restitutio in integrum, & possit in meliùs reformari, non tamen dicitur, quod per Concilium, immò iura ibi allegata innuunt, quod per Papam, & quod omnis retractatio fit eius auctoritate. Facit, quod dicitur in capitulo qualiter, & quando de accusation. & quod dicitur supra in 11. motiuo pro parte negatiua.

Et licèt Papa congreget sæpiùs pro peragendis Concilium, non ex hoc sequitur, quod sit inferior, vel quod ab eo sit appel-

79 landum ad Concilium. Ad decimum respondetur, quod non dicitur iudicium Concilij supremum, eo quod à Papa, seu ijs, à quibus appellare licet ad ipsum appelletur, sed quia in Concilio præest Papa, & tunc est supremum propter supremam Papæ

potestatem, & ita loquitur Augustinus.
80 Ad vndecimum respondetur, quod probat in simili, quod à Concilio appelletur ad Papam, & non è conuerso. Et hoc est verum, vt ponit Alexander in rubrica de appellat. columna decimatertia. Faciunt quæ dicuntur in capitulo postulastis, de concess. præbend. & in capitulo irrefragabili §. primo, de officio ordinarij. Ad
81 duodecimum dictum est supra in quæstione, quando Papa derogat constitutioni Concilij. Et licèt Paulus reprehenderit Petrum, non sequitur, quod à Petro debuerit appellari ad Paulum, & dictum est quando possit resisti superiori, vndè oues Pastorem, non reprehendant, nisi fiat à fide deuius, vt in capitulo oues, secunda quæstione septima, & in capitulo oues sexta quæstione prima. Paulus enim erat inferior Petro in administratione, vt in capitulo in nouo vigesimaprima distinctione, & ideò non poterat ab eo Petrus iudicari, vt in capitulo in sancta secunda quæstione septima, sed impediri ne iudaizaret. Facit, quod dixi de remedijs tenendis contra Papam scandalizantem Ecclesiam.

Et similiter ad illud act. decimoquinto respondetur, quod si recurrerunt ad Ecclesiam, etiam recurrerunt ad Petrum, qui præerat Ecclesiæ, & hoc non negatur, quando appellatur ad Concilium, cui Papa præest, ab inferioribus. Ad tertiumdecimum, respondetur vt sæpiùs dictum est,
82 quod illa auctoritas dic Ecclesiæ, non habet locum in Papa, vt latè dicunt Doctor. post Host. in cap. proposuit, de concess.
83 præbend. Ad quartumdecimum respondetur, quod ista ratio militat contra omnes, à quibus appellare non licet, & ideò non concludit. Item si propter alicuius dignitatem ab eo non licet appellare, propter hoc non sequitur, quod tollatur defensio, quia sunt alia remedia, vt supplicatio, vt in auth. quæ supplicatio, Cod. de prec. imperat. offer. & d. cap. tum ex literis, & alia supra deducta in artic. quando Papa est Incorrigibilis. Item ex hoc motiuo non infertur, quod sit appellandum à Papa ad Concilium. Ad quintumdeci-
84 mum respondetur, quod auctoritas Augustini cum dicit, quod restabat adhuc plenarium Ecclesiæ vniuersalis Concilium, intelligitur de Concilio auctoritate Papæ congregato, & cui Papa præest, vt di-
85 stinct.17. per tot. Ad sextumdecimum, quod sicut Ecclesia vsa est superioritate contra Papam in causa fidei, sic in alijs videtur vendicasse superioritatem, respondetur, quod nullibi reperitur etiam in causa fidei, quod Concilium per viam appellationis receperit potestatem iudicandi de Papa, nec hoc dicitur in cap. si Papa distinct.40. Item quod potestas fuerit data generaliter omnibus Apostolis, non obstat quia principaliùs Petro, vt in cap. omnes, & cap. sacrosancta dist. 22. & in cap. ita Dominus dist.19. & in cap. rogamus, & in cap. loquitur 24.quæst.1. & in cap. fundamenta, de elect.in sexto, cum similibus. Ad decimumseptimum respondetur, quod li-
86 cèt commune bonum præferatur priuato, tamen negatur, quod hoc sit commune bonum, quod à sententia Papæ appelletur ad Concilium. Vide Augustinum super illud Genes.1. vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona, dicit omnia à Deo producta bona quidem erant in se, sed valdè bona propter ordinem, quem adinuicem retinent. Cùm ergo totius Ecclesiastici ordinis dux, & caput sit ipse Papa, sicut per appellationem tolleretur talis ordo, ita tolleretur tale bonum, quia cùm bonum exercitus non sit, nisi propter bonum Ducis, & bonum Ecclesiæ, non nisi propter bonum Papæ, maius bonum est bonum Ducis, quàm totius Ecclesiæ. Ita respondet August. de Ancon. in d. quæst.6. art.6.
87 Ad decimumoctauum, quod ab omni deuio, & obliquo appellari potest ad rectum respondetur hoc esse verum, modò rectum sit superiùs obliquo, quia appellatio est ad superiorem prouocatio, vt dicitur in rubr. de appellat. sed Concilium non est superior Papa, igitur. Item errare potest Concilium sicut, & Papa, & ideò non plus dicitur rectum, vel obliquum iudicium Concilij quàm Papæ. Et si dicatur, quod quando Papa esset hæreticus, eius iudicium esset deuium, & obliquum, vt in cap. si Papa dist.40. & Concilium de eo tunc iudicat, vt in d. cap. si Papa, & Doct. in cap. in fidei, de hæretic. in 6. Respondetur, quod non per viam appellationis iudicialis, sed cuiusdam prouocationis vt se emendet, sicut dicitur, quod appellatio extra iudicialis est quædam prouocatio ad causam, vt in cap. cùm sit Romana, de appellat. & cap. bonæ, eodem titulo, & Clem. causam, de elect. & si se non emendet, datur Concilio iudicium declarandi eum talem, & Papatu propter hæresim priuatum ipso iure, sicut aliàs supra dictum. Ad decimum-
88 nonum respondetur, quod non valet consequentia. Item Papa maior est Apostolo, vt in cap. sunt quidam 25. quæst. 1. cap. proposuit post gloss. de concess. præbend.
89 Ad vigesimum responsum est in solutione primi argumenti. Et ad vigesimumprimum respondetur, vt ad secundum. Ad vigesimumsecundum de cap. ad Apostolicæ, respondetur, quod ibi non dicitur, quod à sententia Papæ appelletur ad Concilium, sed quod ipsemet Papa erat paratus reuocare suam sententiam de consilio Concilij, hoc modo quo, & per viam supplicationis reuocat Papa suam sententiam vt in cap. tum ex literis, de restit. in integ.
90 Ad vltimum, quod reperitur factum in Concilio Constantiensi in vltima sessione, posset responderi, quod illud fuit potiùs quædam protestatio de facto, quàm appellatio, & non directè contra Papam, sed potiùs contra Concilium, & ideò illud non fuit discussum, quia iàm Concilium erat dissolutum, & dicta Missa Spiritus sancti, cum Litanijs, & alijs ceremonijs, & dictum existentibus in Concilio, Domini ite in pace, & per eos responsum, amen. Item, vt dictum est, Martinus contrarium statuit in eodem Concilio.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Appellari à Concilio ad Papam, an possit.*
Argum. quod sic per totum numerum, & num. 2.
Arguit, quod non possit, & num. 3.
3 *Appellare non licet à sententia Senatus, & quod Concilium est quidam Senatus.*
4 *Appellare non licet à sententia Concilij ad Papam, quando in Concilio Papa præfuit, & eius auctoritate fuerat congregatum.*
5 *Appellare non licet à sententia Concilij ad Papam, quando est legitimè congregatum.*
Et eius auctoritate, sed contra ipsum Papam.
6 *Appellari à Concilio ad Papam potest, si sit congregatum sine Papa.*
Et quomodo procedat, ibid.
7 *Appellare licet à Concilio ad Papam, quando est legitimè congregatum de eius voluntate, licèt in illo præsit.*

ARTICVLVS II.

1 VLteriùs quæro vtrùm à Concilio debeat appellari ad Papam, & circa hoc text. est, & quod sic in cap. cuncta per mundum 9. quæst. 3. Tum quia Papa est supra Concilium, vt in cap. significasti, elect. & sæpè dictum est. Tum quia ipse confirmat gesta Concilij 25. quæst. 1. cap. confidimus, & ab eo Concilia auctoritatem accipiunt, vt in §. his ita 25. quæst. 1. cap. significasti, de elect. & cap. benè quidem dist. 96. illa interpretatur, & tollit dicto cap. significasti 23. quæst. 5. de liguribus dist. 17. cap. nec licuit, & supra in sua quæst. dictum est. Ipse etiam restituit depositos à Concilio cap. conuenientibus 1. quæst. 7. & dicto cap. cuncta per mundum, & ipse confirmauit Concil. Arelatense cap. de obseruatione, iuncta suprascript. de
2 consecr. dist. 3. Sed in contrariũ facit gloss. in l. nemo martyres, in verbo reuoluere, C. de summa Trin. quæ vult, quod à sententia Concilij non licet appellare. Et illam gloss. notat. Paul. de Cast. in l. si quis Cod. de prec. imperat. offer. Sed responde, quod ibi est sermo de Concilio, cui Papa præfuit vel alius eius nomine loquitur enim de ijs, quæ erant circa fidem disposita per Concil. Chalced. quod fuit tentum auctoritate Leonis Papæ, & omninò à tali sententia, & decreto in causa fidei ibi sancito non licet appellare, cum sit quasi ius naturale sententia, quod dicit ibi gloss. Non tamen ibi dicitur simpliciter, quod in nullo casu liceat à Concilio appellare. Vnde concluditur, quod à sententia Concilij licet ad Papam appellare. Et istam conclus. ponit Alexand. in rubr. de appellat. in co-
3 lum. 13. Sed huic conclusioni videtur obstare, quod sicut à sententia Senatus non potest appellari, vt in l. 1. ff. à quibus appellar. non licet, ita nec à sententia Concilij, quod est quidam Senatus. Sed ad hoc
4 respondetur, quod aut præsupponimus Concil. legitimè congregatum auctoritate Papæ, cui ipse præest, & nullo modo potest appellari, quia tunc actus attribuitur Papæ, vt in cap. ad Apostolicæ, de re iud. in 6. & Papa non habet superiorem ad quem liceat appellare, vt in cap. licèt, de elect. Est enim necesse, quod appellatio fiat à minori ad maiorem, vt in l. præfecti ff. de minor. & in §. illo 2. quæst. 6. Et est adeò de substantia appellationis, quod nullo modo potest tolli, vt in cap. non putamus, de consuet. in 6. & l. 1. §. penult. & ibi Ang. ff. de appell. & idem Ang. in l. 1. princ. ff. à quibus appellar. non licet. Aut
5 præsupponimus Concilium legitimè congregatum non præsidente Papa. Et tunc si est in casu, in quo est congregatum contra Papam, vt puta in causa hæresis Papæ, vel quia est contentio de Papatu, dicam à sententia Concilij non appellari, quia ex quo illo casu Concil. habet superioritatem
6 in Ecclesia, quia non est aliquis eo superior, ex quo Papa non habetur, ipsum iudicat de Papatu, vt in cap. si Papa dist. 40. & in cap. si duo dist. 79. Ideo ab eo non potest appellari. Aut loquimur eo casu, quo Concilium est congregatum sine Papa, & tunc ex quo non est bonum Concilium, nec ratum, seu validum dist. 17. per totum poterit appellari ab eo, non tamquam ab eo, qui habeat aliquam iurisdictionem, quia non entis nullæ sunt partes, sed tamquam ab eo, qui de facto procedit reclamabitur ad Papam, vt rescindat malè gesta ipsius Concilij, vel melius vt declaret nulla esse gesta per tale Conciliabulum, & illud dis-
7 soluat, vt in cap. multis dist. 17. Vbi autem Concilium est legitimè congregatum de voluntate Papæ, licèt in illo Papa non præsit, semper poterit ab eo ad Papam appellari dicto cap. cuncta per mundum 9. quæst. 3. & dictum est supra. Item & à quibus propter eorum dignitatem non licet appellare, vt à sententia præfecti prætorio vt in l. 1. de offic. præfec. prær. & Senatus, & similium, tamen omninò licet supplicare, vt in l. vnica Cod. de sentent. præfec. prætor. & in l. si quis, & authentica, quæ supplicatio, C. de precibus Imperatori offeren. Et eo casu supplicabitur non ad eumdem prætorem, vel eius officiales, sed ad Imperatorem tamquam eo superiorem, vt dicit Paul. de Cas. in dicta authent. quæ supplicatio in princ. per text. in d. l. vnica Cod. de sentent. præfec. prætor. Et in hoc differt à Papa, qui non recognoscit superiorem, quia non tantùm non appellatur ab eo, sed si supplicatur, ad eumdem et Papam est supplicandum, vt in cap. auditis, & in cap. tum ex literis de in integrum restitut. & eam supplicationem non tenetur admittere si nolit, vt dicit Bald. in l. fin. Cod. de legibus.

SVMMARIVM.

1 *Appellare an liceat à Papa ad Cardinales.*
2 *Papa comparatur Cardina. tamquam cælum ad terram.*
3 *Appellatio sede vacante interposita, an deuoluat ad Cardinales.*

4 *Bartolus in lege absunt, ff. tutore, & curat. dat. ab his reprehenditur.*

5 *Appellare à Papa ad futurum successorem non licet.*

Et ratio, ibidem.

ARTICVLVS III.

1 AN autem liceat appellare à Papa, ad Cardinales, quæstio videtur resoluta ex præmissis quod non, quia de substantia appellationis, vt dictum est, quod fiat à minori ad maiorem prouocatio, dicta l.1. §.penul. ff. de appell. & dicto §.illo, 2. quæst. 6. Sed Cardinales subsunt Papæ, & à Papa deponuntur, vt in capit. 1. de schisma. in 6. igitur. Istam quæstionem
2 mouet August. de Ancona quæst.6. artic.5. Et ibi concludit quod Papa comparatur ad Cardinales, sicut cœlum ad terram, & quod non licet à Papa ad eos appellare. Bartol. tamen in l.vbi absunt, ff. de tutor. & curat. datis ab ijs, videtur innuere contrarium, dum vult quod si appellatur à potestate, appellandum sit ad ordinem Decurionum, vbi in Ciuitate non est iudex appellationis, & quod vacante Episcopatu succedat Capitulum, & vacante Papatu succedant Cardinales in iurisdictione, &
3 quod si vacante Sede esset ad Papam appellatum, talis appellatio deuolueretur ad Cardinales, quasi Cardinales habeant eamdem iurisdictionem, quam habet Papa. Per quod videtur dicendum, quod vbi à Papa appellatur, & sic eius iurisdictio suspenditur, appellandum sit ad Cardinales, penès quos remanet iurisdictio Pontificalis. Sed
4 dic, quod illud, quod dicit ibi Bartol. de Cardinalibus non est verum, & est contra text. in cap. vbi periculum, in §. ijdem quoque, de elect. in 6. & in Clement. ne Romani, de elect. Et per dicta iura Doctores impugnant opinionem Bart. ibi in dicta lege vbi absunt, & vide ibi Alexand. de Imola, & dic vt de his dixi in illa quæstione quid quando Papa esset factus furiosus, vel om-
5 ninò inutilis. An autem liceat appellare ad Papam successorem, idem August. quærit in dicta 6. quæst. in 4. artic. Et ibi concludit, quod cùm non minor, sed maior, & perfectior sit Papa, viuens, quia est in actu, quàm futurus, qui est solùm in potentia, non tenet talis appellatio, sicut supra dictum est idem tenere Archiepiscop. Florentin. in 3.par.tit.24.cap.2. §.quoniam quidam.

SVMMARIVM.

1 *Appellare à Papa ad Deum, an liceat.*

Et quod non liceat ordine iudiciario. Sed via supplicationis, & orationis petendo, num.2.

Et talis appellans dicitur incidere in hæresim, si sententia Papæ fuisset iusta, numero 6.

3 *Appellans à Papa ad Deum dicitur appellare contra Deum.*

Et ratio ibid. vsque ad fin.

4 *Appellare ad Christum iudicem, est appellare contra iudicem.*

5 *Appellans temerè punitur.*

7 *Appellare à sententia Papæ ad Deum non licet, si appellans innititur appellationi, & supplicationi, secùs si simpliciter recurrat ad Deum exprimendo dolorem suum.*

ARTICVLVS IV.

1 SEd an erit legitima appellatio, si appelletur à Papa ad Deum. Istam quæstionem mouet idem August. de Ancona in dicta 6.quæst. per tres articulos, videlicet,
2 primum, secundum, & tertium. Et ibi concludit, quod à Papa non potest appellari, ad Deum ordine iudiciario, sed benè via supplicationis, & orationis petendo, vt Deus immutet cor iudicis de iniustitia ad iustitiam, & de malo ad bonum. Sicut in simili legitur de Iacob Genes.43. cum dixit [Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem, & remittat vobiscum hunc fratrem vestrum, & eum, quem tenet
3 in vinculis.] Quinimmò dicit, quod talis appellatio non est admittenda, tum quia appellans subterfugit iudicium à Deo institutum, & ordinem diuinæ iustitiæ. Immò etiam talis sic appellans à Papa ad Deum, dicitur appellare contra Deum, quia vult subterfugere ordinationem diuinam, & resistit diuinæ voluntati, quæ ordinauit, vt homo iudicet in præsenti seculo. Vnde gloss. super illud Apostol. 1. ad Corinth. 4. mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, dicit duo esse genera iudiciorum, vnum humanum, quo homo iudicat hominem in præsenti vita, quód Apostolus appellat diem hominis, aliud diuinum, quo iudicabit Deus in fine seculi, quod Apostolus appellat diem Dei. Vnde talis sic appellans refugit ordinationem diuinam; ideo dicitur appellare contra Deum. Tum etiam quia talis appellatio repugnat determinationi temporis; quia Deus præfixit diem determinatam, in qua omnes iudicandos per ipsum, oportet præsentari ante tribunal ipsius, vt recipiat vnusquisque prout gessit in corpore, sicut dicit Apost. 2. ad Cor. 5. Cum ergo appellatio sit remedium iuris, quicumque in hac vita vult appellare ad Deum, vult via iuris ante diem iudicij, qui erit post hanc vitam procedere in iudicio, & vult via iuris præuenire diem
4 iudicij à iudice ordinatum. Vnde appellare ad Christum iudicem est appellare contra iudicem. Vide August. de Ancona vbi supra in 1. 2. & 3. articulo. Adde etiam quod meritò non est admittenda appellatio à Papa ad Deum, quia sapit præsumptionem, & temeritatem in appellante, quia præsumit de Deo tamquam de homine, siue iudicio hominis, & præsumit de seipso, quia præsupponit certam suam iustitiam, secundùm Apostolum autem ad Roman. 10. quærentes suam iustitiam statuere iustitiæ Dei non sunt subiecti. Et
5 temerè appellans punitur, l. eos, §. ne temerè,

mere, C. de appell. Bald. in l. 2. C. de Epis. aud. Bart. in leg. ab executore, C. quorum appell. non reci. Item talis appellans committit in legem, quia prohibitum est appellare à Papa, dicta l. 1. ff. à quibus appell. non licet, & in legem committens non vtitur legis beneficio, l. non dubium, C. de ll. cap. quia frustra, de vsu. Quinimmò talis committens in legem peccat mortaliter, & incurrit pœnam, vt in capit. si
6 quis, de maior. & obed. Immò Collectarius in cap. quæ multotiens, de reg. iur. dicit, quod appellans à Papa ad Deum, dicitur incidere in hæresim, quando sententia Papę fuisset iusta, & Alexand. in cap. non decet, 12. dist. simpliciter referendo Collect. dicit, quod appellans à Papa ad Christum est hereticus, quia virtualiter negat Papam esse
7 Vicarium Christi. Sed tu vide ibi Collect. qui multa ponit in d. cap. quæ multotiens. Et distinguit, quod, aut sententia Papæ est iusta, aut iniusta, & aut iniustitia illa est contra ius positiuum, & tunc etiam incideretur in hæresim, quia in talibus qui tangunt claues, & Papæ potestatem, maximè vbi sacra Scriptura esset aperta, de qua non licet dubitare sunt infideles, vt in capit. 1. de hæret. in 6. Aut sententia Papæ est contra Deum, vel legem Euangelij, vel naturæ, & tunc si appellans innititur appellationi, vel supplicationi, esset magis erroneum, quia Deus precibus, non viribus humanis superatur, de pœnit. dist. 1. cap. importuna, & seq. si autem non innititur appellationi, vel supplicationi, sed recurrit simpliciter ad Deum exprimendo dolorem, & affectum mentis suæ, & referendo in Deum, tunc non noceret, sed iuuaret. Videtur tamen concludere, quod ad hoc vt dicatur incidere in hæresim, requiritur quod perseueret, & sit pertinax in sua appellatione, vel supplicatione per Clement. 1. Et ibi etiam ponit, an liceat supplicare ad Deum à sententia Papæ. Et concludit quod non, loquendo de supplicatione iuris, ibi vide eum.

SVMMARIVM.

1 *Duobus contendentibus de Papatu in Concilio, an poterunt appellare à sententia Concilij.*

ARTICVLVS V.

1 SEd quid si sit controuersia inter duos de Papatu in Concilio, vtrùm poterunt appellare à sententia Concilij? Dicerem, quod non, quia non poterunt ad seipsos appellare, quia non est alius superior ipso Concilio isto casu, & appellatio debet fieri ad maiorem, vt sæpiùs dictum est capit. 2. de consuet. in 6. Et istam opinionem reperi tentam in quibusdam reportatis factis tempore schismatis, quorum Auctorem ignoro, vide quod dico supra in quæstione vtrùm à Concilio possit appellari ad Papam.

SVMMARIVM.

1 *Papa indubitatus an possit pro libito suo dissoluere Concilium, vel aliò transferre.*
Et argum. quod non vsque ad num. 17.
Et argum. quod sic vsque ad num. 27.
Auctoris opinio, & distinctiones plures, numero 28. vsque in finem articuli.
2 *Variatio omnis prohibita est.*
Et præsumitur contra variantem ibid.
3 *Approbatum semel non potest amplius reprobari.*
4 *Princeps si aliquid ceperit, non debet relinquere imperfectum.*
5 *Papa quare non possit sibi eligere successorem.*
6 *Papa non potest tollere priuilegium Clericis, quod non possint conueniri coram iudice laico.*
7 *Concilij sententia in causa fidei est maior sententia Papæ.*
8 *Legatus licèt durante legatione non possit conueniri, tamen si rem aliquam emerit, & possidere cœperit, etiam durante legatione conuenietur.*
9 *Concilium postquam est congregatum, cum auctoritate Papæ, auctoritates confunduntur.*
Et remanet forma Concilij.
10 *Constitutionis frequens dispositio.*
11 *Concilia inuenta sunt ad instruendos Christianos, & docendos populos, disciplinas, & mores ne in hæresim dilabantur.*
12 *Concilium postquam est congregatum est vnum corpus cum Papa.*
13 *Concilium est iudex, vbi tractatur causa fidei, schismatis extirpandi, vel reformationis in capite.*
14 *Argumen. quod qui potest destituere, quo casu valeat.*
15 *Papa non potest facere constitutionem, quod non accusetur de hæresi.*
16 *Maior pars vniuersitatis non potest statuere contra id, quod ab omnib. priùs fuerat determinatum.*
17 *Decretum Papæ cum Concilio, non debet posse sine Concilio reuocari.*
18 *Condere eiusdem est cuius destruere.*
19 *Concilium generale congregare spectat ad Papam.*
20 *Papa est supra omnia Concilia generalia, & Concilia ab ipso sumunt auctoritatem, & confirmantur.*
21 *Concilij dubium refertur ad Sedem Apostolicam.*
22 *Verbum erit quomodo intelligendum.*
23 *Papa Concilia non ritè celebrata sine alicuius consensu cassat, & damnat, & restituit quos Concilia damnarunt.*
24 *Concilia, quæ præsentiam Papæ non habuerunt vigorem suum amiserunt.*
25 *Verbum perdiderunt præsupponit habitum.*
26 *Sententia Papæ præfertur sententiæ Concilij.*
27 *Eugenius licèt obligasset se non annihilare Concilium Basileense, nihilominus illud transtulit, & potuit hoc facere.*
28 *Papa potest transferre Concilium congregatum ex causa, quam solus Papa posset sine Concilio expedire.*
Dummodò bona ratione moueatur, ibid.

Pro-

ARTICVLVS VI.

1 SVccessiuè quæro vtrùm Papa possit pro libito voluntatis Concilium dissoluere, vel ad alium locum transferre, & loquor de indubitato Papa. Et videtur prima fa-
2 cie dicendum, quod non, quia omnis variatio prohibita est, vt in clem. cum illuso, de renunc. & ibi dicit Car. quod præsumitur in dubio contra variantem, quod velit deuiare à veritate, facit, quod dicitur in cap. 1. vt Eccles. bene. & regula, quod semel cùm concor. in sexto. Item dicit tex. vndecima quæstione tertia certum, & decimaoctaua distinctione, si quis autem, quod si quis antè finitas agendorum examinationes à synodo abire præsumpserit debet excommunicari. Quòd enim semel approbatum reperitur, non potest ampliùs
3 reprobari, gloss. 4. dicto cap. in istis, 8. qu. 2. cap. dilectissimi, 32. quæst. 5. cap. horrendus ff. qui satisda. cogan. l. ab arbitrio 4. q. 3. cap. fin. & ibi Archi. de elect. cùm Vintoniensis, & quod notat Innocen. in cap. cùm venerabilis de excep. Videtur enim, quod semel approbauit transisse in contractum cum Patribus in Concilio congregatis, & ideò non posse reuocari, l. digna vox. Cod. de ll. cap. 1. de probat. Sicut non possum reprobare mores, quos semel approbaui, cap. veniens, de fil. Presbyt. facit, quod notatur in cap. de illis, de eod. tit. A pari videtur dicendum, quod nec ipse Papa, locum immutet, ne ei dicatur patere legem quàm tu ipse tuleris, cap. cùm omnes, de constitut. Indecens enim omninò probatur priùs soluere militiæ cingulum, quàm cedat victori aduersitas præliorum, vt in cap. 1. de renun. Et magis delinquit, qui interru-
4 ptam causam dimittit, quàm qui numquam ad causam peruenit, vt in authen. de litigi, §. omnem coll. 8. & dicit tex. in l. 1. C. de emen. Cod. Iustin. quia nihil magis improprium est Principi, quàm ab eo cœptum imperfectum relinqui, prætereà, vbi ex aliquo surgit decoloratio status vniuersalis Ecclesiæ, Papa illud facere debet, 8. quæst. 1. Apostolica. 9. quæst. 3. cap. per principa-

cipalem in gloss. Nec in illo potest dispensare, vt dicit Archi. in cap. sunt quidam, 25. quæst. prima allegat. 1. quæst. 7. cap. etsi illa, vbi idem Archi. & fuit dictum Ioannis in §. nisi rigor eadem caus. & quæst. Et
5 ista est ratio, quare non potest sibi eligere successorem, quia turbaret bonum vniuersalis Ecclesiæ, vt dicit gloss. 8. quæst. 1. §. his omnibus, & idem vult gloss. 1. quæst. 3. cap. ex multis. Et eadem ratione non dispensat contra quatuor principalia Concilia, quia tangunt generalem statum Ecclesiæ, vt in cap. sicut, 15. dist. Hoc autem contingit ex dissolutione Concilij, quia cùm omnes catholici expectent reformationem in Ecclesia, si re infecta viderent Concilium dissolui, omnes turbarentur, indè dicit Inno. in cap. inquisitioni, de sent. excom. quod Papa, non potest præcipere id, ex quo vehementer præsumeretur turbandus status Ecclesiæ, idem dicunt Doct. in cap. quanto, de consuet. & gloss. in cap.
6 proposuit, de concess. præben. Et indè dicitur, quod non potest Papa tollere clericis priuilegium, quod sub iudice seculari non possint conueniri, vt dicit Flo. in repe. cap. perpendimus, de sent. excom. & Doct. in cap. nulli, eod. tit. quia illud priuilegium habent à Deo, vt in cap. si Imperator. 96. dist. & turbaretur status vniuersalis Ecclesiæ secundùm Flo. in dicto cap. perpendimus, & idem Doct. in dicto cap. nulli, de priuilegio Canonis si quis suadente, 17. q. 4. Facit text. in c. cum teneamur, de preben. vbi dicit Papa, se sustinere æquo animo si sua mandata non exequantur inferiores, quæ scandalum essent allatura, facit, quod dicitur in cap. si quando, de rescript. Et sic ratione scandali videtur, quod non possit Concilium transferre. Si enim aliter diceremus, haberet Papa potestatem exponendi periculo vniuersalem Ecclesiam, quia posset se ad vnum locum suæ voluntati accommodum transferre, in quo Patres Concilij iusto metu ductos compelleret ad sibi placita quamuis iniqua statuendum, quod esse non debet, sicut nec potest statuere, quod ipse de hæresi non possit accusari, quia periclitaretur status vniuersalis Ecclesiæ, vt dicit gloss. in capitulo si Papa,
7 40. dist. Item in causis fidei maior est sententia Concilij, quàm Papæ, in cap. Anastasius ibi gloss. 19. dist. & in dicto cap. sicut, 15. dist. & dicitur in dicto cap. si Papa, & supra diximus in propria quæstione. Ergò non debet esse in potestate Papæ Concilium dissoluere, maximè quia vt plurimum Concilia celebrantur ad extirpationem hæresum, vt patet in quatuor principalioribus Concilijs, sicut patet in capitulo sexto, §. 1. cum sequentibus, 16. dist. Item si esset in facultate Papæ pro libito voluntatis dissoluere, vel transferre Concilium, numquam posset contra eum aliquid fieri nisi pro velle eius, quia quando videret Concilium declinare in aliquam sententiam, quæ ei non placeret, illico dissoluendo Concilium impediret. Et frustratoria esset semper Conciliorum congregatio, quæ quàm maximè necessaria est 12. dist. cap. illa, & præsertim contra Papam, cum deuiat à fide, quia nullum habet superiorem, vt allegato, cap. si Papa, 40. distinct. Item facit, quod si ipse posset dissoluere
8 Concilium pro libito voluntatis, tunc respectu personæ Papæ non esset verum, quod iudicium redditur in inuitum, contra tex. & ibi. dicta, l. inter stipulantem, ff. de verb. obli. facit bene text. in l. si legationis, ff. de iudi. vbi licèt aliàs legatus durante legatione non possit conueniri, tamen si seruum vel rem aliam emerit, vel ex aliqua causa possidere cœperit, poterit etiam durante legatione conueniri. Et assignat text. rationem, quia aliter daretur potestas legatis sub hac specie res alienas domum auferendi. Sic in proposito licèt aliàs Papa, non possit ab aliquo certo loco conueniri, propter delictum, tamen ex quo scandalizaretur Ecclesia videtur dicendum, quod possit certo loco conueniri, & quod non sit in potestate eius locum iudicij mutare, sed quod debeat inuitus cogi subire iudicium.
9 Item facit illud, quod dixi supra in illo artic. ad quem spectat congregatio Concilij, vbi dixi, quod non videtur conueniens, quod iudicaturus, & iudicans concurrant, & quod actio, & passio sunt incompassibiles, vbi etiam dico, quod postquàm Concilium est congregatum, & Papæ authoritas interuenit, authoritas Papæ posteà confunditur cum Concilio, & remanet forma Concilij, & authoritas Papæ congregantis finitur facta congregatione, saltem vt non possit illud dissoluere, & Concilium cognoscit de facto ipsius Papæ, sicut in simili dicitur de iudice recusato, quòd non potest iustè cognoscere, & tamen si delegat alteri antè recusationem ille potest cognoscere, & quicquid facit subdelegatus facit authoritate delegati, vt in cap. iudex de off. deleg. in 6. Facit, quod dicitur in cap. suspicionis, & cap. super quæstionum, in princ. de off. deleg. & in simili, quod dicitur in cap. si à subdelegato, eod. tit. in 6. Et si hoc est, sequitur necessariò, quod Papa, postquàm Concilium est congregatum non potest vlteriùs illud transferre sine voluntate Concilij. Et sic fuit seruatum in Concilio Constantien. vbi cùm Concilium fuisset semel congregatum præsidente Ioann. 23. quantumcumque posteà fugam arripuerit, omninò omnis potestas remansit in Concilio, & priuauit eum iuri-
10 dicè. Et in dicto Concilio fuit edita constitutio frequens, quæ apertè disponit, quod postquàm deputatus est locus pro futuro Concilio, Papa non possit illum mutare sine euidenti necessitate, & de Consilio Fratrum, quod si est antequàm Concilium est congregatum, quantò magis postquam est congregatum censendum est,
11 quod non possit dissolui. Item facit, quod Concilia sunt inuenta ad instruendos christianos, & ad docendum populos disciplinas, & mores, ne Christicolæ in hæresim dilabantur, vt 15. dist. cap. primo. Sed si quando expedit habere Concilium propter pullulationes hæresum, vel scandala in Ecclesia Dei insurgentia Papa posset Concilium dissoluere re imperfecta existente, tunc remaneret res in ambiguo, & Concilio iu-
stè

ſtè contradicente, remaneret confuſio in mentibus hominum, & ſcandalizaretur vniuerſalis Eccleſia. Et ideò, vt iſta ceſſent dicamus non eſſe in facultate Papæ diſſoluere Concilium ſine voluntate Concilij. Facit, quod paulò antè adduximus ex Innocen. in cap. inquiſitioni, de ſent. excom. & quod dicitur in cap. ad monaſterium, de ſta. mona. & in cap. ſunt quidam, 25. quæſt. 1. Ac-
12 cedit, quod poſtquàm Concilium eſt congregatum, eſt vnum corpus cum Papa. Et ideò ſicut, quæ ſpectant ad vniuerſum corpus non poſſunt per particulare membrum miniſtrari alijs membris reluctantibus, vt in cap. ſingula. 89. diſtinct. ſic videtur, quod non poſſit ſolus Papa, qui eſt caput, ſine Prælatis, qui ſunt membra. Item facit, quod quando iudicium deberet fieri per Concilium de Papa, ſi Papa poſſet diſſoluere Concilium, vel illud transferre, eſſet in poteſtate rei poſitum, in quo loco deberet conueniri, quod eſt abſurdum, vt dicit text. in l. non vtique, ff. de eo, quod certo loco. Item quando in Concilio eſt tractandum de Papa, non conuenit, quod cognitio fiat in loco, quem Papa voluerit ſed potiùs è contra, cùm naturali quoque iuri conueniat, quos res exegerit iudicialibus ad iudicium vocari ſententijs, non ipſos iudices, quod dici etiam iniuſtum eſt, ad ſubiectos deduci, vt in l. iubemus in §. omnes, de Epiſcopis, & clericis, & in l. ſecunda, §. ſi præſes. ff. qui ordo in bonorum poſ. ſeruetur. Item facit, quod vbi tracta-
13 tur cauſa fidei, vel ſchiſmatis extirpandi, vel reformationis in capite, ſynodus eſt iudex, vt in capit. Anaſtaſius ibi gloſſ. 19. diſt. & in capitulo ſicut ibi gloſſ. 15. diſtinctio. & in dicto capitulo ſi Papa, 40. diſtinctio. cum alijs ſimilibus. Vndè in eius poteſtate eſt locum iudicij eligere, vbi cauſa debeat agitari, ſicut & Epiſcopus eligit locum iudicij in ſua diœceſi, vt in capitulo cùm Epiſcopus, de officio ordinarij, in ſexto, igitur, & loci mutatio in ſynodi poteſtate eſſe debet, capitulo ſtatuimus, de offic. deleg. in ſexto. Nec obſt. ſi dicatur
14 quod ſi Papa, poteſt Concilium conuocare, vt 17. diſtinct. per totum, ergo & diſſoluere, ſicut qui poteſt inſtituere poteſt, & deſtituere, vt in capitulo cùm ex iniuncto, de hære. Quia reſpondetur quod vbi inter conuocationem, & diſſolutionem eſt ratio diuerſa non eſt verum dicere, quod ſi poteſt conuocare poteſt, & diſſoluere, nam & Epiſcopus ſacerdotibus, atque miniſtris ſolus honorem dare poteſt, ſed ſolus auferre non poteſt, 15. quæſtione ſeptima Epiſcopus, optimè tex. in cap. ſexta actione, ea. cauſ. & quæſt. Pro hoc etiam facit, quod ſi Papa, poſſet ſua authoritate diſſoluere Concilium, ſimiliter poſſet prohibere, ne vmquàm celebrarentur Concilia vniuerſalia, immò hoc per indirectum ſequeretur, quia per diſſolutiones non tenerentur. Sed non poteſt facere, quod Concilia non teneantur in cauſis neceſſarijs, puta fidei, & ſimilibus 19. diſtinct. cap. Anaſtaſius, quia eius poteſtas eſt ad ædificationem non ad deſtructionem, vt inquit Apoſtolus ad Eph. 4. & 2. ad Corin. 10. deſtructio autem ſequeretur ex prohibitione celebrationis Conciliorum, quia eſſet in euerſionem fidei, ruinam Eccleſiæ, & perturbationem populi chriſtiani, nam tot poſſet diſſolutiones facere, quod numquam Concilia tenerentur, maximè quando eſſet congregandum Concilium contra eum, quia fortè eſſet hæreticus, ideò non eſt dicendum, quod poſſit illud pro libito diſſoluere, & maximè quia poſſent contingere caſus, in quibus ex diſſolutione Concilij deſtrueretur ſtatus Eccleſiæ, vt ſi per diſſolutionem ſequeretur malum vniuerſalis Eccleſiæ, cùm Concilium eſſet congregatum pro bono Eccleſiæ vniuerſalis, puta ſi hæretici nollent conuerti, niſi per Concilium, ſi Papa diſſolueret tale Concilium, remaneret hæreſis, quæ aliàs tolleretur per Concilium, hoc autem non poteſt facere, ſicut non poteſt facere
15 ſtatutum, quod ipſe non accuſetur de hæreſi, & quod illud, quod eſt peccatum non ſit peccatum, vt dicitur, 40. diſt. cap. ſi Papa. Et quod Papa non poſſit Concilium congregatum diſſoluere, vel transferre, tenuit Ludo. Pontanus in quodam ſermone Coloniæ per eum habito qui incipit illuſtriſſime, & glorioſiſſime Princeps. Et idem etiam tenuit Pet. de Ancha. in conſ. 66. incipit pro declaratione vbi dicit, quod Gregorius tenebatur ire ad locum Saonæ poſtquam ſemel illum locum elegerat pro Concilio, & maximè dicit Abbas poſt inchoatum proceſſum contra Papam. Hoc idem videtur tenere Cataldinus de Boncompagnis in tract. edito contra Baſilien. Concilium ad impugnandum monitorium per Concilium decretum contra Eugenium, inquantum dicit, quod Eugenius ratione ægritudinis potuiſſet transferre Ferrariam, ex quo videbatur neceſſaria præſentia Papæ in Concilio ad ſedandum errores Græcorum in fide. Videtur ergo, quod niſi fuiſſet vrgentiſſima cauſa ægritudinis non potuiſſet transferre Concilium. Item facit, quod poſtquàm eſt facta ſemel electio loci Concilij, & in Concilio decretatus locus, ſicut vno contradicente non poſſet ſeipſam ſynodus tranſferre ita, nec à ſolo Papa ſine Patrum Conſilio. Primum probatur per tex. ſingularem, in auth. de defenſo. Ciui. ad fine, vbi ſi vniuerſitas ad reeligendum magiſtratum Ciuitatis, cuius officium expirauerat procedere velit, vno ſolo contradicente non poteſt. Et ita limitatur, l. quod maior, ff. ad municip. & cap. 1. de ijs, quæ fin. a ma. par. cap. De quo per Abb. & Lanfrancum in cap. conſtitutus, de appel. & Iaſ. in l. iuriſgentium in §. fin. de pac. & Fel. in cap. cùm omnes, de conſti. in 16. colum.
16 Item facit, quod maior pars vniuerſitatis minore contradicente non poteſt aliquid ſtatuere in præiudicium minoris cui quæſitum eſt ius ex aliqua ordinatione præcedente conſtitutionem ipſam, vt eſt tex. in cap. cùm omnes, de conſtit. notat Bal. in l. veterem, C. de autho. præſtan. vbi dicit, quod maior pars vniuerſitatis non poteſt ſtatuere contra id, quod priùs ordinatum fuit ab omnibus. Vndè ex quo ſemel electio loci fuit decretata, reſcindi non poteſt ſine omnium conſenſu, niſi ex cauſa publicæ vtili-

vtilitatis. Pro hoc est tex. notabilis in l. quod semel ordo. ff. de decre.ab ordin.faci. canonizata, 25. quæst. 2. cap. institutionis, & cap. cum piæ.6.q. 4. cap. quod bene.
17 Secundum probatur, quia decretatum per Papam cum Concilio, non videtur sine Concilio posse reuocari, vt dicit gloss. in cap. vbi periculum, de elect. in 6. in vers. Concilio. Et his, & pluribus alijs rationibus consuluit Ludo. in cons. 352. incipit quæritur, quod synodus Basilien. non poterat se transferre Auenionem.

In contrarium quod immò Papa possit dissoluere, & transferre Concilium, facit
18 primò regula generalis, quod eius est tollere, cuius est condere, vt in l. fin. C. de legibus, & eius est destituere, cuius est instituere, vt in cap. cùm ex iniuncto, de hæret. in fine, & eius est absoluere, cuius est ligare capit. cùm inferior ibi glos. de maioritate, & obedien. & cap. inferior. 21. dist. & omnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissoluitur cap. primo de reg. iuris. C. quando liceat ab emp. disce. l. prima, & nihil tam naturale est, quàm eodem genere vnumquodque dissoluere, quo colligatum est l. nihil tam naturale ff. de reg. iur. C. de act. & oblig. l. sicut, & de baptis. capit. maiores. Sed sic est quod ad Papam spectat Concilij congregatio, ergo ad eumdem spectat illius dissolutio, siue translatio, item facit quod ad Papam spe-
19 ctat noua editio simboli, & congregare generalem Synodum, & omnia alia facere, quæ ad vniuersalem Ecclesiam pertinent, vt dicit S. Thomas in secunda secundæ quæst. prima art. 10. & latè per Alexand. in cap. canones 15. dist. vbi latè quomodo illud intelligatur, & diximus supra in quæstione
20 propria. Ergo multò magis, & eiusdem Concilij dissolutio ad eum spectat, item Papa est super omnia Concilia generalia & Concilia ab ipso sumunt auctoritatem, & ab eo confirmantur 25. quæst. 1. cap. 1. 17. dist. cap. 1. & cap. regula, & cap. Concilia, & 21. dist. cap. in nouo, & 96. dist. capit. benè quidem, & cap. significasti de electio. Ergo in eius potestate similiter esse debet auferre Concilio potestatem, & illud dissoluere, & transferre. Ad hoc bene facit text. in cap. in sancta 2. quæst. 7. Item pro hoc facit illud Matth. 16. & cap. solitæ de maiorit. & obed. & cap. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. vbi Christus dixit Petro quodcumque ligaueris super terrã erit ligatum, & in cœlis, & quodcumque solueris super terram erit solutum, & in cœlis. Ergo Concilium soluere, vel transferre est in potestate Papæ, cuius est soluere, & ligare.
21 Item facit quod quotiens aliqua de vniuersali Synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo, quod non intelligunt rationem, ad Apostolicam Sedem pro recipienda ratione conueniant, vt dicit text. in cap. nec licuit 17. dist. Sed huiusmodi est Papa, in quo repræsentatur Sedes Apostolica, & maximè congregato Concilio, vt dicit Cardin. in Clem. quia contingit de relig. domib. in quinto quæsito, & Ioan. Andr. in cap. si Abbatem de elect. in 6.
22 Ergo. Ad idem facit text. 17. dist. capit. regula, vbi dicit, nec vllum ratum est, aut erit Concilium, quod non fuerit auctoritate Papæ fulcitum, quod verbum erit, si loquimur de eodem Concilio referri debet ad successum in Concilio, quasi deficiente
23 in eo Papæ auctoritate non sit Concilium. Item Papa, vtpotè totius Ecclesiæ Iudex, potest Concilia non rite celebrata auctoritate sua sine alicuius alterius consensu cassare, vt in cap. cuncta per mundum el 2. 9. quæst. 3. vbi inquit text. quorumlibet sententijs ligata, Pontificum Sedes Beati Petri ius habet dissoluendi, vt pote quæ de omni Ecclesia ius habet iudicandi, & in cap. præcedenti, incipit etiam cuncta, inquit, sed nec illa prætерimus quod Apostolica Sedes, sine vlla Synodo præcedente, & soluendi, quos Synodus iniquè damnauerat, & damnandi nulla existente Synodo quos oportuit habet facultatem. Sic videmus quod Papa restituit, quos Concilium damnauerat, vt in cap. conuenientibus 1. quæst. 7. & 50. dist. cap. Ioannes §. Asclepius, & §. final.
24 Ad idem facit text. in cap. Concilia 17. dist. vbi dicit quod Concilia valitudinem perdiderunt, quia præsentiam Papæ non habent. Vnde videtur dicere de Concilio, quod fuit in esse, & postea deficit in eo potestas Papæ, quod desinit esse Concilium. Et licèt ibi glos. dicat quod perditur etiam illud, quod numquam est habitum, quasi ideò Concilia dicantur perdidisse valitudinem, quia præsentiam Papæ non habent tamen congruentiùs videtur intelligi text. de Concilijs, in quibus Papa præfuit, sed quia in progressu Concilij desijt Papæ præsentia Concilium perdidit valitudinem, ver-
25 bum enim perdiderunt præsupponit habitum l. nam etsi sub conditione §. rumpendo ff. de iniusto rup. & irri. testam. capit. ad dissoluendum de desponsat. impu. Quod probatur, quia Papa est caput vniuersalis Ecclesiæ, vt in cap. sacrosancta 22. distinct. & in cap. rogamus 24. quæst. 1. & cap. loquitur eadem causa, & q. Remoto autem capite à membris necesse est corpus, & sic Concilium dissolui, quia simul atque Papa se separat à Concilio, Concilium, & Patres in eo remanentes dicuntur Acephali, & sic monstrum cap. per venerabilem, qui filij sint legit. est enim Acephalum Conciliũ, sine præsentia Papæ, vt in cap. submittitur 21. dist. Ergo potest quandocumque vult
26 illud dissoluere, præsentiam suam à Concilio separando, & contradicendo ipsi Concilio. Et hoc videtur verum, etiam si totum Concilium contradiceret, quia sententia Papæ præfertur sententiæ Concilij cap. in istis ibi glos. 4. distinctione, & capit. nemo 9. quæst. 3. & dictum est supra in quæstione propria, censetur enim in omnibus statutis Concilij excepta auctoritas Papæ, vt in capitulo significasti de elect. & glos. in capit. vbi periculum de elect. in 6. & in §. his ita 25. quæst. 1. Ergo solus tanquam caput potest Concilium dissoluere, & transferre. Et quod hoc possit ponit Alexand. in r. b. de appellat. allegat. glos. hoc dicentem in cap. vbi periculum in verb. Concilio de elect. in 6. & in cap. licèt, in fin. de elect.

& in capit. benè quidem 96. dist. Et idem Alexander in summa. 15. distin. in vltima charta, vbi vult subsistente causa, & modò non turbetur status Ecclesiæ, posse Concilium per Papam transferri, & dissolui. Et idem Cardinal. de Turrecrem. lib. 3. cap. 67. idem etiam tenet Archiep. Florent. in secunda parte sum. tit. 3. §. 11. versic. schisma autem; idem quoq; dicit fuisse tentum
27 tempore Eugenij 4. Andreas Siculus in capit. translato in 3. colum. de constit. qui dicit quod licèt Eugenius se obligasset non annihilare Concilium Basilien. nihilominùs fuit per eum translatum, quod dicit potuisse fieri per dicta per eum in dicto capitulo translato, vbi dicit quod potestas condendi legem fuit in Christo, & à Christo, translata est in Petrum, & consequenter in Ecclesiam.

Quid dicendum? Mihi videtur quod non reperiantur Doct. qui benè dilucident quęstionem, propterea arbitror distinguendum quod, aut Papa procedit prorogando tempus, vel mutando locum per modum translationis Concilij iam congregati, aut prorogando tempus Concilij tenendi non congregati, sed intimari, vel mutando locum, aut dissoluendo Concilium iam congregatum.

28 Primò casu, quo loquimur de congregato, aut Concilium est congregatum ex causa, quam solus Papa posset sine Concilio expedire. Et tunc si Papa mouetur bona ratione, & cessat omnis dolus, & prorogatio, seu translatio non est allatura periculum circa statum Ecclesiæ, & circa fidem, dico quod sine dubio Papa solus poterit etiam renitentibus Patribus Concilium
29 prorogare, quia prorogans nihil dicitur immutare l. sed & si manente ff. de precario Bart. in l. 3. ff. de damn. infec. Bald. in l. si constante C. de donat. ante nupt. glos. in Clem. ne Romani, ibi Pet. de Anchar de elect. Innoc. in cap. 1. & cap. requisisti de appellat. Vnde dicit Iureconsultus non om-
30 ne, quod differendi causa, optima ratione fit, moræ est annumerandum l. sciendum ff. de vsuris. Si enim contingeret casus, in quo difficile esset Papæ interesse Concilio, & non confideret quod res in sua absentia esset bonum exitum habitura, vt puta si ei superueniret infirmitas, sicut allegabatur in Eugenio contra Basil. conquerentes quod conaretur Concilium transferre, tunc certè non esset quod posset Papæ imputari si Concilium prorogaret, non enim dicitur
31 fecisse moram, qui iusta causa impeditus non soluit l. cùm quidam §. si pupillo ff. de vsuris. Pro hoc est regula non est in mora de regul. iur. in 6. & l. nihil interest, & leg. nulla ff. eodem tit. Facit text. in l. 2. & quod ibi dicitur ff. si quis cau. & in l. quæsitum ff. de re iudic. & cap. ex ratione cum materia de appellat. & cap. ex transmissa de præscript. cùm simil. Quinimmò hoc casu quo esset legitimum impedimentum, vel subesset rationabilis causa, non solùm prorogare, sed transferre, atque dissoluere posset Concilium etiam contradicentibus Pa-
32 tribus. Si enim contingeret quod ad eorum hominem impietatem Synodus esset deuoluta, quorum studia priuata ad euersionem fidei, pacis, & vnitatis Ecclesiæ tenderent, vt dicit Leo Papa de secunda Synodo Ephesina, vel si Papa videret, quod multitudo inferiorum machinatione seditiosa cōtempto iudicio Episcoporum, qui dicuntur Patres, & columnæ Ecclesiæ in Clem. multorum de pœnit. Hierarchicum ordinem confundere moliretur, vel si videret Synodum in tyrannidem conuersam, vel quod aliqui in Concilio nouis ausibus pertinaci animositate conarentur vsurpare iura Apostolici Principatus, vel Synodum fauorabilem Ecclesiæ hostibus, vel si Synodus gloriæ suæ augendæ causa affectaret perpetuitatem, vel si locus Concilij desineret esset tutus propter potentiam Principis ipsius loci, vel si aliqui conciliares malitiosè, id agerent, vt adueniente Romani Pontificis decessu ad eos futuri Pont. electio deuolueretur, certè his, & similibus casibus semper Papa poterit etiam Patribus inuitis non solùm Concilium prorogare, vel transferre, sed ipsum dissoluere. Et hoc probat ille te-
33 xtus, qui in contrarium est adductus in l. quod semel ordo ff. de decret. ab ordin. fa. vbi subsistente causa publicę vtilitatis permittitur sine omnium consensu rescindi illud, quod prius ab omnibus fuerat statutum Non obstat constitutio frequens in Conci-
34 lio Constantiensi, edita quę vult hoc non posse fieri sine consilio fratrum. Tum quia illa fuit edita Apostolica Sede vacant, nec interuenit auctoritas Papę, nec reperitur approbata per Papam, cum tamen omnia statuta Conciliorum expectent approbationem Papę, vt in cap. Concilia 17. dist. & in cap. cuncta per mundum 9. quęst. 3. & cap. significasti de elect. 3. quęst. 6. dudum & 2. quæstione 6. ideò 25. quęstione 1. capitulo 1.

35 Licèt enim Martinus approbauerit gesta Concilij Constantiensi hoc fuit in ijs, quę fidem concernebant, vt patet in 45. sessione, & non aliter, vt ibi patet. Item posito quod specificè approbasset, non valuisset in pręiudicium successorum, quia par in parem non habet Imperium, vt in cap. innotuit. de elect. & in Clem. ne Romani de elect. l. nam magistratus ff. de arbitr. Quinimmò nec sibimet potuisset legem imponere à qua non licuisset sibi recedere leg. si quis in principio ff. de legat. 3. Nec propria lex Principis ligat ipsummet Principem, vt dicitur in l. digna vox. C. de legibus, & in l. princeps legibus ff. de ll. & cap. nulli de sentent. excommunic. Nemo enim potest sibijpsi imperare l. penult. ff. de arbitr. Et minùs potuit ligari lege Concilij, cùm ipse esset supra dictum Concilium d. cap. significasti cap. cùm inferior de maiorit. & obedien. & 21. dist. inferior. Et de hoc est casus in d. cap. innotuit, vbi Papa refert statutum Papę, & Concil. & dicit quod non ligat successorem Papę. Et ad hoc facit quod
36 Ioannes Andreas in regula, cui licèt de regula iur. in 6. in Mercu. de Episcopo, qui directè propria lege, vel statuto non potest se ligare l. ille à quo §. tempestiuum ff. ad Treb. text. in l. ex imperfecto ff. de testam. Quinimò etiam si constitutio fuerit

edita

edita pro bono vniuersalis Ecclesiæ, Papa
subsistente causa potest contra illam di-
spensare, vt in cap. sunt quidam 25. qu. 1.
37 Nam & contra statuta Concilij Papa di-
sponit, vt in capitulo non debet de consan.
& affinit. & diximus supra in propria quæ-
stione. Item quamuis dicta constitutio re-
spiciat statum vniuersalis Ecclesiæ, nihilo-
minùs Papa contra tales dispensat, vt in
capitulo sunt quidam 25. quæst. 1. Et ma-
ximè in proposita constitutione, quia illa,
quæ in ea statuuntur concernunt statum
vniuersalis Ecclesiæ in ijs, quæ procedunt
à iure positiuo, in quibus Papa potest di-
spensare, vt patet 78. distinct. per tot. quia
potest dispensare in omnibus, quæ non
sunt contra fidem, vt notat Ioannes Andr.
post Hostiens. in capit. proposuit de con-
cess. præben. dum tamen non foueat pec-
catum, quod sit contra legem diuinam, se-
cus si esset ex contrauentione legis Cano-
nicæ, vel humanæ, vt in dicto capitulo
proposuit, & in capitulo cùm ad Mona-
38 sterium de sta. regula. Et talis est constitu-
tio frequens, quæ est lex positiua, vnde
meritò Papa potest contra eam dispensare
pro libito voluntatis, & sine causa quia
in his solus motus proprius Papæ habetur
pro causa, vt in cap. cum nostris §. nos ve-
rò de concess. præben. Vnde dictam consti-
tutionem tollere poterit, vt infra proxi-
mè dicam. Et propterea ipsemet Martinus
qui interfuit Concilio Constantien. vt potè
qui fuit in eo creatus Papa, non obstante
dicto constitutione frequens, dedit præsi-
dentibus suis in Concilio Senen. potesta-
tem transferendi Concilium etiam nulla
facta mentione de consensu Concilij. Si-
militer etiam, & Eugenius eius successor
illa non obstante Concilium transtulit, &
facere potuit, quia vt dictum est non po-
tuit ligari à prædecessore, & quia etiam in
concernentibus statum vniuersalis Eccle-
siæ in ijs, quæ sunt iuris positiui Papa
potest disponere, vt patet 78. distin. per
tot. cùm sit supra ius positiuum, vt in ca-
pit. proposuit de concess. præben. etiam si
concernerent peccatum, quod procederet
à lege positiua, & humana, quia tales le-
ges tollere potest secundùm Ioann. Andr.
post Hostien. in dicto capitulo proposuit,
& in capitulo cùm ad monasterium de stat.
mona. & 6. distinctione per tot. & Host. in
39 c. 1. de treu. & pa. Et ex hoc patet quantum
errant illi, qui ita illam constitutionem
frequens extollunt, & allegant contra Pa-
pã, ac si esset euangelium, cùm tamen Papa,
quotidie dispenset contra conciliares con-
stitutiones, vt in c. vbi periculum in glos.
in verbo Concilio de elect. in 6. & cap. ad
Apostolicæ de re iudic. eod. lib. ibi Ioann.
40 Andr. & in cap. fin. de consue. eod. lib. Si
verò Papa sine aliqua rationabili causa
Concilium, iam congregatum transferre
vel mutare vellet, tunc si ipse vellet proui-
dere, & ante mutationem prouideret ijs,
propter quæ Concilium esset congregatum,
crederem similiter quod posset illud trans-
ferre, & dissoluere, quia Papa potest mo-
ueri ex aliqua causa alijs incognita, &
ideò dicitur, quod in Principe, quando
41 aliquid facit, etiam quod sit in præiudi-
cium tertij, semper in dubio præsumitur
causa, vt in l. item si verberatum ff. de rei
vendi. & in l. Lucius ff. de euic. & c. quæ in
Ecclesiarum de consti. Et hoc quando pos-
set prouidere causę congregationis Conci-
42 lij, & prouidisset ante mutationem, &
mutatio fieret, sine scandalo vniuersalis
Ecclesiæ, tunc enim ex quo satisfactum
esset causæ, propter quam Concilium esset
congregatum, & cessaret ratio tenendi
Concilij, meritò posset dissolui cap. cùm
cessante cum vulgaribus de appell. Hoc
enim fieri posse videmus exemplo Petri,
qui Apostolicam sedem olim penès An-
tiochiam existentem iubente Domino Ro-
mam transtulit 24. quæst. 1. cap. rogamus 7.
quæstione prima capitulo mutationes, &
causa ipsius translationis assignatur in ca-
pitulo beati 2. q. 7. & in cap. quamuis 21.
dis. & in cap. sacrosancta 22. distin. & in cap.
fundamenta de elect. in 6.
43 Aut causa propter quàm est congrega-
tum Concilium non dependet solùm à Pa-
pa, nec ab ipso solo potest expediri, pu-
ta si sit Concilium congregatum causa
fidei, & ad definiendum aliquas magnas
causas, & difficultates in fide, in quibus
necessaria est Concilij congregatio, iuxta
capitulum maiores de bapt. vt puta pro
extirpanda hæresi, quæ scandalizat vniuer-
salem Ecclesiam, & de qua est dubium
vtrùm sit verè hæresis, vel si sit congrega-
tum contra Papam, qui dicitur hæreticus,
vel schismaticus, iuxta, cap. si Papa 40. dist.
vel si sit congregatum pro causa papatus,
eo quod duo contendunt de Papatu, & con-
trouersia est exorta in ipsa electione, sicut
fuit tempore Vrbani, in quibus casibus est
necessaria definitio conciliaris, vt in cap.
si duo 79. distinct. & cap. Anastasius 19.
dist. & dict. cap. si Papa. Et istis casibus di-
cerem, quod Papa non posset pro libito
voluntatis, sine consensu Concilij ipsum
transferre, nec dissoluere ante expeditam
causam, quia cùm hæc determinatio prin-
cipalis dubij spectet ad concilium, simili-
ter ad Concilium spectat determinare lo-
cum l. ædiles la. 1. §. sciendum ff. de ædilitio
edic. l. si quis ex aliena ff. de iudi. & l. termi-
nato C. de fruct. & litium expen. c. preterea
de off. delega. facit quod dicitur in cap. su-
per literis de rescrip. Ad idem est quod di
citur in l. iustissimè ff. de ædilitio edic. &
l. ad rem mobilem & l. ad legatum. ff. de
pecu. Alioquin si esset Papæ facultas ipsum
transferendi, & dissoluendi, posset per in-
directum contra l. hoc modo ff. de condi.
& demonstra. & cap. quanto de priuil. &
regulam, cùm quid. de reg. iur. in 6. Item
quia ista dissolutio esset contra bonum
vniuersalis Ecclesiæ ad hoc gl. 8. quæstio.
prima §. his, & prima quæst. 3. cap. ex mul-
tis. Vnde ante finitam disputationem de
fide, & hæresi Papæ, non posset Papa illud
dissoluere, nec transferre, maximè inchoa-
to processu, quia tunc agitur de bono vni-
uersalis Ecclesiæ, ideò solus Papa non po-
test disponere sine Concilio, vt dicit In-
noc. & dict. Ant. in cap. quanto de consue-
tudin. & idem Innoc. in cap. inquisition.

de senten.excommun. Et hoc nisi superuenisset aliqua noua causa notoria, & legitima argumen. capitul. cum cessante, cùm
44 similib.de appel. Si autem in Concilio non tractatur causa papatus, nec de hæresi contra Papam, sed est congregatum Concilium ad extirpandum hæresim iam per Ecclesiam damnatam, tunc non est necessaria auctoritas Concilij ad finem, vt iterum damnetur talis hæresis, quia sufficit antiqua damnatio, etiam quo ad eos, qui nouiter in illam laberetur 24. quæst. 1. cap. primo 2.& 3.vbi dicit Gelasius. Achatius non est factus inuentor noui erroris, sed veteris imitator, atque ideo non erat necessarium, vt aduersùs eum noua sententia prodiret, sed antiqua tantummodo reuocaretur, factus sum itaque executor veteris constituti non promulgator noui &c. & ideo maiores nostri præcauerunt, vt quod semel synodus pro fidei communione, & veritate catholica promulgasset, non sinerent nouis postea retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant constituta pulsandi Quinimò 25. quæst. 1. cap. nulli, dicitur, quod nulli fas est, sine status sui periculo diuinas constitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare. Et dicit tex. in cap. primo eadem caus. & quæst. quod vnius cuiusque synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nulla sedes magis exequi debet, quàm prima. Et
45 ideo si Papa hoc casu vellet ne desuper fieret noua disputatio Concilium dissoluere, posset etiam inuitis patribus, quia ex quo sententia Papæ concurreret cum decisione Concilij aliàs facta, præualeret sententia Papæ ipsi Concilio, vt diximus supra in quæstione propria, & dicitur in cap. in istis 4. dist. Vnde dicit tex. in l. nemo C. de summa Trin. quod iniuriam facit synodo si quis semel iudicata, & rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contendit. Dicit tamen si hæretici iterùm vellent se subijcere Concilio, & reuerti aliter non reuersuri, nisi per manus concilij, Papa inuitis patribus de Concilio non posset ante hæreticorum correctionem dissoluere Concilium, quia si correcti volunt redire sunt admittendi 23. quæst. prima capitulo 1. glos. 1. in cap. maiores 24. quæst. 1. & vult S.Thom. in secunda secundæ quæst. 11. art. 4. immò si correcti, & emendati venire volunt, admittendi sunt in Concilio generali, vt in capitul. conuenientibus 1. quæst. 7. Idem etiam dicit, quod si hæreti-
46 ci vellent se subijcere disputationi, & determinationi Concilij, non tamen temerè de fide disputantes, sed vt docerentur velint ipsis ostenderentur eorum errores, vel ad reprobandum prauam hæreticorum opinionem, posset tunc Concilium cum ipsis subire certamen, & iterum, atque iterum cum ipsis disputare. Nam illis de Concilio licet ad confusionem hæreticorum de fide publicè disputare l. quicumq; C. de Epis. & cler. & dict. l. nemo C. de summa Trin. & glo. in cap. ad nos ad fidem 96. dist. & in cap. quis de summa Trin. & idem tenet S.Thom. in secunda secundæ quæst. 10. art. 7. Nec hoc casu liceret Papæ dissoluere Concilium, & hoc exemplo Syluestri, qui cùm 12. Scribis Iudæorum publicè de fide disputauit, vt refert Vincentius hist. lib. 14. capitulo primo, & lib. 26. capitulo primo. Item refert idem Vincentius quod 26. annis post damnatam hæresim Arij in Concilio Nicœno, Athanasius iterum cum Ario disputauit, & eum conuicit. Et idem lib. 21. cap. 25. refert quod Synodus Chalcedonen. iterum Nestorium anathematizauit, quem antea Ephesina Synodus damnauerat. Et idem de Euthyche damnato, & conuicto in Synodo Constantinopolitana, qui antea damnatus fuerat in Nicæna. Sed hoc quod dicit Moder. Aret. non admitterem ita simpliciter, quia si Papa videret quod in Concilio non
47 essent Episcopi talis literaturæ, vt possent confundere, & superare hæreticos, & quod ex disputatione posset potiùs augeri hæresis, quàm extingui, crederem quod Papa, etiam resistentibus Patribus posset Concilium differre in aliud tempus, donec congregaret peritos, & idoneos, qui essent sufficientes ad conuincendum hæreticos argum. l. fin. C. de compensat. & l. 3. §. ibidem ff. ad exhibendum. Idem dicerem de translatione, quia si Papa videret locum non vsquequaque liberum ad votandum pro partibus Concilij propter potentiam Domini loci, qui faueret hæreticis tunc posset Concilium transferre in alium locum. Non obstat, quod voluit Petrus de Anchatan. in consil. 15. incipit pro declaratione in quo voluit, quod postquam Greg. Papa elegerat locum Saonæ pro Concilio ad sedandum schisma, licèt allegaretur locus non vsquequaque tutus Papæ, nihilominus tenebatur ire ad locum illum propter bonum, quod expectabatur ex illo Concilio, vbi debebant omnes cedere, & vnus Papa eligi, & sic prohibebatur translatio, quia in casu illo Conciliũ tendebat ad sedandum schisma contra illos, qui gerebant se pro Pontificibus, & longo tempore fouerant schisma, & Concilium non timebat aliquam impressionem, sed Gregorius detrectabat, & allegabat multas executiones, vt non induceretur ad cedendum sicut iurauerat, quod apparuit in Concilio Constantien. in quo omnes fuerunt depositi, & creatus Martinus. Sed in casu nostro est totum contrarium, quia loquimur, quãdo locus non est tutus Concilio simul cum vero Pontifice vnito ad sedandum hæresim & locus est fauorabilis hæreticis, & pro-
48 pterea non obstant. Si autem vellet dissoluere in totum nulla subsistente causa, non potest Patribus contradicentibus. Vnde licèt possit concedi quod posset aliquo modo illud differre, non tamen quod posset in totum tollere. Faciunt in argumentum ea, quæ ponuntur in l. quotiens, C. de precibus Impera. offe. & cap. ex parte, el 2. de offic. delega. & cap. Pastoralis de appell. vbi licet Princeps numquam censeatur tol-
49 lere ius alterius, vt cap. ex multiplici de dec. l. 2. §. si quis à Principe, & §. meritò, ff. ne quid in loco publico, cum sim. tamen benè concedit dilationem, & tollit friuolas exce-

exceptiones, vt in cap. ex parte, el primo
de offic. delega. & appellat. vt in capitulo
Pastoralis de appellat. nec per hoc dicitur
tollere ius alterius. Ad idem est quod dici-
tur, quando fit mentio per Papam de iure
quæsito conseruando, quod intelligitur de
perpetuo mansuro, & puro, & non de tem-
porali, & conditionato, vt voluit Ludou.
consi. 256. incipit approbo, & Calde.
consi. 8. de rescri. Sicut etiam dicitur de
clausula dummodo non sit alteri ius quæsi-
50 tum, quod intelligitur de iure in re, vel ad
rem considerabili, & non de quæsito ex so-
la acceptatione, de quo per Feli. in cap.
causam quæ de rescript. & in cap. super li-
teris 12. col. eod. tit. & in cap. cùm Bertol-
dus de re iudi. & Ægi. decis. 157.
51 Interdum autem repetitur intimatum
Concilium pro bono vniuersalis Ecclesiæ,
non tamen pro causa fidei, sed fortè pro
reformatione Ecclesię in capite, & in mem-
bris, vel pro pace componenda inter prin-
cipes Christianos, vel pro pace Ecclesiæ, vt
in cap. ad Apostolicæ de re iudi. in 6. Et
tunc si loquimur ante congregatum Con-
cilium, Papa poterit ex nuda voluntate sua
differre in aliud tempus Concilium, si
talis dilatio non est allatura scandalum in
vniuersali Ecclesia circa fidem. Ratio est
in ijs, quia sunt iuris positiui circa corre-
ctionem motum, in Papa est pro ratione
voluntas, vt in l. digna vox. C. de ll. & leg.
Princeps legibus, ff. de ll. & cap. proposuit
52 de conces. præben. & in ijs, quæ concernunt
moralem philosophiam Papa potest dice-
re sic volo, & sic iubeo, dummodo non
præcipiat aliquid, quod sit peccatum, vt di-
citur in cap. ad aures de tempo. ord. & in
cap. Iulianus 11. quæst. 3. quia est supra
ius, vt dicto cap. proposuit. Et ideò dici-
tur quod motus proprius ipsius est om-
nium optimus artifex, omnem habens vir-
tutem, & omnia prospiciens. Ita vt ali-
53 quando ea, quæ sunt iuris naturalis, & di-
uini, & voluat, & reuoluat, sicut patet in
matrimonio, quod est de iure naturali, &
diuino, vt in cap. primo de vo. in 6. in quo
etiam personas inhabiles habilitat. vt in
cap. is, qui de spons. & cap. non debet. de
consan. & affi. & dicitur in cap. cùm ad
monasterium de sta. regu. & in c. 2. & in
ca. ex publico de conuer. coniuga. De hoc
per Gulicl. de Monte Lau. & Doct. in cle.
si rogamus de sentent. excommu. & dicitur
in dicto capitulo proposuit.
Et hoc intelligo verum, dummodo non
dolosè differat, vt impediat reformatio-
nem, vt si fortè pluries prorogasset, & pro-
crastinando continuè differret malitiosè, vt
numquam Concilium teneret, & longior
dilatio esset allatura scandalum in Eccle-
sia, quia tunc ex quo tendit ad nocendum,
non esset audiendus l. in fundo, ff. de rei
vend. Et tunc fortè ex quo Concilium esset
indictum, posset per seipsum congregari, &
congregatum per seipsum teneri, vel per
eos, ad quos deuoluitur procuratio con-
gregationis, requisito Papa, vt auctorita-
tem interponat. alioquin, vt sit contra in-
corrigibilem, & turbantem bonum vniuer-
salis Ecclesiæ posset ei resisti per modos
traditos, supra quando Papa est incorrigi-
bilis, per ea quæ ponuntur in vulgari capit.
si Papa. Quinimmo plus voluit, quod ex
quo in Concilio Constantien. statutum est,
vt teneatur Concilium de decennio, in de-
cennium pro reformatione Eccles. vniuer-
salis, quæ in schismata, & hæreses prolabi-
tur si non reformatur, & ex quo hoc statu-
tum concernit bonū vniuersalis Ecclesiæ, &
eo non seruato status Ecclesiæ, discolora-
tur, quia notorium est, quod in aliquibus
partibus clerici incedunt in habitu secula-
ri magis conuenienti satrapis, & militibus
quàm regularibus personis, & intendunt
venationibus, & aucupationibus magis,
quàm diuinis officijs, vnde si non refor-
mantur, discoloratur status vniuersalis Ec-
clesiæ, quod Papa solus illud stat utum Con-
stantien. non possit tollere. Et allegat Ma-
gistrum senten. in primo l. dist. 42. dicen-
tem quod illud, quod dicitur Deum posse
omnia, intelligitur præter ea sola quibus
Dei dignitas læderetur, & eius excellentiæ
derogaretur, quia illud non esset posse, sed
non posse. Et idem videtur dicendum in
Papa, qui tenet vicem Dei in terris, vt in
capit. primo de transl. præla. cum simil.
Dicit, tamen quod super loco, & abbreuia-
tione, vel prolongatione temporis fortè
posset dispensare non obstante dicta consti-
tutione frequens, quia in vno, vel duobus
etiam concernentibus statum vniuersalis
Ecclesiæ, dummodo is non discoloretur,
Papa potest dispensare, vt notat Archid.
in d. cap. sunt quidam 25. qu. 1. Facit quod
dicit glos. in cap. cuncta per mundum. 9.
qu. 3. quod licèt possit deponere vnum, vel
duos Episcopos, non tamen omnes totius
orbis. Ex quibus videtur innuere, quod
non posset in totum dictam constitutio-
nem tollere, vnde in proposito videtur si-
militer dicendum, quod non possit in to-
tum Concilium dissoluere, licèt possit dif-
ferre, & transferre. Ergo multò magis
quando Concilium nondum est congrega-
tum, eo quod minùs læditur, siue discolo-
ratur bonum vniuersalis Ecclesiæ, dummo-
do non fieret in fraudem, vt dictum est.
55 Quod autem dicit Moder. Aret. quod Pa-
pa non posset in totum tollere constitutio-
nem frequens, pro nunc non admitto, imò
credo contrarium esse verum, per dicta in
illo arti. vtrùm Papa possit tollere consti-
tutiones conciliares, vbi latè examino, &
per dicta supra proximè in ista quæstione.
Quod & tenet Card. de Turrecre. in tract.
de Papa lib. 3. cap. 66. vbi respondet ad id
quod obijcitur de cap. sicut 15. dist. quod
loquitur in ijs, quæ de fide, puta circa arti-
culos fidei, & sacramenta, per dicta qua-
56 tuor Concilia definita sunt. Et si Moder.
Aret. vidisset, vt hodie fit, prælatos vacare
venationibus, & incedere cum vestibus lai-
calibus, & sotualibus velutatis, fortè subti-
cuisset exemplum de clericis. Si autem Pa-
pa, vult transferre, vel differre post congre-
57 gatum Concilium, & postquam incępta
est reformatio in capite, & in membris, &
contra voluntatem Concilij, tunc aut subest
apertissimè causa grauis, & legitima, & po-
test transferre, & prorogare, vt supra dict.
est.

est. Nam, & ex causa dispensat in gradibus diuina lege prohibitis, vt dicit Ioan. An. in cap. per venerabilem, qui filij sint leg. & refert Abb. in cap. literas de resti. spolia. Et in alijs, quæ sunt iuris diuini, vt in capitulo ex publico de conuer. coniuga. in capit. cùm ad monasterium de statu. mona. Et contra dictum Apostoli, vt in dicto capitulo proposuit de concess. præben. & in capitulo sunt quidam 25. q. 1. Item differt tempus à Concilio statutum ex causa, vt in capitulo licèt canon. iuncto. cap. cùm ex eo de elect. in 6. Item ex causa facit mutationes sedium, vt in capit. mutationes 7. quæst. 1. & c. nisi cum pridem de renun. Et sanctorum loca ex causa transmutantur, vt de consecra. dist. 1. c. tribus ex causis. Et monasteria de loco ad locum transfert. 16. qu. 7. cap. si quis vult. Et electio ex causa transfertur ad alium locum celebranda, vt in c. bonæ de ele. 23. dist. cap. in nomine Domini. Et ratione non tuti loci transfertur iudicium cle. 1. de fo. compe. & capit. statuimus de off. delega. in 6. Facit quod dicitur in cap. ex parte de appell. cum simil. Et multa his similia fiunt. Et credo quod non solùm semel, sed bis, vel ter posset prorogare, & transferre causa vera, seù necessaria subsistente. Aut nulla subsistente causa graui, sed ex leui, & friuola causa vult Concilium transferre, vel differre. Et tunc hoc, aut in nullum redundat scandalum in Ecclesia, nec prorogatio, vel mutatio affert aliquod præiudicium, quia fortè res, vel causa, ob quam erat facta Concilij congregatio, est in eo statu, vt possit expectare decretum Concilij. Et poterit prorogare, & mutare, quia ad eum spectat, vt vult glo. in c. vbi periculum de elect. in 6. & cap. significasti eod. tit. & supra dixi. Quia Papa solus habet plenitudinem potestatis, vt in cap. decreto cum sequen. 2. quæst. 6. cap. ad honorem de auctor. & vsu pal. & in cle. 1. vt lite penden. quæ nullis iuris vinculis subiecta est, vt d. capitulo proposuit. Et sicut Pastor habet potestatem transferendi gregem suum, prout gregi pascendo cognouerit expedire, ita & Papa, qui est Pastor vniuersalis Ecclesiæ, vt in cap. solitæ de maior. & obed. poterit transferre Concilium, per quod repræsentantur vniuersalis Christi grex, & vniuersa Ecclesia, vt sæpius dictum est. Aut prorogatio, seù translatio est allatura præiudicium, siue scandalum in vniuersali Ecclesia, quia fortè imminet periculum maxime stragis inter Christianos, ex qua infideles efficerentur potentiores ad pessundandum Christianos, vel quia malus modus viuendi, ita inualuit apud clericos, quod nisi celeriter prouideatur, sequetur scandalum in laicis, & fortè periculum in Ecclesia circa fidem, vel quia cœptum est procedi in aliquibus pro reformatione in capite. Et his, & similibus casibus dico, quod Papa non potest, neque transferre Concilium, nisi de consensu Concilij, & si faceret non esset ei à Concilio obediendum 1. qu. 7. cap. & si illa. Et hoc tenet Alexan. 15. dist. in summ. circa fin. ponens exemplum, quando Papa malitiosè vellet transferre Concilium in locum, in quo ipse haberet potentiam, & Patribus non esset libertas votandi, tunc enim esset illudere Ecclesiæ, & Spiritui sancto, qui ad subueniendum laboranti Ecclesiæ Concilium adinuenit. facit actuum. 5. 6. & 15. capitulo. Et prædicta intelligo, nisi Papa

60 per seipsum prouidisset causæ illi, propter quam congregatum erat Concilium, puta si ipsemet reduxisset clericos ad rectam normam viuendi, vel pacem composuisset inter Principes Christianos, & seipsum reformasset, nec tantùm distulisset quod pertinacia ipsius ei obesse posset, sicut dictum est in artic. quando est incorrigibilis, puta si non expectasset, vsque ad talem pertinaciam, quod haberetur suspectus de fide, & permisisset priùs formari processum, quia tunc quando consuluisset indemnitati Ecclesiæ per seipsum, ex quo haberetur id propter quod congregatum esset Concilium, satis posset Concilium non solùm prorogari, & transferri, sed etiam dissolui 11. quæstio. tertia capitulo certum, & 18. distinction. capitulo si quis autem, nisi superuenisset Concilio durante alia causa de nouo, quæ indigeret conciliari decisione, argum. capituli Pastoralis, de exceptio. & capituli insinuante de offic. delega. ff. de interroga. act. l. de ætate. §. ex causa. facit quod dicitur in l. prima, & secunda, C. de ord. cogni. & capituli tuam eodem titulo. Alioquin si expectasset formationem processus, tamquam contra suspectum de fide propter eius pertinaciam in delicto, quia fortè assereret, tale quid quod lege diuina esset prohibitum, puta committere vsuram non esse peccatum, non posset tunc transferre Concilium per dicta, ibi supra per Alexand.

61 Aut loquimur in dissolutione Concilij, Et dic, quod in omnibus illis casibus in quibus dictum est non posse Concilium differri, nec transferri, in omnibus illis non poterit dissolui, quia si de quo minus, &c. Authen. multò magis, C. de sacrosanct. Eccl. Finita autem causa propter quam Concilium est congregatum, semper in
62 potestate Papæ est illud dissoluere, & remittere Patres de Concilio in pace, vt legitur factum in Concilio Constantien. in 45. sessione. Ad Papam enim, ad quem tamquã caput, spectat congregatio, vt sæpius dictum est spectat, & dissolutio, l. iudicium, soluitur, ff. de iudi. dicta glo. in cap. vbi periculum de elect. & cap. significasti eodem titulo. Item posset absoluere Concilium, quando ipse solus per seipsum plenè prouidisset omnibus propter quæ Concilium esset congregatum, l. iudex postquam ff. de re iudi. cap. in literis de offic. dele. cum similibus. Item posset dissoluere Concilium, vbi videret ex continuatione Concilij oriri discordiam, & scissuram in Eccl. nec per prorogationem, vel translationem aliter prouideri posset. Et generaliter subsistente causa apertissimè legitima, & vtili, seu necessaria, semper Papa poterit dissoluere Concilium. Si autem nulla subesset causa dissolutionis, nec finem accepissent in Concilio deducta, propter quæ Conciliũ esset congregatum non posset illud dissol-

uere,

uere, ne congregatio fieret ludibrio, & ridiculosa,& nullum bonum exitum afferens, dicto capitulo si quis autem dist. 18. & de consecra. distin. prima, omnes, el secundo, & de pœniten. distinctione tertia capitulo incassum,& dicto capitulo certum, vndecima quæstione tertia, facit quod dicitur in capitulo primo de iudi. Et hoc etiam modo procedit, quod dicit Moder. Aretinus in locis supra allegatis.Et ex istis apparent solutiones ad contraria.

64 Et ex his quoque colligitur quanto tempore debet durare Concilium, quia debet durare vsque ad finem,& determinationem causæ, propter quam est congregatum per iura proximè adducta, & quia Princeps nihil debet imperfectum dimittere l.prima C. de Iusti.Codi.Quia nihil censetur actum cùm aliquid restat agendum l. fin. C. de ijs, quibus vt indig. septima quæstione prima nihil. 38. distinct. cap. quæ ipsis. Et imperfectum opus non nouit Deus, vt in capit. maiores. §. sed adhuc de bap.& bene text. in cap. vbi periculum, ibi donec eadē prouisio subsequatur de elect. in sexto, vbi nisi finita electione non dissoluitur conclaue. Magis enim deliquit,qui interruptam causam dimisit, quàm qui nunquam ad causam peruenit,vt in authentico de litigi. §. omnem colla. 8. Et melius est non incipere, quàm ab inceptis turpiter desistere, l. inter omnes C. de prædijs mino.Et quod quis non cogitur incipere, postquam incœpit cogitur consummare, l. 3. §. primo, ff. de arbi. l. incommodato, §. sicut, ff. de commoda. l. si fideicommissum, ff. de iudi.

SVMMARIVM.

1 *Concilium quod sit supra Papam, & numero* 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64.

ARTICVLVS VII.

1 DEinde quæritur, an Concilium sit supra Papam. Et videtur dicendum, quod sic, quia Concilium deponit Papam pertinacem dist. 40. si Papa,ponit Ioannes Ant. post Archi. in cap. in fidei de hære. in 6. Idem Archi.post Hugo.in capit.nunc autem super glo. sed videtur 21. dist. Ad hoc capit. Anastasius 19. di. & cap. Achatius 24. qu.1. & cap. si duo 79. distinct. in quibus iuribus Concilium iudicat Papam. Facit quod notat Hostien. in summa de accusa. §. quis accusari potest vers. excipi-
2 tur vnum. Secundò facit quod Concilium cognoscit de causa Papæ 2. qu. 4. c. mandastis, imò & Imperator cognoscit de causa Papæ ead. causa qu.7. cap.nos si incompetenter igitur Papa subijcitur Concilio. Idem in casu schismatis, vt d. cap. si duo. 79. dist. & bo. glos. in cap. si fortè dist.63. quæ allegando d. capit. si duo, vult quod ratione scandali sit vtraque electio de duobus facta cassanda, quod intelligit per Concilium iungendo glos. in d. cap.si duo quæ dicit, quod Concilium est iudex quando duo contra fas reperiuntur electi. 2.q.7. nos si incompetenter §. item Symmachus, & 21. distinct. cap. nunc autem distin. 17. §. hinc etiam 2. qu. 4. cap. auditum qu.2. cap.7. si quis super his cum simil. in quibus Concilium iudicat de Papa, quod non faceret si non esset maius. Et 2. q.7. capitulo sicut inquit, vbi dicit glo. quod Concilium iudicat de Papa, & maximè in causa fidei, vt in cap. si Papa dist. 40.Et ostendit tex. act. 12. cum esset orta quæstio de legalium obseruatione,in qua omnes Apostoli Conciliariter iudicarunt, & non solus Petrus. Non obstat tex. 24. qu.1. cap.quotiens, & de bap. maiores, quia licèt dicat causas fidei ad Petrum referendas, non per hoc excludit Concilium generale, sed inferiores, vt in simili facit tex. 18. qu. 2. cap. nullum, vbi dicit text. quod ad Abbatem spectat tota potestas monasterij, & tamen per hoc non excluditur potestas superioris, id est Episcopi, sed inferiorum idest monachorum. Ad idem faciunt illa, quæ ponuntur infra in 33. contrario. Tertiò
3 facit, quod orbis est maior vrbe, 93.distin. cap. legimus, vbi glos. sumit argumentum, quod sententia Concilij præferenda est sententiæ Papæ. Igitur maius est Concilium,quod repræsentat totum orbem
4 ipso Papa. Quartò probat glos. in c. sicut. 15. dist. & gl. in cap. proposuit de concess. præben. & glo. in c. sunt quidam 25. q. 1. vbi glo. videntur velle, quod Papa in ijs, quæ concernunt vniuersalem Ecclesiam nō dispensat,nec ea tollit. Ergo maior est vniuersalis Ecclesia, & consequenter Concilium, quod repræsentat vniuersalem Ecclesiam, vt est tex. in cap. si quis presbyter. 2. quæstione quarta, & in capitulo significasti per Abb de elect. Et ponderanda sunt verba tex. in d. capit. sicut cum dicit quia in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit, & cuiuslibet vitæ, atque actionis norma consistit, quæ verba non solùm concernunt venerationem Conciliorum in causa fidei, sed etiam in omnibus concernentibus salutem animarum, & sunt verba sancti Gregorij. Ex quibus verbis innuitur, quod Papa debet venerari Concilium, non solùm in ijs, quæ concernunt fidem, sed etiam in ijs, quæ concernunt salutē animarum. Vnde ex textu, met videtur innui, quod maius sit Concilium quàm Papa. Nec videtur quod possit dari ratio aliqua diuersitatis, quare si Papa est caput Ecclesiæ vniuersalis possit iudicari à Concilio in causa fidei magis, quàm in alijs concernentibus reformationem, & normam viuendi, nam quando Christus præfecit Petrum cæteris Apostolis, 24. q. 1. cùm beatissimus, & infra latè ostenditur, non apparet fecisse hanc exceptionem, quod in causa fidei esset inferior.Igitur aut sit superior quo ad omnia, aut sit superior quando seruat rectam normam viuendi.
5 Quintò probatur, quia videtur quod Papa recipiat potestatem ab homine, hoc est ab electione Cardinalium, vt in cap. licèt de elect.

elect. & in cap. in nomine Domini dist.23. cum simil. Sed Concilia recipiunt eam à Deo, vt patet in Concilio Constantien. in primo capit. quartæ sessionis. Ad hoc text. in cap. violatores 25. q. 1. & 24. q. 1. cap. maiores, & tex. in cap. si quis Diaconus 50. dist. vbi dicit quod gesta à Sanctis Patribus in Concilio, censentur decreta instinctu Spiritus sancti. Ad idem facit quod dicitur de Rege Franciæ, quod confirmat electionem Papæ, vt in cap. Adrianus el 2. dist.63. confirmare autem est proprium superioris, vt in cap. nihil cum simil. de elect. Bal. in l. fi. C. de ll. Hostien. in capit. 1. de locato in verbo confirmatam. Si autem hoc est in Rege Franciæ, multò magis idem dicendum est de Concilio, quod est maius, argum. authen. multò magis, C. de Episcopis, & cle. Accedit ad idem text. in d. cap. sicut 15. dist. vbi Papa sequitur statuta Concilij, & illa, quæ per illa statuta sunt dicit se amplecti, & quæ respuunt respuere subiungens, quia dum vniuersali sunt constituta consensu, se & non illa destruit quisquis præsumit absoluere, quos ligant, aut religare, quos absoluunt. Ergo Papa tenetur seruare statuta Concilij, nec est solutus legibus Concilij, ergo est minor Concilio, quia superior non ligatur statuto inferioris cap. cùm inferior, cum vulgaribus, de maio. & obe. Et probatur. act. 15. & infra in 10. motiuo latiùs dico, & ille tex. sumitur ex primo lib. regist. Grego. cap. 24. Item tex. Papæ Zozimi in cap. contra decreta 25. quæst. 1. dicit contra decreta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem sedis potest authoritas, vnde ibi videtur text. quod Concilia, & eorum decreta sunt maioris auctoritatis, quàm Papa. Ad idem tex. in cap. confidimus, ibi vniuscuiusque Synodi constitutum nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere quàm primam, & text. in cap. ideò & tex. in cap. quæ ad perpetuam, & in ca. prima, & cap. à sanctis, eadem causa, & q. in quibus patet, quod etiam Papa debet seruare statuta à Sanctis Patribus ædita. Et de pluribus iuribus his similibus infra in 26. oppositione, & maximè quia aliud, & maior est sedes Apostolica, quàm Papa, qui habet seruare eius decreta facit cap. si gratiosè de rescript. in 6. Sextò facit au-
6 thoritas Ioa. Mo. in cap. super eo de hære. in 6. vbi vult quod Papa non possit aliqua ardua ex se facere sine consensu Cardinalium, & propterea multa fuerunt cassata per Bonifacium, quæ fuerant facta per Cœlestinum prædecessorem eius, quæ fuerant facta sine consensu Cardinalium. Ergo authoritas Papæ, quæ subijcitur consensui Card. quia minùs libera, quàm ipsius Concilij videtur inferior ipso Concilio. Septi-
7 mò facit ratio, quia omne totum qualibet sua parte maius est; sed Papa est pars Cõcilij, nam Papa tripliciter dicitur caput primò videlicèt Ecclesiæ vniuersalis, ex quo dicitur summus Pontifex, secundò respectu Ecclesiæ Romanæ, ex quo appellatur Romanus Pontifex, tertiò est caput Concilij, vt in capitulo significasti, de electione, sicut caput est pars corporis. Igitur totum Concilium est maius Papa, & consequenter totius Concilij authoritas est maior authoritate Papæ. Vnde dicit Sanctus Hieronymus scribens ad Euandrum in cap. legimus 93. dist si auctoritas quæritur, orbis maior est vrbe. Qua propter glo. ibi sumit argumentum, quod statutum Concilij, præiudicat statuto Papæ. Quod pulchre ostendit Gregorius in 4. lib. registr. epistola 92. circa medium, scribens Ioanni Episcopo Constantinopolitano, & dicens, certè Petrus Apostolorum primus, membrum sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ est, Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm singularum sunt plebium, capita, & tamen sub vno capite omnes membra sunt Ecclesiæ, atque vt cuncta breui cingulo locutionis astringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiæ constituti. Accedit, quod Ecclesia Romana, quæ repræsentatur per Papam, est vna de particularibus Ecclesijs vniuersalis Ecclesiæ, vt in dicto cap. legimus, & in cap. quamuis 21. distinctione. Vnde text. in cap. Nouatianus 7. quæ prima, dicit quod vna est Ecclesia per totum mundum in multa membra diuisa. Ad idem 24. qu. 1. cap. loquitur, & in cap. quæ dignior dicit, quæ dignior domus Apostolicæ prædicationis ingressu, quàm sancta Romana Ecclesia. Sic, & Romanus Pontifex licèt sit singularis, & eminentior in Ecclesia, tamen de vniuersali Ecclesia est vt concludit gloss. in capit. eccc, dist. 99. Item est vniuersalis Ecclesiæ membrum, quamuis dignius, vt in cap. significasti de elect. Plurimum enim interest inter dicere Papam esse maiorem in Ecclesia, vel maiorem Ecclesia, nam in primo dicto est comparatio partis ad alias partes Ecclesiæ, in secundo autem est comparatio ad totum corpus, ita etiam videtur dicendum quo ad clauium potestatem in Beato Petro Apostolo, in quo Christus eam principaliter collocauit, nam verbum illud principaliter refertur ad alios Apostolos prout singulariter, considerantur, & concluditur, quod Petrus est maior quolibet eorum, sed non sequitur, ergo omnibus maximè consideratis, vt sunt congregatio fidelium, quæ est ipsum totum corpus. Ad quod etiam facit quod dicitur infra 27. contrario. Octauò
8 facit, quod legitur act. 1. 6. 8. 15. & 21. vbi in omnibus gestis Apostolorum licèt essent conciliariter congregati, numquam aliquid gestum fuit nomine Petri, quamuis ipse fuerit præsens. Vnde, & Iacobus non à solo Petro, sed cum Apostolis ordinatus est Episcopus dist. 66. cap. primo §. de Episcopis, & in electione Matthiæ non solus Petrus, sed omnes fuerunt, vt legitur act. 1. & in cap. non statim, & in cap. non exemplo, 26. qu 2. vnde etiam non dicitur statuit Petrus sed statuerunt, quæ omnia arguunt Concilium fuisse supra Petrum. Sicut in simili videmus, quod quando aliquid fit in Concilio auctoritate Papæ, adscribitur Papæ, vt in cap. 1. & in cap. non satis de simo. & in cap. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. & in capit. vbi periculum de elect. cod. lib. cum simi-

similibus multis. Similiter cùm congregato cœtu fidelium ageretur de legalibus veteris testamenti seruandis, vel non, quæ erat quæstio tangens fidem Iacobus Episcopus Ierosolymitanus tulit sententiam, dicens, ego iudico, vt patet act. 15. quod non fecisset Petro præsente, si Petrus habuisset primatum. Et sic etiam factum est cum elegerunt viros boni testimonij, qui diaconorum officium exercerent, vt scribitur act. 6. cap. & 93. dist. cap. diaconi, & distinct. 21. cap. decreto. Quinimmò, quod plus est, Concilium misit Petrum, & Ioannem act. 8. ad quod text. in cap. 1. de sacr.vnct. Et considerandum, est quod duo sunt missi, si autem Petrus fuisset maior non fuisset missus, & sub nomine eius omnia fuissent conscripta, cuius contrarium ibi apparet. Ad quod facit illud Ioann. 13. cap. non est seruus maior Domino suo, neque Apostolus maior eo, qui misit illum. Nec dicatur quod missus fuerit consultiuè, sicut quis mittitur ad bellum, quia copula & ostendit, quod cum pari potestate Petrus, & Ioannes fuerunt missi. Similiter in diuisione possessionum non solus Petrus fuit, vt patet Act. 4. & 12. quæst. 1. capit. dilectissimis. Quinimmò in dicto cap. 15. vbi Iacobus iudicauit, dicitur, visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra vobis imponere. Ex quo ostenditur, quod illud, quod fit per Concilium fit instinctu Spiritus sancti. Et quod Spiritus sanctus præsit Concilio, facit text. in capitulo violatores, 25. quæst. 1. & 50. dist. capit. si quis Diaconus, & 25. qu. 2. capit. igitur. Et pro ista parte faciunt, siue hoc confirmant omnia illa iura, quæ dicunt, quod Synodus statuit, quæ sunt relata supra in quæstione, sub cuius nomine sit edenda constitutio in Concilio. Nonò facit quod Pa-
9 pa potest errare sicut quælibet alia priuata persona, vnde dicitur ad hebræ. 5. omnis Pontifex circumdatus est infirmitate, id est pronitate peccandi, sicut & Petrus errauit, vt patet ad Galat. 2. & quod dicitur in cap. Paulus il 2. secunda quæst. 7. & §. item Paulus eadem causa, & quæst. Sed Concilium, hoc est Ecclesia per Concilium repræsentata non potest errare, vt in cap. à recta, 24. qu. 1. ipsa enim firmam, & stabilem veritatem continet, vnde dicitur 1. ad Timoth. 3. hæc autem scribo, vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui columna, & firmamentum veritatis. Facit quod id quod Christus dixit Petro Luc. 22. & transsumptiuè cap. maiores de baptism. ego pro te oraui, vt non deficiat fides tua, non fuit dictum de fide personali Petri, qui defecit in fide, quando eum negauit, sed de fide vniuersalis Ecclesiæ, vnde, & Matth. 16. dicitur, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, scilicet Ecclesiam, & non dicitur non præualebunt aduersùs te. Et idem manifestè ostenditur ex matrimonio spirituali inter Christum, & Ecclesiam. Vnde Apostolus ad Eph. 5. dicit, nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam, sicut, & Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius, de carne eius &, de ossibus eius, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Ex quo patet perpetua vnio Ecclesiæ cum Christo, qui cum non erret, nec ipsa potest errare. Vndè dicit gloss. in dicto cap. à recta 24. qu. 1. quod cum dicitur, quod Ecclesia non potest errare non intelligitur de Papa, quia potest errare, item quia nomine Ecclesiæ non venit vnum solum, sed multa membra differentia virtute, & operatione, quod patet ad Ephes. 1. ad Colos. 1. ad Rom. 12. primæ ad Corinth. 12. & 1. ad Timoth. 3. item Matth. 16. & 18. Vnde dicitur de Ecclesia, quod est congregatio fidelium, de consecr. dist. 1. capit. Ecclesia, quæ per Concilium repræsentatur, vt in capit. significasti ibi Abb. de elect. & vltima bulla Martini in Concilio Constantien. adepta est enim Ecclesia perpetuam, & ineffabilem firmitatem, cùm dictum illi fuit super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Si autem posset errare, non esset firma, & portæ inferi præualerent aduersùs eam, nam portæ inferi sunt vitia, & hæreses secundùm Hieron. Et ista vniuersalis Ecclesia est, de qua dicitur, quod non potest errare, Romana autem Ecclesia benè possit errare, vt dicit Ioannes Andreas in cap. à nobis il 2. de senten. excom. facit quod dicitur in capitulo pudenda, 24. qu. 1. Alioquin si Ecclesia posset errare, desineret esse sancta, hoc autem est impossibile, quod patet ex symbolo, ibi, & vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, cum enim ipsa regatur à Spiritu sancto, quin non potest errare, consequenter nec ipsa. Quod autem regatur à Spiritu sancto, patet Ioann. 14. ego rogabo Patrem meum, & alium paracletũ dabit vobis Spiritum veritatis. Item, paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Item Ioann. 16. adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Et quod sit perpetuò mansurus Spiritus veritatis in Ecclesia, constat, quia vbi supra Ioann. 14. Dominus dicit, ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest capere, quia non videt, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Hoc autem de Apostolis solùm dictum intelligi non potest, quia ipsi non mãserunt in hoc mundo in æternum. Vndè pro Ecclesia dictum intelligi oportet. Decimò facit, quod vna
10 est fidelium vniuersalis Ecclesia extra quã nullus omninò saluatur, in qua Christus est sacerdos, & sacrificium, vt dicit text. in cap. firmiter in §. vna de summa Trinitate. Vndè inquantum Papa, sicut nec quiuis alius non saluatur extra Ecclesiam vniuersalem, patet, quod vniuersalis Ecclesia est maior, & dignior Papa, & quocumque

alio membro ipſius Eccleſiæ, arguendo à dignitate Saluatoris ad dignitatem ſaluati, & ſic inferioris, ſicut argui poteſt à dignitate creatoris ad dignitatem creaturæ, quæ minor eſt dignitate ipſins creatoris. Nec dicatur hoc intelligi, vt quidam confinxerunt, de primitiua Eccleſia, quæ tota erat ſpiritualis, & non de moderna, in qua eſt pompa vanitatum, & temporalium ambitio, & ferè in totum abiectus cultus diuinus, adijcentes à multo iam tempore ſpiritualem Eccleſiam defeciſſe, & carnalem regnare, cùm Chriſtus dixerit ſe cum illa manſurum vſque ad conſummationem ſeculi, vt patet Matth. vlt. quia vt dicit text. in capit. pudenda 24. qu. 1. & ibi Archid. nulla hominum malitia, etiam ſi ab Eccleſia toleretur, valet Eccleſiam extinguere. Et text. ibi clarè probat cum dicit, quod ſi nullo modo rectè poteſt dici Eccleſia, in qua ſchiſma eſt, reſtat, vt quoniam Eccleſia nulla eſſe non poteſt, ea ſit, quam in Apoſtolicæ ſedis per ſucceſſores Epiſcoporum radice conſtitutam, nullorum hominum malitia, etiam ſi nota excludi non poſſit, ſed pro temporis ratione toleranda iudicetur, vllo modo valeat extinguere. Et quod dicitur de Eccleſia vniuerſali debet dici de Concilio generali in Spiritu ſancto legitimè congregato, & Eccleſiam vniuerſalem repræſentante, attento quod præeminentia, & honor, qui debentur repræſentato, debentur repræſentanti illius vices gerenti diſt. 97. capitulo nobiliſſimus, & de offic. delegat. capitulo cum olim il 2. ibi gloſs. 2. quæſt. 5. capit. habet in fin. & 93. diſtinct. cap. fin. in fin. 2. qu. 7. cap. accuſatio gloſs. in capit. cum voluntate de ſenten. excom. cum ſimilibus. Quod autem per Concilium repræſentetur vniuerſalis Eccleſia, ſatis ſupra pluries dictum eſt. Et habetur in Concilio Conſtantien. in decreto quartæ ſeſſionis, cuius verba ſunt, quod ipſa Synodus in Spiritu ſancto congregata legitimè generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet. Et hoc etiam probatur act. 15. vbi dicitur, placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia, &c. & tamen clarum eſt, quod ibi non erat vniuerſalis Eccleſia, & acta illius Concilij etiam attribuuntur Spiritui ſancto, cum dicitur, placuit Spiritui ſancto, & nobis, &c. & dixi ſupra in 8. contrario. Quod autem Concilium habeat poteſtatem à Chriſto, probatur Math. 18. tranſſumptiuè in cap. audiuimus 24. qu. 1. & in cap. de quibus diſt. 20. vbicumque duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo in medio eorum ſum. Quod, & declarat Chalcedonenſe Concilium in 10. actione cum dicit, ſi enim Dominus duobus ſimul Epiſcopis promiſit ſe intereſſe, quantò magis pluribus? Idem probatur ex geſtis in octaua Synodo, vbi Patres Concilij damnantes dixerunt, Photium reſiſtentē, & inobedientem, huic vniuerſali Synodo repulimus, & anathematizauimus, atque à tota Catholica, & Apoſtolica Eccleſia fecimus alienum, per datam nobis poteſtatem in Spiritu ſancto à primo, & magno Pontifice noſtro, & Deo liberatore, & Saluatore cunctorum. Item quia Chriſtus dixit Apoſtolis ſimul congregatis, quæcumque ligaueritis ſuper terram Matth. 18. in quorum locum ſuccedunt Epiſcopi ſimul in Concilio congregati, cap. in nouo 21. diſt. cap. Eccleſiæ diſt. 35. Item probatur ex illo Ioann. 20. accipite Spiritum ſanctum. Item ex illo Deuter. 17. de quo in capitulo per venerabilem, qui filij ſint legit. ſi difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, &c. venies ad ſacerdotes leuitici generis, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vbi gl. interli. dicit hoc quoque in Eccleſia ſeruandum eſſe. Per eum autem locum in Eccleſia, aptiſſimè intelligitur locus Concilij, & per eum, qui præeſt loco præſidentes in Concilio. Item in epiſtola vniuerſalis Synodi Conſtantinopolitanæ poſita in vltima actione ipſius Synodi dicitur, quis enim neſciat, quod in medio huius ſanctæ, ac vniuerſalis Synodi fuit Chriſtus ac Dominus noſter, qui dicit, vbi ſunt duo, vel tres in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, &c. Item pſalm. 81. dicitur. Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, id eſt Prælatorum, & iudicium, in medio autem Deos deijudicat, ideſt iudices, & Prælatos conciliariter congregatos. Quod autem Dij vocentur Prælati, inſinuant ſequentia verba, ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes, dirigens verba ſacerdotibus. Vndè pſalmo, 109. vocantur Chriſti Domini, cum dicit nolite tangere Chriſtos, ideſt vnctos meos. Ad idem text. in cap. futurum, & cap. ſcimus 12. qu. 1. Idem text. in capit. cum ex iniuncto de hæreticis, ibi dijs non detrahes, & in dicto capit. futuram, dij enim vocati eſtis, & ideo non poteſtis ab hominibus iudicari. Hoc idem, quod Spiritus ſanctus ſit in Concilio, oſtendit etiam Iſidorus in lib. Conciliorum in geſtis tertiæ Synodi Toletanæ, vbi ponens verba Cæleſtini Papæ dicit, valde neceſſarium eſſe perſpexi veſtram in vnum conueniſſe multitudinem, habens ſententiæ diuinæ fidem, quæ dicit, vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, & cap. credo enim beatam ſanctæ Trinitatis diuinitatem intereſſe huic ſacro Concilio, & ideò tamquam ante conſpectum Dei in medio veſtrum fidem meam protuli. Et Celeſtinus Papa in epiſtola ad Synodum Epheſinam dicit Spiritus ſancti præſentiam indicat congregatio ſacerdotum, nec ibi putandum eſt deeſſe Trinitatem, quæ ſanctificat Concilium, & ſanctum reddit. Cum ergo Papa ſubijciatur ſpiritui ſancto, & legi diuinæ, vt in cap. ſunt quidam 26. quæſt. 1. ſequitur, quod ſubijciatur Concilio, cuius poteſtas eſt à Spiritu ſancto. Vn-
11 decimò facit, quod licèt Petrus Apoſtolus primus Papa appropinquante tempore ſuæ paſſionis ſibi elegiſſet in Sede Apoſtolica ſucceſſorem Clementem, Concilium generale Apoſtolorum Eccleſiam vniuerſalem repræſentans, conſiderans hoc ad bonam politiam Eccleſiæ non conuenire, electionem per Petrum de perſona Clementis factam per modum reformationis reprobauit,

uit, & Linum, & postea Cletum Petri successores in administratione Papatus ordinauit, vt patet in chronicis, hoc quoque vniuersalis Ecclesia approbauit, & tolerauit, quod non fecisset, si Concil. generale non esset supra Papam. Nec obstat cap. si Petrus 8. quæst. 1. quoniam verba illius text. intellecta secundùm gloss. non faciunt contra. Nec obstat, quod dicit ibi gloss. de Clemente, quod renunciauit, quoniam ideò renunciauit, quoniam Conciliũ Apostolorum electionem per Petrum factam tamquam non conuenientem statui Ecclesiæ, reprobauit, & deinde Linum in Romanum Pontificem elegit, quod non fecisset si supra Petrum potestatem non habuisset, qui qua ratione non habuisset potestatem reprobandi dictam electionem eadem non habuisset potestatem eligendi Linum, & deinde Cletum. Non obstat, quod aliqui dicunt in dicto capitulo si Petrus, quod Ecclesia tunc non erat congregata, quoniam quod tunc publicè non congregaretur, erat propter metum infidelium, vt patet act. 12. vbi dicitur, quod oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Ex quo apparet, quod bene congregabatur, licèt non publicè, pro hoc text. in cap. sexta distinct. 16. Duodecimò facit,
12 quod dicit Beatus Gregorius in registro lib. 4. cap. 92. scribens Episcopo Constantinopolitano circa fin. vbi post allegatam auctoritatem illam Euangelij, si peccauerit in te Frater tuus &c. Matth. 18. dicit ego itaque per responsales meos semel, & bis verbis humilibus hoc, quod in tota Ecclesia peccatur corripere studui, nunc per me scribo, quicquid facere humiliter debui, non omisi, sed si in mea correptione despiciat, restat vt Ecclesiam debeam adhibere. Ecce quod ipsemet Papa denunciat Ecclesiæ, ergo ad eam tamquam ad maiorem recurrere velle ostendit. Ad idem est text. in cap. præcipuè 12. quæst. 3. qui est text. Nicolai Papæ, qui monens Lotharium Regem, vt communionem Gualdradæ pellicis eius excommunicatæ vitet, inquit, cęterùm præcaue, ne quando nobis secundùm Domini præceptum duos, aut tres testes adhibeamus, immò verò hoc sanctę Ecclesiæ dicamus, & quod non optamus de cætero fias cunctis, sicut Ethnicus, & publicanus. Ad idem multum clarè text. in cap. ecce dist. 99. sumptus ex lib. 7. registri capit. 30. vbi Gregorius scribens Eulogio Patriarchæ Alexandrino ostendit se minorem Ecclesia vniuersali, & quod in solo Papa repræsentatur vniuersalis Ecclesia. Et ad propositum ibi dicit, vobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit, præbetur Et subiungit, nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco, meus namque honor, est honor vniuersalis Ecclesiæ. Et infra, si enim vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersũ. Ad idem est Gregorius in lib. 4. registri capit. 79. scribens Mauritio Augusto. Idem etiam eodem lib. capit. 80. in epistola ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, & Anastasium Episcopũ Antiochenum. Idem quoque eodem libro cap. 92. in epistola ad Ioannem Episcopum Constantinopolita-
13 num. Tertiodecimò facit, quod legitur in Concil. 8. Constantinopolitano, vbi dicitur, quod si Synodus vniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romana Ecclesia quæuis ambiguitas, & controuersia, oportet venerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere & proficere, aut profectum facere, non tamen sententiam audacter dare contra summos senioris Romæ Pontif. ex quo patet, quod Synodus vniuersalis aduersùs Romanum Pontificem possit sententiam ferre, dummodo cum conuenienti reuerentia non audacter. Ergo patet, quod Synodus, quæ iudicat Papam est superior. Et ad hoc est text. in cap. si Papa iuncta gloss. dist. 40. & in cap. si duo cum gloss. & in cap. si quis pecunia dist. 79. Quarto-
14 decimò facit, quod in Concilio Constantiens. Martinus approbante eodem Concilio condemnans articulum illum non esse de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse superiorem inter alias Ecclesias, dicit erroneum articulum, si per Romanam Ecclesiam intelligatur vniuersalis Ecclesia, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares. Ex quo apparet, quod Concilium legitimè congregatum est supra omnes Ecclesias, rectores illarum, & consequenter supra Pa-
15 pam. Quintodecimo facit, quod legitur act. 15. vbi cùm quæstio fieret super obseruatione legalium inter Apostolos in Concilio, tunc Petrus volens dare votum surgens ait, &c. Ex quo patet, quod Petrus in signũ reuerentiæ, assurexit, quia assurgere est signũ exhibitionis reuerentię, vt dicit gloss. dist. 94. in summa. Ex quo videtur, quod Concil. Apostolorum fuerit superius Petro. Ad idem facit secunda quæstione septima capitulo Petrus, & act. 11. vbi Petrus accusatus, quod iuisset ad viros præputium habentes, & manducasset cum illis, in conspectu Apostolorum Ecclesiam repræsentantium se purgauit. Vnde dicit ibi text. in d. cap. Petrus, quod non ex potestate officij sui, qua dicere potuisset, oues pastorem suum non accusent, sed ex auctoritate diuinæ virtutis, qua gentiles acceperant Spiritum sanctum respondit, quasi dicat se excusauit virtute diuinæ auctoritatis quæ est si peccauerit in te frater tuus, &c. Et non declinauit iudicium prætextu plenitudinis pastoralis officij, licèt ibi Gratianus aliter exponat, & fortè minus benè. Ad idem facit, quod Papa dicitur minister Christi, & Ecclesiæ Sponsæ eius, vt in cap. quodcumque 24. quæst. 1. Si ergo Ecclesia est domina, sequitur quod sit maior ministro suo. Ad quod est illud, quod legitur Lucæ 22. maior est qui recumbit, quàm qui ministrat. Cum ergo Papa sit Minister, & Ecclesia sit illa quæ recumbit, sequitur, quod Ecclesia est maior Papa, & consequenter Concilium. Et facit magis ibi textus, nam cum esset orta contentio quis eorum esset maior, non fuit tunc designatus maior Petrus, & frustra fuisset orta talis discordia, si Petrus fuisset maior cæteris Apostolis.

lis. Ad idem est quod Matth. 23. dicitur omnes vos fratres estis, & Patrem nolite vocare super terram, vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est, nec vocemini magistri: quia, Magister vester vnus est Christus, qui maior est vestrum, erit minister vester, & cæt. Ecce quod noluit alium esse præpositum, quàm Christum, sed voluit omnes esse æquales. Et consideranda sunt illa verba, quia dicta fuerunt ad reprehensionem ambitionis Scribarum, & Pharisæorum, qui volebant habere primos recubitus in cœnis, primas cathedras in synagogis. Vnde Christus, vt dicit ibi gloss. ordin. duplici ratione ab his cauere iubet, ne eorum simulatione seducamur, & ne æmulatione inflammemur, propterea non vult aliquem ex discipulis suis vocari Rabbi, quia vnus est omnibus illis magister Christus, sed vult vt omnes vocentur fratres, quasi in materia generatiua scandali omnes æqualiter habeant subire iudicium, vt qui primatum ambit etiam si sit maior, fiat minister aliorum, ac si dixisset, quod cæteri alij iudiciam de illo facerent, ipse tamquam minister iudicium subiret. Inde est vt dicit gloss. Nicolai ibi quod Papa se nominat seruum seruorum

16 Dei. Sextodecimò facit, quod Hilarius Papa cum congregato Concilio constitutionem contra vitia edidisset, voluit, vt deinceps illa tenaciùs custodiretur, Synodus sententiam, & propriam subscriptionem, accommodaret, vt Synodali iudicio aditus clauderetur illicitus. Ita dicit text. in cap. quod quis 35. quæst. 9. Ex quo apparet, quod Papamet dicit iudicium Synodi potentius, & firmius quàm suum, tamquam supremi tribunalis.

17 Decimoseptimò sunt plures auctoritates sacræ scripturæ. Et primò Matth. 18. Veritas dixit Petro, si peccauerit in te frater tuus &c. Deinde sequitur dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. In qua auctoritate præcipitur Petro dicat Ecclesiæ, ergo Ecclesia est maior Petro, & consequenter Concilium. Ad quod facit, quod Albertus Magnus, illud dic Ecclesiæ, exponit, id est Prælato, vel Synodo. Et Ioann. Chrysost. inquit dic Ecclesiæ, id est ijs, qui præsident Ecclesiæ, vt maiorem erubescentiam patiatur, vel dic Ecclesiæ, idest Concilio, quod repræsentat Ecclesiam, secundùm Archid. in capit. præcipuè, 11. quæstion. 3. Ad quod facit, quod Concilium iurisdictionem exercet nomine Ecclesiæ excommunicando, definiendo, vel statuendo, vt in cap. certum, 11. quæstion. 3. & in cap. Osius, de elect. & in capit. 1. de sponsal. & in capit. si quis Episcopus, de hæret. & in capit. 1. de iudic. Ex quo apparet, quod sit bona expositio gloss. in capit. in nouo distinct. 21. & illorum, qui voluerunt, quod solus Petrus receperit potestatem iurisdictionalē, alij verò Apostoli parem potestatem in ordine, quia contrarium innuunt verba Saluatoris, cum dicit, Dic Ecclesiæ; quæ verba apertè sapiunt iurisdictionem contentiosam, nàm priùs monuit, vt inter se, & ipsum solum corriperet, & deindè adhiberet vnum, vel duos, vt in ore duorum, &c. insinuans, quod per testimonium duorum est posteà conuincendus coram Ecclesia. Et ex verbis, quæ subsequuntur, videlicet si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, apparet, quod est iudicium vniuersale, quia neminem excepit à iudicio Ecclesiæ; sed voluit iudicium Ecclesiæ esse supremum. Et cùm verba dirigantur in Petrum, & loquatur per verbum Frater, apparet, quod nec Papam excepit, quia & ipse dicitur Frater. Vide in capit. ecce ibi Doct. dist. 99. & patet Lucæ 22. & ibi vos omnes fratres estis, act. 1. viri fratres; & ipse dicit Pater noster, &c. Et hoc tenuit gloss. in cap. nemo dist. 9. qu. 3. quæ dicit, quod cùm Papa peccat potest eius peccatum Ecclesiæ denunciari. Et idem in cap. si Papa dist. 40. Et hoc videtur clarum, nàm in Constantien. Concilio ità fuit tentum, quia iudicauit de Papa. Vndè aliter dicere esset arguere illud Concilium de hæresi. Accedit, quod vt ostenderetur illa auctoritas dic Ecclesiæ intelligenda etiam de Papa, & de Prælatis singulariter, sicut videtur velle gloss. subijcitur, amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Vndè manifestè apparet illud dictum omnibus Apostolis, per quos tunc vniuersalis Ecclesia repræsentabatur. Et hoc sentit sanct. Thom. in secunda secundæ quæst. 33. artic. 4. Et quod ità debeat intelligi dicta auctoritas etiam in Papa, ostendit Gregor. libro 4. registr. in epist. 92. in fin. directa contra Constantinopolitanum Episcopum, qui se vocabat vniuersalē Episcopum. Dicit enim de seipso sic: [Et nos quidem, in quos talis, tantaque per ausum nepharium culpa committitur, seruamus, quod veritas præcepit, dicens, si peccauerit in te frater tuus, &c. ego itaque per responsales meos semel, & bis verbis humilibus, hoc quod in tota Ecclesia peccatur corripere studui, nunc per memetipsum scribo, quicquid humiliter facere debui, non omisi; sed si in mea correptione despiciar, restat, vt Ecclesiam debeam adhibere.] Ecce, quod Ecclesia est supremum tribunal in terris, cùm Papa pro iustitia ministranda ad illā recurrat, sicut & in defectum Papalis auctoritatis recurritur ad Concilij auctoritatem. Et circa medium dictæ epistolæ hoc ostendens dicit Petrus Apostolorum primus, membrum sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ est, Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita? Et tamen sub vno capite omnes membra sunt Ecclesiæ, atque vt cuncta breui cingulo locutionis astringam, sancti antè legem, sancti sub lege, sancti sub gratia omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiæ constituti. Per quod ostenditur, quod caput Ecclesiæ est Christus, & Papa membrum Ecclesiæ, ex quo patet Ecclesiam esse maiorem Papa. Fortiùs etiam per dicta verba ostenditur, quod nusquam reperitur dictum, quod post iudicium Ecclesiæ remaneat iudicium Petri, vel Papæ, sic quod à iudicio Ecclesiæ sit ad Papam recurrendum, sicut è conuerso. Et clariùs ostenditur, quia cum dicit,

cit, quod si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, ostendit, quod non est aliud superius iudicium, ad quod post Ecclesiam possit recurri, alioquin dixisset, quod si Ecclesiam non audierit, recurre ad Papam; & omninò, quia iudicium Papæ non est supra Ecclesiam, sic dixit, post habitum autem recursum ad Ecclesiã tibi sit, sicut ethnicus, & publicanus, non enim statim post iudicium Ecclesiæ esset habendus vt publicanus, si posset adhùc recurri ad iudicium alterius.

18 Decimooctauò facit, quod verba dicta Petro, quæ denotant præeminentiam, pro maiori parte toti etiam Ecclesiæ, seu eius nomine dicta fuere, vt patet Matth. vlt. data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra, [Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.] Quæ verba non soli Petro, sed omnibus dicta sunt. Et iterùm ibid. dicto cap. vlt. loquens omnibus Apostolis simul congregatis, dixit [Ego vobiscum sum vsque ad consumationem seculi.] Quæ verba, secundùm Origenem, numquàm Christus dixit, nisi Apostolis simul congregatis, & dixit vobiscum sum, & non dixit Petro tantùm tecum sum. Item Io. 20. insufflauit, & dixit eis, [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.] Et quorum retinueritis retenta sunt. Quæ verba dicta fuerunt à Christo omnibus Apostolis. Item, vt supra tactum est, quod dicitur Luc. 22. [Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua,] intelligitur de fide Ecclesiæ, quia Ecclesia in fide numquàm deficiet, & non de fide Petri, qui defecit in fide. Et hoc esse verum ostendit Io. 17. cùm dixit, [Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos.] Et infrà, [Non pro eis autem rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, &c.] Item Marc. 3. dicitur, quod dedit Apostolis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmones. Et Luc. 10. reuersi à prædicatione septuaginta dixerunt, etiam dæmonia subijciuntur nobis. Item Ioann. 20. volens Christus post resurrectionem confirmare potestatem datã Ecclesiæ in personis Apostolorũ, dixit [Sicut misit me Pater & Ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum.] Vbi non dixit mitto te Petre, sed mitto vos, & hoc cum eadem potestate, qua miserat eum pater. Vndè Leo Papa in quodam sermone de Apostolis, tractans illud Matth. 16. tibi dabo claues, dicit, transiuit in alios Apostolos ius istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit, Petro enim, hoc ideo singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur, item Matth. 10. dicitur Apostolis, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate 24. qu. 1. audiuimus. Vnde cùm Dominus dederit omnibus discipulis parem potestatem, Petro pro omnibus claues regni cœlorum se daturum promisit, dicens tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris, &c. Qua propter per Petrum demonstratur vnitas Ecclesiæ, à qua qui fuerit alienus execrare potest, consecrare non potest, nec excommunicationis, vel reconciliationis potestatem habet. Vnde verè dicitur, quod Petrus significat vnitatem, & quod pro omnibus claues accepit, & quod omnes eas acceperunt in Petro, & quod Petro dantur, vt vnitas significetur, sicut dicit Cyprianus Papa in cap. loquitur 24. qu. 1. Ad idem August. in sermone in vigilia Apostolorum Petri, & Pauli de eo, quod scriptum est Ioan. vlt. Simon Ioannis diligis me plus his, dicit, per singula dicebat Dominus Iesus Petro dicenti amo te, pasce agnos meos, ouiculas meas in vno Petro figurabatur vnitas omnium pastorum, sed bonorum, qui sciant oues Christi pascere, Christo, non sibi. Vnde & text. eiusd. August. in cap. quodcumque, eadem causa & qu. dicit. Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit. Et idem in sermone 10. super Ioann. loquendo de potestate ligandi, & soluendi dicit, hoc Petrus omnibus tamquam personam gerens ipsius vnitatis accepit. Et iterum idem in lib. de Agone Christiano cap. 30. dicit non sine causa inter omnes Apostolos Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus, huic enim Ecclesiæ claues regni cœlorum datæ sunt & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, amas me, pasce oues meas. Et subijcitur in sequenti cap. nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere, itaque miseri, dum in Petro Petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claues regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Et idem in sermone Apostolorum Petri, & Pauli dicit Petrus totius Ecclesiæ gerebat personam, propterea audire meruit tibi dabo claues regni cœlorum, has enim claues non ipse, vt homo vnus, sed vnitas Ecclesiæ accepit. Et subiungit, hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius vnitatis, & vniuersalis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est tibi dabo claues regni cœlorum, quod omnibus traditum est. Et idem in 1. lib. de Doc. chris. cap. 18. dicit has igitur claues dedit Ecclesiæ suæ, vt quæ solueret in terra, essent soluta in cœlo, & quæ ligaret in terra essent ligata, & in cœlo. Et idem in psal. 108. dicit, sunt enim quædam, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen illustrem habent intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gessisse personam. Idem lib. 2. quæstionum noui, & veteris testamenti, qu. 79. ad idem text. in cap. nouerit de sentent. excommunic. qui dicit, quod priuilegium ligandi, & soluendi dedit Christus Petro in persona Ecclesiæ. Et iterum act. 20. attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit Christus sanguine suo. Item & actuum 15 vbi dicitur, placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere in Antiochiam. Ex quibus omnibus authoritatibus designatur, quod non so-

solius Petri sed vniuersalis Ecclesiæ est, præeminentia. Nec dicat aliquis quod præmissæ authoritates respectu fundamenti iurisdictionis intelliguntur de Ecclesia vniuersali, & non de Concilio, quia de Concilio Christus non fecit mentionem, nam licèt fundamentum iurisdictionis sit in Ecclesia vniuersali, tamen quia impossibilis est illius congregatio, quia omnes fideles non possunt congregari, ideo Ecclesia vniuersalis exercet iurisdictionem suam per Concilium, per quod ipsa vniuersalis Ecclesia repræsentatur, vt aliàs dictum est, & patet act. 15. Decimononò
19 facit text. in cap. quæ dignior 14. qu. 1. vbi Ambrosius dicit quod nulla est dignior domus Apostolicæ prædicationis, quàm sancta Ecclesia, ergo est dignior domo ipsius Papæ, & consequenter Concilium illam repræsentans, vt dictum est, est dignius, ad quod idem Ambro. in epist. 79. vbi, vt vult Cardinal. de Turrecrem. in li. 3. de Ecclesia cap. 45. referens epistolam Beati Damasi Papæ directam iudicibus deputatis à Capuen. synodo in causa Bonosi Episcopi, sic dicit eum dixisse, accepi litteras vestras, quibus, vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis, sed cũ huiusmodi fuerit Concilij Capuani iudicium, vt finitimi, Bonoso, ac eius accusatoribus iudices tribuerentur, aduertimus quod nobis iudicandi forma competere non posset, nam si integra hodie esset synodus, rectè de ijs, quæ comprehendit vestrorum scriptorum, series decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis iudicium sententiam ferre de omnibus. Et subiungit, neque contra sententiam vestram tentandum est aliquid. Et infra, & ideo primum est vt iudicent, quibus iudicandi facultas est data, vos enim totius Concilij vice decernitis, nos quasi ex synodi authoritate iudicare non conuenit &c. Ex his autem innuitur Papam non posse intromittere se de causa per synodum delegata, quam si esset superior posset quandocumque vellet ad se aduocare, & committere, vt in cap. vt nostrum de appellat. Ergo patet, quod synodus est maior Papa. Ad quod rursus idem Ambros. in quadam præfatione dedicationis maioris altaris Ecclesiæ Mediolanens. vbi dicit, per Christum Dominum nostrum, qui eminentiam potestatis acceptæ Ecclesiæ contulit, quam pro honore suscepto reginam constituit & sponsam, cuius sublimitati vniuersa subiacent &c. Ex quo arguitur quod si eminentiam potestatis acceptæ contulit Ecclesiæ, omnia eius potestati subijciens, necessariò sequitur, quod in eamdem transtulerit supremam præeminentiam. Et ad idem Ambros. in lib. de dignitate sacerdotali 1. 2. circa finem ita dicit, sic a Domino dicitur, Petre amas me, & ille tu scis Domine quod amate, & cùm tertiò fuisset interrogatus repetitum est à Domino tertiò, pasce oues meas, quas oues non solùm tunc Beatus Petrus suscepit, sed nobiscum eas accepit, & cum illo nos eas accepimus omnes. Et iterum ideo dicitur Ecclesia Apostolica quia per Apostolos gubernata, & administrata, ipsi enim Ecclesiæ ordinatores, ipsi dispensatores, ipsi Pastores, ipsi Doctores, ipsi Principes, ipsi Pontifices, ipsi Reges, ipsi Duces, & ipsi sunt duodecim fundamenta Ecclesiæ, de quibus loquitur Io. Apoca. 21. Et idem super Lucam dicit, magna Christi gratia. qui omnia sua vocabula donauit discipulis suis. Ego sum, inquit, lux mundi, & id tamen, de quo ipse gloriatur discipulis nomen indulsit, dicens vos estis lux mundi, ait, ego sum panis viuus, & nos omnes vnus panis sumus, dixit se vitem veram, & alibi dixit plantaui te vitem fructuosam, Petra est Christus, & iam discipulo suo huiusmodi gratiam non negat, vt sit ipse Petrus, & vt de Petra habeat soliditatem constantiæ, & fidei firmitatem. Et ideo idem in dicto li. de dig. sacerd. inquit, Christus saluator noster Ecclesię suæ potestatem absoluendi, & ligandi tradidit. Ecce ex his patet authoritatem ligandi, & soluendi datam vniuersali Ecclesiæ. Inde, & Paulus Apostolus actuum 20. ad vniuersalis Ecclesiæ sacerdotes dicit, attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, vt regatis Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo &c. quæ verba ponuntur 92. distin. capitulo legimus. Vi-
20 gesimò, ad idem sunt plures aliæ authoritates Aug. vltra præ citatas, vt patet in epistola eiusdem 162. ad Glorium, Eleusium, & Felicem grammaticum, vbi dicit ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt non bonos iudices fuisse, restabat adhuc plenarium vniuersalis Ecclesiæ iudicium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa poterat agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur, scilicet per vniuersale Concilium Vnde patet, quod Concilium habeat potestatem ligandi, & soluendi, & sententias Episcoporum, qui Romæ iudicant, retractandi. Item idem Aug. super illud act. 10. surge, & manduca inter cætera dicit, animalia illa gentes sunt quia immundæ erant erroribus, & superstitionibus, & concupiscentijs, antequam veniret Christus, ipso autem adueniente, peccatis mundæ factæ sunt, vnde post remissionem peccatorum, quare non recipiantur in corpus Christi, quod Ecclesia Dei est, cuius Petrus gestabat personam, in multis enim locis apparet quod Petrus personam gestat Ecclesiæ, & Ecclesia corpus est Christi, recipiat in se in escam suam iam mundatas gentes, quibus peccata dimissa sunt. Item idem Aug. li. 6. de bapt. cõtra Dona. cap. 39 Eugenius ab Ammeclera dixit, & hoc idem ego censeo hæreticos baptizandos esse, cui Aug. respondet, sed hoc non censet Ecclesia, cui Deus iam in plenario etiam Concilio reuelauit. Item idem in 1. li. de Doc. Chris. 16. & 18. dicit est Ecclesia corpus Christi, sicut Apostolica doctrina commendat, quæ etiam coniux eius dicitur. Et paucis interpositis sequitur, has igitur claues dedit Ecclesiæ, vt quæcumque solueret in terra, soluta essent in cœlo; quæ ligaret in terra, ligata essent in cœlo.

Item

Item, & idem super Ioan. cap. 21. de Ecclesia sic dicit, cuius Ecclesiæ Apostolus Petrus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam, quod enim ad ipsum propriè pertinet natura vnus homo erat, sed quando ei dictum est tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris &c. vniuersam significauit Ecclesiam, quod in hoc seculo diuersis tentationibus velut imbribus, fulminibus, tempestatibusque quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram, vnde & Petrus nomen accepit &c. Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cælorum accepit in Petro idest potestatem ligandi, & soluendi. Item idem in li. de fide ad Petrum dicit, numquam indicta esset peccanti pro peccato deprecatio, si deprecanti non esset remissio concedenda, sed pœnitentia peccatorum tunc prodest si eam in Ecclesia catholica gerat, cui Deus in persona Petri ligandi, soluendique tribuit potestatem dicens, quodcumque ligaueris &c. Quod autem Petrus nomine Ecclesiæ claues receperit habetur in text. cap. 3. de summa Trin. cap. circa fi. & in cap. à nobis de sent. excommun. & in cap. noua quædam de pœni. & remis. vbi patet quod Apostolis omnibus datæ sunt claues & eorum successoribus. Item idem Augus. lib. 2. de bapt. contra Dona. & transsumptiuè in ca. quis nesciat 9. di. dicit, quod licet per Concilia reprehendi, si quid in scripturis, vel dictis Episcoporum fortè à veritate deuiatum est. Et vltra sequitur in text. quod non fuit positum in dict. cap. quis nesciat, & ipsa Concilia, quæ super singulas regiones, vel prouincias fiunt plenariorum Conciliorum authoritati, quæ quam fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere debent &c. cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine vllo typo sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ sine, vll a contentione liuidæ inuidiæ cum sancta humilitate. cum pace catholica, cum charitate Christiana, item idem ad Ianuarium & transumptiuè in cap. illa 12. distinct. illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus. quæ quidem toto orbe terrarum obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel ex plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas commendata, atque statuta retineri, &c. Item idem Aug. in lib. quæst. noui, & veteris testamenti quæst. 75. inquit, dicunt ergo exactores didrachorum ad Petrum, magister vester non soluit didrachma? quo dicto Magistrum, vt pro omnibus discipulis solueret, conuenerunt, saluator autem cùm pro se, & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur, quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post saluatorem in Petro omnes continentur, ipsum enim constituit caput eorum, vt Pastor esset gregis Dominici, nam inter cætera dicit discipulis suis vigilate, & orate ne intretis in tentationem, & Petro dicit ecce Satanas expostulauit, vt vos ventilet sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu tandem conuersus confirma fratres tuos, quod ambigitur, pro Petro rogabat, & pro Iacobo, & pro Ioanne non rogabat? vt cæteros taceam manifestum est in Petro omnes contineri, quia & in alio loco dicit, ego pro ijs rogo, quos dedisti mihi Pater, & volo, vt ibi ego sum, & ipsi sint mecum. Ex quo apparet, declarari per præmissa, quod pro omnibus rogabat, pro quo text. in cap. decretis 21. dist. & de pœnit. dist. 1. capit. Petrus. Item idem August. lib. 2. de Bapt. contra Donat. loquendo de se, & de Cypriano inquit, nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi vniuersalis Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati, cui & ipse sine dubio cederet, si iam illo tempore quæstionis huius veritas declarata per plenarium Concilium solidaretur. Ecce quod August. & Cyprianus cedunt Concilio. Et idem August. de morib. Eccl. dicit, quod in re dubia valet auctoritas Ecclesiæ. Item idem Augustinus super Epistolam Ioan. Homilia, 10. dicit, vbi fit remissio peccatorum, ibi est Ecclesia, quorum illi datæ sunt claues regni cœlorum, vt quæ soluerentur in terris essent soluta, & in cœlis, & quæ ligarentur in terris essent ligata, & in cęlis. Item idem August. in sermone 13. super Matth. inquit Euangelium quod recitatum est de Apostolo Petro, qui ambulans super aquas timendo titubauit, & definiendo mersus, confitendo rursus emersit, admonet nos intelligere, mare præsens sęculum esse, Petrum verò Apostolum Ecclesiæ vnicæ typum, ipse enim Petrus in Apostolorum origine primus, in Christi amore promptissimus, sæpè vnus respondit pro omnibus, ipse denique Domino requirenti quemnam hominem dicerent eum esse, & opiniones varias hominum discipulis respondentibus, rursusque Domino interroganti, & dicenti, vos autem quem me esse dicitis, respondit Petrus, tu es Christus filius Dei viui, vnus pro multis dedit responsum, vnitas in multis. Et iterũ infra, Simon quippè antea vocabatur, hoc autem nomen ei, vt Petrus appellaretur à Domino impositum est, & hoc vt ea figura significaret Ecclesiam.

21 Vigesimoprimò ad idem adducuntur auctoritates aliæ Hieronym. Et primò Hieronymus in quadam Epistola de septem gradibus Ecclesiæ loquens de ordine Episcopali ait, de hoc officio amplius disputare non possum, quoniam quicquid in clericis consecratum est, prædixi Episcopum solum habere, manifestum est in illis partes, & membra virtutum, in Episcopo plenitudinem diuinitatis corporaliter habitare, atque ita est, vt in Episcopis Deum, in presbyteris Apostolos recognoscas. Et infra omnem enim potestatem Deus Discipulis dedit, & Moysem Deum dici voluit Pharaonis. Ex quo sequitur quod si Deus dedit omnem potestatem Discipulis, & Apostolis congregatis, quorum vices representant Episcopi in Concilio congregati, etiam est data supra Papam, quia qui omne dicit, nihil excludit cap. quia circa de priuil. cum simil. Vnde & Apostolus loquens de Christo

sto ad Hebræ. 2. inquit, in hoc quod ei omnia subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Item glos. eiusdem Hieronym. super illud quodcumque ligaueris inquit, habent quidem eamdem iudiciariam potestatem alij Apostoli, quibus post resurrectionem Dominus ait, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis &c. habet etiam, & omnis Ecclesia in Episcopis, Presbyteris, & clericis, sed ideò Petrus specialiter accipit, vt omnes intelligant, quod quicumq; ab vnitate fidei, & societate eius se separauerit, nec à peccatis solui, nec cœlum potest ingredi. Ad idem Hieronym. in cap. omnibus 24. quæst. 1. vbi dicit, quæ domus claues accepit, ac potestatem ligandi, & soluendi, hanc domum si quis corrigentem, corripientemque contempserit, sit tibi inquit tamquam ethnicus, & publicanus. Ecce quod apud Ecclesiam est potestas iudiciaria ligandi, & soluendi. Et ex verbis Hieronymi satis apertè innuitur non esse verum, quod iurisdictio Ecclesiastica sit in Ecclesia tamqnam thesaurus in arca, & quod Petrus receperit claues, vt aperiret arcam, quando ei videretur, quasi exercitium potestatis sit concessum soli Petro, sed potestas in habitu concessa Ecclesiæ, quia illa verba: hanc domum si quis corrigentem, corripientemque contempserit, sit tibi tamquam ethnicus, & publicanus, ostendunt Ecclesiam habere exercitium Clauium, quando vult illis vti. Et per hoc videtur quod non sit vera opinio Petri de Palude in tractat. de potest. Papæ quæst. 8. artic. 2. qui voluit, quod alij Apostoli non immediatè à Christo, sed à Petro receperint potestatem iurisdictionalem. Idem probatur per text. iuncto eo, quod dicit Hostiens. ibi in fin. & in cap. noua. de pœnit. & remis. vbi enim text. dicit claues regni cælorum datas Apostolis, Hostiens. ponit duas claues, videlicet alteram fori contentiosi, & alteram fori pœnitentialis, & sic vtramque datam Apostolis, & sic etiam iurisdictionalem. Quod etiam videtur voluisse Scotus in 4. sentent. cùm dicit quod duplex est forum in Ecclesia, aliud secretum, aliud publicum. Quod videlicet quod Apostoli habuerint clauem iurisdictionis immediatè à Christo, clarius probatur per illud Matthęi vltimo, nam Christus dixit Discipulis suis euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni Creaturæ, baptizantes eos, &c. in quo datur intelligi data potestas etiam de alijs Sacramentis, cùm Baptismus sit Ianua sacramentorum cap. veniens de presbyt. non bapt. & dicit glos. 77. dist. cap quicumque, & glos. Matth. 18. & text. in cap. 2. de cogna. spiri. in 6. quorum sacramentorum administratio ad iurisdictionem pertinere videtur, nam prædicare, & sacramenta conferre in aliena Parochia, sine licentia nemo potest, vt per tot. de Paroch. item glos. & Doct. in cap. nouit de offic. legat. saltem voluntariæ iurisdictionis, vt ibi. Facit quod dicitur in capitulo aqua de consecrat. Ecclesiæ, vel altar. & in cap. quanto de consuet. Facit quoque quod Paulus excommunicauit Corinthium vt in cap. per principalem §. vlt. 9. quæst. 3. & cap. cùm sit Romana de appell. & capit. audiuimus 24. qu. 1. Ad quod etiam Ambros. super illud Lucæ 6. cap. Christus elegit 12. ex Discipulis, quos Apostolos nominauit, vbi exponendo addit, quos ad propagandum auxilium salutis humanæ per terrarum orbem satores fidei Christianæ destinaret. Quæ omnia benè, & decenter fieri non poterant sine aliqua iurisdictione, & potestate. Vnde videmus quod Concilium nomine Ecclesiæ exercet iurisdictionem, tam excommunicando, quàm aliàs definiendo, & statuendo cap. certum, & cap. si quis Episcopus 11. qu. 3. & in cap. si quis Episcopus de hæret. & in cap. Osius de elect. & in cap. 1. de iudic. Vnde etiam Paulus Apostolus perambulans Syriam, & Ciliciam mandabat seruari præcepta Apostolorum, & seniorum, vt legitur act. 15. Quod verbum præceptum sonat iurisdictionem contentiosam, vt in authent. de hæredi. & fal. §. si quis verò cap. in ijs de verbor. signific. cap. quisquis 14. quæst. 1. Item ponderandum est verbum seniorum, quia non solùm mandabat seruari præcepta Apostolorum, sed & seniorum aliorum, & presbyterorum. Sic etiam act. eodem cap. dicitur visum est Apostolis, & senioribus, & toti Ecclesiæ. Similiter act. 16. dicitur quod Paulus, & Timotheus transeuntes per ciuitates tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta per Apostolos, & seniores, verbum autem decretum sapit iurisdictionem contentiosam, vt notatur in capit. fin. de tempor. ordin. & in capit. 1. de iudic. 4. dist. §. hæc etsi. Ad idem facit quod habetur Matth. 19. dum Dominus dicit Discipulis suis, amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes 12. iudicantes 12. tribus Israel, vnde apparet eis data potestas iudicandi in hac Ecclesia militanti. Qua propter non immeritò ipsi Apostoli canones salubres de directione vniuersalis Ecclesiæ condiderunt, vt 1. qu. 7. cap. ipsi Apostoli, & 25. qu. 1. cap. sunt quidam 16. dist. cap. sexaginta, & cap. canones. Sic & vniuersalis Synodi, vt 31. dist. Nicęna, & 17. distinctione capitulo habeo librum.

Ad quod etiam optimè text. Lucæ 22. vbi Christus ait Apostolis, ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, hoc est regnum in Ecclesia mea. Hoc videtur sentire glos. Nicolai ibi dicit enim hoc posse intelligi dupliciter, primò de regno militantis Ecclesiæ, cuius regimen Christus tradidit Apostolis, & secundò de regno triumphantis Ecclesiæ, ad quod erant Apostoli assumendi post laborem vitæ præsentis. Constat autem datam esse Ecclesiæ omnimodam iurisdictionem capitulo nouit de iudic. & capitulo cam, quam, qui filij sint legitimij sunt enim iura terreni, & cælestis imperij Ecclesiæ demandata, vt in capitulo primo 12. distinctione. Et super illud Matthæi 16. & quodcumque ligaueris &c. dicit glossa habent quidem eamdem iudiciariam potestatem alij Apostoli, quibus post resurrectionem ait, accipite Spiritum Sanctum quorum, &c. habent etiam omnis Ecclesia in presbyteris, & Epi-

Episcopis, sed ideo Petrus specialiter accepit, vt omnes intelligant, quod quicumque ab vnitate fidei, & societate eius se separauerit, nec à peccatis solui, nec cœlum potest ingredi. Et quod dicta auctoritas intelligatur de potestate iurisdictionis contentiosæ per censuram Ecclesiasticam, patet ex glossa interlineati, quæ Matth. 18. ad illud, quæcumque alligaueritis, addit vinculo Anathematis. Et ex glossa beati Hieronymi ibidem, vbi ait, potestatem tribuit Apostolis, vt sciant, qui à talibus condemnantur humanam sententiam diuina sententia roborari. Et benè deprehenditur, cùm ibidem post verba si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, subiungitur quæcumque alligaueritis, ad ostendendum quod per illa verba data fuit Apostolis potestas excommunicandi, quod est iurisdictionis contentiosæ, vt in capitulo quanto in glofs. 1. de consuetudine, & in capitulo aqua de consecratione Ecclesiæ, vel altaris, & in capitulo nouit de offic. legat. sicut legitur factum per Apostolum, qui excommunicauit Corinthium, vt dicitur in capitulo cùm sit Romana de appellatione.

22 Vigesimosecundò facit quod maioritas alicuius potest considerari multis modis, vt in capitulo his omnibus 21. distinctione, & in capitulo cùm inferior de maioritate, & obedientiæ, & latè dixi supra in quæstione de ordine sedendi in Concilio. Sed in proposito videtur, dicendum, quod si loquimur de maioritate potestatis clauium, per præmissa videtur quod claues à Christo datæ sint Ecclesię, & quod potiùs resideat ista potestas in Ecclesia, quàm in Petro solo. Quod etiam vltra prędicta satis innuitur ex pręfatione Ecclesię in solemnitate Apostolorum, videlicet, vt gregem tuum pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias, vt iisdem Rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contulisti preesse Pastores, &c. Vnde colligitur quod omnes Apostoli erant Pastores, & quod pastura fidei ad omnes pertinebat, item quod omnes erant Vicarij operis Christi, & consequenter hodie omnes Episcopi, qui in eorum locum successerunt capitulo Ecclesię princeps 35. distinctione, & in capitulo videntes 12. quęstione prima. Et quod Episcopi dicantur Christi Vicarij, est textus 33. quęstione 5. capitulo mulier el secundo in fine. Pro his faciunt illa iura, quę volunt cęteros Apostolos parem cum Petro potestatem accepisse, vt in capitulo in nouo 21. distinctione, & in capitulo loquitur, & capitulo audiuimus 24. quęstione prima. Ex quo infertur potestatem non solùm datam esse omnibus in concreto, & sic Ecclesię, sed etiam singulis, & per singulos exercendam. Quod probatur per Apostolum ad Galatas 2. vbi loquendo de Apostolis, ait, mihi nihil contulerunt. Ex quo colligit glos. quod Paulus nō fuit illis inferior, & tamen Petrus erat inter illos, item declarat ibi idem Apost. cum subiungit, cùm vidissent, quòd creditum est mihi euangelium præputij, sicut, & Petro circumcisionis, vbi gloss. interlin ad verbum creditum est mihi addit ita principaliter, sicut Petro, item idem declarat Apostolus, cum dicit, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, vbi licèt inter eos esset Petrus, non nominatur maior, sed socius, si autem Petrus fuisset superior cæteris Apostolis, cùm maiori reuerentia fuisset de illo loquutus, Quod etiam Apostolus demonstrauit, cum restitit ei in faciem, dicens, cum autem venisset Petrus Antiochiam in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat, ibidem ad Galat. 2. Ad hoc text. in cap. Paulus 2. quæst. 7. vbi dicitur, quod Paulus Petrum reprehendit, quod non fecisset si se imparem cognouisset. Et act. 11. reprehenditur Petrus ab ijs, qui ex circumcisione erant, quod intrasset ad viros præputium habentes, & manducasset cum illis, vt in capitulo Petrus, 2. quæstio. 7. Similiter cum intrasset ad Cornelium reprehensus fuit à fratribus qui erant in Iudæa, vt cap. testes, §. fin. eadem causa, & quæstio. Vndè patet, quod Apostoli erant pares in potestate. Et si Petrus ponitur fuisse primus, vt alicubi videtur innui, fuit primus in societate, non in superioritate, ideò dicit, quod Petrus erat primus, & quod claues recepit præ omnibus, & pro omnibus, vt dicit tex. in dicto cap. audiuimus, 24. quæst. 1. & ponit Gratianus, 21. dist. in summa. in fin. ipse enim quia fuit præpositus cæteris Apostolis, vt dicit text. in d. capit. in nouo, & caput fuit Ecclesiæ, vt in capitulo rogamus, eadem causa, & quæst. non pro se tantùm, sed pro tota Ecclesia claues recepit, vndè text. in capitulo ita dominus, 19. distin. dicit, quod ita Dominus noster Iesus Christus Saluator humani generis instituit, vt veritas, quæ anteà legis, & prophetarum præconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem vniuersitatis exiret, sicut scriptum est, in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, sed huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi à quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet. Et paulò post subiungit, hanc etiam Ecclesiam ea firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ inferi contra illam præualere. Ex quibus verbis patet, quod non Petro tantùm, sed Petro, vt capiti pro vniuersali Ecclesia datæ sunt claues. Quod, & clariùs probat text. in capit. fundamenta in princip. de elect. in 6. vbi recitatis in parte illis verbis dict. cap. ita dominus, subiungit, hunc enim in consortium diuinæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat Dominus voluit nominari, dicendo tu es Petrus, &c. Vndè probat ille text. verba tu es Petrus, dicta fuisse ei, vt in consortium indiuiduæ vnitatis assumpto, hoc est vnitati vniuersalis Ecclesiæ. Quod etiam ostendit tex. in cap. loquitur 24. quæst. 1. vbi dicitur loquitur dominus ad Petrum, ego dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc Pe-

tram ædificabo Ecclesiam meam, super vnum ædificat Ecclesiam, & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, sicut Me misit Pater, & Ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit, hoc vtique erant cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia Christi vna monstretur, &c. Ecce ibi text. quod verba dicta Petro dicta sunt pro omnibus, sed ideò vni, vt Ecclesiæ vnitas designaretur. Et hoc latè ponit Ioan. And. in cap. ad liberandam, de Iudæ. Et de hoc videtur text. in cap. noua quædam de pœnit. & remis. vbi dicitur, quod claues Regni Cœlorum commisit Apostolis, ergo non magis Petro, quàm alijs. Vndè patet, quod in Ecclesia est fundamentaliter potestas clauium. Ad idem etiam text. in cap. quamuis, 21. dist. vbi dicitur, quod quamuis vniuersæ per orbem Catholicæ, & Apostolicæ constitutæ Ecclesiæ vnus thalamus Christi sit, tamen sancta Romana Ecclesia Catholica, & Apostolica nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælata est, sed euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit, tu es inquiens Petrus, & super hanc petram, &c. Et sic pondera text. quod verba tu es Petrus dicta sunt pro vniuersis Ecclesijs, sed Romana Ecclesia prælata est cæteris, vt sic per illa verba denotetur, vt vnitas Ecclesiæ, & principalitas Romanæ Ecclesiæ. Et sic possunt intelligi iura, quæ sonant, quod per verba directa ad petram tu es Petrus, &c. ipse prælatus sit omnibus, vt in cap. sacrosancta 22. dist. & in capit. fidelior. 50. dist. cum simil. videlicet intelligendo, quod etiam dicta fuerunt pro omnibus, & vniuersali Ecclesiæ data fuit potestas, & ipse Petrus, designatus caput ipsius vniuersalis Ecclesiæ. Si enim hæc verba dicta fuissent tantùm pro Petro, & ei tantùm data potestas, non diceret Ecclesia in symbolo, & vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, sed potiùs vnum sanctum Petrum Apostolicum Christi Vicarium, &c. cuius contrarium non sine mysterio de Ecclesia vniuersali simpliciter dicitur. Et sic redeundo ad propositum si consideramus maioritatem potestatis clauium, non videtur, quod sit maior potestas Papæ, quàm Concilij, sed potiùs è contra. Si verò consideramus maioritatem dignitatis, adhuc videtur dignior Ecclesia vniuersalis, quàm Papa, quod colligitur ex dictis Augustini super symbolum, & ideò de Ecclesia fuit dictum non de Petro, ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Quod (vt supra dictum est) intelligitur de fide Ecclesiæ, quia Ecclesia numquam deficit, nec potest errare, vt in cap. à recta 24. quæst. 1. & dicit Archi. in cap. ita dominus, 19. dist. in gloss. & non intelligitur de fide Petri, qui in fide defecit, vt legitur Matth. 26. & in cap. fidelior. 50. distin. Nec dicatur dictum fuisse pro Petro personaliter respectu finis, quia non perseuerauit in errore, sed conuersus fuit, cum dicatur, quod rogauerat vt non deficeret fides eius, vndè eo mortuo non erat defectura, & in alijs pluribus Pontificibus defecit, quia mortui defecerunt in fide. Vndè non pro Papa, in quo potest deficere fides, sed pro Ecclesia dictum fuisse ostenditur, & hoc etiam confirmat supradicta, quia sicut ista verba, ego pro te rogaui Petre, licet sint directa in Petrum, tamen pro Ecclesia dicta intelligimus, ita & illa, de quibus supra tu es Petrus, &c. Similiter nec de successoribus Petri, quia etiam multi Romani Pontifices à fide defecerunt, capitulo nunc autem, 21. dist. de quo dictum est supra in nono contrario, & quod sit dignior Ecclesia probat ille text. in capitulo quæ dignior, 24. quæstione prima supra allegatus. Item dicitur dignior quia Ecclesia est corpus Christi, quam diligit super omnem creaturam, iuxtà doctrinam Apostoli ad Ephes. 5.

Si intelligamus de maioritate stabilitatis, & durationis, non potest intelligi maior Papa ipsa Ecclesia, siuè Concilio Ecclesiam repræsentante, quia Ecclesia semper est duratura, & stabilis, vt in cap. pudenda. 24. quæst. 1. & in cap. hæc est fides ead. caus. & quæst. Papa, autem potest multis modis deficere, vel morte, vt in cap. si gratiosè de rescr. in 6. vel renunciatione, vt in cap. 1. de renu. eod. li. & alijs multis modis, vt scilicet in progressu dictum fuit. Si loquimur de maioritate meritorum, non potest dici, quod Papa sit maior, quia Ecclesia est sine macula, & sine ruga. 24. quæst. 1. cap. omnibus, & Christi sponsa incorrupta, & pudica, quæ adulterari non potest, vt in cap. loquitur 24. quæst. prima. Nec dicatur, quod Papa sit maior ratione assistentiæ Spiritus sancti, & Christi regentis Ecclesiam, nec permittentis eam errare in iis, quæ sunt fidei, & ad salutem necessaria, quia de Ecclesia dictum est, & non de Papa, ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi Matth. vlt. vbi dicit glos. Nico. ex hoc patet, quod fides Catholica non deficiet vsque ad finem seculi, vndè Origenes super illud ad Roma. 15. inquit, quod nulli vnquàm Apostolorum nulline fidelium singulariter voluit Christus dicere, quod multitudini Ecclesiarum pluraliter dixit, ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, numquam dixit, ego tecum sum. Ex quo patet, quod non intelligitur de assistentia, eo modo quo communiter Deus est cum omnibus siuè in omnibus creaturis, cùm specialiter hoc verbum dictum fuerit Apostolis omnibus pro Ecclesia. Vndè Matth. vigesimoquartò, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant, & ibidem, cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Vigesimotertiò facit, quod Ecclesia fundata est in Christo, quia petra
23 erat Christus, prima ad Corin. 10. Vndè à petra hoc est à Christo Petrus nomen accepit, & non à Petro petra, vigesimaprima distinctione capitulo primo circa finem, de consecrat. distinct. secunda reuera sicut non à Christiano dictus est Christus, sed Christianus à Christo, ideò dixit super hanc petram

tram ædificabo Ecclesiam meam. Vndè fundamentum Ecclesiæ est Christus præter, quod nemo aliud potest ponere, prima quæstione prima cùm Paulus. Ad quod Gregorius in Epistola octuagesimasecunda in quarto lib. regis. vbi dicit, certè Petrus Apostolorum primus, membrum sanctæ,& vniuersalis Ecclesiæ, est Paulus,& Andreas. Ioannes quid aliud sunt,quàm singularium plebium capita, & tamen sub vno capite omnes membra sunt Ecclesiæ. Ex quo patet, quod Christus est caput, & fundamentum Ecclesiæ. Et Apostolus ad Ephe. primo, omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quę est corpus ipsius. Cùm ergo Christus super se petram Ecclesiam fundauerit, subiungendo, & portę inferi non pręualebunt aduersùs eam significauit, quod eo ipso, quod ædificata esset, habitura esset virtutem intrinsecam, & potestatem se in suo esse conseruandi, & aduersantibus resistendi, quod Augustinus notat in sermone primo super psal. 103. vbi exponens illud, quod fundasti terram super stabilitatem suam, dicit, & sic stabilitas, & firmitas sua inhęret ei intrinsecè, & sic non per dependentiam à Papa. Sic etiam dicitur perfecta, & terribilis vt castrorum acies ordinata, non esset autem terribilis, & perfecta si ad se conseruandum non haberet à seipsa virtutem, sed haberet ab extrinseco subsidium quęrere. Et ex hoc sequitur, quod Ecclesia claues ex se sine Papa exercere possit, cùm Ecclesia sit sine Papa, sed non Papa sine Ecclesia, & Ecclesia habeat potestatem intrinsecam, seipsam conseruandi. Sic etiam dicitur, quod Ecclesia, quæ fundatur in Christo claues recepit à Christo, & non solus Petrus. Vndè Raban. super illud quodcumque ligaueris inquit, hæc autem ligandi, atque soluendi potestas quamuis soli Petro data videatur, à Domino tamen, & cæteris Apostolis datur, nec non, & nunc, Episcopis, presbyteris, & omni Ecclesiæ, sed ideo Petrus specialiter claues Regni Cœlorum, & principatum iudiciariæ potestatis accepit, vt omnes per orbem credentes, intelligentes intelligant, quod quicumque ab vnitate fidei, vel societate ipsius quoquomodo semet ipsos segregant, tales nec à vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt cœlestis Regni ingredi. Ad idem Remigius ibidem, huiusmodi ligandi, & soluendi potestas, quamuis soli Petro, donata videatur, verumtamen cæteris Apostolis datur, necnon Episcopis, Curatis, & toti Ecclesiæ. Item & Origenes homilia 11. super Hierem. ait omnes imitatores Christi Petræ sunt, & petra est ille, qui docuit.

Vndè ex præmissis authoritatibus in 17. 18. 19. 20. 21. 22. motiuis apparet, quod non obstat si dicatur, quod Christus claues Ecclesiasticæ potestatis, & discretionis dederit soli Petro, vt dicitur Matth. 16. & tibi dabo claues, &c. & in dicto capitulo in nouo, & dicto capitulo loquitur, & capit. aliorum, nona quæst. tertia, quasi sequatur, si ipse accepit claues suprà omnes, quod à nemine possit iudicari, quia inferior non iudicat superiorem capitulo cùm inferior de maio. & obe. nec parem, capitulo innotuit, de elect. Nàm, vt patet ex præmissis authoritatibus, non soli Petro data fuit potestas, nec per illa verba tibi dabo claues fuit data aliqua potestas, sed promissa, quæ verba fuerunt ei dicta tamquàm gerenti typum, siue figuram Ecclesiæ, vt patet in præmissis authoritatibus. Ad quod est etiam authoritas Leonis Papæ, in sermone de Apostolis, vbi dicit, quod ius huius potestatis, & decreti constitutio, ad omnes principes Ecclesiæ commeauit, sed non frustrà vni conceditur, quod omnibus intimatur. Ecce, quod omnibus datæ sunt claues. Ad idem tex. in c. noua de pœn. & remis. vbi dicitur quod licèt Beata Virgo fuerit excellentior Apostolis, tamen non ei, sed istis Christus tradidit claues regni Cœlorum. Vndè apparet, quod illa promissio per verba tibi dabo claues, fuit facta Petro nomine omnium Apostolorum, & consequenter Ecclesiæ, & quod confessio Petri fuit nomine omnium, quæ secundùm Rabanum fuit causa dandi potestatem, quæ vt congrua sit responsio ad interrogata, ita oportet intelligi. Quod patet per illud Matth. 16. dixit illis, vos autem, quem me esse dicitis. Vnde, & exitus demonstrauit, quando omnibus Apostolis dixit amen dico vobis quæcumque alligaueritis super terram, & cæt. Et sic sunt omnibus datæ simùl & non Petro pro omnibus, sed tantùm promissæ pro omnibus, & pòstea omnibus simul datæ. Sed quæcumque harum opinionum vera sit, siue quod sunt Petro datæ pro omnibus, siue quod tantum omnibus, satis est quod Ecclesiæ vniuersali datæ reperiuntur claues, & iurisdictio. Ex quo innuitur Ecclesiam vniuersalem, & consequenter Concilium illam repræsentans, esse supra Papam, & quod ipsa potestas clauium, & plenitudo potestatis est in ipsa vniuersali Ecclesia tamquam in fundamento, sed in Papa tamquam in capite ipsius vniuersalis Ecclesiæ, siue in Papa tamquam in principali instrumento, per quod hæc potestas explicatur, præcedente claue discretionis, vt dicit gloss. in cap. ad Apostolicæ, de re iudic. in sexto, & Innocentius in capitulo quod super ijs, de voto, & meliùs in capitulo quanto, de iureiurando. Ad idem facit, quod si dicta verba tibi dabo claues, dicta fuissent soli Petro, frustra postea fuisset orta contentio inter Apostolos de maioritate, quæ tèr orta post hæc verba reperitur, vt patet Matth. 18. & 20. & Lucæ 22. etiam in vltima cœna, non enim totiens de maioritate contendissent, si per verba illa, tu es Petrus, aut illa Ioann. primo, tu vocaberis Cephas, intellexissent Petrum constitutum Principem super se ipsos, aut ei soli traditam potestatem principaliter ad regendum Ecclesiã. Vndè necessariò oportet dicere, quod verba dicta per Christum Petro, & responsio Petri sint dicta pro omnibus, & consequenter, quod in Ecclesia sit hæc potestas. Vigesimoquartò idem
24 probatur per argumentum ab absurdo, Clement. cum sit, de magistris, nam posito,

quod Papa per sua mala opera subuerteret statum vniuersalis Ecclesiæ,& ipsam Ecclesiam , & populum Christianum notoriè scandalizaret , si Concilium generale non haberet potestatem compescendi eum, esset in potestate vnius dissipare , & destruere Ecclesiam , & non esset remedium,quod est maximè absurdum , non enim est verisimile, quod Christus voluerit dimittere Ecclesiam in tali casu sine remedio . Sicut in simili dicitur , quod quando Christus dedit claues Petro licèt nullam fecerit mentionē de successoribus, tamen sub nomine Petri etiam comprehendit successores , cum non sit verisimile, quod mortuo Petro voluerit Ecclesiam remanere sine successore, sicut dicitur post gloss. in verbo desereret , in capitulo pro humani., de homicid. in sexto. Adducitur in simili exemplum, si Rex peregrinaturus dimisisset Reginam gubernatricem, & quia non conuenit honori Reginæ discurrere singulis diebus per vniuersum regnum dimisisset vnum ministrum generalem, qui nomine regis , & Reginæ administraret, est ne verisimile si talis minister malè administrando destrueret regnum, quod rex noluerit Reginam posse illum amouere, & punire , & alium bonum ministrum deputare , certè non , argumento , l. si hominem , ff. mandati . Hoc corroboratur , quia Ecclesia dicitur Regina , iuxta illud psalm. 44. astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate . Vigesimoquintò ad idem facit
25 decretum Constantien. Concilij in quarta sessione, vbi declarauit quod Synodus ipsa in Spiritu sancto congregata legitimè , generale Concilium faciens , & Ecclesiam Catholicam militantem ræpræsentans,potestatem à Christo immediatè habet , cui quilibet cuiuscumque status etiam si Papalis existat obedire tenetur in ijs, quæ pertinent ad extirpationem schismatis,& reformationem generalem Ecclesiæ Dei , in capite , & in membris . Item in quinta sessione idem replicando subiungit , quod quicumque cuiuscumque conditionis , status , dignitatis , etiam si Papalis, qui mandatis , statutis, seu ordinationibus, aut præceptis illius sacræ Synodi , & cuiuscumque alterius Concilij generalis legitimè congregati super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit condignæ pœnitentiæ subijciatur , & debitè puniatur. Ecce quod Concilium est supra Papam , quia habet potestatem immediatè à Christo, quia Papa tenetur ei obedire, & quia Concilium potest exercere iurisdictionem contentiosam in eum .

Et considera benè illa verba , & cuiuscumque alterius Concilij generalis , quia per hoc tollitur contrarium , quod tantùm de Concilio Constan. dictum fuerit, propter antiquatum schisma , ob quod non poterat deprehendi , quod aliquis esset verus Papa, & ideò quilibet cuiuscumque etiam Papalis dignitatis subijci debebat , nam, & de alijs Concilijs legitimè congregatis idem dictum apparet per dicta verba cuiuscumque alterius Concilij generalis . Et quod generaliter accipiatur potestas pro iurisdictione ostendit illud Io. 19. nescis , quod habeo potestatem dimittere te,&c. Corroboratur hoc per gloss. dist. 15. sicut , quæ vult, quod Papa non potest destruere statuta Concilij , & per gloss. in c. Anastasius, dist. 19. quæ dicit, quod Papa est inferior Concilio in concernentibus fidem . Ad idem gloss. in dicto capit. sunt quidem 25. qu. prima , quæ dicit, quod Papa subijcitur Concilio in ijs quæ sunt fidei , & concernunt bonum vniuersalis Ecclesiæ . Et contrarium faciendo status Ecclesiæ decoloraretur , &c. ad hoc text. in c. etsi illa 1. qu. 7. Ad idem dicitur in cap. in istis , quarta distinct. quod sententia Concilij præfertur sententiæ Papæ, quia orbis maior est vrbe , vt in cap. legimus dist. 93. Et ad idem gloss. in cap. si Papa , dist. 40. cum vult , quod Concilium iudicet Papam quando scandalizat vniuersalem Ecclesiā . Vigesimosextò facit , quod Papa est pro-
26 pter Ecclesiam , sicut pastor propter gregem, iuxta illud 2. ad Corinth. 10. potestatem dedit nobis in ædificationem , non in destructionem, & non è conuerso . Accedit quod gloss. interlinearis super illud 2. ad Corint. 13. vt non præsens durius agam secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem,& non in destructionem , supplet qui aliter agunt non habent potestatem à Deo , ergò , &c. Consequentia patet,quia semper deterius est gratia melioris secundùm Aristo. in politici.s Vigesimoseptimò facit quod Ecclesia dici-
27 tur esse corpus quoddam , & singuli fideles membra illius. Vnde dicit Apostolus ad Roman. 12. multi vnum corpus sumus in Christo , singuli autem alter alterius membra, & Ioann. 15. ego sum vitis, & vos palmites. Tunc sic Papa est membrum Ecclesiæ, & non totum corpus, ergo sequit,quod vniuersalis Ecclesia , quæ est ipsum corpus Ecclesiæ sit amplioris virtutis, & potestatis quàm ipse Papa . Consequentia patet, quoniam membrum cum dicat particularitatem , minoris est virtutis , & perfectionis ipso toto corpore . Et hoc motiuum conuenit, cum septimo præcedenti ad illius corroborationem . Præterea non sufficienter esset prouisum corpori si membrum , quod efficitur putridum , & totum corpus inficit , non posset abscindi , capitulo resecandæ, 24. qu. tertia , cùm tamen Dei perfecta sint opera Deuteronom. 32. Vigesimo-
28 octauò facit , quod qui dicit se habere potestatem super alios , & concessionem potestatis sibi demandatam illud docere debet, capitulo cum in iure, de offic. delegat. maximè in ijs , quæ sunt suprema , & non consueuerunt concedi,capitulo quod translationem, de offic. legat. & in capit. quod super ijs, de fide instrum. Sed non legitur, quod Petrus acceperit claues super Ecclesiam vniuersalem,nec per consequens super Concilium illam repræsentans , sed super singularia membra Ecclesię secundùm opinionem Theologorum , & probatur in capitulo quamuis dist. 21. ergò sequitur quod Papa non est supra Concilium. Vigesimo-
29 nonò facit quod Ecclesia vniuersalis dicitur

tur mater omnium fidelium, vndè Eccles. 24. dicitur mater pulchræ dilectionis. Et ad Gal. 4. illa autem, quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater nostra, gloss. interl. ibi exponit, id est credentium. Et Prouerb. 1. dicitur ne dimittas legem matris tuæ, idest Ecclesiæ, ad hoc capitulo cùm de diuersis, de priuileg. in sexto, tertia quæst. 6. cap. dudum, & secunda quæst. 6. ad Romanam. Item ad hoc text. in capitulo fundamenta, in versiculo ne, autem ipsa mater Ecclesia in congregatione, & pastura fidelium, &c. de electione, in sexto, & in capitulo alma mater, de senten. excommunit. in 6. & 16. quæst. prima, capitulo vos autem, & distinct. 12. capitulo non decet. Et in capitulo finali, de foro competen. vbi Romana Ecclesia dicitur mater, & magistra omnium Ecclesiarum. Tunc sic Papa dicitur filius Ecclesiæ, quod patet, quia nullus est pater matris suæ, vndè, & Matth. 23. dicitur quod vnus est pater, qui in Cœlis est. Sic autem, & in terris vna est Ecclesia, quæ est mater omnium fidelium, & consequenter Papæ, probat text. in cap. qui abstulit 12. qu. 2. vbi Anacletus Papa, dicit mater verò nostra Ecclesia est. Sequitur ergò, quod Papa tamquam filius subsit Ecclesiæ tamquam matri, & quod Ecclesia sit maior excellentia dignitatis, & superioritatis filio suo Papa, vndè Bernard. in libro 4. de considerat. in fine dicit consideres antè omnia sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore praees matrem esse, non Dominam, & te nō Dominum Episcoporum, sed vnum ex eis, quod exponit Archid. distinct. 12. capitulo primo, & Domin. ibi & est bonus text. in cap. esto subiectus distinct. 96. Facit capitulum mutationes, septima quæstione 1. ibi non propria cuiusque voluntate, aut dominatione. Et eadem verba ponuntur in effectu in dicto capitulo esto subiectus, & in capitulo prædicator, 16. qu. 1. Facit quod dicitur Luc. 22. reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur, & infertur, vos autem non sic. Ex quo patet quod Apostolis interdictus est dominatus. Et sic Papa non dicitur Dominus, facit quod dicitur in cap. 2. de donat. & dicto capitulo non decet distinct. 12. Ad idem August. in sermone Petri, & Pauli, incipit filioli, dicit, mater nostra pariendo non discernit ætates, ipsa genuit Petrum, ipsa parturiuit, & Paulum, vt ex lupo fieret agnus. Ecce quod Ecclesia est mater, & Petrus ab ea genitus, ergò maior est Ecclesia Petro, & consequenter maius Concilium illam repræsentans Petro ab ea genito. Trigesimò
30 ad idem facit, quod Ecclesia vniuersalis dicitur Domina, iuxta illud threnorum, 1. Domina gentium dist. 79. cap. oportebat, ponit Ioannes de Anan. in rubrica de schismat. Sed maior est potestas in Domino, quàm in seruo, ergò maior est potestas Ecclesiæ vniuersalis, quæ est Domina quàm Papæ, quia Papa, & alij Prælati non sunt Domini, sed ministri, & dispensatores secundùm Apostolum 1. ad Corinth. 4. ad hoc, quod legitur in cap. 2. de donation.

31 Trigesimoprimò facit, quod Ecclesia dicitur esse Regina, iuxta illud psalm. 44. astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Tunc sic potestas est in Ecclesia sicut Regina, in Papa autem non sicut in Rege, quia regimen Papæ respectu Ecclesiæ non videtur regale, sed politicum, iuxta illud Matth. 20. capit. scitis, quod Principes gentium dominantur in eis, & qui maiores sunt potestatem exercent in eas, non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos maior fieri sit vester minister. Ergò sequitur, quod potestas in vniuersali Ecclesia tamquam in regina est maior, quàm potestas Papæ.
32 Trigesimosecundò facit, quod, vbi maior est sapientia, & charitas, ibi videtur esse superioritas, sed in Ecclesia est maior sapientia, & charitas, quàm in aliqua alia creatura, siue sit Papa, siue alia quæcumque persona, quia Ecclesia non potest errare, vt in capit. à recta, dist. 24. quæst. 1. sicut potest Papa, vt in cap. si Papa dist. 40. igitur maior est Ecclesia, siue Concilium,
33 quàm Papa. Trigesimotertiò probatur ex eo, quod Concilium iudicat de Papa. Vndè Christus loquendo ad omnes Apostolos, inquit, Vos estis sal terræ, &c. quod si sal euanuerit ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Ex qua auctoritate Hieronym. ad Heliodorum, & transumptiuè, distinct. 2. qu. 7. non omnes Episcopi, dicit, non est facile stare in loco Petri, & Pauli, scilicèt tenere locum iàm cum Christo regnantium, infatuatum sal ad nihilum prodest, nisi vt proijciatur foras, & conculcetur à porcis, idest deponatur, & ibi loquitur de omnibus Prælatis, nec excipitur Papa. Et gloss. in cap. sicut inquit dist. 2. quæst. 7. innuit, quod vbicumque reperitur Papam posse iudicari de hæresi, si non dicitur, per quem, debet intelligi per Concilium generale. Et ità intelligunt Doctor. in capit. si Papa dist. 40. & in cap. in fidei, de hæret. in 6. & gloss. in cap. nunc autem dist. 21. & gloss. in cap. si duo dist. 79. cum ergo Concilium iudicet Papam, sequitur, quod sit maior ipso. Et si dicatur, quod illa iura loquuntur in causa fidei. Respondetur, quod non reperitur, quod in causa fidei, Deus dederit maiorem potestatem Ecclesiæ, quàm in alijs causis, quia quando dedit potestatem vsus est verbis generalibus, quæcumque alligaueritis, &c. Quinimmò suadet ratio, quod si potest procedere in causa fidei, vbi est maius periculum, multò magis in alijs causis minoribus, quia cui conceditur maius, videtur concedi, & illud, quod est minus, capit. ex parte, de decim. Ad idem faciunt illa, quæ dicta sunt supra in secundo motiuo.
34 Trigesimoquartò facit, quod Ecclesia Dei dicitur Sponsa, vt patet Apocal. 21. vidi sanctam Ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de Cœlo tamquàm Sponsam ornatam Viro suo, & in capitulo loquitur in fin. & in cap. omnibus dist. 24. quæst. 1. Papa autem non est Sponsus, sed Paranymphus Sponsæ, vt dicit Bernardus de considerat. ad Eugen. sic & Apost. 2. ad Co-

Corinth. 11. vbi glosſ. Nicol. super illud, despondi enim vos, &c. dicit, fuerat enim Apostolus Paranymphus Matrimonij inter Corinthios, & Christum per veram fidem. Cùm ergo maior sit auctoritas in Sponsa, quàm in Paranympho Sponsæ, sequitur, quod in Ecclesia sit maior auctoritas, quàm in Papa.

Quinimmò dicit text. in Clement. 1. de summa Trinit. quod est vnica, & immaculata, ac virgo sancta Mater Ecclesia Coniux Christi, clarum est autem, quod plùs est Coniux, quàm Vicarius, sicut est Papa, siue Locumtenens, vt in capit. quanto, & in capit. licèt, de translat. Prælat.

35 cum similibus. Trigesimoquintò facit, quod dicit Apostolus ad Rom. 13. omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. vt in cap. 2. de censib. de qua vniuersitate nec Papæ anima excipitur, ergo & Papæ anima potestati alterius subdita est; sed nulli possunt esse subdita, quàm vniuersali Ecclesiæ, sequitur ergò, quod Ecclesia sit maior ipso Papa. Ad quod facit illa auctoritas Hieron. in capitulo legimus distin. 63. cùm dicit, quod Orbis maior est Vrbe, ostendens Ecclesiam Romanam esse de corpore Ecclesiæ vniuersalis. Ad hoc benè text. iuncta glosſ. in cap. ecce dist. 98. sequitur ergo, quod Ecclesia vniuersalis sit maior Ecclesia Romana, & quod in ipsa vniuersali tamquam in fundamento sit potestas Ecclesiastica principaliter, si autem vniuersalis est maior, ergo & Concilium eam repræsentans, & sic Concilium est maius Papa. Accedit, quod dicit Ioannes Andreas in cap. à nobis il 2. de sentent. excommunicat. quod Ecclesia Romana potest errare, sed non Ecclesia vniuersalis, & consequenter nec Concilium, quod illam repræsentat. Accedit etiam, quod fuerunt aliæ Ecclesiæ antè Romanam: fuit enim Ecclesia Hierosolymitana, quæ fuit Metropolis Iacobi fratris Domini, distin. 66. capit. porrò. Item & Antiochena recta à Petro, in qua primùm discipuli appellati sunt Christiani. Trige-

36 simosextò, ad idem facit text. in capitulo benè quidem dist. 96. vbi Symmachus Papa in Concilio præsidens cùm tractaretur de validitate certæ scripturæ Basilij de electione Romani Pontificis, quam nullus Antistes Romanæ Ecclesiæ subscripserat, iussit eam deferri in medium, vt ex ipsa electione cognosceretur cuiusmodi posset habere substantiam, addens nolle se disputare de eo, de quo statim poterat iudicare Concilium. Ex quo videtur innui Concilium esse maioris auctoritatis, quam Papa. Ad idem & fortior est text. in capit. quod quis dist. 35. qu. 9. vbi Papa petit subscriptionem Synodi, vt Synodali iudicio auditus claudatur illicitus. Et quod Papa fateatur sanctam Synodum iudicare posse super eo, quod abusum continet, & diminutionem Ecclesiasticæ libertatis, probatur dist. 2. quæst. 7. §. item Symmachus, & distin. 27. §. hinc etiam, vbi patet causam Symmachi Papæ delatam esse ad Concilium, tam cum ageret de restitutione Papatus, quo se spoliatum affirmabat, quàm cum se oppressum assereret; & sic maius est tribunal Concilij, quàm Papæ, ergo maius est Concilium, quàm Papa. Idem etiam in cap. nunc autem dist. 21. Ad idem quoque text. in cap. Concilia dist. 17. vbi dicitur, quod auctoritas Papæ tradita est à Concilijs, ergo Concilium est supra Papam, quia superiora agunt in inferiora, non è contra. Ad idem text. in capit. Vrbes dist. 80. & in cap. Prouinciæ, & in cap. nulli dist. 99. vbi patet, quod Apostoli simùl cum sancto Petro diuiserunt Prouincias per Orbem, & posuerunt Primates, ad quos Episcoporum negocia, & maiores causæ post Apostolicam Sedem referrentur; ergo Cœtus Apostolorum erat maior Petro iurisdictione, & consequenter Cōcilium maius Papa. Ad idem text. in cap. quilibet dist. 8. quæst. vlt. & dist. 21. in summa. Ad idem text. in capit. requiritis, dist. 1. quæst. 7. vbi dicit Papa se non posse decreta à Concilijs tollere, siue illis contraire. Ad idem text. in capit. primæ sedis dist. 69. vbi Concilium Africanum definiuit, vt primæ sedis Episcopus non appellaretur Summus Sacerdos, neque Princeps Sacerdotum, ergo Concilium est maius primæ Sedis Episcopo, hoc est Papa. Ad idem adducitur text. in cap. quamuis dist. 21. aliàs inductus alio modo nunc ponderando, vbi dicit text. quod quamuis vniuersæ Ecclesiæ Christi sit vnus thalamus, tamen sancta Romana Ecclesia Catholica, & Apostolica cæteris prælata est, dist. 24. qu. 1. cap. omnibus, vndè patet, quod vniuersæ Ecclesiæ includendo Romanam est vnus Christi thalamus, qui Christi thalamus est vniuersalis Ecclesia, & consequenter Concilium, ergo Concilium tamquam continens Romanam Ecclesiam est maius, & Ecclesia Romana tamquam contenta est maior. Ad idem text. in cap. puto dist. 2. quæst. 7. vbi benè probat text. dicens, cùm Petrus à Paulo licèt esset posterior corrigatur, quantò faciliùs, & fortiùs, quod per vniuersæ Ecclesiæ statuta firmatum est, vel vnius Episcopi auctoritati, vel vnius Prouinciæ, Concilio præferendum est. Ex quo text. apparet, vt consequentia valeat, quod cum de Petro à Paulo correcto loquitur, intelligi debet illa auctoritas non solùm de alijs inferioribus Episcopis, quod eorum Concilium non sit præferendum iudicio vniuersæ Ecclesiæ, sed etiam de Episcopo Romanæ Ecclesiæ, & sic de Papa, ergo Concilium est maius Papa. Et de pluribus similibus iuribus vide in 4. 5. & 14. oppositione. Ad idem facit text. in cap. quamuis dist. 3. qu. 6. vbi patet, quod à Cœtu Apostolorum, quem Synodus generalis repræsentat definitum est, vt nonnisi per Romanum Pontificem definiantur Episcoporum accusationes, ergo patet maius esse Concilium Papa, cùm decreta Concilij dederint Papæ sublimitatem, & præeminentiam. Ad idem in simili etiam text. in cap. dudum, eadem causa, & quæst. vbi à sanctis Apostolis statutum fuit non oportere absque scientia Romani Pontificis Concilia celebrare, vndè Concilium, quod Cœtum Apostolorum repræsentat, maius est Papa, quia transtulit præemi-

nen-

nentiam in Papam; quam non reperitur à se abdicasse, vt est text. optimus in capit. quisquis dist.4. qu.5. Ad idem text. in cap. si quis dist.2.quęst.7. vbi beatus Gregorius dicit, si quis super hoc nos arguere voluerit, vel extrà, auctoritatem facere nos contenderit, veniat ad Sedem Apostolicam, vt ibi antè Confessionem beati Petri mecum iustè decertet, quatenùs vnus ex nobis suscipiat sententiam suam. Vndè patet, quod Papa habet Iudicem superiorem Sedem Apostolicam, ergo multò magis Concilium. Item ad idem text. in capitulo manet, & in capit.memor dist.24. quæst.1. vbi probatur, quod contra vniuersalem statum Ecclesiæ Papa non potest aliquid facere, quia tunc eius iudicium non procedit ex æquitate. Item ad idem facit gloss. in cap.proposuit, de concess.præbend. vbi dicit, quod Papa non potest immutare vniuersalem statum Ecclesiæ.Ad idem gloss. in capit. literas, de restitut. spol. vbi dicit, quod Papa non dispensat contra quatuor Concilia, & gloss. in cap.cùm ad Monasterium,de statu Regular. Ad idem distinct. 1. qu.7. cap. etsi illa, & dist.25. qu.1. cap.quæ ad perpetuam, & capit. sunt quidam, vbi Papa non dispensat contra vniuersalem statum Ecclesiæ. Ad idem text sicut sancta dist. 12. vbi dicitur, quod Romana Ecclesia habet diuersas consuetudines, quas seruare debemus,si illis non obstant canonica instituta, inter quæ sunt Conciliaria, igitur. Ad idem text. in capit. illud, & capit. ridiculum, eadem distin. vbi dicitur, quod ridiculum est, & abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitùs à Patribus suscepimus,infringi patiamur. Ergo Papa, qui tenetur ad obseruantiam illorum, non

37 est maior.Trigesimoseptimò valeant argumenta dictamine rationis naturalis, vt in leg. cùm ratio, de bonis damn. & quando lex deficit ratio pro lege habetur. Vndè Seneca [si vis omnia tibi subijcere,te subijcias rationi.] Dicit gloss. in cap.ex eo, de elect.in 6. est enim anima legis,quia lex est omne, quod ratione consistit, dist.1. cap. consuetudo. Et deficiente lege, allegatur ratio naturalis, leg. in summa, §. item Varus, ff.de aqu.pluu.arcen. leg.scire oportet, §.sufficit, ff.de excus.tutor. Sed ratio naturalis suadet, quod maior sit Ecclesia vniuersalis, in qua multi sunt Catholici, & sancti Viri, quàm Papa, vndè licèt Papa sit supra legem, leg. digna vox, C. de legibus tamen, & viri sancti, qui spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege, quia lex non est posita iusto capit. licèt, de Regularibus. Et magis sequendum est, quod meliùs à Spiritu sancto reuelatum est distin.8. cap. frustrà. Ista autem ratio naturalis, quod maior sit Ecclesia vniuersalis, & consequenter Concilium illam repræsentans, sumitur ex multis: Primò, quia rectius est consilium, quod plurimorum sententijs roboratur, leg.vlt. C. de fideicomm. cap. prudentiam, de offic.deleg. Secundò, quia Ecclesia vniuersalis benè subsistit sine Papa, quia illius caput semper est Christus, vt dictum est supra, ponit gloss. post Hostiens. in cap.1. de schismat. in 6. sed Papa sine vniuersali Ecclesia nihil esset, argumen. leg.2. §.post originem, ff. de orig. iur. Tertiò, quia non præsumitur potestas, & iurisdictio, nisi, qui illam prætendit, ostendat, vt in capit. cùm iure, de offic. delegat. & maximè in suprema, vt in capit. quod translationem, de offic. legat. Quartò, quia hoc suadet ratio, propter inconuenientia,quæ sequi possent, si dictum vnius præferretur vniuerso Orbi, quia posset esse malus, & destruere Ecclesiam. Vndè si non esset aliquis superior, qui malum Papam haberet corrigere, iàm non esset sufficienter prouisum Ecclesiæ, contra illud Isaiæ 5. [quid est, quod vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci ei?] quasi dicat nihil. Et multæ his similes adduci possent rationes, maximè, quia vniuersalis Ecclesia comprehensiuè non est in Papa solo, sed benè Papa est in vniuersali Ecclesia, de consecrat. dist.1. capit.Ca-

38 tholica dist. 38. Trigesimooctauò ostenditur, quia Christus post resurrectionem suam volens confirmare potestatem datam Ecclesiæ in personis Apostolorum, dixit, [Sicut misit Me Pater, & Ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, &c.] vbi non dixit, mitto te Petrum, sed ego mitto vos, scilicet cum eadem potestate, quia Pater Me misit. Vnde suam potestatem ad Ecclesiam, ad regimenque Ecclesiæ transmisit. Pro hoc text. dist. 24. qu.1. cap. loquitur, vbi dicitur, quod parem potestatem tribuit Apostolis, & quod hoc erant Apostoli, quod Petrus fuit pari consortio prædìti honoris, & potestatis, sed vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno, scilicet Petro, incipientem sua auctoritate disposuit, ex quo patet, quod non solus Petrus potestatem accepit, sed ipsa Ecclesia, & consequenter Concilium.

39 Trigesimonono facit, quod Concilium exercet iurisdictionem circa ea, quæ sunt de suprema potestate. Nàm deponit Cardinales, vt in cap.1. de Clericis non resid. iudicat, & deponit Episcopos, distinct. 2. quæst.1. capit. scelus dist.4. quæst.5. capit. quisquis, vbi ad Concilium defertur causa Episcopi. Item facit statuta generalia de electione Papæ, & de salute animarum, capit. in nomine Domini dist.23. capit. ex multis dist.1.quæst.3. cap.virgines dist.20. qu.4. cap.visis dist.16. quæst.2. Item dedit primatum Ecclesiæ Romanæ dist. 17. cap. hinc etiam dist.3. qu.6. cap. dudum dist.9. qu. 3. aliorum. Transfert in Papam iurisdictionem etiam priuatiuè ad alios Episcopos, patet in capit. quamuis distinct. 3. quæst. 6. ibi sicut ab Apostolis, eorumque successoribus multorum consensu Episcoporum definitum est, & dicto capit.dudum eadem causa, & quæst. & cap. sacrosancta dist.22. & cap.cùm ex eo, de pœnit.& rem. Item iudicat de persona Papæ, vt dictum est in primo motiuo per iura ibi allegata.

40 Quadragesimò facit, quod Papa sequitur ordinata per Concilia, vt patet in capitulo nolite dist. 11. & in cap. requiritis prima quæst.7. & in cap. priuilegia 25. qu.2 & in cap. contra eadem causa quæst.1.iuncto cap. sicut distinct.15.Et bonus est text. in cap. confidimus 25. quæst.1. ibi vniuscuius-

cuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus nullam magis exequi sedem, quàm primam. Si ergo tenetur exequi, & sequi statuta Concilij, sequitur quod maius est Concilium
41 Papa. Quadragesimoprimò adducitur, quod omnes Apostoli fuerunt fundamenta Ecclesiæ apocal. 21. vbi murus ciuitatis, id est Ecclesiæ habet duodecim fundamenta, & in ipsis sunt nomina 12. Apostolorum, ad hoc etiam cap. fundamenta, de elect. in 6. Et eis, vt sæpius dictum est, demandata est cura populorum, per illud Matth. vltimo euntes docete omnes gentes, &c. & Ioann.20. quorum remiseritis peccata, &c. Illis etiam traditæ sunt claues Matth.18. & supra dictum est. Et eis commissum est docere vita exemplari Matth.5. sic luceat lux vestra coram hominibus, &c. Et inter Apostolos non semper Petrus ponitur primus, vt patet in epistola Pauli ad Galat. secunda ibi, & cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis. Vnde patet, quod tam ratione fundamenti, quàm ratione potestatis & ordinis cognominandi non ostenditur, quod magis sit tribuendus primatus Petro quàm cæteris Apostolis, & idem consequenter videtur dicendum in Papa. Vnde ex hoc magis potest argui, quod Concilium sit supra Papa, quàm è contra, sicut videmus, quod collegium habet potestatem supra singulos de collegio capitulo dilecta, de concess. præb. leg. final. Cod. de iur. omnium iudicum facit, quod dicitur in capitulo irrefragabili in §. excessus de
42 offic. ordin. Quadragesimosecundò ostenditur, quia sententia Romani Pontificis examinatur in Concilijs vniuersalibus. Patet primò in depositione Dioscori facta per Leonem Papam, quæ fuit examinata in Concilio Chalcedonensi, secundò in depositione Pyrrhi, & Sergij facta per Martinum Papam in Synodo Romana, quæ fuit examinata in Synodo Constantinopolitana tertiò in depositione Photij Constantinopolitani facta per Nicolaum, & Adrianum Romanos Pontifices, quæ fuit examinata in octaua Synodo. Ergo videtur, quod Concilium sit supra Papam. Quadrage-
43 simotertiò facit, quod in gestis octauæ Synodi legitur, quod Zacharias Episcopus contra sententias Nicolai, & Adriani summorum Pontificum dixit, quod canon princeps est, & quod contra illum agentes nihil faciunt, quod decet, cum verò extra hunc quispiam facit, siue Papa Nicolaus siue alius, non acquiescimus. Ergo videtur, quod Concilium est supra Papam, cum disponat extra Canonem non acquiescendum sententiæ Papæ. Quadragesimoquar-
44 tò facit auctor. Matth. 20. Marc. 10. cùm Christus dixit Apostolis, scitis quod Principes gentium dominantur eis, & qui maiores sunt potestatem exercent in eas, non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos primus fieri sit vester seruus, vnde patet, quod inter Apostolos fuit prohibitus primatus, ne essent ad instar principum secularium. Et sic eos reliquit sub directione Spiritus sancti, qui est in sancta Ecclesia in vnum congregata, & sic in Concilio. Et ideò dicitur capitulo loquitur, vigesimaquarta quæstione prima, & in capitulo in nouo, vigesimaprima distincti one, quod Apostoli omnes hoc idem erant, quod Petrus pari consortio præditi honoris, & potestatis, ergo Papa non potest esse maior Concilio, cum sit par existentibus in Concilio, Quadragesimoquintò fa-
45 cit text. in capitulo de quibus, vigesima distinctione, vbi datur ordo in solutione alicuius quæstionis, vt primùm recurratur ad scripta noui, vel veteris testamenti, secundò ad canones Apostolorum, vel Conciliorum, tertiò ad decreta Summorum Pontificum. Quadragesimosextò facit,
46 quod si Concilia non essent maioris auctoritatis quàm Papa, & si Papa posset tollere Concilia esset frustratoria congregatio Conciliorum, quia frustra à Concilio expectaretur alicuius canonis, vel decreti euentus, qui nihil operaretur, dicit Ioann. in regula, nullus ex consilio, in mercur. in tertia opposition. de regul. iur. in sexto.
47 Quadragesimoseptimò adducitur, quod ille potiùs debet dici maior inter Apostolos, qui successit immediatè Christo in Ecclesia, quam ipse rexit, quia ille est dignior qui magis adhæret primo, vt in capitulo de Constantinopolitana vigesimasecunda distinctione, sed militantem Ecclesiam Christus rexit in vita mortali in Hierosolymitana, & in illa successit ei Iacobus Alphæi, & sic Iacobus dicitur potiùs successor Christi, quàm Petrus, & si excludimus Petrum ergo, & successores, & si successores, ergo quod dicitur, quod Papa non habet maiorem supra se, vt in capitulo licèt de elect. non est verum, si autem habet superiorem, nullus melior, quàm Concilium, ergo Concilium est maius. Quadra-
48 gesimooctauò facit, quod dicit sanctus Thom. in lib. de regimine princ. quod si ad ius alicuius communitatis pertineat sibi prouidere de Rege, & ab eadem Rex institutus, fuerit in tyrannum conuersus, poterit destitui, & refrænari eius potestas, postquam tyrannicè abutitur potestate Regia. Vnde in simili cum ad communitatem Ecclesiæ spectet per Cardinales ius eligendi Papam, ergo ad eandem spectat cum corrigere, & punire, vbi ipse efficeretur tyrannus, & incorrigibilis. Facit quod dicitur, quod eius est destituere, cuius est instituere, vt in capitulo primo, & secundo, de cappel. monast. & in capitulo, cum & plantare in §. in Ecclesijs de priuil. & in capitulo cum ex iniuncto de hæres. in glos. final. Sed si sic est, Papa habet iudicem superiorem in terris, hoc est Ecclesiam, &
49 sic Concilium. Quadragesimonondò facit regula si enim vinco vincentem te, vinco te, capitulo auctoritate de concess. præbend. in 6. sed Imperator iudicatur à Concilio, & est suppositus Concilio, vt ipsemet dicit in l.1. Cod. de summa Trinit. & in authen. de Eccles. tit. in princ. & est text. in capitulo ad Apostolicæ de re iudic. in 6. ipse autem iudicat, & habet potestatem in Papam,

pam, & ergo multò magis Concilium iudi-
cat Papam. Quod autem Imperator ha-
beat potestatem in Papam,& sit iudex eius,
probatur, quia Papa non est magis exem-
ptus iurisdictione Imperatoris,quàm fuerit
Christus inquantum homo mortalis, sed
Christus inquantum homo fuit subiectus
Imperatori, vt patet Ioann.19. cum dixit
Pilato, non haberes potestatem aduersùs
me vllam, nisi tibi datum esset desuper,
ergo multò magis Papa, qui est Christi Vi-
carius d. capitulo ad Apostolicæ, & in
capitulo licèt de translat. prælat. & in ca-
pitulo primo de hom. in 6. cum simil. quia
minor est Vicarius illo, cuius vices gerit,
vt patet de offic. Vicar. prætor. Item Papa
habet potestatem ab Imperatore, & Impe-
rator dedit Papæ priuilegium principali-
tatis 96. distinctione capitulo Constanti-
nus. Item, & Petrus, & cæteri Apostoli
fueruut subiecti Imperatori, quia in hoc
erant pares Petrus, & alij Apostoli, sed
Paulus tamquam subiectus appellauit ad
Imperatorem, vt patet act.25. Item sicut
in nouo testamento potestas summi sacer-
dotis dependet immediatè à Deo, vt in
capitulo nouit de iudic. sic & in veteri te-
stamento præeminentia summi sacerdotis
fuit instituta à Deo, vt patet Exod.28. Sed
non obstante prædicta eminentia summus
Sacerdos in veteri lege potuit ab homine
iudicari, & deponi, vt patet de Abiathar,
qui erat verus, & legitimus summus sacer-
dos, & tamen fuit electus de summo sacer-
dotio per Salomonem, non propter hære-
sim, sed quia conspirauerat cum Adonia,
vt patet 3.reg.1. & secundo capitulo, ergo
à pari idem dicendum est in nouo testamen-
to de Papa. Et si Papa iudicatur ab Im-
peratore, & Imperator iudicatur à Conci-
lio, multò magis Concilium iudicabit Pa-
pam authent. multò magis Cod. de sacro-
sanct. Eccles. ergo Concilium est maius
Papa, & Imperatore, & iudicabit de Papa,
sicut de Imperatore. Accedit, quod qui-
cumque soluit alicui tributum, non vide-
tur eo maior esse, sed magis subesse ei, cui
soluit tributum, sicut daus decimas minor
est recipiente, vt dicit Apostolus ad He-
bræos 7. facit, capitulũ final. de causa po-
ses. & propriet.& capitulo cùm Apostolus
de cens. & l.1. & 2. C. de cens. lib.11. per
Siculum consil. 98. Sed Papa soluit tribu-
tum Imperatori 11. quæst.1. si tributum,
vbi dicit Papa, quod si Imperator petat
tributum non negamus. Ergo Papa est
minor Imperatore, & consequenter Con-
cilio, quod iudicat de Imperatore, vt di-
50 ctum est. Quinquagesimò facit, quod
Petrus licèt fuerit Vicarius Christi, vt in
c. ita Dominus dist.19. & in c.in nouo 21.
dist.& in cap. inter corporalia de translat.
prælat. Papa tamen dicitur Vicarius Petri
vt in cap. memor 24. quæst.1. & 1.quæst.7.
quotiens, & 1. quæst.1. non quales, & le-
gitur in legenda Ioann. Papæ,& martyris,
vbi similiter vocatur Vicarius Beati Petri
Sed Vicarius non potest facere Vicarium,
vt in capitulo clericos de offic. Vicar.
Ergo Papa ex suo Vicariatu tamquam
nullo respectiuè ad Christum non conse-
quitur primatum supra Ecclesiam, maximè
cum etiam Petrus hunc primatus habuerit
ab Apostolis,& sic ab vniuersali Ecclesia, vt
in c. sacrosancta dist. 22. & in c. dudum 3.
51 quæst. 6. Quinquagesimoprimò probatur
ista maioritas Concilij ex auctoritate
Euangelica Matth. vltimo vbi dicitur, ego
vobiscum sum vsque ad consummationem
sæculi. Sed si plenitudo potestatis esset in
Papa, non diceretur esse nobiscum vsque
ad consummationem seculi, quia Papa
est mortalis, & sic in eo plenitudo potesta-
tis non potest esse perpetua. Ergo dicen-
dum est, quod sit in Ecclesia vniuersali,
quæ numquam moritur, capit. turbatur 1.
quæst. 4. nam, vt dicit Aristot. 2. poli. c.8.
regimen ciuitatis consistere debet apud va-
lentiorem partem ipsius ciuitatis secun-
dùm ordinatam politiam. Ergò etiam re-
gimen Ecclesiæ debet esse apud vniuersa-
lem Ecclesiam, tanquam valentiorem Par-
tem, potiùs quàm apud Papam, qui potest
decipi, vt in cap. præterea 23. dist. & po-
test peccare, & errare, vt in cap. à recta.
24. q. 1. & moritur, vt in cap. vbi pericu-
lum, & in clem. ne Romani, cum simil. de
elect. Cuius contrarium est in Ecclesia vni-
uersali, vt in d. cap. à recta, & dicto cap.
loquitur, quia illa non potest esse nulla, vt
in cap. pudenda 24. qu. 1. & gl. in cap. ita
Dominus 19. dist. Et si dicatur quod pote-
stas Papæ adhæret Ecclesiæ intrinsecè, &
quod Ecclesiæ ad Papam est essentialis or-
do, non quidem ad hunc, vel illum Papam
personaliter accipiendo, sed generaliter,
videlicet nomine Papæ intelligendo illam
supremam potestatem, quæ in Papa residet,
quia cùm de ratione Ecclesiæ sit esse corpus
vnum, & ordinatum, ordo autem sit per re-
spectum ad aliquid principium, hoc intelli-
gi non potest, nisi per illud primum Papa
intelligatur, qui est primus in Ecclesia, &
per respectum, ad quem omnes alij Ministri
dicuntur esse ordinati, siue habere ordinem.
Vnde quamuis, quando moritur Papa tunc
sit dare tempus, in quo Ecclesia est sine per-
sona Papæ, eo tamen tempore verum est
dicere quod in Ecclesia est dignitas Papa-
lis, quamuis enim persona eligatur, quæ ha-
beat illam dignitatem, non tamen digni-
tas illa de nouo instituitur in Ecclesia. Mul-
tum enim interest, vtrùm in aliqua Ciuitate
de nouo instituatur dignitas Episcopalis,
& præficiatur in ea Episcopus, an dignitas,
quæ iam ab antiquo ibidem creata erat, &
per mortem vacauerit, conferatur alicui;
nam per mortem Episcopi non dicitur Ci-
uitas, aut Ecclesia perdere dignitatem Epi-
scopalem. Sic igitur dicendum est de Eccle-
sia respectu Papæ, quod est vnius ad alte-
rum ordo essentialis, ita quod alterum sine
altero intelligi, aut esse non potest. Quia
ad hoc dici potest quod ipsa obiectio tra-
hit solutionem secum, quia facit differen-
tiam inter Papam,& dignitatem Papalem,
siue inter sedem Romanam, & sedentem,
quorum alterum dicit in Ecclesia semper
manere, alterum verò non semper, sed quã-
doque. Vnde conceditur, quod suprema
potestas, quam Christus Ecclesiæ suæ con-
cessit ad se tuendam, & regendam, & cuius

 indi-

Iudicio, & dispositioni omnes acquiescere tenentur, semper in Ecclesia manet, nec est assignare aliquod tempus, in quo absque huiusmodi potestate intelligatur stare, & si per dignitatem Papæ, aut Romanam sedem intelligitur hæc suprema potestas, non est dubium hanc in Ecclesia semper permanere, sed hæc suprema potestas, cuius dicitur esse ordo essentialis ad Ecclesiam, vt patet ex Canti. 6. vbi dicitur, quod est terribilis, vt castrorum acies ordinata, hoc respectu non est solùm in Papa, sed in Ecclesia, nam Papa mortuo Ecclesia manet ordinata, quia de ea omni tempore dicitur, quod est terribilis, vt castrorum acies ordinata, Nec potest dici, quod tunc solùm competat ei ordinatio habitualiter, videlicèt habito respectu ad Papam futurum, quia non solùm potentialiter, vel habitualiter, sed actualiter est ordinata, cùm eo tempore de ipsa dicatur, quod est corpus vnicum, & sponsa Christi, & paruo tempore suum perdit ordinem, & decorem. Cum ergo hæc suprema potestas intelligatur esse in Ecclesia, & in Papa, alia tamen & alia habitudine, equidem inter hanc potestatem, & Ecclesiam videtur esse habitudo necessaria, quia impossibile est vnum ab altero separari, præsupposita videlicet ordinatione, vnde videntur se habere sicut subiectum, & proprium eius, sed inter hanc potestatem, & personam Papæ non necessaria habitudo, sed contingens esse dicitur, cùm hæc potestas possit esse sine Papa, vt sede vacante, & persona Papæ etiam absque illa, vt est, antequam eligatur, vel cum esset depositus à Papatu. Ergo cum possint ab inuicem separari, sequitur quod quamdiù manet Papa, non necessariò, sed contingenter dicitur hæc potestas ei inesse. Ex quo apparet quod hæc potestas primò, & principaliter est in Ecclesia, secundariò verò in Papa, nam quandocumque aliqua virtus, siue proprietas inest duobus ita, quod vni necessariò, & alteri contingenter, principaliter inest illi, cui competit necessariò potiùsquàm illi, cui competit contingenter, sicut dicimus de calore ignis, qui ei necessariò inest, aquæ autem, & alijs contingenter. Sic etiam videmus esse de ipsa summa potestate, quæ competit Ecclesiæ, & Papæ, quia Ecclesiæ inest habitudine necessaria, & intrinseca, Papæ autem extrinseca, & contingenti, ex quo enim ipsa suprema potestas, potest esse sine Papa, sequitur, quod ad Papam est contingens, siue extrinseca habitudo. Et si sic est, maior est Ecclesia, & consequenter Concilium, quàm Papa, cùm Christus Ecclesia fundauerit super se petram, & dederit illi virtutem, & potestatem, qua seipsam in suo esse possit conseruare, & regere, & aduersantibus, siue conantibus ad eius destructionem resistere, & se tueri, cum dixerit, quod portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, ac si dixisset quod eo ipso quod ædificata est, habet in se virtutem, & potestatem intrinsecam aduersantibus resistendi, & se in suo esse conseruandi, sicut cuilibet creaturæ Deus dedit propriam virtutem intrinsecam, qua possit se in suo conseruare, & regere, & aduersantibus, siue conantibus ad destructionem resistere. Vnde August. super psal. 103. exponens illud, qui fundasti terram super stabilitatem suam, dicit, & sic stabilitas, & firmitas eius inhæret ei intrinsecè, quam stabilitatem, siuè fundamētum, super quod Ecclesia est fundata, dixit esse Christum, iuxtà illud primæ ad Corint. 3. & 1. qu. 1. cùm Paulus. Quinquagesimosecundò facit
52 quod Papa repræsentat Ecclesiam Romanam, vt in cap. quamuis 21. dist. & cap. sacrosancta 22. distin. quatuor enim modis accipitur Ecclesia Romana, aliquando pro Papa, aliquando pro iurisdictione temporali, aliquando pro Ecclesia Cathedrali Lateranen. aliquando pro Ecclesia S. Petri, vt dicit Bald. in auth. quas actiones, C. de sacrosanct. Eccl. Archid. in cap. 2. de præscript. in 6. & in c. fundamenta, de elect. eod. lib. Sed Romana Ecclesia non est vniuersalis, sed de vniuerso, vt dicit tex. Grego. in cap. ecce, iuncta gl. 99. dist. Igitur vniuersalis Ecclesia maior est Papa, & consequenter Concilium illam repræsentans.
53 Quinquagesimotertiò facit tex. in capitulo Constantinus 96. distin. vbi dicitur quod Constantinus contulit Romano Pontifici, vt omnes in toto orbe Romano Pontifices, vel sacerdotes, ita hunc habeant, sicut iudices Regem. Ex quo patet quod primatus Papæ emanauit à Constantino Imperatore, sed Imperator est suppositus Concilio vtest tex. in l. pri. C. de sum. Trin. & in authen. de Eccl. titulo in princ. Ergo multò magis erit subiectus Papa ipsi Concilio. Ad idem facit, quod dictum est supra in 49. contrario de tributo. Quinquagesimo
54 quartò facit, quod multa sunt, quæ ostendunt præeminentiam in Ecclesia patet ex dicto August. contra epist. Manichæi, quam vocant fundamenti, in 5. capit. vbi dicit, ego Euangelio, non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoueret authoritas, quod probatur ex dicto Christi Mar. 1. pœnitentiam agite, & credite Euangelio, idest euangelizantibus. Ex quo dicto sequitur, quod maior est authoritas Ecclesiæ, quàm Euangelij, cum tamen Euangelium sit præstantissimum, inter omnia diuina scripta. Et si dicatur, quod authoritas Ecclesiæ consurgit ex Euangelio, & est idem, quod Euangelium, respondeo quod differunt, sicut appellatione noui testamenti non venit liber quatuor Euangeliorum, nec scripta Apostolorum, vt notat Domi. in cap. de quibus 20. dist. Item ad Ecclesiam spectat declarare sensum reuelationum, & canonum Bibliæ, & verborum, vt in exemplo Euangelij, si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te. Item similiter, si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei sinistram. Item Math. 11. cæci vident, claudi ambulant, &c. Quæ si tantum considerentur verba, non videntur vera, nec verisimilia. Item videmus, quod quicumque Doctores Ecclesiæ, etiam sancti, & Pontifices, in quibuscumque suis opusculis semper se submittunt iudicio Ecclesiæ, & profitentur se potuisse in suis scriptis errare, vt patet in pluribus Epistolis Aug. ad Vincentium

Dona-

Donatistam; item in epist. 7. ad Marcellinum, vbi de seipso dicit, vos autem qui me multùm diligitis, si talem asseritis, vt me nusquam scriptorum meorum errasse dicaris, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis, facilè in ea meipso iudice superamini, quoniam non mihi placet, cùm à charissimis meis talis esse existimor qualis non sum, profectò enim non me, sed pro me alium sub meo nomine diligunt, si non quod sum, sed quod non sum, diligunt. Et post pauca, hoc potiùs de hominibus Dei, qui Spiritui sancto, acti locuti sunt credendum est. Et circa princ. epist. vnde si aliquid vel incautiùs, vel indoctiùs à me positum est, quod non solùm ab alijs, qui videre id possunt meritò reprehendatur, verùm etiam à me ipso, quia, & ego saltem posteà videre debeo, si proficio, nec mirandum est, nec dolendum, &c. Secus autem est in Ecclesia, & authoribus sacræ scripturæ, qui expresse asserunt suis doctrinis infallibiliter esse credendum, quod patet per Apostolum in multis locis, vt ad Gala. primo, si quis vobis Euangelizauerit, præter id, quod accepistis, anathema sit. Et Augu. in epist. 165. oportet te Apostolicæ sententiæ memorem fieri, qui ait, licèt nos, aut Angelus de celo vobis euangelizauerit preter, id quod euangelizauimus vobis, anathema sit, quæ sunt verba Apostoli ibidem ad Galatas primo, ad hoc vndecima quæst. tertia, si is, qui præest, vigesima quarta quæst. tertia, capitulo cum ergo. Et primæ ad Timot. sexto, si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini Nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens, & cæcus. Item Prouer. trigesimo ne addas quicquam verbis Dei ne arguaris, & inueniaris mendax. Et Apocalypsis vigesimosecundo, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto, & si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, &c.

Vnde Augustinus in epist. 56. ad Dioscorum, circa finem, dicit, sed ille fidei Imperator clementissimus, & per conuentus celeberrimos populorum, atque gentium, sedesque ipsas Apostolorum arce authoritatis muniuit Ecclesiam, & per pauciores piè doctos, & verè spirituales viros copiosissimis apparatibus etiam inuictissimæ rationis armauit. Ecce patet ex istis, quod maior est authoritas Ecclesiæ, quàm Papæ. Accedit quod Ecclesia dicitur coniuncta Christo, & vnita spiritualiter, sicut vir vxori, qui sunt duo in carne vna. Vnde Apostolus secundo ad Corin. 11. loquens de Ecclesia dicit, despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Quapropter tex. appellat Ecclesiam coniugem Christi in cle. prima de summa Trin. & ad Ephe. 5. nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius, propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, &c. Quæ desponsatio, & vnio perperuò est duratura, & inseparabilis. Vnde dicitur Oseæ 2. & sponsabo te mihi in æternum, & in fide, & scies quod ego Dominus. Cum igitur Ecclesia sit in Christo, & Christus in Ecclesia, & non sit sic dictum de Papa, vel alia singulari persona, sequitur quod quando loquimur de Eccl. vniuersali, virtualiter loquimur de Christo, & quod sicut Christus est maior, ita & Ecclesia, quæ est de corpore Christi. Et ostenditur hæc præeminentia ex ratione coniunctionis, & dilectionis à Deo quia plus dilecta est Ecclesia post passionem Christi, quàm fuerit synagoga tempore suo, quod patet ex mysterio redemptionis actualiter exhibitæ fidelium multiplicatione, sanctorum multitudiue, & ampliatione diuini cultus. Sed synagogam intantum dilexit, quod numquam eam deseruit multò minus igitur Ecclesia, quæ maiori dilectione Christo est annexa, ab eo deseritur. Et de Synagoga, dicitur Isa. 49. dixit Sion, dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei, numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filij veteri sui, & si illa oblita fuerit ego tamen non obliuiscar tui, ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper, & cætera quæ sequuntur, quæ etiam Ecclesiæ conueniunt. Et infinitæ sunt auctoritates de dilectione, & coniunctione Christi ad Ecclesiam. Accedit huic præeminentiæ, quod dicit Apostol. ad Ephe. 3. quod per Ecclesiam innotescit multiformis sapientia Dei Principibus, & Potestatibus in cœlestibus. Si autem Ecclesia tantæ est auctoritatis, quod ei tribuitur docere beatorum Angelorum agmina, sequitur quod nullus viator possit asserere standum esse suæ definitioni potiùsquàm Ecclesiæ, & sic, nec Papa. Ad idem est quod dicit Apostolus prima ad Corin. 6. nescitis quod Angelos iudicabimus, ad quod tex. in cap. per venerabilem, qui filij sint legit. Si autem iudicat Angelos, ergo, & Papam.

55 Quinquagesimoquintò facit text. in cap. per venerabilem, qui filij sint leg. vbi dicitur, quod in veteri testamento, quando aliquod difficile, & ambiguum iudicium erat faciendum, recurrendum erat ad Sacerdotes Leuitici generis, in quorum locum successerunt hodie Episcopi, & Cardinales, vt dicit ibi tex. Ex ipsis autem Episcopis constat Concilium, vt in cap. primo, & secundo 15. dist. & dictum est supra in quæst. qui habeant vocem decisiuam. Ad Concilium spectat definire causas difficiles, & consequenter causas tangentes personam Papæ, ergo maius est Concilium, quàm Papa. Confirmatur hoc ex pluribus, nam Episcopi hodie sunt loco Apostolorum, vt in cap. Ecclesiæ 35. dist. cap. in nouo 21. dist. sed Apostolis data fuit potestas supremi iudicij, ergo hodie Episcopis, & consequenter Concilio. Quod autem data fuerit potestas supremi iudicij Apostolis probatur ex multis. Tum ex plenaria potestate eis cõcessa à Christo Ioan. 20. sicut misit me Pater, & ego mitto vos &c. accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Data est ergo

go poteſtas Diſcipulis cognoſcendi, & iudicandi, nam cui datur poteſtas puniendi, & indulgendi, ſeu remittendi datur conſequẽter poteſtas cognoſcendi tamquam quoddã præambulum l.orat.ff.de ſponſal.l.illud.ff.de acquirenda hære Nec dicatur quod illa auctoritas tantũ habet locũ in foro conſcientię, nam Matth.18.paulò antequam dicatur, amen dico vobis quæcumque alligaueritis ſuper terram, &c. præmittitur ſi peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum, ſi autem te nõ audierit, adhibe tecum vnum, vel duos, quod ſi eos non audierit dic Eccleſiæ. Quæ autẽ fiunt in foro conſcientię fiunt tantũ in ſecreto, & non adhibentur duo, vel tres, nec dicitur Eccleſiæ militanti tamquam habenti iudiciariam poteſtatem. Igitur loquitur etiam in foro contentioſo, & iudiciali. Item patet ex commiſſa ſpecialiter diſcipulis actione, vt legitur Matth. 14. & Marc. 7. Luc. 9. & Ioan. 6. quando Chriſtus pauit turbas per manus diſcipulorum, qui diſtribuerunt populo panem refectionis ad demonſtrandum, quod ad diſcipulos pertineret diuidere, & diſtribuere panem ſacræ ſcripturæ. Et quod ille ſit ſenſus illorum, verborum, patet Matth. 14. cùm dicitur veſpere autem facto acceſſerunt ad Ieſum Diſcipulis eius dicentes, deſertus eſt locus, & iam hora præterijt, dimitte turbas, vt euntes in caſtella emãt ſibi eſcas. Ieſus autẽ dixit eis, non habent neceſſe ire, date illis vos manducare. Vnde ad diſcipulos pertinet dare cibum vitæ nec eſt neceſſe ad alios ire, ac ſi dictum eſſet, quod poſt iudicium Diſcipulorum non eſt aliud quærendum. Idem etiam probatur Ioann. vlt. cùm Dominus dixit Petro pro omnibus, paſce agnos meos, ſecundùm Ambroſ. in ſermone de ſacerdotibus, & Auguſtinum de Agone Chriſtiano, & dictum eſt ſupra in 11. motiuo. Quod, & Eccleſia oſtendit in præfatione de Apoſtolis dicens, vt gregem tuum paſtor æterne non deſeras, ſed per Beatos Apoſtolos tuos continua protectione cuſtodias, vt ijſdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contuliſti præeſſe paſtores, vt dictum eſt in vigeſimoſecundo motiuo. Idem oſtendit Petrus primæ epiſtolæ canonicæ, cap. quinto, paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè. Et Apoſtolus, prima ad Corint. quarto, ſic nos exiſtimet homo miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Quod, & dicit tex. in cap. primo de ſumma Trinit. cùm dicit quod ſacramentum corporis Chriſti nemo poteſt conficere, niſi ſacerdos, qui ritè fuerit ordinatus ſecundùm claues Eccleſiæ, quas conceſſit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Ieſus Chriſtus. Item patet ex ipſorum Apoſtolorum vocatione, cum dicitur Matth. quarto, & Mar. primo, venite poſt me faciam vos fieri piſcatores hominum, de quo fuerat prophetatum Hiere. 19. ecce ego mittam paſtores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos. Item patet eorum præeminentia ex miſſione ipſorum ad prædicandum regnum Cœlorum gentibus, docendum viam qua ſit ambulandum, vt patet Lucæ 10. poſt hæc autem deſignauit, & alios 72. Diſcipulos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipſe venturus, & dixit illis, meſſis quidem multa, ſed operarij pauci. Similiter Ioann. 20. ſicut me miſit Pater, & ego mitto vos. Item Apoſtolus ſecunda ad Corint. 5. inquit, pro Chriſto legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos. Vnde patet, quod immediatè à Chriſto data eſt Apoſtolis iſta auctoritas, & oſtenditur quædam vnio, & connexitas inter Chriſtum mittentem, & Apoſtolos Nuncios, ſiue Miſſos. Vnde Matth. 10. qui recipit vos me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me miſit, vt in cap. in nouo 21. diſt. Item Ioann. 13. amen amen dico vobis, qui accipit, ſi quem miſero me accipit, & qui accipit me, accipit eũ, qui me miſit. Et rursùs Lucæ 10. qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autẽ me ſpernit, ſpernit eũ, qui miſit me. Item eorum auctoritas patet per illud Mar. vlt. euntes in mundum vniuerum prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur. Et Matth. vlt. euntes docete omnes gentes baptizãtes eos, in nomi. Patris, & Filij, & Spiritus S. docentes eos ſeruare omnia, quæcumq; mãdaui vobis. Ex quibus patet quod Diſcipuli habuerunt auctoritatem docendi omnes vniuerſaliter, non ſolùm in ijs, quæ pertinent ad conuerſionem, ſed etiam quantum ad omnia, quæ pertinent ad legem Dei. Vnde ad eos ſpectabat auctoritas inſtruendi, dirigendi, informandi, definiendi, & determinandi. Vnde tex. Aug. in cap. in quorum vices 68. diſ. dicit quod Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro quibus nati ſunt Epiſcopi, iuxta illud pſalmi 44. pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Quapropter omnes Epiſcopi ſimul accepti, habent iuriſdictionem ſuper omnem terram. Quod, & oſtendit Apoſt. ad Coloſ. primo dicens, myſterium, quod abſconditum fuit à ſeculis, & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ myſterij huius in gentibus, quod eſt Chriſtus in vobis ſpes gloriæ, quem nos annunciamus corripientes, & docentes omnem hominem, in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu. Vnde ad Apoſtolos, & conſequenter ad Epiſcopos, qui ſucceſſerunt in eorum locum, vt d.c. quorum, & c. Eccleſiæ 35. diſtinctione, & cap. in nouo, vigeſimaprima diſtinctione, & capitulo ſi quis, ſecunda quæſt. quarta, vbi patet, quod Epiſcopos, qui in Eccleſia gerunt vices Diſcipulorum Chriſti, pertinet corripere, & docere omnem hominem in omni ſapientia. Ex quo patet, quod nec Papa excipitur à correctione Epiſcoporum in Concilio congregatorum, & quod ſtandum eſt determinationi Concilij per vniuerſum orbem. Quod corroboratur ex dicto Sancti Thomę in ſecunda ſecundæ quæſtione 77. articulo primo

mo in respon. ad secundum argumentum vbi dicit quod in doctrina Apostolorum continetur præceptum de solutione decimarum.

Ex quo colligitur illorum præeminentia, & superioritas, cùm Papa non possit facere constitutionem, per quam tollatur præceptum de solutione decimarum, vt in cap. à nobis ibi glos. & Doct. de deci. Accedit quod dicitur Matth. 5. & 2. qu. 7. cap non omnes, vos estis sal terræ, quod si sal euanuerit, in quo salietur, ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Cùm ergo sal communiter in sacra scriptura sumatur pro discretione, seu sapientia, vnde in cathechizatione dicitur, accipe sal sapientiæ, & Apostolus ad Colos. 4. dicit sermo vester semper in gratia sale sit conditus, intelligitur quod sal id est discretio in agendis præeminebant in discipulis Christi, & sicut sal est condimentum ciborum, ita discipuli Christi sunt condimentum discretionis, & sapientiæ totius orbis præseruatiuum ab omni corruptione falsæ doctrinæ ac tribuens sanitatis saporem doctrinis insulsis, vt possint esse omnibus fidelibus nutrimentum, & refectio salutaris. Inde est, quod Lucæ 14. dicitur, bonum est sal, si autem sal euanuerit, in quo condietur, nec in terram, nec in sterquilinium vtile est, sed foras mittetur. Vnde considerandum est quantæ dignitatis, & præeminentiæ sit iudicium discretionis in Apostolis super aliorum doctrinam, cùm discretio, siuè sapientia ipsorum dicatur sale condita, aliorum verò terræ comparetur, & sterquilinio. Et paulò post in Matth. sequitur, vos estis lux mundi, non intelligendo de Luce corporali, sed de Luce sapientiæ. Ex quo clarè apparet, quod suprema auctoritas instruendi, illuminandi, dirigendi, & informandi omnes fideles erat in Discipulis, & Apostolis, & consequenter in Episcopis, qui tenent eorum locum in Ecclesia, & consequenter in Concilio, vt est tex. clarus Cornelij Papæ in Concilio Triburien. in cap. si quis presbyter, secunda quæstione quarta, vbi Papa connumerat se cum alijs Episcopis vicem Discipulorum Christi in Ecclesia gerentibus. Vnde non tam ad papalem dignitatem, quàm episcopalem respicit, vt intelligamus quod in omnibus, & singulis dubijs, & quæstionibus religionis Christianæ ab omnibus fidelibus standum est eorum discretioni, declarationi, & definitioni. Et considerandum est quod ipsi non dicuntur in seipsis lucidi, sed lux mundi in abstracto, ex quo sequitur impossibile esse eos obtenebrari per aliquam ignorantiam culpabilem, illud enim, quod est lucidum potest obscurari, sed lux ipsa numquam potest obscurari. Sic ergo cùm Apostoli dicantur lux mundi, quæ non potest per aliquam ignorantię cæcitatem obtenebrari, & ab eis non nisi veritas descendat, sequitur à simili, quod, & Episcopi in Concilio simul congregati, qui vt sæpiùs dictum est sunt loco Apostolorum, in sua communi sententia non permittuntur à Deo errare, & eorum sententia debet præualere aliorum omnium iudicio, & est maior quocumque alio iudicio speciali, & in concreto. Similiter ad hoc est alia authoritas Ioann. 15. ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est, omnem palmitem in me non ferentem fructum, scilicèt, per doctrinæ traditionem, tollet eum. Et paulò post sequitur, si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet &c. Quæ verba Petro cum Apostolis directa, comprehendunt etiam successores Petri, qui aliquando propter malum regimen sunt mittendi foras, Cum igitur Pontifices sint aliquando mittendi foras, & hoc non possit fieri congruentiùs, quàm per Concilium, quia nullus alius quamtumcumque eminens potentatus potest in eum iurisdictionem exercere, sequitur, quod hoc est soli Concilio reseruatum, & consequenter Concilium est maius Papa.

Accedit, quod non omnibus datum est, omnia nosse vt patet Matthæi 19, vbi cùm Christus dixisset non licere vniuersaliter dare libellum repudij, discipulis super hoc replicantibus dixit, non omnes capiunt, verbum istud, sed quibus datum est. Quod intelligendum est quantum ad mysterium regni cœlorum, quod nosse datum est discipulis, vt patet Matth. 13. & Mar. 3. & Luc. 8. vbi cùm Christus dixisset parabolam de eo, qui exijt seminare semen suum, sciscitantibus discipulis quare in parabolis loqueretur turbis respondit quia vobis datum est nosse mysterium Dei, illis autem non est datum, qui enim habet, dabitur ei, & abundabit, qui autem non habet etiam quod videtur habere auferetur ab eo. Ex quo sequitur quod Apostolis data est authoritas cognoscendi, definiendi & declarandi quæstiones, & nemo putare debet sua intelligentia posse consequi notitiam mysterij Dei, sed quibus specialiter datum est, vt fuerunt discipuli. Vnde Apostolus primæ ad corinthios secunda. Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei, quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est, ita & quæ sunt Dei nemo cognouit, nisi spiritus Dei. Nos autem spiritum non huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus spiritualibus spiritualia comparantes, animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spititus Dei, spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur, quis enim cognouit sensum Domini, aut quis instruxit eum, nos autem sensum Christi habemus. Item ad idem secundæ ad Corinthios tertio fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera sed spiritu. Item eiusdem epistolæ capitulo decimo, in carne autem ambulantes non secundùm carnem militamus, nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed poten-

tentia Deo ad destructionem munitionum consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersùs scientiam Dei. & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam cùm impleta fuerit vestra obedientia. Ecce quomodo Apostolis data est potestas destruendi consilia,& vlciscendi omnem inobedientiam. Ex quo patet quod propter eorum præeminentiam, & authoritatem, ipsorum iudicium præferri debuit cuicumque alteri iudicio. Nam & idem Apostolus dicit primæ ad corinthios tertio, vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem, Dei enim sumus adiutores, ex quo sequitur quod Collegium Apostolorum accepit immediatè potestatem à Deo, cum etiam fuerint eius coadiutores, igitur, & Concilium quod ex Episcopis constat, vt sæpiùs dictum est, habet potestatem immediatè à Deo supra omnem creaturam. Item idem, scilicet quod supremum iudicium datum fuerit Ecclesia in persona Apostolorum,in quorum locum succedunt Episcopi, ostendit Paulus ad Ephesios 4. cum dicit sollicitis seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vnum corpus & vnus spiritus,sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omnium. Postea subiungit, vnicuique autem nostrum data est gratia secundùm mensusuram donationis Christi Et post pauca subiungit, & ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò euangelistas, alios pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ecce quomodo demonstratur,quod data est Ecclesiæ potestas, & iurisdictio suprema. Vnde gloss. Nicolai in verbo, & ipse quidem dicit, hìc consequenter ponitur dictæ distinctionis conditio, sicut enim diuersis membris Ecclesiæ data est ad mensuram gratia plus, & minùs, ita constituta sunt in diuersis gradibus, & officijs, sicut in corpore naturali distincta membra habent distincta officia & hoc est quod dicitur, & ipse dedit quosdam quidem Apostolos,scilicet duodecim ad ordinandum ecclesiam, & regendum, quosdam autem Prophetas ad futura prædicendum, vt patet actuum vndecimo, & decimotertiò, & gloss. Ambrosij super illum text. quosdam autem Prophetas dicit in nouo testamento Prophetæ dicuntur explanatores scripturarum. Et idem Ambros. super illud, alios verò Euangelistas dicit, qui & Diaconi, quia etsi non Sacerdotes, tamen euangelizare possunt. Et super illud alios autem Pastores, & Doctores, dicit Nico. pastores quidem ad curam animarum, Doctores, verò ad informandum in moribus populum, & hoc ex officio sibi iniuncto siue ex commissione. Et super illud ad consummationem sanctorum, dicit idem Nico. idest perfectionem fidelium in moribus & fide Et super illud, in ædificationem corporis Christi dicit idem Nico. scilicet mystici, quod est Ecclesia, in qua Apostolis succedunt Episcopi, Prophetis, autem habentes gratiam scripturarum sanctarum obscura interpretandi,euangelistis Archidiaconi, & diaconi, pastoribus, per quos intelliguntur septuaginta discipuli, sacerdotes Curati, Doctoribus autem quicumque exercentes debitè,actum docendi,seu prædicandi Cùm verò subiungitur, donec occurramus ait, gloss. Nico. hìc consequenter ostenditur. dictæ distinctionis duratio scilicet vsque iudicium Et aduertendum est quod ista commissio, quam tangit Apostolus cum dicit ascendens in altum &c. est vltima facta per Christum, & videtur eadem cum illa Matth. capitulo vlt. vbi datur facultas docendi omnes gentes per vniuersum orbem. sed hìc magis specificè exprimitur, quibus data fuerit commissio, scilicet Episcopis, & alijs supradictis. Nec potest dici,quod intelligatur tantùm de Apostolis, & Euangelistis qui tunc erant, quia illi mortui sunt, ij autem de quibus loquitur,durabunt vsque ad consummationem seculi. Vnde oportet intelligere de illis, & de ijs, qui in illorum locum succedunt. Et ex hoc quod ista fuit vltima commissio, habetur, quod per illam authoritatem pasce oues meas Ioan. vltimo non potest intelligi data potestas solùm Petro & successoribus & quod, ita iudiciū vnius præferri debeat iudicio omnium aliorum de corpore Ecclesiæ simul in Concilio generali congregatorum, quia illos, quos ad opus ministerij, & ædificationem Ecclesiæ instituit vltimatè voluit durare in ministerio vsque ad consummationem
56 seculi. Quinquagesimosextò pro illa parte facit auctoritas Bernardi ad Eugenium Papam in lib. 4. de considerat vbi dicit, erras si vt summam ita, & solam institutam a Deo vestram Apostolicam dignitatem existimas, si hoc sentis dissentis ab eo, qui ait non est potestas nisi à Deo ad Rom. 13. & infra denique idem ait, omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, non ait sublimiori tanquam in vno,sed sublimioribus tanquam in multis, non ergo tua sola potestas à Deo sunt & mediocres, sunt inferiores. Ex quo patet,quod non solus Papa est superior, & quod ita superioritas non est in vno tantum,sed in multis, & consequenter in Concilio. Quod demonstratur ex eo, quod cùm Petrus esset Antiochiæ & in obseruatione legalium cogeret non imperio, sed facto gentes iudaizare, ex eo quod ipse Petrus,qui priùs cum gentibus edebat non obseruando ritum Iudæorum, postea cum venissent quidam à Iacobo Iudæi se subtrahebat à gentibus comedendo cum Iudæis, & discernendo inter cibos timens, ne ij qui ex circumcisione erant scandalizarentur, & subtraherentur, à fide Christi, in quam simulationem etiam cæteri Iudæi & Barnabas ducebantur, hoc faciebat Petrus, quia ei erat datum officium ad prædican-

dicandum Iudæis, Paulo autem ad prædicandum gentibus, & propterea Paulus videns quod ex simulatione Petri multi ex Iudæis, & Gentilibus scandalizabantur, credentes talem abstinentiam à cibis in lege prohibitis esse necessariam ad salutem restitit Petro in faciem, vt legitur ad Gal. secundo & ponitur in cap. Paulus Petrum & in §. item Paulus, secunda quæstione septima, Sed quia ante publicationem Euangelij legalia licèt essent mortua, tamen non mortifera, licitum erat conuersis de iudaismo illa seruare & ideo Petrus peccauit, si peccasse dici potest, magis in modo faciendi, quàm facto ipso, quia in hoc nimiam diligentiam adhibebat, ne Iudæos offenderet, vt dicit ibi Nicolaus de Lira & refert Card. d. Turrecrem. in dicto cap. Paulus secunda qu. 7. Si igitur soli Paulo licuit reprehendere Petrum credendum est, quod multò magis omnibus Apostolis simul conciliariter congregatis hoc licuisset, & consequenter à pari idem videtur dicendum de Concilio erga Papam, scilicet quod habet superioritatem in eum, & potestatem reprehendendi, ipsum quando dignus est reprehensione. Et considerandum est quod act. 15. decisio quæstionis de seruandis legalibus fuit facta per totum Concilium Apostolorum, licèt Petrus proposuerit, quia erat causa fidei, & sic videtur dicendum Concilium superius Papa.

Sed videtur obstare quod Gratianus in dicto cap. Paulus referendo verba Hierony. dicit quod Paulus sentiebat se non imparem Petro, subiungens hoc de puritate vitæ & sanctitate conuersationis non de officio Ecclesiasticæ dignitatis intelligi, & sic præsupponit quod quoad officium dignitatis pontificalis Petrus erat maior Sed in hoc reprehendit Gratianum Vlricus argentin. in li. 6. sui operis cap. 25. vbi dicit expositionem Gratiani non consonare verbis text. quia redarguere coram omnibus, spectat ad officium ecclesiasticæ dignitatis, illi enim peccantem coram omnibus arguunt, vt cæteri timorem habeant iuxta sententiam Pauli idest ad Timot. 5. & ponit text. 45. distinct. cap. sed illud. Et pro sua opinione adducit auctoritatem Ambros. in epistola 79. cum refert epistolam Beati Damasi, de qua facio mentionem & illam adduco supra in 19. contrario. Sed adhuc videtur obstare, quod dicitur act. 15. vbi Petrus dicit, Viri fratres vos scitis, quod ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verba euangelij, & credere, & subiungit, & nihil discreuit inter nos, & illos fide purificans corda illorum. Verùm nec hoc repugnat, quia cum hoc quod Petrus prædicauerat gentibus stat, quod & Paulus prædicaret eisdem, & quod Petrus qui remanserat Ierosolymis prædicabat Iudæis tunc fidem Christi, & licèt Petrus subtraheret se à gentibus, ne recederent à fide, Iudæi conuersi videntes eum conuersantem cum illis, qui non discernebant inter cibos, & qui erant incircumcisi, tamen ipse sentiebat abolita esse legalia, & prædicandam esse fidem Christi etiam gentilibus. Vndè dicit Hierony. ad Augustinum, vt ponit ibi gloss. ad Galat. 2. Petrus autem fuit huius decreti author legem post Euangelium non esse seruandam, qui post visionem Lintei, ad Cornelium intrauit, & cum gentibus comedit, qui etiam quæstionem de hac re soluit, vt patet act. 15. Qua solutione per Petrum proposita, Iacobus, & cæteri Apostoli iudicarunt non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum, & vt cessaret discordia inter eos, & Iudæos qui dicebant ipsos non posse saluos fieri, nisi circumciderentur, & obseruarent legalia, Apostoli decreuerunt non imponi quidem iugum circumcisionis gentilibus, sed quod abstinerent ab ijs, quæ fuissent immolata idolis, & à fornicatione, & suffocato, & sanguine, quia si comedissent immolata idolis, facilè potuissent suspicari Iudæi, quod vellent ad idolatriam reuerti, & quia etiam ab Esu suffocati, & sanguinis iudæi abhorrebant, ideò propter amicabilem societatem fuit scriptum Gentilibus, vt abstinerent ad tempus à talibus; fornicationem verò gentiles communiter non credebant esse peccatum, ideo necessarium fuit eam prohibere. Quinquagesimoseptimò facit,
57 quod dicit Hieronym. & transsumptiuè Gratianus 24. quæst. 1. in cap. omnibus, puto me non temerè dicere alios ita esse in domo Dei, vt etiam ipsi sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari super Petram, quæ vnica columba appellatur. Et post pauca, quæ domus claues accepit, atque potestatem soluendi, & ligandi, hanc domum si quis corrigentem, corripientemque contempserit, tibi, inquit, sit sicut ethnicus, & publicanus. Ex quibus verbis colligitur, quod Episcopi simul conciliariter congregati ita dicuntur esse in domo Dei, vt ipsi propriè sint domus Dei, hoc est, quod ipsi sint vniuersalis Ecclesia, & illam repræsentent, quod & probat tex. in cap. si quis, 2. quæst. 4. qui est tex. Cornelij in Concilio, quæ Ecclesia dicitur ædificata super firmam Petram, & hanc Ecclesiam, id est Episcopos conciliariter congregatos, si quis corrigentem, corripientemque contempserit, sic tibi tamquàm ethnicus, & publicanus idest, vt supplet ibi gloss. hæreticus. A qua authoritate nec Papa, videtur exemptus, cum non minùs, quàm quiuis alius catholicus sub Dominico præcepto includatur, & ad illius obseruantiam astringatur, vt dicit tex. in capitulo sunt quidam, 25. quæst. 1. Et aduertendum est, quod Vrbanus Papa, 24. quæst. 3. capitulo notandum, intelligit per illa verba sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, Dominum iussisse, vt frater qui corripitur ab Ecclesia, & non obedit, excommunicetur. Ex quo videtur, quod contra contemnentem Concilium poterat Concilium ferre excommunicationem etiam si sit Papa, ex quo non ostenditur exemptus ab illa authoritate, ad quod facit, quod dictum est in artic. quando Papa, est incorrigibilis vtrùm possit Concilium ipsum deponere. Quinquagesi-
58 mooctauò facit illud Isa. 22. dum de clauibus Ecclesiæ inquit, & dabo tibi clauem

domus

domus Dauid, idest scientiam scriptura-
rum, super humerum eius, vbi dicit gloss.
domum Dauid, vocat domum Domini, in
qua erat aurea clauis. Et deindè sequitur,
& aperiet, scilicet sacram scripturam, vn-
dè aperuit illis sensum, vt intelligerent scri-
pturam, & non erit qui claudat, & claudet,
& non erit qui aperiat. & figam illum pa-
xillum in loco fideli, idest iuxtà gloss. inter-
lin. in Ecclesia vbi conuentus fidelium. Item
Iob. 12. cap. si destruxerit, nemo est qui ædi-
ficet, si incluserit hominem nullus est, qui
aperiat. quod autem prædicta verba intel-
ligi debeant de clauibus concessis Ecclesiæ
vniuersali, determinauit octaua synodus
Constantinopolitana ad fin. vbi dictas au-
thoritates applicat vniuersali Ecclesiæ, &
synodis generalibus. Ex qua authoritate
datur intelligi, quod supra vniuersalem Ec-
clesiam non est dare maius tribunal; nam si
secùs esset, sine dubio, quod ipsa ligaret, po-
testas, quæ maior esset soluere posset, quod
per prædictam propheticam scripturam
expresè negatur. Vndè vniuersalis syno-
dus maior est Papa. Quinimò dicit text.
26. di. sancta, quod Romanus Pontifex vs-
que ad vnum apicem decreta octo Conci-
liorum immutilata seruare, & pari honore,
& veneratione digna habere, & quæ prædi-
cauerunt, & statuerunt omnibus modis se-
qui, & prædicare, & quæcumque condem-
nauerunt ore, & corde condemnare profi-
59 tetur. Quinquagesimonono adducitur
Canon Constantinopolitanæ synodi octa-
uæ, cuius partem refert Gratianus in capi-
tulo definimus, 22. distin. In quo Canone
sic dicitur, si synodus vniuersalis fuerit
congregata, & facta fuerit etiam de sancta
Romana Ecclesia quęuis ambiguitas, &
controuersia, oportet venerabiliter, & cum
conuenienti reuerentia de proposita quę-
stione sciscitari, & solutionem accipere, &
aut proficere, aut profectum facere, non
tamen audacter sententiam dicere contra
senioris Romę summos Pontifices. Vndè
apparet, quod vniuersale Concilium, dum-
modo hoc non faciat audacter sed cum
conuenienti reuerentia possit aduersùs Ro-
manum Pontificem sententiam proferre, si
fuerit accusatus. Ergo Concilium, vt potè
quod iudicat, est superiùs Papa, qui iudi-
60 catur. Sexagesimò facit, quod etiam si
ponamus Papam maiorem Concilio, quan-
do Papa est bonus, & viuit secundùm,
quòd conuenit summo Pontifici, quia tunc
non indiget reformatione, & verè tunc di-
citur nullum habere superiorem, vt in cap.
licèt de elect. & in §. patet, 3. quæst. prima,
& sic frustratoria esset Concilij potestas, &
authoritas quo ad eum, tamen quando est
criminosus, & malus dispensator rerum
spiritualium, quia indiget reformatione
tunc meritò dicendum est Concilium ma-
ius. Ad quod facit, quod dicit Bernar-
dus, in secundo lib. de consideratio. pau-
lò ante medium, dicens, quod habuit Pe-
trus hoc dedit, sollicitudinem scilicet su-
per Ecclesias, numquid dominationem, au-
di ipsum, non dominantes ait in clero, sed
forma facti gregis, 85. dist. cap. esto 16. qu.
1. cap. prædicator, Et vlteriùs post allega-
tum illud Euangelij Reges gentium domi-
nantur eis, &c. vos autem non sic, infert.
planum, quod Apostolis interdictus est do-
minatus, idest ergo tu, & tibi vsurpare
aude, aut dominans Apostolatum, aut
Apostolicus dominatum, planè ab alteru-
tro prohiberis, si vtrumque similiter habe-
re voles, perdes vtrumque. Ecce, quod
qui gradum summi Apostolatus tenet, si
non ministrare velit sollicitè sed dominari
vtrumque perdere dicitur Apostolatum sci-
licet, & dominatum. Meritò igitur tunc
Concilium debet dici maius. Vndè text.
11. quæst. 3. ipse ligandi, & capitulo ple-
rumque, dicit, ipse ligandi, soluendi, quod
potestate se priuat, qui hanc pro suis volu-
ptatibus, & non subditorum moribus
exercet. Sexagesimoprimò facit, quod
61 Moyses fuit maior Aaron in potestate,
nam potestate ipsius Moysi Aaron in sacer-
dotem electus est, iuxtà illud Exodi 28.
applica quoque tibi Aaron fratrem tuum
cum filijs suis, vt sacerdotio fungantur mi-
hi, 21. dist. §. 1. in princ. 71. dist. cap. 1.
versic. & Moysi. Sed Moyses qui fuit du-
ctor populi Israelitici videtur Imperato-
rem repræsentare, vt dicit Beatus Augu-
stinus, Aaron autem fuit summus Ponti-
fex repręsentat Papam. Videtur ergo,
quod potestas Imperatoris sit maior pote-
state Papæ, sed sic est, quod Concilium iu-
dicat de Imperatore, vt supra sæpiùs di-
ctum est, & clem. pastoralis, de re iudic.
cap. & ad Apostolicæ, eod. tit. in 6. igitur
62 Concilium est maius Papa. Sexagesimo-
secundò, facit quod illa potestas non est
vniuersaliter maior omni alia, ad cuius iu-
dicium non defertur omnis appellatio.
Sed à sententia lata à iudice seculari appel-
latur ad Imperatorem, non ad Papam cap.
si duobus, §. denique, ff. de appellat. cum
simil. igitur Papa, non est vniuersaliter su-
perior, sed Concilium, quod iudicat de
Papa, & Imperatore, vt probat text. in di-
cto cap. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6.
63 Sexagesimotertio quorum est idem imme-
diatum principium, neutrum ab altero
dependet. Huiusmodi autem sunt Papa,
& Imperator, vt probatur in cap. cùm ad
verum, 96. dist. Igitur Papa, non est supra
Imperatorem, & consequenter nec supra
Concilium, quod iudicat de Imperatore.
64 Et postremò pro ista parte possunt addu-
ci omnia illa motiua, quæ afferuntur pro
parte Imperatoris in quæstione, quæ sit
maior potestas Papæ, an Imperatoris? &
in illa, an Papa habeat vtrumque gladium,
& an potestas Imperialis dependeat à sa-
cerdotali, item 19. rationes, quod multis
authoritatibus suffultas videre poteris in
Monar. Mod. Aret. in princ. & quæ dicun-
tur in cap. nouit de iudic. & qui filij sint
legit. capit. causam quæ el 2. & cap. per
venerabilem, & quæ dicuntur super extra-
uagan. vnam sanctam, & Barto. in l. 1. ff. de
requiren. reis, item gloss. & Doct. 33. quæst.
2. inter hæc, & in eadem Monarchia dict.
Mod. in prosequutione eiusdem quæstionis
à vers. ne prolixius vsque in finem. Quæ
omnia motiua quia militant etiam contra
Concilium non duxi adducenda.

SVM-

SVMMARIVM.

65 *Concilium esse supra Papam pluribus auctoritatibus confirmatur.*
66 *Cap. Petrus, 2.q.6. intellectus.*
Et Capit. Beati eadem causa, & q.
Et cap. fidelior, 50.dist.
Et cap. est aliud, 24. qu. 1.
Cap. puto 2.qu.7.
Cap. in ist. 80. distinct.
Capit. non decet. 12. distinct.
Cap. praeceptis, ead. dist.
Cap. quis nesciat 11. distinct.
Capit. Beatiss. 24. quaest. 1.
Cap. si Petrus, eadem causa, & q. 12. Cap. Antiqua. de priuileg.
67 *Leges instituuntur cùm promulgantur, firmantur autem cum moribus vtentium comprobantur.*
68 *Concilium licèt non possit tollere in totum plenitudinem potestatis Papae, potest tamen vsum limitare in aedificationem Ecclesiae.*
Abbatis opin. in tribus tantùm casibus, num. 69.
70 *Concilij maioritas quatuor ex causis probatur.*
Item ex habitudine quadruplicis causae, finalis, efficientis formalis, & materialis, num. 71.

65 EX his, & alijs moti plures Doctores tàm Theologi, quàm Iuristae tempore Eugenij IV. tenuerunt pro Concilio Basilien. quod Concilium esset maius Papa, dicentes, quod id, quod Sanctus Thomas, & Bonauentura dicunt de superioritate Papae, intelligitur in comparatione ad alios singulares fideles, vel ad singulares, & particulares Ecclesias, non in ordine ad generale Concilium, quod repraesentat vniuersalem Ecclesiam, & ponentes Papam esse caput ministeriale aliarum Ecclesiarum respectu Romanae Ecclesiae, eo quod ratione ministerij Petro commissi, ipse habet praeeminentiam, & superioritatem circa ipsas Ecclesias particulares, non quod quo ad vniuersalem Ecclesiam dicatur caput ministeriale. Et ad iura quae dicunt Romanam Ecclesiam caeteris Ecclesijs esse praelatam, respondent hoc intelligendum esse de caeteris Ecclesijs particulariter consideratis, & ab eadem Romana Ecclesia distinctis, & quod sic intelligitur c. quamuis 21. dist. & c. cõsiderãdũ, 59. dist. & c. 11. qui. 5. sed exempla eadem distinct. ibi totius Ecclesiae, exponendo id est omnium particularium Ecclesiarum, idem ad cap. Petrus 2. quaest. 7. ibi regni potestatem acceperat, scilicet quo ad particulares Ecclesias, non quo ad corpus vniuersalis Ecclesiae, quod est corpus mysticum cuius caput est Christus. Et quod non acceperit potestatem vniuersalis Ecclesiae, probant per tex. Gregorij in cap. ecce 99. dist. eodem modo respondent ad cap. fidelior dist. 56. dicentes, quod verba illius referuntur ad gubernium particularium Ecclesiarum. Similiter ad cap. Beati 2. qu. 7. dicitur, quod verba illius debent referri ad principatum particularium Ecclesiarum in toto orbe constitutarum, non autem ad vniuersalem Ecclesiam, quae est corpus mysticum Ecclesiae, supra quod dicunt Ecclesiam Romanam nullum vnquam habuisse Principatum, idem etiam dicitur ad cap. est aliud 23. qu. 1. quod illius verba sunt referenda ad piscaturam omnium Ecclesiarum aliarum, quibus Ecclesia Romana fuit praelata, non ad piscaturam vniuersalem Ecclesiae, prout est corpus mysticum. Similiter ad cap. puto 2. q. 7. cum dicit, quod potestas Petri sit firmata per statuta vniuersalis Ecclesiae, respondetur quod facit contra. Nec ex hoc sequitur, quod Petrus sit caput vniuersalis Ecclesiae, quae est corpus mysticum, quia caput eius est Christus. Sic & ad cap. in istis dist. 80. cum dicit, quod vnus Apostolorum praefuit omnibus, dicunt debere referri ad ministerium particularium ecclesiarum, non ad vniuersalem Ecclesiam, prout est corpus mysticum. Sic ad cap. non decet 12. dist. cum dicit Ecclesiam Romanam esse matrẽ, dicunt debere intelligi scilicet aliarum Ecclesiarum ab ea distinctarum, & non vniuersalis Ecclesiae, quae est corpus mysticum. Sic & ad cap. praeceptis dist. 12. & ad cap. quis nesciat 11. dist. & cap. cum beatissimus 24. qu. 1. & cap. si Petrus eadem causa, & cap. antiqua de priuileg. & idem respondetur ad omnia iura, quae innuunt Papam, & Romanam Ecclesiam esse caput. Et isto modo semper intelligit Abbas in omnibus suis allegationibus. Item & alia ratione, quia Papa non est perfectior vniuersali Ecclesia, & cum sit vnus, & Romana Ecclesia vna de isto corpore, non potest illius esse caput, quia nemo sui ipsius potest esse caput. Eamdem conclusionem tenuit Cardinalis Cameracen. in tract. de potestate Ecclesiast. dicens, quod Ecclesia habet obedire Petro, & eius Vicario, tamquam capiti suo in ijs, quae pertinent ad Ecclesiae aedificationem, & non ipsius Ecclesiae destructionem, secundùm Apostolum 2. ad Corinth. 10. ideò licet vbi Papa vtitur potestate sua in aedificat. Eccl. multa specialia priuilegia habeat, illa non habet in destructionem Ecclesiae. 25. quaest. 2. cap. si ead. Vnde concludit, quod tam de iure humano, quàm diuino Papa potest ab vniuersali Ecclesia, & Concilio generali ipsam repraesentante in multis casibus iudicari, & condemnari, scilicet in casibus Ecclesiae destructionem, tangentibus, istam etiam opinionem tenuit Ioan. Gerson Cancellarius. Parisien. in tract. de potestate Ecclesiastica in pluribus considerationibus, vbi vult, quod Concilium generale potest exercere auctoritatiuam iurisdictionem in Papam, sicut lex quaedam diuina, & indeuiabilis ad reducendum ipsum, & corrigendum, & compescendum, ne noceat, vel Ecclesiae, vel sibimet, tamquam phreneticus, sicut dicit Aristot. 5. poli. quod ad totam communitatem spectat Principis correctio. vel reprehensio, & etiam destitutio, si se non emẽdat, vnde inquit quod rationabiliter procedet limitando plenitudinẽ Papalis potestatis, non quidem illam tollendo, vel diminuendo in se, vel suis partibus, sed in vsu

ſuo virtuoſo, licito, & expedienti pro tota Eccleſia, accipiendo iudicium virtuoſum huius poteſtatis in ſuo, prout Eccleſia, & Concilium illam repræſentans iudicabit. Et idem Doctor in omnibus ferè illis conſiderationibus præfert auctoritat. Concilij auctoritati Papæ, præſertim in quarta conſideratione, vbi dicit quod poteſt Eccleſiaſtica coactiua in foro exteriori, quæ valet exerceri in alium, data fuit à Chriſto Eccleſiæ per illud Matth. 13. cùm dictum eſt Petro vice omnium ſi peccauerit in te Frater tuus, &c. Super quam auctoritatem dicit fundari iuriſdictionē Eccleſiæ excommunicandi, & interdicendi, ſicut fecit Apoſtolus excommunicando Corinthium, & oſtendit ſcribens ad Tit. 3. hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam admonitionem deuita, & primæ Corint. 5. ſi is. qui nominatur inter vos, &c. & ſequitur, cum huiuſmodi nec cibum ſumere, in qua auctoritate Matth. 18. dicit omnem Chriſtianum vocari fratrem, & communiter etiam Papam ſubijci, nec excipi debere, cum dicitur dic Eccleſiæ, intelligendo id eſt Papæ, cùm Chriſtus loqueretur Petro, quod non dixiſſet ſibi ipſi. Et ſi non haberet Eccleſia talem poteſtatem in Papam, fruſtra dixiſſet Chriſtus dic Eccleſiæ, quia potuiſſet impunè non audiri contra illud, quod ſequitur ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut ethnicus, &c. vnde dicit, quod licèt Eccleſia non habeat hanc iuriſdictionē coactiuam, vt ſparſim conſiderata, niſi in quodam materiali, ſiue potentiali, tamen congregatio, & vnitio, quæ fit in Concilio generali dat ei formam, ſicut poteſt poni exemplum in alijs comunitatibus. Sicut etiam dicit Auguſtinus, quod claues datæ Eccleſiæ ſunt datæ vnitati, nec hoc impedit, vt ipſe dicit quin claues dicantur datæ Petro tanquam monarchæ, & ſucceſſoribus eius, tamen principaliùs Eccleſiæ, tum ratione indeuiabilitatis, quia portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, nec deficiet fides eius, non ſic autem in Papa, tum ratione regularitatis, quia habet regulare vſum poteſtatis Papalis, non ſic è conuerſo, tum ratione multiplicitatis, quoniam Eccleſia continet quamlibet poteſtatem Eccleſiaſticam etiam Papalem, non ſic in Papa, præſertim in extenſione, tum ratione obligabilitatis, quoniam Eccleſia poteſt condere leges obligantes, & regulantes etiam ipſum Papam, tam quo ad perſonam, quàm reſpectu vſus poteſtatis, non ſic autem è contra Papa poteſt iudicare totam Eccleſiam, vel vſum poteſtatis eius limitare, imò ſi Papa condat leges, vel canones, obſeruabitur, quod dicit Auguſtin.
67 leges inſtituuntur, cum promulgantur, firmantur autem cùm moribus vtentium approbantur. Et idem Doctor in 7. conſideratione dicit, quod quærere, an Papalis authoritas, ſit maior Eccleſiaſtica, vel è conuerſo, eſt idem quod petere, vtrùm totum ſit maius ſua parte, vel an pars ſit maior ſuo toto, conſiderando Eccleſiam in ſuis partibus eſſentialibus, & permanentibus, ſicut ſunt Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Sacerdotium, &c. Similiter idem Doct. in 8. & 10. conſideratione dicit Concilium habere poteſtatem ſupra Papam etiam ad deponendum eum. Idem in 11. & 12. conſideratione, vbi dicit quod poteſtas generalis Concilij legitimè congregati dicitur maior in amplitudine, vel extenſione, maior in infallibili directione, maior in morum reformatione in capite, & in membris, maior in coercitiua poteſtate, maior in cauſarum fidei difficilium vltima definitione, maior denique quia copioſior, amplectitur enim virtualiter omnem poteſtatem, & omne politicum regimen Papale, Imperiale, Regale, Ariſtocraticum, & Democraticum. Idem etiam ſentit idem Doctor in tract. de auferibilitate Papæ ab Eccleſia in antepenul. & pen. conſidera. dum vult Papam in pluribus caſibus ibi per eum notatis poſſe per Concilium deponi. Item etiam ponit pluries, idem Doctor in ſermone pro viagio Regis Romanorum maximè in 3. parte, vbi dicit Concilium, ſic eſſe ſupra Papam, & alium quemlibet de Eccleſia, quod ipſum Papam poteſt deponere etiam pro crimine, alio quàm hæreſi, & pro crimine ſimoniæ, & alio quocum-
68 que ſcandalizante Eccleſiam. Item etiam dicit, quod licèt Concilium non poſſit tollere plenitudinem poteſtatis Papæ, nihilominus poteſt vſum poteſtatis illius certis legibus, & ſtatutis limitare in ædificationē Eccleſiæ. Et idem tenet d. Gerſon in ſermone, qui incipit pro ſpiritu, vbi dicit quod conſtitutio frequens in Concilio Conſtantien. edita, in hoc habenda eſt pro lege, & quod Concilium poteſt, pro quocumque crimine, de quo ſcandalizaretur Eccleſia deponere Papam, & ita dicit fuiſſe practicatum in Ioanne 23. qui fuerat etiam conuictus, quod eſſet notoriè ſimoniacus. Et idem replicat in ſermone, qui incipit factæ ſunt, & concludit, quod nec S. Thomas, & Bonauentura, qui tribuunt ſupremam poteſtatem, & plenitudinem poteſtatis ipſi Papæ, contrariantur in hoc, quia ipſi illud dicunt in comparatione ad fideles ſingulares, & particulares Eccleſias, ſed ſi poſuiſſent comparationem ad authoritatem Eccleſiæ Conciliariter congregatæ, ſubiecisſent Papam, & vſum poteſtatis eius Eccleſiæ, tamquam eius matri. Item quod Concilium, ſit ſupra Papam videtur tenere Ocham in 6. lib. primæ partis, licèt videatur loqui de Papa hæretico. Iſtam etiam partem, quod Concilium ſit ſupra Papam tenuit Nicolaus de Cuſa, poſteà Cardinalis
69 Sancti Petri ad vincula in tract. de concordantia canonica, maximè in 2. lib. cap. vl. quod eſt 34. Idem etiam tenuit Abb. in cap. ſignificaſti de elect. reſtringendo, tamen ad tres caſus, videlicet ad caſum hæreſis, item ad caſum concernentem ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ, & ad caſum incorrigilibitatis ſcandalizantis vniuerſalem Eccleſiam. Idem etiam tenuit Abb. in cap. quanto in 3. col. de conſue. & idem Abb. in cap. propoſuit de conceſ. præben. in caſu hæreſis, & vbi eſt incorrigibilis, & ſcādalizatur Eccleſia. Et idem Abb. tam in locis præallegatis, quam in cap. Hoſius de elect.

elect. vbique voluit, quod ista potestas clauium fuerit data Ecclesiæ fundamentaliter vniuersaliter, & in concreto cum Papa, sed data Papæ tamquam capiti, & Ecclesiæ, tamquam corpori per tex. in c. ita Dominus 19. dist. principaliter, & in c. loquitur 24. qu. 1. & in cap. in nouo dist. 21. Item in casu hæresis istam communiter sequuntur Doct. in cap. in fidei de hære. in 6. & in cap. si Papa dist. 40. & in cap. proposuit de concess. præben. Et istam tenet Imol. in cap. cùm inferior de maior. & idem Imol. in cap. quanto de traslat. prælato. Hanc eamdem opinionem, quod Concilium sit supra Papam, tenuit vniuersitas studij Cracouien. in quibusdam allegationibus directis Episcopo Cracouien. d. studij Cancellario. Istam quoque opinionem tenet Cardinalis Floren. qui etiam voluit, quod plenitudo potestatis principaliùs sit in Ecclesia, & in Concilio, licèt etiam in Papa, tanquam in Ministro ipsius vniuersalis Ecclesiæ, per quem explicatur præcedente claue discretionis. Ita vult ipse in repeti. capituli licèt in 18. colum. in vers. oppo. ad hoc, cum quæstione sequenti, quæ est 45. de elect. Istam etiam opinionem tenet Ludouicus Rom. in tribus vltimis consilijs. Idem, & in consilio 421. incipit circa propositum, & idem in tract. de potestate vniuersalis Ecclesiæ incipit dixit fortè quispiam, & idem virtualiter in consil. 180. incipit quæstio. cum vult collationem Papæ contra statutum Concilij Basilien. non valere. Et idem videtur sentire in consi. 332. in fin. incipit quo ad primum. Istam etiam tenet quidam Episcopus Gaddicen. in quibusdam allegationibus contra Eugenium in Concilio Basilien. vbi approbat dicta Gersonis, & improbat Petrum de Palu. Et in casu hæresis, siue in ijs, quæ ad fidem spectant, & salutem, & generalem statum Ecclesiæ, dicit quod generale Concilium potest imponere legem Papæ, & quod Papa non possit in istis casibus destruere, siue reuocare statuta Concilij. Et ad istud propositum allegar Hugonem, & Arch. glosa, & Domi. in cap. sicut 13. dist. per quem tex. ibi, & cuiuslibet vitæ communis, atque rationis norma consistit, vult quod Papa teneatur necessariò approbare statuta Conciliorum respicientia fidem, & normam informationis vitæ Christianæ, & ad hoc allegat. tex. in cap. habeo librum dist. 16. qui loquitur per verbum oportet, quod importat necessitatem, & tex. in cap. illa dist. 12. In alijs autem concernentibus correctionem morum, & punitionem criminũ posset contra statuta Concilij disponere. Et ita concordat plures glos. in cap. aliorum 9. qu. 3. & in capit. istis 4. dist. & in capit. vbi periculum de elect. in 6. Et ad idem allegat Hugonem, & Dominicum in cap. sancta. 15. dist. & eumdem Hugonem & Archid. in §. hoc autem 19. distin. Quæ inducit contra Eugenium ad ostendendum quod non poterat dissoluere Concilium, & quod tenebatur parere decreto frequens in Concilio Constantiens. edito. & approbationi Domini Martini de Concilio celebrando in septennium, & de non mutando loco, & non prorogando tempore. Et ad idem allegat Archid. 25. qu. 1. capit. sunt quidam. Refert etiam ad idem Ant. de Butrio in tract. schismatis, & Mathesil. in additionibus ad illum, ponere 7. casus quibus Papa est infra Concilium, & potest à Concilio deponi, primus est vbi est probabile dubium iuris, vel facti, vter ex duobus sit verus Papa, secundus in criminibus hæresis, & alijs concernentibus fidem, tertius in materia nutriente schisma inueteratum, quartus in crimine scandalizante Ecclesiam quintus vbi contingeret turbari vniuersalem statum Ecclesiæ, sextus vbi Papa reperitur à fide deuius, septimus vbi induceretur nouus ritus prorsus diuersus à ritu antiquo, in quo nutritus est populus Christianus. Et ad idem adducit Petrum de Anchar. & Petrum Paulum de Ancona in suis tractatibus.

Istam eamdem conclusionem etiam tenuit vniuersa Synodus Basilien. quam per plures rationes, & auctoritates sacræ Scripturæ reperio fuisse examinatam, cùm Commissarij Domini Eugenij Papæ petierunt se admitti in Concilium, vt præsidentes vigore Bullæ eiusdem Eugenij, quibus Concilium respondit de rigore non esse admittendos, vt præsidentes, sed de honestate, & pro honore Papæ admiserunt Cardinalem sanctæ Crucis, & Cardinalem sancti
70 Angeli cum certis conditionibus. Hanc autem maioritatem probabat ipsa Synodus quadruplici ratione. Primò ex dignitate, secundò ex auctoritate, qua generalia Concilia vsa fuere à principio, quo celebrata fuerunt, tertiò ex decretis, & gestis Concilij Constantiensis, quartò ex decretis, & gestis in eodem Concilio Basiliensi. Ex dignitate quidem probat, quia Ecclesia est mansura vsque ad finem seculi Matth. vlti. Item quia est sponsa Christi, vt ad Ephes. 5. & Apocal. 21. Item quia Christus non permittit illam errare Luc. 22. Item quia ei assistit dicto capitulo vlt. Matth. Item quia ædificauit eam super se firmam Petram, & voluit quod portæ inferi non præualereut aduersùs eam, tanquam in seipsa receperit potestatem seipsam in suo esse conseruandi, & aduersantibus resistendi. Et quod in seipsa virtutem intrinsecam contineat, voluit August. in sermone primo super Psalmo 103. quia nemo potest ponere aliud fundamentum Ecclesiæ præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus 1. ad Corinth. 3. & 1. quæstione, prima cùm Paulus. Et virtualiter ad ostendendum qualiter ista potestas sit in Papa, adducit illa quæ dicta sunt in 51. motiuo, videlicet quod potestas Papæ adhæret Ecclesiæ intrinsecè, & quod Ecclesiæ ad Papam est quidam essentialis ordo, non ad hunc, vel illum Papam singulariter accipiendo, sed generaliter intelligendo nomine Papæ illam supremam potestatem, quæ residet in Papa, & sic, vt alterum sine altero intelligi, aut esse non possit, quia hoc facit differentiam inter Papam, & dignitatem Papalem, quæ semper manet in Ecclesia, Papa verò quandocumque deficit, nam suprema potestas, quam Christus concessit Ecclesiæ suæ ad se tuen-

tuendum, & regendum, cuius iudicio omnes tenentur acquiescere, semper manet in Ecclesia. nam & mortuo Papa Ecclesia semper manet ordinata, quia de ea pro omni tempore dicitur, quod est terribilis, vt castrorum acies ordinata, & non solùm potentialiter, vel habitualiter, sed actualiter, sed ad personam Papæ non est necessaria habitudo, sed contingens, quia hæc suprema potestas potest esse sine Papa, vt Sede vacante, vel antequam eligatur, vel si deponatur à Papatu, cùm ergo possint ab inuicem separari, sequitur quod hæc potestas primò, & principaliter sit in Ecclesia, & secundariò in Papa, nam quandocumque aliqua virtus, siue proprietas inest duobus, ita quod vni necessariò, & alteri contingenter, principaliter inest illi, cui competit necessariò, vt superiùs diximus. Sic ergo patet, quod ad hanc dignitatem, siue supremam potestatem, inest Ecclesiæ habitudo necessaria, & intrinseca, personæ autem Papæ extrinseca, & contingens. Item ex dignitate etiam probatur, quia potestas clauium principaliter data est Ecclesiæ, vt supra in 18. & 19. opposit. dixi. Quod videtur etiam probari ex text. Euangelij, nam Matth. 16. Christus dixit Petro, tu es Petrus, & tibi dabo claues regni cœlorum, &c. & deinde capitulo 17. in fin. mandauit Christus Petro, vt solueret staterem pro se, & pro eo. Vnde quia ex his videbatur constituere eum capitaneum super alios, statim continuatiuè additur cap. 18. in princ. in illa hora accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes quisnam maior est in regno cœlorum, ex quo patet quod propriè loquitur Euangelista de superioritate. Et tunc quibusdam intellectis Christus in eodem cap. subiungit si peccauerit in te frater tuus &c. & additur quod si non audierit dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, amen dico vobis quæcumque alligaueritis, super terram erunt ligata, &c. Ex qua auctoritate dicebant quatuor notari, primum quod claues regni cœlorum, de quibus supra dixerat tibi dabo, sunt Ecclesiæ concessæ, quod patet, quia cùm eadem verba, sub quibus facta fuerat promissio hìc exprimantur, nec in toto canone sacræ Bibliæ reperiatur locus expressior, in quo legatur quod potestas clauium sit data, vel concessa à Christo Petro, aut Ecclesiæ, sub eisdem verbis, quibus promissa fuerit Petro, est exhibita Ecclesiæ. Secundò notatur quod concessio hæc est in omni stabili firmitate patet ex verbo amen, quod in datione præmittitur, quod notat iuramenti, siue assertionis veritatem. Tertiò quod in his verbis intelligitur concessa potestas Ecclesiæ non limitatè, & in certis casibus, sed in omni plenitudine, patet ex signis vniuersalibus quæcumque alligaueritis, & quodcumque solueritis. Vnde si ex illo verbo, quæcumque ligaueris super terram notatur in Papa plenitudo potestatis, notabitur etiam plenitudo potestatis in Ecclesia ex hoc, quod dicitur Discipulis, quæcumque alligaueritis, vt ad quęcumque se extendit potestas Papę se etiam extendat potestas Ecclesiæ, nec à potestate Papæ excedatur potestas Ecclesię, aliàs non competeret ei verbum quæcumque alligaueritis. Quartò colligitur quod iudicium Ecclesiæ si maius, quia huic iudicio etiam submisit ipsum Petrum, cùm dixit dic Ecclesiæ, nusquam autem reperitur quod iudicium Ecclesiæ remiserit ad Petrum, sicut è contra in hoc loco, & si iudicium Petri fuisset maius, dixisset, quod si Ecclesiam non audierit dic Petro, quod non dixit, sed sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, item ex dicta auctoritate denotatur infallibilis assistentia Spiritus Sancti cùm insuflauit, & dixit, accipite Spiritum Sanctum, item & libera potestatis executio, quia sine aliqua limitatione dixit, quorum remiseritis peccata &c. quæ non apparent sic dicta Petro cùm concessa est ei potestas. Item colligitur præeminentia in Ecclesia ratione permanentiæ, & stabilitatis perpetuæ, cùm non sit assignare diem, aut horam, vel momentum, in quo deficiat hæc potestas Ecclesiæ, & est duratura vsq: ad consummationem sęculi, vt in cap. pudenda 24. quæst. 1. non sic in Papa, cùm non semper viuat, & possit priuari. Ex quo constat quod potestas inest Ecclesiæ necessariò, & intrinsecè, non sic autem Papæ, omne autem permanens, & continuum præfertur variabili, & temporali. Item quia in Ecclesia est omnis cognitio veritatis, specialiter, quæ necessaria est ad salutem iuxta illud Ioann. 16. cùm venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & primæ ad Timoth. 3. scias quomodo te oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui columna, & firmamentum veritatis, quæ duo verba, videlicet columna, & firmamentum, denotant in manifestè inobliquitatem iudicij, Papa autem sæpè indiget ab alijs edoceri, etiam de veritatibus necessarijs ad salutem, per Ecclesiam verò innotescit multiformis sapientia Dei non solùm hominibus, sed principatibus, & potestatibus in cœlestibus, secundùm Apostol. ad Ephes. tertio. Habet ergo se auctoritas Ecclesiæ, vt mensura, & regula actionum Papæ, quia rectum est iudex sui, & obliqui, & omne quod obliquabile est, & deficere, ac errare potest regulari, & ordinari debet per aliquid inobliquabile, & indeficiens.

71 Item ex habitudine quadruplicis causæ probatur hæc maioritas, videlicèt causæ finalis, efficientis; formalis, & materialis. Primò ex habitudine finis. Licèt enim omnium, quæ sunt à Deo constituta ipse sit vltimus, & principalis finis, tamen constat etiam in his quædam ordinari ad suos proprios fines, clarum est autem, quod inter hæc duo, scilicèt esse alterius finem, & ordinari in aliud tamquam in finem, primum potiùs conuenit Ecclesiæ, quàm Papæ, id enim finis dicitur alterius ad cuius benè esse alterum ordinatur, Ecclesia autem non ordinatur ad benè esse Papæ, sed è conuerso Papa actiones suas ordinare debet ad bene esse Ecclesiæ, vnde tunc actiones Papæ sunt benè ordinatæ, quando ex ipsis prouenit bonum Ecclesiæ, malè verò, quando ab hoc fine deficiunt,

siue

siue eidem contrariantur. Hoc autem videtur dicere Apostolus primæ ad Corin.3. omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, non puri hominis; & ideo non in homine gloriamur, sed in Christo, cuius sumus creatione, & recreatione. Hoc autem ideo videtur dicere Apostolus, vt sicut hæc nobis, seu propter nos concessa sunt, & subiecta, ita nos Christo subijciamur. Vnde manifestè apparet, quod cephas potiùs est Ecclesiæ,& ad eam ordinatur tamquam ad finem, & ipsius iudicio subijcitur, quàm è conuerso. Ita etiam dicit Apost. 2. ad Corint.10.& 13. & ad Ephes. 4. quod potestas est à Christo in ædificationem Eccles. ita quod ædificatio, aut bene esse Ecclesiæ est finis potestatis concessæ, quicquid enim in Ecclesia iubetur, & statuitur, si innititur veritati, & tendit in ædificationem Ecclesiæ dicitur fieri benè, si autem vtrumque, vel alterum eorum deficit, cum deuiet à sua regula directiua, non dicitur rectè fieri. Vnde si Papa fundat intentionem suam super falsum, aut mendacium, iuxta auctoritatem Apostoli videtur potestas illi non suffragari, sed deficere. Et ponderandum est, quod non dicit non debemus, aut non licet nobis aduersùs veritatem dicere, sed dicit, non enim possumus aliquid contra veritatem; dicit etiam quod potestas data est à Christo in ædificationem Ecclesiæ, vnde apparet quod Ecclesia, siue bonum ipsius sit finis potestatis concessæ. Et ex hoc sequitur secundò, quod Ecclesia se habet in ratione efficientis saltem principalis, sicut anima, cùm sit finis corporis, se habet ad omnes operationes, & motus eius in ratione principalis efficientis. Cùm ergo huic corpori quod est Ecclesia multæ competant operationes, quæ habent exerceri per membra eius ad finẽ, siue benè esse huius corporis, & ipsius virtute, sequitur quod ipsum corpus se habet ad ipsas operationes in ratione principalis agentis, membra verò eius, vt minùs principalia, siue instrumẽta, sicut potentiæ animæ dicuntur esse, quasi quædam instrumẽta ad operationes eius. Papa igitur licèt sit nobilissimum ipsius Ecclesiæ membrum, quia tamen in ipsius corporis virtute, & fide, & ad eius finem operari habet, non ei competit respectu Ecclesię habitudo principalis agentis, sed habitudo minùs principalis agentis, aut instrumenti. Quod autem habet se ad aliud in ratione principalis agentis præfertur ei, quod se habet in ratione agentis secundarij, siue instrumenti. Cùm igitur potestas instrumenti, siue agentis minùs principalis non sit maior, quàm potestas principalis agentis, sequitur, quod sicut plenitudo potestatis est in Papa; ita à fortiori sit in Ecclesia, & quòd licèt Papa sit principale organum operationis Ecclesiæ, etiam absque eo, vel ipso inuito Ecclesia possit exercere suam iudicialem potestatem, cum etiam nullo Papa existente illam exerceat, & quia sunt alia organa, per quæ operari possit. Tertiò probatur hoc idem ex habitudine causæ formalis, quia omne iudicium, quod se habet inconcussè, & inobliquabiliter ad rectitudinem veritatis, siue legis, est forma illius iudicij, quod potest ab huiusmodi rectitudine declinare sic autem est de iudicio Ecclesiæ respectu actionum Papæ, quia Ecclesia nunquam deuiat, nec potest deuiare à recta fide, Papa verò frequenter, igitur. Quartò probatur idem ex ratione causæ materialis, siue subiecti Papa enim, & omnia alia membra inferiora sunt subiectum, siue materia iudicij Ecclesiæ, quia Ecclesia potest omnia membra, & etiam ipsum Papam iudicare, deponere, suspendere perpetuò, vel ad tempus, Papa autem respectu Ecclesiæ hoc non potest, nec enim potest statuere, aut etiam præcipere quod nullus in Ecclesia oret, laudet Deum, vel baptizet, & sic de alijs. Cùm ergo Ecclesia possit Papam priuare, siue suspendere ab actionibus, quæ ci, inquantum talis est competunt, constat, quod Papa se habet, vt subiectum, siue materia, super quam exercere potest Ecclesia iudicium, non autem è conuerso. Materia autem habet rationem inferioritatis, vt notum est, ergo sequitur quod ipse est inferior Ecclesia. Quod autem Ecclesia propria auctoritate in summos Pontifices exercuit crebrò depositionis, & suspensionis iudicium, patet ex antiquis historijs. Secundo modo fundatur hæc maioritas in auctoritate, qua generalia Concilia vsa fuere in suis definitionibus, in quibus dicitur aliquid definitum vniuersali consensu, communiter enim dicitur sacra Synodus, vel sanctum Concilium, statuit, definiuit, declarat, anathematizat; aut placet, vel placuit sanctæ Synodo, vel per similia verba. Similiter in subscriptionibus Episcoporum dicitur ego N. Episcopus definiens, vel iudicans, vel statuens, subscripsi, & idem in subscriptionibus Legatorum. Et ita reperitur factum in quatuor principalioribus Concilijs, quæ vt dicit Gregor. custodire oportet, sicut quatuor euangelia. Et in pluribus patet, quod Papa petit definiri à Patribus in Concilio existentibus 35. q. 9. quod quis, & in pluribus his similibus supra allegatis. Ex quibus concluditur, quod Concilium generale sit supra Papam. Tertiò, & quartò fundatur in gestis Concilij Constantien. in quo dicunt statutum, quod Concilium sit supra Papam. Et ex his breuiter collectis concludunt Concilium esse supra Papam, & ad cap. significasti de elect. quod videtur clauis in ista materia pro Papa, potest responderi, quod non obstat ille tex. vbi dicitur quod Concilia non possunt præfigere legem Ecclesiæ Romanæ, & quod omnia Concilia per Ecclesię Romanæ auctoritatem, & facta sunt, & robur acceperunt, & quod in eorum statutis Romanæ Ecclesiæ excipitur auctoritas. Quia conceditur quod Concilia non possunt præfigere legem Romanæ Ecclesiæ, quod sumunt robur ab ea, quia Romana Ecclesia est caput cunctarum Ecclesiarum, dicente Domino tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam

meam, vt dicit text. in cap. quamuis 21. dist. 3. quæst. 6. capit. ad Romanam el 1. & 2. 34. quæstio. 1. rogamus glos. in cap. 1. de translatio. Prælar. Immò etiam capur, & cardo 22. distinct. capit. sacrosancta in fin. Immò, & nutrix cap. 1. ibi Ioann. And. de immun. Eccles. in 6. Immò etiam mater, & magistra omnium aliarum, vt in cap. fin. de for. compet. cap. fundamenta de electi on. in 6. 11. distin. capitul. non decet. 2. quæst. 6. cap. ad Romanam el 2. de sum. Trinit capit. damnamus in fin. de priuileg. antiqua, & in capit. fœlicis de pœnis in 6. Immò omnes Ecclesiæ pertinent ad Romanam Ecclesiam capit. si Papa de priuileg. in 6. Nec valent statuta conciliaria, si non habuerint robur ab Ecclesiâ Romana, vt in capit. benè quidam circa fin. 96. distin. Sed ex his non sequitur quod Papa sit maior Concilio, quia aliud est Papa, aliud sedes Apostolica, siue Romana Ecclesia cap. si gratiosè de rescript. in 6. Sic etiam respondetur ad cap. cuncta per mundum 9. quæstio. 3. cùm dicit quod sedes Apostolica, sine vlla Synodo præcedente facultatem habet, & soluendi, quos iniquè Synodus damnauerat, & damnandi nulla existente synodo, quos oportuit, & hoc propter ipsius sedis principatum, quia respondetur quod loquitur de sede Apostolica, & non de Papa. Et per istum modum respondetur ad multa iura, quæ adducuntur pro Papa, vt est tex. in capit. quodcumque 24. quæstio 1. & cap. quamuis 21. dist. & capit. nemo & cap. aliorum 9. quæst. 3. & capit. ad Romanam el 1. & 2. 2. quæst. 6. Quæ vt apparet, loquuntur non de Papa, sed de Romana Ecclesia, sicut & cap. sacrosancta 22. dist. & 17. dist. cap. synodum cap. regula cap. huic c. nec licuit cùm sim. adductis supra, quæ etiam loquuntur de Romana Ecclesia, & non de persona Papæ.

SVMMARIVM.

71 *Papam esse supra Concilium.*
Argumenta, & num 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 126. 127. 128. 129. 130. 131. & 132.
80 *Euangelium præputij, & Circumcisionis quid sit.*
81 *Petrum præcedere Paulum administratione arg.*
82 *Paulus an à Christo immediatè ad prædicandum fuerit missus an à Petro.*
83 *Paulus 14. annis post passionem Christi contulit se Hierosolymam cum Petro.*
84 *Petrum non assumpsisse sibi aliquam potestatem supra cæteros Apostolos.*
Quomodo intelligendum.
85 *Cap. Matth. 20. & Lucæ 22. intellectus, & num. 87.*
86 *Cap. Io. vlt. intellectus.*
88 *Petro principaliter datæ claues, & num. 93. 95.*
89 *Primatus Petri, multæ auctoritates.*
90 *Cap. 13. Ioannis declaratio.*
91 *Principatus quòd datus fuerit Petro, & num. 92.*
94 *Petrus fuit Caput, Pastor, & Princeps Apostolorum, & vniuersalis Ecclesiæ.*
96 *Petrus quando accepit claues, quod Ecclesiam significauerit, quomodo intelligendum, & num. 97. 98. & 99. 100. 101.*
Et respondet ad contraria Auctor. num. 102. 103.
104 *Verba quæcumque alligaueritis, quomodo intelligantur dicta.*
105 *Potestas data Apostolis circa octo consistebat, & num. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112.*
113 *Princeps quando concedit duo priuilegia, secundum intelligitur saluo primo, & saluo iure alterius.*
Potestas, an fuerit data vel promissa.
114 *Petro, & Apostolis, per illa verba Matt. 16. & 18. cap. & num. 124.*
115 *Potestas ordinis, & potestas iurisdictionis, quæ sint in Petro, quando & per verba, & quæ verba fuerit sibi data.*
116 *Pontificatus quando Petro fuerit datus, & num. 117.*
Et respondet Auctor ad contrarium n. 118.
Et quando executio num. 119.
120 *Collatio ordinis episcopalis tenet, etiam si ordinatus non sit sacerdos.*
121 *Pontificatus quare potiùs Petro, quàm Ioanni, qui erat virgo fuerit datus.*
122 *Petrus quare prius præpositus fuerit alijs, postmodum fuerit sibi data executio tempore passionis.*
123 *Cap. Matth. 12. & Luc. 11. declaratio.*
125 *Verba, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. De quo dicta intelligantur.*
133 *Papa qualis esse debeat.*
Papam esse maiorem Concilio Auctoritates plures per totum numerum.

72 IN contrariũ tamẽ quod immò Papa, sit supra Conciliũ, facit quod non potest subsistere Concilium sine Papa, vndè dicit text. in cap. multis distinct. 17. quod qui celebrat Concilium sine Romano Pontifice, non Concilium, sed conuenticulum siue conciliabulum celebrat. Et intantum est hoc verum, quod etiam si Papa sit impetitus, nihilominus ipsemet habet dare auctoritatem Concilio, vt est text. in cap. Concilia in §. hinc etiam dist. 17. ibi suggesserunt ipsum, qui dicebatur impetitus debere Synodum conuocare, & supra diximus. Sed clarum est maioris esse auctoritatis, & præminentiæ, qui dat esse rei quàm sit res ipsa leg. Iulianus, §. si quis, ff. ad exigendum, leg. adeò §. cùm quis, ff. de acquirendo rerum Domin. & institut. de rerum diuis. §. cùm ex aliena. Ergò sequitur quod Romanus Pontifex est maior Concilio, vndè dicit glos. in capit. sicut dist. 15. quod Concilium non potest imponere aliquam legem Papæ. Ad idem facit, quod confirmare est proprium superioris, leg. fin. ibi Bald. C. de ll. & in leg. non ambigitur, ff. eod. & Hostien. in cap. 1. de locato, in verbo confirmaram. Sed Papa confirmat gesta Conciliorum non è contra, vt probat text. in cap. sicut, & in cap. sancto octo. dist. 15. & in cap. 6. Synodus, dist. 16. & latè disputat Cardin. de Turrecrem. in dicto cap. sacrosancta, & confirmat confirmatione

matione auctoritatiua, vt in dictis iuribus. Sequitur ergo quod Papa est superior Concilio, vt probat etiam gloss. in cap. frater noster, 17. quęæ. 4. quę dicit confirmationem auctoritatiuam dare rei confirmatæ. vt non possit retractari sine confirmantis consensu, vel licentia, & gloss. in capit. quis nesciat dist. 11. in verbo auctoritate, text. cum supra scripr. de consecrat. dist. 3. cap. de obseruatione, & Leo confirmauit gesta
73 Concilij Chalcedonen. Secundò facit illud quod dicitur Luc. 5. & text. in cap. non turbatur, 24. quæst. 1. ibi etsi alijs Apostolis imperatur, vt laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur duc in altum, per quod designatur maioritas in Petro respectu aliorum Apostolorum, & consequenter in Papa respectu aliorum Prælatorum, & Concilij. Vndè, & text. in capitulo est aliud eadem causa, & quæst. dicit est aliud piscandi genus, quo genere solum Petrum piscari Dominus iubet, dicens mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit tolle, & gl. ibi per hamum intelligit iurisdictionem, qua Petrus præfuit alijs, ad quod text. in cap. in illis dist. 80. & de hoc per Felin. in cap. translato in 7. colum. in fin. de constitut. Vndè disputare de eius maioritate, & potestate est instar sacrilegij, 18. qu. 4. cap. si quis. Item dicitur ponere os in Cœlum, vt in capit. in tantum dist. 21. Tertiò pro
74 ista parte faciunt omnia illa motiua, quæ supra adducta sunt pro sententia Papæ in articulo, quæ sententia debeat præualere,
75 Papæ, an Concilij. Quartò facit motiuum ab auctoritate cessante, si enim Concilij auctoritas tamdiù durat, quamdiù illi præest Papa, vel alius eius nomine, & eius auctoritas cessat cessante præsidentia veri Papæ, vel alterius nomine eius, sequitur quod Concilium nullam habet auctoritatem sine Papa, vt in cap. regula dist. 16. cum simil. & in cap. significasti, de elect. Si autem Concilium, dissoluatur ex se de facto, non propterea deficit auctoritas Pontificis, quia Papa cum eadem potestate remanet, quam habebat ante dissolutum Concilium. Sequitur igitur, quod Concilij potestas tamquam temporalis, & dependens, minor sit, quàm potestas Papæ tamquam perpetua, & principalis, & consequenter, quod maior sit Papa, quàm Concilium, cum Concilium non sit sine Papa, sed benè Papa sine Concilio, quia solus Papa sine Concilio facit, & edit Canones vniuersales, vt in cap. 1. cum simil. de constit. in 6. item conciliares reuocat, modificat, & contra eos dispensat, vt dicitur post gloss. in cap. proposuit de concess. præbend. & gl. in verbo Concilio in capitulo vbi periculum, de elect. in sexto, & dictum est supra in proprio articulo. Non sic autem Concilium contra constitutionem Pontificalē, ergo. Quintò faciunt multa iura, quæ li-
76 cèt ab aliquibus in ista materia respuantur istud tamen nihil aliud est, quam negare fidem negando decreta sanctorum Patrum, vt in cap. generali, & in cap. omnia cum pluribus alijs 25. quæst. 1. Vndè cùm iura de his loquentia tamquam Spiritus sancti instinctu dictata respui non possint sine blasphemia Spiritus sancti, illis stare oportet, vt in capitulo violatores, 25. quæst. 1. Igitur pro ista maioritate Papæ ad Concilium facit text. 9. qu. 3. capit. cuncta per mundum, & 2. qu. 6. placuit, & cap. ad Romanam, vbi dicitur quod à sententia Papæ non appellatur ad aliquem, sequitur ergò, quod Papa in terris non habet superiorem. Et plus dicitur in dicto cap. cuncta per mundum, quod Papa absoluit, quos Synodus ligat. Et gloss. ibi intelligit de Synodo vniuersali, & generali. Ad idem, & fortior text. in cap. ipsi sunt 9. qu. 3. vbi dicitur, quod appellationes totius Ecclesiæ deferuntur ad Papam. Sed, vt sæpiùs dictum est Concilium est tota Ecclesia repræsentatiuè, ergò à Concilio ad Papam appellatur, & ibi dicitur, quod numquam prorsus appellatur à sententia Papæ. Sequitur igitur cum sit appellandum ab inferiore ad superiorem, vt in leg. 2. ibi Bart. ff. de appel. cap. 2. de consuet. in 6. cum simil. quod Concilium sit inferius Papa, & ex quo numquam prorsus à sententia Papæ appellatur, quod Papa non habeat superiorem. Et in dict. qu. 3. & in cap. licèt in fin. de elect. in cap. patet 3. qu. prima, sunt plura iura hoc demonstrantia, nam in capit. nemo dicitur, nemo iudicabit primam sedem, neque enim ab Augusto, neque ab omni clero iudex iudicabitur, & sic nec à Concilio, per quod repræsentatur vniuersalis clerus. Et in cap. aliorum dicitur, quicquid vbique fidelium est illi submittitur, dum totius corporis caput esse designatur. Et in dicto cap. licèt de elect. dicitur, quod in Romana Ecclesia aliquid speciale statuitur, quia non potest haberi recursus ad superiorem, ergò sequitur quod Concilium non potest esse supra Papam, cuius causa solius Dei iudicio reseruatur, vt dicit text. in dict. cap. aliorum. Et in capitulo significasti, de elect. dicitur clarè quod Concilia habent auctoritatem à Papa. Item ad hoc facit text. in capit. Hosius, 6. quæst. 4. qui dicit, quod Concilia præstant reuerentiam Ecclesiæ Romanæ, & Papæ. Et stari debet de gestis per Concilium determinationi ipsius Papæ, & quod probauerit, vel improbauerit sequendum est. Sic gloss. in capitulo quodcumque 24. qu. 1. dicit quod sententia Romanæ sedis præferenda est sententiæ totius Ecclesiæ. Hæc autem sententiæ Romanæ sedis non potest intelligi de Concilio, sed de sententia Papæ, cuius ore sententia profertur, quod probat text. in cap. maiores de baptism. in princ. iuncto etiam eo, quo declarat Concilium Toletanum Innocen. III. ibi. Ex quo etiam arguitur, quod Papa est superior, cum declaret Concilium illud, Ecclesia enim Romana habet prærogatiuam, & excellentiam super omnes alias Ecclesias, vt 9. qu. 3. per tot. 11. dist. capit. quis nesciat. Et omnium mater est, & magistra, de sum. Trinit. cap. 2. 12. dict. c. 1. & 2. 22. dist. omnes. Et est caput, & Domina aliarum Ecclesiarum, vt in cap. fundamenta de elect. in 6. dicit Hostien. in c. per venerabilem, qui filij sint legit. & text. in proœm. 6. in princ. 2. qu. 7. beati. Et est omnium

omnium mater, & Regina, vt in epistola, inter claras, C. de sum. Trinit. Et fundata non ab Apostolis, sed à Deo cap. sacrosancta, dist. 22. ponit Anastas. in rubr. de schisma, in vlt. colum. Et omnes oppressi ad eam velut ad matrem appellant. capit. ad Romanam elect. 1. & 22. qu. 6. Est vnum caput, vna origo, vna mater copiosæ fœcunditatis, adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est, & pudica, vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit, capit. loquitur, 24. qu. 1. quæ vnica columba appellatur, quæ sponsa pulchra sine macula, & ruga, & hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuæ, & paradisus cum fructu pomorum, 24. qu. 1. cap. omnibus. Sic text. in cap. quamuis dist. 21. vbi dicitur, quod Romana Ecclesia nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesijs Prælata est, sed voce Euangelica Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit, & ibi Pelagius Papa loquitur vniuersis orthodoxis. Ecce quod Synodica constituta subsunt iudicio Romanæ Eccles. & Papæ, idem probat text. in cap. sacrosancta dist. 22. Et quod sub nomine Rom. Eccles. etiam Papa solus intelligatur, quando est Catholicus, probat text. iuncta gloss. in verbo Pontificalis in capit. præceptis dist. 12. dicit Cardin. in Clem. quia contingit in 5. qu. in fin. de religione Domin. & Ioannes Andreas in cap. si Abbatem, de elect. in 6. Nec contrariatur text. in cap. si gratiosè, de rescript. in 6. quia non loquor de Papa contemplando personam, sed dignitatem. Vndè considerata dignitate Papali etiam sub nomine Sedis Apostolicę venit Papa, & in terminis illius text: idem esset si dictum fuisset ad beneplacitum, Pontificalis dignitatis, & sedis Apost. Et hoc videtur velle Domin. ibi in 3. col. in versic. numquid concessio, & clariùs post gloss. in verbo sedis Apostolicæ ibidem, & probat text. in c. loquitur 24. qu. cùm mixtim loquitur, aliquando de Petro aliquando de Ecclesia simul, & ponit vnum caput vniuersalis Ecclesiæ. Vndè Marsilius de Padua, qui dixerat Christum nullum caput dimisisse Ecclesiæ, condemnatus est per Sedem Apostolicam, vt patet in extrauaganti Io. 22. quæ incipit licèt iuxtà doctrinam Apostoli. Ex quo etiam sequitur, quod si est caput, & Concilium, quod constat ex Episcopis membra, patet de maioritate Papæ ad Concilium. Et quod ipse sit caput, text. est in capit. rogamus dist. 24. qu. 1. ponendo Papam successorem Petri Apostoli, vt vult text. in capit. 1. de hom. in 6. & in cap. quanto, & cap. licèt, de translat. Prælat. idem etiam clarè probat text. iuncta gloss. in capit. 1. distin. 22. qui plùs probat, quod est hæreticum negare Papam esse caput vniuersalis Ecclesiæ. Hoc etiam dicit text. in capit. decretis distinct. 21. vbi dicit, quod Christus Petrum in summum Sacerdotem elegit, dùm ei præ omnibus, & pro omnibus claues Regni Cælorum tribuit, & à se petra Petri nomen ei imposuit, atque pro eius fide se specialiter rogasse testatus est; & vt ipse cæteros confirmaret, subiunxit dicens, [Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Ad idem gloss. in Clement. ad nostrum, de hæret. quæ vult, quod qui pertinaciter asserit Papam non esse caput vniuersalis Ecclesiæ, est hæreticus. Hoc idem ponit sanctus Thomas in tractatu contra errores Græcorum capit. 65. 66. & 67. vbi dicit, quod dicere Papam non habere primatum vniuersalis Ecclesiæ est error similis errori dicentium Spiritum sanctum à Filio non procedere. Et idem Thom. in tract. contra impugn. Reliq. cap. 4. & aliquid in parte 3. qu. 8. art. 6. Et quod Papa sit supremus, & habeat supremam potestatem, & iurisdictionem tam in fideles, quàm in infideles, ponunt communiter Doctores omnes post Innocent. in capit. quod super ijs, de vot. & ibi omnes dicunt potestatem Papæ datam à Deo. Ad quæ etiam faciunt, quæ dicuntur in cap. nouit, de iudic. in capit. causam, quæ post gloss. qui filij sit legit. & in cap. solitæ, de maioritate, & obedientia, & in cap. si duobus post gloss. de appellat. & cap. licèt, ex suscepto, de foro compet. & Cardin. in cap. venerabilem, de elect. cum concordantibus, in quibus tractatur, quod Papa habet vtrumque gladium, & superioritatem super omnes, de quo articulo infrà in fine ponitur.

Et hanc superioritatem benè ostendit Beda Matth. 28. cum dicit loquens de Christo, affuit quondam confortaturus suo spiritu Ecclesiam cùm ab infidelibus præmeretur, & ad publicum venite, ac dilatari prohiberetur, adest eidem, & nunc cùm inclinato ad fidem culmine Regali terror, quieuit persecutionis, & omnis Mundi sublimitas Apostolicis est subdita vestigijs, &c. Ad hoc faciunt omnia iura, quæ loquuntur de primatu, & superioritate Petri. De quo infrà in proximo motiuo plura dicuntur, quæ omnia vendicant sibi locum in Papa, quia dicta de Petro, dicta censentur de successoribus eius, cap. solitæ, de maiorit. & obedient. cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, capit. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. capit. 1. de homicid. eodem lib. Vndè Bonifacius in extrauaganti vnam sanctam dicit, porrò subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus esse de necessitate salutis. Et idem etiam clariùs probat text. in cap. quis nesciat distin. 11. cùm ponit, quod illud, quod à Principe Apostolorum Petro traditum est Romanæ Ecclesiæ, custodiri ab omnibus debet, cùm sit manifestum, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut successores eius constituerunt Sacerdotes, &c. Et subdit, oportet eos sequi, quod Romana custodit Ecclesia, à qua principium eos accepisse non dubium est, ne dùm sermonibus peregrinis student, caput institutionum videantur amittere. Sic text. in capit. nolite ea dist. 11. vbi dicit, nolite varijs, & extraneis doctrinis abduci, institutum Apostolorum, & Apostolicorum virorum, canonesque habetis, his fruimini. Et subdit, indignum est quemquam vel Pontificum,

cum, vel ordinum subsequentium hanc regulam refutare, quam beati Petri Sedem, & sequi viderit, & docere, multum enim conuenit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibi obseruatione concordet, quæ indè auctoritatem habet, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit Principatum. Ecce, quod text. sonat, quod Pontifices Romani præsunt omnibus Fidelibus, & quod totum corpus Ecclesiæ in illorum obseruatione concors esse debet, & sic ponit maioritatem Papæ ad Concilium. Ad idem capitulo cùm beatissimus Petrus distinct. 24. quæst. 1.

Nec obstat si dicatur, quod Christus est caput Ecclesiæ, vt dicit text. in cap. vnico, de sacra Vnct. & Clement. 1. in princip. de iureiur. Quia respondetur, quod Christus est immediatum caput Ecclesiæ, sed Papa mediante Christo, à quo Principatum recepit, quia Christus ascensurus in Cælum tamquam bonus paterfamilias, & dominus, ne Ecclesiam sine capite relinqueret, decreuit Petrum, & Successores eius Pastores, & Principes Ecclesiæ. Et hoc sentit gloss. in Clementina ad nostrum, in verbo Ecclesiæ, de hæret. probat text. in Clem. 1. in princip. de iureiur. Et ideò benè loquitur text. in extrauaganti vnam sanctam, cùm dicit, igitur Ecclesiæ vnius, & vnicæ vnum corpus, & vnum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet, Christique Vicarius Petrus, Petrique successor. Ad quod vide, quæ latè dicta sunt in articulo, quæ sententia præferatur, Papæ ne, an Concilij, in responsione ad sextum argumentum, in versic. non obstat, quod dicitur, quod Ecclesia haberet plura fundamenta. Et hoc clarè demonstrat text. in cap. 1. de homic. in 6. Et sanctus Thom. in 4. contra Gentil. cap. 76. vbi sic inquit: Si autem quis dicat, quod vnum caput, & vnus Pastor est Christus, qui est vnus, vnius Ecclesiæ Sponsus, non sufficienter respondet. Manifestum est enim, quod omnia Sacramenta Christus ipse perficit. Ipse enim est, qui baptizat Ioan. 1. Ipse est, qui peccata dimittit, ibidem Io. 1. Ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit in ara Crucis, & cuius virtute Corpus eius in Altari quotidiè consecratur, de summa Trinit. cap. 1. §. vna, de consecr. dist. 2. cap. quia corpus. Sed quia corporaliter non erat cum omnibus Fidelibus permansurus, elegit Ministros, per quos prædicta Fidelibus ministraret. Oportuit igitur, vt alicui curam Ecclesiæ committeret. Ideò dixit Petro, pasce oues meas, Io. vlt. tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, Luc. 22. Adde, quæ dico infrà de Petra, an accipiatur pro Christo, an pro Petro, & ibi dicitur de Christo in secundo, & tertio fundamento. Ad idem est text. qui hoc in indiuiduo probat in capit. benè quidem distinct. 96. Vndè Hieron. de obitu, siue ortu Sanctorum Noui Testam. dicit, Petrus in Christo Ecclesiæ firmamentum, Cephas corporis Christi Princeps, & caput est. Et in dicto capitulo benè quidem, dicit text. quod si cuiuslibet Prouinciæ Sacerdotes intrà suos terminos Concilio habito quicquid sine Metropolitani sui auctoritate tractauerint, irritum esse debere sancti Patres sanxerunt, quantò magis, quod in Apostolica Sede, nunc extante Præsule, qui meritò beati Petri Apostoli per vniuersum Orbem primatum obtinens Sacerdotij statutis Synodalibus consueuit tribuere firmitatem, &c. Ecce, quod text. ibi dicit, quod Papa habet primatum in vniuersali Ecclesia, & dat firmitatem Concilijs, ergo Concilia sunt eo inferiora. Sic & tex. distin. 3. quæst. 6. dudum, qui dicit tam de Romana Ecclesia, quàm de Papa, quod obtinet primatum, & quod eius tantùm auctoritate Concilia celebrari debent, & sic loquitur indifferenter de Romana Ecclesia, & de Papa. Et de primatu Papæ, hoc est, quod sit caput, & Prælatus vniuersalis Ecclesiæ, ponit sanctus Thomas in tractatu contra errores Græcorum cap. 65. & 66. de primatu autem Romanæ Ecclesiæ, hoc est, quod sit Mater cunctarum Ecclesiarum, est text. in capit. non decet distin. 12. Et quod ad Papam spectet Conciliorum congregatio, & sine eius auctoritate nequeant congregari, dictum est supra, & probatur per tot. dist. 17. Et quod negans Romanam Ecclesiam esse caput aliarum, hæreticus sit censendus, dicit gloss. in cap. nulli dist. 19. & gloss. in cap. hæc est fides dist. 24. quæst. 1. & text. dist. 22. cap. 1. Ex quibus colligitur, quod maior est Papa ipso Concilio. Et de ista maioritate, & principalitate Papæ, & de plenitudine potestatis eius, vide plura bona dicta, quæ sunt ad propositum, adducta per Felin. in capitulo canonum circa princip. de constitut. Et de primatu Petri vide infrà in 8. motiuo latiùs, & in 13.

77 Sextò, facit, quod solus Papa tenet locum Dei in terris, cuius auctoritate nullius auctoritas, seu potestas maior est, & sibi in beati Petri persona dictum est, quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cælis, vt Matth. 16. & 24. quæst. 1. capit. quodcumque, & in cap. per venerabilem, qui filij sint leg. cap. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. cap. solitæ, de maiorit. & obedient. Et quod teneat vices Dei est text. in capit. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. & in capit. 1. de homicid. eodem lib. & in cap. vt nostrum, vt Eccles. benef. & in Clement. 1. de magist. & in capit. quanto, de translat. Prælat. Et Abb. in capit. omnis, de censib. in 2. notat. dicit, quod non potest præscribi contra supremam potestatem Papæ, quia sicut non potest præscribi contra Deum, ità nec contra eius Vicarium, quia Papa tenet vicem, & locum veri Dei in terris. Item & ipsius Papæ potestas est à Deo, vt dicit text. in cap. nouit de iudic. & bona gloss. in Clement. ne Romani, de elect. Item Papa est eius Vicarius, qui est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, constitutus à Deo Iudex viuorum, & mortuorũ, vt in dicto cap. per venerabilem. Ipse non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, capit. quanto, de translat. Prælat. Ipse Christi Vicarius, & Petri Successor dicitur, cap. licèt, de translat. Prælat. In tan-

nium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi à quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Et post pauca, hunc enim in consortium diuinæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat Dominus voluit nominari, dicendo, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ad quod etiam idem Leo in sermone secundo de natiuitate Apostolorum Petri, & Pauli, inquit, propterquod dicitur Beato Petro Apostolo, tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis, transiuit quidem in Apostolos alios ius istius potestatis, sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimatur, Petro enim singulariter hoc creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur. Ecce quod Petrus est summus, & caput totius corporis vniuersalis Ecclesiæ, & consequenter quilibet Petri successor, vt ab ipso quasi à quodam capite dona Domini in corpus omne Ecclesiæ diffundantur, ad idem text. in capitulo loquitur ante fin. 24. quæst. 1. & in cap. fundamenta, de elect. in 6. Vnde sanctus Thomas in quarta senrentia, distinctione vigesimaquarta quæstione tertia, articulo secundo quæstione tertia ad primum argumentum dicit, quod quamuis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi, & soluendi, tamen vt in hac potestate ordo aliquis significaretur, primò soli Petro data est, vt ostendatur, quod ab eo in alios debet ista potestas descendere. Et idem S. Thomas in 4. contra Gent. cap. 76. dicit, quod Dominus soli Petro promisit, tibi dabo claues regni Cęlorum, vt ostenderetur, quod potestas clauium erat per eum ad alios deriuanda ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem. Si ergo est caput totius corporis Ecclesię vniuersalis, multò magis parris repræsentantis istud corpus, & sic Concilij, & si vt caput diffundit dona, & auctoritatem in corpus, ergo est maior Concilio, quod ab eo sumit auctoritatem, vt distinct. 17. per tot. & capitulo significasti de elect. Vnde Leo Papa in sermone tertio de anniuersario suæ assumptionis die, ait de Petro, vt cùm multa solus acceperit, nihil in quemquam sine eius participatione transiuerit. Et sequitur, de toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes essent, multique pastores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum, & mirabile dilectissimi huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio & si quid commune cæteris esse voluit principibus, numquam nisi per ipsum dedit, quidquid alijs non negauit. Et de ista præeminentia, & plenitudine potestatis Papæ vide dicta Ægidij, quæ pono supra in quæstione, sed vltrà prędicta quæro: pone, quod aliqui Principes volunt præfigere terminum Papæ, vel in illa vter duorum contendentium de Papatu debeat congregare Concilium, &c. Item etiam ad hoc faciunt illa, quæ dicta fuerunt de potestate clauium, quæ principaliter, & propriè datæ sunt Petro, & successoribus, & non tantùm significatiuè, & figuraliter, in quæstione vtrùm Concilium cognoscat, de litibus, & causis, quæ occurrunt, & in alio artic. quæ sententia præualere debeat Papæ ne, an Concilij, & in alio artic. vtrùm Sede vacante possit Concilium exercere reseruata Papæ, & in alio vtrùm Concilium Sede vacante possit creare Cardinales. Et quod Petro principaliter non tantùm figuratiuè datæ sint claues, ostendunt verba Matt. 16. & tibi dabo claues regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in Cœlis, &c. Vbi non dicit vobis in plurali. Nec obstat, quod Matth. 18. quando datæ fuerunt claues, omnibus Apostolis dicitur, dico enim vobis, quæcumque alligaueriris super terram, &c. quia ex hoc non sequitur, quod Petro datæ fuerint significatiuè, & figuraliter tantùm, & non effectualiter propriè, principaliter. Quinimmò & Matth. 18. cùm Dominus dando Apostolis potestatem clauium dicit, dico enim vobis, loquitur etiam Petro. Vnde aut volumus intelligere per illa verba datam omnibus in concreto simul, & collegialiter, & non aliter, explicandam istam potestatem clauium, & hoc non potest stare, quia sic non recepisset quilibet singulariter potestatem ligandi, & soluendi sine alijs, quod contrariaretur Euangelio Ioann. 20. cum Dominus dicit, sicut misit Me Pater, & Ego mitto vos, hęc cum dixisset insufflauit, & dixit eis, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, vbi licèt loquatur in plurali, dat illis potestatem singulariter cùm dicit, Ego mitto vos, vt exitus demonstrauit, non enim eos simul, sed separatim ad prædicandum veritatem per vniuersum orbem misit, iuxta illud Marci vlt. euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, & in fine illi autem profecti prædicauerunt, vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, si ergo non in concreto, & collegialiter tantùm exercenda data fuit ista potestas clauium, ex quo Petrus erat etiam vnus de illis, quibus loquebatur Dominus, sequitur, quod Petro non tantùm figuratiuè, & significatiuè, sed etiam effectualiter, & propriè, ac principaliter, & verè data fuerit potestas, siue promissa, sicut cæteris alijs, quinimmò sequitur, quod huiusmodi potestas non fuerit data exercenda sine Papa in Concilio. Et ex quo non in concreto tantùm data est Apostolis, consequenter nec Ecclesiæ vniuersali, quia alioquin si vniuersali Ecclesiæ esset hoc modo data, sequeretur, quod etiam laicis, & pueris, & mulieribus esset data, quia sunt de isto corpore vniuersalis Ecclesiæ, vt in capitulo Ecclesia, de consecrat. dist. 1. quibus clarum est non competere potestatem ligandi, & soluendi. Aut singulariter, & particula-

cularitec cuilibet datam dicimus; & tunc sequitur, quod quilibet Apostolorum potuisset iudicare de Petro, & consequenter quilibet Episcopus de Concilio posset iudicare de Papa, cùm non plùs auctoritatis datum sit in concreto, & collegialiter, quàm singulariter per dicta verba. Hoc autem est omnino absurdum, quod vnus solus Episcopus iudicet Papam, vt in capitulo in tantum dist. 21. Si autem singuli de Concilio non iudicant de Papa, sequitur, quod nec Concilium, siue in Concilio coadunati. Ergo per illam auctoritatem Concilium nullam auctoritatem, vel superioritatem iudicandi de Papa recepit, imò potiùs contrarium, quia principaliter data fuit ibi potestas Petro, vt infrà ostenditur, & supra dictum est. Et si diceremus, quod quia singulariter, & particulariter data est, vnus non poterat iudicare de alio, quia par in parem non habet imperium, vt cap. innotuit, de elect. cum similibus, sequeretur, quod nec Papa posset iudicare de Episcopo, cùm ipsi repræsentent Apostolos, & illis successerint, vt dist. 35. cap. Ecclesiæ, cum similibus. Et sic nec Petrus inter Apostolos potuisset iudicare, si erant paris auctoritatis, idest præeminentiæ. Hoc autem est falsum, quia Papa promouet, & deponit quotidiè Episcopos, vt in capit. per principalem dist. 9. quæst. 3. & in capit. 1. de translat. Prælat. in capit. nisi cum pridem, de renunciat. Abb. in cap. fin. de confirm. vtil. vel inutil. Et Petrus fuit caput Apostolorum, & maior ceteris Apostolis, gloss. 24. quæst. 1. cap. loquitur in verbo pari, text. 3. quæst. 3. capit. dudum dist. 22. capit. 2. vbi dicit text. quod inter Apostolos distinctio potestatis fuit, & quod à Domino concessum est Petro, vt præesset cæteris Apostolis, & esset Cephas, &c. Inde August. in serm. 5. Apostolorum Petri, & Pauli, dicit, hic est quoque beatus Petrus in illa cælestium Discipulorum schola præcipuus. Et infrà, interpres legis, assertor gratiæ, destructor synagogæ, Ecclesiæ reparator, & omnino solus inter Apostolos meruit audire, Amen, dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et iterùm in serm. 4. eorumdem Apostolorum, ex piscatore fecit Dominus Apostolorum Principem. Et in serm. 2. eorumdem Apostolorum inquit, quis enim non audit, quod primus Apostolus Petrus sedenti ad speciosam portam, &c. Ad idem gloss. in cap. in illis dist. 81. Sic 2. quæst. 7. cap. Paulus, §. hoc non, de offic. de celebrat. Missarum, cap. cùm Marthæ, de maiorit. & obedient. solitæ, cum similibus. Inmò text. in dicto §. hoc non, de officio, dicit, quod paritas inter Petrum, & Paulum denotatur ex puritate vitæ, & sanctitate conuersationis: solus enim Petrus inter Apostolos primatum gerebat. Et in tantùm fuit maior, quod, vt dicit Richardus Radulphus Archiepiscopus Armachanus in summa de quæstionibus Armenorum lib. 7. cap. 6. & cap. 7. Petrus potuit in omnibus alijs quoad multa ligare, & cohibere ordinis potestatem, itaùt alij illam potestatem ordinis, non vbique exercerent, nec in quascumque personas, nec quantum vellent, aut possent ex ordinis potestate, sic quod peccatum inobedientiæ cōmisissent, si Petro non obediuissent in licitis, & vtilibus ad salutem. Oportet igitur intelligere potestatem datam Petro, & consequenter successoribus eius, principaliter, & singulariter, & cum Apostolis, & consequenter illorum successoribus, hoc est Episcopis, vbi voluerit collegialiter exercendam, & datam Apostolis, siue illorum successoribus, hoc est Episcopis collegialiter, cum capite, siue de ipsius consensu etiam singulariter exercendam, & datam vniuersali Ecclesiæ, & consequenter Concilio, per Petri, & Apostolorum successores simul conciliariter exercendam. Sicque cessat, quod de pueris, & mulieribus dicitur, quod non est data potestas, idest §. vna in fin. de summa Trinit. Et quod propriè, & principaliter, verè, & effectualiter datæ fuerint claues Petro ostendit Dominus, Io. vlt. cùm præsentibus Apostolis dirigens verba in Petrum dixit, Simon Ioannis diligis me, &c. pasce oues meas, non dixit pascite. Ex quo liquet, quod Petrus fuit factus pastor, & gubernator vniuersalis Ecclesiæ. Pastoris enim cura est non tantùm pascere oues, sed etiam gubernare, vt in capitulo quamuis, de reg. iur. Et pascere contingit temporaliter, & spiritualiter, vt in capitulo inter cætera, de offic. Ordinar. Vndè & Dauidi fuit dictum 1. Paral. 11. tibi enim dixit Dominus Deus tuus, tu pasces populum meum Israel, & tu eris Princeps super eum. Idem 2. Regum 5. Vndè non tantùm recepit potestatem ligandi, & soluendi, & sic ordinis, sed etiam iurisdictionis, administrationis, & superioritatis in omnes, quia nemini reperitur dictum, pasce oues meas, nisi Petro, & soli Petro reperitur dictum, & ego dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc petram &c. Matth. 16. & ei soli dictum est tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. & ei à Christo petra Petri nomen impositum est 21. dist. cap. 1. Et quod dictum est coniunctim Petro cum Apostolis dictum videtur de dimittendis peccatis, quia Io. 20. dicitur quorum remiseritis peccata &c. Et Matth. 18. vbi dicitur quæcumque alligaueritis, super terram &c. oportet intelligere datam parem potestatem, paritate consortij, sed non omnibus æquè principaliter, quia principaliter data est Petro tamquam capiti, vt dicit text. in cap. in nouo 2. dist. & d. cap. 1. 22. dis. & d. cap. dudum 3. qu. 6. & 2. qu. 7. puta. & 24. qu. 1. cap. loquitur, vel data est par potestas respectu ordinis, & consecrationis, sed secus respectu administrationis, vt dicit gloss. in d. cap. in nouo. & gloss. in cap. in illis, in fi. 80. dist. & glo. in d. cap. loquitur. Quod patet vltra auctoritates adductas, quia in eod. cap. 18. Matth. supra, & incontinenti ante, verba diriguntur in Petrum, cum dicitur si peccauerit in te frater tuus & cæt. & cum sequitur, quotiens peccabit in me frater meus & dimittam ei, vsque septies &c. Ex quo

patet,

patet quod principaliter loquebatur Petro tamquam cap. Item potest dici quod fuerint pares, secundùm quod dicit text. in cap. Paulus 2. qu. 7. §. hoc non de officio Ecclesiasticæ dignitatis, sed de puritate vitæ, & sanctitate conuersationis intelligitur, quia solus Petrus inter Apostolos, primatum gerebat. Et sic ille text. probat illud quod dicunt, illæ glossæ supra allegatæ, quod, Petrus præcellebat in administratione. Ad idem text. in §. item Paulus 2. qu. 7. ibi item Paulus Petrum reprehendit, qui princeps Apostolorum erat. Hoc etiam probatur per text. in cap. beati ead. cau. & qu. cùm loquens de beato Petro, & Paulo dicit, quod fuerunt pares meritis. Hoc idem probat text. in cap. Petrus ca. quæstio. vbi dicitur quod querimoniæ contra Petrum factæ, quod ad gentes intrasset, & ipse non respondit ex potestate officij, & sic ex administratione quam ipse habebat, potuisset cæteris dicere, oues pastorem suum non accusent. Sed vlteriùs inuestigando de ista paritate inter Petrum, & Paulum, & principalitate Petri ad alios Apostolos, licèt gloss. in d. cap. Paulus vbi dicit text. quod Paulus vbi Petrum reprehendere non auderet, nisi se non imparem sciret, suppleat scilicet meritis, non tamen administratione, non videtur bona responsio, quia licèt Paulus sciret se esse in charitate, & multa merita, habere, non tamen constat, quod sciret se esse parem beato Petro in meritis, imò probabile est quod tamquam verè humilis reputauerit beatum Petrum se præcellere in sanctitate, nec legitur habuisse reuelationem, quod non esset impar beato Petro, nec ad hoc quod quis reprehendat alterum requiritur paritas meritorum, vnde text. Aug. ibi videtur, velle quod fuerit par Beato Petro potestate & in omnibus. Et idem ipse Aug. in sermo. 3. Apostolorum Petri, & Pauli inquit, ergo beati Petrus, & Paulus eminent super vniuersos Apostolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt, verùm inter ipsos quis cui præponatur incertum est, puto enim illos æquales esse meritis qui æquales sunt passione, & simili eos fidei deuotione vixisse, quos simul videmus ad martyrij gloriam peruenisse, non enim sine causa putemus factum, quod vna die, vno in loco tyranni vnius tolerauerunt sententiam, vna die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirent. vno in loco, ne alteri Roma deesset, sub vno persecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque constringeret, dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute &c. Ecce, quod idem Aug. dicit incertum esse vter alteri præponatur. Et ad idem per eadem verba est text. Ambros. in cap. beati 2. qu. 7. Vnde ipse Paulus Apost. ad Gal. 2. ait mihi autem qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt. Dicit qui videbantur esse aliquid, id est principales Apostoli, nihil contulerunt, scilicet in notitia Euangelij sed contra, scilicet contuli eis. Ita exponit Nico. Et subditur magis exprimendo, cum vidissent quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis, qui enim operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes, & cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi Iacobus & Cephas, idest Petrus, &. Ioannes, qui videbantur columnæ esse dexteras dederunt, mihi, & Barnabæ societatis. Si igitur, qui operatus est Petro in Apostolatu operatus est & Paulo, hoc est Christus, sequitur, quod Paulus huiusmodi officium non suscepit à Petro. Vbi gloss. Aug. hoc ampliùs exprimens inquit, illi, qui videbantur esse aliquid, scilicet Petrus, & alij, qui fuerunt cum Domino, nihil contulerunt idest addiderunt mihi, in quo apparet, quod non sum inferior illis, quia ita à Domino perfectus sum, vt nihil esset quod in collatione perfectioni adderent. Ecce quod Paulus non fuit inferior Petro, nec
80 alijs. Et consequenter ad hanc intentionem subiungit gloss. Nico. cum vidissent, quod creditum est mihi Euangelium præputij, id est officium Apostolatus ad prædicandum Euang. gentibus, sicut, & Petro circumcisionis, id est officium Apostolatus ad prædicandum Iudeis, qui enim operatus est Petro &c. ab eodem enim vterque vocatus est ad fidem, & ad Apostolatum. Ecce quod æquè principaliter missus fuit Paulus, atque Petrus, & non à Petro, aut Apostolorum aliquo sed à Christo immediatè. Et bene quadrat quod sequitur, cum autem venisset Cephas Antiochiam in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat, vbi supplet gloss. quod non auderet, nisi se non imparem sentiret, sicut dicit text. in dicto capitulo Paulus. Item in prin. eiusdem secundi cap. super illud ascendi autem secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus. gloss. Augu. ait, iam enim ab ipsis prædicab atur, quando per reuelationem Christi ipsum verbum eorum Paulus accepit, & per verbum hoc, etsi non per eos, cum accepisset à Deo illud credidit Paulus. vnde & contulit cum illis Euangelium, & dexteras accepit, quia idem verbum cum eis, etsi non pro eos, habuit. Ecce quod Paulus fuit per officio & dignitate ipsi Petro, non inferior, licèt Petrus fuerit ætate senior, & tempore prior pastor. Rursus etiam ad Galat. primo super illud, neque per hominem sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, gloss. eius. Augu. dicit non per hominem mortalem sed per eum iam Iesum suscitatum, qui non vt homo homines paulatim, sed totum simul per spiritum docuit, vt per hoc sit maior, per quod videbatur minor; cæteri enim Apostoli videbantur esse maiores quia priores, iste minimus quia nouissimus, sed idem apparet dignior, quia priores constituti sunt per Christum adhuc ex parte hominem, idest mortalem, nouissimus verò Paulus per Christum iam totum Deum, id est ex omni parte immortalē & vt Deum Patrem, qui hoc fecit per filium aperiret, dixit non per hominem sed per Iesum Christum & Deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis, & ita dignius,

con-

constituit me per immortalem Christum, quàm alios per mortalem. Et paulò post eod. primo cap. ad Gala. subiungit notum enim vobis facio fratres Euangelium, quod euangelizatum est a me, quod non est secundùm hominem, neque ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Ecce quod neque Petrus, neque alius Apostolus, aut homo quisquam elegit, misit, aut instituit Paulum ministrum Euangelij, vnde patet Paulum non esse minorem Petro, etiam iurisdictione, ipse enim excommunicauit, Corinthium, vt in cap. cum sit Romana §. fi. de appel. & primo ad Tim. primo asserit se quosdam tradidisse Sathanæ, Et primo ad Corinth. quinto dicit, ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui tamquam præsens eum, qui sic operatus est, item 2. ad Corinth. 12. dicit se raptum vsque ad tertium cælum & audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ad quod text. 13. quæst. secunda fatendum. Et Paulo circumfulsit lux, & vocatus ac factus est vas electionis, vt patet actuum 9. 22. & 26. cap. quod non legitur de Petro, nec de alijs Apostolis. Et multa possent notari, quæ magis conueniũt Paulo, quã alijs Apostolis. Et idem quod dicitur de Paulo videtur dicendum etiam de alijs Apostolis, scilicet quod Petrus in eos nullam iurisdictionem, vel potestatem coactiuam recepit immediatè à Deo. Quinimò cum nullibi legatur beatum Petrum assumpsisse sibi aliquam auctoritatem supra reliquos Apostolos, sed contrarium, quæ enim gessit, vt plurimum ex communi Apostolorum deliberatione gessisse dicitur, vt patet actuum 15. sequitur, quod nullam possumus dicere potestatem coactiuam, vel iurisdictionalem ei datam in Apostolos. Quinimò videtur innui contrarium, ex præcepto, Christi vt patet Matthæi 23. ne vocemini Rabbi, vnus est enim magister vester Christus, omnes autem vos fratres estis. Item Matth. 20. scitis quod principes gentium dominantur eis, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos. Item Marci 10. Iesus vocans Apostolos ait illis, scitis quod ij, qui videntur principari gentibus dominantur eis, & principes eorum potestatem habent ipsorum, non ita est autem in vobis. Item Lu. vigesimosecundo Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur, vos autem non sic. Item si qua potestas data fuisset Beato Petro à Christo super alios, Apostolos, hoc maximè fuisset per illa verba Ioan. vltimo, pasce oues meas, sed non constat, quod per illa verba data fuerit aliqua potestas, siue principatus super alios Apostolos, ergo principatum super alios Apostolos non accepit à Christo. Maior patet, minor probatur, quia spiritualiter pascere oues non contingit, nisi tripliciter, scilicet salutari doctrina, & vita exemplari, & disciplina siue correctione regulari. sed quilibet istorum modorum pascendi, oues Christi communis fuit omnibus Apostolis, vniuersi enim Apostoli omnes oues Christi doctrina pascere debuerunt, vt patet Matthæi vlt. euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritussancti, docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis, & Marc. vlt. euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Omnes etiam debuerunt pascere vita exemplari, Christo eis dicente Matthæi 5. vos estis lux mundi, & sequitur, sic luceat lux vestra coram hominibus vt videanr opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. De modo pascendi correctione, & disciplina regulari habetur Ioa. 20. vbi Christus dixit omnibus Apostolis, quorum remiseritis peccata remittuntur eis & quorum retinueritis retenta sunt. Itẽ videtur, quod Christus nullum Apostolorum cœteris Apostolis præposuit & quod quantum ad dignitatem sacerdotalem essentialem, vel quantum ad aliam potestatẽ nullus fuit alijs superior. Hoc ostenditur Lucæ 22. nam Christus tribuens Apostolis potestatem Eucharistiæ consecrandæ dixit eis, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in mei commemorationem, idest hoc faciendi potestatem habete, proferendo tamen verba consimilia quando actum hunc exercere debetis, videlicet hoc est enim corpus meum. Nec dicta fuerunt dicta verba plus ad Petrum quàm ad alios. Idem videtur dicendum, de potestate clauium, nam Ioan. 29. post quam dixit Apostolis, sicut misit me Pater & ego mitto vos, insufflauit & dixit eis, accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata &c. Non dixit mitto te, & tu mitte alios, nec dixit accipe Spiritum sanctum & tu alijs trade, nec dixit insufflauit, & dixit ei, sed eis, vnde semper loquutus est in plurali, vt ostenderet, quod omnes erant æquales.

81 Sed prædictis non obstantibus dicendum est, quod Petrus præcellat in administratione, & iurisdictione. Et ad text. in dicto capitulo Paulus respondetur quod textus met respondet, quod illa paritas non intelligitur de officio Ecclesiasticæ dignitatis sed de puritate vitæ &c. Item glos. Hieronymi super illum text. ad Galat. secundo dicit Paulus in Petro non potuit reprehendere, quod ipse fecit, nec arguere simulationem, cuius & ipse reus erat, sed fuit hæc reprehensio dispensatoria, non vera, nec Petrus peccauit, nec Paulus procacicet arguit dicitur autem fuisse dispensatoria, hoc est propter aliud facta, quàm propter illud quod Petrus faciebat, scilicet vt per hoc scirent gentes non esse iudaizatum, videntes Petrum reprehendi in huiusmodi. Augustinus tamen videtur velle, quod fuerit vera reprehensio. Sed potest dici vera secundùm Alexand. in dicto cap. Paulus, id est veri esse quod Paulus Petrum reprehendit, & quod erat dignus reprehensione, non propter factum Petri, sed propter id, quod inde sequebatur, & vt dicit Aug. in gloss. ipse Petrus exemplum maioribus præbuit, vt non dedignentur etiam à minoribus corrigi. Ita dicit ibi Alexand. adducit texn cap. Petrus potestatem secunda qu. septima

ma. Et dicit ibi Cardin. sancti Sixti in dicto cap. Paulus, quod Petrus non peccauit, quia licet legalia ante publicationem Euangelij essent abolita, & mortua, non tamen erant mortifera, & quod imò Petrus fuit redargutus, quia nimiam diligentiam adhibebat, ne Iudæos offenderet, ex quo sequebatur, quod gentiles credebant necessarium esse obseruare legalia seruando in cibis ritum Iudæorum, vt dixi supra. Ex quibus ostenditur, quod talis reprehensio non fuit ex auctoritate, & superioritate, sed quod Paulus tamquam minor reprehendit Petrum maiorem. Vnde vt dicit ipse Cardin. sancti Sixti, Petrus audito periculo gentium acquieuit reprehensioni Pauli, præbens exemplum maioribus, vt non dedignentur corrigi à posterioribus, sicubi reperiuntur aberrare, & allegat ad hoc Aug. Ad illud August. in sermone 3. Apost. respondetur, quod non obstat, quia licet dicat incertum esse quis cui præferatur, tamen dicit eos esse æquales meritis martyrij, non iurisdictione, & administratione, vt infra clariùs dicetur. Et de ista reprehensione Pauli in Petrum, vide quod dicitur supra in 56. motiuo contra Papam, & infra inuentione ad illud. Item ad illud, quod dicit Apost. ad Galat. secundo, respondetur quod intentio Pauli, cum dicit, mihi enim, qui videbantur aliquid esse nihil contulerunt, fuit ostendere, quod ipse quantùm ad doctrinam non fuit inferior Petro neque aliquis Apostolis, nec fuit primò missus ad prædicandum à Petro, quia antea prædicauit tanquam immediatè missus à Christo, non propterea tamen sequitur, quod in alijs non fuerit inferior Petro. Vnde conceditur quod officium prædicandi, siue Apostolatus, Paulus non suscepit à Petro, sed à Christo, sed ex hoc non sequitur, quod ipse non fuerit inferior Petro. Sicut si quis habuit potestatem prædicandi à prædecessoribus Papæ, & non à Papa hodierno, non sequitur, quod hodiernus Papa non sit superior illo, vel quod non sit Prælatus eius, quia officium fuit ei datum à prædecessore. Ad auctoritatem August. ibi respondetur, quod sententiam Augu. Petrus, & alij Apostoli, qui fuerunt cum Domino nihil contulerunt, idest addiderunt Paulo quantum ad doctrinam Euangelicam, & quod ideò in doctrina non fuit inferior Petro, nec alijs Apostolis, quia ita à Domino fuit perfectus factus in doctrina, quod doctrinæ eius nihil addere potuerunt. Vnde inferioritas, quam negat August. in Paulo, intelligitur de inferioritate doctrinæ Euangelicæ, de qua loquitur ibi Paulus, & ideò dicitur quod æquè principaliter fuit missus Paulus, sicut Petrus ad prædicandum, & hoc intendit text: Apostoli ad Galat. 1. in princ. Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem &c. Et sic intelligitur etiam glos. Ambros. quod tunc Apostolus non fuerat missus neque ab Anania, neque
82 ab aliquo puro homine, sed à Deo. Sed obstat his, quod non solùm Paulus fuit missus immediatè ad prædicandum à Christo, sed etiam omnes alij Apostoli habuerunt potestatem prædicandi immediatè à Christo, vt patet Mar. vltim. & Matth. 10. & vlt. & Luc. 6. 9. & 10. & latiùs infra dico. Igitur nihil ex hoc ostenditur speciale in Paulo plusquam in alijs Apostolis, propter quod ipse debuerit dicere neque ab hominibus, nec per hominem, sicut nec ex eo, quod glossa, quæ dicit apparuit dignior alijs, quia priores constituti fuerũt per Christum adhuc ex parte hominem mortalem. Item ipse dicit in secundo cap. quòd, ij qui videbantur aliquid esse nihil sibi contulerunt, qui autem nihil dicit, nihil includit, ergo nihil etiam respectu potestatis, & Apostolatus. Quod magis ostenditur, cum subiungit, qui operatus est Petro in Apostolatu, operatus est, & mihi, quasi dicat eadem potestas data est mihi in Apostolatu, quæ data fuit Petro. Sed ad hoc potest responderi, quod de Paulo magis videbatur, quod missus fuisset ab aliquo homine ad prædicandum, puta ab Anania, à quo fuerat baptizatus, & hoc propterea, quia iam Christus ascenderat in cœlum, & Paulus non fuerat cum alijs Apostolis quando illis data fuit potestas prædicandi, quia conuersio Pauli fuit post Ascensionem Domini, vt patet act. 9. & ad Galat. 1. & act. 22. & ideò meritò fuit dicendum, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum &c. Vnde vbicumque à sanctis dicitur quod Paulus fuit par Petro, vt dicit Aug. in cap. Paulus, & Ambros. in cap. Beati 2. quæstione septima, non debet intelligi, quod fuerit par per omnia, sed quantum ad doctrinam, & auctoritatem prædicandi à Christo datam, sicut & Petro, & quo ad merita, & in passione, & quia ita fuerat institutus Apostolus à Christo immediatè, sicut Petrus, & alij, secundò quia ita erat instructus à Deo in Euange-
83 lio sicut ipse Petrus. Vnde ad Galat. 2. dicit quod post 14. annos à passione Christi ascendit Ierosolymam, & contulit cum Petro, & alijs cùm eo existentibus Euangelium, quod prædicabat in gentibus, & ostẽdit, quod de his Apostoli nihil correxerunt, vel suppleuerunt, & quod eum in societatem susceperunt tanquam verum Apostolum. Ideò vt dicit ibi glos. ordin. non fuit inferior alijs, sed ita perfectus, sicut alij, non tamen dicit Paulus quod non habuerit aliquid auctoritatis à Petro; vnde in his erat æqualis alijs Apostolis. Item secundùm quod dicit S. Thom. ad Galat. 2. in lect. 2. Paulus fuit par Petro in executione auctoritatis, non in auctoritate regiminis. Conceditur tamen secundùm quod dicit idem sanctus 2. ad Corinth. 12. in 3. lect. quod Paulus in sex fuit excellentior alijs Apostolis, primò quantum ad specialem electionem, qua à Domino electus est, vt patet act. 9. vas electionis &c. Secundò quantum ad secretorum Dei cognitionem, quia in dicto capitulo 12. dicit se raptum in tertium cœlum &c. Tertiò quantum ad malorum perpessionem, vt patet 2. ad Corinth. 11. Quartò quantum ad virginalem integritatem, vt patet 1. ad Corinth. 7. volo omnes esse sicut meipsum. Quintò quantum ad bonorum operationem, quia abundantiùs omnibus laborauit 1. ad Corinth.

rinth. 15. Sextò quantum ad maximam scientiam, in qua emicuit, & in pluribus alijs similibus, non quo ad prælationem, & potestatem iurisdictionalem fori contentiosi, siue administrationis, & gubernij pastoralis, seu Pontificalis. Et ita etiam responderur ad illud ad Galat. 1. notum vobis facio &c. Quia per illud declaratur parilitas eius cum Petro quo ad potestatem Euangelizandi datam immediatè à Christo. Vnde Hieronym. in Epistola ad Augustinum, quæ incipit tres simul, ait denique tantæ auctoritatis Petrus fuit, vt Paulus Epistola sua scripserit, deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus 15. Rursusque in consequentibus post annos 14. ascendi iterum Ierosolymam cum Barnaba, assumpto, & Tito, ascendi autem secundùm reuelationem, & exposui eis Euangelium quod prædico in gentibus, ostendens se non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & cæterorum Apostolorum, qui cum ipso erant fuisset sententia

84 roboratum. Ad illud quod dicitur quod non inuenitur in scriptura Petrum assumpsisse sibi aliquam potestatem, supra cæteros Apostolos, sed magis ipsum seruasse cum eis æqualitatem, potest responderi, sicut respondet Ocham in quarto lib. primi tractatus tertiæ part. capitulo penultim. quod multa fecerunt Apostoli, quæ non reperiuntur in Biblia, quorum tamen multa per scripturas Discipulorum, & Apostolorũ ad nos peruenerunt, nec ex hoc quod legitur aliquando ipsum seruasse æqualitatem cum alijs potest inferri, quod numquam fuerit vsus sua auctoritate, seu potestate. Sed potest & aliter responderi, quod si rectè inspiciatur, & in actibus Apostolorum ostendit superioritatem supra alios, quod patet, quia primus semper faciebat verba, vt patet act. primo. Item faciebat miracula ipsis præsentibus, vt patet actione 3. 5. & 15. Similiter ad vmbram Petri sanabatur infirmi dicto capitulo quinto & ideò dicit ibi glos. glos. hoc factum fuisse ad ostendendum, quod erat principalis Apostolus. Item potest responderi quod ideò non fuit vsus superioritate, quia non occurric necessitas vtendi. Et quod Apostoli non leguntur sibi assumpsisse aliquam præeminentiam iurisdictionalem, nec aliquam maioritatem ostendisse, hoc potuit contingere inter Apostolos, qui erant pleni Spiritu Sancto, quia qui Spiritu Dei aguntur non sunt sub lege capitulo licèt de Regular.

85 Ad auctoritates Euangeliorum Matt. 20. & Luc. 22. de contentione inter Apostolos quis eorum esset maior, & de illo Matt. 23. nolite vocari rabbi. Respondetur quod illa verba intelligenda sunt pro tempore illo, pro quo dicta fuerunt à Christo, cùm dicta fuerint eo tempore, quo nondum Petrus factus erat Prælatus omnium, nec exaltatus super reliquos Apostolos, cùm tunc solus Christus esset prælatus omnium. Potest & secundo modo responderi, quod Christus non intendebat imponere eis æqualitatem excludentem superioritatem prælationis saltem pro tempore futuro; sed ipsos ad humilitatem exhortans, imponebat eis omnem æqualitatem excludentem omnem superioritatem superbæ, asperæ, iniustæ, & tyrannicæ potestatis, sicut sapiens Ecclesiastici 32. rectori superioritatem concedit, & quamdam æqualitatem iniungit, cum dicit rectorem, te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis. Sic & Christus exemplo suo, qui maior existens se minorem exhibuit, suadet non solùm æqualitatem maiori, sed etiam minoritatem quamdam, vt patet Luc. 22. qui maior est in vobis fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut ministrator, nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? none qui recumbit? ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Nec illud Matth. 23. omnes vos fratres estis, obstat, cùm & inter fratres detur maioritas, vt legitur de Ruben Genes. 49. Vnde per præmissas auctoritas non tollitur potestas prælationis. Ad

86 illud Ioan. vlt. respondetur quod per prædicta verba pasce oues meas, Petrus recepit secundùm communionem opinionem potestatem clauium super alios Apostolos, Ioan. 20. per illa verba, quorum remiseritis, &c. data est potestas ordinis Petro simul cum alijs Apostolis. Vnde quod dicitur quod spiritualiter pascere oues intelligere oporter vita exemplari, doctrina salutari, & disciplina siue coercitione regulari conceditur, sed Apostolis data fuit talis potestas pascendi in foro conscientiæ tantùm, & coercitione spirituali, ligando, vel soluendo sibi subditos quo ad peccata, sed quo ad coercitionẽ iudicialem sibi subditorum ipsi receperunt tantùm per deriuationem à Petro, vt supra dictum est per capitulum ita Dominus 19. distin. cum concordant. Sed auctoritatiuè, & via superioritatis soli Petro cõcessa fuit coercitio, quia solus electus, siue designatus fuit Pontifex secundùm communionem, per illa verba, tu es Petrus secundum Tancredum in capitulo significasti de electione, & ibi ponit Cardin. de quo in capitulo translato de constitutione, sed per verba pasce oues meas, data est ei potestas executiuè administrationis, siue secundùm communiorem opin. tunc factus est Pontifex, administrator, & gubernator Ecclesiæ, & concessa est ei potestatis plenitudo in omnes de Ecclesia. Et cum fuerit indefinita locutio, & potestas pascendi etiam competat tanquam superiori, igitur data est non solùm pastura doctrinæ salutaris, vitæ exemplaris, & coercitionis regularis, sed etiam superioritatis, & gubernij, quæ requiruntur in pascere debente. Ad illud Luc. 22. cùm Christus tri-

87 buit potestatem conficiendi Eucharistiam capitulo primo §. vna de summ. Trinit. respondetur quod potestas conficiendi Corpus Christi omnibus Apostolis, quos Christus ante passionem suam elegit data fuit immediata à Christo, quia ipse eos Sacerdotes ordinauerat, & quantum ad hanc potestatem omnes Apostoli erant pares, quemadmodum omnes Sacerdotes nunc in hoc sunt pares Papæ, licèt ex causa Papa possit hoc officium conficiendi Eucharistiam

ſtiam ipſis Sacerdotibus interdicere, & executionem huius poteſtatis prohibere. Sic poſſet reſponderi ad illud quod dicitur Ioann. 20. ſicut miſit me pater &c. quod ideò Dominus non dixit Petro, mitto te, & tu mitte alios, quia tunc Petrus non adhuc erat factus Pontifex, nec factus prælatus ſecundùm communiorem ſententiam, ſed poſtea ibi vlt. quando dixit ei Dominus paſce oues meas, dedit ei poteſtatem mittendi alios. Vel & meliùs reſpondetur quod illa miſſio fuit reſpectu clauium fori pœnitentialis, in quo omnes erant æquales, vt ſupra ſæpiùs dictum eſt. Et quod maior in adminiſtratione fuerit Petrus Paulo, tenent Doct. Ant. Cardinalis, & cæteri in cap. ſuper eo, de bigam.

88 Nunc redeundo ad principalem quæſtionem, quod principaliter datę ſunt claues Petro, probat text. in capitulo legatur, 24. quæſt. 2. ibi cum loquitur de Chriſto dicens, & qui hoc tantùm faciendi ſolus habuit poteſtatem Beato Petro Apoſtolo principaliter mandauit, quodcumque ligaueris ſuper terram, &c. Et hoc eſt, quod dicit text. in cap. audiuimus 24. quæſtione prima, quod cùm omnibus diſcipulis parem ligandi, atque ſoluendi poteſtatem Dominus daret, Petro pro omnibus, & præ omnibus claues Regni Cœlorum ſe daturum promiſit, dicens tibi dabo claues Regni Cœlorum. Et idem ſonat text. in capitulo decreteris in fin. 21. diſtinctione cum dicit, quod Dominus Petrum quaſi in ſummum ſacerdotem elegit, dum ei præ omnibus, & pro omnibus claues regni cœlorum tribuit, & à ſe petra Petri nomen ei impoſuit. Et hoc probat bene text. in capitu. in illis 80. diſtin. iuncta gloſſ. dum text. dicit in fin. quoniam nec inter Apoſtolos par fuit inſtitutio, ſed vnus præfuit omnibus vbi gloſſ. declarat, quod præfuit quo ad adminiſtrationem, ſed quo ad conſecrationem par fuit inſtitutio. Et iſta prælatio in Petro ex multis apparuit, quia in omnibus actibus præponitur: vndè Matth. 10. numerando Apoſtolos dicitur, nomina autem Apoſtolorum hæc ſunt, primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, & cap. In quo loco liquet, quod non de prioritate vocationis loquitur, cùm Andreas frater eius priùs ſequutus fuerit Ieſum, quàm Petrus, vt patet Ioan. 1. Vndè manifeſtè intelligitur de primatu Apoſtolicæ dignitatis. Et Dionyſius in lib. de Eccleſ. Hierar. capit. 5. in vlti. particula, & in lib. de Diui. nomi. capit. 3. vocat Petrum ſupremum, vel vt habet alia litera verticalem, ideſt capitalem, ſeu capitaneum, diſcipulorum. Et de iſto primatu Petri vide

89 tex. in capitulo mutationes 7. quæſtione prima & 22. diſt. cap. ſacroſancta 24. q. 1. rogamus, & capitu. cùm beatiſſimus, & capit. loquitur antè fin. 3. quæſt. 6. dudum, & 23. qu. 8. in ſum. 2. q. 7. Petrus, & alia plura in 5. & 6. motiuo ad hoc adducuntur. Ad idem authoritas Leonis in ſermone 2. de natiuitate Apoſtolorum Petri, & Pauli, cum dicit, at vbi quid habeat diſcipulorum ſenſus exigitur, ille primus eſt in Domini confeſſione qui primus eſt in Apoſtolica dignitate; &c. Et valdè benè examinat Ocham. in 6. lib. primæ par. capitulo 16. & idem latiùs in 4. li. tertiæ par. per tot. Vndè, & Beatus Dionyſius in epiſtola ad Timotheum, ſi tamen eius eſt, inquit, adueniente conſummatione eorum cum ſepararentur abinuicem, Paulus dixit, Petro, pax tecum fundamentum Eccleſiarum, & paſtor omnium agnorum Chriſti, & è conuerſo Petrus Paulo reſpondit vade in pace prædicator bonorum, mediator & dux ſalutis iuſtorum. Ex quo patet, quod Petrus fuit caput, & fundamentum Eccleſiarum. Hoc idem oſtendit text. Matth. 17. in fin. vbi Chriſtus iuſſit Petrum ſoluere ſtaterem, ſiuè didrachma pro ſe, & Petro, quod non fecit pro alijs. Voluit autem Dominus dari tributum pro ſe, & Petro, qui iam fecerat eum capitaneum ſuper alios Apoſtolos in præcedenti capit. Et gloſs. in cap. & eſt aliud 24. quæſt. prima dicit, quod per hamum deſignatur iuriſdictio quia Petrus pręfuit alijs, & hamo, ideſt ferro abſcinduntur vulnera, quę fomentorum non ſentiunt medicinam, vt in cap. quia aliquanti. 82. diſt. & 24. quęſt. 3. cap. reſecandę, quod ſpectat propriè ad Prępoſitos, & Gubernatores. Et ſi dicatur, quod per pręcedentia non fuerit factus Pontifex, quia quamdiù Dominus pręfuit Apoſtolis nullum alium prępoſuit illis, & ſic, quod gloſſ. Nicolai non ſit vera. Reſpondetur, quod etſi nondum per verba in cap. pręcedenti Petrus factus fuerat Pontifex, & Capitaneus ſupra alios Apoſtolos effectualiter, tamen fuerat deſtinatus futurus Pontifex per illa verba, tu es Petrus, &c. Et dabo tibi claues, &c. Item multa his ſimilia leguntur de Petro, per quę oſtenditur, quod ipſe fuit caput aliorum Apoſtolorum. Solus enim iuſſus eſt ambulare ad Dominum ſuper mare, per quod datur intelligi, quod totum mundum per mare deſignatum, ſub ſua ditione obtineret. Vndè Bernardus in lib. 2. de conſidera. ad Euge. cap. 6. dicit accipe aliud, quod nihilominùs pręrogatiuam confirmat tibi, diſcipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore, ſciens Petrus, quod Dominus eſſet, in mare ſe miſit, & ſic venit ad ipſum, alijs nauigijs peruenientibus, quid iſtud eſt? nempè ſignum ſingularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cęteri quiſque ſuam, ſed ſeculum ipſum ſuſcepit gubernandum mare enim ſeculum eſt, naues Eccleſię, indè eſt, quod altera vice inſtar Domini gradiens ſuper aquas vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni Populo, ſed cunctis pręeſſe deberet, ſiquidem aquę multæ populi multi, itaque cùm quiſque cęterorum habeat ſuam, tibi vna commiſſa eſt grandiſſima nauis facta ex omnibus, ipſa vniuerſalis Eccleſia toto orbe diffuſa. Et Petro etiam dictum eſt Simon dormis? Non potuiſti vna hora vigilare mecum? Vt oſtenderetur, quod ipſe prę cęteris haberet vigilare. Item ſuper illud Luc. 22. facta eſt contentio inter eos, quis ipſorum videretur eſſe maior, dicit Grego. videtur hęc contentio habuiſſe motiuum, quia cùm Dominus ab hominibus tranſmigraret,

Vuu oporr-

oportebat aliquem eorum fieri principem aliorum, quasi Domini vices gerentem, Item Petro ostensum fuit linteum de cœlo submissum, vbi erant quadrupedia, & reptilia, & volatilia, & ei soli dictum est de omnibus illis animalibus, occide, & manduca, vt legitur Act. 10. & 11. Sic & Ioan. vl. Petrus traxit rete plenum magnis piscibus. Et in omnibus actibus Apostolorum legitur Petrum tamquàm Apostolorum capitaneum prefuisse, etiam post Ascensionem Domini, & semper primum fecisse verba. Vndè Act. primo exurgens Petrus dixit. oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, vbi Chrysost. dicit Petrus vt inflammatus, & sicut ille, cui à Domino commissum erat ouile, & vt Princeps, semper incœpit sermonem. Sic & capitulo secundo, & decimoquinto. Et multa his similia eliciuntur ex summa RichardiRadulphi Archiepiscopi Archamani in lib. 7. de quæstionibus Armenorum. Item, & Lucæ 22. dixit Dominus Simoni Petro ecce Satanas expetiuit, vos vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersùs confirma fratres tuos. Super quod inquit Chrysostom. quod tunc Petrus à Christo obtinuit, quod esset antistes mundi.

Ad quod etiam Leo Papa, in sermone de natiuitate Petri, & Pauli inquit, Dominus autem instante passione sua, quæ discipulorum suorum erat turbatura constantiam, Simoni inquit, Simon ecce Satanas expostulauit, vt vos cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, ne intrent in tentationem. Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro Petri fide propriè supplicatur, tamquàm aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit, in Petro igitur omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur, nam & post resurrectionem suam Dominus Sancto Petro Apostolo, post regni claues ad trinam æterni amoris professionem mystica insinuatione ter dixit, pasce oues meas, &c. quod, & nunc proculdubio facit, & mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmans nos exhortationibus, & pro nobis orare non cessans, vt nulla tentatione superemur,

90 Item super illud Ioannis 13. venit ergo ad Simonem Petrum glossa interlinearis dicit, non post alios sed priùs ad Principem Apostolorum, ideò expauescit, quod Deus lauet pedes homini. Item Luc. 12. solus Petrus pro omnibus interrogat dicens, Domine an ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes. Item Matth. 19. interrogat, ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis, vbi Chrysostom. qui claues regni cœlorum acceperat, de ijs quæ ibi sunt iam confidit, & pro vniuerso terrarum orbe interrogat. Idem probat tex. in cap. quamuis 21. distinct. & tex. 24. qu. prima cap. cùm Beatissimus. Et cum alijs discipulis Dominus iussit laxare retia sua, soli Petro dictum est, duc in altum Luc. 5. Et quia ad ipsum spectabat gubernare Cymbam, & Nauiculam Ecclesiæ non immeritò hodiè Ecclesia in breuibus vtitur Nauicula, facit tex. in cap. non turbatur, 24. quæ. 1. Vndè, & Theophyl. super illud, Luc 22. & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, sic inquit, quasi dicat postquàm me negato ploraueris, & sic pœnitueris, corrobora cæteros, cùm te principem Apostolorum deputauerim, hoc enim decet te, qui meum robur es, & petra Ecclesiæ. Et sequitur; hoc autem intelligendum est non solùm de Apostolis, qui tunc erant, vt roborarentur à Petro, sed & de omnibus, qui vsque ad finem mundi futuri sunt fidelibus. Et Augustinus super illud Ioann. 13. venit ad Simonem Petrum dicit, quis enim nesciat primum Apost. esse Beatissimum Petrum. Et vt supra dictum est, Hieronym. de obitu, siuè ortu sanctorum noui testamenti, dicit Petrus in Christo Ecclesiæ firmamentum Cephas Corporis Christi princeps, & caput est. Et vt supra etiam dictum est, Augustinus in quæstionibus noui, & veteris Testamenti, quando respondet quæstioni, cur Saluator tantùm pro se, & Petro iusserit solui didrachma, dicit, saluator cum pro se, & Petro dari iubet didrachma pro omnibus exoluisse videtur, quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur, ipsum enim constituit caput eorum, vt pastor esset gregis dominici. Et idem Augustinus in quodam sermone de passione Domini assignans rationem, quare Dominus permiserit, quod Petrus eum negaret, dicit ideò diuinæ prouidentiæ secretum ita temperauit, atque permisit, vt primus ipse laberetur, & rueret in peccatum, quo ergo peccantes duriorem sententiam proprij casus intuitu temperaret, quantum igitur diuini muneris erga salutem hominum, quantum curæ, quantum sollicitudinis impendatur, aduertе, totius corporis morbos in ipso capite curat Ecclesiæ, & in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem, in ipsa confessionis Christi crepidine, in ipso immobilis fidei fundamento, in Petro scilicèt illo, qui dixerat, etiam si me oporteat mori non te negabo, hic est Petrus, qui diuina reuelatione primus omnium veritatem meruit confiteri, dicens, tu es Christus filius Dei viui. Et ad idem est tex. in cap. considerandum, & in cap. fidelior, 50. dist. Item Chrysostom. super actus Apostolor. Petrus à filio super omnes, quæ filij est potestatem accepit, non vt Moyses in gente vna, sed in vniuerso orbe. Et idem Chrisostom. super illud Ioann. 21. pasce agnos meos, & cap. dicit, eximius enim Apostolorum erat Petrus, & os discipulorum, & vertex collegij, vndè & negatione deleta committit ei prælationem fratrum, & negationem quidem ei non exprobrat, sed

dicit

dicit si diligis me præside fratribus. Et idem Chrysost. super illud Lucæ 24. & apparuit Simoni dicit, primò digniori, & fideliori omnibus apparuit. Vndè, & in catalogo Apostolorum semper, & vbique ponitur primus Matthæi 10. Luc. 6. Actuum 1. Et Cyrillus Alexandrinus in libro Thesaurorum inquit, cui scilicet Petro omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tamquàm Domino Iesu obediunt.

91 Et quod principatus datus fuerit Petro suadet ratio naturalis, quia conueniens erat, quod remaneret vnus, cui alij haberent obedire, quia si omnes fuissent pares, orta contentione inter aliquos, non fuisset, qui controuersiæ finem imponeret, fieri potuisset diuisio, quæ fuisset causa desolationis, iuxtà illud Matth. 12. & Luc. 11. omne regnum in se diuisum desolabitur, 25. quæst. 2. capitulo si ea. Vndè dicit gloss. in capitulo loquitur, 24. quæstione prima, quod vbi pluralitas ibi diuisio allegat. de pœniten. distinctione secunda capitulo quandò Adam. Et quia duo capita in eodem corpore monstrum designant, capitulo quoniam, de offic. ordi. Et ideò dicit tex. in l. secunda, §. nouissimè. ff. de orig. iu. & in l. 3. §. apparet igitur, ff. de administrat. tutor. quod commodiùs regnum regitur per vnum, quàm per plures. Ad hoc illud 12. Metaphy. entia nolunt malè disponi, nec bona pluralitas principatuum, vnus ergo princeps. Sicut ergo vnicus est Dominus cœlestis totius mundi, iuxtà illud Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo cap. tua nobis de decim. & sicut in Ecclesia triumphanti vnus Deus præest, sic & in militanti, quæ ad instar illius exemplata est Apoca. 21. & bona gloss. in clement. ad nostrum de hæret. & in extrauaganti vnam sanctam. Vndè, & bonus paterfamilias vnum de filijs præponere consueuit tamquàm primogenitum, cui cæteri obedire tenentur, sicut legitur Genes. 27. de Iacob. cui Isaac, dedit primogenituram, & dixit esto Dominus fratrum tuorum, & cap.

92 Et ad ista de principalitate Petri, & Ecclesiæ Romanæ adde quæ dicta fuerunt supra in quinto motiuo, & infra in 13. Ad quod ostendendum adde etiam, quod cùm principatuum alius sit Monarchicus, alius Aristocraticus, alius politicus, & Monarchicus sit omnium præstantissimus, & ex Monarchicis ille qui per electionem constituitur sit præstantior illo, qui est ex successione, cum in successione, varia quæ reipublicæ obesse possunt euenire consueuerint, vt colligitur ex dictis Aristot. primo, poli. cap. 9. & lib. secundo cap. 8. & lib. 3. cap. secundo, & 8. & lib. 7. cap. 9. & huiusmodi sit Papatus, sequitur quod nobilior Principatus est Papatus, quàm Aristocraticus, vel politicus, si autem præter voluntatem subiectorum ad propriam vtilitatem tenderet Principatus, esset intemperatus, vt 3. poli. cap. 5. & sic tria Principatuum genera præfatis aduersantia orientur, scilicèt tyrannis, Oligarchia, & Democratia. Igitur Papa, qui est Monarcha dignior est, & præstantior Concilio sine præsidentia Papæ. Et pro ista vnitate Pontificali facit illud Ioan. 17. & in cap. secundo de summa Trin. & Ioan. 10. fiet vnum ouile, &c. Et quod dicit tex. in cap. loquitur 24. qu. prima. Vnde tex. in cap. factus est Cornelius, & cap. non autem cum glo. septima quæst. 1. & glo. in clem. ad nostrum de hæretic. dicunt esse hæreticum aliter sentire quàm vnum debere esse summum Pontificem in Ecclesia.

93 Et quod specialiùs, & principaliùs datæ fuerint claues Petro clarè ex verbis Euangelij deprehenditur. Super quo considerandum est, quod Matth. 16. quando Christus dixit Petro, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, &c. ante Christus loquebatur, cum omnibus Apostolis interrogando, quem dicunt homines esse filium hominis, & aliquibus respondentibus Ioannem Baptistam, aliquibus etiam, alijs Hieremiam, rursus petiuit ex eis, vos autem, quem me esse dicitis, & tunc quia solus Petrus respondit confitendo eum esse filium Dei viui, Iesus dixit, & ego dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram &c. Ex quo apparet, quod ex quo tantùm Petro in illo loco propter confessionem per eum factam specialiter dixit se daturum claues, & non cæteris Apostolis, oportet dicere, quod in isto loco, vbi soli Petro promisit se daturum claues, illæ, vel erant aliæ claues quas daturus erat soli Petro ab illis, quas dedit ei, & Apostolis, vel specialiùs, & principaliùs dedit ei, quàm cæteris. Qua propter cum Matth. 18. dicit amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, &c. Ex quo omnibus loquitur, & omnibus Apostolis dedit claues, sequitur, quod non loquatur de illis clauibus, quas promisit dare Petro seorsum, ab alijs Apostolis, & specialiùs, & principaliùs quia si voluisset easdem claues, quas Petro tantùm promiserit, in d. cap. 16. dare omnibus, ex quo ibi locutus fuerat, cùm omnibus, & omnes interrogauerat, non tam specificè dixisset, quasi negãdo se illas aliis daturum, & tibi dico Petre, quasi separando personam Petri à cæteris Apostolis propter responsionem per Petrum factam, sed dixisset, & vobis dico me daturum vobis claues, &c. Nec est verisimile, quod Christus, in Petrum specialiter verba direxisset, si non voluisset aliquid specialiter de clauibus dare Petro præ cæteris. Vnde similiter non est verisimile, quod impleuerit promissionem Petro factam, quando simul cum discipulis dedit claues in 18. cap. quas promiserat ei soli se daturum, cùm & illa fuerint verba promissionis dicta omnibus indistinctè. Vnde magis videtur eam adimplenisse, quando post resurrectionem Ioan. vlt. dixit ei bis pasce Agnos meos, & semel pasce oues meas, cum ad maiorem expressionem ter interrogatus respondisset, tu scis Domine quod amo te, vt not. Abb. in cap. significasti, in 3. notabili, de elect. & in capitulo translato, de constitut. quæ verba fuerunt dicta tantùm Petro, & denotant superioritatem, & gubernium, vel secundùm

cundùm quod infra dico per illa verba cap. 16. designatus fuerat Pontifex, & claues promissæ, quæ effectualiter, & cum executione, seù exercitio exhibitæ fuerunt per illud, pasce oues meas. Vel, & in idem redit, ante passionem fuit ei promissus Pontificatus, & post passionem per dicta verba, pasce oues meas, factus est Papa, Pastor, & Princeps vniuersalis Ecclesiæ, & hoc sentit gl. in cap. considerandum 50. dist. Et hoc clariùs ponit glos. in cap. in nouo dist. 21. Quæ primò arguendo dicit, quod per illa verba, tu es Petrus, & tibi dabo claues Matth. 16. fuit datus Petro Pontificatus, sed per d. cap. considerandum, &c. fidelior dist. 50. respondet, quod ante passionem fuit Apostolus, sed post passionem Pastor creatus per illa verba, si diligis me, pasce oues meas, & quod illa verba tibi dabo claues sonant promissionem, & non dationem. Domin. in d. capit. in nouo, dicit quod Petrus fuit electus in Principem ante resurrectionem, sed confirmatus post resurrectionem, vt discipuli, quibus præesse debebat, præberent assensum electioni faciendæ, cùm nemo inuitis Episcopus detur, vt in capitulo nullus dist. 61. ad quod facit ibi tex. ipsumque Principem suum esse voluerunt. Sed ista ratio Dominici est friuola, quia non concludit, an fuerit ante, vel post passionem factus Pastor, & æquè bene Apostoli potuissent consentire electioni, si ante passionem Christus Petrum elegisset in Pastorem, sicut post. Doctor. communiter volunt, quod per verba Matth. 16. dicta ante passionem fuerit promissus Petro Pontificatus, & quod posteà Ioann. vlt. per verba, pasce oues meas factus sit Pastor, Pontifex, & Princeps. Et facit ratio, quia non est verisimile, quod Christus, quamdiù conuersabatur inter homines, cum ipse esset Pastor, & Princeps, & caput, voluerit ponere alium Principem, & facere duo capita, quod fuisset monstruosum, vt in cap. quoniam de offic. ordin. Sed obstat quod pluries Papa ad ostendendum potestatem pontificalem, & primatum allegat auctoritatem de qua Matth. 16. tu es Petrus, vt in cap. in nouo 21. dist. & cap. sacrosan. 22. dist. & in cap. rogamus, & in cap. loquitur 24. qu. 1. & in cap. per venerabilem qui filij sint legit. & in cap. ad Apostolicæ de re iud. in 6. & in cap. fundamenta de ele. eod lib. cum multis sim. vnde potest dici secundum Card. de Turrecrem. in d. cap. in nouo, quod ante passionem Petrus fuit Apostolus, sed post factus fuit Pastor, Princeps, & Pontifex ratione iam dicta. Sed hoc non obstat, quia & per illam auctoritatem tu es Petrus, &c. data fuit potestas ligandi, & soluendi, per quam ostenditur superioritas Apostolatus, cùm hæc verba sint principaliter in Petrum, tamquam caput Apostolorum directa. Et si rectè consideretur, quando Papa allegat aliquam auctoritatem ad ostendendam præeminentiam iurisdictionis, sæpiùs allegat illam aliam auctoritatem Ioann. vlt. pasce oues meas, vt in cap. significasti de elect. & in cap. solitæ, de maior. & obed. per quod ostenditur, quod solus habuit præeminentiam iurisdictionis. Abbas tamen in cap. translato de constitut. vult quod Christus contulerit omnibus Apostolis hanc potestatem per illa verba accipite Spiritumsanctum quorum remiseritis peccata &c. Ioa. 20. & ad ostendendum quod eam tradebat Petro, vt capiti dixerit ei seorsum, pasce oues meas Ioan. vlt. & quod in ascensione potestatem priùs promissam, & traditam dando executionem confirmauerit, cum dixit ite, & prædicaueric Euangelium omni creaturæ Matth. vltimo, & quod in festo Pentecostes per missionem Spiritus sancti, quæ priùs tradiderat, confirmauerit. Ex quibus infert, idem Abb. quod potestas non fuit data soli Petro, & sic solùm Papæ, sed omnibus Apostolis repræsentantibus totam Ecclesiam, ita quod hæc potestas est penès totam Ecclesiam vniuersalem, sed debet explicari per Papam, tamquam per caput. Sed non aduertit, quod illa verba pasce oues meas, fuerunt dicta tantum Petro, cum ergo ipsemet in dicto capitulo significasti in 3. nota. fateatur per hæc verba, pasce oues meas, datum Petro pontificatum, sequitur quod hæc potestas data est Petro, non solùm vt per ipsum tamquam caput explicanda, sed etiam ei soli principaliter, & vt ab eo deriuanda in alios, vide quod dicitur in decimoquartò motiuo. Vnde ex his posset dici salua determinatione Rom. Ecclesiæ, quod claues promissæ, & deinde datæ Petro plus authoritatis præeminentiæ, gubernij, & superioritatis continebant, quàm quæ datæ, aut promissæ fuerunt Petro simul cum Apostolis, quibus tantùm claues ligandi, & soluendi promissæ, aut datæ sunt, Petro autem claues ligandi, & soluendi, & superioritatis præeminentiæ, & gubernij, quia sine huiusmodi præeminentia superioritate, & gubernio non potuisset Petrus bene pascere agnos, & oues, id est fideles, & credentes. Vnde dicit ibi glossa pascere oues est credentes, ne deficiant confortare, terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere, exempla virtutum præbere, aduersarijs obsistere, peccantes corrigere. Vnde ex his patet, quod Petro specialiùs, priùs, & principaliùs data est potestas clauium, quàm cæteris Apostolis, & quod ipse designatus est superior, & caput aliorum, & ad hoc bene facit illa auctoritas Beati Gregorij posita supra in fine septimi motiui. Et non sine mysterio, sed ad maiorem expressionem, & demonstrationem ter interrogauit Dominus, Petre amas me, & ter Petrus respondit tu scis Domine, quod amo te, & ter illi dixit Dominus pasce agnos meos. Et aduertendum est, quod in prima interrogatione addidit plus his, dicendo Simon Ioannis diligis me plus his? Ac si dixisset, his non do claues, quas do tibi, nec his committere volo pasturam ouium mearum, sed tibi. Ex quibus bene demonstratur, quod pascere, & gubernare, & iurisdictionem exercere soli Petro datum fuit per hæc verba Ioan. vlti. Quare autem in primis duabus responsionibus dixerit, pasce agnos meos, & in vltima pasce oues meas, dicit ibi glos. Nico. hoc factum eo quod fidelium tres sunt

gra-

gradus, videlicet incipientium, proficientium, & perfectorum, & illi quidem qui sunt in duobus primis gradibus dicuntur agni, illi autem, qui sunt in tertio oues dicuntur.

Et notandum est, quod commisit Petro Pasturam omnium graduum personarum, & fidelium, ex quo patet quod super omnes data fuit illi iurisdictio. Ad quod facit, quod illa verba pasce oues meas sunt imperatiua, vt 12. quæst. 2. cap. 2. & Ioa. 21. Vnde apparet, quod erat factus Pontifex cùm ei Dominus imperauit pascere oues hoc est fideles, eos monendo, & docendo, vt in l. inter claras in princ. C. de summa Trin. ibi ad Apostolorum primum Domino iubente præceptum est. Vnde Hiero. in lib. 1. contra Iouinianum dicit. super Petrum fundatur Ecclesia, licèt idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismati tollatur occasio. Et per hæc facilis est responsio ad capitulum noua de pœni. & remiss. cap. 1. §. vna de summ. Trin. & capitulo, nec quisquam vigesimaquarta quæstione secunda, quæ iura dicunt Apostolis datam potestatem ligandi, & soluendi. Quia conceditur, sed principaliter Petro, item data est eis potestas ligandi, & soluendi, non autem gubernandi, & præfecturæ, nisi descensiuè à Petro in eos voluntate Petri, & hoc probat tex. in c. ita Dominus dist. 19. & cap. fundamenta de elect. in 6. Consequenter autem idem dicendum est in Papa, quod ab eo descendit hæc potestas in Archiepiscopos, Episcopos, & alios prælatos, vt in cap. decreto 2. qu. 6. & in c. seq. ead. causa, & qu. Et Leo Papa in epist. ad Episcopum thessalonicen. vbi dicit. vices enim nostras ita tuæ credimus charitati, vt in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Sic etiam, & in presbyteros, vt de pœnit. dist. 1. cap. quem pœnite. & 11. qu. 3. cap. absit. & in cap. 1.

94 §. vna de sum. Trinit. Sit ergo conclusio, quod Petrus fuit caput, & Pastor, & Princeps Apostolorum, & vniuersalis Ecclesiæ, vt scilicèt ostensum est. Item quod Petro principaliter datæ sunt claues, tamquam capiti, & Apostolis secundariò, tamquam membris, quia Papa vocatus est in plenitudinem potestatis, & alij inferiores in partem sollicitudinis, vt in capitulo ad honorem de auctor. & vsu. pal. & secunda quæst. sexta decreto. Ita dicit Brix. in sua monar. in princ. in 2. char. & supra satis est probatum, & reprobata est opinio Cardin. in cap. licèt de elect. & infra dicetur. Item quod Petro datæ sunt claues ligandi, & soluendi ordinis, & administrationis iurisdictionis, & gubernij, Apostolis autem datæ sunt claues ligandi, & soluendi, & iurisdictionis, sed iurisdictionis descendentis à Petro, vt d. cap. ita Dominus 19. dist. & d. c. fundamenta ponit S. Th. in 4. sen. d. 18. quæstione 2. artic. 2. quæst. 1. ad 1. argum. & idem S. Thom. distinctio 24. quæstione tertia, articulo secundo, quæst. tertia, ad primum argument. & pariformiter potestas iurisdictionis omnium Prælatorum deriuatur à Papa. Istam conclusionem posuit S. Thom. in 4. contra Gen. cap. 71. Et eamdem latè prosequitur Card. de Turrecr. in tract. de potest. Papæ lib. 2. cap. 54. Et per hoc patet, quod malè dicit Petrus de Monte, in sua Monar. in fin. 3. char. datas esse Matth. 18. claues iurisdictionis Apostolis, quia sic videretur quod habuissent eas à à Christo principaliter. Item Petro, & Apostolis pariter datæ sunt claues ordinis, & paris potentiæ, dicto cap. in nouo 21. dist. sed principaliter Petro tamquam capiti, qui sua potestate regiminis hanc potestatem in Apostolis ordinare posset, & quo ad personas, & loca coarctare, vt supra dictum est, & ponit Archiep. Flor. in 3. parte sum. tit. 23. cap. 4. §. 7. de potestate iurisdictionis. Item Petro datæ sunt claues non solùm, vt figuranti, & repræsentanti Ecclesiam, vt in cap. quodcumque 24. quæst. 1. sed etiam verè effectualiter, & propriè, vt pastori, & principaliori capiti Apostolorum, & Ecclesiæ. Ponit Leo in sermone 2. de natiuitate Apostolorum Petri, & Pauli, cum dicit, propter quod dicitur Beato Petro Apostolo tibi dabo claues regni Cœlorum, & quæcumque ligaueris super terram erunt ligata, & in Cęlis, transiuit quidem in Apostolos alios ius istius potestatis, sed non frustra vni commendatur quod omnibus intimatur, Petro enim singulariter hoc creditur quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur, manet ergo Petri priuilegium vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium, nec nimia est, vel seueritas, vel remissio, vbi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod Petrus, aut ligauerit, aut soluerit. Ecce quod singulariter, & effectiuè datæ sunt

95 claues Petro. Item claues sunt datæ à Petro non solùm personaliter, sed pro eo, & successoribus, quia quod Dominus dixit ad Petrum, dixit, & in Petro ad successores ipsius, vt in cap. solitæ de maior. & obed. & in capitulo per venerabilem in versic. is verò, qui filij sint legi. & in cap. ad Apostolicæ in versic. nos verò, de re iudic. in 6. Istam conclusionem ponit Modern. Aret. vbi supra, quia non tantùm pro persona sua potestatem recepit, ne eo extincto talis potestas extingueretur, sed etiam pro Ecclesia, quæ erit perpetua 24. quæstione prima pudenda, & probatur dicta auctoritate Leonis, & ex supra deductis, ipse enim Petrus solus potestatem suscepit nomine Ecclesiæ, quia Ecclesia est in Papa, & Papa in Ecclesia 6. quæstione prima capitulo scire, sic ergo, & pro successoribus.

96 Ad id autem quod dicitur, Quod Petrus quando claues accepit Ecclesiam sanctam significauit, textusmet, respondet in dicto cap. quodcumque vigesimaquarta quæstione prima, quod non soli Petro datæ sunt, sed Ecclesiæ vniuersali, hoc est cæteris primatibus, Episcopis, & Sacerdotibus, qui futuri erant in Ecclesia, alioquin tantùm Petrus, & Successores consequenter eius Romani Pontifices potestatem ligandi,

di, & soluendi recepisset, quod est contra text. ibi vnde exponit ibi Archiep. verbum significauit id est sub signo, & nomine Ecclesiæ accepit, non vt minister, sed vt caput. Et non ei soli data est potestas, sed omnibus de Ecclesia secundùm ritum Ecclesiæ consecratis. Facit tex. in cap. primo §. vna de sum. Trin. Inde Aug. in sermone primo Apostolorum Petri, & Pauli dicit per singula enim dicebat Dominus Iesus Petro dicenti amo te, pasce agnos meos, pasce ouiculas meas, in vno Petro significabatur vnitas omnium pastorum, sed bonorum, qui sciant oues Christi pascere Christo non sibi, hoc autem est dicere, quod omnes alij Prælati habent hanc potestatem per deriuationem à Petro in eos, vt vide Ioann. Andr. in capit. ad liberandam in 6. colum. de Iudæ. & in dicto capitulo ita Dominus, & Hieron. & glos. super illud Matth. 16. & quodcumque ligaueris &c. ibi datæ sunt claues omni Ecclesiæ in Episcopis, & presbyteris. Et istam conclusionem,
97 quod hoc modo claues dicantur datæ Ecclesiæ, vide latissimè examinatam per nouem chartas, & nouem capitula, videlicet cap. 70. vsque ad 80. per Car. de Turrecrem. in secundo lib. Locutus est autem Dominus vni, vt Ecclesiæ vnitatem designaret. Et hoc ostendit. tex. in capit. omnibus 24. quæst. prima, cùm dicit, quod Ecclesia vnica columba appellatur, quæ est sponsa pulchra sine macula, & ruga, & hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuæ, & paradisus, cum fructu pomorum. Vnde exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia Christi vna mõstretur, quam vnam Ecclesiam Spiritus sancti ex persona Christi designauit, dicens vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Hanc Ecclesiæ vnitatem, & Paulus Apostolus docet, & sacramentum vnitatis ostendit dicens, vnum corpus, & & vnus spiritus, & vna spes vocationis nostræ, vnus Dominus vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. Et infra episcopatus vnus est, cuius singularis in solidum pars tenetur, & Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur, & Domini Luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit, vnum tamen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur, ramos suos per vniuersum orbem copia vbertatis ostendit, profluentes largitur riuos, ramos latiùs expandit, vnum tamen caput est, vna origo, & vna mater copiosæ fœcunditatis, adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est, & pudica, hæc tex. in cap. loquitur 24. quæst. prima. Et quod dixit Dominus Petro, & Successoribus, & cæteris de Ecclesia dixit, quibus ligandi, & soluendi potestatem dedit, & quæ sunt ordinum, & consecrationis ministrandi, & peccata dimittendi, sicut, & Petro, nam impossibile fuisset per vnum vniuerso orbi ministrare sacramenta. Verùm ex hoc non sequitur omnibus de Ecclesia datam esse talem potestatem regendi, administrandi, & iurisdictionem exercendi, sed solùm illam esse Petro datam per illa verba pasce agnos meos, & pasce oues meas, quod propriè est exercere iurisdictionem, & in illos præfecturam, & superioritatem recipere.

98 Vnde Petrus significauit, seu figurauit futuram ex hoc corpore Ecclesiam Prælatorum, & sacerdotum, qui ministraturi erant omnibus fidelibus sacramenta, & sic significauit Ecclesiam, id est omnes catholicos, quorum aliqui erant ministraturi sacramenta, & ordines, & aliquem suscepturi, vt laici, & mulieres. Sicque verba quodcumq; ligaueris super terram, diuersimodè intelligenda recipimus quo ad Prelatos, & Sacerdotes actiuè, & respectu plebis passiuè. Item respectu Petri, & aliorum Apostolorum, & consequenter Episcoporum, & Sacerdotum diuersimodè, quia respectu exercitij, seu administrationis iurisdictionis, regiminis, præeminentiæ, superioritatis, & plenitudinis potestatis, illud solùm personæ Petri, & consequenter successoribus eius conueniebat, cùm ipse solus futurus esset pastor, ad quem spectat gubernium, & administratio, & potestatis plenitudo, cæteri verò agni, & oues respectu ipsius. Vnde quia vnus erat pastor necesse erant, vt vnus in alios haberet præeminentiam, & potestatis plenitudinem, alioquin si vt minister Ecclesiam significasset, potestas censeretur data Ecclesiæ coniunctim, & sic Apostoli, vt singuli nullam habuissent potestatem, nam ministro nihil quæritur l. qui absenti ff. de acq. pos. l. multum C. si quis alteri, vel sibi; facit quod dicitur in Clem. religiosus, de procu. Et quod datur Collegio, non quæritur singulis, l. sed sed si hac §. qui manumittitur ff. de in ius vocan. canonizata 12. quæst. secunda cap. qui manumittit. Respectu autem exercitij ordinis, & sacramentalium, & Petro, & alijs Apostolis, & consequenter Prælatis, & Sacerdotibus in Ecclesia futuris conueniebat. Vnde quia verba sunt intelligenda secundùm subiectam materiam, seu secundùm subiectum, de quo dicuntur l. ex militari ff. de mili. testa. l. si vno ff. locati l. plenum §. equitij ff. de vsu, & habita. cùm simili. licèt dicta Petro censeantur dicta Ecclesiæ per Petrum repræsentatæ, tamen diuersimodè secundùm diuersitatem subiectorum, hoc est aliter Petro, & aliter Apostolis, & alijs Discipulis. Item Ecclesiam sanctam signi-
99 ficauit, & repræsentauit non similitudine, aut identitate naturæ, sicut dicitur filius similis Patri iuxtà illud ad Hebræ. primo cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, idest Patris secundùm glos. nec similiter similitudine, aut conuenientia alicuius proprietatis, sicut Genesis 20. capit. in multis Abraham significauit Christum, & Sara Ecclesiam, & sicut dicit August. super illud Psal. 103. potabunt omnes Bestiæ agri, id est gentes, quæ figura Bestiarum intelliguntur, & sicut ârca Noe figurauit Ecclesiam, vt in extrauaganti vnam sanctam. Nec figurauit, sicut quis dicitur figurare, siue repræsentare illum, cuius virtute, seu auctoritate aliquid facit, sicut ministri in Ecclesia dicuntur repræsen-

ſentare Chriſtum cuius auctoritate funguntur, iuxta illud ſecunda ad Corint.5. pro Chriſto legatione fungimur, de pœniten. diſtinctione tertia capitulo ſceleratior §.fin.ſed quem ſacerdos iudicat, Deus iudicat, cuius perſonam in Eccleſia gerit. Et ſic dicitur quod Papæ, & Chriſti idem eſt conſiſtorium capit. quanto de translat. Prælat.per Hoſtien. & Epiſcopi, & Vicarij idem tribunal.cap.primo de offic.Vica. in 6.Non ergo poteſt dici quod hoc modo Eccleſiam ſignificauerit, quia Petrus non ab Eccleſia, ſed à Chriſto immediatè poteſtatem accepit, vt in cap.nouit.de iudic. & cap. ſacroſancta 22.diſt. Nec ſignificauit, vel repræſentauit tamquam procurator, quia ſic nihil auctoritatis,vel poteſtatis, per ſe recepiſſet, cum tamen præ omnibus, & pro omnibus receperit claues, vt in cap. audiuimus 24.quæſt. 1.& cap. decretis in fin.21.diſt. Nec ſignificauit ſicut dicitur quippiam figurare illud,cuius veritatem non habet,ſed ſimilitudinem ſolam, ſicut agnus paſchalis, & manna fuerunt figurâ corporis Chriſti 1.ad Corinth.10. quia cùm figura diſtinguatur hoc modo contra veritatem, ſicut vmbra contra corpus, ſequeretur, quod Petrus non verè, ſed figuraliter claues recepiſſet. Sed, vt dicit Cardin. in dicto lib. capitulo 75. Eccleſiam ſanctam ſignificauit, vt in quam deriuandæ erant claues, ſicut cùm quis ſtipulatur pro ſe, & deſcendentibus, quia ſic recipiens dicitur figurare omnes deſcendentes, placet dictum, vt ſupra ſæpiùs concluſum eſt, ſed iſtud exemplum non placet, quia qui ſtipulatur pro ſe, & ſucceſſoribus, primò cenſetur ſtipulari pro ſe, & ſibi quæri, ſecundò pro ſucceſſoribus, & poſt mortem, & ſic Petro viuente nullus habuiſſet clauium exercitium, iuxta l.Gallus §. quidam ff. de liber.& poſthum.ibi Bar. & in l. operas, de operis liber. in l. quod dicitur ff. de verb. oblig. & in l.iuriſiurandi §. ſi liberi ff. de iureiurand. Nec rurſus ſignificauit Eccleſiam,ſicut quis dicitur figurare, ſeu repræſentare illum,in cuius honore, & dignitate ſuccedit, ſicut in ſimili dicuntur Epiſcopi gerere figuram Apoſtolorum, presbyteri, 72. diſcipulorum, vt in cap.in nouo 21.diſt.& in cap.decretis 21. diſt. & gloſ. Lucæ 10. Quaſi ſucceſſor eadem perſona cùm prædeceſſore deſignetur, vt in cap. quoniam Abbas, de offic. deleg. ibi gloſ. Hoc enim modo Petrus potiùs deſignaſſet & ſignificaſſet Chriſtum, cuius vices geſſit in terris, vt in capit. primo,de homic in ſexto, quàm Eccleſiam, vnde Ber. ad Eugen.tu poteſtate Petrus,vnctione Chriſtus. Nec ſignificauit Eccleſiam repræſentatiuè, eo modo,quo Princeps prouinciam, Rex regnum, Caput corpus, Epiſcopus Eccleſiam. Hoc modo quod facit Papa, dicitur facere Eccleſia,vt in cap.quid, de excep.in 6. & 9. Ethi. quod facit Rector Ciuitatis dicitur tota ciuitas facere, & nomine Senioris,vnde cæteri pendent tota domus intelligitur. Nec eo modo,quo conſilium ciuitatis dicitur repræſentare populum Romanum, vt in rub.quæ ſit longa conſuetudo,& Capitulum Eccleſiæ repræſentat Epiſcopum ſede vacante, c.cum olim. & c.ijs quæ, de maior. & obedien. & Collegium Cardinalium Papam, vt in Clem. ne Romani de electione.& cap.in nomine Domi-
100 ni,23. diſt. Vndè dicendum eſt, quod Eccleſiam ſignificauit per quamdam demonſtrationem, ſiue deſignationem vniuerſalis Eccleſiæ, quia ſignificare nihil aliud eſt, quàm declarare, & manifeſtare, vt in leg. ius pluribus, ff. de iuſtit. & iur. Manifeſtauit ergò deriuatione poteſtatis ab eo in Eccleſiam, cuius ipſe datus erat Princeps, & gubernator, & quæ fundanda erat ſuper firmam petram Chriſtum, & ſtabilitate fidei eius, & ſucceſſorum, ipſam ſolidandam, & firmandam, vt in cap. 1. de homic. in ſexto, & in capit. fidelior diſt. 50. Iſtam autem manifeſtationem Eccleſiæ oportuit fieri, quia quoad poteſtatem clauium ligandi, & ſoluendi ſolus Petrus non poterat perpetuò exercere illam, quia non erat perpetuò in mundo manſurus, vndè ſignificauit etiam ſucceſſores. Et ideò dicit benè text. in cap. ſolitæ, de maiorit. & obed. quod id, quod Dominus dixit ad Petrum, & in Petro dixit ad ſucceſſores ipſius quodcumque ligaueris, &c. Item quia impoſſibile erat vni, & ſoli Petro vniuerſam Eccleſiam ſine auxilio aliorum gubernare, ideò ſignificauit Eccleſiam Epiſcoporum, & ſacerdotum, qui erant ritè ordinandi ſecundùm claues Eccleſiæ, ei, & Apoſtolis conceſſas, vt in capit. 1. in §. vna de Sum. Trinit. & quibus diſtinguendæ erant diœceſes per Petrum, ne ſe mutuò in ad miniſtrando impedirent, vt in cap. in illis, 80. diſt. & qui ſucceſſiuè vſque ad finem ſeculi per deriuationem ab eo, & eius ſucceſſoribus erant poteſtatem recepturi, vt in cap. ita Dominus diſt. 19. quia præ omnibus,& pro omnibus claues accepit, vt in diſt. 21. in ſum. & 24. quæſt. 1. audiuimus. Vndè ſupplet gloſ. Eccleſiam ſanctam, ſignificauit, videlicèt in Epiſcopis, & presbyteris. Et hoc clarè demonſtrat text. in capit. in nouo diſt. 21. in fin. cum dicit, videntes autem Apoſtoli meſſem multam, ideſt conuertendos ad fidem multos, operarios autem, ideſt Epiſcopos, & paſtores paucos, ab eis electi ſunt 72. diſcipuli, quorum typum, gerunt presbyteri, atque in eorum loco ſunt conſtituti in Eccleſia. Item in-
101 telligo etiam, quod Eccleſiam ſanctam ſignificauir,ideſt omnes Catholicos vniuerſalis Eccleſiæ, licèt hoc non placeat Card. in dicto cap. 75. eo quod, vt credo habuit reſpectum tantùm ad poteſtatem clauium datam in adminiſtrationem, & ſic cepit Eccleſiam pro principalioribus, & ſic pro Epiſcopis, & presbyteris tantùm, & non pro omnibus membris Eccleſiæ, quia eſſet deriſorium, ſicut ipſe dicit. Et verum eſt ſi reſtringamus verba Aug. Eccleſiam ſanctam, ſignificauit, ad poteſtatem clauium miniſtrandam, & exercendam, quia hoc non poteſt fieri per mulieres, vel pueros,vel laicos, qui non ſunt ordinati, quia licèt Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apoſtolis, non ei,ſed illis claues regni Cœlorum Dominus commiſit, vt in cap. noua

de

de pœniten., & remiſs. Sed intelligendo indefinitè, & vniuerſaliter, ſicut ſonant verba Auguſt.oportet intelligere de Eccleſia, hoc eſt de omnium Catholicorum collectione, vt in cap. Eccleſia, de conſecrat. diſtinct.1. Et ſic credo debere intelligi, quia quando Petrus accepit claues, etiam ei dictum eſt, quodcumque ligaueris ſuper terram, &c. Matth. 16. vndè Eccleſiam ſanctam ſignificauit,etiam reſpectu ligandorum,& ſoluendorum, in quos claues Eccleſiæ exerceri debent. Et ſi benè ponderentur verba Aug. etiam de omnibus fidelibus collectiuè loquitur, vndè conſideratis verbis Auguſtin. tranſſumptiuè poſitis, 24. qu. 1. cap. quodcumque, ſi hoc Petro tantùm dictum eſt non hoc facit Eccleſia, ſi autem, & in Eccleſia fit, &c. pondero verbum in Eccleſia. Non dicit per Eccleſiam, nam natura dictionis in iniunctæ, cum ablatiuo denotat intrinſecitatem, leg. 1. §. in publico, ff. de flumin. leg. 1. §. 1. ff. de nou. oper. nunc. & etiam includit, ff. de condit. & demon. leg. ſi in annos, ff. de vſurp. leg. 1. §1. Item etiam aggregat, vt in cap. parſimoniam ibi Archid. diſt. 41. vndè cum dicit in Eccleſia, aggregat omnem Eccleſiam. Et ſequitur, ſi autem in Eccleſia fit, vtique quæ in terra ligantur, & in Cælo, & quæ in terra ſoluuntur ſoluta ſunt, & in Cœlo, quia cùm excommunicat Eccleſia in terra, in Cælo ligatur excommunicatus, cum reconciliat Eccleſia, & in Cœlo ſoluitur reconciliatus. Ecce,quod non loquitur tantùm de excommunicantibus, & abſoluentibus, ſed etiam de excommunicatis, & abſolutis, & ſic etiam de alijs, quàm Epiſcopis, & presbyteris. Et ſubiungit clariùs, ſi ergò hoc in Eccleſia fit, Petrus quando claues accepit Eccleſiam ſanctam ſignificauit, ſi ergò in perſona Petri ſignificati ſunt in Eccleſia boni, & in Iudæ perſona ſignificati ſunt mali in Eccleſia. Ecce quod iterum non ſine myſterio loquitur per dictionem in Eccleſia. Item dicit ſignificari bonos, & malos indefinitè, & ſic tam laicos, & clericos, quàm Epiſcopos, & ſacerdotes, quia indefinita æquipollet vniuerſali, cap. quia circa, de priuileg. diſt. 19. cap. ſi Romanorum. Alioqnin ſi ſub nomine Iudæ venirent ſolùm Epiſcopi, & presbyteri, tantùm malos Epiſcopos, & presbyteros ſignificàret, cum tamen ſub nomine Iudæ omnes mali,etiam non presbyteri, vel Epiſcopi ſignificentur, vt in cap. quid ergò in fin.23. qu. 4. & in cap. ſi fortè, 17. qu. 4,

102 Obſtat tamen prædictis, quod in dicto cap. in nouo, dicitur, quod ab Apoſtolis electi ſunt 72. diſcipuli, ergò videtur quod non per deriuationem à Petro. Sed ſolue, quod principaliter a Petro, qui fecit Epiſcopos, vt diſt. 66. cap. porro, qui gerunt typum Apoſtolorum, vt ibi dicit text. deindè ab Epiſcopis facti ſunt ſacerdotes, qui gerunt typum diſcipulorum,vt ibi text. Sed text. clariùs diſt. 21. in ſum. in fin. dicit, quod Chriſtus duodecim Apoſtolos tamquam maiores ſacerdotes & 72. diſcipulos tamquam minores ſacerdotes inſtituit, Petrum verò quaſi in ſummum ſacerdotem elegit, vndè, & Lucæ 10. dicitur deſignauit Dominus alios 72. Sed videtur obſtare

103 text. in dicto cap. omnibus 24. qu. 1. vbi dicitur, quod Eccleſia etiam accepit claues ligandi, & ſoluendi, cum dicit quod domus Dei hoc eſt Eccleſia etiam claues accepit, & ſic videtur, quod Eccleſia in concreto receperit poteſtatem ligandi, & ſoluendi. Et nota dictionem etiam, quaſi dicat non ſolùm Petrus, ſed & vniuerſalis Eccleſia, ſicque, & Concilium ſeparatim à Petro. Sed ad hoc reſpondetur, quod intelligitur de Eccleſia ſimul cum Papa ipſius Eccleſiæ capite, quia alioquin diſcordante vero Chriſti Vicario non erit Eccleſia ſine eo, quia non erit vnitas, vt in dicto capit. loquitur, & dicto capit. omnibus. Vel intelligitur, quod Eccleſia recepit claues ad exercendum, & miniſtrandum de conſenſu & voluntate capitis, ideſt Papæ, alioquin iſtam poteſtatem duo inſolidum poſſiderent, & eſſet ponere duos principatus in Eccleſia, & ceſſaret, quod dictum eſt, quod eſt vnica, & indiuiſibilis, vt dicto capitulo loquitur, & capitulo audiuimus ead. cauſ. & qu. Item reſpondetur, quod eſt in Eccleſia vnita Petro, ſed principaliter in Petro, vt dictum eſt. Et per hoc dicit Aug. de Aneo. qu. 20. art. 3. quod ſolus Petrus ſingulariter dicitur habere claues tribus modis, videlicèt per immediatam commiſſionem, per immediatam deriuationem, & per vniuerſalem adminiſtrationem, per immediatam commiſſionem, quia ſoli Petro, cuius ſucceſſor eſt Papa claues ſunt commiſſæ,per immediatam deriuationem, quia poteſtas clauium ab eo tamquam à capite in omnes Prælatos Eccleſiæ deriuari debet, vndè allegat Chryſoſt. Matth.16. dicentem quod quamuis ſoluendi, & ligandi poteſtas ſoli Petro à Domino data videatur, omnibus tamen Apoſtolis data eſt, & nunc datur omnibus Epiſcopis,& presbyteris. Ideò tamen Petrus principaliter claues regni Cœlorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit, vt omnes per orbem credentes intelligant, quod quicumque ab vnitate fidei, vel ſocietate Petri quolibet modo ſemetipſos ſegregant,tales nec à vinculis peccatorum abſolui, nec Ianuam poſſunt regni cœleſtis ingredi, & ſunt verba Rabani ſuper Matth. & ponit Gratianus, 24. qu. 1. cap. quicumque. Per vniuerſalem autem adminiſtrationem, quia ſolus ipſe in tota Eccleſia vniuerſaliter Chriſti Vicarius exiſtit.Vndè gloſs. ſuper illud tibi dabo claues, &c. Dicit, quod ideò Chriſtus Petrum Principem Apoſtolorum conſtituit, vt Eccleſia vnum principalem, & vniuerſalem ſuum Vicarium haberet, ad quem diuerſa membra recurrerent, ſi fortè abinuicem diſſentirent, quia ſi diuerſa capita eſſent in Eccleſia vnitatis vinculum rumperetur. Vndè Damaſ. ſuper illud Luc. 9. faciamus hìc tria tabernacula inquit, non te Dominus tabernaculorum, ſed vniuerſalis Eccleſiæ conſtructorem conſtituit.

104 Quod autem dicta verba quæcumque alligaueritis,&c. Alio modò in Petro,quàm in alijs Apoſtolis intelligere oporteat, videlicèt, quod in Petro per illa verba fuerit facta promiſſio non ſolùm poteſtatis ordinis

nis, sed etiam superioritatis gubernij, iurisdictionis, & administrationis, in cæteris autem Apostolis tantùm potestatis ligandi & soluendi in foro conscientiæ, patet, quia vt dicit Petrus de Palud. in tract. de potest.
105 Ecclesi. circa octo consistebat potestas data Apostolis, & circa sex quidem alij Apostoli receperunt immediatè à Domino, sicut & Petrus, circa alia autem duo receperunt eam per deriuationem à Petro, & sic mediante persona Petri, vndè in dictis sex alij Apostoli receperunt immediatè potestatem à Christo, sicut, & Petrus. Quod etiam ponit Archiepis. Florent. in tertia par. sum. tit. 23. cap. 5. primò potestas fuit faciendi miracula, nam vt patet Matth. 10. & Luc. 9. Dominus dedit Apostolis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & vt curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Quam potestatem licèt non habuerint à Petro, habuerunt tamen eam sub Petro, & minorem Petro, vndè in illius vsu omnes deferebant Petro, & primum miraculum post missionem Spiritus sancti factum est per Petrum, vt patet Act. 3. cum dixit claudo, quod habeo hoc tibi do, in nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Vndè etiam de Petro legitur, quod per vmbram eius sanabantur infirmi, vt legitur
106 Act. 5. Secundò consistebat potestas data Apostolis circa officium prædicandi. De qua potestate, vt dicit Alexand. in cap. ita Dominus dist. 19. dupliciter loqui possumus, quia aut pro tempore ante passionem, aut pro tempore post passionem, & resurrectionem Christi. Si loquimur de prædicatione ante passionem Christi, sit conclusio quod Apostoli habuerunt hanc potestatem immediatè à Christo, & non à Petro, vt patet Matthæi 10. in viam gentium ne abieritis, &c. euntes autem prædicate, dicentes, quod appropinquauit regnum Cęlorum. Et hoc patet etiam Luc. 6. 9. 10. & Matth. vlt. Patet etiam ratione, quia illo tempore Petrus licèt futurus esset pastor Ecclesiæ, nullam tamen super Apostolos auctoritatis eminentiam, aut prælationem habebat ratione cuius cæteris Apostolis aliquid potestatis, aut auctoritatis conferre posset, cum tunc ipse Christus rector, magister, & Dominus omnes per se gubernaret, si verò loquimur post passionem Christi, iuxta illud Matth. vlt. euntes docete omnes gentes, &c. & Marci, vlt. euntes prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, &c. Quia tunc constitutus erat Petrus pastor vniuersalis Ecclesiæ, præfuit illis. Vndè quamuis Christus ante passionem per se eos regeret, nec Apostoli subessent regimini Petri, nec in prædicando, nec in alijs, tamen postquam Petrus factus est pastor Ecclesiæ pręfuit omnibus, etiam in officio prędicādi, vt si orta fuisset dissensio inter Apostolos, etiam in officio prædicandi, esset superior, qui eos instrueret, & corrigere, vt patet Act. 15. cum enim orta esset contentio contra Paulum, & Barnabam, statuerunt, qui accusabantur, & qui accusabant ascendere Hierosolymam ad Apostolos, & presbyteros, cumque illuc peruenissent, surrexerunt quidā de secta Pharisęorum dicentes oportere circumcidi Gentiles, & præcipere eis seruare legem Moysi, conueneruntque Apostoli, & seniores videre de verbo hoc, cùm autem magna conquisitio fieret, surgēs Petrus dixit; Viri fratres vos scitis, quod ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere, vbi gl. Rabani super verbum per os meum dicit, non alterius ex Apostolis, quasi dicat qui primus prædicaui gentibus, primus ab eis iugum legis excutiam. Ex quo patet, quod Petrus erat primus in officio prædicandi, & vbicumque Petrus, erat in prædicando omnes alij ei deferebant, vndè in Pentecoste ipse fecit primum sermonem, vt patet Act. 2. Et text. dist. 21. in nouo, dicit quod Petrus fuit primus, qui à Domino potestatem ligandi, atque soluendi accepit, & quod primus ad fidem populum suæ prædicationis virtute adduxit. Vndè, quia omnis cura totius Ecclesiæ soli Petro demandata fuit cùm dictum est ei pasce oues meas, ex tunc nullus, nisi auctoritate Petri habuit oues pascere, nec regere. Oportet ergò, quod Petrus susceperit curam vocandi alios in partem sollicitudinis, ordinandi de successoribus in Apostolatu, de diaconibus, officialibus, & prædicatoribus, vndè dicit, Act. 6. considerate ex vobis viros boni testimonij, &c. & ipsi elegerunt Stephanum, &c. Sicut etiam, & Moyses constituit sub se Principes, & quamuis per se posset eligere, dedit tamen electionem populo dicens, date ex vobis viros sapientes, vt patet Deuteron. 1. Sic enim, & quilibet sapiens Princeps mittens exercitum contra hostes, dat vnum principalem ducem, Capitaneum, ad cuius imperium alij habeant obedire, vt Genes. 26. Abimelech Rex Gerarę habuit ducem militum Phicol, & Genes. 39. Pharao Rex Ægypti habuit Principem exercitus Putiphar. Sic legitur de Saul, & Dauid, & alijs. Vndè, quia Ecclesia est terribilis, vt castrorum acies ordinata, & Apostoli fuerunt cœlestis aulæ milites, belli triumphales duces, habentes arma spiritualia, & specialiter gladium spiritus, quod est verbum Dei, debuerunt habere suum capitaneum, scilicet Petrum, à quo in acie ordinarentur. Vndè ab ipso facta est ordinatio, & diuisio Prędicatorum licèt de consilio, & assensu aliorum, & diuisio Prouinciarum est à diuisione ab eo facta, vt in cap. in illis, dist. 80. Ideò oportet, quod in tota Ecclesia omnis electio, vel institutio ad aliquam prælaturam, vel victoriam, à Petro, vel eius successore præcedat. Dicit etiam Petrus de Palude vbi supra, quod posset etiam dici, quod post Pentecostem alij Apostoli habuerunt potestatem, siue auctoritatem prædicandi omnes à Petro, & non immediatè à Christo, ad seruandam in omnibus Ecclesiæ vnitatem, dicitur autem Christus post resurrectionem eos misisse ad docendum, & prædicandum dando eis os, & sapientiam, & sermonem confirmando sequentibus signis, quæ sibi retinuit, non dando eis per se auctoritatem, sed per Petrum, cui totum populum

pulum ouium commisit, dicens pasce oues meas, pasce agnos meos. Tertiò receperunt
107 potestatem Apostoli immediatè à Christo, vt dicit idem Petrus, quoad potestatem merendi temporalia ab illis, quibus spiritualia seminarent, quia & hanc Christus omnibus Apostolis dedit per se ipsum immediatè à principio, dicens Matth. 10. dignus est operarius cibo suo, vndè 1. ad Corinth. 9. dicitur, si nos vobis spiritualia seminauimus magnum est, si nos carnalia vestra metamus? quasi dicat non, & postea subdit, Dominus ordinauit, ijs, qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere. Sed hanc potestatem seruientem potestati prædicandi, & baptizandi, sicut, & illam post Pentecostem, acceperunt alij à Petro, ne quis mitteret falcem suam in messem alienam spiritualiter, vel corporàliter, vndè eius fuit vnicuique suam metropolim, & diœcesim assignare, sicut enim Iosue diuisit terram in funiculo distributionis, quam Dominus, non ipse dedit, ita etiam in Ecclesia, quam Christus suo sanguine acquisiuit Petrus loco Christi Apostolis diuisit, & distribuit portiones eorum. Ideò dicit Apostolus ad Galat 2. Iacobus Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis. Vndè apparet, quod illa prima diuisio Prędicatorum facta est per Petrum. Nominantur autem ibi Iacobus, & Ioannes tamquam principales, quia erant tamquam principales consiliarij, & coadiutores Petri. Quod autem Iacobus præponatur ibi, est quia in Ierusalem, vbi facta fuit illa ordinatio, Iacobus præerat specialiter. Quartò
108 receperunt Apostoli immediatè à Christo potestatem baptizandi ante passionem, vndè dicitur Io. 4. quamuis Christus non baptizaret, sed discipuli eius, qui non præsumpsissent baptizare, nisi à Christo auctoritatem habuissent, vndè Io. 1. dixerunt Pharisæi Ioanni, quid ergò baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta, ac si dixissent non deberes. Vtrùm autem discipuli tunc baptizarent baptismo Christi in Spiritu sancto, Chrys. Ioan. 4. dicit quod non. August. autem dicit, quod baptizabant in Spiritu sancto, non tamen visibiliter, sicut post missionem Spiritus sancti. De hoc tamen vide, quod dicitur de consecrat. dist. 4. cap. quando ab Hierosolymis, & cap. sequent. Item post resurrectionem data est Apostolis potestas, & auctoritas baptizandi omnes vbique, vt patet Matth. vlt. docete omnes gentes, baptizantes eos, quod dictum fuit non solùm Petro, sed vndecim Discipulis. Vt tamen vnitas Ecclesiæ conseruaretur, & à capite Petro omnis hierarchicus actus originaretur, noluit Christus, vt baptizarent nisi ex Petri commissione, & ordinatione, sed ideo eis immediatè mandat baptizare vt ab eo non à Petro credatur baptismus habere virtutem, & vt eos doceret veram formam baptizandi.
109 di. Quintò, Apostoli receperunt immediatè à Christo potestatem Sacerdotalem conficiendi corpus, & sanguinem Christi in die Cœnæ Domini, per illa verba, Lucæ 22. Hoc facite in mei commemorationem. Et æquipollentia verba dicuntur, cum sit Sacerdos, quod enim dicitur, hoc facite, id est potestatem accipite hoc faciendi, æquipollet ei, quod dicitur, accipite potestatem celebrandi. Simpliciter autem hoc facite, id est corpus, & sanguinem meum conficite, quod non potest conficere, nisi verus Sacerdos, vt in cap. 1. §. vna, de Summa Trinit. & in cap. erat, 95. dist. & ideo tunc fecit eos Sacerdotes.

Et illud verbum hoc facite magis est verbum potestatem conferentis, quàm præcipientis, quasi dicat, hoc facite, id est faciendi potestatem accipite. Quam potestatem faciendi statim acceperunt, sed non statim exercuerunt, quia non celebrauerunt ante Pentecostem. Sextò, Apo-
110 stoli receperunt immediatè à Domino potestatem ligandi, & soluendi in foro conscientiæ simul, & semel, & æqualiter. Hoc autem quando fuerit, variæ fuerunt opiniones, nàm nonnulli asserunt eos recepisse per illa verba Matth. 18. quæcumque alligaueritis super terram, &c. quidam autem volunt illa fuisse tantùm verba promissionis de futuro, & non collationis potestatis de præsenti, quia antè cœnam Domini non fuerunt facti Sacerdotes, non Sacerdos autem non potest habere claues ordinis, nec potestatem ligandi, & soluendi in foro conscientiæ, quia solis Sacerdotibus credita est potestas ligandi, & soluendi, de pœnitent. distin. 1. capit. quem pœnitet, & cap. noua, de pœnit. & remiss. & simile etiam verbum promissiuum fuit dictum Petro, Matth. 16. scilicet, quodcumque ligaueris super terram, &c. Alij verò tenent, quod hæc potestas fuerit eis data in cœna, cùm facti fuerunt Sacerdotes per illa verba, Hoc facite, exponendo, vt supra dictum est, hoc est faciendi potestatem accipite. Alij denique volunt, quod post resurrectionem, cùm eis dictum est, Io. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Sed probabilior est opinio illorum, qui dicunt datam potestatem in cœna Domini: quia post resurrectionem, quando fuit dictum, Accipite Spiritum sanctum, Dominus loquebatur præsentibus, & consequenter ex quo Thomas vnus de duodecim erat absens non habuisset potestatem ligandi, & soluendi, cùm tamen omnibus Apostolis data fuerit potestas ligandi, & soluendi in foro conscientiæ, vt dicto capit. in nouo dist. 21. & in dicto cap. 1. §. vna, de summa Trinit. in qua potestate ligandi, & soluendi in foro conscientiæ fuerunt Petrus, & omnes alij Apostoli pares, vt in capitulo loquitur dist. 24. quæst. 2. & dicto capit. in nouo, & tantam potestatem quoad soluendum, in foro conscientiæ habuerunt alij Apostoli, quantam Petrus. Vndè dicit dictus Anton. in capit. noua, de pœnitent. & remiss. quod Theologi tenent, quod exceptis casibus reseruatis Papæ, vel Episcopo, tantam potestatem habet quilibet Sacerdos in absoluendo, quantam Papa, vel Episcopus, licèt, vt supra dictum est post Archiepiscopum Armachanum, posset ex cau-

causa aliquo modo Papa istam potestatem absoluendi, etiam in foro conscientiæ restringere, sicut videmus fieri in casibus, quos sibi Papa reseruat. Septima potestas
111 data Apostolis, fuit potestas Pontificalis. Et istam potestatem Pontificalem solus Petrus immediatè recepit à Christo, quia solus immediatè factus fuit à Christo Episcopus, cæteri verò mediante Petro, vel ab eo solo, vel cum alijs. Hoc probat text. in cap. porrò dist. 66. vbi patet, quod Iacobus Alphæi creatus est Archiepiscopus Hierosolymitanus à Petro, Iacobo, & Ioanne. Ex quo patet, quod non omnes Apostoli simul cum Petro ordinati sunt Episcopi, quia semel consecratus Episcopus, non potest iterùm consecrari, vt in capitulo 1. dist. 68. Sicut enim Moyses tantùm Aaron creauit Pontificem, à quo postea alij processerunt, ità Christus tantùm Petrum creauit, siue hoc fuerit, vt infrà dico, quando Matth. 16. dixit, & ego dico tibi, quod tu es Petrus, &c. siue in cœna, quando fecit omnes Apostolos Sacerdotes, tunc fecerit Petrum Sacerdotem, & Episcopum, siue hoc fuerit factum Io. vlt. quando Dominus ei dixit, pasce oues meas, quia enim Christus propter excellentiam potestatis, seu potestatem excellentiæ poterat conferre effectum Sacramentorum, & characterem, & gratiam sine collatione Sacramenti exterioris, idest alicuius rei sensibilis, sicut dedit Apostolis omnes Ordines in vltima cœna, sine contactu alicuius instrumenti, & sine forma consueta, ità dicendo Petro, pasce oues meas, dedit ei potestatem, & characterem Episcopalem, vt dicit Archiep. Florent. in par. 3. summ. tit. 23. cap. 5. §. 2. Posteà post missionem Spiritus sancti, siue ipsa prima die Dominica post, siue alia, Petrus solus Episcopus fecit Ioannem Episcopum, posteà Petrus, & Ioannes fecerunt Iacobum Zebedæi, quibus tribus consecratis Petrus ordinauit, quod deinceps non ordinaretur Episcopus, nisi à tribus, & ad ostendendum formam huius Sacramenti ipse cum prædictis duobus ordinauit dictum Iacobum Alphæi, vt dicitur in dicto capitulo porrò. Ità dicit Petrus de Palud. in dicto tract. in artic. 2. & Alexand. distin. 15. in summ. in char. 5. An autem sit de forma substantiali, quod Episcopus consecretur à tribus Episcopis, ità quod aliter non dicatur consecratus, nec characterem recipere, latè examinat Alexand. in cap. Archiepiscopus distin. 66. & Cardin. sancti Xisti in capit. porrò, eadem distinct. Quomodò autem stent hæc duo simùl, quod omnes Apostoli fuerint à Christo facti Episcopi, & Iacobus Alphæi fuerit à Petro, Ioanne, & Iacobo Zebedæi consecratus, cùm Sacramenta non iterentur, vt per tot. de Sacram. non iteran. ponit gloss. & Doctor. in dicto capit. porrò distin. 66. Communiter tamen tenetur, quod sit de substantia, in cap. 1. de sacra Vnct. & capit. si Archiepiscopus, & seq. de temp. Ordinat. & in dicto cap. porrò, & dist. 68. §. quod autem.

Non obstat si dicatur, quod sicut Petrus simùl cum alijs Apostolis factus est Sacerdos in cœna Domini, vt supra dictum est, sic etiam debuerunt simùl fieri Episcopi. Respondetur enim, quod ista ratio non procedit, quia Petrus inquantum Sacerdos non fuit maior alijs, nàm omnes Sacerdotes sunt pares, vt in capit. loquitur dist. 24. qu. 1. vbi text. dicit, quod Dominus post resurrectionem suam omnibus Apostolis parem tribuit potestatem, quod intelligitur de potestate ligandi, & soluendi in foro conscientiæ, vt notat Anton. de Butr. in cap. noua, de pœnit. & remiss. & hoc fuit, quando dixit, quorum remiseritis peccata, &c. Io. 20. Et hoc ideò est, quia Sacerdoti non datur potestas iurisdictionis, & si non habet curam animarum, nec subditos, non eget iurisdictione, sed in Episcopis secùs est, quia non potest esse Episcopus sine plebe, vt in Clementina in plerisque, de elect. vndè Episcopis datur iurisdictio. Qui licèt sint pares respectu ordinis, non tamen respectu iurisdictionis, quia maior dicitur iurisdictio Patriarchæ, quàm iurisdictio Archiepiscopi, & maior iurisdictio Archiepiscopi, quàm Episcopi, per hoc, quod dicitur in capitulo in illis dist. 80. Vndè Petrus licèt non fuerit Sacerdos maior alijs, fuit tamen maior Episcopus, non quod habuerit aliam, vel maiorem potestatem Sacramenta ministrandi, sed quia habuit maiorem potestatem iudicandi, superintendens toti Mundo.

Et per hoc respondetur ad id, quod dicit August. in lib. de quæstionibus veter. & noui Testamenti cùm dicit, quod Christus omnes Apostolos fecit Episcopos, sed differenter, videlicet Petrum per se, & alios per Petrum. Et ista est verior conclusio, quia solus Petrus factus est pastor, & ei soli dictum est, pasce oues meas, & soli Petro data est plenitudo potestatis, alij autem vocati sunt in partem sollicitudinis, dist. 2. quæst. 6. capit decreto, distin. 3. quæst. 6. capit. multum, distin. 2. quæst. 6. qui se scit, & de auctor. & vsu pal. capit. ad decorem. Et vbi reperitur aliter factum, Episcopus ponitur pro simplici Sacerdote, vt in illo act. 20. posuit vos Episcopos, idest Presbyteros, vt dicit ibi Beda in gloss. quod etiam probatur dist. 93. legimus. Sic cum dicitur act. 1. Episcopatum eius accipiat alter, idest Presbyteratum, siue Sacerdotium, ità dicit Archiepisc. Florent. in dicto tit. 23. cap. 5. §. 2. Vel Episcopatum eius accipiat alter, idest Apostolatum, secundùm Petrum de Palude in dicto tract. in fine conclus. 7.
112 Octaua potestas fuit iurisdictionis contentiosæ, administrationis, & guberniј, quæ data est Petro immediatè à Christo, cæteris verò Apostolis à Petro, seu à Christo mediante Petro, patet per illa verba, pasce oues meas, Ioan. vlt. quæ ponuntur transumptiuè in capit. significasti, de elect. & capit. solitæ, de maiorit. & obedient. quæ sunt verba dantis iurisdictionem, & administrationem, quia non datur Pastor vniuersi, sine iurisdictione, nec sine administratione, vndè dicitur, quod sententia Pastoris, siue iusta, siue iniusta timenda est, cap. sententia, & cap. timenda dist. 11. q. 4. patet per illud 1. Paral. 11. tibi enim dixit

Dominus Deus tuus, tu pasces populum meum Israel, & tu eris Princeps super eum. Et 2. Regum 5. ad idem dist. 16. quæst. 1. prædicator, & dist. 95. cap. esto subiectus. Vndè illa verba Matth. 16. Ego dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis, &c. quia sunt futuri temporis, si dicantur verba promissionis, & non executionis, siue collationis potestatis, non potest negari, quin sint maioris excellentiæ; vt dicit Abb. in cap. translato, de constitut. & Ioann. de Lign. in capit. significasti, de elect. & demonstratiua maioris auctoritatis ei dandæ, quàm verba dicta Apostolis, Matth. 18. vbi dicitur, amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, &c. tùm quia non dixit alijs Apostolis se daturum illis claues; tùm etiam, quia cùm Christus alloqueretur omnes Discipulos, dicendo, quem dicunt homines esse filium hominis. Et posteà, vos autem, quem Me esse dicitis, solus Petrus respondit, tu es Christus Filius Dei viui; propter quod Christus respondit, beatus es Simon Bariona, &c. Et Ego dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, &c. Ecce, quod semper loquitur ad maiorem demonstrationem in singulari, & soli Petro, cùm tamen omnes Discipuli essent præsentes, videlicet dicendo, beatus es, item tu es Petrus, & tibi dabo claues, & quodcumque ligaueris, &c. nemini autem Apostolorum vnquam dixit, beatus es, & Matth. 18. cum loqueretur omnibus, & omnibus vel promitteret dare, vel tunc conferret potestatem ligandi, & soluendi, non dixit, & vobis dabo claues regni Cœlorum, nec beati estis, sed tantùm, quæ alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo. cùm tamen soli Petro dixerit, quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis, & sic in numero plurali in Cœlis, cùm tamen Discipulis dixerit in Cœlo in singulari. Vndè Origenes super illud 18. Matth. dicit, non dixit In Cœlis, sicut Petro, sed in Cœlo, quia non fuerunt tantæ perfectionis, sicut Petro, loquendo non de perfectione virtutis personalis, sed de perfectione potestatis. Vnde dando Summum Episcopatum Petro dedit illi claues in cœlo visibili, & inuisibili, & sic in cœlis, cæteris autem dedit claues in foro conscientiæ, quod est in cœlo inuisibili, non autem in foro exteriori, quod est in cœlo visibili, & sic in vno cœlo tantùm, vt dicit Petrus de Palude in dicto tract. in 7. conclusione, & 2. oppositione, & 2. art. in octaua conclusione. Item Petro dixit beatus es Simon Bariona, & tu es Petrus, non tamquam interrogans, sed affirmans, ad ostendendum amplitudinem & præeminentiam dignitatis personæ, & officij. Ac si dixisset, tu eris primus pastor, & gubernator Ecclesiæ, & tu es Petrus à petra, hoc est à me Christo, super quem fundata est Ecclesia, & tu es Petrus hoc est firmus confessor nominis mei, & ego super hanc petram hoc est super hoc firmamentum, iuxta illud 2. regum. 22. Dominus petra mea, & robur meum, & Saluator meus, petra, idest firmamentum, hoc est super me firmum; & immobile, ac indeficiens Ecclesiæ firmamentum ædificabo Ecclesiam meam. Et subiungit, & tibi dabo claues regni cœlorum, quod est dicere fundata Ecclesia eris vniuersalis, eius gubernator habens claues aperiendi, & claudendi, per traditionem enim clauium significatur traditio rerum sub custodia clauium contentarum, vt in l. clauibus ff. de contrahen. empt. l. 3. ff. de acquiren. poss. Item nomine clauium designatur scientia, & potestas, in cap. decretales distinct. 20. Item dicit claues vt comprehẽdatur clauis, & ordinis, & iurisdictionis, & omnimoda potestas administrandi. Et subiungit, & quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & in cœlis, quasi dicat postquam es Petrus, & pastor, & habens claues, quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis. Et signanter ponitur dictio, & quæ copulat. præcedentia ff. de legat. l. 3. eadem tamen adiectio l. hæred. §. Gaio, ff. de fundo instruc. Item & declarat, & in capitulo prudentiam circa fin. de offic. delegat. Ioann. Andr. in capitulo accusatus de hæret. in 6. Vnde coniungendo, & declarando præcedentia, dicit, quodcumque ligaueris, vel solueris in terra erit ligatum, vel solutum in cœlis, ad demonstrandum potentiam plenitudinis potestatis. Et consideranda est contextura verborum, quia primò ponit confessionem, quam fecit Petrus dicendo tu es Christus filius Dei viui, secundò ponit retributionem, præeminentiam, & demonstrationem amplitudinis dignitatis, & potestatis, dicendo beatus es, & dicendo tu es Petrus, ac si expressè dixisset, nullus alius erit maior te, & est figura, quę appellatur antonomasia, sicut cum dicitur poeta, intelligitur de Virgilio, & cum dicitur Propheta intelligitur de Dauid, ac si dixisset tu es ille, qui habebit omnimodam superioritatem, & iurisdictionem, administrationem, & plenitudinem potestatis. Deinde subiungitur, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ecce cum loquitur de fundanda Ecclesia, loquitur contemporaliter, & simultaneè de potestate Petri, quando autem loquitur alijs Apostolis, & dat eis potestatem ligandi, & soluendi, nihil loquitur de præeminentia in Ecclesia, vt ostendat, quod non dabat illis immediatè administrationem, nec aliquam iurisdictionem, sicut Petro. Vnde quod subijcit, & quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & in cœlis, &c. Intelligitur in vtroque foro, videlicet, in foro conscientiæ, & in foro iudiciali, & de vtraque potestate, videlicet ordinis, & administrationis. Non sic quando loquutus est Apostolis Matth. 18. quibus numquam dixit vobis dabo claues regni cœlorum, sed tantùm

tùm dixit quæcumque alligaueritis, &c. Quod tantùm de potestate ligandi, & soluendi in foro conscientiæ intelligitur, cum nec per præcedentia, nec per sequentia verba appareat, quod intenderit aliquid de foro contentioso, & iurisdictionali, sed tantùm de foro conscientiæ. Quinimmò verba præcedentia ibi in dicto 18. capitulo ostendunt, quod loquebatur de potestate ligandi, & soluendi in foro conscientiæ tantùm, cùm dicit, si autem peccauerit in te frater tuus corripe ipsum inter te, & eum solum. Ecce quod loquitur in foro conscientiæ, & de denuntiatione Euangelica, iuxta ea quæ ponuntur in cap. nouit. de iudic. 2. quæst. 1. si peccauerit, & capitulo cum ex iniuncto de hæret. Confirma-
113 tur hoc, quia quando Princeps concedit duo priuilegia, vnum prius aliud posterius secundum semper intelligitur saluo primo, & saluo iure alterius l. nec auus Cod. de emancip. liber. Facit quod dicitur in cap. veniens de priuil. & in cap. rescript. Cùm ergo promissio facta Apostolis in communi Matth. 18. sequuta sit promissionem factam Petro, Matth. 16. sequitur, quod intelligitur concessa Apostolis potestas sine præiudicio priùs concessæ Petro, aliter non potest intelligi de clauibus iurisdictionis sine detrimento Petri. Vnde oportet intelligere, de potestate ordinis, maximè cum non dixerit Apostolis se daturum claues absolutè, & simpliciter non distinguendo inter has, vel illas, sicut dixerat Petro. Vnde siue verba dicta Petro Matth. 16. & similiter verba dicta Apostolis Matth. 18. fuerint verba promissionis, siue collationis potestatis, oportet intelligere in Petro de vtraque potestate, ordinis & iurisdictionis in Apostolis autē de potestate ordinis tantùm, vt tollatur omnis contrarietas, & ne videatur Dominus supremam administrationem, & potestatis plenitudinem, quæ non conuenit nisi vni, dedisse pluribus. Inde est quod Ecclesia solum Petrum depingit cum clauibus, & de solo Petro in eius oratione dicitur, Deus, qui beato Petro Apostolo tuo collatis clauibus animas ligandi, atque soluendi, &c. Et soli Petro dicitur, tu es pastor ouium, Princeps Apostolorum, tibi traditæ sunt claues Regni cœlorum. &c. Et ex hoc patet, quod illud quod voluit Petrus de Monte in sua monar. in princ. in fin. 3. char. quod potestas iurisdictionis, & ordinis data fuerit Apostolis per illud Matth. 18. non est verum simpliciter loquendo, quia tantùm data est potestas ordinis, potestatem autem iurisdictionis, habuerunt per deriuationem à Petro, vt supra dictum est. Nec obstat, quod text. in cap. noua de pœnit. dicit claues in plurali, quia dicitur respectu effectus ligandi, & soluendi, quod patet ex ijs quæ infra dico, vbi pono an sit vna, vel plures claues.

114 Vtrùm autem potestas fuerit data, an promissa per illa verba Matth. 16. & Apostolis Matth. 18. Doctor. in capitulo translato de constitutione, & in capit. significasti de elect. communiter videntur dicere quod tunc fuerit promissa, & posteà data, secundùm aliquos in cœna quando fecit eos sacerdotes cum dixit, hoc facite id est potestatem faciendi accipite, quia si non erant sacerdotes, non poterant accipere potestatem ligandi, & soluendi, vt in dicto capitulo primo in §. vna de summa Trinite, & de pænitentia distinct. 1, capitulo quem pœnitet; nam sic etiam olim sacerdotes iudicabant inter lepram, & lepram, capitulo per venerabilem, qui filij sint legit. & Matthæi capitulo 8. vade, & ostende te sacerdoti, & Luc. 17. ite & ostendite vos sacerdotibus. Accedit quod quia in passione omnes Apostoli peccarunt mortaliter Christum derelinquendo, omnes indigebant absolutione, & Petrus plus alijs quia ter eum negauerat. Ideò Christus defecisset eis in necessarijs, si non dedisset alicui potestatem absoluendi. Tancredus, & Ioannes de Lignan. dicunt quod per illa verba Matthæi 16. potestas clauium fuit promissa, & quod tunc Petrus fuit electus & per illa Ioann. vltimo pasce oues meas confirmatus refert Cardinal. in dicto capitulo significasti. Istam autem, quod data fuerit potestas per illud Matth. 16. probant plura iura, in quibus allegatur illa auctoritas Matth. ad ostendendum potestatem Pontificalem, vt est in capitulo nouo distinct. 21. & in cap. sacrosancta distinct. 22. in capitulo loquitur 24. quæst. 1. in capit. rogamus eadem causa quæst. 2. in capitulo quodcumque eadem causa quæst. 1. cap. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. & in cap. solitæ de maior. & obedientia. Et clarè videtur probare text. dist. 20. in summ. ibi vnde Christus dicturus Petro quodcumque ligaueris super terram, &c. priùs dedit ei claues regni cœlorum. Ecce quod præsupponit datas esse, non promissas, & tunc posset exponi dabo, id est datas esse ostendo; ad hoc text. in cap. ponderet distinct. 50. & ita exponit Alber. in dictionario in verbo dabo, idest do. Aliqui autem volunt, quod potestas fuerit data per illa verba Ioann. 20. accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Sed his contradicit, quod sequitur ibi Thomas vnus de duodecim non erat cum eis, quando venit Iesus, ex quo sequitur, quod quia Thomas fuerat absens illa verba non fuerunt ei dicta, & consequenter ipse non accepisset potestatem ligandi, & soluendi. Aliqui autem volunt, quod per dicta verba Ioann. 20. Christus dederit eis Spiritum sanctum insufflando, non tamen aliquam nouam potestatem ligandi, & soluendi, sed quod declarauerit vsum potestatis in cœna eis datæ. Vnde non dixit remittite, & remittentur, sicut in cœna dixit hoc facite, sed dixit quorum remiseritis, scilicet per potestatem, quam habetis, sed quia perdiderant Spiritum sanctum, quem in baptismo receperant dedit eis de nouo Spiritum sanctum, vt dignè absoluerent. In Petro autem communiter omnes dicunt Matth. 16. fuisse verba promissionis, & de hoc est text. in capitulo audiuimus 24. quæst. 1. quæ fuerunt impleta post resurrectionem Ioannis vltimo per verba pasce oues meas. Communis-

muniſſima omnium videtur illa, quod tunc data fuerat Petro poteſtas Pontificatus quando ei dixit Dominus paſce oues meas & quod tunc effectualiter fuerunt claues traditæ, vt dicitur in capitulo translato, de constitutionibus, & dicto capitulo licèt ex ſuſcepto in gloſs. magna de foro competenti, & ibi Abbas & in capit. ſignificaſti de elect. in cap. in nouo diſtinct. 21. probat text. & gloſs. ibi in cap. conſiderandum diſtinct. 50. & text. in cap. fidelior diſt. 50. Idem ſenſit Hier. qui ſuper illud Matth. 16. vade poſt me Satana dicit hanc poteſtatem & Eccleſiæ ædificationem ſuper Petrum in futuro promiſſam non in præſenti datam eſſe. Item Chryſoſtomus ſuper illud Lucæ 22. facta eſt contentio dicit, credenda erat Petro populorum innumera multitudo, ergo tunc non fuit data, nec credita. Ad idem facit tex. & quæ ibi dicuntur in capitulo ſolitæ de maior. & obed. & extrauagans vnam ſanctam. Et hoc videtur ponere Innoc. & Hoſtien in capitulo licèt ex ſuſcepto de for. compet. & Archi. in capitulo vbi periculum in gloſ. magna in fin. de elect. in 6. & hoc etiam communiter tenent Theologi. Ad quod Cardin. de Turrecrem. in lib. ſecundo, in capitulo 72. & Archiepiſc. Florent. in 3. parte ſum. tit. 23. capitulo 4. §. 4. & Felinus, qui allegat concordantes in capit. translato in octaua columna in principio de conſtitutionibus. Vide Cardinal. ibi, & in capitulo ſignificaſti de electione. Et vide ſupra vbi dicitur claues principaliter fuerunt datæ Petro. Vnde in Petro duplex fuit poteſtas,

115 vna ordinis, alia adminiſtrationis, promiſſio poteſtatis ordinis facta fuit per verba tibi dabo claues, promiſſio autem poteſtatis adminiſtrationis per illa verba ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et primam recepit ante ſecundam quia primam, cum alijs Apoſtolis, quando Chriſtus dixit ei, cum alijs accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis &c. Ioannis 20. quia poteſtas retinendi, vel remittēdi peccata eſt poteſtas ligandi, & ſoluendi, ſecundam verò quando dixit ei Dominus, paſce oues meas. Et licèt hæc ſecunda data fuerit poſt poteſtatem ligandi, & ſoluendi, an tunc eſſet ſacerdos, vel non, non refert, quia iſta poteſtas Pontificalis poteſt eſſe ſine illa ordinis, quia quilibet electus in Pontificem licèt non ſit ſacerdos, eſt verus Papa 23. diſtin. capitulo in nomine Domini. Vnde per illa verba, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c. Fuit Pontificatus promiſſus.

116 Poſſet tamen, licèt ſit contra ſententiam omnium, quia multum conuenit, cum verbis euangelij non improbabiliter dici, ſalua determinatione communi, à qua non recedo, ne puter velle inniti proprio ſenſui, quod Petro fuerit datus Pontificatus cum Matth. 16. dictum eſt ei, ego dico tibi quod tu es Petrus, ideſt quod tu es firmus in fide ſicut petra, vt dicit tex. in authen. de defenſo. ciui. in prin. & ibi notatur, & in capitulo non firmatur 24. quæſt. 1. & ponit Archid. in capitulo fundamenta de elect. in 6. Vnde Aug. in ſermone vigiliæ Apoſtolorum Petri, & Pauli dicit, veracem Petrum petra fecerat, petra enim erat Chriſtus, quia enim firmiter aſſeruit Dominum filium Dei, audire meruit, & ego dico tibi, quod ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, cuius tu eris rector, Pontifex, & adminiſtrator, quia à petra, ideſt Chriſto tu diceris Petrus 21. diſtinctione capitulo decreris, & gloſ. in capitulo ita Dominus 19. diſtinctione, & ibi Archi. ſicut à Chriſto dicitur Chriſtianus. Et de perſona Petri Petra etiam dici poteſt, ſicut dicit tex. in c. fidelior 50. diſt. cùm huius Eccleſiæ ædificium in Chriſto petra erectum in Petri ſoliditate conſiſtat, & gubernetur, vt dicit tex. in capitulo ita dominus 19. diſ. & tex. in capitulo fundamenta de electione in 6. & bonus text. in dicto capitulo fidelior, & in capitulo primo, de homic. in 6. Et quod Petrus per dicta verba factus fuerit Pontifex, probat clarè tex. in capitulo in nouo 21. diſtinctione, & eſt tex Anacleti, qui fuit Apoſtolorum Diſcipulus, & Papa ante Clementem, vt patet ex hiſtor. Eccleſ. libro ſecundo capitulo 14. & in capitulo ſacroſancta eiuſdem Anacleti 22. diſtinctione ibi ab ipſo Saluatore noſtro primatum obtinuit, ſicut beato Petro Apoſtolo dixit, tu es Petrus &c. Et clariùs in dicto capitulo in nouo, ibi à Petro ſacerdotalis cœpit ordo, quia ipſi primò in Eccleſia Chriſti Pontificatus datus eſt, dicente Domino ad eum, tu es, inquit Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et ſi benè aduertatur, non reſpondet gloſ. ibi ad illum text. capitulo in nouo, & ſolutio, quam dat Petrus de Palude in tract. de poteſtate collata Petro, & Apoſtolis in quinta concluſione, cum dicit exponi debere datus Pontificatus, id eſt promiſſus, improprìat literam, quæ eſt clara, cum dicit quod per dicta verba, tu es Petrus, Matth. 16. fuit datus Pontificatus. Et ſi benè aduertatur, tex. in dicto capitulo conſiderandum non obſtat, quia verum eſt, quod præferre diſpoſuerat committendo pontificatus executionem, quia ſciebat, quod ante commiſſionem executionis pontificatus, ſe negaret. Et hoc confirmat tex. in capit. fidelior, quod ſequitur ibi; denique propter ſoliditatem deuotionis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait Dominus, tu es Petrus &c. Vbi innuit, quod tunc factus fuerit Pontifex. Amplius

117 quod tunc Petro datus fuerit pontificatus, innuit ibi Chryſoſtom. cùm dicit hìc erigit eum paſtorem. Extorqueretur autem ſimiliter verba hæc ſi exponerentur erigit, id eſt erigere promittit, ſicut dicit Petrus de Palude in loco prææallegato. Et idem Chryſoſt. Lucæ 22. quando facta eſt contentio, dicit, quod creditæ erat Petro claues regni Cœlorum, clarum eſt autem, quod illud fuit ante paſſionem. Et hoc probant omnia illa iura in quibus Papa volens oſtendere poteſtatem ſibi datam in perſona Beati Petri allegat illud Matth. 16. quæ ſi eſſent verba promiſſionis de futuro tantùm, non benè allegarentur, vt in capitulo ad Apoſtolicæ de re iudic. in ſexto, & vigeſimaquarta quæſtione ſecunda legatur

tur cum similibus. Sic etiam Moyses consecrauit Aaron Pontificem, & filios eius in simplices Sacerdotes, & sic ab Aaron in alios postea deriuatus est pontificatus. Vnde dicit text. in dicto capitulo in nouo quod post Christum à Petro cœpit sacerdotalis ordo, quod exponitur, id est pontificalis, sicut exponitur in simili tex. in capitulo solemnitates de consecrat. distinctio. prima. Vnde Petro à Christo primò pontificatus datus est, & à Petro alijs, vt supra dictum est. Qua propter idem fuit dicere, tu es Petrus, quod dicere, tu es Pontifex, Rector, Præses, Ductor, Gubernator, & Administrator huius Ecclesiæ. Et licèt per dicta verba fuerit factus Pontifex, tamen exercitium huius iurisdictionis pontificalis, & potestatis, & gubernij erat futurum, cùm super se petram id est Christum fundata foret Ecclesia, & ideo post passionem, & resurrectionem, quia medio tempore Petrus Christum negauerat, dicitur iterum ei ter, Ioannis vltimo, Petre amas me, sicut ter eum negauerat, & post Petri responsionem, tu scis Domine quod amo te, illico dixit Dominus, pasce oues meas, ac si dixisset ministra iam, & guberna pontificatum aliàs tibi datum, quia iam Ecclesia fundata est, & consummata sunt omnia in passione mea, & guberna populos, & sic tunc demandata est executio. Et hoc demonstrant illa verba Matth. sextodecimo ædificabo Ecclesiam meam, antequam enim esset ædificata non poterat gubernari, & tibi dabo claues, videlicèt quando Ecclesia erit fundata, & tunc quodcumque solueris super terram erit solutum, & in Cœlis &c. Ante passionem autem Pontifex, & Gubernator erat Christus, vt inquit Apostolus ad Hebræos 4. habentes ergo Pontificem Magnum, qui penetrauit cœlos Iesum filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem, & ad Hebræos quinto, sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, & ad Hebræos 9. Christus assistens Pontifex futurorum bonorum &c. Quinimò ipse est Princeps Pastorum, prima Petri 5. & Pastor Ecclesiæ capitulo testès 5. ecce, secunda quæstione septima, capitulo in scripturis octaua quæstione prima. Et ideo non conueniebat dare alteri administrationem pontificatus, quem tunc per se administrabat. Vnde licèt per dicta verba Petrus fuerit factus Pontifex, non tamen Christo viuente administrauit.

118 Et si dicatur ergo fuissent duo Pontifices eodem tempore, vnus administrans Christus, & alius sine administratione Petrus, respondetur non esse absonum, quod Christus, qui fundabat Ecclesiam certus de sua passione futura, non relinqueret post mortem, & Ascensionem suam Ecclesiam, sine capite, & Pastore, eligeret primùm Pontificem, qui post eum administraret, & iurisdictionem exerceret. Ad quod facit quod videtur illo exemplo postea Petrus putasse sibi licere eligere Clementem in suum Successorem, vt in capitulo si Petrus, octaua quæstione prima. Et satis suadet ratio, quod quando Petrus confessus est Christum esse filium Dei; tunc Christus dederit ei pontificatum; & promiserit se daturum ei potestatem maiorem, quàm cæteris, dicendo, & tibi dabo claues regni Cœlorum, ac si dixisset, tibi soli dabo omnem potestatis plenitudinem clauium, tàm iurisdictionis, quàm ordinis, alijs verò Apostolis potestatem ordinis tantùm designatam per illa verba Matth. decimo octauo, quæcumque alligaueritis &c. Et sic potest intelligi text. vigesimaquarta quæstione prima capitulo audiuimus, & Doctores, qui dicunt illa verba Matthæi 16. tibi dabo claues, fuisse verba promissionis executioni omnimodæ potestatis pontificalis, non quod per præambula verba, & ego dico tibi, quod tu es Petrus, nihil tunc fuerit Petro concessum, quia cùm sint verba præsentis temporis, denotant designationem, & traditionem dignitatis tempore prolationis verborum l. cùm ad præsens ff. si cer. petatur. Et sic posset pro concordia dici, quod tunc tempore illorum verborum fecerit eum Pontificem. Et hoc ostendunt omnia iura loquentia de principatu dato Petro, quæ allegant semper illa verba Matthæi sextodecimo, tu es Petrus, & super hanc petram &c. Vt in cap. ita Dominus 19. distinctione, & in capitul. in nouo vigesimaprima distinctione, & capitulo sacrosancta vigesimasecunda distinctione, & capit. rogamus vigesima quarta quæstione prima. Et cùm loquuntur de executione, allegant illud Ioannis vltimo, pasce oues meas; vt in capitulo in scripturis octaua quæstione prima in cap. solitæ de maioritate, & obedientia, & in extrauagāti vnam sanctam, & in epistola inter claras, cum similibus. Vnde videtur quod tunc creauerit Petrum sum-
119 mum Pontificem, quando dixit, tu es Petrus, & executionem commiserit, quando dixit, pasce oues meas, & quod in cœna factus fuerit Sacerdos, cum alijs Apostolis, quibus data est potestas ordinis Matth. decimooctauo, & executio potestatis ordinis post passionem, Ioannis vigesimo, cùm Dominus insuflauit dicens, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. quam potestatem ordinis etiam Petrus simul, cum alijs pari consortio recepit. dicto cap. in nouo 21. distinctione, & in hoc dicuntur fuisse pares, quod intelligitur in executione auctoritatis non in auctoritate regiminis, vt dicit S. Thom. ad Galat. 2. lect. 3. Facit etiam text. in cap. loquitur 24. quæst. 1. Et per istum intellectum concordantur omnia, quia illi, qui dicunt, quod per illa verba Matth. 16. fuerit promissus pontificatus, verum dicunt respectu plenitudinis potestatis, & executionis, & perfectionis, sed respectu designationis, creationis, & electionis, in Papam non dicitur promissus, sed datus pontificatus, & verba ibi hoc sonant, quorum aliqua sunt præsentis temporis, vt illa tu es Petrus, aliqua futuri, vt illa ædificabo Ecclesiam, & tibi dabo claues &c. Quando autem fuerit Petrus consecratus in Episcopum Alex. 15. distin. in sum. videtur velle

quod

quod per illa verba Ioann. vlt. pasce oues meas,& quod tunc fuerit factusEpiscopus. Vnde secundùm eum resultat, quod primò in cœna simul cùm alijs Apostolis factus fuerit sacerdos, & postea Ioan. vlt. creatus, & consecratus in Episcopum. Sed posset attentari, salua Romanæ Ecclesiæ determinatione, quod Matth. 16. cùm dictum est ei, beatus es Simon Bar-iona, & ego dico tibi, quod tu es Petrus, tunc per dicta verba propter confessionem per eum factam Dominus fecerit eum beatum, & summum, & Pontificem eundem tunc consecrando, & quod tunc propter excellentiam potestatis, quam in Sacramentis habuit Christus rem Sacramenti sine Sacramento contulerit dicendo,tu es Petrus. Et quia Christus primò dixit Petro beatus es, non immeritò ex hoc etiam, & cæteri Rom. Pontifices dicuntur Beatissimi Patres. Et maximè ostendit hoc vis, & vehementia verborum, & ego dico tibi, ac si dixisset,ego Deus tuus, quem tu confessus es, dico tibi, quod tu es Petrus, quod est dicere facio te summum caput, principalem Patrem, seu Pastorem, & supremum Episcopum, per quæ videtur,quia Dei perfecta sunt opera, tunc fuisse consecratus à Domino in Episcopum, & per hoc factum beatum. Et quod eodem tempore fuerit creatus, & ordinatus, & consecratus in Episcopum, innuunt illa iura cap.in nouo, & cap. sacrosancta,& tex. in cap.decretales distinc. 20. & clariùs text. in capit. quodcumque 24. quæstione 1. & cap. loquitur, ibi super vnum ædificat Ecclesiam, & capitulo rogamus, & eadem can. quæst. 2. c. 2.

120 Nec est absonum, quia tenet collatio ordinis Episcopalis etiam si ordinatus non sit Sacerdos, vt tenent magis communiter Doct. in cap. vnico de cle. per sal. promo. tenendo quod Episcopatus sit ordo, licèt non recipiat Episcopalis ordinis executionem, antequam fiat Sacerdos, vt in capitulo ex literis de excess. prælat. & dicunt Doctores in dicto cap. vnico. Vnde cùm Christus executionem dignitatis Pontificalis differret, vsque ad ædificationem Ecclesiæ, quam super se petram 1. ad Corinthios 10. de consecrat. dist. 2. reuera, & capitulo in calice, & de pœnit. distinctione 3. in salicibus, erat fundaturus, quod fuit in passione eius perfectum, & conseruaturus in Petri soliditate cap. ita Dominus 19. dist. & cap. fidelior 15. dist. non fuit absonum quod Petrus creatus, & consecratus fuerit Episcopus, & Papa per verba, tu es Petrus Matth. 16. & postea factus Sacerdos in cœna, cum alijs Apostolis, & quod demandata fuerit ei Pastoralis officij executio Ioann. vlt. per verba pasce oues meas,& hoc propriè sonant verba. Vel potiùs posset dici,quod creatio electio, siue designatio eius in Pontificem facta fuerit Matth.16. quando Dominus dixit ei, tu es Petrus, consecratio autem in cœna, in qua omnes fuerunt facti Sacerdotes.Quia enim vnus solus erat Pontifex verisimile est in tanta sacramentorum ordinatione etiam Petrum fuisse ordinatum, id est consecratum in Episcopum, cum alibi non legantur verba designantia consecrationem, & verba Ioann. vlt. sonant magis executionem, cum dicitur imperatiuè pasce oues meas, quod pascere spectat ad eum, qui iam est factus, & consecratus in Episcopum. Et notandum est, quod Matth. 16. priùs Christus vocauit Petrum Simonem, & posteà mutauit ei nomen, dixit enim Beatus es Simon Bariona, & ego dico tibi, quod tu es Petrus,ac si dixisset non es vlteriùs Simon,sed mutato nomine,quia factus es Pontifex,vocaris Petrus.Ex quo dicit gl. in proœm. 6. quod hac ratione, quia fuit mutatum nomen Petro,etiam hodie mutatur nomen Pontificibus, cum assumuntur ad Pontificatum.Quapropter dicitur,quod Rom. Pontifex vicem Petri gerit,vt in cap. per venerabilem, qui filij sint legit. vnde Matthæus in Euangelio sæpius dicit, Simon,qui dicitur Petrus,vt patet in quarto, & 10. capitulo quasi dicat, olim Simon, nunc tempore scripturæ Euangelij dicitur Petrus, quod exponit Beda in dicto quarto capitulo,id est agnoscens,agnoscere autem propriè est adire, l. puberem, C. de iure deli. quasi Pontificatum capiens. Item Petrus latinè, & græcè, idem significat quo cephas syriacè, ita dicit glos. super illud Matth. 10. primus Simon, qui dicitur Petrus. Idem glo. super illud Marc. 3. & imposuit Simoni nomen Petrus,& ibi subiungit quod Deus voluit Petrum priùs alio nomine vocari, vt ex mutatione nominis viuacitas sacramenti notaretur. Vnde, & glo. Hieron.ibi dicit, de obedientia ascendit ad agnitionem. Et Ioan. 1. glo. Nicolai dicit,quod nomen Simon interpretatur obediens,ideò dicitur transire de obedientia ad agnitionem, quia vt dictum est Petrus dicitur agnoscens.Vnde ibidem super illud,tu vocaberis cephas, dicit glo. interl. nondum ponit nomen, sed præsignat,quasi dicat, quod erat futurus Capitaneus, & Euangelista, ibi dicit, quod cephas interpretatur Petrus. Vnde de Simone, hoc est obediente factus est Cephas, seu Petrus, idest agnoscens, & fundamentum, & fidei soliditas,quod fuit Matth. 16. cùm dictum est ei, ego dico tibi, quod tu es Petrus. Et hoc designat glos. Nicolai super illud, tu vocaberis Cephas Ioan. 1. quæ plus, dicit quod mutatio nominis à Deo facta, semper facta est ex aliqua gratia speciali,quam à Deo consecutus est ille,cuius nomen mutatum est, vt patet gene. 32. vbi Iacob vocatus est Israel, & de Abraham genes. 17. Vnde primò fuit Simon obediens, posteà Cephas, seu Petrus, idest agnoscens quando datus est ei pontificatus, agnouit enim plenitudinem potestatis in vniuersali Ecclesia, hoc est adiuit, seu suscepit pontificatum, sicut propriè agnoscere hæreditatem est adire hæreditatem, vt in d. l. puberem de iure deliber. Beda tamen, & refert Alexand. de Ales, super illud Ioan. 1. vult quod Petrus non dicatur agnoscens, quia agnouerit Messiam, cùm Andreas frater eius ante ei dixerit inuenimus Messiam. Et Aug. Ioan. vlt. dicit Petrum dictum esse à petra, sed non negat August. quin etiam interpretetur agnoscens, potest enim idem vo-

vocabulum plures habere significatus. Et
aduertendum est, quod Ioann. 1. dictum
est Simon Ioannis tu vocaberis Cephas,
quod interpretatur, ibi Euangelista Pe-
trum, propter quod considerandum est,
quod dicit vocaberis in futuro cephas,
quod factum agnoscimus Matth. 16. cùm
Dominus dixit ei, tu es Petrus. Et sic pa-
tet, quod tunc fecit eum primum, & con-
sequenter pontificem. Quod videtur innue-
re August. super illud Ioann. 1. cum dicit.
magnum, quod mutauit ei nomen, & fecit
de Simone Petrum, Petrus autem à petra,
petra verò Ecclesia, ergo in Petri nomine
figurata est Ecclesia,& consequenter caput,
& Pastor Ecclesiæ designatus est secundùm
August. Vnde primus tenuit Episcopatum
Hierosolymis,exercendo quæ Episcopalis
ordinis esse iudicantur, vt legitur 1.2.& 3.
act. post hoc fuit Episcopus Antiochiæ, vt
legitur ad Gala. 2. deinde Romæ, vbi ipse
scripsit primam epistolam, vt patet ex fine
eius, cum dicit salutat vos Ecclesia,quæ est
in Babylone, quæ accipitur pro Roma se-
cundùm Bedam, & Hier. & dicit glos. ibi.
Licèt repererim, quod quidam Marsilius
de Padua,quem credo fuisse illum damna-
tum, voluit Petrum non præfuisse Romæ,
quod falsum est, vt ostendit Hieronym. in
lib. de vitr. illus, & probat tex. in capit.
hæc est fides 24. qu. 1. & nullus eorum qui
scribunt de vitis pontificum hoc negat.
Quare autem potiùs Petro quàm Ioan. qui
121 erat virgo datus fuerit pontificatus, &
primatus Ecclesiæ, ponit Hieron. in lib. 1.
contra Iouinianum,vbi etiam ponit de pri-
matu Petri. Sed quia communiter tenetur,
quod dicta verba Matth. 16. fuerint pro-
missionis,& quia medio tempore intercef-
sit negatio per Petrum facta, ex quo posset
fortè argui se reddidisse indignum ponti-
ficatu, tutiùs videtur tenendum, quod per
illud Ioan. 21. pasce oues meas factus fue-
rit pontifex, licèt, & ad hoc quod medio
tempore negauit Christum, &c. idem pos-
semus dicere de alijs Apostolis, quod antè
passionem in cœna fuerant ordinati Sacer-
dotes,scilicet quod reddidisset se indignos
Et ex his apparet clarè quomodo Papa est
maior Concilio,quia si vt dictum est digni-
tas Episcopalis est immediatè à Petro, &
iurisdictio Episcopalis descendit à Petro,
vt in cap. 1. ita Dominus dist. 19. quòd
etiam vltra allegatos, dicit Paul. de Cast.
cons. 280. incipit in facto præsenti. Episco-
pi autem, qui sunt in Concilio non habent
aliam iurisdictionem, quàm descensiuè à
Papa, sequitur ergo,quod Concilium,quod
consistit ex ipsis Episcopis, sit minus Papa
l. solent cum simil. ff. de offic. procon. cap.
dudum de præben. in 6. Quare autem Pe-
123 trum tunc præposuerit, & pontificatus
executionem,vsque post passionem deman-
dare distulerit, vide text. in cap. conside-
randum, & in capit. fidelior dist. 50. Item
quia non erat conueniens, quod quamdiù
Christus per se Ecclesiam regebat, alium
præponeret, & duo insolidum pontifica-
tum gubernarent, cum non nisi vnus posset
esse Papa, vt 7. qu. 1. capit. factus est Cor-
nelius, & Ioan. 10. erit vnum ouile,& vnus
pastor. glos. in clem. ad nostrum de hære
probat tex. 79. distin. cap. si duo. Nec est.
absonum quod eum ante passionem in pon-
tificem elegerit, cum, & Petrus ante mor-
tem sibi Clementem in successorem elege-
rit 8. qu. 1. si Petrus, vt supra dixi.
123 Non obstat præmissis illud Matth. 19.
& Lucæ 11. ipsi iudices vestri erunt, quod
dixit Christus Iudæis de Apostolis, & illud
psal. 44. pro patribus tuis nati sunt tibi fi-
lij, constitues eos Principes super omnem
terram, vt sic immediatè videatur data iu-
risdictio Apostolis à Christo. Quia illud
intelligitur de iudicio vniuersali, in quo
constituti sunt iudices totius mundi ad iu-
dicandum simul cum Christo, sicut asseso-
res, iuxta illud Matth. 19. cum sederit filius
hominis, &c. Vel secundùm glos. Nicolai
ibi constitues eos Principes, scilicet in spi-
ritualibus,quia constituti sunt Episcopi per
diuersas orbis partes.Quod factum fuit per
Petrum, vt in cap. in illis dist. 8. Papæ
autem potestas est à Deo immediatè, vt su-
pra dictum est cap. nouit. de iudi. 7. qu. 1.
capit. remoto.Nam sacerdotium fuit tran-
slatum de Aaron, in Christum, & à Chri-
sto in Petrum, vt notatur in cap. translato
de constit. & probatur in d. capit. in nouo
dist. 21. Igitur quia potestas Papæ est im-
mediatè à Deo, & dignitas Episcopalis à
Petro, item quia Petrus constitutus est
Princeps, & caput vniuersalis Ecclesiæ. vt
in cap. loquitur qu. 24. cap. sacrosancta
dist. 22. & in cap. in nouo dist. 21. & supra
dictum est, & hoc tam à Christo, quàm
etiam ab ipsismet Apostolis cap. in nouo,
& d. cap. sacrosancta, sequitur quod post-
quam Apostoli semel transtulerunt prima-
tum in Petrum, etiam si ei datus non fuis-
set à Christo, iam non posset Ecclesia ab
eo vltra dictum primatum auferre, vt in §.
sed quod Principi, instit. de iure natura.
gen. & Ciui. tum etiam quia omnis iuris-
dictio Episcopalis deriuatur à Petro, & à
Romanis Pontificibus Petri successoribus,
vt supra clarè ostensum est,negari non po-
test, quin Papa sic maior Episcopis,ex qui-
bus consistit Concilium,omne enim agens,
inquantum agens nobilius est passo, inquit
S. Thom. in 1. par. qu. 79. artic. 2. ad 3.
argument. Vnde dicit Bernar. ad Eugen. in
lib. 2. de considerat. post medium, age in-
dagemus diligentiùs qui sis, quam geras
pro tempore personam in Ecclesia Dei,
qui es,Sacerdos magnus,summus Pontifex,
tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apo-
stolorum, tu primatu Abel,gubernatu Noe,
patriarchatu Abraham, ordine Melchise-
dec, dignitate Aaron, auctoritate Moyses,
iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctio-
ne Christus, tu es, cui claues traditæ, cui
oues creditæ sunt. Sunt quidem, & alij
cœli ianitores, & gregum pastores; sed tu
tantò gloriosius, quanto & differentius,
vtrumque præcæteris nomen hæreditasti,
habent illi sibi assignatos greges singuli
singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus, nec
modò ouium, sed & pastorum tu vnus om-
nium pastor, &c.

Sed præmissis (videlicet quæ dicta sunt
de tempore pontificatus Petri) videtur ob-

 stare,

stare, quod si ex designatione, & mutatione nominis arguere volumus Matth. 16. datum pontificatum, obstat quod Ioa. vlti. quando dixit ei Christus, pasce oues meas non vocauit eum Petrum, sed vocauit eum Simonem Ioannis ex quo videtur, quod nō erat adhuc pontifex factus, quia non vocauit eum Petrum. Item secundò obstat illud Marc. 3. & imposuit Simoni nomen Petrus, & tamen illud fuit in prima vocatione, & sic videtur quod Dominus diù antequam Matth. 16. dixerit, tu es Petrus mutauerit ei nomen. Sed ad hoc posset responderi, quod vt supra dictum est, & in veteri, & in nouo testamento nominis mutatio facta à Deo, semper designauit aliquam specialem gratiam, quam quis consequebatur, & ideò non sine mysterio Ioan. vltimo etiam cognomine alio Petrum nominauit Dominus, sed ad ostendendum gratiam, quam consequuturus erat de administrando Pontificatu, cuius executio nondum fuerat ei demandata. Ad quod sciendum est, quod Ioannes interpretatur, in quo est gratia, siuè gratia Domini, vt dicit Beda super illud Marc. tertio, & Ioannem fratrem Iacobi, vt igitur ostenderet Dominus, quo modo demandabat ei executionem, & plenitudinem potestatis Pontificatus, vocauit eum Simonem Ioannis. Sicut enim primò, quando designauerat, & elegerat eum in pontificem appellauerat eum Petrum, id est agnoscentem, sic & modò vocat eum Simonem Ioannis, idest obedientem Domini, gratia pascere debentem oues, hoc est vniuersalem Ecclesiam, ac si dixisset obediens gratia Domini pasce oues meas. Nec conueniebat tunc vocare eum Petrum, quia cùm nomen Petrum esset ei datum loco proprij nominis, illi non poterat conuenire cognomen Ioannis, quia non erat verum dicere, quod esset Petrus Ioannis, quia post nomen Pontificatus superinductum, non dedit ei aliquod cognomen, neque parentis, neque familiæ, & propterea semper in bullis papalibus post nomen pontificatus subsequitur seruus seruorum Dei, vt exempli gratia Iulius Episcopus seruus seruorum Dei. Vndè ideò non nominauit eum sub nomine pontificatus, quia non erat conueniens, quod ille, à quo receperat pontificatum, & à quo debebat accipere omnem potestatem iurisdictionis, & ordinis, & executionem regiminis, & administrationis, plenitudinis potestatis, vocaret eum nomine pontificatus, & reuerentiæ, siuè superioritatis, cum enim esset Christi Vicarius, licèt Papa, erat ipso inferior, & vocare Papam sub nomine pontificatus, est proprium inferioris, & subditi, & non superioris.

Non obstat illud Mar. 3. quia non dicitur ibi quando Dominus imposuerit Simoni nomen Petrus, nec dicitur quod in actu vocationis mutauerit ei nomen. Et licèt ibidem Mar. 3. etiam Ioanni, & Iacobo mutauerit nomina, & imposuerit, eis nomina Boanerges, quod est filij tonitrui, non obstat, quia nusquam reperitur hoc dictum in traditione alicuius dignitatis, vel præeminentiæ, sicut in Petro. Et ad confirmandum, quod tunc Petrus factus
124 fuerit Papa Matth. 16. per illa verba, tu es Petrus, do vnam rationem, cui cum difficultate potest responderi. Clarum est, quod omnes probant primatum Petri, inter cætera ex hoc, quod Petro primò dictum fuit quodcumque ligaueris super terram, vt in cap. rogamus 24. qu. 1. & in cap. sacrosancta 22. dist. & in cap. solitæ de maio. & obed. Ex quo ait. S. Thom. in 4. sen. dist. 24. qu. 3, art. 2. quæstion. 3. ad 1, argu. quod quamuis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi & soluendi, tamen vt in hac potestate aliquis ordo significaretur primò soli Petro data est, vt ostendatur, quod ab eo in alios debet ista potestas descendere. Si autem diceremus tunc non fuisse ei datum Pontificatum, & omnia illa verba fuisse tantùm verba promissionis. sicut, & quando dixit omnibus Apostolis Matthæi 18. quæcumque alligaueritis &c. Quę etiam dicuntur fuisse verba promissionis, sequeretur quod non esset verum potestatem fuisse priùs datam Petro singulariter, quàm alijs Apostolis, imò sequeretur quod priùs data fuisset omnibus Apostolis simul, quàm soli Petro, quia priùs fuerunt dicta illa verba, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c. Ioannis 20. quæ fuerunt verba dispositiua & datiua potestatis, & dicta omnibus Apostolis simul absente Thoma solo, quàm verba dicta Petro, pasce oues meas Ioan. vl. Et sic non priùs fuisset, data potestas Petro tamquam capit. sed simul cum Apostolis. Et sic illa argumentatio à prioritate non esset bona, quia non esset verum, quod priùs fuisset data potestas Petro, quàm alijs Apostolis. Vnde videtur vera conclusio, quod per illa verba tu es Petrus fuerit designatus, electus, creatus, & factus Pontifex, & Papa, sed claues Pontificatus non fuerunt ei tunc datæ sed tantùm promissæ, cum tunc ipsemet Christus administraret, quod probat text. ibi cum sequitur, & tibi dabo claues regni cœlorum, quasi dicat suis loco, & tempore dabo exercitium administrationis Pontificalis potestatis, licèt vt dixi communiter teneatur quod fuerint verba promissionis, & quod deinde consecratus fuerit in Episcopum cum cæteris alijs Apostolis in cœna, vbi data est ei potestas ordinis simul cum alijs Apostolis, & postea huius potestatis executio Ioannis 20. sed Apostoli fuerunt tantùm ordinati sacerdotes, sed Petrus consecratus Episcopus in cœna, quia non legitur, quod aliquis alius Apostolus à Petro factus fuerit à Christo Episcopus immediatè, sed mediante Petro, quod probat text. in capit porro 66. dist. & ponit Petrus de Palu. in dicto tract. postea autem data est plenitudo potestatis in iurisdictionalibus, gubernium, præfectura, administratio, & exercitium, vsus, & executio omnimodæ potestatis, tam iurisdictionis, quàm ordinis Ioan. vlt. per illud pasce oues meas Pro quo etiam considerandum est quod ibi Matth. 16. Christus cum dixit beatus es Simon Bariona, non dixit eris, & sub-

iun-

iungit quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis quod est dicere caro. & sanguis non reuelauit tibi hanc veritatem, quod sum Christus filius Dei, caro & sanguis non reuelauit tibi quod esses Pontifex, & vniuersalis pastor Ecclesiæ, sed Pater meus, qui est in cælis, quia à Deo veniunt inspirationes rerum spiritualium, & à Deo datur pontificalis dignitas, vt in capitulo nouit de iudu. & non secundùm carnem, nobilitatem sanguinis, siue potentiam, vt in cap. venerabilis de præben. Et deinde subiungit, & ego dico tibi, quod tu es Petrus. Et si dicatur quod si dicta verba tu es Petrus sunt tributiua, & datiua, siue deligatiua pontificatus, sequeretur quod statim potuisset administrare, & exercere iurisdictionem quia cùm Papa est electus statim potest administrare, vt 23. dist. capit. in nomine Domini, & dicitur in cap. licèt de elect. sicut, & quilibet alius Episcopus electus, & confirmatus potest ea quæ sunt iurisdictionis, sed non ordinis, capitulo transmissam de elect. responsum est supra, quod non erat conueniens, quamdiu Christus per se præerat, & administrabat, vt daretur alius, qui similiter præesset, & administraret. Item etiam potest responderi, quod Dominus sciebat Petrum se negaturum, & sic non esse mansurum omnino firmum in fide, & postea ipsum pœnitentiam actuum, & in fide firmum mansurum, & ideo non fuit ante passionem ei demandata omnimoda potestas, & exercitium, quia potuisset ei dici, quod per negationem perdidisset Pontificatum, ad hoc est quod dicitur de Marcellino, & Sixto in cap. nunc autem 21. dist. Nec est absonum quod interdum quis habeat dignitatem sine administratione, vt in d. decurionibus ibi glossa C. de silen. lib. 12. Et propterea etsi fuit dilata potestas administrandi. cùm dictum est indefinitè, & tibi dabo claues, quas claues Dominus nec dedit, dixit se item daturum alijs, licèt fuerit eis data potestas ligandi, & soluendi, Petro soli, vt principali datæ sunt claues gubernandæ, & non alijs. Sed videtur his obstare text. in capitulo fidelior 50. distin. vbi dicitur fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideo maiorem gratiam reperit, quàm amisit, tamquam enim bonus pastor tuendum gregem accepit. Ex quo apparet quod post negationem factus fuerit Pontifex, cum post negationem tuendum gregem acceperit, & sic non ante passionem, tunc videlicet, quando dixit ei Dominus tu es Petrus, Matth. 16. Sed si bene inspiciatur. ille tex. magis facit pro, quàm contra, quia non sine mysterio dicit maiorem gratiam reperit, quàm amisit tamquam enim bonus Pastor tuendum gregem accepit, nam ex hoc sequitur ex quo eum appellat pastorem quod ante erat pastor, quàm negaret, & quod erat pastor sine exercitio, quia ante non erat ei datum gubernare, & tueri gregem, sed postquam negauit reperit maiorem gratiam, quia demandata est ei, omnis administratio tuendi, & pascendi gregem Dominicum, per illud Ioann. vlt. pasce oues meas. Et hoc ostendunt verba, quæ sequuntur in text. videlicet, vt qui sibi infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum. Infirmus pastor fuerat Christum negando, ideo post reuersionem factus firmamentum, gubernandum, & tuendum, gregem suscepit, & sic executionem potestatis pontificalis. Et deinde subiungit, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quod nonnulli intelligunt dictum de Petro, vt innuit text, in cap. fidelior 50. distin. & est text. Ambros. in lib. 1. homiliarum. Et probat text: in capit. quoniam verus 24. qu. 1. & Hieron. super illud Matth. 16. dicit in commen. tu mihi, dixisti, tu es Christus filius Dei viui, & ego dico tibi sermone non casso, & nullum opus habente, sed dico tibi, quia meum dixisse, fecisse est, quod tu es Petrus, sicut enim Apostolis donauit vt lumen mundi, appellarentur, &c. à Domino sortiti sunt vocabula, ita & Simoni, qui credebat in petram Christum, petræ largitus est, nomen, ac secundùm metaphoram petræ, dicitur rectè ei ædificabo Ecclesiam meam super te. Item & beatus Maximus in sermone Apostol. Petri, & Pauli qui incipit gloriosissimi Christianæ fidei principes dicit, hic est Petrus, cui Christus Dominus communionem nominis libenter indulsit, vt enim sicut Apostolus Paulus edocuit, petra est Christus, ità per Christum Petrus, factus est petra, dicente Domino, tu es, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Item Theophilus super illud Luc. 22. & tu aliquando conuersus cõfirma fratres, tuos dicit, hoc enim decet te, qui meum robur es, & petra Ecclesiæ, Item Leo in sermone 3. ordinationis suæ ad illud Matth. 16. & Ego dico tibi, dicit, idest, quia Ego sum inuiolabilis petra, Ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, Ego fundamentum, præter quod nemo potest ponere aliud, tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Item Augustinus in 5. sermone Apostolorum Petri, & Pauli dicit, Petrus audire meruit, amen dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã, dignus quidem, qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, & clauis ad Regnum. Et Origenes super illud Matth. 16. vide quantam potestatem habeat petra, super quam ædificatur Ecclesia, vt etiam iudicia eius maneant firma, quasi Deo iudicante per eam. Item Augustinus in libro retract. cap. 2. dicit, dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tamquam in petra ædificata sit Ecclesia, verùm posteà dicit, se alibi nomine petræ Christum intellexisse, & tandem defert iudicium Lectori vtra sententiarum sit probabilior. Ex his Richardus Archiep. Armachanus in summa de quæstionibus Armenorum lib. 7. cap. 11. dicit, quod illa verba, super hanc petram, si benè attendatur textura verborum, intelliguntur de Petro. Et istam

opinionem sequutus est Cardin. de Turrecremata in lib. 2. cap. 19. Quod repugnat aliquibus supradictis, cùm dictum est, quod petra erat Christus, qui in sua passione Sanguine proprio Ecclesiā fundauit, quod etiam dicitur in epistola Athanasij, & aliorum Episcoporum in Concilio Alexandrino congregatorum ad Felicem Papam, ibi, & sicut in Christo Christiani, sic & in petra, idest Christo renouantur Ecclesiæ, tu es sicut diuinum veraciter testatur eloquiū Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, idest Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & proprijs humeris portare debent, tibi sunt confirmatæ, tibique claues regni Cœlorum commisit, &c. Sed mihi videtur, quod si attendatur textura verborum, propriè intelligitur de Christo, quia dicit, & Ego dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc petram, non dicit, super te petram ædificabo Ecclesiam meā, alioquin frustrà diceretur Petrus à Christo petra, vt dicit ibi gloss. ordin. tu es Petrus à me petra, ità tamen, vt mihi retineam dignitatem fundamenti. Et Gregorius in epistola ad Syracusanum Episcopum, quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur. Item Apostolus 1. ad Corinth. 10. dicit, petra autem erat Christus, de pœnitent. dist. 3. in salicibus, de consecrat. dist. 2. capit. reuera, & cap. in calice. Et Augustinus in sermone 13. de verb. Domini, super illud Matth. 14. de Christo ambulante super aquas maris, inquit, tunc ei Dominus, ait, beatus es Simon Bariona, quia non reuelauit tibi caro, & sanguis, sed Pater meus, qui est in Cœlis; deindè addit, & Ego dico tibi, tamquam diceretur, quia tu dixisti mihi, tu es Christus filius Dei viui, & Ego dico tibi, quod tu es Petrus, Simon quippè antè vocabatur, hoc autem nomen ei, vt Petrus appellaretur à Domino impositum est, & hoc, vt ea figura significaret Ecclesiam, quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus, petra enim principale nomen est, ideò Petrus à petra, non petra à Petro, quomodò non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur, tu es ergo, inquit, Petrus, & super hanc petram, quam confessus es, super hanc petram, quam cognouisti, dicens, tu es Christus filius Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam, idest super meipsum filium Dei viui ædificabo Ecclesiam meam, super me ædificabo te, non me super te. Nam volentes homines ædificari super homines dicebant, ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, &c. & aliqui, qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram dicebant ego autem sum Christi. Et paulò post, idem ergo Petrus à petra cognominatus Beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus Principatum tenens, &c. Et idem Ioann. vlt. dicit, non super Petrum, sed super petram Christum ædificatam esse Ecclesiam. Et gloss. Nicolai Matth. 16. super illud, & super hanc petram, dicit, scilicet, quam confessus es, idest super Christum. Et indè est, quod Christus dicitur caput, & principale fundamentum Ecclesiæ, vt ponit sanctus Thomas in 3. parte quæst. 8. articulo 1. & textus in capit. 1. de sacra Vnctione, & in Clementina 1 de iureiurand. vndè dicit Apostolus 1. ad Corinth. 3. & textus in capitulo fin. de Presbyt. non baptiz. & textus in Clementina 1. iuncta glossa de summa Trinitate, & textus 1. quæst. 1. cùm Paulus, quod fundamentū aliud nemo potest ponere, præter illud, quod positum est, quod est Christus Iesus, & dixi supra in quinto argumento pro ista parte, Petrus verò secundarium. Et sic intelligunt iura, quæ innuunt Petrum Ecclesiæ fundamentum, vt in capit. fidelior distinct. 50. & in capit. quoniam vetus distinct. 24. quæstione 1, Sæpiùs tamen iura dicunt in Petri soliditate firmatam Ecclesiam, vt in capit. ità Dominus distinct. 19. & in capitulo 1. de homicid. in 6. & in capit. fundamenta, de electione eodem lib. cum similibus. Vndè glossa in Clementina prima, & Cardin. ibi de summa Trinitate, dicit, quod fundamentum sumitur multis modis. Sic in proposito in Ecclesia primum fundamentum est Christus, qui super se petram fundauit Ecclesiam, deindè fundamentum secundò est in Petro, & hodiè in Papa. Nec potest prætendi fundamentum in ipsamet Ecclesia vniuersali, quia esset sui ipsius fundamentum, quod dicere esset ridiculum. Et ita dicit Moder. Aret. in sua Monarch. char. 70. Tertiò fundamentum Ecclesiæ est in Apostolis, iuxta illud Psal. 86. fundamenta eius in montibus sanctis, quod gloss. exponit, idest in Apostolis, & idem text. in capit. fundamenta in princ. de elect. in 6. Et Nicol. super illud 1. ad Corinth. 3. fundamentum enim nemo aliud potest ponere, &c. respondendo ad illud Apocal. 21. vbi dicitur quod 12. Apostoli sunt duodecim fundamenta ciuitatis Dei, per quam intelligitur Ecclesia, dicit, quod fundamentum potest dupliciter capi vno modo propriè, quod est illud quod habet stabilitatem, & firmitatem ex se, & sic solus Christus est fundamentum Ecclesiæ, vnde August. in sermone vigiliæ Apostolorum Petri & Pauli, veracem Petrum petra fecerat, petra enim erat Christus, alio modo impropriè, & largè scilicet illud, quod adhæret primo fundamento iam posito, sicut sunt lapides primarij fundamento inhærentes, & sic Apostoli dicuntur Ecclesiæ fundamenta, quia primitus adhæserunt Christo. Sic & Apostolus primæ ad Corinth. 3. inquit, vt sapiens Architectus fundamentum posui quod exponens Nicol. dicit, scilicet prima initia fidei vobis annuntiando. Et sequitur, alius autem super ædificat, idest alij Doctores post me vos docentes docuerunt sequentia. Sic ergo patet quod diuersis respectibus dicitur quis fundamentum Ecclesiæ, sed Petrus post Christum singulari quadam prærogatiua primò dicitur Ecclesiæ fundamentum propter verba tu es Petrus, à petra dictus. Vnde August. in sermone 2. Apostolorum Petri, & Pauli loquens de Claudo à Petro curato dicit, audistis frequenter ipsum Petrum à Domino

petram

petram nuncupatum, ficut ait tu es Petrus & fuper hanc petram ædificabo Ecclefiam meam, fi ergo Petrus petra eft, fuper quam ædificatur Ecclefia, rectè priùs pedes fanat, vt ficut in Ecclefia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum, fundamenta confirmet. Sic & Damafus in fermone de transfiguratione dicit, non te Dominus tabernaculorum, fed vniuerfalis Ecclefiæ conftructorem conftituit. Et Auguft. in fermone Cathedræ S. Petri dicit rectè Ecclefia natalem Sedis Petri colunt, quam Apoftolus pro Ecclefiarum falute fufcepit, dicente Domino tu es Petrus, & fuper hanc petram ædificabo Ecclefiam meam. Petrum itaque fundamentum Ecclefiæ Dominus nominauit, & ideò dignè fundamētum hoc Ecclefia colit, fuper quod Ecclefiaftici ædificij altitudo confurgit. Item Auguft. fuper Pfal. 86. dicit, vt noueritis quod fundamentum Chriftus, & primum, & maximum fundamentum, inquit Apoftolus nemo poteft aliud ponere præter id, quod pofitum eft quod eft Chriftus Iefus quomodo ergo fundamenta Prophetæ, aut Apoftoli? Et quomodo fundamentum Chriftus Iefus, quo vlterius nihil eft? Quomodo putamus nifi quemadmodum apertè dicitur Sanctus Sanctorum, fic figuratè fundamentum fundamentorum? Si ergo Sacramenta cogites, Chriftus Sanctus Sanctorum, fi gregem fubditum cogires, Chriftus paftor paftorum, fi fabricam cogites, Chriftus fundamentum fundamentorum. Vnde & idem Damafus Papa fcribens Epifcopis Aphricanis inquit, fcitis fratres chariffimi firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque titulum lucidiffimum fuorum Sacerdotum, ideft omnium Epifcoporum Apoftolicam Sedem effe conftitutam, & verticem Ecclefiarum, fuit enim, ficut diuinum veraciter pronunciat verbum, Simon Petrus, & fuper firmamentum eius Ecclefiæ columnæ, qui Epifcopi intelliguntur, vt in Clem. 1. de pœnit. confirmatæ funt, & ei claues regni cœlorum commiffæ, atque poteftas ligandi, & foluendi, quæ in cœlis funt, & quæ in terris promulgata. Ecce defcribitur primum, & fecundum firmamentum. Et fi accipimus petram pro Petro, tunc magis oftenditur maioritas Petri, & confequenter Papæ ad Concilium. Et ad prædicta adde, quæ dicuntur infra in refponfione ad 18. contrarium, & ad 20. & ad 21. in fin. & omninò vide omnia latiffimè infra in 15. motiuo, vbi alia multa dicuntur de ifta poteftate, & principalita-
126 te Papæ. Nonò quod Papa fit fupra Concilium, apparet, quia poteftas, quam habent Concilia faciendi conftitutiones, & decreta, eft data illis à Papa, vt in capitulo fignificafti de elect. capitulo benè quidem 86. dift. bona glof. in capitulo Domino fancto. 50. diftinctione, in verbo conciliorum. Et confirmatio canonum editorum à Pontificibus non ad Concilium, fed ad Papam fpectat, etiam fi in Concilio effent editi, vt in cap. qualiter, & quando el 2. de accufat. quod ideò eft quia fuperior confirmat, vt in cap. 1. & 2. de confir. vti. vel inuti. & in authen. de defen. ciuit. §. interim ponit Bald. in l. fin. C. de legibus. Et ad Papam fpectat interpretatio, & declaratio decretorum, & conftitutionum editarum in Concilio 17. dift. cap. nec licuit ibi glof. in cap. poft tranflationem de renunt. 23. quæft. 5. de liguribus. Ergo fequitur quod Papa, ad quem recurritur pro interpretatione, fit maior l. prima C. de legibus cap. cùm veniffent de iudic. Deci-
127 mò facit quod non dubium eft quin ftatus Ecclefiæ fuerit optimè difpofitus, & ordinatus, quia à Chrifto fundatus, & difpofitus, vt ponit S. Thom. 4. contra gen. capit. 76. & patet 1. ad Corinth. 3. & tranfumptiuè 1. qu. 1. cap. cùm Paulus. Optimum autem regimen multitudinis eft quod vnus præfit omnibus, vt inquit Arift. 3. politi. & 12. Metaphyf. & text. in l. 2. §. nouiffimè ff. de orig. iuris facit leg. fi plures §. apparet igitur ff. de adminift. tuto. text. in cap. in apibus 7. qu. 1. benè ponit Sanctus Thom. in 1. lib. de regi. princ. cap. 2. cum quatuor alijs fequen. & difputat & tenet Moder. Aret. per plures rationes in tit. de poteftate Pontificali char. 22. Vnde & Arift. 12. meta. concludens vnitatem creatoris, dicit, entia nolunt malè difponi, nec bona pluralitas principatuum, vnus ergo princeps, quod benè ponit Ioann. de Ligna in tract. de bello in 11. cap. Quapropter Ezechielis 34. Dominus loquens de Ecclefia per Prophetam dicit, fufcitabo fuper eos Paftorem vnum, & Ezech. 37. & Paftor vnus erit omnium eorum, & in veteri lege, quæ figura fuit nouæ, vnus fummus Sacerdos fuit inftitutus, cui cæteri homines parere deberent. Vnde Beatus Bernar. in lib. 3. de confid. ad Eugen. de ordine Ecclefiæ inquit, non vilem repures formam hanc, quia in terra eft, exemplar habet è cœlo; viderat hoc, qui dicebat, vidi fanctam ciuitatem Ierufalem nouam defcendentem de cœlo. Clarum autem eft Ecclefiam militantem deriuari, & effe exemplatam, & inftitutam ad formam cœleftis Hierarchiæ, fiue fubordinatam Ecclefiæ triumphanti, & cœlefti, vt patet per illud Apocal. 21. vidi fanctam ciuitatem Ierufalem nouam defcendentem de cœlo &c Sicut enim ibi funt Seraphim, & Cherubim, & cæteri ordines fub vno capite Deo, ita & hìc Patriarchæ, & Archiepifcopi, & reliqui fub vno Pontifice fummo, nec eft paruipendendum quod Deum habet Auctorem, & quod de cœlo duxit originem ad hoc glof. in Clem. ad noftrum de hæret. Vnde ad propofitum Albertus Magnus in lib. de miffa, dicit hæc adunatio fcilicet multorum per omnem ordinem graduum Ecclefiæ ad vnū caput, in cœlo refulget, in naturis oftenditur, in operibus exemplificatur, in diuinis legibus præcipitur, & in toto corpore myftico obferuatur in cælis enim Angeli ad Archangelos, Archangeli ad principatus, principatus ad poteftates, poteftates ad virtutes, virtutes ad dominationes, dominationes ad Thronos, Throni, ad Cherubim, & Cherubim ad Seraphim fecundùm obedientiæ, & illuminationis ordinem adunantur, & ipfa multitudo Angelorum, quæ in quolibet eft agmine, ad vnam perfonam,

quæ

quæ in quolibet ordine præeminet adunatur &c. Ad idem illud Exod. 25. inspice, & fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est. Inde Dionysius de Ecclesiast. Hierarch. cap. 5. dicit nostra enim Hierarchia à Deo traditis ordinibus sanctè disposita, sanctis, & cælestibus Hierarchijs conformis est, vt refert Cardin. de Turrecrem. in 2. lib. de Eccles. capit. 1. Vnde & Iob. 38. dicitur, numquid nosti ordinem cæli, & rationem eius pones in terra? vbi Gregorius dicit ordo quidem cæli in terra ponitur, hoc est in militante Ecclesia, cùm à triumphantis Ecclesiæ exemplari militans disponitur, & formatur. Et benè text. in cap. fin. 89. dist. In cęlesti autem Hierarchia vnus est præsidens, & maior cæteris, scilicet Deus, ergo & in ista mundiali, & terrena Hierarchia vnus est Præsidens caput, & maior omnibus, videlicet Papa. Et ita esse ponit extrauagans vnam sanctam, & ratio est, quia cum Ecclesia militans sit vnum corpus mysticum 3. qu. 4. Engeltrudam 23. qu. 3. pro membris, & qu. 4. cap. sicut excellentiam, & qu. 5. de liguribus, & cap. relegentes, & quia vna est Ecclesia, vna Sponsa, vna Mater, propter quod dicitur in symbolo, & vnam sanctam Ecclesiam, & canti. 6. & cap. loquitur 24. qu. 1. vna est columba mea perfecta mea, vnum debet habere caput, & isto modo arguit text. in d. extrauag. vnam sanctam, & glos. in cap. causam, quæ el. 2. qui filij sint legit. & glos. in cap. qui passus de consecrat. dist. 2. & glos. in d. Clem. ad nostrum, de hæret. Quæ hoc probat alia naturali ratione, sicut enim operationes rerum naturalium procedunt ex naturalibus potentijs, ita operationes humanę procedunt ex humana voluntate, oportuit autem in rebus naturalibus, vt superiora mouerent inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatę diuinitus, sic igitur oportet in rebus humanis quod superiores moueant inferiores per suam voluntatem ex vi auctoritatis diuinitùs ordinatę; allegat sanctum Thomam in secunda secundę, quæst. 104. art. 1. & hoc arguit etiam Cardin. de Turrecrem. in 2. lib. de Ecclesia capit. 48. & allegat Cyrillum in lib. Thesau. dicentem quod Romano Pontifici omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tamquam ipsi Domino Iesu Christo obediunt. Cùm igitur in cœlestibus vnus sit supremus, vt dictum est, consequenter vnus etiam est supremus in istis inferioribus, qui est Papa, cui omnes de necessitate salutis tenentur obedire tamquam capiti, & supremo, vt dicit dicta extrauagans, & dicta glos. super quo vide Alexand. dist. 93. in sum. & quod dictum est supra in 5. motiuo. Vndè consequenter Concilium tamquam membrum istius corporis mystici, inferius, & minus est ipso capite hoc est Papa, & istud motiuum conuenit cum septimo supra posito.

128 Vndecimò pro ista parte est tex. in c. nunc autē 21. dist. vbi est tex. quod etiam in casu hæresis Concil. non habet facultatē condemnandi Papā, & si causa Papæ deducitur examinanda in Conc. hoc fit de eius volunt. vt in §. hinc etiam dist. 17. & si etiam Papa reperiatur culpabilis, tamen non potest condemnari à Concilio, quia prima sedes non iudicabitur à quoquàm, sed ei dicitur tuo ore iudica causam tuam, vt in dicto capit. nunc autem, & glos. 2. qu. 4. mandastis, & qu. 7. sicut inquit, & tamen Papa benè iudicat de Concilio, vt patet in capit. placuit, 36. qu. 2. iuncto cap. tria eadem causa, & qu. & glos. in cap. de libellis dist. 20. sicut patet de Concilio Ariminensi damnato per Damasum Papam, vt in capitulo sancta Romana Ecclesia in §. in primis 15. dist. & de pluribus alijs, quæ ponuntur per Cardinalem de Turrecrem. in 3. libro de Ecclesia, capitulo 58. & in capitulo 62. per totum. Immò gesta Conciliorum ad hoc vt subsistant debent per Papam confirmari, vt in capitulo benè quidem, 96. dist. & in capitulo, placuit 16. dist. & ponit latè idem Cardinal. in cap. 34. eodem libro 3. Vndè sequitur necessariò, quod Papa sit maior Concilio.

129 Duodecimò, Ecclesiæ, principatus est Monarchicus, siue regalis, vndè Ecclesia regnum Cœlorum dicitur, & Lucæ, 1. dicitur, & regni eius non erit finis. Et Isa. 9. dicitur paruulus datus est nobis, &c. deindè sequitur sedebit super solium Dauid, & regnum eius, idest Ecclesiam, & secundùm gloss. Vndè legitur Christum dixisse Petro. Simon Petre antequam de naui vocarem te, noui te, & super plebem meam Principem te constitui, ad quod text. in capitulo cùm beatissimus 24. qu. 1. & text. in cap. Petrus 2. qu. 7. ibi Petrus potestatem regni acceperat. Vndè patet, quod Papa potest dici etiam habere regnum, probat, illud Hieremiæ 1. ecce constitui te hodie super gentes, & regna, &c. quod ad istud propositum inducit Archiepiscopus Florentinus in 3. parte tit. 23. cap 4. §. 5. Hoc autem optimum genus politiæ regitur per vnum, vt dicit Aristot. 3. politicorum. Ergò Ecclesiæ principatus sic institutus est, vt vnus in eo superior potestate præsideat. Tunc sic, ille principatus videtur omnibus alijs præstantior, & nobilior quo inter subditos charitas, & pax, ac concordia nutritur, fouetur, & conseruatur, hæc enim quisque princeps tenetur nutrire, & conseruare in subditis. Vndè Cassiod. in Epistolis dicit, decet regalis apicis curam gerentem, gentem sibi commissam custodire concordem, nihil enim est, quod sic principem prædicet, sicut quietus populus, & concors senatus, totaque respublica morum honestate vestita. Ideò Christus Princeps pacis super cuius humerum factus est principatus, ascensurus in cœlum, inquit Ioannis 14. pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis, & iterùm Ioannis terriodecimo mandatum nouum do vobis, vt diligatis vos inuicem, sicut dilexi vos, &c. Cùm ergo nullus status reperiatur magis in charitate fundatus, quàm Pontificalis, capitulo sciscitaris, 7. quæstione 1. ad quod illud Ioannis decimo bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis, item cùm hoc congruentiùs fiat, cùm principatus est penes vnum; quàm si sit apud plures sequitur ex condecenti, quòd

iste

iste status, siuè principatus Ecclesiæ Monarchicus siuè regalis, qui est penes Papam sit superior quocumque statu Aristocratico, vel politico, & consequenter, quod Papa
130 sit maior Concilio. Tertiodecimò omnis pastor authoritate regiminis, & potestate iurisdictionis, est superior ipso grege cuius est pastor, 2. quæst. 7. in sancta cap. Petrus, & cap. oues. Sed Romanus Pontifex est pastor vniuersalis Ecclesiæ, iuxtà illud, & super plebem meam principem te constitui. & est text. in cap. fidelior, 50. dist. & Beda super illud tu vocaberis Cephas, inquit, intuitus autem Petrum Christus vidit cordis eius simplicitatem, & animi sublimitatem, cuius merito cunctæ præferendus esset Ecclesiæ. Item August. in quæstionibus veteris, & noui testamenti, inquit Saluator cùm per se, & Petro dari iubet didrachma, pro omnibus soluisse videtur, quia sicut in saluatore erant omnes causæ magisterij, ita, & post Saluatorem in Petro omnes continentur, ipsum enim constituit caput eorum, vt pastor esset gregis dominici. Pro hoc est text. in capit. pro humani de homi. in 6. vndè text. 21 dist. in sum. in fin. dicit, quod Christus elegit Petrum in summum sacerdotem. Et gloss. super illud Matth. 16. & quodcumque ligaueris, & c. dicit, specialiter potestatem ligandi, & soluendi Christus Petro concessit, vt ad vnitatem nos inuitaret, ideò enim eum principem Apostolorum constituit, vt Ecclesia vnum principalem Christi haberet Vicarium, ad quem diuersa membra Ecclesiæ recurrerent si fortè inter se dissentirent, quod si diuersa capita essent in Ecclesia, vnitatis vincula rumperentur. Et ad hoc, quod Petrus fuerit caput, & pastor vniuersalis Ecclesiæ, & non solùm singularium, est text. in cap. rogamus, 24. quæst. 1. & in cap. considerandum, 50. dist. & alia multa iura supra in 5. motiuo adducta, & 6. 7. & 8. in quibus agitur de primatu Petri, & Romanæ Ecclesiæ, & in sequenti. Et in hoc fuit inter cætera damnata hæresis Ioannis Huss. in Concilio Constantien. qui dicebat, quod Petrus non fuerit caput sanctæ Ecclesiæ Catholicæ idest vniuersalis. Nunc ad propositum redeundo, si Romanus Pontifex est pastor vniuersalis Ecclesiæ, sicut, & Petrus, quia quod de Petro dicitur, intelligitur dici, & de Roman. Pontificibus eius successoribus, vt in cap. solitæ de maior. & obed. in dict. cap. 1. de homi. in 6. & cap. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. sequitur, quod authoritate, & superioritate, & potestate iurisdictionis sit maior vniuersali Ecclesia, & consequenter ipso Concilio. Quod autem Papa, sit pastor vniuersalis Ecclesiæ, satis supra pluries ostensum est per illud Ioann. vlt. & dict. cap. solitæ. Vndè Ecclesia orando dicit. Deus omnium fidelium pastor, & rector famulum tuum Iulium, quem pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, &c. & in consecratione Romani Pontificis dicit, tribue ei domine cathedram Pontificalem ad regendam Ecclesiam tuam, & plebem tuæ fortis intra mundi limites, vniuersam.
131 Quartodecimò Romanus Pontifex habet supremam potestatem, & principatum in Ecclesia, hoc probat text. in cap. cùm beatissimus 24. quæst. 1. text. in cap. nolite 11. distin. & Ber. in epistola 1. ad Eugenium, locus, in quo stas terra sancta est, locus Petri est, locus principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius, locus illius est, quem constituit Deus dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Ad hoc facit text. in capitulo beati Petrus, secunda quæstione septima, & text. in capitulo fundamenta. de elect. in sexto, vt supra dictum est. Similiter ad idem est, quod Romanus Pontifex in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, capitulo proposuit, de concessione præbend. clement. 1. vt lite pendente clem. pastoralis circa finem de re iudi. cap. ad honorem, de authoritate, & vsu pallij. Ad idem quoque est, quod Romanus Pontifex est generalis Christi Vicarius in tota vniuersali Ecclesia, vt in capitulo fin. de translatione Prælatorum, & cap. ad Apostolicæ cum sim. de re iu. d. in sexto, & supra dictum est. Ad idem rursus est, quod Romanus Pontifex est generalis Prælatus prælationem in vniuersali Ecclesia habens, vndè dicit Chrysostomus super Matthæum, filius, quæ patris est, & ipsius filij potestatem Petro vniuersaliter concessit vbique terrarum, homini, & mortali omnium, quod in cœlo sunt dedit authoritatem, ad quod tex. in capitulo considerandum quinquagesima distinctione cum similibus. Ad quod facit illud Hieremiæ primo, ecce constitui te, ait dominus super gentes, & regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, scilicet, quo ad vitia, & ædifices, & plantes quo ad virtutes, & capitulo solitæ de maioritate, & obedientia, & extrauagans, quæ incipit, super gentes, & regna. Sed nullus prælatus est super regna, nisi Papa, vt supra proximo motiuo, igitur ipse solus est super omnia, quod etiam ponit Sanctus Thomas in opusculo contra errores Græcorum capitulo sexagesimoquinto vsque ad sexagesimumnonum. Ex quibus sequitur, quod Papa sit superior ipsa vniuersali Ecclesia. Vndè Sanctus Thomas in dicto opusculo contra errores Grecorum capitulo 65. dicit similis est error dicentium Christi Vicarium Romanæ Ecclesiæ Pontificem non habere vniuersalis Ecclesiæ primatum, errori dicentium Spiritum sanctum à filio non procedere, ipse enim Christus Dei filius Ecclesiam suã consecrat, & sibi consignat Spiritu sancto quasi suo charactere, & sigillo, & similiter Christi Vicarius suo primatu, & prouidentia vniuersalem Ecclesiam tamquàm fidelis minister Christo subiectam seruat. Ad idem extrauagans Bonifacij incipit vnam sanctam, & glossa in clemen. ad nostrum de hæreticis. Et per istum modum argumentandi, plura his similia adduci possent, nam stabilitas, & firmitas Ecclesiæ non Concilio, sed Petro, & successoribus conseruanda, & augenda demandata est, vt in cap. 1. de homi. in sexto, & in cap. ita dominus decimanona distinctione, & in dicto cap. fundamenta, & in cap. fidelior cum similibus quinquagesima distinctione. Vndè

dè Gregorius in 4. lib. regis. cap. 76. dicit, cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippè dicitur, Petre amas me, pasce oues meas, ipsi dicitur ecce Satanas expetit cribrare vos, sicut triticum, & ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, ipsi dicitur tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Et infrà ecce claues regni cœlestis accepit, potestas ei ligandi, & soluendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur, &c. Et est epistola ad Mauritium Augustum. Et ipse dicitur summus Pontifex vigesimaprima distinctione, §. 1. clementina si summus de sententia excommunicationis. Item ista maioritas Papæ ad Concilium confirmatur, quia semper in ordine sermonis, & scripturæ Papa præfertur Concilio, vt de consecra. distinct. 2. in quibus, in suprascriptione, & in epistola Athanasij ad Marcum Papam, & in epistola Stephani Archiepiscopi ad Damasum Papam, & in epistola Aurelij Carthaginen. Episcopi ad Innocentium Papam, de consecra. distin. 2. ego Berengarius, probat tex. in cap. cùm haberet de eo, qui duxit in Matri. quam polluit per adulterium, vndecima quæstione tertia, capitulo Theugnaldum. Quandoque tamen Papa ex humilitate se postponit. 12. quæstione prima dilectissimi 77. distinctione capitulo victor. 16. quæstio prima capit. de
132 decimis. Quintodecimò multa possent adduci ad ostendendum maioritatem Papæ ad Concilium ex multis Papæ specialiter reseruatis, quæ non potest Concilium de per se sine Papa, vt possunt inspici multa notata per Hostien. in summa in tit. de offic. lega. in §. quid pertinet. & multa insuper excerpta ex operibus Sancti Thomæ, per Archiepiscopum Florentinum in tertia parte summæ titulo vigesimotertio capit. sexto circa finem, vbi posteà etiam ponit casus reseruatos Papæ. Item, & alia plura excerpta per Fratrem Ioannem de Turrecremata posteà Cardinalem sanctæ Mariæ in Transtyberi ex eodem Sancto Thoma. Et multa etiam collecta per eumdem Archiepiscopum in dicto cap. sexto, vbi inter cætera ponit Papam maiorem Angelo in iurisdictione, in Sacramentorum administratione, & aliquo modo in cognitione, & in præmio. Et circitèr sexaginta casus ponit Card. de Turrecremata in cap. huic sedi. 17. dist. quos conclusit in 27. versibus, & idem etiam ponit August. de Ancon. in tract. de po. Pa. quæst. 18. per to. Item dicimus Papam maiorem Apostolo, vt in cap. sunt quidam, 25. qu. 1. gloss. in cap. proposuit de concess. præben. dicit decisio. 426. quæ est in tit. de biga. & Mitis in verbo Papa, est maior Apostolo. Item est maior. sanctis 22. dist. de libellis. Item de multis reseruatis Papæ per Bald. in l. rescripta. C. de preci. Impera. offe. per Ioannem Ant. in cap. 2. de immun. Eccles. & de iudi. cap. cum venissent. Item de aliquibus per Sanctum Thomam in opusc. contra errores Græcorum cap. 65. cùm sex sequentibus, & Doct. in cap. quod translationem de offic. leg. & in cap. sicut vnire de exces. Præla. in cap. literas, de rest. spoliat. in c. cùm ad Monast. de stat. mona. & in c. de illo dist. 32. vbi ponitur, quod dispensat contra votum continentiæ solemne ordinis, vel professionis religionis de quo vide ibi latè Domin. Alexand. & Cardin. de Turrecrem. latiùs. Et de multis alijs etiam in cap. proposuit, de concef. præbend. per Specul. in tit. de dispensat. §. nunc breuiter, & 25. quæst. 1. cap. sunt quidam, & ad saturitatem vide per tres column. Andream Barbatium in capitulo fin. de constitut. Habet enim cœleste arbitrium l. 2. Cod. de summa Trinitate. Et quicquid facit præsumitur facere vt Deus, dicit Bald. in cap. final. de noua for. fidelitat. Vnde Innoc. in cap. 1. de constit. dicit quod conditori canonis, & Vicario Creatoris subdita est omnis creatura, & est columen Episcoporum, & cęterorum, quos intellectus potest imaginari, dicit Bald. in proœ. decretal. Ad quod adde, quæ dicta sunt supra in 6. motiuo pro ista parte, & in artic. verùm Concilium possit exercere reseruata Papæ, per quæ ostenditur maioritas Papæ. Item plura per August. de Ancon. in dicto tract. de potestate Papæ quæst. 1. decimaoctaua, decimanona, & vigesimatertia, & à 35. vsque ad 47. & 48. vsque ad 64. Multa etiam ponuntur per Aluarotum in cap. 1. Episcopum, vel Abbatem in vsibus feudorum, & alia in summa Baptistina in verbo Papa, & plura in summa Astesana in titul. de Papatu plura etiam per Albericum de Rosate in dictionario in verbo Papa. Et multa dicta sunt in quæstione verùm Papa possit se absoluere à voto, & iuramento præstito in conclaui in octauo motiuo pro Papa. Et in tantùm extenditur eius potestas, quod voluit glos. in cap. de illo distinct. 32. quod ex plenitudine potestatis quam habet possit in omnibus dispensare exceptis articulis fidei. Et vide plures casus collectos in verbo Papa in repertorio Cardinalis sancti Xisti ad lecturam decreti, ex quibus arguitur maioritas, & præstantia Papæ supra Concilium. Plura alia motiua induci possent pro Papa, sed quia istam partem sequor, non curo eam pluribus rationibus corroborare, immò de ista maioritate Papæ ad Concil. dubitasse videtur fuisse superstitiosum, cum nullibi legatur, quod meminerim, in veteri lege inferiores Sacerdotes, Leuitas exercuisse aliquam iurisdictionem in summos Sacerdotes, & absonum videtur quod supremus, & Summus Pontifex dicatur subesse inferioribus sacerdotibus, siue Episcopis, sic enim solo nudo nomine esset summus Pontifex, & insulsa videtur dubitatio, an Concilium sit maius Papa simpliciter loquendo, quia sic implicaretur contradictio, quod summus Pontifex non sit summus, & congruentiùs quæreretur, an aliquo casu Concilium possit iudicare de Papa. Vnde videtur quæstio relinquenda

quenda nimiùm curiosis, & nouitates affectantibus. Qualis autem debeat esse Pa-
133 pa vide apud Archiepiscopum Florentinum in tertia parte summæ in titulo 23. in principio, vbi refert omnia scripta Bernardi ad Eugenium cum tribus §. sequentibus. Et de amplitudine potestatis eiusdem vide per totum illum titulum 23. vbi in fine ponit 50. in casus in quibus solus Papa dispensat. Istam partem, quod Papa sit maior Concilio, tenet d. Archiepiscop. Florent. in tertia parte summæ titulo vigesimotertio capitulo sexto, & Cardin. de Turrecremata in secundo libro de Ecclesi. cap.80. Istam etiam tenet Petrus de Monte in sua Monarch. in penult. quæstione, incipit his expeditis. Istam etiam examinat & tenet Barbatius in Clementina, ne Romani de electione, vbi multa pro corroboratione ponit, & Alexand. in summa, decimaquinta distinctione in septima Char. vbi ponit trigintaduo motiua pro Papa. Idem Milis in verbo Papa est maior. Istam etiam tenet glossa in verbo inferiorem in Clementina ne Romani de electione. Istam quoque tenet Ioannes Andr. in capit. 11. qui de præbend. in sexto, vbi dicit Papam non ligari Concilijs. Idem etiam tenet gloss. in verb. Concilio in cap. vbi periculum de elect. in 6. Idem glossa in capitulo sicut, quintadecima distinctione. Et idem latè examinat Alexand. ibi in summa decimaquinta distinctione, & tenet, & concludit Papam esse superiorem Concilio, & idem tenet Domin. in dicto capitulo sicut, præterquam in ijs, quæ concernunt fidem, & salutem, & generalem statum Ecclesiæ, quia ex quo potest accusari in Concilio, vt in cap. si Papa, tunc non erit maior, secus in ijs, quæ concernunt punitionem criminum, & reformationem, siue correctionem morum, quia in his Papa est maior Concilio. Et idem ibi Archid. in princip. Idem quod Papa sit maior Concilio, ponit Anton. de Butrio in capitulo fraternitatis in primo notabili de hæret. Idem etiam tenet Domin. consil. quadragesimo quarto incipit Dominus noster Papa Martinus. Idem Card. de Turrecremata in dicto capitulo sicut distinct. 15. Idem etiam tenet Franciscus de Aretio in capitulo qualiter, & quando, in tertio notabili, de accusat. Et idem tenent communiter omnes Doctores post Hostien in capitulo proposuit, de concess. præbend. dum dicunt, quod etiam si totus clerus, populus, Imperator, & totus mundus essent simul, nihil possent contra Papam, præterquam in causa fidei. Et idem omnes post Arch. in capitulo in fidei de hæret. in 6. Et in hanc sententiam inclinat Moder. Aretin. qui latè hanc materiam examinat à char. 65. vsque ad 72. & omnes, qui tenent, quod sententia Papæ præfertur sententiæ, totius Concilij inclinant in hanc sententiam, quos refero supra in proprio articulo.

Idem virtualiter tenet Abbas Siculus in capitulo significasti de Ecclesia præterquam in certis casibus, & istam Abbas tenuit Magister eius ante ipsum Cardin. Florent. in dicto capitulo significasti, cum refert vtra sententia prævaleat, Papæ an Concilij. Vbi excipit hæresim, & quando decoloraretur status vniuersalis Ecclesiæ. Sed idem Cardin. in dicto cap. licèt in sua repetitione videtur velle, quod si consideratur persona Papæ tantùm, & non Sedes Apostolica, maius sit Concilium quàm Papa. Vnde ipse dicit, quod aliud est Papa, aliud Sedes Apostolica capitulo si gratiosè de rescript. nam Sedes Apostolica errare non potest, vigesimaquarta quæstione prima quodcumque, in gloss. & cap. à recta, sed Papa sic 19. distinct. cap. Anastasius, & gloss. in dicto capitulo à recta vigesimaquarta quæstione prima. Et ad illum text. in capitulo significasti de elect. vbi dicitur, quod Romana Ecclesia dat robur Concilijs, respondet, quod intelligitur de Ecclesia Romana propriè, & non de Papa, sicut cum distinguit inter Sedem Apostolicam, & Papam, dicit Sedem Apostolicam accipiendam pro Romana Ecclesia, quæ est Papa cum Cardinalibus, & non solus Papa, quia Ecclesia Romana constituitur ex Papa, qui est caput, & Cardinalibus, qui sunt membra, argumento sexta, quæstione prima, capitulo si quis, de penis, capitulo fœlicis in sexto, & maximè in versiculo quis enim. Et quod Cardinales sint pars corporis Papæ allegat Laudensem in Clementina finali de celebratione missarum, & ibi per eum & gloss. fin. in capitulo penultimo de officio legati in sexto. Et subiungit quod illud, quod dicitur, quod Papa habet plenitudinem potestatis, non debet intelligi, quod solus possit omnia, sed intelligitur de Papa, hoc est Ecclesia Romana quæ repræsentatur in Papa, tamquam in capite, & in Cardinalibus tamquam in membris. Et idem replicat in sequenti quæsito quod illud, quod dicitur, quod Papa habet plenitudinem potestatis, debet intelligi, non solus, sed tamquam caput vniuersitatis, ita quod ipsa potestas est in ipsa vniuersitate tamquam in fundamento, & in ipso Papa tamquam ministro, per quem hæc potestas explicatur, ita tamen quod præcedat clauis discretionis allegat Innocentium in capitulo quod super, de voto Et sic Cardin. videtur velle simpliciter, quod Concilium in omnibus sit supra Papam, cum vult, quod fundamentum potestatis sit in vniuersæ Ecclesiæ, & non principaliùs in Papa. Dicit etiam vnum aliud vbi supra, quod illud, quod dicitur Sedē Apostolicam non posse errare, intelligitur de Sede Apostolica accepta pro tota Ecclesia, id est congregatione fidelium, vt in dicto capit. à recta, & sic etiam dicit, quod in casu fidei Papa subijcitur Concilio, decimanona distinctione cap. Anastasius in glossa vltima, & dicto cap. sancti in glossa vltima.

134 Istam tamen opinionem, quod Papa sit maior Concilio, præterquam in casu fidei tenent Ioann. Andr. Domin. Anton. & Ioann. de Imol. in dicto capitulo significasti. Et ista videtur esse communis opinio Doctorum ibi, & etiam in dicto capitulo fidei, & in dicto capitulo proposuit, &

& distinctione 40. capitulo si Papa. Et istam tenet S. Thomas in quarta sententia distinctione 19. & in quarto libro contra gent. capitulo 76. & in tract. contra errores Græcor. in vltimis capitulis. Idem Alexand. de Ales in 3. sentent. & Aluarus de planct. Ecclesiæ in 1. par. & plures glos. idem tenentes. Quam etiam opinionem tenet Gundisal. in tractat. de hæreticis in quæstione 7. cum tractat, ad quem spectat iudicare de hæresi. Hoc etiam videtur velle Athanasius cum alijs Episcopis Ægyptiorum, Thebaidorum, & Libyorum in sancta Alexandrina Synodo congregatis, qui scribentes Fœlici Papæ inquiunt, tu profanarum hæresum, & impetitorum, atque omnium infestantium depositor, vt Princeps, & Doctor, caputque omnium orthodoxæ doctrinæ, & Immaculatæ fidei existis. Sed illa epistola posset etiam induci pro opinione Cardin. quia illa semper loquitur de Sede Apostolica, & de Papa tamquam primo Præsule, vbi inter alia dicitur; scimus enim vt semper vestræ Sedis Præsules primò Apostoli, deinde successores eorum fecerunt vos vniuersalis Ecclesiæ & maximè Episcoporum, qui oculi propter contemplationem, & speculationem vocantur Domini curam gerere, ac de reuelatione, & lege nostra assiduè cogitare debere. Et sic sæpiùs replicant recurrendum esse ad Sedem Apostolicam tamquam matrem, iuxta statuta Nicæni Concilij, & cætera. Et ibi loquentes de Sede Apostolica dicunt. Ipsa enim firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit, ipsa est enim sacer vertex, in quo omnes vertuntur & sustentantur, & releuantur. Et subiungunt, tu es, sicut diuinum veraciter testatur eloquium, Petrus & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & proprijs humeris portare debent, tibi sunt confirmatæ, tibique claues Regni Cœlorum commisit, &c.

SVMMARIVM.

135 *Potestas Clauium Ecclesiæ vniuersali, quæ & qualis data fuerit.*
Quidam duas num. 136.
Vna examinandi, & definiendi, alia audiendi, & soluendi, num. 137.
Item vna, quæ se extendit ad ipsum Cœlum. Alia, quæ non se extendit ad ipsum Cœlum, sed mediante militante Ecclesia, num. 138.
139 *Petrus, & Paulus ambo claues acceperunt vnus scientiæ, alius potentiæ.*
140 *Tibi dabo claues, quid intelligatur pro istis clauibus, secundùm Nicolaum de Lira.*
Opin. Auct. num. 141. & seqq.
Et an Concilium habeat clauem ordinis, & potestatem ligandi, & soluendi in foro conscientiæ, ibid.
Gerson. opin. num. 134. & comprobatur, num. 145.
144 *Esse in aliquo aliquid dicitur tripliciter.*
146 *Potestas clauium quomodo sit in Ecclesia Auct. opin.*
Et solutio ad contraria, num. 147.
148 *Verborum dic Ecclesiæ quomodo intelligent.*
Et per illa verba non videntur datæ claues Ecclesiæ vniuersali, siue Concilio in Papam, num. 145.
149 *Potestatis plenitudinem esse in Ecclesia principaliter, & exercitium in Papa, an sit verum, & concludit, quod non.*
Et confirmat opin. Hieronymi, num. 150.
Et alteriùs 151. & 163.
152 *Ecclesia non potest capi pro Concilio, & num. seqq.*
155 *Potestas clauium ordinis quomodo sit data Ecclesiæ.*
Et quid de potestate clauium fori iurisdictionis inferioris.
Et quid in potestate fori exterioris, n. 156. & 157.
158 *Potestas siue iurisdictio fori exterioris an fuerit data Apostolis immediatè à Christo, quod non, num. 161.*
159 *Claues vniuersali Ecclesiæ fuisse datas habet triplicem intellectum,*
Et respondet ad contraria, numero 160. & 161. & 164. 165. & 166.
167 *Pauli excommunicatio in Corinthium quomodo intelligenda.*
Et Io: in Diotresum, num. 179.
168 *Concilium nullo casu supra Papam.*
169 *Dic Ecclesię, circa istam auctoritatem duæ declarantur difficultates.*
Solutio earum, num. 170.
Et in quo casu loquatur ista auctoritas, num. 171. & 176.
Et circa istam auct. num. 186. remiss.
182 *Verba quæcumque alligaueritis, declarantur, & num. 173.*
Ex mente Durandi, & opin. Robertiolkot, num. 174.
Et intellectus Auctoris, num. 175. & 176.
Et an per ista verba, Dominus intellexerit solùm de dimittendis peccatis, num. 177.
180 *Denunciatio Euangelica habet plures partes.*
Et primæ parti subijcitur etiam Papa, alijs verò non, num. 181.
Licèt secundùm alios intellectus etiam in Papa possint habere locum, num. 182.
183 *Denunciatio Euangelica, quomodo habeat locum, quando aliquis peccat in Papam.*
184 *Papa an in denunciatione teneatur præmittere admonitionem.*
Et respondet ad contrarium, num. 185.

135 QVid dicendum in hac difficultate? Primò videtur inuestigandum, vtrùm Ecclesiæ vniuersali fuerit data aliqua potestas clauium, & quæ, & qualis. Pro quo primò præsupponendum est vltra dicta in octauo motiuo, supra quod aliqui voluerunt vnam tantùm esse clauem in Ecclesia, scilicet potestatis, ad cuius iustum exercitium necessaria est scientia, & ideo dicuntur duæ propter duos effectus, vt vult gloss. 20. dist. in sum. habet enim effectum ligandi, & soluendi, pro quo facit text. in cap. tanta, qui loquitur in singulari, de excess. Prælat. De hoc vide, quod latè ponit Albericus in dictionario in verbo claues

ues, & Doctor. in cap. 1. in §. vna, de summa Trinit. & Domin. distin. 20. in summ. Petrus de Anchar. in regula peccatum, in 6. per Hostien. in summa, de pœnitent. & remiss. super rubr. de remiss. §. 1. Baldus in leg. fin. in fine, C. si à non compet. Iudic. Abb. in cap. licèt, de elect. & sanct. Thom. in 4. sentent. dist. 18. qu. 1. & alij Theologi, maximè per Richardum, qui ponit 30. quæstiones in materia. Et 18. in dicta distinctione ibi multa dicunt de claue, & in primis, quod sit potestas ligandi, & & soluendi, qua Iudex Ecclesiasticus dignos recipere, & indignos excludere debet à Regno, de qua definitione habes in extrauaganti, Ioan. 22. incipit, quia quorumdam. Et istam extrauagantem vide expositam per Archiepiscop. Florent. in par. 4. summæ in tit. 12. cap. 1. §. 3. 4. & 5. vbi vide, an vna, vel plures dicantur claues, & ibi verùm dicatur esse clauis scientiæ.

136 Alij dicunt esse duas, quod probat textus in dicto §. vna, & textus in capitulo tua, de pœnitent. & remiss. vnam ponunt fori iudicialis, & contentiosi, alteram fori pœnitentialis voluntarij, vide Anton. de Butr. Card. Florent. in dicto §. vna, Abbas in dicto cap. licèt, de elect. in princ. dicit, duas esse claues, & per vnam significari potestatem, per aliam discretionem, siue scientiam, & quod vna sine reliqua parùm valet, allegat quæ ponuntur, 20. dist. §. 1. cum capit. sequent. Raynerius dicit, duas esse claues, quantum ad effectum, & relationem, sed vnam in radice, quæ est potestas, siue iurisdictio effectus clauis est soluere, & ligare, claudere, & aperire ad instar clauis materialis. Et quod alicubi inuenitur scientia coniuncta potestati, non est, quia scientia sit clauis, sed quia necessaria est potestatem habenti scientia, sicut lucerna in tenebris ambulanti, vna igitur est in radice, & duæ in effectibus. Et Hostien. in titulo de remissionib. §. 1. dicit, duas esse claues, vnam quo ad potestatem spiritualium aliam quo ad potestatem temporalium, vel vnam fori contentiosi, aliam voluntarij pœnitentialis, & sic vnam ordi-

137 nis, alteram iurisdictionis. Vnde dicit, vna est examinandi, & definiendi in iudicio dubia, & per censuram ecclesiasticam coercendi, cuius exercitium committit Ecclesia iudicibus suis, quamuis non sint Sacerdotes, vt in cap. transmissam, de electìon. & de ætat. & qualit. à multis, alia audiendi, & soluendi, & coercendi peccatores, & reconciliandi sine iudicij strepitu, & hanc non habet, nisi sacerdos, qui sit proprius, vt in cap. omnis, de pœniten. & remiss. Et hoc in effectu dicit S. Thom. in quarto senten. distinct. 19. quæst. 1. artic. 1. quæstiun. 3. vbi dicit, quod duplex est clauis,

138 vna, quæ se extendit ad ipsum cœlum immediatè, remouendo impedimenta introitus in cœlum per dimissionem peccati, & hæc vocatur clauis ordinis, & hanc soli Sacerdotes habent, quia ipsi soli ordinatur populo in ijs, quæ directa sunt ad Deum. Alia clauis est, quæ non directè se extendit ad ipsum cœlum, sed mediante militante Ecclesia, per quam aliquis in cœlum vadit, dum per eam aliquis excluditur, vel admittitur ad consortiū Ecclesiæ militantis per excommunicationem, & absolutionem, & hæc vocatur clauis absolutionis in foro causarum, & ideò hanc etiam non Sacerdotes habere possunt, sicut Archidiaconi, & Clerici, & alij, qui excommunicare possunt, sed non propriè dicitur clauis cœli, sed quædam dispositio ad ipsam. Et idem Sanctus ead. distinct. 19. quæstione 1. art. 3. quæstiun. 1. ad primum argumen. dicit, quod ad absolutionem à peccato requiritur duplex potestas, scilicet potestas ordinis, & potestas iurisdictionis, & prima quidem est æqualiter in omnibus Sacerdotibus, data Ioan. 20. non autem secunda, hæc enim modo quodam singulari fuit Petro collata, potestas autem ordinis se extendit ad omnes absoluendos, ita tamen qod vsus illius potestatis esse debet præsupposita potestate Petro collata secundùm il-

139 lius ordinationem. Aug. in sermone 3. Apostolorum Petri, & Pauli dicit. Petro sicut bono dispensatori clauem regni cœlestis dedit Dominus, Paulo tamquam, idoneo Doctori gentium magisterium Ecclesiasticæ institutionis iniunxit, scilicet vt quos iste erudierit ad fidem, ille suscipiat ad salutem, vt quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cælorum, clauem enim quodammodo à Christo scientiæ, & Paulus accepit, clauis enim dicenda est, qua ad fidem pectorum dura reserantur, mentium secreta panduntur, & quicquid intrinsecus tenetur clauium in palàm rationabili manifestatione producitur, clauis inquam est quæ, & conscentiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterij salutaris includit. Ambo igitur claues à Domino perceperunt, scientiæ iste, ille potentiæ, diuitias immortales ille dispensat, scientiæ thesauros iste largitur, sunt enim thesauri scientiæ, sicut scriptum est, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, &c. Ecce quod Augustinus duas designat claues alteram scientiæ, alteram potentiæ. Vide de materia latè Doctor. in cap. 1. §. 1. de Summa Trinit. & in dicto cap. noua, de pœnitent. & remission. & cap. tanta, de excess. Prælatorum, & Hostiens. in summa in titulo de remiss. §. 1.

140 Nicolaus de Lira super illud Matth. 16. & tibi dabo claues, &c. dicit, quod istæ claues sunt, potestas spiritualis duplex, vna est potestas discernendi peccatum à non peccato, sicut in veteri Lege Sacerdotes iudicabant inter lepram, & lepram, cap. per venerabilem qui filij sint legit. Et quamuis homo non possit hoc benè iudicare sine scientia, tamen scientia propriè non dicitur clauis, sed potestas iudicandi per scientiam præhabitam, & ideò licèt scientia non sit clauis, tamen exigitur ad debitum vsum huius clauis. Alia clauis est potestas admittendi ad regnum Cœlorum, vel excludendi secundùm verum iudicium præhabitum, quia debent indigni excludi, & digni recipi. Et hoc, quod sint duæ claues, & non vna tantùm, videtur

tur probabilius,cùm textus Euangelij Matthæi decimosexto dicat, & tibi dabo claues, & non dicit clauem in singulari,
141 Nunc ad propositum, siue sint plures claues, siue vna tantùm, videndum est vtrùm ista potestas clauium data sit Ecclesiæ, quo cognito, poterit discerni meliùs, qualis, & quanta sit Papæ per se,& Ecclesiæ,siue Concilij per se auctoritas, & consequenter vter iudicandus sit maior, Papa an Concilium. Et præsuppono vnum, quod dicit Sanctus Thomas in 4. senten. dist. 19. qu. 1. art. 1. qu. 3. ad 3. argum. quod Collegium potest habere clauem iurisdictionis, non autem ordinis. Ex quo sequitur, quod Concilium non habet clauem ordinis, nec potestatem ligandi, & soluendi in foro pœnitentiæ, quia Concilium est vniuersale Collegium repræsentans omnes de Ecclesia vniuersali, vt dicitur in cap. significasti, de elect. Item præsuppono, quod de offic. ordin. dicunt Doct. in capit. irrefragabili in §. excessus, quod penès capitulum potest esse cura fori contentiosi, & iurisdictionalis. Quinimmò Doct. post Innocen. in capit. cum non ignores, de præben. volunt quod penes capitulum possit esse non solùm cura iurisdictionalis,sed etiam cura fori pœnitentialis, & cura animarum Ecclesiæ parochialis,non tamen sic quod omnes de capitulo censeantur curati, siue intitulati in Ecclesia, sed habere exercitium curæ, quia esset monstruosum plures habere vnam Ecclesiam, vt dicunt ibi Doct. allegant. cap. quoniam, de offic. ordin. 21. qu. 2. cap. sicut, quæ cura etiam poterit per singulos de Collegio habiles exerceri,& vni committi,de quo etiam per Oldrad. consil. 67. Quod videtur contra dictum sancti Thomas, nec ad esse Collegij esset necessarium caput, vt ibi dicitur, de quo vltimo in capit. dilecta, de excess. prælat. quia vt dicit ibi Innocen. etiam si nullus esset prælatus in Ecclesia, & essent plures sacerdotes habentes curã, tamquam Collegium,tunc Collegium censeretur prelatus illius Ecclesiæ, & per Collegium possent corrigi excessus singulorum, vt in dict. §. excessus. Et sic non est contra dictum sancti Thomæ, qui loquitur de exercitio ordinis collegialiter exercendi, hoc autem est impossibile, quod vnum Collegium collegialiter ministret Sacramenta Ecclesiæ, quia vnum Collegium non audit vnum in confessione, cap. omnis, de pæniten. & remiss. nec Collegium collegialiter conficit
142 Sacramentum Eucharistiæ. Nunc redeundo ad propositum vtrùm potestas clauium sit in Ecclesia, Petrus de Monte in sua Monarch. in 3. char. dicit quod putat potestatem clauium datam esse à Deo, etiam Ecclesiæ militanti, cui Papa præest tamquam Petri successor, & Vicarius Iesu Christi,per id quod supra dixerat datam potestatem non solùm Petro,sed etiam alijs Apostolis, vndè dicit quod non negat in corpore Ecclesiæ esse potestatem clauium, & per illud Matth. 18. & 2. qu. 1. si peccauerit dic Ecclesiæ,&c. per quod dicit Apostolus habuisse auctoritatem,non solùm respectu ordinis, sed etiam iurisdictionis, allegat text. in c. noua, de pœniten. & remiss. Et sic sentit, quod etiam Apostoli, & consequenter Ecclesia habuerunt potestatem,& clauem non solùm ordinis, sed etiam omnimodæ iurisdictionis contentiosæ immediatè à Deo. Sed istud est falsum, vt supra dictum est, & infra clariùs dico per text. in cap. ita Dominus dist. 19. & quod dicit sanctus Thomas in 5. senten. dist. 18. qu. 2. art. 2. qu. 1. ad 1. argum. & dist. 19. qu. 1. art. 3. qu. 1. ad 1. argum. & dist. 24. qu. 3. art. 2. qu. 3. etiam ad 1. argum. Item non potest esse vera opinio eius,quia sic ista potestas esset æquè principaliter data Petro, licèt tamquam capiti, vt ipse dicit, & Apostolis simul, & sic esset ponere duo principia contraria, quod sapit hæresim, vt in §. Cerdoniani, capit. quidam, 24. qu. 3. Esset enim dare duas potestates in Ecclesia, quod saperet hæresim, sicut dicit Abb. in allegationibus quoniam veritas in 2. ratione defensionis Concilij aduersùs translationem Concilij factam per Eugenium. Item auctoritas adducta loquitur de denuntiatione Euangelica, & sic in foro pœnitentiali tantùm, ad quem text. infra latiùs respondebitur; Cardin. autem Floren. plus voluit, quod Ecclesia vniuersalis habeat plenitudinem potestatis, & quod dicitur, quod Papa habet plenitudinem potestatis, debet intelligi non quod solus habeat, sed tamquam caput vniuersitatis, item quod ipsa potestas est in ipsa vniuersitate tamquam in fundamento, & in Papa tamquam ministro,per quem ista potestas explicatur,præcedente tamen claue discretionis. Ita dicit ipse in cap. licèt in quinta char. & est in tertia char. tract. eius de electione. Adducit ad hoc text. in cap. ita Dominus,distinct. 19. vbi dicitur, quod Christus commisit salutem vniuersitatis omnibus Apostolis, ita tamen, quod in Petro principaliter collocauit. Dicit ipse, nota quod non dicit totaliter, vt alij excludantur, sed dicit principaliter, vt sic plenitudo potestatis sit in vniuersitate ipsorum & per singulos exerceatur, sed principaliter per Petrum, non tamen ita per Petrum, vt ei erranti standum sit.

Et idem in effectu dicit Abbas Siculus in capitulo significasti in 2. colum. de elect. cum dicit, quod licèt potestas fuerit data Papæ, & toti Ecclesiæ, Papæ tamen fuit attributa tamquam capiti, vndè debet moueri corpus ad dispositionem capitis, & allegat illum textum in dicto capitulo ità Dominus. Plùs etiam voluit idem Abbas allegationibus incipientibus quoniam veritas in secundo principali dubio decimæ rationis in quarta corroboratione, vbi dicit, quod licèt Petro priùs datus fuerit Pontificatus, tamen fundamentum iurisdictionis totius Ecclesiæ est in Ecclesia vniuersali, allegat d. text. in capit. ità Dominus. Idem etiam dicit in secunda ratione posita in parte pro Concilio Basileensi. Idem quoque replicat in quæstione, an Concilium sit supra Papam, versiculo descendamus ad aliud membrum, vbi dicit, quod iurisdictio Ecclesiasticæ plenitudinis est in Ecclesia vniuersali tamquam in fundamento, & per consequens habet iurisdictionem in Papam. Idem etiam replicat

cat in eadem decima, & vltima ratione in versiculo ex hoc Magistrorum opinio, cùm allegat Cardin. Florent. vbi dicit ex his apparere, quod illud, quod dicitur, quod Papa habet plenitudinem potestatis debet intelligi non solus, sed tamquam caput Vniuersitatis, ità quod ipsa potestas est in ipsa Vniuersitate tamquam in fundamento, sed in Papa est tamquam in principali instrumento, per quod hæc potestas explicatur, ità tamen, quod præcedat clauis discretionis, allegat, quod eleganter dicit Innocent. in cap. quanto, de iureiuran. & quod dicit idem Innocent. in capit. quod super ijs, de vot. & gloss. in capit. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. Et sæpiùs hoc idem in dicto tractatu replicat. Vndè vult, quod istæ claues, & potestatis plenitudo sint principaliter, & fundamentaliter in Ecclesia vniuersali, & consequenter in Concilio, vt ipse dicit, sed quod istius potestatis exercitium sit principaliter in Papa, qui cum claue discretionis potest illa vti. Vndè sentit, quod in Papa solo propriè non sit plenitudo potestatis, sed tantùm exercitium, quia, vt ipse dicit, alioquin essent duæ potestates in Ecclesia, quod dicere saperet hæresim; nàm secundùm Cyprianum Papa in capit. loquitur dist. 33. quæst. 1. Ecclesia æquiparatur soli arbori, & fonti, alij verò Ministri quotquot, & quales sint æquiparantur, vt radijs solaribus ramis arboris, & riuulis fontis. Si autem præciditur riuulus à fonte arescit, nec gloriabitur ramus contra arborem, nec radius solaris contra lumen Solis, nec riuulus contra fontem. Item etiam tenentes claues datas Ecclesiæ mouentur auctoritate Matth. 18. ibi, quod si non audierit eos dic Ecclesiæ, & auctoritate August. & Hieron. in capit. quocumque, & capit. omnibus dist. 24. quæst. 1. & pluribus alijs auctoritatibus, quæ dicunt, quod Petrus quando claues accepit figurauit Ecclesiam, & Act. 15. Et in effectu illæ auctoritates, quæ fuerunt supra adductæ ad ostendendum, quod Concilium sit maius, quàm Papa, quæ supra sæpiùs fuerunt repetitæ, adducuntur ad hoc propositum. Istam eamdem opinionem replicat idem Abbas per præmissa, & vltimò adducit cap. noua, de pœnitent. & remiss. & capit. 1. §. vna, de summa Trinit. Addit & rationem, quia aliàs mortuo Papa, non esset, qui eius iurisdictionem exerceret, non est autem verisimile, quod Christus voluerit dimittere Ecclesiam sine Pastore. Allegat cap. ad Apostolicæ in fin. de re iudic. in 6. & bonus est textus in cap. 1. in princip. de homic. in 6. & gloss. in verbo sede vacante in capit. vnico de schismat. in 6. & Act. 15. consultatio de seruatione legalium, non fuit ad solùm Petrum delata, sed ad omnes de Ecclesia, & tamen illa consultatio non erat fori pœnitentialis tantùm, sed etiam fori contentiosi, & iurisdictionalis. Et in eodem capit. 15. Paulus perambulans Syriam, & Ciliciam præcipiebat custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum, quod verbum præcepta sapit iurisdictionem contentiosam. Et Act. 16. Paulus, & Timotheus cùm pertransirent Ciuitates tradebant eis seruanda dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus. Nota verbum decreta, quod sapit iurisdictionē, vt in cap. fin. de temp. ordin. & in capit. 2. de iudic. & distinct. 4. §. hæc etsi legibus in fin. Et inducit etiam illud Matth. 16. & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam: per quæ verba dicit, quod omnis potestas etiam iurisdictionalis data Ecclesiæ. Vltimò etiam probat, quia si in Ecclesia non esset potestas fori contentiosi, & iurisdictionalis, quomodò posset Ecclesia iudicare de Papa in casu fidei, sicut volunt communiter Doctor. in cap. in fidei, de hæret. in 6. & Archidiac. dist. 40. cap. si Papa, & huic vltimo motiuo cum difficultate potest benè responderi. Gerson. in
143 lib. 8. in propositione facta coram Anglicis euntibus ad Concilium in consideratione 4. in noua veritate, dicit, quod congregatio Ecclesiæ habet claues ordinis, iurisdictionis, & quod claues datæ sunt Petro auctoritatiuè, & exercitatiuè, sed toti Ecclesiæ vniuersaliter, & susceptiuè, vel datæ sunt Ecclesiæ, vt in actu primo, & Petro, vt in actu secundo. Et in primo lib. in tract. de potest. Eccles. in considerat. 4. dicit, quod claues sunt datæ Concilio generali repræsentanti Ecclesiam; nàm Ecclesia, vt sparsim considerata non habet illam potestatem, nisi in quodam materiali, seu potentiali, sed eius congregatio, & vnitio, quæ fit in Concilio generali, dat ei formam, sicut in alijs communitatibus exemplum dari potest, & fundatur prædicta potestas Ecclesiastica in vnitate secundùm Augustinum. Verumtamen hoc non impedit, quin claues datæ sint Petro tamquam Monarchæ, & legitimis Successoribus eius, sed principaliùs datæ sunt Ecclesiæ. Primò ratione inuincibilitatis, quia portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, nec deficiet fides eius, non sic in Papa. Secundò ratione regularitatis, quoniam habet regularem vsum potestatis Papalis, non sic è conuerso. Tertiò ratione multiplicitatis, quoniam Ecclesia continet quamlibet potestatem Ecclesiasticam etiam Papalem, non sic Papa, præsertim in extensione. Quartò ratione obligabilitatis, quoniam Ecclesia potest condere leges obligantes, & regulantes etiam ipsum Papam tam quoad personam, quàm respectu vsus potestatis, Papa autem non potest iudicare totam Ecclesiam, vel vsum potestatis eius limitare. Et subiungit, hoc enim dicitur ad reprimendam præsumptionem quorumdā Summorum Pontificum, aut eis adulantium. Et idem replicat in libro 2. in tract. de potest. Eccles. & de origine legum in epilogo in concl. 3. quæ est in fine libri 2. Et idem etiam latè replicat in eodem libro 2. in consider. 11. Quinimmò in supradicta considerat. 4. libri 1. dicit, quod plenitudo potestatis Ecclesiæ, & spiritualis gladij eius executio super quemlibet Christianum, qui est frater noster, etiamsi Papa fuerit, est in Ecclesia, & allegat illud Matth. 18. dic

Eccle-

144 Ecclesiæ. Aliqui Magistrorum, qui fuerunt in Concilio Constantinopolitano, vt refert Cardin. de Turrecrem. in libro 2. de Eccles. cap. 70. dicunt aliquid posse esse in aliquo tripliciter, vt fuit Cardin. Cameracen. in tract. de potest. Eccles. & Papæ in cap. 1. par. 3. ponendo dubium vtrùm plenitudo potestatis Ecclesiæ resideat in solo Romano Pontifice. Vbi post argumenta ad partem negatiuam refert, quod Magister Mauritius de Praga obtulerat se responsurum ad propositam quæstionem, ponendo tres conclusiones, primam, quod plenitudo potestatis Ecclesiæ inseparabiliter residet in vniuersitate Ecclesiæ Catholicæ. Secundam, quod plenitudo potestatis Ecclesiæ residet inseparabiliter in Romano Pontifice. Tertiam, quod plenitudo potestatis Ecclesiæ repræsentatiuè residet in Concilio generali. Ex quibus sequebatur, quod pars affirmatiua quæstionis, secundùm quod simpliciter erat posita esset falsa, ex negatione vnius. Et cùm dictus Magister Mauritius vellet suam intentionem declarare, quidam timentes ne per ipsum, & quosdam alios sacræ Theologiæ professores in disputationibus impugnarentur nonnulli errores ad Concilium delati, conspiratione facta impedierunt disputationem; contra quos dictus Cardinalis publicè verbo, & in scriptis ob reuerentiam fidei protestatus est tamquam contra suspectos de fautoria hæreticæ prauitatis. Vndè ipse soluendo quæstionem dicit primò, quod plenitudo potestatis, secundùm quod iura loquuntur, intelligitur de potestate iurisdictionis, & non ordinis, secundò quod plenitudo iurisdictionis est in solo Papa, qui illam administrat, & dispensat; tertiò topicè, & aliquo modo æquiuocè est in vniuersali Ecclesia. Et hæc declarando dicitur tactum est, quod tripliciter aliquid dicitur esse in aliquo. Vno modo tamquam in subiecto, sicut virtus est in anima, & accidens in substantia subiectiuè, secundò tamquam in obiecto, sicut effectus dicitur esse in sua causa, vel in suo fine, quia in illum tendit tamquam in suum obiectum finale. Tertio modo tamquam in exemplo, sicut res visa dicitur in speculo, vel aliqua doctrina in libro, quia ibi est repræsentatiuè. Primo modo, vt dicit, plenitudo potestatis est in Papa tamquam in subiecto eam recipiente, & ministerialiter eam exercente. Secundo modo est in Ecclesia tamquam in obiecto causaliter, & finaliter continente. Tertio modo est in generali Concilio, tamquam in exemplo ipsam repræsentante, & regulariter dirigente. Primum patet, quia Papa propriè loquendo est minister hanc potestatem subiectiuè recipiens, & administratiuè dispensans, iuxtà illud Lucæ 22. qui præcessor est in vobis fiat sicut ministrator. Secundum patet, quia plenitudo potestatis non causaliter, & finaliter propter Papam, sed Papa, & eius potestas propter Ecclesiam, & ad eam ordinatur sicut ad finem, idest ad eius ædificationem, quia secundùm Apostol. 2. ad Corinth. 10. & vlt. hanc potestatem dedit Dominus in ædificationem, & non in destructionem. Tertium patet, quia si Papa vteretur ista potestate ad destructionem Ecclesiæ, generale Concilium esset in exemplum, vel speculum repræsentans dictam vniuersalem Ecclesiam, & eius vice, & nomine abusus huiusmodi plenitudinis potestatis coercens, regulans, & dirigens, & etiam puniens. Ità dicit dictus Card. Cameracen. cuius verba refert Cardin. de Turrecrem. vbi supra, tacito fortè eius nomine, ne videretur impugnare Cardinalem. Concluditur ergo ex dictis istorum, quod potestas clauium, & potestatis plenitudo sit in Ecclesia, & consequenter in Concilio illam repræsentante etiam coercitiuè respectu Papæ, & sic quod omnimoda, & maior potestas sit in Ecclesia, quàm in Papa. Istam

145 etiam opinionem tenet quidam Hispan. qui fuit Episcopus Gaddicen. qui colligit dicta Gerson. & illa approbat. Et discurrẽdo allegat multas auctoritates, maximè Hostien. qui dicit in cap. noua, de pœnit. & remiss. super verbum claues, quod vna clauis est fori contentiosi iudicialis, de qua in cap. per venerabilem, §. rationibus, qui filij sint legit. & de excess. præla. cap. tanta, altera fori voluntarij pœnitentialis, de qua in capit. omnis de pœniten. remiss. & quod vtraque commissa fuit Apostolis. Et ad illud allegat Scotum in 4. sent. dist. 19. Et multùm se fundat in auctoritate Matth. 18. vbi post verba si peccauerit in te frater tuus, sequitur vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, quæ verba dicit intelligenda de Concilio generali. Ad idem allegat illud Matth. vlt. euntes, docete omnes gentes baptizantes eos, &c. Per quæ verba videtur dari iurisdictio, quia baptismus est ianua omnium sacramentorum, ad sacramenta autem conferendum, & prædicandum publicè in Ecclesia requiritur iurisdictio, quia non potest vnus prædicare in parochia alterius, vt de paroch. per tot. & in Clement. prima, de foro compet. cum simil. Similiter Luc. 6. Christus elegit, 12. quos Apostolos nominauit, & eos ad propagandum auxilium salutis humanæ misit, quod similiter sine aliqua iurisdictione fieri non poterat. Ad idem allegat Rabanum, & Remigium super illud quodcumque ligaueris, &c. Et sanctum Thomam super illud 2. ad Corinth. vlt. hæc absens scribo, Innocentem, quod Apostolus ibi loquitur de correctione coactiua in foro publico exteriori. Ergò Apostolis omnibus, sicut, & Paulo data fuit talis potestas iurisdictionis fori exterioris. Et ibi conatur respondere ad duas auctoritates Petri de Palude, qui tenet partem contrariam. Hæc autem omnia tollentur per inferiùs dicenda. Profectò si quæ-

146 rimus mentem illorum Doctorum, qui tenent quod maius sit Concilium, quàm Papa, quos supra retuli, tendunt ad hoc, quod potestas clauium principaliùs sit in Ecclesia, quàm in Papa, & sic quod Ecclesia, & consequenter Concilium habeat plenitudinem potestatis, voluntque quod semper quando Christus loquutus est Petro de actibus potestatiuis, ipsum esse locutum de

Eccle-

Ecclesia, sicut patet de eo quod ei dixit Dominus, ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua &c. Luc. 22. vbi licèt dicatur pro te, & fides tua, tamen intelligitur de Ecclesia ei committenda.

Alij in Concilio Basileen. contra Eugenium dixerunt potestatis plenitudinem esse in Ecclesia non solùm, sicut in obiecto finali, aut in Concilio sicut in exemplo, vt supradicti in Concilio Constantien. sed sicut in subiecto administrante, & exercente, & ita in facto demonstrarunt, omnem Papalis potestatis administrationem, & exercitium sibi assumentes, & dicentes vniuersali Ecclesiæ in omnibus membris eius coniunctim datam esse potestatem clauium in plenitudine, & principaliùs, quàm Papæ. Profectò iste passus est mihi valdè difficilis, quia si concludam nullam potestatem clauium datam Ecclesiæ, quomodo poterimus dicere quod Ecclesiæ, & consequenter concilium iudicet in titulo Papatus, vt dist. 79. cap. si duo, quia sine iurisdictione non rectè quis iudicat. Item, vt aliàs dictum est, Concilium exercet censuras, vt in capit. si quis Episcopus, & in capitulo sicut de hæret. 10. qu. 2. cap. fin. & 11. qu. 3. capitulo nullus, & cap. certum, & 18. dist. cap. si quis. Hoc autem fieri non potest sine causæ cognitione, vt in cap. nemo 2. qu. 1. ponitur per glos. in cap. noua de offic. leg. igitur. Item Matth. 18. cum dicitur quæcumque alligaueritis, &c. videtur omninò sermo de potestate iurisdictionali etiam fori contentiosi, & vniuersaliter data potestas in omnes, & data à Deo immediatè, tum quia sunt verba per Christum immediatè directa in omnes Apostolos, tum quia verbum illud alligaueritis, numquam designat potestatem ordinis tantùm, quia qui peccat in alium, satis est statim alligatus, nec propriè conuenit ei alligari, sed absolui, vndè magis designat actum iurisdictionis, & superioritatis, iuxta illud psalm. 149. ad alligandos reges eorum in compedibus, & 1. ad Corinth. 7. alligatus es vxori &c. Et 26. qu. 7. cap. alligant, &c. Ibi tales sunt Sacerdotes, qui omnem iustitiam populo mandant, & ipsi, nec modicam seruant. Idem ostendit dictio quæcumque, quæ est vniuersalis, leg. metum, §. aduertendum, ff. quod metus causa, ff. de iure fisci leg. diuus, & ff. de fundo instruct. leg. cum de Lanionis, §. fabiuus leg. quæsitum, §. fin. ff. de legat. 3. Vndè videtur per dicta verba data potestas vniuersaliter etiam iurisdictionis contentiosæ, & immediatè à Deo.

Similiter si dicam potestatem clauium datam Ecclesiæ à Deo simpliciter, incidam in errorem, quod eadem potestas demandata fuerit pluribus æquè principaliter, idest Ecclesiæ, & Papæ, & sic esset dare duas potestates supremas in Ecclesia, quod saperet hæresim, quia esset ponere duo principia, cap. quadam in §. Cerdoniani, 24. qu. 3. Sed huic obstat, quod dicunt Legistæ, non esse absonum pluribus insolidum curam populi competere, sicut in pluribus tutoribus & curatoribus, ff. de administ. tut. l. decreto, §. 1. l. fin. de auctor. præstan. l. 1. C. si vnus ex pluribus. Et pluribus magistratibus competere potest cura populi ff. ad municipa. l. magistratum. Et omnia incorporalia actiuè, & passiuè pluribus debentur, & competunt. ff. de verb. oblig. lib. 2. §. ideò ff. fami. ercisc. l. hæredes §. an ead. ff. de regulis iur. l. ea quæ. Sed hoc nihil est, quia dicendum est, quod adducta loquuntur in inferioribus, & iuribus in quibus attendimus rationis identitatem, sed hic loquimur in suprema potestate clauium, in qua datus est vnus Supremus, & Princeps, quæ potestas si esset data alteri æque principali, iam non esset in vno suprema potestas, sed æquè principaliter cum vniuersitate, & sic duo repugnantia, per quæ nec esset in vno suprema potestas, sed in vno æquè principaliter cum vniuersitate, & sic duo repugnantia, per quæ nec esset status Monarchicus, nec Aristocraticus, & pareret dissensionem, & non esset benè prouisum Ecclesiæ, quia reliquisset Christus materiam dissensionis, & esset contra verbum euangelicum Ioann. 14. pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, & Ioann. 16. hæc loquutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, si dico datam Ecclesiæ potesta tem clauium iurisdictionis deriuatiuè à Petro, remanet absurdum quod Ecclesia, quæ clauium potestatem recepisset à Petro iudicaret de persona Petri, & inferior de superiore, contra capitul. inferior. 21. distiu. capitulo cùm inferior de maior. & obedien. Item illa auctoritas Matth. 18. repugnat, quia vel oportet, quod per illa verba quæcumque alligaueritis intelligatur data facultas iurisdictionis contentiosæ, vt dictum est, quod videtur sentire glos. inter lib. ibi cū supplem. scilicèt vinculo anathematis, vel opportet quod illam auctoritatem diuersimodè exponamus, videlicèt quod in ijs, quæ sunt ordinis simpliciter intelligamus datam Apostolis potestatem à Deo immediatè, in ijs autem, quæ sunt contentiosæ iurisdictionis datam descensiuè, & mediante Petro, & tamen verba non sonant hanc diuersitatem, nec eadem auctoritas debet diuerso iure censeri, capitulo cum in tua de decimis.

147 Pro solutione huius ambiguitatis considero quod volentes tenere datam Ecclesiæ potestatis plenitudinem, non possunt hoc probare ex vllis verbis Christi directis in discipulos, quia nusquam reperitur, quod Christus loqueretur eis per modum tribuentis iurisdictionem in foro iurisdictionali, sed semper in foro pœnitentiali, similiter nusquam cùm dedit illis aliquam potestatem loquutus est seorsum à Petro, sed immò semper Petro cum illis existente. Nec reperio aliquam auctoritatem sacræ scripturæ, aut Conciliarem, vel pontificalem, vel legalem, ex qua possit clarè haberi, nisi ex quibusdam imaginationibus datam potestatis plenitudinē alteri quam Petro, aut vnquam datam Ecclesiæ sine Petro aliquam potestatem. Et ista diuisio Ecclesiæ à Petro, & consequenter à Papa ponendo maioritatem potestatis magis in Ecclesia, quàm in Petro; quasi Ecclesia sit sine Papa, & Papa sine Ecclesia, vide-

videtur quid imaginarium, & plus scandali, quàm vtilitatis attulisse. Quinimò nusquam reperi Dominum fecisse aliquod verbum specificè de potestate clauium cum Apostolis, dirigendo verba ad eos, sicut quando solùm direxit verba in Petrum. De his constat, quia si volunt se fundare in verbis dictis Matthæi 18. ibi nulla fit mentio de clauibus specificè, & verba fuerunt de dimittendis peccatis, & dicta etiam Petro, & alijs discipulis præsentibus, quod patet, quia Dominus dicit si peccauerit in te frater tuus, & tamen non specificè dicit se dare, vel daturum illis claues, sicut quando loquutus est Petro, ad ostendendum omnimodam potestatem datam Petro etiam sine alijs Apostolis, & maiorem illis. Vnde cum dicit si peccauerit in te frater tuus, patet quod loquitur de peccantibus, quod ostendunt verba sequentia, cùm dicit si te audierit lucratus eris fratrem tuum, vbi supplet glos. Nicolai scilicet cum integritate famæ ad salutem eum reducendo. Ergo tunc loquebatur principaliter Petro, in quem etiam verba dirigebantur, simul cum alijs, & in foro pœnitentiali, quod patet ex interrogatione sequenti facta per Petrum, cum dicit Domine quotiens peccabit in me frater meus, & dimittam ei, vsque septies, &c. vnde Lucas dicit cap. 17. si peccauerit in te frater tuus increpa illum, & si pœnitentiam egerit dimitte illi, &c. Pro hoc est quod ibi Matt. 18. paulò post dicta verba si te audiuerit &c. subiungitur quæcumque alligaueritis super terram &c. subiungitur quęcumque alligaueritis super terram &c. vbi etiam nullum verbum expressè, vel indefinitè de clauibus, ne per dicta verba si fecisset mentionem de clauibus, dicendo, & vobis dabo claues, videretur simpliciter dedisse etiam eis potestatem fori iurisdictionis contentiosæ, ideo dixit quæcumq; alligaueritis sine mentione clauium explicitè, quod intelligendo secundùm materiam, de qua loquebatur, comprehendebat tantùm claues fori pœnitentialis. Insuper loquebatur omnibus discipulis, vt patet in princ. illius cap. in illa hora accesserunt discipuli ad ipsum &c. & potestatem quam ei dabat, siue promittebat, quia secundùm communiorem sententiam erant verba promissionis, quia nondum erant facti Sacerdotes, promittebat omnibus singulariter se daturum, & non in concreto, quia alioquin nullus ipsorum habuisset de per se potestatem ligandi, & soluendi, cuius contrarium patet in pluribus locis in actibus Apostolorum, quando fuerunt dispersi ad prædicandum per Prouincias, Et sic ista potestas si fuisset iurisdictionalis, & clauium in foro contentioso, & potestas plenaria, sicut dicunt tenentes plenitudinem potestatis esse in Ecclesia, fuisset data singulariter omnibus Discipulis, & sic hodiè quilibet Episcopus, & Sacerdos haberet istam plenitudinem potestatis. Et si communiter omnibus simul in concreto promisisset, cùm Petrus esset inter eos, nec ipse ex illa auctoritate solus potuisset aliquem soluere, vel ligare, cùm tamen per ipsos secùs factum legamus in actibus Apostolorum. Et quod illa auctoritas fuerit de potestate ligandi, & soluendi in foro conscientiæ tantùm, ostendunt verba sequentia in continenti post, tunc accedens Petrus ad eum dixit, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, vsque septies, dicit illi Iesus, non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies, quæ verba ostendunt sermonem esse in foro conscientiæ. Et quod promissa fuerit illa potestas ligandi, & soluendi singulis, patet cùm dicitur, peccabit in me, & cùm respondetur, non dico tibi vsque septies, quæ licèt sint verba singulariter in Petrum tantùm directa, tamen omnibus censentur dicta, quod etiam conuincitur ex Euangelio Lucæ cap. 17. vbi licèt ad omnes loquatur, tamen singulariter dicit si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & dimitte illi, &c. Et ad clariùs ostendendum, quod loquatur in foropoli, & non in foro fori, subiungit exemplum Petro, ideò assimilatum est regnum Cœlorum homini Regi, & totum illud capitul. loquitur de regno Cœlorum. In principio enim dicitur, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cœlorum, quicumque ergo humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno Cœlorum, item si manus tua, vel pes tuus scandalizat te abscinde eum, & proijce abs te, bonum est tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum, &c. item bonum est tibi cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Ecce quod loquitur de dimittendis peccatis in foro conscientiæ tantùm. Quod adhuc clariùs demonstratur, quia si illa verba, quæcumque alligaueritis, &c. fuerunt verba promissionis, sicut communiter tenetur, vt dictum est, impleta fuit illa promissio Ioan. 20. vbi dicitur, quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Ecce quod loquitur de peccatis remittendis, & non de potestate coactiua, & iurisdictionali in foro fori, nec de plenitudine potestatis. Et ex hoc apparet, quod illud, quod dicitur ibi in dicto capitulo decimo octauo, quod si non audierit eos dic Ecclesiæ, de qua auctoritate fit tam longa disputatio, intelligi debet sicut dicit ibi glos. Nicolai id est prælato & non de Ecclesia vniuersali, quia ex quo est sermo de denunciatione euangelica, & non in foro iudiciali, si peccans non audit, id est si non cessat à scandalizatione, postquam adhibitus est primò vnus, & deinde duo vel tres, debet dici Prælato, vt sic peccantem emendet, & reducat ad pœnitentiam, & propterea gloss. interli. ibi supplet, vt obiurgatio plurimorum eum corrigat, & alia glos. interli. dicit, hic est auctoritas de manifesta vocatione, quasi dicat postquam cum duobus, vel tribus non audiris publica eum Prælato.

148 Nec contrariatur quod cùm Dominus loqueretur Petro, qui erat futurus summus Prælatorum, voluisset eum remittere ad alium Prælatum, quia licèt Matth. 18. verba videantur principaliter directa in Petrum,

trum, cùm Dominus loquatur in singulari si peccauerit in te, & dic Ecclesiæ, & Petrus ad eum dicat, quotiens peccabit in me frater meus &c. tamen, vt apparet. Luc. 17. verba illa fuerunt dicta omnibus Apostolis simul, & non magis Petro, quàm alijs, vt patet ibi, & ait ad discipulos suos, item ibi attendite vobis, &c. & postea sequitur, & dixerunt Apostoli Domino, adauge nobis fidem. Ex quo patet quod verbum illud de dimittendo fratri fuit dictum omnibus & non Petro tantùm, licèt principaliter ei tamquam principaliori. Vnde sequitur, quod dicta verba recipiunt sensum in persona vniuscuiusque, prout cuique competere possunt, sed Petro, qui erat futurus summus Prælatorum, & non habiturus superiorem, ad quem ab eo posset haberi recursus non poterat conuenire, dic Ecclesiæ, id est Prælato, sicut communiter dicitur in cap. proposuit de concess. præben. Et si dicatur quod inter Apostolos esset Petrus, ideo esset in eo etiam verificanda illa auctoritas dic Ecclesiæ, respondetur quod satis verificatur in Petro, si ita publicatur coram multitudine, sicut alius. Et si rursus dicatur, ergo non est verum, quod illud verbum dic Ecclesiæ intelligitur in Prælato. Respondetur quod non est absonum, quod is, qui fungitur vice duarum personarum fungatur vice denuntiantis, & Prælati vt in l. si consul. ff. de adop. cap. à collatione de appel. in 6. & cap. pen. de ele. eod. lib. Et tunc intelligendum est dic Ecclesiæ, idest Prælato idest tibi, qui geris personam prælati corrigendo fratrem peccantem in te, & persuasionibus compescendo, vel dicas etiam excommunicando, vel dic Ecclesiæ implorando auxilium in exequendo, cùm frater peccans est incorrigibilis, iuxta capitul. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. Item non est absonum quod eadem lex diuersos habeat intellectus secundùm diuersitatem personarum, vt in l. plenum §. æquitij de vsu, & habi. cum simi. vnde si restringimus dictam auctoritatem Matth. 15. ad personas peccantes in Apostolos, quibus verba dirigebantur, illud dic Ecclesiæ potest intelligi, id est Prælato, hoc est Petro, qui erat, vel futurus erat eorum Prælatus, sed quo ad Petrum, vt non habentem, seu non habiturum superiorem, dic Ecclesiæ debet intelligi, id est multitudini per teipsum excommunicando eum. sed quia dicta auctoritas, est generalis, & omnibus fidelibus dicta, illud dic Ecclesiæ semper debet intelligi, id est superiori, sed quo ad Papam peccantem in alium, illud dic Ecclesiæ intelligendum est, id est Deo, qui solus est superior eius, secundùm quod voluit Hostien. in capitulo proposuit de concess. præben. & satis est Ecclesiæ dictum, quando est dictum illi, qui præest Ecclesiæ, cui denuntiandus est subiectus, & respectu Papæ, quando oramus Deum, qui est fundator, & caput Ecclesiæ dicimus Ecclesiæ. Nec potest intelligi de Ecclesia imaginaria, quia tunc nulli diceretur, vnde oportet quod intelligatur de Rectoribus, Gubernatoribus, & Superioribus Prælatis ipsius Ecclesiæ, quorum Petrus erat caput, vt dicto capit. in nouo

149 vigesima prima distinctio, & capitulo, rogamus 24. quæstione prima: Ex quo etiam patet, quod falsum dicunt illi, qui aiunt authoritatem, & potestatis plenitunem principaliter esse in Ecclesia, & exercitium potestatis in Papa, quia dato quod prædicta authoritas, in qua fundatur eorum opinio intelligeretur de potestate iurisdictionis coercitiuæ adhuc ex ea innuitur contrarium, quia cum inter Apostolos tunc esset Petrus eorum caput, quando verba fuerunt prolata per Christum, & ita dirigebantur in Petrum, sicut in cæteros Apostolos, imò principaliùs in Petrum vt patet ex sequentibus verbis, quia solus Petrus postea interrogat, domine quotiens peccabit in me frater meus, & dimittam ei vsque septies &c. si intelligeretur dicta authoritas de plenitudine potestatis sequeretur quod ista plenitudo potestatis fuisset data omnibus, sed principalius Petro tamquam capiti, & per eum distribuenda, & exercenda etiam per alios ad nutum, & voluntatem capitis, videlicet Petri, & consequenter exercenda per alios PrælatosEcclesię ad nutum, commissionem & voluntatem Papæ. Sed quia dicta authoritas Matthæi 28. propriè loquitur de dimittendis peccatis, & potestate ordinis scilicet ligandi, & soluendi, nullo modo ex illa potest sumi argumentum quod data fuerit, aliqua plenitudo potestatis, cùm de illa verbum nullum, nec etiam aliqua iurisdictio coactiua, iudicialis fori ipsis, Apostolis, & consequenter nec ipsi Ecclesiæ, siue alijs prælatis de Ecclesia, qui tantùm sunt vocati in partem sollicitudinis, vt in capitulo decreto cum sequenti, secunda quæstione 6. Quod etiam apparet, quia ista authoritas non intelligitur, de coactiuæ, & iurisdictionalis potestatis datione, sed de quadam publicatione ad confusionem peccatoris proximum scandalizantis. Facit multum bene gloss. ordi. ibi cum dicit dic Ecclesiæ, vt detestationi eum habeat, & qui non potuit pudore saluari, saluetur opprobrijs. & vt rubore, sequestrationis emendetur, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Ecce quod non loquitur, nisi in foro pœnitentiali, & non loquitur de Ecclesia vniuersali in concreto sed de prælatis.

150 Et istam conclusionem ponit Hieron. ibi super illud 28. cap. quæcumque alligaueritis super terrā dicit enim hic potestatem tribuit Apostolis, vt sciant qui à talibus condemnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari &c. Prælati ergo vniuersitatum sunt, ad quos tamquam ad iudices fideles remittuntur, & non ipsæ, vniuersitates. Idem etiam ibidem Chrysost. vbi dicit dic Ecclesiæ idest ijs, qui Ecclesiæ presunt. Et S. Thom. super Matth. ibidem dicit, dic Ecclesiæ, idest toti multitudini, vt confundatur, vt qui noluit sine confusione corripi, cum confusione corripiatur, est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam, & gratiam Eccle. 4. vel dic Ecclesiæ idest iudicibus, vt corrigatur, iuxta illud Deuter.

tetò 21. si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, & adducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij &c. Et idem S. in 4. senten. dist. 19. qu. 2. art. 2. quæstiun. 3. ad 2. arg. vbi postquam dixit in d. quæstiun. quod præceptum de correptione fraterna se extendit etiam ad prælatos, vt corripiantur à subditis, dicit quod quamuis prælati sint corripiendi à subditis, non tamen eis pœna infligenda, sed recurrendum ad superiorem denuntiando, vel si prælatus non habet superiorem, recurrendum est ad Deum, qui eum emendet, vel de medio subtrahat. Iste autem quod non habet superiorem, est Papa, vt in cap. licèt de elect. ergo si denuntiandus esset Papa, non esset recurrendum ad aliquem superiorem Intelligitur ergo auctoritas de prælato, qui habet superiorem prælatum, ad quem possit, recurri. Igitur stat expositio dic Ecclesiæ, idest prælato. Idem Sanctus in 4. sen. dist. 19. qu. 2. art. 3. quæstiun. 2. ad 4. argum. dicit dic Ecclesiæ posse exponi, idest prælato in iudicio præsidenti. Item Albertus Magnus super Matth. ibidem dicit dic Ecclesiæ, idest Prælato in conuentu, siue in Synodo, & si Ecclesiam non audierit, vt secundùm arbitrium Prælati corrigatur, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus.

251 Idem virtualiter sentit Archiepiscopus Armachanus, qui vult quod etiam ista authoritas dic Ecclesiæ non arguat aliquam superioritatem in Ecclesia respectu Papæ, sed quandam maioritatem discretionis, est enim aliqua doctrina ei, & alijs vt vnusquisque iudex Ecclesiasticus sciat quem modum punitionis exequi debeat erga quoscumque, qui omnes in fratris nomine importantur, & hoc specialiter in peccato commisso in propriam personam ipsius. Vnde dicit, quod per dictam authoritatem summus Pontifex delictum in personam suam duntaxat commissum non debet iudicare, sed post monitiones in hoc loco descriptas illud peccatum publicare debet Ecclesiæ, vt ex discretione Ecclesiæ puniatur, ne vindicare potiùs, quàm corrigere videatur, si solus sua auctoritate puniat, ex quo nulla potest argui superioritas in Ecclesia respectu summi Pont. Si enim hæc dicta fuissent propter superioritatem Ecclesiæ, frustra & impertinenter, postea adiecisset Dominus, amen dico vobis quæcumque alligaueritis super terram &c. ex quo illa doctrina præcedens euidenter ostendit Ecclesiam debere ligare, non ipsos Apostolos. Et subiungit, constat igitur quod doctrina Christi tendit ad hoc quod Petrus, & alij post correctionem vltimam, de Ecclesiæ discretione, siue Consilio fratres delinquentes punire debent, & eos tamquam publicanos & ethnicos, cum quibus Iudæis communicare non licebat iuxta illud Luc. 5. cap. quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis, suo ligamento eijcere, ita vt cum ipsis cõmunicare nullatenus sit licitum cæteris Christianis, & ideo intelligendum est hic potestatem excommunicandi generaliter quoscumque delinquentes, etiam si sint Imperatores, aut reges, quoniam vniuersaliter dicitur quæcumque alligaueritis super terram &c. omnibus Apostolis fuisse collatam. Ita dicit ipse Archiepiscopus armachanus in summa de quæstionibus Armenorum li. 7. cap. 9. Ex cuius dictis elicitur, quod per illam auctoritatem dic Ecclesiæ, nulla demonstratur superioritas Ecclesiæ in Papam, sed potiùs è contra, propter verba, quę sequuntur, quæcumque alligaueritis &c. etiam concesso quod per dictam auctoritatem data sit potestas fori contentiosi exterioris, quia non de Ecclesia, idest Concilio, sed de prælato in Ecclesia existente, & habente iurisdictionem in denunciatum loquitur, & sic quod nullæ claues iurisdictionales fori contentiosi, exterioris, per dictam auctoritatem datæ censentur Ecclesiæ, & si quæ fuissent datæ Petro primo tamquam principaliori, & Apostolis singulariter, & non vt Ecclesiam repræsentantibus sine Petro. Et profectò si bene considerentur verba, veritas, est quod per ea nulla auctoritas fori contentiosi data fuit Ecclesiæ, siue Concilio, quia si data fuisset Ecclesiæ vniuersali, non fuisset opus vlteriùs adijcere, si Ecclesiam non audiuerit, quia si coërtionem haberet Ecclesia non esset vltra procedendum ad punitionem, quia Ecclesia tamquam potentissimus iudex posset per se punire, & frustra essent posita verba, si Ecclesiam non audiuerit sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, & quod sequitur quæcumque alligaueritis &c. Item ex quo Dominus postquam dixit dic Ecclesiæ, adiecit, quod si Ecclesiam non audiuerit sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, sequitur quod non dederit Ecclesiæ potestatem coercendi, & ille, in quem peccauit frater non potest requirere Ecclesiam, vt illum coerceat, sed tantùm debet ipse postea habere illum pro ethnico, & publicano. Et nota quod dicit sit tibi sicut ethnicus, quasi dicat habeas eum pro eiecto ab Ecclesia. Ex quibus verbis aliqui Doct. maximè Barbatius in cap, nouit de iudi. volunt quod ipso iure denuntiatus censeatur excommunicatus. Nec contradicit huic intellectui gl. Nicolai ibi cum dicit sit tibi sicut ethnicus, idest separetur ab alijs fidelibus per excommunicationem, & censuram Ecclesiasticam, quia ipse intelligit iuxta expositionem per eum datam, videlicet dic Ecclesiæ, idest prælato, ita quod per prælatum & non per Ecclesiam vniuersalem siue Concilium censuræ sunt fulminandæ. Et quod sit verum in eadem gloss. super verbum ethnicus &c. post verba per excommunicationem, & censuram Ecclesiasticam, subiungit statim, & quod talia possint prælati Ecclesiæ inferre, subditur, amen dico vobis quæcumque alligaueritis &c. Quinimmo non impropriando verba sensus illius auctoritatis est, cum loquatur in foro conscientiæ, quod si post adhibitos duos vel tres testes frater non audit, non emendatur, nec confunditur, dic Ecclesiæ id est dic multitudini, idest dic in publi-

co

co vt rubore suffusus resipiscere cogatur, & dic Ecclesiæ, idest prælato eius, auctoritate ipsius eum excommunicatum denuntiando omnibus de Ecclesia, &c. Ecclesiæ enim nomine collectio, & multitudo fidelium intelligitur, de consecr. dist. prima cap. Ecclesia. Et dic. Ecclesiæ, id est prælato eius, denuntiando, vt illum coerceat, & excommunicet, vel multitudini, vt publicè arguatur. Et hoc sentit Fœlix Papa in epistola responsitiua ad Athanasium, & Episcopos Ægyptiorum Thebaidorum, & Libyorum, in Concilio Alexandrino congregatos, qui exponit & si te non audierit dic Ecclesiæ idest accusa eum publicè, & non priùs quod est dicere idest non antequam præcesserit corre-
152 ctio fraterna. Vndè non potest accipi Ecclesia pro Concilio. Et hoc ex pluribus ostenditur, quia cum non semper stet Concilium, & quotidie opus sit facere Euangelicam istam denunciationem, esset necesse expectare Concilium, & sic redderetur frustratoria denunciatio, & Idem multò magis sequeretur, si acciperetur Ecclesia pro Ecclesia vniuersali, cuius totalis congregatio est impossibilis. Item ista denunciatio ita conuenit fœminis, & laicis sicut ecclesiasticis personis, si ergo laicus vel fœmina haberent denunciare Ecclesiæ oporteret eum interesse Concilio propter suum interesse, quod in fæmina est omnino absonum, & quod dicitur de fæmina, dici potest de multis similibus, vt sunt monachi qui non possunt claustrum exire, & sic, de alijs. Similiter impossibile aliquando esset istam denunciationem fieri Ecclesiæ, vel Concilio ex alio capite, quia posset contingere quod esset tāta distantia à loco in quo læsus pauper traheret moram ad locum Concilij vt ipse nequiret adire Concilium ob defectum expensarum in itinere Accedit quod Deutero. 16. mandabatur vt iudices sederent in portis ciuitatum, vt ad eos facilis esset aditus facit quod dicitur Zacha. 8. veritatem & iudicium pacis iudicate in portis vestris, & Prouerb. vlt. nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. Vnde propter hæc inconuenientia quæ sequerentur, non potest intelligi dicta auctoritas dic Ecclesiæ de Concilio. Accedit quod Concilia generalia sunt humana institutione introducta, vt 16, & 18. dist. per totam si autem dicta auctoritas loqueretur de Concilio sequeretur quod Concilia fuissent instituta
153 lege diuina. Et quod non intelligatur de Ecclesia vniuersali, siue de Concilio, sed de multitudine fidelium, vt peccans rubore suffusus se emendet, vel de prælato habente in peccantem iurisdictionem, vt eum coerceat, vel pro eo oret, patet ex eo quod gloss. & Doct. in cap. si peccauerit secunda quæst. 1. exponunt dic Ecclesiæ, idest sacerdoti, qui oret pro ipso & admoneat eum desistere à peccato. Idem ibi Dominus, qui allegat Text. 7. quæstione prima scire, idem ibi, Archiepis. post Lau. Idem ibi Ioan. de Fan. qui ad hoc etiam allegat. cap. in omni negotio, de testib. & cap. cùm ex iniuncto, de hære. vbi traditur de ista denuntiatione Euangelica. Et glos. in d. cap. in omni, intelligit quod d. auctoritas habet locum in omni prælato, qui habet aliquam administrationem, & idem glo. in d. cap. cum ex iniuncto. Sed ista glo. loquitur de personis habentibus denuntiare, hoc est, ad quos spectat ista denunciatio, de quo per S. Tho. in secunda secundæ, qu. 33. attic. 3. & communiter Doctor. vbi supra. Item Ioan. An. in cap. nouit. de iud. exponit dic Ecclesiæ, idest prælato. Idem etiam Speculator, in tit. de denuntiatione, in §. 2. Qui declarando illa verba Euangelij sic dicit. si peccauerit in te, idest contra te, vel te sciente frater tuus, idest quilibet Christianus, vt 11. qu. 3. cap. ad mensam, vade, & corripe, id est charitatiuè argue eum, inter te, & ipsum solum, id est secretè 2. qu. 1. cap. si peccauerit, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, id est animam, vel salutem fratris, eum à peccato retrahendo, si autem te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos, supple de illis, qui hoc sciunt, aliàs esses proditor criminis, vt in præalleg. cap. si peccauerit, quod nullus esse debet, de pœnit. distin. 6. placuit, vel tales, qui possint prodesse, & non obesse, vt vigesima secunda quæstio. 5. hoc videtur, vt in ore duorum, scilicet tui, & alterius, quando vnum adhibes, vel triū, scilicet tui, & duorum, quos adhibes stet omne verbum, id est probetur charitatiua monitio, quod si non audierit eos, scilicèt cum effectu, quia se non corrigit, dic, idest denuntia Ecclesiæ, idest prælato, qui est in Ecclesia, vt septima quæst. 1. capitulo scire, si autem Ecclesiam, id est prælatum, seu eius monitionem non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, id est gentilis, vt prima quæst. 1. cap. nonne, vel alienus à participatione, & publicanus, id est publicè peccans, & hoc verum est si tamen sit ab Ecclesia priùs expulsus, vt decimaquinta dist. cap. sed illud. Indè S. Tho. in tract. de correctione fraterna dicit. præceptum de correctione potest pertinere ad omnes, vel ad prælatos, si pertineat ad omnes communiter, tunc Ecclesia non vocatur hic congregatio, sed prælatus, si autem pertineat ad prælatos, tunc sensus est dic Ecclesiæ id est congregationi fidelium, & tunc peccator debet coram ea excommunicari, vt sit diuisus ab Ecclesia per sententiam excommunicationis, & donec redeat, debet ab Eccl. vitari, & haberi sicut ethnicus, & publicanus, vnde Hugo Cardinalus super illud Matthæi dicit, si priuata persona corripit, sic exponendum est, dic Ecclesiæ, id est coram Prælato Ecclesiæ eum conuince per testes, quos noluit audire corripientes, si verò prælatus corripit, sensus est dic Ecclesiæ, id est coram Ecclesia, seu congregatione fidelium eum excommunica. Et ista est optima, & vera expositio. Et quod verba dic Ecclesiæ exponenda sint, id est dic prælato, patet ex hoc quod Doct. omnes communiter in dicto cap. nouit ita intelligunt. Vtrùm autem illa auctoritas habeat locum in Papa, vide quod pono in articulo, vtrùm Papa possit deponi, quando est incorrigibilis in

nono motiuo contra Papam, & in quarto, & quinto motiuo pro Papa, in versiculo non obstat, vsque in finem, quam adde ad dicta hic, & in responsionibus pro Papa de quo per Modernos in d. cap. nouit. Præterea si bene consideretur nullo modo probatur ex dicta auctoritate maioritas Concilij in Papam, tum quia hoc verba ipsa nullo modo sonant, & dato quod nomen Ecclesiæ, caperetur pro Concilio, & quod dicendum esset Concilio, adhuc non haberetur quod Concilium esset maius Papa. Tum quia non datur per dicta verba aliqua auctoritas, siue potestas plectendi, siue mulctandi, sed tantùm dicitur quod si non audierit Ecclesiam monentem, vel si propter Ecclesiam rubore suffusus non pœnituerit, sit tibi offenso, sicut Ethnicus, & Publicanus, & sic non datur aliqua coercitio. Tum etiam quia dicta auctoritas non loquitur de Ecclesia repræsentata, sed de Ecclesia potiùs, quæ sonat collectionem fidelium, ad deducendum delictum offendentis in notorietatem. Et si considerentur actiones Christi, qui venerat ad saluandum peccatores, omnes tendunt ad bonum, & salutem animæ, & non ad potentiam mundanam, iuxtà illud Ioan. 18. Regnum meum non est de hoc mundo, &c.

154 Ex præmissis igitur clarè liquet, quod per illam auctoritatem dic Ecclesiæ non datæ sunt claues aliquæ Ecclesiæ vniuersali siuè Concilio in Papam, & quod non meretur allegari ad hoc illa auctoritas, sicut nec ad hoc, quod Concilium, sit supra Papam, vt communiter allegatur ab ijs, qui dant auctoritatem Concilio supra Papam. Nunc igitur prosequendo propositum, si quærimus an, & quæ claues dicendæ sint datæ Ecclesiæ, sciendum est, quod potestas Ecclesiastica diuiditur in potestatē ordinis, & potestatem iurisdictionis. Item potestas ordinis duplicem habet respectum, vnus est ad Corpus Christi verum, quo ad consecrationem eius, alter est ad Corpus Christi mysticum, seù membra eius, & hoc dupliciter, vel quo ad administrationem Corporis Christi veri, vel quo ad administrationem, vel exhibitionem alterius Sacramenti, sicut est ordo, confirmatio, vel pœnitentialis absolutio. Potestas iurisdictionis duplex est, vna in foro exteriori, alia in foro conscientiæ interiori. Rursus potestas iurisdictionis in foro exteriori dupliciter consideratur, vno modo, prout immediatè tradita est à Christo secundùm legem Euangelicam, alio modo, proùt super addita est ex humana consideratione, vel dono per Principes seculares, aut aliter. Item potestas iurisdictionis in foro interiori dupliciter consurgit. vno modo ex hoc, quod homo vltro se subijcit tali potestati, sicut cum sponte confitens subijcit presbytero, & ordinandus Episcopo, secundò ex auctoritate Superioris huuc, vel illum tali, vel tali subijcientis, quod fieri potest, non ad arbitrium illius, qui subijcitur. Et hanc distinctionem potestatis Ecclesiæ posuit Gerson in primo libro de potestate Ecclesiastica capitulo secundo. Cui non assentio in eo, quod ponit potestatem iurisdictionis, fori exterioris considerandam vno modo, prout immediatè traditam à Christo, nec in eo, quod ipse dicit in quarto capitulo, quod per auctoritatem illam Matth. 18. data fuit potestas fori iurisdictionis exterioris immediatè à Christo, quia sicut supra dixi, illa auctoritas tantùm loquitur de foro pœnitentiali, & iurisdictionis interioris necessariò consequentis ad potestatem ordinis, seù ligandi, & soluendi in foro penitentiali.

155 Vndè dicimus, quod potestas clauium ordinis, quo ad administrationem Corporis Christi veri, est data Ecclesiæ, & est in abdicabilis, & inauferibilis, quia quisquis est Sacerdos ritè consecratus, si intendit & tentat cum forma, & materia debitis consecrare consecrat, etiam si sit excommunicatus, & irregularis, degradatus, depositus simoniacus in ordine, schismaticus, hæreticus, prima quæstione prima capitulo Dominus, ponit Richardus in quarto senten. distinctione decimatertia, quantumcumq; enim peccet transgrediendo præceptum, puta quod excommunicatus non celebret, non impeditur effectus consecrationis. Non sic si minister etiam ritè ordinatus, & habens intentionem consecrandi deficiat in materia, vel forma, quia non consecrat.

Et in hac potestate ordinis omnes sacerdotes, qui ritè sunt ordinati sunt pares. Et istam potestatem dicunt Doctores, datam in cęna Domini, quando fecit Apostolos Sacerdotes, per verba hoc facite in mei commemorationem. Potestas verò ordinis, quo ad administrationem Sacramentorum ordinis, confirmationis, consecrationis Virginum, Abbatum, Ecclesiarum, & institutionem Ecclesiarum, non est æqualiter in quolibet Sacerdote, quia simplex Sacerdos non potest ista conferre, vt dicitur in cap. quanto, de consue. & in capit. aqua, de consecr. Eccl. vel alta, & si de facto id agat, nihil facit, quia neque confirmat, neque ordinat. Episcopus verò si volentem ordinari, vel confirmari, qui sit Sacramenti susceptiuus puta, si non sit mulier, &c. confirmet, vel ordinet etiam si Episcopus sit excommunicatus, & irregularis, nihilominus tenebit ordinum, & huiusmodi Sacramentorum collatio, vt in capitulo 2. dist. 19. & prima quæst. prima, capitulo quod quidam. Et in hoc omnes Episcopi sunt pares, ab infimo, vsque ad supremum, id est vsque ad Papam, non sic autem est de Sacerdotibus simplicibus, quantumcumque supra ordinem Sacerdotalem non sit altera potestas ordinis, neque in Episcopis, neque in Papa, licèt aliter sit in Episcopis, & Papa, & aliter in minoribus Sacerdotibus, sicut inter Apostolos, & discipulos fuit etiam distinctio, vt in cap. decretis, & in capitulo in nouo dist. 21. & Magister sententiarum, in quarta dist. 24. cap. 8. Vnde quo ad consecrationem Corporis Christi veri nulla est differentia, quia omnes Sacerdotes, quo ad hoc eamdem habent potestatem, sed quo ad administrationem Sacramentorum dispar est potestas in Episcopis, & simplicibus presbyteris. Et ista potestas clauium ordinis, par data est omni-

omnibus Apostolis, cum Petro per illud
156 Ioan. vigesimo. Potestas autem clauium fori iurisdictionis interioris, loquendo secundùm terminos Gerson. non est propriè coercitiua, sed spontanea. Et hæc potestas iurisdictionis, quæ fundatur radicaliter in potestate ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis, si consideretur sic generaliter respicit, Corpus Christi mysticum, hoc est fideles multipliciter, oportet enim eos secundùm tres actus hierarchicos regere, qui actus secundùm Dionys. sunt purgare, illuminare, & perficere purgare per inflictionem pœnæ excommunicationis, vel interdicti, & hoc spectat ad iurisdictionem coercitiuam, quæ purgatio etiam fit per baptismum, & sacramentalem absolutionem non coercitiuè, quia purgatur quis per baptismum, & absolutionem voluntariè. Illuminare est per prædicationem, & doctrinam, & perficere per aliorum sacramentorum ministrationem. Et in huiusmodi sacramentorum ministratione oportet, quòd personæ quibus ministrantur sint ministranti subditæ, vt in cap. omnis, de pœnit.& remis. præterquàm in baptismo, quòd est sacramentum necessitatis non reiterabile, vt de consecr. dist. quarta, cap. in necessitate, cùm pluribus sequ. & 30. qu. 3. super quibus, etiam si ab hæreticis, & extrà articulum necessitatis conferatur, cap. hi qui prima qu. 1. & cap. dedit baptismum, & cap. quod quidam, ead. causa, & qu. de consecr. dist. 4. cap. si qui, cum sequentibus. Sic dicimus, quod in mortis articulo ratione instantis necessitatis quilibet absoluit ab excommunicatione, & à peccatis, vt in cap. pastoralis, de offic. ordin. dummodo sit talis persona absoluens quæ, sit capax potestatis ligandi, & soluendi, vt putà quia non laicus, vel fęmina, quia talis licèt illo casu audiat confitentem, propter defectum clauium non absoluit, vt dicit ibi glo. & Doct. sed confitens, quo ad Deum habetur pro absoluto, de pęnit. distin. 1. capit. quem pænitet. Aliàs autem in sacramento pœnitentiæ requiritur de necessitate præcepti et Sacramenti, quod sit subiectus, hoc est quod sit de iurisdictione ministrantis sacramentum auctoritate legis, vel superioris, item subiectus voluntariè, quia non datur absolutio nolenti pęnitere, vt dicto cap. omnis de pœnit.& remis. Vnde, & Papa qui nulli subest, quo ad coercitionem exterioris fori, subest tamen confessori suo, quo ad hanc iurisdictionem annexam ordini Sacerdotali. Similiter subest ordinatori suo, cum contingit eum post electionem ordinari sacerdotem, vndè & ab Episcopo Hostien. consecratur, qui est minor eo. In sacramento autem confirmationis, & ordinis, quibus imprimitur character, sufficit de necessitate Sacramenti, non tamen præcepti subiectio voluntaria suscipientis hæc sacramenta, ab illo qui conferre potest illa, peccat tamen dans, atque suscipiens si non adsit subiectio per legem, vel superiorem ordinata, de quo in cap. 1. post Innoc. de supplen. negli. præl. tex. & Doct. in capit. eos, de temporibus ordinandorum, in sexto, dicitur in cap. 1. de eo, qui renunciat Episcopatui. Hanc autem potestatem clauium iurisdictionis interioris annexam ordini sacro, dicimus immediatè à Christo, primò promissam Apostolis per illud Matth. decimo octauo, amen dico vobis, &c. Et post resurrectionem collatam, quando Dominus insufflauit, & dixit accipite Spiritumsanctum, &c. Ioan. vigesimo.

157 Potestas autẽ fori exterioris, quæ est prędic. coercitiua, valet exerceri in alterũ etiã inuitum, nàm iudicium redditur in inuitum, l. prima, & authen. ibi posita, Cod. de litis contesta. l. inter stipulantem, §. si stichum, ff. de verb. obli. Et ista iurisdictio exterior considerata de per se, generali vocabulo dicitur iurisdictio, hoc est potestas dicendi ius, vel iurisdictio quasi iuris dictio id est promulgatio, notificatio, siuè pronunciatio. Vndè Bar. & alij in l. prima, ff. de iurisdictione omnium iudicum dicunt, iurisdictio est potestas de iure publico introducta cùm necessitate ius dicendi, & æquitate statuendi, de quo in authen. de defensoribus ciuitatum, §. iusiurandum ibi in gloss. Et huius multiplex est diuisio, vt dicitur per Doct. in l. 3. ff. de iurisdictione omnium iudicum, & alia est voluntaria, alia contentiosa, vt in l. prima ff. de officio Proconsulis, & cap. nouit. de offic. lega. Bald. in l. prima, C. de emancip. liberorum. Et ista multùm differt ab ea, quæ est annexa ordini sacro. Vndè dicitur in capitulo aqua. de consecr. Ecclesiæ vel altaris, & in capitulo quanto, de consu. quòd ea, quæ sunt iurisdictionis Episcopus delegat, non autem ea, quæ sunt ordinis. De huius iurisdictionis multiplici diuisione, & definitione habetur in Specu. de iurisdictione omnium iudicum, & bona glos. in clemen. quamuis, in verbo omnimodam de foro compet. vbi ponit aliam temporalem, aliam Ecclesiasticam, aliam spiritualem, aliam ciuilem, aliam criminalem.

158 Vtrùm autem huiusmodi fori exterioris iurisdictio data fuerit Apostolis immediatè à Christo, hìc est principalis difficultas, nam Apostolus Paulus visus est exercere istam iurisdictionem, cùm excommunicauit Corinthium primo ad Corint. quinto, & in capitulo cum sit Romana in §. fin. de appel. & 33. quæstione 3. cap. quid crudele capitulo audi. vndecima quæstione tertia gloss. in capitulo nouit. de offi. legat. secunda quæstione prima capitulo de manifesta. Intantum, quòd dicit Archid. in capitulo cùm Beatus 45. distinctione, quod Apostolus tantæ fuit authoritatis, & meriti, quod quicumque ab illo excommunicabatur, corporaliter corripiebatur à Dæmonio. Et Ecclesia iudicat de Papa capitulo si Papa 40. distinctione, & de titulo Papatus, 79. distinctione capitulo si duo. Et quæ dicta sunt Petro, aut Apostolis, trahendà sunt ad Ecclesiam. Vndè Augu. in Epistola 80. ad Esychium dicit, verba, quæ locutus est Christus ad Apostolos, oportet de successoribus intelligere, sicut illud eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et illud eritis mihi testes in omni Iudæa, & Samaria, & cæt. Et illud ego vobiscum

biscum sum vsque ad consummationem seculi, quod tamen eum vniuersæ Ecclesiæ promisisse, quæ alijs morientibus, alijs nascentibus vsque in seculi consummationem futura est, quis non intelligat. Et idem August. psal. 108. quædam dicuntur quæ etsi ad Apostolum Petrum propriè pertinere videntur, non tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Eccles. Quod si iste sensus est verus, oportet de necessitate, quod verba, quæ locutus est Christus ad Apostolos Matth. 18. quæcumque alligaueritis, &c. designent potestatem clauium fori exterioris, & similiter illa Ioan. 20. sicut misit Me Pater, & Ego mitto vos, hæc cum dixisset insufflauit, & dixit eis accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. quia non reperitur alia authoritas directa ad Apostolos, quæ hoc ita præseferat sicut iste duæ. Vndè concludendum videtur necessariò, quod Apostolis, & consequenter Ecclesiæ data fuerit, per illa verba, potestas clauium fori exterioris, & sic quod istam potestatem habuerit Ecclesia immediatè à Christo, & sicut supra dictum est verba in illa authoritate Matth. 18. maximè hoc ostendunt, propter dictionem quæcumque, & verbum alligaueritis, & quia videmus, quod Ecclesia exerceret censuras. Vel saltem prout dicit tex. in cap. audiuimus 24. quæst. prima, quando Petrus claues accepit, pro omnibus, & præ omnibus accepit, sequitur, quod iste claues fori iurisdictionalis sint datæ Ecclesiæ, quia vt sæpiùs dictum est quando Petrus claues accepit Ecclesiam sanctam significauit, vndè istæ claues iurisdictionales fori exterioris datæ fuerunt coniunctim omnibus Apostolis per illa verba, & tibi dabo claues regni cœlorum, & sic habuerunt isti claues immediatè à Christo. Vndè Card. de Turrecrem. in 2. lib. cap. 72. dicit ponendo triplicem intellectum huius, quod dicitur, quod vniuer-
159 sali Ecclesiæ datæ sunt claues. Vnus est, quod claues datæ sunt Ecclesiæ in singulis eius membris diuisim, & iste intellectus est falsus, & damnatus inter errores Valdensium, qui dicebant singulos bonos homines habere potestatem clauium ligandi, & soluendi. Secundus est, quod vniuersali Ecclesiæ in omnibus membris suis coniunctim siuè simul datæ sint claues. Et istum intellectum dicit non solùm esse falsum sed etiam impossibilem, eo quod maior pars fidelium est incapax clauium, quibus fit peccatorum remissio, & capaces non semper possunt esse congregati, tertius intellectus est, quod vniuersali Ecclesiæ datæ sint claues non in omnibus membris eius, sed in aliquibus tantùm, & plenitudo potestatis data sit in illi in vno membro tantùm, scilicet principali, quod est caput corporis Ecclesiæ, idest Papa. Et istum dicit esse verum, & catholicum intellectum. Vndè respondet ad illud, quod dicitur claues datas Ecclesiæ, quod propter vnitatem Ecclesiæ siuè propter vnitatem membrorum in ipso corpore Ecclesiæ existentium, ipsum corpus Ecclesiæ dicitur sæpè recipere, habere, & exercere, siuè operari, quæ officialia membra eius, vel aliquod etiam vnum eius membrum, recipit, habet, aut operatur, licèt illud tale conuenire non possit toti vniuersitati membrorum, nec etiam propriè possit dicit de ea, sed tantùm per synecdochen denominando totum à parte, & sic quod aliquibus membris Ecclesiæ conuenit attribuitur toti Ecclesiæ, iuxtà illud Apostoli, primæ ad Corinth. decimo, sedit populus manducare, idest quidam de populo, & sic potestas ministerialis ligandi, & soluendi à peccatis, quæ solis sacerdotibus conuenit, dicitur Ecclesiæ data, cuius membra sunt sacerdotes. Allegat Archi. de consec. dist. 4. cap. Ecclesiæ charitas, qui dicit, quod Ecclesia dicitur facere, quod eius ministri faciunt secundùm instituta, puta paruulos baptismo offerre, baptizare, peccata dimittere, &c. Vndè ad propositum adducit illud Augustini in Psal. 17. attende regulam vnitatis capitis, & corporis, quasi enim vna persona est caput, & corpus, ideoque vna voce vtitur caput cum membris, licèt ea, quæ dicuntur, ad diuersa referantur, quædam enim soli capiti conueniunt, quædam capiti, & membris, item quæ membris conueniunt quædam præteritis, quædam præsentibus, quædam futuris, quædam perfectis, quædam imperfectis conueniunt, & tamen in tanta diuersitate vna vox est, & quasi vna persona loqui videtur. Sed pro certo iste intellectus Cardinal. licèt sit in se verus, tamen non ostendit mihi, an Ecclesia, & consequenter Concilium siue Papa, habeat aliquam clauem iurisdictionis fori exteriotis, & quam, & an immediatè à Christo, vel quomodo, & qua authoritate. Quamuis enim reperiantur aliqua per Apostolos facta post ascensionem Christi in cœlum, quæ designant iurisdictionem coercitiuam, vt est illud, quod legitur de Apostolo, qui damnauit Corinthium, & sic posset adduci illud 2. ad Corinthios, 5. pro Christo legatione fungimur, vbi gloss. interl. dicit, idest vice Christi fuit legatus Dei, & ad Titum, 3. hereticum hominem post primam, & secundam correctionem deuita, & 1. ad Corinth. 5. si is, qui frater nominatur inter vos est fornicator, &c. & posteà sequitur, cum huiusmodi nec cibum sumere, item adhuc infra quid enim est mihi de ijs, qui foris sunt iudicare, & si qua alia similia gesta sunt ista non videntur posse allegari ad propositum, quia si quam iurisdictionem exercuerunt Apostoli, id potuit esse per commissionem Petri, & per deriuationem à Petro. Vndè ad ostendendum istam potestatem Clauium datam immediatè à Christo oportet discurrere per Euangelia, & opera Christi. Et profectò nullę authoritates preter allegatas, ex Matth. decimosexto, & tibi dabo claues regni cœlorum, & cęt. & Matth. decimooctauo. Amen dico vobis quęcumque alligaueritis, &c. & post resurrectionem Ioan. 20. quando dominus insufflauit dicens accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, & cęt. & Ioann. 21. pasce oues meas, possunt propriè dici loqui de potestate iurisdictionis fori contentiosi, siuè exterioris, nam

nam illud Matth. & Mar. vlt. euntes in mundum, &c. ficut, & illud Ioann. 4. loquitur, de officio prędicandi, & baptizandi, & illud Matth. 10. & Luc. 10. & 1. ad Corinth. 9. de poteftate accipiendi vitę neceffaria, & faciendi miracula, & illud Luc. 10. de eijciendis demonibus, & illud Matth. 19. fedebitis, & vos iudicantes, &c. de iudicio vniuerfali in fine mundi poft refurrectionem vniuerfalem. Vndè cum non habeamus aliquam authoritatem euangelij, per quam appareat data omnibus Apoftolis poteftas clauium fori contentiofi, & illę authoritates, quę hoc fonant Matth. 16. & Ioann. 21. fiut dictę Petro tantùm, fequitur quòd Apoftoli nullam habuerint immediatè à Deo poteftatem Clauium fori contentiofi exterioris, fiuè coercitiui, & quod fi quam reperiantur habuiffe, illud fuit per deriuationem à Petro. Et hoc probat ille text. in cap. ita dominus 19. dift. fępiùs allegato cùm fuis concordant. & probat text. in parte decifa in cap. quia diuerfitatem, de conceff. pręben. cùm dicit quia diuerfitatem corporum fępè fequitur diuerfitas animorum, ideò poteftas iurifdictionis à principio fuit in vno collocata. Vndè oftendit, quòd ifta poteftas iurifdictionis exterioris non fuit per Chriftum data Ecclefiæ, vel alicui corpori, fed vni tantùm fcilicet Petro. Obftat tamen, quòd fi per illa verba pafce oues meas, Petrus
160 quia factus paftor accepit claues iurifdictionis, fequitur fimiliter, quod & Apoftoli qui fimiliter fuerunt paftores, eamdem iudiciariam poteftatem fori exterioris habuerint. Et quod Apoftoli fuerint paftores cantat Ecclefia in prę fatione eorum; vt gregem tuum paftor ęterne non deferas, fed per beatos Apoftolos tuos continua protectione cuftodias, vt ijfdem rectoribus gubernetur, quos operis, tui vicarios eidem contulifti pręeffe paftores, &c. Ecce, quod Apoftoli funt paftores vniuerfi gregis dominici, ficut & Petrus, & omnes Vicarij ficut Petrus, & hoc immediatè, vt videtur à Chrifto per id, quod dicitur contulifti pręeffe. Sed ad hoc poteft refponderi, quod Ecclefia appellat paftores etiam quofcumque rectores, feù pręlatos, vt in cap. ne pro defectu de elect. & in cle. in plerifque in gloff. de elect. Et refpectu curę animarum, vt in cap. fi rector. 43. diftinct. Quinimò dico, quod illa verba præfationis fi benè ponderentur, oftendunt, quod Apoftoli nullam habuerunt iurifdictionē coercitionis exterioris. Ponderandum eft enim, quod dicit, quos operis tui Vicarios, & non dicit Vicarios tuos, quia vnus eft Vicarius Chrifti Papa, qui habet omnem iurifdictionem, & fuperioritatem cap. fin. de transla. Pręla. Et in extraua. vnam fanctam, Vicarij appellantur Epifcopi, qui Vicarij funt Chrifti, 33. quęft. 5. cap. penul. Opus autem Chrifti erat falus animarum, quia ipfe venit quęrere, & faluum facere, quod perierat. Luc. 19. & ipfe venit in hunc mundum, vt peccatores faluos faceret, 1. ad Timo. 1. Ad quod facit, quod dixi fupra, quod Apoftoli fungebantur legatione Vice Chrifti, qui fuit legatus Dei, 2. ad Corin. 5. & Epifcopi eius miniftri. 2. quęft. 5. habet. Gerunt enim curam ouium, ne perdantur, 7. quęft. 1. cap. fuggeftum, & paftores funt gregis, 7. quęft. 1. paftoralis, 8. quęft. 1. in fcripturis. Debent enim pafcere inftructionis verbo. 43. dift. Ephefus 8. quęft. 1. audacter in fin. conuerfationis exemplo. 11. qu. 3. pręcipuè. Euchariftię Sacramento de confe. dift. 2. non prohibent. & temporali fubfidio. 16. qu. 1. cap. nulli Epifcoporum. Item poteft intelligi, quod contulerit eis, vt effent paftores deriuatiuè à Petro, qui fecit alios Apoftolos Epifcopos, vt 66. dift. cap. porrò, & dixit fupra, & poftea diftinxit diœcefes, vt in cap. in illis 80. dift. non quod ipfe Chriftus fecerit eos paftores, quia nullibi hoc reperitur, nifi animarum.
161 Nec obftat quod capit. noua de pœnit. & remiff. dicit in plurali claues, tanquam loquens de claue iurifdictionis, & ordinis, & quia indefinitè dicit claues capit. fi Romanorum 19. dift. Et idem refpondetur ad capit. 1. in §. fi vna de fum. Trinit. quia text. loquitur de clauibus fecundùm propofitum noftrum, videlicet in foro pœnitentiali, quia loquitur de officio prædicandi, & audiendi confeffiones, & fic de clauibus ordinis, & hoc congruit titulo de pœnit. & remiff. de fum. Trinit. Nec poteft intelligi de clauibus iurifdictionis exterioris, quia fic intelligendo non redderetur bona ratio ad text. cùm mulieres poffint habere iurifdictionem ex confuetudine, vel priuilegio, vt in cap. dilecta de maiorit. & obedien. & in cap. dilectus filius de arbitr. & glof. in dicto cap. noua. Et fic dicitur ad §. vna, quod loquitur de clauibus ordinis, quæ etiam fubdiftinguuntur in plures, & fic indefinita reftringitur ad materiam fubiectam de conficiendo Corpus Chrifti verum, & illa regula cap. quia circa de priuileg. & 19. dift. fi Romanorum, quod indefinita æquipolleat vniuerfali, patitur multas limi-
162 tationes. Et ex his patet quod Apoftolis non funt immediatè à Chrifto datæ claues fori contentiofi exterioris, fed quas habuerunt, habuerunt à Chrifto mediante Petro, & deriuatiuè ab eo, tanquam ipforum capite, & præfecto. Et ideò benè fupra conclufum eft, quod Concilium Sede vacante non poteft regulariter exercere referuata Papæ, cùm iurifdictio, & poteftas ifta, quæ à Petro defcendit, fit reftringibilis ad voluntatem eius, à quo defcendit. Et ex hoc fequitur quod cùm poteftas clauium Apoftolorum, & confequenter Ecclefiæ, & Concilij fit longè minor poteftate conceffa Petro, & fucceffloribus, Papa eft maior Concilio. Et ex his etiam apparet quod
163 multum errant illi, qui ponunt plenitudinem poteftatis principaliter, & fundamentaliter in Ecclefia, quia fi dubitatur, an Apoftolis data fit iurifdictio contentiofa, fiue fori exterioris, vt fupra fatis dictum eft, quomodo poffunt ponere plenitudinem poteftatis in Ecclefia, quæ per Apoftolos figuratur, cuius vices hodie gerunt Epifcopi? Vt in cap. in nouo 21. dift. & cap. Ecclefiæ princeps 35. dift. Et maximè cùm fint text. clari quod plenitudo poteftatis eft in Papa & quod alij vocati funt in partem follicitudinis

dinis

dinis 1. qu. 2. decreto, & cap. ad honorem de auctor. & vsu pal. & in cap. proposuit de concess. præben. & in Clem. 1. vt lite penden. & cap. 1. vt Eccles. benefic. cùm simil. Et text. in Clem. Pastoralis in fin. de re iudic. dicit nos tam ex superioritate quàm ad imperium non est dubium nos habere quàm ex potestate, in quam vacante Imperio Imperatori succedimus, nihilominùs ex illius plenitudine potestatis, quam Christus Rex regum, & Dominus dominantium nobis licèt immeritis in persona Beati Petri concessit &c. Ecce quod ista plenitudo potestatis est in solo Papa, quia non dicit in persona beati Petri datam sibi, & Ecclesiæ, sed tantùm sibi principaliter, & immediatè à Deo. Et adde hìc, quæ dicuntur parum ante fin. in quæstione de capitulis iuratis in Conclaui. Et si ista plenitudo potestatis esset in Ecclesia fundamentaliter, & in Papa tanquam in ministro, ista plenitudo, vel esset inutilis, quia nunquam posset reduci ad actum, siue executionem irrequisita Ecclesia, cum tamen Papa quotidie vtatur plenitudine potestatis, vbi videt expedire, vel etiam Episcopi possent vti ista plenitudine potestatis, qui sunt etiam de corpore Ecclesiæ. Et si per Ecclesiam esset exercenda raro, vel numquam exerceretur, cùm raro sint Concilia. Et si Papa est solùm minister posset impediri in eius exercitio, & si esset discordia, cessaret vsus istius plenitudinis.

164 Ad illud quod dicit Cardin. Flor. quod cap. ita Dominus, non dicit totaliter, sed principaliter, respondet Episcopus Torcellanus, postea Brixien. & Vicarius Papæ, qui irridendo d. Cardinalem dicit quod distinctio, quam ponit Zabella est phantastica, quia si notentur verba text. satis patet verus eius sensus, ait enim ita Dominus huius muneris sacramentum ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, vt in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi à quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, si ergo inquit dona, siue potestates Domini diffunduntur in cæteros per beatum Petrum, priùs fuerūt in Petro solo, antequam deriuarent ad alios & sic accepit principaliter à Deo, & si hæc principalitas non erat, vt esset maioris potestatis, quàm singuli, vel omnes simul, tunc non erat primus nisi ordine, non auctoritate, ergo non erat assumptus in consortium indiuiduæ vnitatis cum Christo quo ad potestatem, quod de ipso solo ibidem dicit Leo. Ita dicit ipse in quodam tract. de creatione Cardinalium ad Pium II. Pontif. Max. vbi tractat de potestate data Petro. Non obstat quod dicitur quod Concilium decernit, & fulminat censuras, vt in capit. primo, de pac. & de iudic. cap. 1. quia intelligitur de Concilio cum Papa, vel eius legato, à quibus recipit auctoritatem, si enim sine voluntate Papæ celebraretur, esset conciliabulum, si autem de voluntate Papæ esset legitimè congregatum, & postea diuisum à Papa, tunc tantam haberet auctoritatem, quantam communicare possent Prælati inter se in illo existētes, si esset aliàs legitimè congregatum. Et ideò Prælati qui hoc habent descensiuè à Papa, sunt causæ cur Concilium possit fulminare censuras, & non ex propria auctoritate Concilij, vt latè dictum est in quæstione, de quibus causis, & litibus cognoscat, & quam

165 iurisdictionem habeat Concilium. Ad illud, quod dicta auctoritas Matth. 18. vtitur verbo alligaueritis, quod videtur sonare iurisdictionem contentiosam, respondetur, quod ex quo dicta auctoritas loquitur de foro pœnitentiali, vt patet ex serie totius illius capituli, intelligitur, & restringitur verbum alligaueritis ad subiectam materiam, vt in cap. cupientes §. denique de elect. in 6. & sic ad forum poli, siue pœnitentiale, & sic ad alligationem iurisdictionalem conuenientem ordini, & foro iurisdictionis interioris. Et similiter respondetur ad signum vniuersale quæcumque, quod intelligitur secundùm subiectam materiam, vt in l. si ita ff. de legat. 3. & in authen. de exhiben. reis §. optimum. Ad illud quod peccator iam est alligatus peccato, & vlteriùs non alligatur, sed absolui-

166 tur, & ideò dicta auctoritas debet intelligi non in foro pœnitentiali, & iurisdictionis interioris, sed in foro contentioso exteriori. Respondetur quod immò licèt peccator sit alligatus per peccatum, posset aggrauari, & magis alligari propter contumaciam, & perseuerantiam in peccato, & pluries alligari secundùm diuersitatem, & multiplicationem contumaciæ in peccato, & incorrigibilitatem, argument. cùm non ab homine de iudic. Et sacerdos propter pertinaciam in peccato potest præcipiendo magis illum alligare ad pœnam æternam 14. qu. 1. cap. quisquis, & cap. quod præcipitur, & benè text. in capit. si sacerdos offic. Ordin.

167 Restat respondere ad illud, quod dicitur de Paulo, qui excommunicauit Corinthium 1. ad Corinth. 5. excommunicatio autem est actus iurisdictionis contentiosæ, vt in d. cap. nouit, & d. cap. aqua, & Nicolaus in glos. in d. capit. 5. in verbo, vt tollatur de medio vestrum, supplet per excommunicationem. Verùm text. non dicit quod excommunicauerit, sed quod tradiderit eum Satanæ, vbi supplet glos. inter lin. vt corporaliter vexet cum diabolus, & sic ille resipiscat. Et glos. ordin. dicit quod Paulus dicitur habuisse hanc potestatem, vt dum aliquem à stultitia non posset amouere, diabolo traderet eum vexandum quousque pœnitentiam profitens à malo desisteret, & dicit Archid. in cap. cùm beatus 45. dist. Et sic non est ibi sermo de iurisdictione contentiosa, sed dicitur quod illud agebat Paulus spiritualiter. Item posset responderi quod Paulus fuit vocatus post Ascensionem Domini, & potuit exercere iurisdictionem deriuatiuè à Petro, non quod immediatè fuerit data à Christo Apostolis, quia tempore, quo fuit dictum Apostolis quæcumque alligaueritis &c. Et quorum remiseritis peccata &c. Paulus non erat Apostolus. Et ideò frustra quæritur an fuerit data potestas immediatè à Christo Apostolis, propterea quod Paulus exercuit

cuit

fuit aliqua, quæ erant contentiosæ iurisdictionis. Et cùm gratia in Paulo abundauerit 1. ad Corinth. 15. fuit enim vas electionis, si aliquid specialiter habuisset plusquam alij Apostoli, non mirum fuisset. Nec ex hoc sequitur, quod Paulo fuerit data potestas omnimoda iurisdictionis contentiosæ, & prælationis, immò ipsemet ostendit contrarium ad Galat. 1. quando dicit quod mansit cum Petro diebus ferè 15. dist. in 2. cap. dicit quod contulit Euangelium cum alijs, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset prædicando. Vnde sanct. Thom. ad Galat. 2. in 3. lect. dicit quod Apostolus Paulus fuit par Petro in executione auctoritatis, non in auctoritate regiminis, Quamuis autem istæ solutiones possent tolerari in Paulo, tamen text. in capit. audi. 11. qu. 3. licèt primò ponat exemplum Apostoli, tamen videtur innuere quod eadem potestas erat omnibus Apostolis, ibi vides ergo quia, & modò non solùm per Apostolos suos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum, &c. Et Ioannes excommunicauit Diotrephen, dixit text. in §. hinc etiam 42. distin. patet 3. Ioann. 1. Sed etiam quo ad alios Apostolos potest similiter responderi, quod illud faciebant Apostoli auctoritate, & voluntate Petri, qui fecit eos Episcopos, & consequenter exercebant illam iurisdictionem per deriuationem à Petro. Ad illud quod dicitur, quod Concilium, & sic inferior cognosceret, & vteretur iurisdictione contra illum, à quo eius iurisdictio descenderet, respondetur quod eo casu, quo Concilium potest cognoscere de casu Papæ, vt de titulo Papatus, non dicitur vti iurisdictione contra eum, à quo illam recepit, quia quando cognoscit, incertum est quis sit Papa, & postquam definiuit, functus est officio suo, & iam non cognoscit contra Papam. Eo tamen casu quo cognoscit, nec iudicat contra Papam, quia hoc ipso quod est hæreticus est præcisus ab Ecclesia, & à Papatu est minor quolibet Christiano, & desijt esse Papa, vt dicitur in cap. si Papa 40. dist. & in cap. Achatius 24. qu. 1. & dictum est sępiùs supra. Vnde eo casu omnes volunt Concilium esse supra Papam. Quæ conclusio si benè attendatur, non benè ponitur, quia si iam non est Papa, non potest dici quod Concilium iudicet de Papa, vel quod sit supra Papam, licèt cognoscat de facto, videlicet vtrùm illud, quod opponitur ei sit
168 hæresis. Ex hoc ergo descendendo ad conclusionem principalis quæstionis, dico quod numquam Concilium potest esse supra Papam, quia si sumus in casu, quo sit hæreticus, iam est depositus, si autem sumus in casu, quo cognoscitur, vtrùm sit hæreticus, an verus Papa, non ex hoc arguitur maioritas, nam quamuis Papa deleget alicui causam propriam personam suam concernentem, non propterea cognoscens de causa dicitur maior Papa 2. qu. 4. cap. mandasti, & cap. auditum, & 2. qu. 7. capit. nos si incompetenter. Si autem eo inuito cognoscit Concilium, hoc non potest contingere, nisi in casu hæresis, & similibus, & illæ auctoritates, cap. si duo 79. dist. & cap. si Papa 40. dist. sunt Bonifacij Papæ, & cap. si quis pecunia 79. dist. est Nicolai, Papæ, & similiter cap. nunc autem 21. dist. est eiusdem Nicolai. Et in casu hæresis etiam tunc si iudicatur hæreticus, Concilium non potest ipsum condemnare, vt de hoc est text. in d. cap. nunc autem 21. dist. & si absoluitur ab hæresi, absolui potest etiam superior ab inferiore in casu hæresis, de quo est text. in §. hinc etiam 17. distin. Et istam specialitatē in hæresi ponit Alex. in cap. inferior 21. dist. in glos. ibi, dicens ita intelligendam glos. in Clem. 1. in verbo contra eos de hæret. & quod ita limitatur regula, quæ habet, quod qui non potest condemnare, non potest absoluere, & pro eius opinione in Papa in materia hæresis sunt illi duo text. supra allegati, videlicet capitulum nunc autem, vbi patet quod non potest à Concilio condemnari, & d. §. hinc etiam, vbi patet quod potest absolui à Concilio in casu hæresis, quia, vt ibi dicitur, Symmachus impetebatur de hæresi.

Et sic patet quod ex hoc quod Concilium cognoscit de hæresi Papæ, non dicitur maius Papa, & cap. si duo 79. dist. loquitur de Papa, quando est dubius, quia electio dubia, quæstio autem est de indubitato Papa. Item illa iura superiùs allegata, & cap. Anastasius 19. dist. loquuntur in Papa hæretico, qui statim est depositus, & illa iura sunt canones Pontificum, ideò magis ex illis arguitur, quod Papa sit superior, quia quod facit in hoc Concilium facit auctoritate Papæ, & ius est illud, quod in casu hæresis deponit, & non Concilium, & in casu schismatis inueterati, & dubietatis ortæ in electione ab ipsomet Papa canonum conditore procedit potestas data Concilio, & ad hoc faciunt dicta supra in quæstione, ex quibus causis possit Papa deponi. Nec similiter potest dici maius, quia iudicat de titulo Papatus, quia tunc non directè iudicat contra personam Papæ, etiam dato quod contingeret casus quod iudicandum esset contra verum possessorem, & amouendus esset à Papatu, maximè quia per constitutionem frequens, ambo contendentes de Papatu, sunt ipso iure suspensi ab administratione Pontificatus. Sicut etiam dicimus de Cardinalibus, qui eligunt Papam, & tamen non sunt maiores Papa, vt in capitulo in nomine Domini 23. distinctione, & in capitulo licèt, de elect. Sic etiam potest Episcopus ex causa modificare pęnitentiam indictam à Papa, vt in capitulo tempora. 26. quæst. 7. ibi glos. & in cap. latorem 33. quæst. 2. Sic, & procurator generalis ex causa potest inhibere procuratori speciali, vt in l. si hominem, ff. mandati, per quem tex. Abb. Siculus in cap. si quis contra clericum, de foro compet. vult quod ex causa à delegato Episcopi potest appellari ad Vicarium eius, & tamen ex hoc Vicarius non est maior delegato, nec procurator generalis maior speciali, nec Episcopus maior Papa. Ad quod vide multa cumulata per Felin. in capit. 1. in 7. fallen. de constitut. Vnde, & procurator Cæsaris, qui cognoscit de causa Cæsaris, vt in l. nec quicquam, ff. de offic. pro-

con. non propterea est maior Cæsare Fateor tamen, quod vbi esset diuersa sententia Papæ, & Concilij, in causa fidei in dubio valdè arduo præfertur sententia Concilij, quando habet concomitantiam, cum aliàs decisis per alios canones, sicut etiam præferretur sententia Papæ, quæ per alios canones anteà fuisset approbata, vt latè dictum est in quæstione propria. Sed ex hoc non sequitur, quod Concilium sit maius Papa, quia frequenter reuelatur minimo, quod maior ignorat. cap. esto subiectus dist. 95. & si in cap. attendatur sententia maioris partis contra Episcopum, non propterea capitulum est maius Episcopo. Vnde absolutè loquendo dico simpliciter, quod Papa est maior Concilio, & rectè considerando dubitare de hoc, est ponere os in cœlum, & offuscare lucidum.

169 Duæ tamen declarandæ videntur difficultates circa auctoritatem dic Ecclesiæ, quia si exponitur dic Ecclesiæ, id est prælato, qui excommunicet, & coerceat, vel emendet subditum per censuras, ex ista auctoritate Matth. 18. resultat, quod tunc data fuerit Apostolis, siuè promissa, & postea data, Ioannis 20. non solùm potestas ordinis, sed etiam iurisdictionis exterioris immediatè à Christo, quia vt verba, quæ sequuntur, videlicèt quæcumque alligaueritis, &c. conueniant præcedentibus verbis, & illorum expositioni, oportet intelligere alligaueritis per censuras, & pœnarum impositionem, quod alligare est iurisdictionis Ecclesiasticæ fori contentiosi, nam in ferendo censuras, & in excommunicando requiritur causæ cognitio 2. quæst. 1. cap. nemo, & vtrumque est iurisdictionis contentiosæ, vt in capit. nouit de offic. legati l. 2. ibi glo. de offic. procon. & in c. quanto ibi glo. de consuet. cum simil. Secunda difficultas est, quod cùm ista verba dicta fuerint Petro, cum alijs Apostolis, vt patet Lu. 17. oportet intelligere, quod etiam Petrus, & consequenter Papa subijciatur huic denuntiationi, hoc est quod si ipse peccat in fratrem, & adhibito vno, vel duobus non se emendat, denuntiandus sit Ecclesiæ, idest Concilio, quia non est dare prælatum superiorem, qui contra Papam possit adiri, ergo videtur adeundum Concilium, quia & Papa dicitur frater noster, sicut, & omnis fidelis, vt ad Hebræ. 2. & 1. ad Corinth. 8. & in 3. epistola Ioann. Item etiam si alius peccet in eum, & denuntiandus sit Ecclesiæ, idest prælato, sequitur, quod ipsemet sibi ipsi habeat denuntiare, quia & ipse dicitur frater 11. qu. 3. cap. ad mensam. Ex quo sequitur quod illa auctoritas dic Ecclesiæ, quando Papa peccat in alium, cùm nullus sit prælatus, qui possit eum excommunicare, isto casu intelligatur de Concilio, & quod similiter si alius peccet in eum, oporteat adire Concilium.

170 Pro solutione istarum difficultatum, si intelligimus dic Ecclesiæ, idest multitudini, & omnibus de Ecclesia passim, tunc cessat prima difficultas, & ista admonitio posset habere locum etiam in Papa, quia si fraternè admoneretur, & adhibitis testibus non desisteret à peccato in fratrem commisso posset, quis denuntiare etiam à multis de Ecclesia, vt sic saltem rubore suffusus resipisceret, & desisteret. Et isto casu deberet restringi, quod dicunt Doct. post Hostiens. in cap. proposuit de concessione præben. quod illa auctoritas dic Eccles. intelligitur de dicendo Eccles. vt oret Deum pro eo, & quod aliter non potest habere locum in Papa, vt dixi supra, & in articulo vtrùm Papa possit deponi, quando est incorrigibilis, in 4. & 5. motiuo pro Papa, cum dicitur quod ista auctoritas, dic Ecclesiæ, non habet locum in Papa, quia non habet superiorem, nam illud est verum si intelligimus dic Ecclesiæ, idest superiori prælato, sed si intelligimus dic Ecclesiæ, idest denuntia, & discooperi eum etiam coram multitudine, tunc ista auctoritas dic Ecclesiæ habebit locum etiam in Papa, qui peccaret in fratrem. Et sicut tactum est cessat prima difficultas, de qua supra, quia non sequitur ex præfata auctoritate, quod data fuerit Apostolis, aliqua potestas iurisdictionalis immediatè à Christo, sed quòd illam habuerint à Christo mediante Petro, seù per deriuationem à Petro, vt supra conclusum est. Si autem intelligimus dic Ecclesiæ, hoc est prælato, qui excommunicet, tunc difficile est dare solutionem bonam, quin ex ea sequatur, quod Apostolis data fuerit potestas iurisdictionalis fori contentiosi, si bene attenditur textura verborum, quia post verba dic Ecclesiæ, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, illico subiungitur, amen dico vobis, quæcumque alligaueritis, &c. Ex quibus verbis apparet, quod ex illa auctoritate dic Ecclesiæ, idest prælato qui excommunicet, sequitur, demonstratio effectus ipsius. Ac si dixisset Dominus, ex tali excommunicatione per prælatos, qui vestri typum gerent, & in vestrum locum succedent, vt in cap. in nouo, cum simil. 21. dist. qui allegati fuerint in terra per excommunicationem erunt ligati, & in cœlis, quia vobis dabitur potestas ligandi, & soluendi ea ligatione, & solutione, qua vtitur Ecclesia inferendo censuras, & excommunicando, vt in cap. quærenti de verbo. sig. & sic potestate iurisdictionali, & immediatè à Christo, & non per deriuationem a Petro. Et conuenit hoc cum opinione glo. interl. ibi, quæ ad illa verba, quæcumque alligaueritis, supplet scilicèt vinculo anathematis, quod plus est, quàm simplex excommunicatio, vt in capit. Engeltrudam 3. qu. 4. & in 5. notandum cap. eau. & qu. ibi glos. quia anathematizatur, quis cum solemnitate, vt dicit glos. 11. qu. 2. capit. si inimicus, & tex. in capitulo debent. 11. qu. 3. quia debent interesse 12. Sacerdotes cum candelis accensis astantes, vt dicit ibi tex. & istud est propriè mucro, siuè censura Episcopalis, vt in cap. corripiantur 24. qu. 3. & in cap. visis. 16. qu. 2.

171 & sic iurisdictione fori exterioris. Adde quod ista auctoritas loquitur de peccato commisso in proximum, & disponit, quod ad conuincendum peccantem debeat adhiberi vnus, vel duo testes, vt possit conuinci peccans coram prælato cum testibus quia vt dicunt Doct. in capitulo nouit de iudi.

iudi. & Specu. vbi supra, & Doct. in cap. si peccauerit 2. qu. 1. in ista denuntiatione euangelica peccatum non debet esse omninò occultum, sed debet posse probari, ne sequatur infamia proximi, cuius delictum est occultum, potest enim auferri fama alicui etiam verum dicendo, cùm quis prodit alterius crimen contra ordinem debitum, vt dicit S. Tho. in secunda secundæ qu.62. art. 2. ad 2. argu. Et idem, quod in ista denuntiatione Euangelica peccatum non debet esse omninò occultum, ponit Archiep. Florent. in 2. par. tit. 9. de acidia in cap. 7. de omissione fraternæ correctionis, & S. Tho. in secunda secundæ qu. 33. per totum,& bene Summa Pisanella in verbo correctio. secundò,vers. quo ordine procedendum sit in correctione, & summa Syluestrina in titu. de correctione, & punitione, in quinto, & sexto vers. Nunc ergo si d. auctoritas loquitur de peccato commisso in proximum, & requiruntur testes ad probandum, erit iudicium fori exterioris,cum in hoc virtualiter interueniat actor, reus, iudex & testes, vt in capit. forus de verbo. sig. Vndè cum difficultate potest responderi ad contrarium, quia si dico, quod intelligitur per dicta verba potestas fori contentiosi, Apostolis data, siue promissa deriuatiuè à Petro, repugnant verba, quæ fuerunt immediatè dicta à Christo Apostolis. Si dico, quod Christus per dicta verba solùm loquitur de potestate ligandi, & soluendi in foro conscientiæ, contradicit, quod dicitur dic Ecclesiæ, idest prælato,& expositioni, quam facit glos. interli. in verbo alligaueritis, scilicèt vinculo anathematis, quod sonat forum contentiosum, in quo requiritur causæ cognitio, & in eo iudicium fertur in inuitum. 2. qu. 1. cap. nemo, & fit iudice sedente pro tribunali, 2. qu. 3. §. notandum, versi. si quis 3. qu. 3. §. spatium, versi. à iudice ponunt glos. & Docto. in capitulo nouit de offic. legata. Si dico, quod verba intelliguntur respectu fori interioris, quod dicunt aliqui theologi includitur in potestate ordinis, quæ habet inclusam iurisdictionem ligandi,& soluendi, vt in cap. omnis de pœni. & remis. adhuc repugnant prædictæ expositiones, quæ sonant iurisdictionem fori exterioris, & contentiosi. Si dico, quod ex præfata magistrali expositione dic Ecclesiæ, idest prælato, qui excommunicet, non debet sumi argumentum, per quod destruatur sensus verborum quæcumque alligaueritis,qui tantùm est in foro pœnitentiali, vt apertè constat ex serie totius capituli 18. quod totum loquitur, quo ad forum poli, siue cœlorum, & Ecclesiæ triumphantis, sequitur, quod mala sit expositio magistrorum, & glos. interli. qui non excusarentur propterea, quod darent expositionem vno modo conuenientem literæ, si ex illa destrueretur alia determinatio, quæ est quod soli Petro immediatè data est potestas fori exterioris gubernij, & administrationis,& quam habuerunt Apostoli habuerunt per deriuationem à Petro, sicut hodiè Episcopi in suis Diœcesibus à Papa dist. 19. cap. ità Dominus.

Posset in ista difficultate dici,quod Christus soli Petro immediatè dederit supremam plenam, & vniuersalem potestatem iurisdictionis exterioris gubernij, & administrationis, vel per illa verba Matth. 16.& ego dico tibi, quod tu es Petrus, &c. Vel & rectiùs per illa Ioann. vlt. pasce oues meas, sicut supra dictum est, & Apostolis, qui erant futuri Episcopi à Petro ordinandi, vt in cap. porro. 66. dist. qui habebat distinguere Diœceses cap. in illis dist. 80. dederit, siue dare promiserit specialiter iurisdictionem coercitiuam singulariter exercendam, non distinctam, & separatam ab ipsa vniuersali potestate ipsius Petri, sed descendentem ab eadem potestate generaliter data Petro, & contentam in eadem Petri potestate, in nulloque potestatem Petri diminuentem, sed per modum adiunctionis, & adminiculi ad illam exercendam datam. Nec obstat,quod verba fuerunt dicta etiam Petro inter illos existente, quia possunt intelligi in Petro quæcumque alligaueris tua suprema, & vniuersali potestate, & in alijs quæcumque alligaueritis potestate spirituali, & coadiuuata à Petri potestate, quia verba intelliguntur secundùm qualitatem personæ, cui diriguntur l. plenum §. æquitij ff. de vsu & habit. & l.ex mi quo proferuntur l. damni infecti ff. de damno infecto l. si stipulatus ff. de vsuris Bart.in l.1. Cod. de
172 negot. gestis, cùm simil. Non obstat, quod verba fuerunt simpliciter, & perinde prolata, ac si Apostoli habuissent dictam potestatem immediatè à Christo, cum nihil sonent de deriuatione eius à Petro. Quia respondetur, quod cùm Christus ante Matth. 16. dedisset, siue promisisset dare omnem potestatem iurisdictionis Petro soli dicendo tibi dabo claues, &c. quamuis omnes Apostoli essent præsentes,posteà generaliter dando, siue promittendo alijs Apostolis claues ligandi, & soluendi, de necessitate oportet intelligere sine diminutione auctoritatis concessæ Petro hoc factum, pro hoc text. & quæ ibi dicuntur in cap. ex parte il 1. de offic. delegat. & cap. quia sæpe, de præbend. in 6. numquam enim censetur aliquid dari in iniuriam alterius l.2. §. merito ff. ne quid in loco public. l. nec auus Cod. de eman. lib. vnde virtualiter etiam dicitur data per deriuationem ab ipso Petro, qui summus omnium præfectus eis datus fuerat. Et quod Christus illam non immediatè dederit, & dicatur haberi à Christo quasi per deriuationem ab ipsa suprema vniuersali potestate, Petri descendens, probat text. in summa §.2.dist.21. omnis enim potestas à Deo est siue iubente, siue sinente, vt in cap.quid culpatur 23. quæst.1. & quæst.4. cap. quæsitum, & ad Roman. cap.13. Sicut etiam Papa dat, & ponit Primates, & Archiepiscopos, & Episcopos, & tamen non diminuitur potestas Archiepiscopi propter Episcopum, vt in cap. ad reprimendam, cum seqq. & cap. pastoralis de offic. ordin. & cap. Romana de appellat. in 6. & cap. Romana, de offic. ordin. eodem libro. Et sicut etiam est de Episcopo, & Archi-

chidiacono, item de Vicario Generali, & Vicario Foraneo, vt dictis iuribus item de ordinario, & inquisitore, quia vna inferior iurisdictio, non diminuit superiorem, & quamuis omnes sint à Papa, vna continet aliam potestatem, & à Papa deriuantur omnes potestates tamquam riuuli, vt in cap. loquitur 24. quæst.1. Et in subdelegato respectu primi delegantis, vt in cap. si à subdelegato, de offic. deleg. in 6. & dicto capitulo Romana de appellat. & cap.1. de offic. Vicar. eodem libro, & in cap. non putamus, de consuet. eodem libro. Vnde Doct. in cap.1. dist.22. & ponit Sanctus Thomas in primo sentent. dist.12. dicunt, quod respectu virtutis omnis potestas à Deo est, respectu verò suppositorum agentium omnis potestas immediatè est à Papa, de quo infra latiùs. Et isto modo

173 possemus intelligere Durandum in sentent. 4. dist.19. quæst.2. cum dicit, quod per dicta verba quæcumque alligaueritis, &c. fuit data potestas iurisdictionis Apostolis, quia dicit, quod ex eo, quod subiungitur, scilicet sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, habet ortum sententia excommunicationis, ex ordinatione autem Ecclesiæ est, quod nullus possit absoluere, nisi subditum, & nisi habeat iurisdictionem. Ipse tamen in fine quæstionis concludit contrarium, quod etiam potestas iurisdictionis in absoluendo, & ligando & in foro pœnitentiæ, & contentioso, quia est in Ecclesia propter curam, & regimen ouium Christi; continentur ad solum Petrum, vel eius successores, vel ad alios ex ipsorum commissione propter potestatem vtriusque clauis Petro datam spectet, sicque, quod ij, quibus à Petro, vel eius successore non reperitur data potestas, & iurisdictio ligandi, & soluendi in subditos, non possint absoluere, & quod licèt per verba, quorum remiseritis peccata non fuerit facta limitatio de personis, nec de peccatis, tamen per verba postea dicta Petro pasce oues meas, factum est, quod nullus postea possit, quæ sunt curæ animarum, vt absoluere in foro pęnitentiæ, nisi Petrus, seu eius successor, vel ille cui per Petrum, vel successorem eius commissum est. Sic ergo vult, quod licèt per verba quæcumque alligaueritis sit data Apostolis potestas, & iurisdictio vtriusque fori tamen per verba pasce oues meas, postea factum est, vt ad eius exercitium requiratur commissio Petri, vel successoris. Et ista erit vna tertia opinio ad aliàs supra positas, quæ mihi non placet, quia non sit mihi verisimile, quod Christus primò dederit Apostolis potestatem iurisdictionis, & postea illam restrinxerit, nec verba hoc sonant.

174 Robertus Holkot in quarta sententia, quæstione sexta in responsione ad secundum argum. dicit, quod Apostoli immediatè à Deo acceperunt potestatem absoluendi, sed potestatem iurisdictionis acceperunt à Petro, licèt hoc non legatur. Sed istud etiam videtur irrationabiliter dictum si enim hoc non legitur, quomodo dicitur.

175 Posset dari alia solutio, quod per dicta verba quæcumque alligaueritis fuerit data Apostolis potestas omnimoda ordinis, & iurisdictionis requisitæ ad exercitium ipsius ordinis, quia alioquin parum fuisset dedisse potestatem ordinis, sine potestate exercitij, & ista propriè non dicitur iurisdictio contentiosa, quam potest exercere quilibet, etiam non sacerdos, vt Archidiaconus, & similes, vt patet de offic. Archid. cap. ad hæc cùm simil. quam iurisdictionem ad ordinē requisitam quilibet sacerdos, & maior ordinatus habet in habitu absque aliqua demandatione, ita quod hoc ipso, quod datur cura populi tali ordinato, illico potest exercere iurisdictionem in populum absoluendo, ligando, absque eo quod detur ei aliter iurisdictio. Et hoc modo dicimus, quod Apostolis data fuerit potestas ordinis, in qua fuerunt æquales Petro, Petrus autem cui plenissimè fuit datum gubernium, regimen, & prælatio totius ordinis, & iurisdictionis, habuit distinguere diœcesim, & distribuere gubernium plebium, & populorum, vt in capitulo in illis distinct.80. per quam distinctionem ij, qui erant ordinati, & fuerunt præfecti populis, & plebibus à Petro, receperunt potestatem iurisdictionis contentiosæ tantùm. Et sic dicitur, quod Apostoli per deriuationem à Petro receperunt potestatem iurisdictionis, quia cùm ei soli datum fuisset regimen, & principatus, & haberet pascere oues vocando Apostolos in partem sollicitudinis & in adiutorium gubernij, præponendo eos diœcesibus, & prouincijs ad gubernium, & pascendum plebes cibo spirituali dicitur eis dedisse, & demandasse iurisdictionem contentiosam, & illi dicuntur istam iurisdictionem fori exterioris recepisse per deriuationem à Petro. Ea autem quæ respiciebant ordinem, in quo erant pares Petro, & quæ erant iurisdictionis interioris requisitæ ad exercitium ordinis, quia facti fuerant Sacerdotes in cœna Domini, post diuisos populos, & plebes hoc ipso poterant administrare, & exercere sine alia demandatione ipsius Petri. Et sic dicitur, quod Apostoli habuerunt immediatè à Christo potestatem ordinis, & iurisdictionis, & quod in hoc erant æquales Petro. Poterat tamen Petrus ratione præfecturæ, & primatus sui etiam aliquo modo istam potestatem exercitij ordinis restringere, non tamen ordinem abolere, sicut supra dictum est. Quod factum esse conspicimus per diuisionem diœcesium & parochiarum, quia vnus Episcopus etiam ea, quæ sunt ordinis non exercet in alterius Diœcesi, nec in alienos subditos, vt patet in Clement. 1. de foro competent. & patet de audientia confessionum in capit. omnis vtriusque sexus de pœnitent. & remis. per ea, quæ ibi dicuntur de proprio sacerdote. Vbi per priuilegia Papæ datur etiam religiosis mendicantibus, quod audire possint confessiones, & hoc in auditorium, quia messis multa, operarij autem pauci, vt dicitur distinct.21. in summa.

176 Nunc ergo expositionem illam dic Ecclesiæ

clesiæ id est prælato qui excommunicet, & illam quæcumque alligaueritis,scilicet vinculo anathematis, intelligere oportet pro tempore, quo erant futuri Prælati, quia tunc tempore prolationis dictæ auctoritatis solus Christus erat Prælatus, & Apostoli nondum erant ordinati ad sacerdotium, & ideo dicitur, quod illa verba tunc dicta, fuerunt verba promissionis. Futuri autem erant Prælati post Christi Ascensionem, & Diœcesum distributionem, & propterea bene in illo text. cap. in illis, subiungitur quoniam nec inter ipsos Apostolos par fuit institutio, sed vnus præfuit omnibus, & verba præmissæ auctoritatis sonant etiam tempus futurum, si peccauerit, & quæcumque alligaueritis. Et ex ista solutione sequitur vnum, quod liceat aliàs omnia verba illius cap.18. concernant forum pœnitentiale, tamen tenendo præfatam expositionem dic Ecclesiæ, id est Prælato qui excommunicet, vt dicit gloss. Nicol. ibi, possemus dicere, quod per dicta verba quęcumque alligaueritis fuit promissa potestas ordinis, & vtriusque iurisdictionis, interioris, & exterioris, sed quod vnam habuerunt immediatè à Christo, scilicèt ordinis, & consequenter iurisdictionis interioris, quando in cœna fuerunt facti Sacerdotes, istam enim effectualiter ipsemet Christus dedit, & exerceri mandauit, quando Ioann. 20. dixit, quorum remiseritis peccata, quæ verba propriè concernunt ea, quæ sunt ordinis, videlicet dimissionem, & retentionem peccatorum potestatem autem iurisdictionis contentiosæ illis promissam per dicta verba quæcumque alligaueritis, quæ sunt verba multum indefinita, exhibuit mediante persona Petri qui habebat eos facere Prælatos, vt dist.*66.* cap. porro, & sic istam potestatem iurisdictionis contentiosæ à Christo per illa verba quæcumque alligaueritis eis promissam receperunt per deriuationem à Petro, qui solus erat factus Pastor, & vniuersalis Prælatus per verba Ioanne vltimo pasce oues meas. Et ex hoc sequitur, quod non est vera opinio
177 illorum, qui voluerunt, quod per illa verba quæcumque alligaueritis Matth. 18. Dominus solùm loquatur de dimittendis peccatis. Quorum opinio posset saluari, dicendo quod attenderunt solùm ad potestatē dimittendi peccata respectu executionis, & totalis potestatis recipiendæ immediatè à Christo, quam receperunt per illa verba quorum remiseritis peccata, & quo ad potestatem iurisdictionis contentiosæ, cuius executionem erant recepturi mediante persona Petri, & post ascensionem Christi non habuerunt respectum,quia illam non immediatè à Christo habuerunt, sed per deriuationem à Petro, licèt principaliter omnia à Christo,sicut dicimus quod Adam est principalis pater noster, & tamen est pater mediantibus proprijs nostris parentibus. Vndè sanctus Thomas in 1. sent. dist. 12. dicit, quod dupliciter dicitur aliquid esse ab aliquo immediatè, vno modo ratione virtutis,& isto modo dicimus quod omnis virtus, auctoritas, potestas, & iurisdictio,quæ est in Papa, vel alio quocumque prælato est à Christo immediatè, quia à nullo alio potest talis potestas conferri, nisi per potestatem existentem in Christo siue à Christo collatam,sicut nulla alia causa à prima, potest agere,nisi per virtutem causæ primæ. Secundo modo potest intelligi ratione suppositi agentis, seu quippiam conferentis, & hoc modo dicitur, quis à Christo suscipere immediatè potestatem aliquam, quando inter accipientem potestatem, & inter ipsum Christum conferentem non est aliquod medium suppositum recipiens à Christo, & conferens ipsam potestatem alteri. Et isto modo dicimus, quod solus Petrus immediatè à Christo accepit potestatem iurisdictionis,& indè alij
17 per deriuationem ab eo. Posset, & aliter responderi, etiam intelligendo illam auctoritatem Matth. 18. loqui de dimittendis peccatis, & in foro pœnitentiali, & iurisdictione fori interioris requisita ad ordinem, primò considerando,quod quia verba quæcumque alligaueritis fuerunt dicta de peccatore postquam deductus est in notorium peccatum, & habitus pro ethnico, & publicano, non est mirum,quod etiam tunc Dominus dederit Apostolis potestatem decernendi censuras, & excommunicandi, quia in casu quo factum est notorium potest etiam simplex sacerdos, qui nullam habet contentiosam iurisdictionem excommunicare peccatorem, quia eo casu non requiritur aliquis ordo iudiciarius, quod probatur per text. in cap. 1. & 2. de offic. ordin. ponit Barbatius in c. si sacerdos eod. tit. in 11. colum. in fin. in penult. charit. Et isto modo etiam Paulus excommunicauit Corinthium absentem, & non citatum, vt in cap. cum sit Romana in §. fin de appellat.Et sic intelligitur dictum Hostien. in cap. olim,de re iudic. cum dicit,quod Papa potest sine aliqua citatione excommunicare tyrannum occupantem notoriè terram Ecclesiæ, & quod dicit Cardin. in capitulo nouit. de offic. legat. quod Episcopus potest sine aliqua causæ cognitione excommunicare impedientem suam iurisdictionem. Vnde potest benè intelligi, quod excommunicando non est necesse vti aliqua iurisdictione fori contentiosi, nec aliqua causæ cognitione, nec aliquo ordine iudiciario. Et isto modo propter notorietatem peccantis potest dici data potestas Apostolis immediatè à Deo etiam alligandi per censuras Ecclesiasticas in foro pœnitentiali sine iurisdictione fori contentiosi exterioris, sed cum iurisdictione fori interioris ad corrigendum, & emendandum peccantem, quem corrigere, reducere, & ligare, & soluere, spectat ad potestatem ordinis, in quo alij Apostoli fuerint pares Petro,vt in dict. cap in nouo dist. 21. Ad hoc etiam facit, quod dicit Barbat. in dicto cap. sacerdos circa fin. in illa quæstione vtrùm simplex rector curatus possit pro maleficio excommunicare sibi subditos. Et post multa tandem concludit, quod licèt in excommunicando requiratur causæ cognitio, tamen per illum text. iuncto, cap. præceden. potest excommunicare, & consequenter de

causa

causa cognoscere. Et ad hoc ponderat text. dicto cap. si sacerdos, vbi dicitur, quod si ille, cui damnum illatum est petierit iustitiam, potest sacerdos excommunicare auctorem damni, quamuis etiam ei confessus sit, quia verba illa intelliguntur secundùm qualitatem personæ,in quam diriguntur, vt leg. ex militari, ff. de testam. milit. & leg. plenum, §. equitij, ff. de vsu, & habita., ergo cum dicta verba dirigantur in sacerdotem audientem confessiones,& iniungentem pœnitentias, intelliguntur de petenda iustitia secundùm qualitatem fori pœnitentialis,& ideò ad hoc vt possit congruam pœnitentiam indicere poterit de causa cognoscere, & excommunicare si opus est, quod probat text. ibi potest eum à communione remouere,& per consequens rector simplex curatus poterit cognoscendo in foro pœnitentiæ excommunicare specialiter, & generaliter,secundùm quod congruit materiæ subiectæ. Dicit insuper quod licèt simplices curati hoc non faciant, est quia Episcopi omnia sibi vsurpant,de consuetudine tamen curati possent vti ista iurisdictione in hoc eis concessa per sacros canones.

Vnde ex hoc possumus dicere quod Apostoli receperunt etiam potestatem à Christo excommunicandi in foro pœnitentiali pro executione ordinis eo modo, quo potest quilibet curatus in corrigendo peccantem. Et conuenit benè iste intellectus ad verba illius auctoritatis, cum dicit quod peccans in fratrem primò debet corripi inter admonentem, & ipsum solum, deindè debet adhiberi vnus alius, vel duo, deindè dici Ecclesiæ, & tandem haberi pro ethnico, & publicano, quæ omnia sunt pœnæ fori pœnitentialis, quibus adijcit potestatem quæcumque alligaueritis, &c. Et si dicatur, quod expositio gloss. loquitur de anathematizatione, quæ est solemnis, & competit Episcopis per iura supra allegata, potest responderi, quod gloss. ibi non habuit respectum ad solemnitatem, sed ad censuram, quia tantùm ligat excommunicatio quantum anathematizatio, vt in capit. si inimicus 11. qu. 3. & ibi gloss. & cap. Engeltrudam, 4. qu. 3. nisi quod anathematizatus absoluitur cum maiori solennitate, 11.qu.3. cap. cùm aliquis,& sæpè iura ponunt vnum pro alio, vt in cap. cum non ab homine de iudic. Item gloss. intellexit de Apostolis quibus promittebatur potestas pro tempore, quo erant futuri Episcopi, & sic benè congruit,si loquimur de iurisdictione exteriori quod eam receperint mediante Petro, Obstat tamen prædictis, quod text. in cap. vrbes dist. 80. dicit, quod Apostoli posuerunt primates in vrbibus multo tempore ante Christi aduentum ad hoc statutis, vnde patet, quod non solus Petrus eos posuit, & consequenter receperunt iurisdictionem, contentiosam, non per deriuationem à Petro, sed ab omnibus Apostolis. Ad quod respondetur, quod cùm Petrus solus haberet regimen, administrationem, & præfecturam, quantumcumque secum ad hoc ad miserit Apostolos, potestas omnis à Petro deriuabatur, non ab Apostolis assistentibus tamquam consultoribus, sicut omnia, quæ geruntur per Papam licèt de consilio Cardinalium, attribuuntur Papæ, vt in capit. ad Apostolicæ cum multis similibus de re iudic. in 6. Ad illud, quod dicitur de Ioanne, quod excommunicauit Diotrephen.

79 respondetur, quod text. epistolæ Ioannis non dicit, quod excommunicauerit, sed loquitur de potestate concessa Apostolo, qua tradebat impœnitentes diabolo vexandos corporaliter, vt sic illis daretur intellectus redeundi ad Dominum, vt dicit gloss. Hugonis 1. ad Corinthios 5. Vel si ponimus quod loquatur de vera excommunicatione, habuit potestatem per deriuationem à Petro, vel dicendum, vt supra dictum est.

80 Ad secundam difficultatem dicendum est, quod denuntiatio Euangelica habet plures partes,& plura requisita. Et quo ad primam partem licèt habeat locũ inter inferiores, & ad illam quilibet teneatur, secunda quæstione 1. cap. si peccauerit, & in cap. nouit de iudi. & ibi Doct. tamen non videtur, quod in Papa habeat locum, quia Oza legitur percussus à Domino, eo quod arcam tetigit, per quam prælati significantur, vt legitur 2. regum. 6. & primi Paralipomenon 13. & in cap. plerumque 5. item legitur, 2. qu. 7. Quod autem per arcam designentur prælati, est text. in dicto cap. plerumque, §.his ita. Et Exodi 19. dicitur omnis, qui tetigerit montem morte morietur. Item Gregorius in pastorali dicit,admonendi sunt subditi ne præpositorum suorum vitam temerè iudicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident. Vnde text. 6. qu. 1. dicit,oues pastorem suum non reprehendant, plebs Episcopum nòn accuset, nec vulgus eum arguat, quia non est discipulus supra magistrum, Episcopi enim à Deo sunt iudicandi,qui eos sibi oculos elegit. Et text. 2. qu. 7. cap. oues,dicit, oues, quæ suo pastori commissæ sunt, eum nec reprehendere, nisi à fide exorbitauerit, nec vllatenus accusare possunt,quia facta pastorum oris gladio ferienda non sunt. Et alibi Gregorius dicit, sanctorum vitam corrigere non præsumat, nisi qui de se meliora sentit. Præsumptuosum autem est,quod quis de se meliora sentiat, quia vt dicitur 1. Ioann. 1. si dixerimus quod peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Papa enim dicicitur sanctus, vt in cap. non nos 40. dist. Sed his non obstantibus dicendum est,quod huic parti denuntiationis etiam Papa subijcitur, & omnes fideles, quia procedit ex actu charitatis secundùm Ricardum, 4. dist. 19. qu. 1. artic. 1. Vnde Sanctus Thomas dicit in 4. sent. dist. 19. & refert Syluester in sua summa in tit. de correctione, & punitione, versic. 4. quod correctio,quæ est actus iustitiæ tendens ad bonum commune pertinet ad solos prælatos, sed illa quæ dicitur propriè correctio, & est actus charitatis tendens ad fratris emendationem pertinet ad quemcumque habentem charitatem. Et sanctus Thomas in secunda secundæ qu. 33. art. 3. dicit quod duplex est corectio, vna est quæ est actus charita-

rita-

ritatis, quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem, talis correctio pertinet ad quemlibet charitatem habentem, siue sit subditus, siue prælatus. Alia est correctio, quæ est actus iustitiæ, per quam intenditur bonum commune, quod non solùm procuratur per admonitionem fratris, sed etiam interdum per punitionem, & ista est prælatorum. Idem etiam Astesanus in secundo lib. summæ, titulo, 67. qu. 2. vbi dicit, quod duplex est correptio, vna est fraterna, in qua bonum fratri persuadetur à quocumque, & turpitudo peccati, vel pulchritudo boni dimissi ostenditur. Dicitur autē fraterna, quia est admonitio fratris, & nomine fratris intelligitur omnis homo peccator, siue inferior, siue par, siue superior, quia omnes sumus fratres in Christo. Pluribus enim modis dicitur, quis frater, scilicet nominis conformitate, item meriti æqualitate, item ordinis dignitate, & iurisdictionis potestate, vt vide Doct. in cap. ecce, 99. dist. Poniturque potiùs nomen fratris, quàm hominis, vel peccatoris, quia frater est nomen amoris, & charitatis, debet enim hæc correctio fieri ex fraterna charitate. Vnde August. de verbis Domini Matthæi 6. dicit, debemus amando corripere, non nocendi cupiditate, sed studio corrigendi studio. Et tex. 12. qu. 2. cap. fraternitatis, dicit, corrigere, oportere, ex charitate, & non ex furore. Idem text. in cap. corripiantur 24. qu. 3. Vnde homo & peccator non sine mysterio coniunguntur, sed quia peccator est corripe, quia homo miserere, dicit text. 23. quæst. 4. duo ista. Et huic fraternæ correctioni omnis fidelis subijcitur, tam respectu superiorum, quàm inferiorum, & patrum, cuius ratio est secundùm Durandum de sancto Portiano in 4. senten. dist. 19. qu. 3. art. 2. quia ad actum charitatis obligantur omnes, qui tenentur habere charitatem, & respectu omnium, ad quos tenentur habere charitatem, quia quantum se extendit habitus, tantum, & actus, qui procedit ex habitu, sed omnes tenentur ad habendum charitatem ad omnes, siue pares, siue superiores, siue inferiores amicos, & inimicos, ergo omnes tenentur, & subijciuntur denuntiationi Euangelicæ, quo ad istam primam partem correptionis fraternæ. Alia autem correptio secundùm Astesanum est potestatiua, in qua pœna infligenda comminatur, vel iam infligitur, vt de peccato ad statum bonum correptus reuertatur, & ista est prælatorum erga subditos. Debet autem correptio ista fraterna, quæ fit per inferiores, & subditos corripiendo superiores, & prælatos suos, cum sit actus virtutis, qui debet esse informatus debitis circumstantijs, sic exerceri, vt non præiudicetur honori, & reuerentiæ prælationis. Vnde dicit Apostolus primæ ad Timoth. 5. seniorem ne increpaueris, sed obsecra, vt patrem, & Dionysius redarguit Demophilum Monachum eo quod sacerdotem, & se maiorem correxerat irreuerenter, eum percutiens, & ab Ecclesia eijciens. In quo excessit non solùm modum correctionis fraternæ inferioris ad superiorem, quia irreuerenter correxit, sed & modum fraternæ correctionis simpliciter. Et, quod ista fraterna correctio quo ad istam primam partem habeat locum in Papa, omnes tenent in capitulo si Papa 40. dist. & in cap. proposuit, de concess. præbend. sed non quoad illam partem dic Ecclesiæ. Et ad contraria supra posita facilis est responsio, quia quando prælatus non irreuerenter obiurgatur, mons & arca non tanguntur. Et capit. oues 2. qu. 7. soluit omnia, cum dicit quamquam reprehendenda rectè videantur. Sed obstat, quod illa auctoritas dicit, si peccauerit in te frater tuus, ergò si peccat in alium, & in Deum, non habebit locum ista correptio, nec erit omnium corripere ista fraterna correptione. Dic secundùm Astesanum in dicto 2. lib. titulo 67. qu. 4. quod debet intelligi si peccauerit in te scientem, non in te læsum ita quod amore tui illum corripias. Vel dic, quod quicumque peccat in Deum, vel in proximum quemcumque, virtualiter peccat, & in te, quia Christus est caput nostrum, & quia non sumus commembra corporis mystici Ecclesiæ, vnde psalm. 118. particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua, &c.

181 Alia pars correptionis Euangelicæ est de adhibendo vnum, vel duos testes, & de dicendo Ecclesiæ. Quod vltimum secun. glos. Hug. Card. exponitur dic Ecclesiæ, idest si priuata persona corripit, coram Prælato Ecclesiæ eum conuince per testes, quos priùs audire noluit corripientes, si verò Prælatus corripit, dic Ecclesiæ idest coram Ecclesia illum excommunica, idest coram congregatione fidelium. Et sic exponendo non potest hæc pars habere locū in Papa, qui non habet superiorem coram quo inducantur testes, & coram quo possit conuinci, & excommunicari, & procedit opinio Hostiensis, & Doctores in dicto cap. proposuit, qui volunt quod ista pars denuntiationis Euangelicæ non habet locum in Papa, nisi intelligendo, dic Ecclesiæ non vt cōuincat eum, sed vt oret Deum pro eo pro correctione, & emendatione ipsius, vel vt tollat eum de medio, quemadmodum supra sæpiùs dictum est. Et ita voluit sanctus Thomas in 4. sentent. dist. 19. quæst. 2. artic. 2. quæstiunc. 3. ad secundum argument. & dixi alias supra. Et isto respectu adhibere, vnum, vel duos testes ad finem conuincendi, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum, similiter non habebit locum in Papa, quia si non habet coram quo possit conuinci, superfluè ad illum finem adhiberetur vnus, vel alter testis in admonitione fraterna. Et hoc nisi in casu hæresis, vel fomenti antiquati schismatis, & similibus, in quibus ipso iure est priuatus Papatu, vel præcisus, ab Ecclesia, quia tunc non erit superfluum adhibere vnum, vel duos, quibus possit conuinci. Et dicta auctoritas dic Ecclesiæ, si stat Concilium, bene intelligitur, idest Concilio, vel multitudini Prælatorum in Concilio existentium, coram quibus conuincendus est de ipsa hæresi, propter hoc tamen

non

non sequitur, quod Concilium sit maius Papa, vt diffusè satis supra dictum est. Si
182 verò intelligimus dic Ecclesiæ secundùm expositionem gloss. inter linearis, & gloss. ordinariæ, id est obiurgatio plurimorum corrigat, & Ecclesia detestationi eum habeat, vt qui non potuit pudore saluari saluetur opprobrijs, isto modo intelligendo vtraque pars videlicet tandē adhibendis testibus, quàm de dicendo Ecclesiæ, bene habebit locum in Papa, cum tunc non remittatur ad Ecclesiam tamquam ad iudicem, vel superiorem, sed vt rubore, & verecundia affectus se emendet. Vtrùm autem isto casu habeat in eo locum vltima pars denuntiationis, & correctionis, videlicet si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, gloss. ordinaria cum subijcit, & vt rubore sequestrationis emendetur sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, videtur velle quod sic, hoc est quod in casu, quo Papa pudore, & opprobrijs non saluaretur, posset vt rubore sequestrationis emendaretur, haberi tanquam Ethnicus, & Publicanus, non discedendo ab eius obedientia, sed ab eius priuara conuersatione, ne ex assidua conuersatione cum eo alij corrumpantur, & ne ipse putrescat, vt in cap. resecandæ 24. quæst. 3. Si autem volumus secundùm opinionem aliquorum quia verba directa fuerunt Petro, quod si aliquis peccasset in Petrum, vel nunc peccaret in Papam, Papam debere dicere Concilio, ex hoc sumendo argumentum, quod cùm Papa recurrere habeat ad Concilium tamquam ad supremum tribunal, Concilium sit supra Papam, dico, quod ex isto argumento loquendo in casu, quo Papa peccat in alium, de necessitate sequitur, quod illa auctoritas non habet locum in eo, quia si ponderamus illam auctoritatem, ex hoc, quod verba fuerunt directa in Petrum tamquam in Papam, & sic publicam personam, & tamquam in priuatam personam Petri, & non in Petrum pro omnibus, sequitur similiter, quod cùm Petro priuatæ personæ fuerit dictum tantùm, quando aliquis peccaret in eum, non haberet locum quando ipse Petrus, & consequenter Papa peccaret in alium, ex quo in prædicta auctoritate ponderare volumus personam, & dignitatem tantùm ipsius Petri. Immò, quod plùs est, videtur excepta persona, & dignitas Petri quando ipse peccat in alium, quia quod fauore alicuius, &c. leg. quod fauore, Cod. de legibus, regula, quod ob gratiam, de reg. iur. in 6. Facit, quod dicitur in capit. peritio in glossa fin. de iureiuran. Et præsertim, quia Petrus nondùm erat factus Papa secundùm communiorem sententiā; ergo non potest sumi argumentum, quod ipse postquam factus fuit Papa, & consequenter eius successores teneantur dicere Concilio, quia per adeptionem dignitatis auctoritas, & dispositio cessat 31. distinct. capit. lex continentiæ l. cùm quis, & l. si cum Cornelius ff. de solut. ad hoc, quæ dicuntur in cap. sicut de iureiur. Veritas tamen est quod verba fuerunt dicta Petro pro omnibus, quod ostendunt verba præcedentia, & sequentia illius capituli. Nec ex eo, quod verba fuerunt directa in Petrum, possumus dicere, quod plus arctant Petrum quam si generaliter fuisset dictum si quis peccauerit in fratrem
183 &c. Et ex his paret, quomodo, & quando, & in qua parte sit locus denuntiationi Euangelicæ quando Papa peccat in alium. Quomodo autem sit locus; cùm alius peccat in Papam, dicendum est, quod cum ipse sit iudex in causa propria, 23. quæst. 4. cap. Guilisarius, Innoc. in cap. ex parte de verbor. signif. Doctor. communiter in cap. cum venissent de iudic. & in cap. cùm dilecta de confirm. vtil. vel inutil. illud verbum dic Ecclesiæ intelligi potest, quod ipse vt Caput Ecclesiæ corrigat se peccantem. Pro hoc facit, quod in casu denuntiationis, idem potest esse iudex, accusator, & testis, vt in cap. licèt de simon. Et ita procedit text. in cap. præcipuè, 11. qu. 3. & sic intelligit ibi gloss. cum colligit argumentum ex illo text. quod idem potest esse denunciator, & iudex. Et ex hoc videtur quod non sit verum, quod dicit Archid. Armachanus, quod Papa non debet delictum, in suam personam commissum iudicare, ne videatur potiùs vindicare, quàm corrigere, quem supra retuli, quia immò potest esse iudex in causa sua, nisi Armachanus intelligat, quod de honestate debet alteri committere, ad hoc quod dicit text. & Doct. in cap. ad Apostolicæ de re iud. in 6. Vnde S. Thom. in 4. sent. dist. 19. & in 2. 2. qu. 33. dicit, quod dicere Prælato in iudicio Præsidenti est dicere Ecclesiæ. Et per istum modum Prælatus, vt priuata persona, potest remitti ad seipsum tamquam in iudicio Præsidentem, quia benè potest quis fungi vice duarum personarum, vt in leg. si Consul. ff. de adopt. Et isto modo intelligendo, dicere Ecclesiæ, nihil aliud importat, quàm exire in actum iudicij puniendo, & corrigendo fratrem delinquentem, & illum excommunicando absque alia vocatione Concilij, & ad hoc multùm sunt ponderanda verba, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Vndè vltimum iudicium est Papæ, etiam postquam Ecclesia non auditur. Et quod ità debeat intelligi, patet etiam exemplo gestorum beati Petri, qui Ananiam, & Saphiram eius vxorem absque hoc, quod diceret aliter Ecclesiæ, sua propria auctoritate condemnauit, vt patet act. 5. & dist. 23. qu. 8. cap. Petrus, non enim est verisimile, quod Petrus præsumpsisset transgredi præceptū Domini, maximè post receptum Spiritum sanctum. Posset etiam intelligi illud verbum, dic Ecclesiæ, idest Concilio quando Papa ex aliqua maxima causa, puta contra Imperatorem, vel Regem aliquem, qui in eum, & Ecclesiam aliquid peccaret, vellet illud congregare, & sic dicere Ecclesiæ, secundùm quod fecit Innocent. in cap. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. non quod ad hoc teneretur, sed ad maiorem iustificationem, & auctoritatem rei, & implorando aliorum auxilium. Vtrùm autem Papa in
184 denunciatione teneatur præmittere admonitionem, ex exemplo iàm dicto videtur,

tur, quod non. Nàm & Christus denunciauit Iudam antè admonitionem, vt patet Ioan. 13. Ioseph accusauit fratres non præcedente monitione, vt patet Genes. 37. Sed breuiter dic, quod tenetur ad obseruantiam præcepti Euangelici sicut & alij, & ad distinguendum, sicut distinguunt Doctor. in alijs, vtrùm peccatum sit publicū, vel omninò occultū, vel aliquo modo probabile, vt dicitur in dicto capit. nouit, & dicit sanctus Thomas in dicta dist. 19. in 4. & ibidem Durandus, Petrus de Palude, & Astesanus in lib. 2. summæ tit. 67. & idem Sanctus in 2. 2. qu. 33. per tot. & Albericus in dictionario in verbo correctio, & in summa Siluestrina in tit. de correctione, & punitione. Non obstat præmissis, quod dicit
185 sanctus Gregorius in lib. 4. regist. cap. 82. in fin. reprehendens Ioannem Constantinopolitanum Episcopum. Ego itaque per responsales meos semel, & bis verbis humilibus hoc, quod in tota Ecclesia peccatur corripere studui, nunc per me scribo, quicquid humiliter facere debui non omisi; sed si in mea correptione despiciar, restat vt Ecclesiam habeam adhibere. Quia intelligitur, vt supra dictum est, de processu ad censuras, & disciplinam, ac censuram Ecclesiasticam appellat Ecclesiam, quod clarè apparet, quia non dicit, restat, vt dicam Ecclesiæ, sed restat, vt Ecclesiam debeam adhibere, vel quod voluit sic facere ad maiorem iustificationem. Et quod accipiat Ecclesiam pro censura Ecclesiastica, constat ex gestis eius, quia mandauit responsalibus suis, quos miserat Constantinop. ne communicarent cum eo in Diuinis, & nullum congregauit Concilium. Vndè idē Gregor. in lib. 6. regist. capit. 194. scribens Mauritio Imperat. de Cyriaco successore dicti Ioannis, dicit, eumdem fratrem, & consacerdotem meum studiosè admonere curaui, vt si pacem, omniumque concordiam desiderat, à stulti vocabuli se appellatione compescat. Et in epistola sequenti ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, & Anastasium Episcopum Antiochenum, de Cyriaco Patriarcha, qui sequebatur Ioannem in vsurpatione nominis vniuersalis, dicit, meus verò Diaconus cum prædicto fratre nostro Cyriaco Missarum solemnia celebrare non debet, quia per prophanum vocabulum culpam superbiæ, aut commisit, aut sequitur, ne si quod absit in tali elatione procedit, ei vanitatem stulti nominis confirmare videamur. Eumdem verò fratrem admonere studui, vt se à tali superstitione corrigat, quia si hanc non correxerit, pacem nullo modo nobiscum habebit. Item in lib. 11. registr. capit. 45. scribit ad eumdem Cyriacum Patriarchā, dicens, cum ea charitate dignum est studemus, vt prophanam elationem, quæ animabus semper aduersa est, cordis pede calcantes, peruersi, superbique vocabuli scandalum de medio Ecclesiæ auferre festinetis, ne à pacis nostræ societate diuisi inueniri possitis. Ecce apparet, quod beatus Gregorius non accipit Ecclesiam pro Concilio, sed pro censura Ecclesiastica, qua vti volebat.

186 Et de ista auctoritate, dic Ecclesiæ, vide, quod dico in artic. vtrùm Papa possit deponi, si est omninò incorrigibilis. Et plura dubia circa istam materiam denunciationis Euangelicæ, videlicet, an sit conueniens, item an sit actus charitatis, item an cadat sub præcepto, item vtrùm pertineat ad omnes, an solùm ad Prælatos, item an subditi teneantur corrigere Prælatos suos, item vtrùm sit semper facienda, an aliquo casu prætermittenda, item an obligati ad correctionem teneantur quærere delinquentes, item an Monachi teneantur exire de claustris ad corrigendos proximos suos, item an talis correctio se extendat ad omnia peccata, parua, & magna, item an peccator teneatur corrigere delinquentem, item an de necessitate præcepti debeat præcedere admonitio fraterna secreta ipsam denunciationem, item an debeat præcedere inductio testium ipsam publicam denunciationem, item an subditus teneatur obedire Prælato præcipienti, vt reuelet culpam alterius fratris, vide apud Card. de Turrecrem. in capit. si peccauerit. dist. 2. quæst. 1.

SVMMARIVM.

Auctor respondet ad contraria supra adducta num. 187. & supra ad capit. si Papa dist. 40.
Ad capit. Anastasius, & capit. Achatius num. 188.
Ad cap. si duo num. 189.
Ad cap. mandastis num. 190.
Ad tertium contrarium num. 191.
Ad quartum contrarium num. 192.
Ad quintum contrarium num. 193.
194 *Papa an teneatur seruare statuta Concilij, & quæ.*
Et declaratio Auctoris.
195 *Regem confirmare electionem Papæ.*
Quomodò intelligendum.
Ad sextum contrarium num. 196.
Ad septimum contrarium num. 197.
198 *Orbis maior est Vrbe.*
Quomodò intelligendum.
199 *Petrum esse membrum vniuersalis Ecclesiæ.*
Quomodò intelligendum.
200 *Papa dicitur maior in Ecclesia, & non maior Ecclesia.*
Quomodò intelligendum.
Ad octauum contrarium num. 201.
202 *Petrum fuisse missum.*
Quomodò intelligendum.
Ad nonum contrarium num. 203.
Ad decimum contrarium num. 204.
205 *Concilium dici congregatum in Spiritu sancto, & Spiritum sanctum esse in eo.*
Quomodò intelligendum.
Ad vndecimum contrarium num. 206.
Ad duodecimum contrarium num. 207.
208 *Gregorius in capit. ecce declaratur, & in libro 4. de registr. capit. 76. 80. & 82. num. 209.*
Ad tertiumdecimum contrarium num. 210.
Ad quartumdecimum contrarium nu. 211.
Ad quintumdecimum contrarium nu. 212.
Capit. 11. actuum declaratum num. 213.

Quo-

Quomodò intelligendum.
513 *Papam non esse perfectiorem vniuersali Ecclesia.*
Quomodò intelligendum.
514 *Nemo potest esse caput sui ipsius, declaratio, & responsio ad malè sentientes.*

187 RESTAT nunc respondere ad cõtraria. Et ad primum quidem de cap. si Papa, iàm responsum est, quod loquitur in casu hæresis, in quo est ipso iure priuatus Papatu, quia, vt dicit Io. 3. qui non credit iàm iudicatus est; & ad Titum 3. hæreticus dicitur proprio iudicio condemnatus; & adeò nec hæreticus, nec schismaticus adscribitur cathalogo Pontif. vt in capit. Anastasius distinct. 19. ibi Doctor. Vndè & meritò dicitur minor quolibet Christiano, gloss. in cap. Achatius il 1. distin. 24. qu. 1. quia tunc dignitas, quæ faciebat eum maiorem, non inhæret personæ eius, vt dixi supra in artic. vtrùm Papa possit de hæresi accusari, & in alio vtrùm possit ob hæresim deponi. Nec ex hoc, quod Concilium cognoscit de causa hæresis Papæ, sequitur; quod sit maius, vel superius Papa, vt supra proximè dictum est. Nec si vnus Papa est hæreticus, propterea dignitas Pontificalis diminuitur. Nec sequitur si vnus ex suo delicto est damnatus, & priuatus dignitate, quod dignitas in alijs successoribus sit annihilata, quia dignitas numquam moritur, vt in cap. quoniam, Abb. de offic. delegat. dist. 12. qu. 2. cap. liberti il 2. & text. non dicit ibi, quod Concilium iudicet
188 Papam. Ad capit. Anastasius, & ad capit. Achatius, eadem datur responsio. Et nihilominùs illa iura non dicunt, quod Concilium sine Papa iudicet Papam. Quinimmò ibi gloss. probat contrarium, cùm colligit argumentum, quod Papa possit ligare alium Papam. Item ibi dicitur, quod Papa factus erat veteris constituti executor, non promulgator noui, vndè nullam fert sententiam. Nec ibi aliquod Concilium ad hoc fuit congregatum, sed tantùm ostenditur Achatium incidisse in hæresim iàm damnatam. Nec obstat, quod in cap. Achatius il 1. eadem causa, & quæstione, dicitur, quod Achatius per conniuentiam synodalem susceperat sententiam, & sic videtur, quod fuerat per Concilium damnatus. Respondeo enim, quod non fuerat ibi specificè damnata persona Achatij, sed ibi fuerat damnata hæresis, & sequentes illum errorem, quod probat tex. cùm dicit, quam cum suis successoribus susceperat auctor erroris, & non persona Achatij, quia Achatius non fuerat proprij, vel noui erroris inuentor, sed alieno facinori communicauerat, & ideò inciderat in sententiam, quàm auctor erroris per Concilium susceperat. Et quia Anastasius communicauit Photino Diacono, qui communicauerat Achatio, & quia voluit occultè reuocare Achatium, eius errorem defendendo, ideò Clerici recesserunt ab obedientia Anastasij, qui tandem lepra percussus est, secundùm Doctor. ibi, vel, vt dicit gloss. in dicto cap. Anastasius, dùm assellaret emisit intestina. Et iste est verus intellectus illorum iurium.

Ex quibus sequitur, quod communicante cum communicantibus cum ijs, qui communicauerunt cum inuentore, siue auctore nouæ hæresis, idem sentiendo, sunt veri hæretici, & incidunt in eumdem errorem, & pœnam, quam incurrit primus auctor ipsius hæresis. Facit, quod dicitur in cap. super quibusdam in princip. de verborum significat. & in cap. excommunicamus il 2. §. fin. de hæret. Sic etiam dicimus, quod communicantes cum excommunicato in crimine criminoso, ligantur eadem maiori excommunicatione, cap. si concubinæ, de
189 sentent. excommunicat. Ad capit. si duo est supra responsum: illud enim loquitur quando non est aliquis certus Papa, in quo sit plenitudo potestatis, nec est præsidens, nec maior, & duo sunt concertantes de Papatu, & in discordia electi. Facit, quod dicit Ioannes Andreas in capit. 1. de renunciat. in 6. quod si esset discordia inter Cardinales, & Papam, quia Cardinales dicerent ipsum renunciasse, & Papa negaret, quia Concilium Iudex esset. Ad gloss. in cap. si fortè dist. 63. quæ vult, quod vtraque electio potest cassari ratione scandali, quãdo duæ electiones sunt factæ in discordia; & videtur intelligendum, quod altera tenebat, aliàs nihil videretur operari consideratio scandali. Facit, quod dicitur in cap. nisi cum pridem, de renunciat. est dicendum, quod gloss. debet intelligi, quando vota eligentium sunt diuisa, & est omnimoda paritas. Et quod iste sit sensus gloss. ostendit vltima gloss. præcedentis capit. quæ similiter allegat dictu capit. si duo. Item debet intelligi gloss. in terminis text. super quem est situata, & in terminis text. quem allegat, videlicet, quod scandalum ortum habuerit, quia duo contra fas temeritate propria contendunt de Papatu, vt dicto cap. si duo, vel quia inuitis Canonicis, & plebe in tanta discordia eligentium Metropolitanus vult gratificari, vt dicto cap. si fortè; qui text. est hodiè correctus. Vide ibi Dominicum.
190 Ad secundum de capit. mandastis, & capit. auditum dist. 2. qu. 4. respondetur, quod in illis iuribus non dicitur, quod Concilium cognoscat de causa Papæ eo inuito, sed quod spontè se purgare voluerunt, non per hoc legem præscribentes cæteris successoribus, qua id facere teneantur. Sic respondetur ad capitulo nos si incompetenter, quod Papa voluit se submittere non propriè iudicio contradictorio, sed examinationi, & discretioni, & ità exponit ibi Dominicus iudicio, idest discretioni, & alias de intellectu illius textus supra ad plenum dictum est. Sic etiam ad textum in capitulo si quis super his, 2. quæst. 7. qui est text. Gregor. qui in omnibus actionibus suis fuit humilimus, respondetur, quod ita ex vrbanitate loquitur, vt in cap. ecce. 99. dist. Ad cap. nunc autem, & ad §. hinc etiam, est supra responsum, quod loquuntur in casu hæresis, & Papa præsente, & vt supra dictum est, non sequitur Concilium cognoscit in causa hæresis Papæ, ergo est maius Papa, quia Papa hæreticus est minor quolibet Christiano.

stiano. De illo vtrum Papa, solus cognoscat causas fidei, dictum est supra in proprio articulo. Ad cap. si duo, & ad cap. si fortè, supra proximè responsum est. Ad illud Act. 15. quod non solus Petrus iudicauit, sed simul cùm alijs Apostolis, respondetur, quòd non sequitur ex hoc, quod Concilium Apostolorum fuerit maius Petro, nam, & Papa iudicat simul cùm Concilio, & tamen ex hoc non sequitur, quod Concilium sit maius, & Papa iudicat cum
191 Cardinalibus, & tamen Cardinales non sunt maiores Papa, iura vulgaria. Ad tertium motiuum, quod orbis maior est vrbe, respondetur, quod Papa etiam est dominus orbis, vt in cap. cum. de. diuersis de priui. in 6. & in cap. nullus, 99. dist. & gloss. in cap. fœlicis, de pœnis in 6. Ipse enim est vnicus, & vniuersalis Christi Vicarius in spiritualibus, & temporalibus aliàs esset dare duos vniuersales, esset autem monstrum ponere duo capita, capitulo quoniam de officio. ordina. & hoc est expressum in extrauaganti vnam sanctam, ad hoc gloss. notabilis in cap. non autem, 7. quæst. 1. & illud Euangelij erit vnum ouile, & vnus pastor Ioan. 10. Item respondetur, quod ibi non est sermo de authoritate potestatis, & iurisdictionis orbis respectu Ecclesię Romanæ, sed est sermo de authoritate consuetudinis, quæ tantò maioris authoritatis esse dicitur, quantò generalior est siuè à pluribus obseruatur, sicut de canonicis scripturis loquitur Augustinus in cap. in Canonicis 19. dist. Secundùm, quam regulam non est dubium quin consuetudo orbis sit maior consuetudine vrbis, quam nec Apostolica sedes seruat, nec seruari mandauit, & sic non habet speciale adminiculum authoritatis Papæ, tunc enim quando mandasset seruari esset, vt canon, qui ab omnibus seruari deberet, vt in cap. 1. de consti. Et quod Hieronym. in dicto cap. legimus loquatur, de consuetudine generali, innuit gloss. ibi in verbo maior, quæ dicit, & ideò sequenda est magis consuetudo generalis. Et apparet illam fuisse intentionem Hieronym. quia ibi damnat quandam consuetudinem, quæ erat in vrbe, qua quidam Diaconi præferebantur presbyteris. Item non obstat, quod orbis sit maior vrbe, quia nec Concilium est totus orbis ideò non sequitur, quod Concilium sit maius Papa, & adde, quod dicitur infra ad. 7. contrarium in vers. ad illud, quod orbis, &c. Ad argumentum sumptum per gloss. ex illo text. respondetur, quod non obst. glossæ authoritas, quia eius conclusio non est simpliciter vera, de quo dictum est in proprio ar. super ad longum examinato. Ad quartum, quod
192 Papa non dispensat contra ea, quæ concernunt vniuersalem Ecclesiam secundùm gloss. in contrarium allegatas, respondetur, quod non sequitur ex hoc Ecclesiam repræsentatam, & sic Concilium esse maius Papa, quia eius potestas non est ad destructionem, sed ad constructionem, vt dicitur 2. ad Corinth. 10. & 13. & immò non dispensat contra illa, quia magis esset dissipatio, quàm dispensatio. Ad cap. sicut, vbi innuitur, quod Papa, debet venerari Concilia, maior autem est is cui præbetur reuerentia, quàm is, à quo exibetur, vt in auth. de defen. ciui. §. quæ igitur in gloss. 9. 6. dis. à Subdiacono, igitur respondetur dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod Concilium sit maius, quia quæ benè statuta sunt maximè fidem concernentia, Papa custodire, & venerari tenetur, capitulo sunt quidam, vigesimaquinta quæstione prima cum pluribus sequen. quia, vt dictum est præest ad ædificationem. Nec obstat, quod minor debet reuerentiam maiori, quia hoc idem, scilicèt præstare reuerentiam, debet maior minori, vt in l. nihil C. de pala. sacrarum largi. lib. duodecimo, & in capitulo esto subiectus, nonagesimaquinta distinctione. Quinimò Concilium etiam præstat reuerentiam Papæ, & debet eum honorare, vt in capitulo Osius, sexta quæstione quarta. Nec est verum, quod non sit dare rationem diuersitatis cur Concilium magis iudicet de Papa, in causa fidei, quàm in alijs, quia qui est hæreticus est minor quolibet Christiano, vt dictum est, & si liceret ei dissentire ab Ecclesia vniuersali in ijs, quæ statuta fuerunt in quatuor Concilijs principalioribus, de quibus loquitur dict. capitulum sicut, quæ concernunt fidem, & fuerunt sæpiùs per Romanos Pontifices confirmata ipse subuertere posset fidem, quam custodire tenetur, dicto capitulo sunt quidam, & proptereà ipse sicut, & cæteri tenetur custodire, & venerari ipsa quatuor Concilia. Item dicta quatuor Concilia tenta fuerunt accedente authoritate Romanorum Pontificum, & ideò si Papa illis contraueniret, contraueniret statutis Conciliorum, & Romanorum Pontificum, & sic vniuersalis Ecclesiæ, in alijs autem, quàm in concernentibus fidem, benè potest Papa tollere statuta Concilij, vt latè supra dixi in propria quæstione. Nec est verùm, quod Concilium sit maius Papa, quantumcunque in causa fidei standum esset potiùs sententiæ Concilij, quàm Papæ, nec semper est hoc verum, argumento sumpto ex cap. maiores, de bapt. maximè quando sententia Papæ, concurreret cum iam decisis articulis, de quo dicendum est, vt in art. proprio supra exa-
193 minato. Ad quintum respondetur, quod immò potestas Papæ, non est ab homine sed à Deo, vt est tex. in cap. nouit, de iudi. & gloss. in clem. ne Romani, de elect. & in cap. omnes 22. dist. & cap. solitæ, de maio. & obe. & Matt. 16. tibi dabo claues, &c. Vbi Chrysost. dicit, filius Dei vbique terrarum Petro concessit potestatem, & homini mortali omnium, quæ in cœlo sunt, dedit authoritatem, vt potestate clauium Ecclesiam amplificaret, idem etiam probatur ex text. Io. vlt. c. pasce oues meas, vbi Chrys. dicit, idest loco mei præpositus, & caput esto fratrum tuorum. Item cùm ipse sit Vicarius, & locumtenens Christi, consequens necessariò est, vt eius potestas habeatur à Christo. Quod autem sit Vicarius Christi, supra pluries dictum est, & habetur, cap. penult. & vlt. de transla. præla. cap. solitæ, de maio. & obe. cap. 1. vt Eccles. benefi. cap. per venerabilem, qui filij sint legi. cap. ad Apo-

Apostolicæ, de re iud. in 6. cap. primo, de homi. in 6. cle. prima, in princ. de iureiur. cum multis similibus. Et quod potestas vicarij subordinetur ei cuius est vicarius, est tex. in cap. 2. de consuet. in 6. & de offic. vica. per to. Et non sequitur si Papa eligitur, quod propreteà eius potestas sit ab eligentibus, sicut videmus in multis, Canonici enim eligunt Episcopum, vt in cap. ne prò defectu, cùm simil. de elec. & patroni similiter præsentant rectores, vt per totum ti. de iurepat. & tamen Rectores, & Episcopi non recipiunt ab illis potestatem. Ad illud de Rege Franciæ confirmante, & cap. respondetur, quod illud erat ex priuilegio, & secundùm illa tempora, hodiè autem secùs est. Nec est simpliciter verùm, quod actus confirmationis semper denotet superioritatem, maximè extra actum confirmationis, & cùm comperit ex priuilegio, vel consuetudine. Item confirmatio huiusmodi nihil iuris tribuit in spiritualibus, vt ibi dicitur in dicto cap. Adrianus, 63. dist. Item post electionem possunt prætendere Reges ex consuetudine, vel priuilegio debere electionem sibi præsentari, vt in cap. cum terra, & in cap. cum inter vniuersas de elect. vel ius nominandi, vt in cap. quod sicut, eod. ti. & tamen ex hoc non arguitur aliqua superioritas, sicut nec ex ijs, quæ geruntur per Regem aliquid iuris tribuitur, vt vide Compostel. Abbatem Anton. Hostiens. Card. & alios in dict. capit. quod sicut, & Alex. in cap. Imperium, 10. dist. Item confirmatio, quæ fit per inferiorem, vt est in rege respectu Papæ, non dicitur confirmatio nisi abusiuè, quia non est propriè confirmatio, vt in capitulo primo, de locato. Item si rex confirmando dicatur superior respectu iurium temporalium, vt ibi dicitur in dicto cap. Adrianus, ex hoc non arguitur regis superioritas, neque ex hoc infertur ergo Concilium est maius Papa, quia de Rege ad Concilium non valet argumentum. Item aliam responsionem

194 vide infra. Quo ad illud, quod Papa tenetur seruare statuta Concilij, conceditur de statutis concernentibus fidem, quia ipse est firmamentum fidei, & debet confirmare fratres in fide, iuxtà præceptum Domini Luc. 22. cap. De alijs autem statutis conciliorum concernentibus vitam moralem Papa, potest disponere, & illa tollere, & mutare, vt supra satis latè conclusum est in proprio articulo. Ad tex. in cap. contra statuta, respondetur, quod ibi non dicitur Concilium esse maius Papa, & ille tex. ac alia capitula in ead. cau. & quæst. in quantum decernunt non posse aliquid statui contra illa, quæ à sanctis Patribus constituta sunt, intelliguntur in causa fidei, vel in ijs, quæ sunt de iure diuino, contra quod Papa, non statuit nec dispensat, vt dicitur in capit. à nobis, de decim. & capit. sunt quidam, 25. quęst. prima, & capitulo cùm ad monasterium de statu monach. & capitulo literas, de restit. spolia. cum similibus. Quod probat Thema. dist. 25. causæ, in qua sunt adducta iura illius primę quęstionis, quod thema est de decimis non vsurpandis, & soluendis. Et quod loquantur in causa fidei, maximè ille tex. in cap. contra statuta, quod videtur magis stringere, ostendunt duo textus sequentes, videlicet, cap. omne, & capitulum prima, vbi dicitur cassandum, quod ab infidelibus, vel hęreticis factum fuerit, & custodiendum, quod recta fide à sanctis Patribus constitutum est. Item, & alio modo res-

195 pondetur ad illud de rege, quod confirmat electionem Papę, vt in dicto capitulo Adrianus, videlicet, quod ille tex. hodiè est correctus, vt in capit. cùm Adrianus, & ibi dicitur eadem dist. & illi facultati resignauit Rex Ludouicus, vt patet in cap. ego Ludouicus, eadem distinctio 63. Ita dicit Astesanus in 6. lib. summę, in ti. de Papatu. Et huiusmodi priuilegium receperat à Sede Apostolica, ex quo arguitur maioritas ipsius sedis. Ad sextum de authoritate

196 Ioann. Mo. vtrùm opinio eius sit simpliciter vera, satis supra dictum est in articulo vtrùm Papa, astringatur ad seruandum capitula conclauis, & vt dicit ibi Domi. in dicto cap. super eo, communis opinio est contra Ioan. Mon. in quo non est ei credendum, quia loquebatur in causa propria, cum esset Car. Ad septimum, quod

197 omne totum est maius qualibet sua parte, respondetur, quod illud est verum de totalitate quantitatis dimensiuę, vel naturalis, quę sunt eiusdem rationis, sed non de totalitate quantitatis virtualis seù potestatiuę, potest enim, contingere, vt vna virtus tantum possit quantum alię plures. Vndè licèt, quod dicitur omne totum esse maius sua parte, sit verùm de toto integrali non tamen verum est de toto potentiali, de quo nunc loquimur. Et sic concedendo de toto integrali, quod omne totum est maius qualibet sua parte, argumentum nihil facit ad propositum, quoniam nos non loquimur de maioritate quantitatis dimensiuę, vel naturalis, secundùm quam non est dubium, quod quęlibet congregatio est maior suo Prælato, sed loquimur de maioritate quantitatis virtualis siuè potentialis, secundùm quam stat, quod vna virtus potestatiua sit maior omnibus alijs inferioribus. Item etiam motiuum non militat, quia datur ad illud instantia, prima quæstione prima, sicut vrgeri. Et primæ ad Corinth. 12. dicitur, vos estis Corpus Christi, & membra de membro, vbi supplet gloss. interliu. de membro, scilicet Christo capite, & commembro. Sequeretur ergo, quod Christus esset inferior Ecclesia vniuersali, quod non modò falsum, sed hæreticum est scilicet dicere Christum esse minorem perfectione gratia, vel potestate Ecclesia, cùm ab ipso dependeat omnis Ecclesiæ potestas, perfectio, & gratia. Itē potest negari consequentia, quia cū loquamur de potestate iurisdictionis, & iurisdictio omnis originetur à capite, & ab eo sumat robur, vt in c. significasti, de elect. non sequitur, quod separato capite maior remaneat iurisdictio in membris, immò magis sequitur, quod in eis nulla, vel modica, & sine robore remaneat iurisdictio, & quod remaneat in cap. tamquam digniori. Inde est, quod faciendo comparationem de corpore mystico ad

corpus

corpus naturale, dicit text. in l. cum in diuersis, ff. de relig. & sump. fune. quod cùm quis in diuersis locis sepelitur, is locus efficitur religiosus, vbi caput sepelitur, & non ille, vbi sepelitur corpus sine capite. Non valet igitur ista consequentia Papa, est membrum Ecclesiæ, ergo potestas iurisdictionis non potest esse maior in Papa quàm in toto residuo corporis Ecclesiæ. Quod etiam ostenditur palpabiliter in corpore naturali, quia caput etsi est membrum corporis, nihilominùs præstantiùs, & maius est virtute sensitiua, quàm totum residuum ipsius corporis, cùm in solo capite sit plenitudo omnium sensuum, in alijs autem membris est solus sensus tactus. Vndè dicit Ambros. in 6. lib. Hexameron. cap. 9. quod sicut cœlum eminet aeri terris, & mari, quæ velut quædam membra sunt mundi, ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumque esse omnium tamquàm inter elementa cœlum tamquàm arcem inter reliqua vrbis mœnia, & ex illo omnibus membris vigorem, prudentiamque deferri. Et ideò dicit tex. 6. quæst. 1. in §. verùm, & cap. ex merito, quod capite languescente faciliùs reliqua membra inficiuntur, quia omnia membra sequuntur caput, Ecclesiastici, 10. ad Ephes. 4. & 12. dist. cap. non decet, cap. cum non liceat de rescrip. cap. nolite, 11. dist. Et quidquid perfectionis requiritur in membris debet inueniri in capite, dicit, text. in cap. miramur, 61. dist. concludendo igitur dicimus, quod simpliciter loquendo Ecclesia potest dici maior Papa perfectione gratiæ, & amplitudine virtutum, quia vna vetula potest esse perfectior ipso Papa, sed secus in potestate iurisdictionis, in qua vnus peccator potest esse maior multis iustis. Et hoc ostendit Apostolus ad Roman. 12. dicens, quod sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alij aliorum membra, sed tamen habentes dona iuxtà gratiam datam nobis diuersa, siuè prophetiam secundùm rationem fidei, siuè ministerium in administratione, siuè qui docet in doctrina, siuè qui exhortatur in exhortatione, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Ecce, quod quia in donis Dei differimus, vnus in vna gratia potest excellere omnes alios de corpore Ecclesiæ, ad illud, quod orbis maior
198 est vrbe, dicendum est, quod ille text. in dicto cap. legimus non loquitur de authoritate potestatis, siuè iurisdictionis respectu Ecclesiæ Romanæ, siuè sedis Apostolicæ, sed loquitur de authoritate consuetudinis quæ tantò maioris authoritatis esse dicitur quantò generalior est, siuè quanto à pluribus obseruatur, sicut loquitur Sanctus Augustinus de scripturis Canonicis in capitulo in canonicis decimanona distinctione. Quod autem text. ibi non loquatur de authoritate orbis respectu Sedis Apostolicæ, patet ex intentione Hierony. ibi loquentis, qui loquitur contra consuetudinem, quæ in vrbe Roma regnabat, qua quidam Diaconi præferebantur presbyteris, ob quam consuetudinem aliqui Diaconi per orbem sumebant occasionem præferendi se presbyteris suis, cum tamen contraria consuetudo esset per orbem. Et istum sensum etiam ostendit gloss. ibi cum infert ex verbo maior est, & ideò magis sequenda est consuetudo generalis. Et hoc absolutum fuit supra in responsione ad tertium contrarium. Ad illud, quod dicit
199 Greg. quod Petrus est membrum vniuersalis Ecclesiæ, & quod dicitur in d. capit. legimus, quod Ecclesia Romana, quæ repræsentatur per Papam est vna de particularibus Ecclesijs vniuersalis Ecclesiæ conceditur, quod est membrum, sed membrum quod est caput omnium membrorum, & propterea non sequitur, quod Ecclesia sit maior Petro capite ipsius vniuersalis Ecclesiæ. Vndè si loquimur de Ecclesia vniuersali respectu capitis Christi, sicut loquitur ibi Grego. tunc per illud probatur intentum nostrum, quia vt supra dictum est Christus licèt etiam sit membrum Ecclesię, quia per Apostolos, & alios de Ecclesia perficitur CorpusDomini, tamen est maior vniuersali Ecclesia, & pariformiter Petrus, qui prælatus est huic vniuersali Ecclesiæ, esse debet maior vniuersali Ecclesia, & non sequitur Christus est membrum principalius Ecclesiæ, cuius corpus perficitur ex omnibus istis membris, ergo Ecclesia est maior Christo, & consequenter eius Vicario, & huic Ecclesiæ prælato in iurisdictione, vt supra probatum est. Quod autem Petrus sit caput vniuersalis Ecclesiæ, per multa iura, & auctoritates etiam supra probatum est. Ad illud quod Papa dicitur maior in Ecclesia, & non maior Ecclesia conceditur differentia, sed negatur assumptum, quia Papa non solùm est maior, & principalis in Ecclesia vniuersali, sed etiam est maior in iurisdictione Ecclesia vniuersali, quia principaliter data est ei iurisdictio, & descensiuè, siuè deriuatiuè ab eo alijs, vt supra latè dictum est, quia ipse solus habet plenitudinem potestatis, vt in cap. 1. cum concordan. vt Eccle. benefi. Ad id, quod dicitur Petro esse principaliter datas claues respectu singulorum Apostolorum, & non omnium simul, & sic non respectu totius corporis fidelium, dicendum est sicut supra dictum est quod imò principaliter in Petro claues collocauit Dominus etiam respectu omnium, quinimò claues iurisdictionis contentiosæ, siuè fori exterioris, non solùm principaliter in Petro, sed in solo Petro collocauit per illud Ioa. vlt. pasce oues meas, & in alius mediante persona Petri descensiuè, vt etiam supra latissimè dictum est. Ad tex. in cap. quæ dignior 24. qu. 1. cum dicit, quod non est dignior domus, quàm Ecclesia, dicendum est quod loquitur de Romana Ecclesia, quæ habita comparatione ad alias Domos, & Ecclesias, quibus præponitur, vt in cap. sacrosancta dist. 32. est dignior alijs. Et non refertur ad Papam, qui tamquam Vicarius Christi præest huic Ecclesiæ, vt in cap. rogamus, 24. qu. 1. & d. cap. sacrosancta 22. dist. de quo vide etiam

etiam infra in responsione ad 19. motiuum

201 Ad octauum de gestis Apostolorum dicendum est, quod quantumcumque reperiantur aliqua gesta communi nomine omnium, non ex hoc sequitur, quod Concilium sit maius Petro, quia multa in actibus Apostolorum fecit Petrus, cum alijs ex sua humilitate, quæ ex potestate officij potuisset solus facere, vt in cap. Petrus 2. q. 7. Nec est absonum vt gesta Concilij etiam attribuantur Concilio quantumcumque illi præsit Papa, vt videmus in capitulo primo, de pac. & in capit. 1. de sponsa, & dixi supra in articu. sub cuius nomine debeant conscribi gesta Concilij. Et ex ipsismet auctoritatibus actuum colligitur maioritas Petri, quia vt plurimum proponebat tamquam omnium caput. Vndè Act. 1. super illud exurgens Petrus in medio fratrum dixit, &c. dicit glos. interli. pastor pro ouibus loquitur. Et glo. Nicolai ibi ad verbum exurgens Petrus, addit tamquam principalis. Vnde quod aliter aliquando factum est, non fuit ex defectu potestatis, sed potiùs amore pacis, & vnitatis causa. Vnde Beatus Chrysost. super actus Apostolorum dicit. Petrus, vt inflammatus, & sicut ille, cui à Christo commissum erat ouile, & vt Princeps Apostolorum, semper incœpit sermonem, vide autem, quod Petrus omnia facit communi omnium voluntate, nihil agit principaliter, aut quasi Dominus. Et infra super illud oportet ergo ex ijs, qui nobiscum sunt viris, dicit. quare ita palam omnibus loquitur, ne contentiosè res fierent, & ad litem deuenirent, & ideò scandala vitabat, quapropter incipiens dixit viri fratres oportet eligi ex vobis, &c. multitudini populi electionem concedit, vt & ipse à contentione liberaretur, & alijs honor exhiberetur. Item dicitur, quod non Iacobus, sed Petrus quæstio. de legalibus definiuit tamquam omnium Princeps, & hoc vult S. Hieronymus in epist. ad Augustin. quæ incipit tres simul. vbi dicit Petrum fuisse principem huius decreti. Iacobus verò non definiuit, sed definitionem factam per Petrum promulgauit, quia ipse erat illius loci Episcopus, vnde dicit ego iudico. Si enim solus definisset, non fuisset Conciliaris determinatio, sed quia definitio facta erat per Petrum in Concilio, Iacob. tanquam promulgator, & loci Episcopus vtitur verbo, iudico, Vnde Nicolaus de Lira, ibi dicit. licèt Petrus esset principalis inter Apostolos, tamen detulit Iacobo in sua Diœcesi, vt determinationem dubij proferret, non dicit definiret.

202 Ad illud de missione Petri dicendum est, quod non omnis missio importat superioritatem, nam quædam est missio secundùm auctoritatis imperium, sicut seruus mittitur à Domino, & Rex mittit Senescalcum, aut Papa legatum, alia missio est secundùm consilium, vt consiliarij, vel Senatus dicitur mittere regem ad bellum. Istos duos modos tangit S. Th. in prima part. quæst. 43. arti. primo. Alia, & tertia missio est secundùm auctoritatem amoris, sicut quando socij inferiores mittunt nuncium, siue oratorem ad regem, vel ad Papam aliquem maiorem inter eos, in quem nullam habent auctoritatem prælationis, sed tantùm amoris. Vnde ad contrarium potest responderi, quod Apostoli non miserunt Petrum auctoritatis Imperio, sed miserunt eum prouidentiæ consilio suggerentes ei, vt ipse iret, vt pote magis aptus, tum ratione auctoritatis, tum quia præ cæteris splendebat miraculorum gratia, quapropter talis missio non dicit superioritatem auctoritatis in mittente. Vndè dicit Petrus de Monte in monarchia in 7. Char. quæstionis, an Papa sit maior Concilio, quod cum tunc inciperet fides publicari, magis inducebantur homines ad fidem opere, & exemplo, quàm verbo idcircò propter vitæ sanctitatem, & miraculorum potestatem, quæ erat in Petro, cùm ad eius vmbram sanarentur infirmi Act. 5. missus fuit Petrus, qui exemplo Christi seipsum humiliauit, tenens illud præceptum menti, qui maior est inter vos fiat sicut minor. Luc. 22. Vndè dicendum est ad contrarium, quod ex quo vnà cùm Petro facta fuit deliberatio, cùm dicitur miserunt, intelligitur scilicèt eum volentem, secunda quæst. 7. cap. si quis, & cap. nos si incompetenter, & secunda quæst. 4. cap. mandastis, & cap. auditum. Nec obstat, quod dicitur de dictione & quia non semper dictio & dicit paritatem inter coniunctos, vt latè de eius natura dicitur per Bar. in l. si is, cui §. sed vtrum, ff. de reb. dub. Item aliquando ponitur pro etiam, vt notatur in l. si filius, qui in potestate, ff. de liber. & posthum. & in l. sæpè, ff. de verborũ sign. Et diuersimodè capitur secundùm subiectam materiam, vt d. l. si is, cui. Et vide Anto. de Butrio in cap. vestra 3. col. de coha. cle. & mulie. Nec obstat quod dicitur, quod Iacobus iudicauit. Actuum capit. 15. quia respondetur, quod primò Petrus proposuerat, & iudicauerat, vt patet ibi surgens Petrus dixit. posteà Iacobus concordando, cum dictis Petri dixit propter, quod ego iudico, vbi addit glos. interli. scilicèt concordans, cum Petro, vt supra proximè dixi. Vndè fuit iudicium approbatiuum, & consultiuum, sicut iudicium Episcoporum in Concilio, vt supra dixi in artic. quàm iurisdictionem habeant

203 prælati in Concilio. Ad Nonum contrarium, quod Ecclesia non potest errare, conceditur hoc de Ecclesia vniuersali, vt loquitur tex. in dicto cap. à recta, sed benè reperitur, quod Ecclesia particularis, & Concilium, quod repræsentat Ecclesiam vniuersalem, potest errare. Vndè dicit Ioa. And. in capit. à nobis el secundo de sent. excommunic. quòd licèt Ecclesia specialis possit errare, tamen in dubio pro ea præsumitur donec de errore probetur capit. fraternitatis de frigi. & malè maximè prò Ecclesia Romana cap. primo, vbi idem dicit glo. de reli. & vener. Sanctorum, cuius sententia, facta fide de errore reuocatur, vt in capitulo olim. de dolo, & contu. Ita dicit Ioan. An. ibi post Hostien in verbo Ecclesiæ. Ad quod Hostien. allegat, & meliùs, capitulum cum olim. versic. nos igitur, de

re

re iudi. & capit. tùm ex literis de resti. in integr. Et hoc sentit Archi. & alij in capit. Anastasius 19. dist. dum dicit, quod potest ostendi Ecclesiam fuisse deceptam. Et istud quod Ecclesia specialis, siuè Romana Ecclesia possit errare ponit Petrus de Perusio, Anto.de But. & Cardin. & Abbas in dicto capitulo à nobis. Dominicus tamen in dicto capitulo. Anastasius, & Alexander ibi videtur velle capiendo Ecclesiam Romanam pro Papa solo, quod possit errare, sed capiendo Ecclesiam Romanam pro Papa, cum Cardinalibus, licèt aliqui possint errare, tamen non errat Romana Ecclesia. Et hoc videtur velle glos. in capit. quodcumque vigesimaquarta quæst. 1. Sed profectò potest dici, quo ad Romanam Ecclesiam, hoc est Papam, cum Cardinalibus, quod & illa errare potest si aliquid fuerit ei surreptum, vt dicto capitulo cum olim, aliàs non est credendum, quod Deus permittat eam errare, vt dicit dicta glo. in d. capitulo, quodcumque, & Dom. in dicto cap. Anastasius. Immò., & Concilia reperiuntur sæpiùs errasse. Vndè in Concilio Chalcedonen.legimus à Leone reprobatum Concilium Ephesinum secundum, sic & Concilium, apud Aquisgranum,vt in capit. placuit iuncto 3. capit. 36. quæstione secunda.

Quinimò plus voluit Abbas in d. capit. à nobis, & Fel. post Innoc. quod sicut specialis Ecclesia, ita & vniuersalis, hoc est Concilium, quod repræsentat Ecclesiam vniuersalem, possit errare excommunicando aliquem prælatum,qui non erat excommunicandus ex aliqua causa latenti, & pro hoc faciunt plura iura,maximè in censuris & in occultis, de quibus Ecclesia non iudicat, vt in capitulo vnico, vt Eccl. Bene. Et hoc quia eadem est ratio de Ecclesia generali, & speciali, dicit tamen dict. Abbas, quod illud, quod dicitur, quod Ecclesia vniuersalis non potest errare, intelligitur in ijs, quæ sunt fidei,quia quo ad illa Deus orauit, vt non deficiat fides eius. Sed ista ratio eodem modo militat in Ecclesia Romana, vt ex tex. in cap. maiores de bapt. quie ipsa est caput istius vniuersalis Ecclesiæ,vt in capitulo quamuis vigesimaprima distin. & in capitulo sacrosancta in fi. dist. 22. Item non sequitur Papa potest errare ergo est minor Concilio, quia nos non loquimur de maioritate meritorum sanctitatis, vel rectitudinis iudicij, sed de maioritate, & superioritate potestatis, & auctoritatis, quæ non dependet à rectitudine iudicij, vel meritorum. Item & si Papa errat, quia non habet superiorem reseruantur eius errores corrigendi iudicio Dei, vt in capitulo aliorum,& in capitulo nemo, cum similibus nona quæst. 3. Quoad alia, quæ adducuntur pro corroboratione, conceditur quod Ecclesia sit firma, & perpetuò mansura, & similia, sed ex hoc non sequitur, quod Papa non sit maior Concilio, nam, & dignitas Pontificatus erit etiam cum Ecclesia perpetua, quia sedes Apostolica etiam numquam moritur, vt in cap. si gratiosè de rescriptis. Et cum quæritur,an Papa sit maior Concilio intelligitur de Papa, non vt priuata persona, sed tamquã publica, & sic respectu dignitatis. Vndè conceditur contrarium, sed intelligitur de Ecclesia non tamen repræsentatiuè, vt est Concilium, quod sæpiùs errauit, vt dictum est.

Item non sequitur, Ecclesia, vel Concilium non errat, ergo est maius Papa. Ad
204 decimum contrarium respondetur verum esse,quod nullus saluatur extra Ecclesiam, & quod Christus est Sacerdos, & sacrificium, &c. sed Papa inquantum est Vicarius Christi, dicitur habere eandem potestatem, cum Christo, & in se habere totius Ecclesiæ vigorem, & potestatem per illa verba Matthæi decimosexto, & ego dico tibi, quod tu es Petrus, & illa Ioannis vltimo pasce oues meas, ponit S. Thomas in quarto libro contra Gentiles, cap.72. & 76. & contra errores Græcorum capit. 65. 66. & 67. & propterea dicitur quod Papæ, & Christi idem est consistorium,vt dicitur in capitulo quanto, de translatione prælatorum. Et quod Petrus habuerit eamdem potestatem cum Christo, ponit Innocen. in capit. quod super ijs, de voto. tex. in cap. pro humani, de homi. in sexto, in cap. ad Apostolicæ, in fin. de re iud. eodem lib. & supra satis dictum est, vnde ex hoc quod Papa est caput Ecclesiæ, & habet omnem plenitudinem potestatis in Ecclesia, non sequitur ipsum esse extrà Ecclesiam, si omnis virtus Ecclesiæ est in eo, tamquam in Ecclesiæ fundamento,& ideò qui non credit Papam Christi Vicarium, & caput Ecclesiæ, dicitur esse extrà Ecclesiam, extrà quam non potest saluari, vt in extrauaganti vnam sanctam. Nec ex hoc quod extra Ecclesiam nemo saluatur, sequitur quod caput Ecclesiæ,hoc est Papa sit inferior Ecclesia, ex quo ipse est in Ecclesia, vt Rex in regno, qui licèt sit in regno, tamen est superior regno. Sic ergo non concludit contrarium in Papa, cum ipse sit Ecclesiæ caput quamdiù est verus Papa, nec sequitur ad hoc vt saluetur, oportet,quod sit in Ecclesia, ergo Ecclesia est maior eo, ex quo ipse est firmamentum Ecclesiæ. Ad illud
205 quod Concilium dicitur congregatum in Spiritu sancto, & Spiritus sanctus esse in eo, conceditur de Concilio legitimè congregato, & quod Papa subijcitur Spiritui sancto, sed non sequitur ergo subjcitur Concilio, quia nos loquimur, vt dictum est de maioritate potestatis, & non sanctitatis vitæ, & meritorum. Item, & Papa præsumitur quæ agit facere instinctu Dei, & Spiritus sancti, vt in capitulo non nos, quadragesima distinctione. Nec Deus permittit Papam errare in ijs, quæ sunt fidei, vt legitur in Chronicis de Beato Leone, quod non est ob aliud, nisi quia Spiritus sanctus ei assistit, vt in capitulo violatores vigesimaquinta quæst. 1. facit quod dicit tex. in cap. quoniam vetus, & cap. hæc est fides, vigesima quarta quæst. 1. Vndè statuta Papæ, & eius sanctiones debent reputari,ac si ab ore Dei, vel Beati Petri essent prolata, vt in cap. sic omnes, dist. 19. Et Concilium, vt sit legitimum,oportet quod sit congregatum auctoritate Papæ, vt 17. distin.

distin. capit. multis, cum pluribus alijs, eadem distinct. Et sic non obstant auctoritates, quæ ostendunt, quod Episcopi in Concilio dicuntur congregati in Spiritu sancto, & dicuntur Dij &c. quia idem dicimus in Papa.

Nec ex hoc concluditur, quod Conciliū sit maius Papa, qui dicitur etiam maior Apostolo, vt in capit. sunt quidam ibi glo. 25. quæst. 1. & capitulo debitum, de bigamis, ibi Doctor. & in cap. nuper, & in capitulo super eo, ibi Innocen. & capitulo à nobis, ibi Docto. eodem titulo, & in capit. proposuit post glossam, de concessione prębendæ, & in capitulo, cùm ad monasterium, de statu Monachorum, cum similibus, in quibus dicitur, quod dispensat contra Apostolum. Ad vndecimum de reprobatione
206 electionis Clementis factæ per Petrum, respondetur, quod variæ possunt dari solutiones. Prima est quod Petrus non elegerit propriè Clementem sibi successorem, sed quod deliberauit cum fratribus eum relinquere successorem, vt in cap. si transitus 79. distin. & hoc inquit glos. in cap. 1. 8. qu. 1. hoc autem non est absonum, quod Papa viuens possit cum Cardinalibus tractare de futuro successore idoneò pro Ecclesia, vt ponunt Doct. in cap. in nomine Domini dist. 23. & in cap. licèt, cum simil. de elect. Secunda potest dari solutio, quod ideò tunc sic fuit factum per Petrum, quia pauci tunc erant Christiani, nec audebant comparere, vt 15. distin. in cap. 1. Et hoc videtur sentire Alex. in cap. Petrus. 8. qu. 1. vbi etiam dat aliam solutionem, quod illud fecit Petrus instinctu Spiritus sancti, sicut legitur de Dauid in glo. in cap. Moyses. 8. qu. 1. Pro hoc bene facit tex. in cap. electionem 79. dist. qui dicit, quod Deus electionem summorum Pontificum sibi reseruauit, sed electionem eorum bonis Sacerdotibus, & spiritualibus Populis concessit. Ecce quod Christus voluit per viam electionis à Sacerdotibus, & populis creari Pontifices, & non à præcessoribus institui successores, vnde instinctu Dei hoc factum fuit. Sicut etiam forma baptizandi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti tradita à Christo, Matt. vlt. familiari consilio Spiritus sancti reperitur in primitiua Ecclesia mutata, quia vt patet Act. 2. 10. & 19. baptizabatur in nomine Iesu Christi, quod fuisse factum dicit ibi in 2. capit. Nicolaus de Lira, vt nomen Christi redderetur amabile, & venerandum, in quo intelligitur tota Trinitas, vt latiùs dicitur in 4. sententia facit tex. in cap. à quodam, de consecr. distin. 4. & glos. in cap. primo, de bapt. & tamen per hoc Apostoli non dicuntur maiores Christo. Tex. autem Gratiani in §. his omnibus in capit. Apostolica 8. qu. 1. sentit quod aliud est de sui successoris electione tractare, siue deliberare, aliud ex testamento, tamquam suæ dignitatis hæredem quærere, nam illud fieri permittitur, hoc autem penitus prohibetur, & quia officium non vitæ, sed sanguini cœpit deferri, constitutum est, ne quisquam sibi sui officij quęrat successorem, sed populi electione quæratur. Item posset dari alia solutio, quod quantumcumque Apostoli reprobassent electionem Clementis factam per Petrum, non sequitur propterea, quod Apostoli fuerint maiores, quia sæpiùs videmus, quod multa facta per prædecessores mutantur per successores, ac etiam per Concilia secundùm exigentiam temporum vt in cap. non debet, de consangu. & affi. & potuit fieri ista mutatio volente, & consentiente ipso Clemente. Accedit ad hoc quod, vt supra dictum est, forma baptismi tradita à Christo Matth. vlt. fuit tempore primitiuæ Ecclesiæ alterata, & forma electionis concessa Sacerdotibus, & spiritualibus populis ex causa fuit mutata, & concessum, vt fieret electio tantùm à Cardinalibus, vt in cap. licèt de elect. & in cap. vbi periculum, eod. tit. in 6. in clem. ne Romani, eod. titulo, de quo plenè in capitulo quamquam eodem titulo in 6. post glo. ibi. Datur etiam, & alia solutio, quod ibi Clemens non fuit ab Apostolis amotus, sed ipse vltro videns, quod hoc esset perniciosum exemplum, quod aliquis sibi eligeret successorem, renuntiauit Papatui, tunc electus fuit Linus, deindè Cletus, deindè denuò Clemens. Ità dicit glo. in dicto capit. si Petrus 8. quæst. prima. Vnde glo. ibi ponit versum.

Disputat hic mundus quartus fueritue secundus.

Alia etiam solutio est, quod non solus Petrus elegerit sibi Clementem successorem, sed de consensu totius Ecclesiæ, vel saltem ipsa Ecclesia sciente, & tacente, & quia hoc etiam poterat esse perniciosum in Ecclesia, quia potuisset esse causa schismatis, & captandæ mortis alienæ, fuit postea determinatum, vt aliter fieret. Facit quod dicitur in capitulo bonæ, el 2. de elect. & quod dicit Bal in l. quoniam liberi C. de testibus, & tex. in capitulo nullus 79. distinctione. Ad duodecimum motiuum responsum est supra ad plenum, & est idem
207 motiuum virtualiter cum 17. Quibus latè supra respondetur, quod illud restat, vt Ecclesiam debeant adhibere, intelligitur scilicèt per censuras ecclesiasticas, illas fulminando, non quod ipse appellaret Ecclesiam, hoc est Concilium, tamquam maiorem. De quo vide ibi, quæ dicta sunt in illa auctoritate Matth. 18. in fine contrariorum, & dic vt ibi.

208 Ad auctoritatem Gregor. in capitulo ecce, respondetur quod licèt Gregorius ex humilitate noluerit appellari vniuersalis Papa, ex hoc non sequitur quod Concilium sit maius Papa, vt ostendit ratio text. ibi, ex qua apparet, quod ideo noluit appellari vniuersalis, ne alijs Episcopis videretur subtrahere dignitatem, nec per hoc negauit se esse vniuersalis Ecclesiæ Papam, quoniam, vt dictum est, & dicunt ibi Doctores loquebatur sic ex humilitate, & erat consuetudinis eius, vt in capitulo nihil, de præscriptionibus. De quo vide in capit. synodum decimaseptima distinctione, vbi licèt aliàs Papa de se loqui debeat in plurali, aliàs literæ præsumuntur

de ſtylo falſæ, vt in cap. quamquam de crim. fal.tamen ipſe ſemper de ſe loquebatur in ſingulari, vt ibi ſupra. Tamen non eſt dubium, quin Papa ſit Epiſcopus vniuerſalis orbis, vt dicit gl.fin.in cap.fœlicis de pœnis, & eſt Ordinarius Ordinariorum, vt in cap.cuncta per mundum, & in capitulo per principalem 9. quæſtione tertia. Ad quod vide latè in reſponſione ad trigeſimumſextum contrarium, quando reſpondetur ad cap.primæ ſedis, & ad cap. ecce 99. diſtin.vbi dantur aliæ ſolutiones. Ad auctoritates Gregor. in quarto lib.re-
209 giſ.capit.76.80. & 82. reſpondetur quod in illis locis potiùs probatur contrarium, quaſi ſi rectè inſpiciatur, ibi Gregor.non dicit, quod non ſit vniuerſalis Papa, ſed quod non vult aſſumere ſibi illud nomen, & quod quantumcumque illud in Concilio Chalcedonẽſi fuiſſet oblatum alijs Pontificibus, nulli tamen nomen illud aſſumere voluerunt, nec etiam hodie aſſumunt, ſed in literis ſuis ſe dicunt ſeruos ſeruorum Dei ex humilitate,quantumcumq; poſſent. vt ſunt, ſe dicere vniuerſales Epiſcopos.
210 Ad Tertium decimum de eo, quod legitur in Concilio Conſtantinopolitano 8.reſpondetur,quod ibi non dicitur quod Concilium habeat facultatem, & poteſtatem ferendi ſententiam contra Papam iuriſdictionaliter, ſed quod exiſtentes in Concilio non debent illico dare vota contra Pontifices Romanos, ſed cum reuerentia diligenter ſciſcitari de propoſita quæſtione. Quinimmò etiam ſi eſſet ibi ſermo de actu cognitionis iuriſdictionalis, ex dictis verbis innuitur potiùs contrarium, videlicèt quod Concilium nullam habet auctoritatem contra Papam. Dicitur enim quod etiam ſi Synodus eſſet congregata ad tractandum de ſancta Romana Eccleſia, oporteret controuerſiam tractare cum ſumma reuerentia, & ibi ſciſcitari veritatem, & ſolutionem accipere, & profectum facere, non tamen ſententiam dare contra Summos Pontifices. Ecce quod Concilium innuit, quod nonhabet facultatem dandi ſententiam contra Papam, ſed quod poteſt tantùm de obiectis cum reuerentia tractare, & proficiendo ſolutionem accipere, non autem ſententiam ferre. Vnde colligitur ex illo Concilio, quod quando orta fuiſſet aliqua ambiguitas de Romana Eccleſia, oportebat de illa tractari cum ſumma reuerentia, & illa diſputata, ſolutionem accipere, non quod poſſet ferri aliqua ſententia aduersùs ſummos Pontifices, nam Pontifex Romanus non eſſet ſummus ſi contra eum ex ſuperioritate quis poſſet ferre ſententiam, nec eſſet reuerentia, ſed irreuerentia, & confuſio, ac præſumptio ſi inferiores Pontifices ferrent contra ſummum ſententiam. Ad cap.ſi Papa, & cap. ſi duo reſponſum eſt in ſolutione ad primùm, & ſecundum contrarium. Ad text. in cap.ſi quis pecunia datur intellectus in articulo, vtrùm Papa,qui committit paſſim ſimoniam poſſit deponi. Ad quartum-
211 decimum, de verbis Martini Quinti in condemnatione huius articuli non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter aliasEccleſias, reſpondetur,quod ex illis verbis error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligatur vniuerſalis Eccleſia, vel Concilium generale, non ſequitur quod Concilium legitimè congregatum ſit ſupra omnes Eccleſias, nam non eſt ille ſenſus ipſius Bullæ, quia intentio Martini eſt, quod ſi ſub nomine Romanæ Eccleſiæ Ioannis Vuiclef intellexit vniuerſalem Eccleſiam, vel Concilium generale illa aſſertio eſt erronea.

Et nota quod dicit erronea quia ex illa ſic intellecta ſequeretur, quod Concilium, ſiue vniuerſalis Eccleſia tollat primatum Romani Pontificis, vnde non dãnat illam aſſertionem tamquam à Ioanne Vuiclef aſſertiuè poſitam, ſed dicit quod ſi per illam aſſertionem factam de Romana Eccleſia voluit Ioannes Vuiclef intelligere vniuerſalem Eccleſiam, eſt erronea propter illud,quod ex tali aſſertione ſequitur, quia tolleret primatum ſummo Pontifici. Et iuxta hunc verum ſenſum illa Bulla facit magis pro,quàm contra, quia præſupponit quod Primatus vniuerſalis Eccleſiæ, & Concilij eſt in Papa, quia ſummus Pontifex eſt ſupra Concilium. Duo ergo ex Bulla concluduntur, quia primò damnatur concluſio Ioannis Vuiclef. in quantum aſſerebat non eſſe de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias, quia immò eſt ſuprema, & principalis, quia euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri Primatum obtinuit, capitulo quamuis, vigeſimaprima diſtinctione, & capitulo ſacroſancta, vigeſimaſecunda diſtinctione, cum ſimilibus. Secundò dicit eſſe erroneam aſſertionem, ſi per Romanam Eccleſiam intellexit vniuerſalem Eccleſiam, vel Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum ſummi Pontificis, ſuper alias Eccleſias particulares, quia imniò veritas eſt, quod Romana Eccleſia, & ſummus Pontifex eſt caput vniuerſalis Eccleſiæ, & habet ſuperioritatem in illam particulares Eccleſias, Et ſic illa Bulla Martini clarè demonſtrat, quod Papa eſt ſupra Concilium, & conſequenter malè adducitur
212 in contrarium. Ad quintumdecimum contrarium ex dictis de Petro Act. 15. reſpondetur verum eſſe, quod aſſurgere eſt actus honoris, & oſtenſionis reuerentiæ, ſed non inferioritatis, quia, & ſuperiores honorare debent inferiores; vnde dicit text. in capitulo eſto ſubiectus 95. diſtinctione cur ego te habeam, vt Principem cùm tu me non habeas, vt Senatorem. Et ibi eſt text.quod Epiſcopus debet honorare Sacerdotes, & Superiores inferiores. Ad idem facit l. 2.C.de off. diuer.iudi. & l. prima C. de off.præfec. vrbis, vnde iſta reuerentia eſt ex quadam decentia, non ex debito. Item ex illo potiùs arguitur ſuperioritas Petri ad Concilium Apoſtolorum, quia ſemper cùm volebat aliquid decernere, primus aſſurgebat, & primus loquebatur, ex quo oſtenditur in Petro maioritas ſupra alios. Facit quod dictum eſt ſupra in reſponſione ad 8. motiuum, & in ſolutione quarti, cum reſpondetur ad cap.

ſicut

sicut 15. dist. Ad illud de cap. Petrus, & Act. 11. respondetur quod non intelligitur Petrus se purgasse coactus auctoritate euangelica Matth. 18. sed ex humilitate, vt etiam legitur factum in cap. mandastis, & in cap. auditum 2. quæst. 4. quia ex debito officij poterat dicere oues pastorem non accusent, quasi dicat, poterat se non purgare, & imponere silentium repræhendere volentibus. Ad illud quod dicitur, quod Papa est minister Ecclesiæ, dicendum est quod hoc non probatur in allegato. cap. quodcumque, quia non est verum dicere, quod quando Petrus claues recepit illas receperit tamquam minister Ecclesiæ, vt supra dictum est, vbi latè declaratum est quo modo claues receperit, & quomodo intelligatur, quod Ecclesiam sanctam significauit. Ad illud Lucæ 22. & Matth. 23.
214 Respondetur, quod licèt Apostoli tunc non plenè cognouerint quis ipsorum post Christi Ascensionem deberet cæteris præsidere, & esse maior, & ideo inter eos orta sit discordia, non sequitur propterea quod Christus non designauerit quis inter eos esset maior futurus, quinimmò verba contrarium ostendunt, cùm dicitur qui maior est inter vos &c. per hæc enim verba ostendit Dominus, quod inter eos aliquis debebat esse maior. Et quamuis dicatur quod si minister, sed quod fiat, sicut si esset minister in humilitate, iuxta illud Ecclesiast. 3. cap. quantò maior es tantò magis te humilia in omnibus capitulo olim. 95. dist. & cap. disciplina 45. dist. Nec Christus in verbis illis docuit Apostolos, vt singuli reputarent se singulis minores inferioritate officij, & auctoritatis. Vnde Hugo Cardin. super illud Matth. 23. vos autem nolite vocari rabbi dicit Dominus, hìc ambitionem, quæ fuit causa vitiorum propter quæ arguebat Pharisæos, extirpat à discipulis suis, sufficit enim causam extirpare, qua cessante cessat effectus. Exponitur autem illud dupliciter, scilicèt de ambitione magisterij, & vsurpatione auctoritatis sciendi, non enim Dominus honorem, vel nomen inhibet, sed ne quis indebitè magisterij nomen per ambitionem vsurpet, vel auctoritatem scientiæ sibi ascribat. Quinimmò secundùm glos. Nicol. illud Luc. 22. quis eorum videretur esse maior, intelligitur, id est aptior ad gubernandum, & præsidendum alijs loco Christi, & ideo Christus de hoc eos docuit, quod ille esset ad hoc aptior, qui verè esset humilior per contrarium ad terrenam dominationem. Ex quo ostenditur quod Christus designauerat Petrum præsidem, & primum propter eius supremam humilitatem. Et in verbo, ego autem in medio &c. Dicit idem Nicol. ex hoc intendit concludere, quod ille est aptus ad succedendum sibi in regimine Ecclesiæ, qui est fundatus in vera humilitate. Et sic videtur quod ostenderit eis Petrum futurum gubernatorem, quem Apostoli omnes cognoscebant verè, & supremè humilem. Item glos. interlinearis ibi ad verbum, qui maior est, exponendo, addit in virtutibus, & ad verbum fiat sicut minor, addit humili reputatione. Quapropter ex hoc, quod aliquis est Papa, & caput Ecclesiæ, non habetur quod sit minor ipsa Ecclesia. Vnde glos. Nicol. illud Matth. 23. erit minister vester, exponit, id est paratus ad officia humilitatis secundùm decentiam sui status, & propter hoc Papa vocat se seruum seruorum. Non ergo oportet intelligere, quod Papa sit inferior alijs. Ex eo etiam, quod ibidem Matth. 23. Dominus inhibet nobis vocare patrem super terram, quia vnus est Pater noster in Cœlis, & ne vocemur magistri, quia vnus est magister Christus, non sequitur quod Concilium sit maius Papa. Illud enim dicitur, quia, vt dicit Hugo Card. vnus est magister auctoritate qui docet interiùs, & vnus pater auctoritate, qui docet interiùs, & vnus pater auctoritate, ideo non debet ascribi alijs auctoritas sciendi, vel etiam generandi, homo enim magister est in ministerio doctrinæ, quia solus Deus animam illuminat lumine sapientiæ, sicut homo pater est in ministerio genituræ, solus Deus autem in auctoritate naturæ. Vnde dicitur Exodi vigesimo, Non assumes nomen Dei tui in vanum, &c.

Quinimmò secundùm quod dicit Chrysost. ibi Lucæ 22. Non fuit contentio de principatu terreno, sed de spirituali in cœlo si autem sic est, non meretur allegari in proposito illa auctoritas, quia loquimur de maioritate iurisdictionis in terris Vnde gloss. Nico. super illud Matthæi 20. scitis quod principes gentium &c. dicit, quasi dicat maioritas in regno meo non eodem modo acquiritur, sicut in regno terreno, quia in regno terreno acquiritur, per ambitionem, & potestatem, sed in regno meo contrario modo acquiritur, videlicet per humilitatem, & Hugo Card. super illud Marc. decimo, non ita autem est in vobis, post Chrysost. dicit, principes Ecclesiæ fiunt, vt seruiant minoribus, vt suas vtilitates negligant, & illorum procurent primatum secularem appetere et si ratio non est, vel causa, est, primatum autem Ecclesiasticum concupiscere, neque ratio est, neque causa, quia neque iustum, neque vtile, quis enim sapiens vltro festinet se subijcere seruituti, & tanto periculo, nisi fortè, qui non credit Dei iudicium, neque timet. Et idem Hugo super illud Lucæ, vigesimosecundo, sed qui maior est in vobis &c. etiam post Chrys. dicit quicumque desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem quicumque autem desiderauit primatum in terra, inueniet confusionem in cœlo vnde prouer. 29. dicitur, superbum sequitur humilitas, id est deiectio, & humilem spiritu suscipiet gloria. Quapropter meritò dicere possumus positum Romæ primatum humilitatis, vbi erat caput superbiæ & aptè illud dicitur, seruierunt tibi Roma priùs domini dominorum, seruorum serui nunc tibi sunt domini. Et quare serui seruorum, vide in prooem. decretal. & sexti. Et idem Chryso. primatus fugientem desiderantem, se horret, vnde Eccl. 11. dicitur, si secutus fueris non apprehendes

&c. Est enim similis vmbræ honor mundanus, & laus popularis. Vnde versus, si sequeris fugiet sed si fugeris vmbra sequetur sic captata fugit Laus & contempta tenetur. Et ex his colligitur; quod verba illa loquuntur,non de maioritate regni terreni,sed cœlestis, quæ per humilitatem acquiritur, vt dicit Nico. super illud Matth. 20. scitis quod principes gentium &c. Ad quam auctoritatem, & illam Marc. 10. similiter respondetur, quod Christus non interdicit omnem dominatum, siue principatum Apostolis sed tantùm dominatum, quo Gentiles,& homines mundani vtuntur in subditos. Vnde S. Thom. in postilla super Matth. dicit quod dominari dupliciter accipitur, vno modo pro præesse, & hoc modo non loquitur Christus in prædicto loco Matth. 20. nec talis dominatus interdicitur Apostolis. Vnde Christus dixit Petro, super plebem meam principem te constitui, & de Apostolis psal. quadragesimoquarto, dicitur constitues eos principes super omnem terram. Alio modo vt se habet correlatiuè ad seruum, & tunc idem est,quod seruiliter aliquem sibi subijcere, & hoc modo sumitur in iam dicto loco, & Marci 10. principes enim constituti sunt ad hoc, vt procurent bonum subditis, si verò voluit illos in seruitutem redigere, tunc abutuntur principatu, quia vtuntur liberis, vt seruis. Et quia hoc consuetum erat apud Gentiles. & adhuc est, apud aliquos, dicit principes gentium dominantur eis; idest in seruitutem redigunt sibi subditos. Et talis primatus interdicitur à Christo Apostolis. Vnde Chrysost. ibi dicit, principes mundi sunt vt dominentur minoribus suis, & eos seruituti subijciant,& expolient, & vsque ad mortem eis vtantur ad suam vtilitatem, & gloriam. Principes autem Ecclesiæ fiunt, vt seruiant minoribus suis, & ministrent eis, quæcumqne acceperunt à Christo, & vt suas vtilitates negligant, & illorum procurent, & vt mori non recusent pro salute inferiorum, nonagesimaquinta distinctione, capitulo olim, & ad præmissa adde, quæ dicentur in responsione ad 24.
215 contrarium infra. Ad sextumdecimum contrarium de ca. quod quis 45. quæst. 9. respondetur quod ibi non dicitur, quod iudicium, & statutum Concilij sit maius indicio Papæ, sed quod, vt tenaciùs custodiretur constitutio, ibi per Papam edita, & vt præcluderetur aditus illicitus voluit Papa illam per subscriptionem Concilium corroborari. Ex quo non sequitur, quod Concilium sit maius, imo potiùs innuitur contrarium, ex quo subscribit se ad constitutionem. quia maior est qui constitutionem edit, quàm qui subscribit vt est tex. in §. hinc etiam decimaseptima distinctione, in fi. Hoc autem sæpiùs factum legitur per Romanos Pontifices, & sæpiùs dicitur sacro approbante Concilio, vt in clement. dudum de sepul. in clement. ad nostrum de hære. clem. 1. de vsu. in cle. 1. de pœnis, & in infinitis similibus. Ex hoc autem non sequitur, quod maius sit Concilium, quàm Papa. Et ad hoc faciunt quæ dicta sunt in arti sub cuius nomine edi debeat constitutio conciliaris, & quod dicetur in responsione ad trigesimum sextum contrarium infra. Ad decimumsep-
216 mum, de auctoritate illa Matthæi decimo octano, dic Ecclesiæ, supra latè dictum est in art. vtrùm potestas clauium data fuerit Ecclesiæ, & ibi splenè respondetur. Ad illud,quod dicitur quod in Concilio Constantiensi fuit seruata illa auctoritas, quia iudicauit de Papa, vnde aliter dicere esset impugnare illud Concilium de hæresi. Respondetur quod Concilium Constantien. iudicauit de pluribus, qui se gerebant pro Pontificibus propter schisma inueteratum, quod est hæresis, qui casus, spectat ad Concilium, vt satis supra dictum est per vulgatum, cap. si Papa 40. dist. & quæ dicuntur in cap. in fidei, de hære. in 6. cum simil. Et in illo casu, quo constat de hęresi, quilibet catholicus est maior Papa, cùm tunc ipse sit minor quòlibet Christiano, ideo non iudicatur propriè de Papa, sed de priuata persona. Similiter responsum est ad illam auctoritatem quæcumque alligaueritis ibi in artic. vtrùm claues datæ sint Ecclesiæ. Quod ad
217 illud,quod dicitur quod tunc Apostoli repræsentabant vniuersalem Ecclesiam posset teneri contrarium, ex quo tunc Apostoli nondum erant prælati fidelium, quia viuente Christo nullam prælationem habuerunt,nec aliquam iurisdictionem gesserunt, nec adhuc facti erant sacerdotes quia postea in cæna Domini fuerunt ordinati, vt supra dictum est. Imò nec adhuc fundata erat Ecclesia, quia Christus Match. 10. dixerat se fundaturum Ecclesiam super se petram, quod ante passionem factum non fuit. Ideo non poterant Apostoli tunc repræsentare Ecclesiam, nec constituere Concilium vniuersale, potuissent tamen bene repræsentare futuram Ecclesiam vt ipsi significarent, & essent signum futuræ Ecclesiæ, sicut supra latè dictum est, de Petro, quod quando claues recepit Ecclesiam sanctam significauit. Et sic intelligendo, illa auctoritas dic Ecclesiæ non posset exponi,idest Concilio, sed potiùs, de prælatis Ecclesiæ. De quo vide quod supra latè, dictum est in vltimo motiuo, pro Papa, vbi bis, & latè, agitur de ea-
218 dem difficultate. Item ad epistolam Greg. etiam ibi in fine respondetur, & supra in responsione ad 12. contrarium dictum est. Pro reliquis autem adductis in isto contrario, vide responsionem ad 18. immediatè sequentem. Ad illud,quod Petrus Apostolorum primus est membrum Ecclesiæ, & Paulus, Andreas, Ioannes, & alij Apostoli dicuntur singularum plebium capita &c. conceditur. quod Petrus est membrum Ecclesiæ, sed caput aliorum membrorum, & quod sancti ante legem sub lege, & sub gratia perficientes corpus Domini, sunt in membris Ecclesiæ constituti, & omnes sunt membra sub vno capite Christo, sed ex hoc non sequitur, quod Concilium sit maius Papa. Vnde considerandum est, quod Christus est principale, & originale caput Ecclesiæ, sed dimisit

Pe-

Petrum suum vicarium & caput Ecclesiæ, vt dicit Innoc. in cap. ad Apostolicæ, circa fide re iud. in 6. ad quod est text. in ca. rogamus 24. qu. 1. Nec motiuum procedit, quia & Christus inquantum caput potest dici esse membrum Ecclesiæ, facit quod dictum est supra in simili, quod Petrus dicitur fundamentum Ecclesiæ, vt in cap. fidelior 50. dist. & in cap. quoniam vetus, 24. qu. 1. cum tamen Christus fundauerit Ecclesiam, vt dictum est, supra in octauo
219 motiuo pro Papa. Ad decimumoctauum contrarium, & ad auctoritates in illo adductas, respondetur per ea, quæ ad longum examinata sunt in 8. & vltimo motiuo pro Papa in art. de clauibus datis Petro, & in responsione ad auctoritatem Aug. in cap. quodcumque 24. qu. 1. & in alijs motiuis pro Papa vsque ad vltimum, & in art. vtrùm Ecclesiæ vniuersali fuerit data aliqua potestas clauium, per quæ apparet responsum ad auctoritates multas in ductas tam in isto 18. quam in 19. 20. 21. 22. & 23. contrario.
220 Et nihilominus ad auctoritatem Matth. vlt. data est mihi omnis potestas &c. respondetur, quod potestas baptizandi & prædicandi ita fuit data cæteris Apostolis sicut Petro, & similiter potestas faciendi miracula, curandi infirmos, eijciendi dæmonia, metendi temporalia, conficiendi corpus, & sanguinem Christi, & ligandi, soluendi in foro conscientiæ, in istis enim Apostoli receperunt immediatè potestatē à Christo, sicut Petrus, vt supra, diffusè dictum est. Verùm ex hoc non sequitur, quod Petrus fuerit inferior, nec quod Apostoli in omnibus fuerunt pares Petro, vnde, non obstat illud Matt. vlt. nec similiter illud
221 Ioan. 20. quando dominus insufflauit, &c. quia fuerunt pares, quo ad potestatem ordinis, vt ibi in d. 8. motiuo latè dixi, Et quod dicitur ecce ego vobiscum sum, vsque ad finem seculi, conceditur, quod conuenit omnibus Apostolis, quia vt dicit, ibi gloss. Hugonis Car. non dicit vsque ad consummationem vitæ, sed vsque ad consummationem seculi, in quo omnes sequaces eorum commemorat, & ideo non dixit tecum sum, quia Petri persona non erat mansura vsq. ad consummationem seculi, sicut nec Apstoli. Ideo dicta verba non possunt conuenire, nisi Ecclesiæ, cum qua Christus erit vsque ad consummatiotionem seculi, & pro cuius fide ipse rogauit. Vnde Chrys. dicit, pro omnibus petijt, & allegat illud Ioan. 17. Ex hoc tamen non sequitur, quod Ecclesia, siue Concilium sit maius Papa quantumcumque Ecclesia sit perpetuò mansura, vt in cap. pudenda 24. qu. 1. Ecclesia enim Romana est perpetuò mansura, vt in cap. hæc est fides, ead. cau. & qu. per quam repræsentatur dignitas pontificalis, & sedes Apostolica in Papa, vt in capitulo si Abbatem ibi Ioan. An. de elect. in 6. & Card. in Clemen. quia contingit in 5. quæst. de religi. dom. nam cum perpetuitate Ecclesiæ etiam erit perpetua pontificalis dignitas Romani Pontificis. Item verba dicta Petro ego pro te rogaui, non de Ecclesia tantùm sunt intelligenda sed etiam de persona Petri. Vnde ibi gloss. ordi. quæ fuit Bedæ, ad verbum, vt non deficiat fides tua supplet, non vt non tenteris, quasi dicat, non rogaui, vt non tenteris, sed ne deficiat fides tua, vt post lapsum negationis ad pristinum statum pœnitendo resurgas vtile est enim sanctis, & tentationibus examinari, vt vel tentati quàm fortes fuerint appareat, vel cognita per tentationem sua infirmitate, fortiores fieri discant, & sic cùm probati fuerint, accipiant coronam vitæ. Et gloss. Nico. ad idem verbum, vt non deficiat fides tua, addit scilicet finaliter, non enim rogauit, vt Petrus non caderet, sed vt in casu non remaneret. Et idem ibi gloss. Hugonis. Et ad præmissa bene facit illa auctoritas Theophili super illud Lucæ 22. adducta in supradicto 8. motiuo, per quam probatur etiam, quod dixi de Apostolis, qui non erant perpetuò mansuri, intelligi de fidelibus. Ad illud Luc. 10. de potestate eijciendi dæmonia, & Matth. 10. curandi infirmos, supra responsum est. Ad illud Ioann. 20. quod Dominus misit Apostolos cum pari potestate, respondetur, quod hoc intelligitur secundùm potestatem eis aliàs tributā, hoc est quod misit Petrum cum potestate iurisdictionis præeminentiæ, & plenitudinis potestatis, & Apostolos cum potestate ordinis, & iurisdictionis per deriuationem à Petro, vt latè dictum est in d. 8. & vltimo motiuo. Et istā auctoritatem tam glos. interlinearis, quàm Hugo exponit, sicut misit me pater, id est ad, id ad quod misit me, id est ad passiones. Et glos. Nicol. dicit, sicut misit me pater ad veritatem fidei docendam in Iudæa, & ego mitto vos, id est mittam ad hanc veritatem publicandam per totum mundum. Ex qua expositione nulla arguitur maioritas Ecclesiæ, siue Concilij ad Petrum, siue ad Papam, cùm Petro data fuerit, non solùm potestas sanandi, mundandi Leprosos, & eijciendi dæmonia, & publicandi veritatem, sed etiam omnimodæ potestatæ, & iurisdictionis plenitudinis, & præfecturæ vniuersalis. Ad illud
222 Leonis dicentis de verbis, & tibi dabo claues, quod transiuit in alios Apostolos ius istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit &c. Respondetur quod intelligitur de potestate ligandi, & soluendi in foro conscientiæ, in qua licèt sit par auctoritas respectu ordinis, vt dicit glos. in capitulo sacrosancta, vigesimasecunda distinctione, & in capitulo in nouo, vigesimaprima distinctione, & dicitur in capitulo quāquam secunda quæstione septima, secus tamen est in potestate administrationis, vt latè dictum est in supradicto 8. motiuo. Vnde Archid. in dicto capitulo loquitur ad verbum pari consortio præditi honoris, & potestatis, exponendo addit, scilicet in ordine, & dignitate, secus in administratione, qua Petrus præfuit alijs. Verumtamen in hac etiam potestate ordinis Petrus cunctis Ecclesiæ Rectoribus præponitur. Et sic intelligendo confirmatur dictum Archiepiscopi Armachani, qui voluit quod etiam

ista potestas data Apostolis, scilicet ordinis potuisset aliquo modo per Petrum restringi quod etiam posuit Archiepis. Florent. in 3. part. sum. tit. 23. cap. 4. §. 7. de potestate iurisdictionis, & dixi supra in 8. motiuo pro Papa. Et si intelligitur illa auctoritas, & tibi dabo claues, de potestate ordinis, & iurisdictionis, adhuc per illud dictum Leonis probatur quod potestas ista deriuatur à Petro, cùm dicat ius illius potestatis transisse in alios Apostolos, & ad omnes Ecclesiæ Principes, id est Episcopos, qui dicuntur Principes Ecclesiæ, vt 33. dist. cap. Ecclesiæ principes, & quod singulariter hoc creditum fuit Petro, quia Petri forma cunctis Ecclesiæ Rectoribus proponitur, & ideò non dicit Petrus, sed Petri forma, vt non intelligatur tantùm de persona Petri, sed de pontificatu Petri, & consequenter etiam de successoribus in papatu. Et sic ista auctoritas benè probat illa, quæ dicta fuerunt in dicto 8. motiuo supra. Et sic etiam respondetur ad auctoritatem August. in sermone vigiliæ Apostolorum Petri, & Pauli, & ad cap. audiuimus, & ad cap. quodcumque, & ad cap. loquitur, quod Petrus quando claues accepit Ecclesiam significauit, & quod Petrus accepit claues pro omnibus, & quod in eo omnes illas acceperunt. Dicitur enim quod omnes acceperunt claues, sed Petrus principaliter, alij autem per deriuationem à Petro quoad potestatem iurisdictionis fori contentiosi, vt dictum est in supradicto 8. motiuo. Et hunc sensum dat Archid. post glos. in verbo parem in d. capit. loquitur, cum ostendit quod in potestatis plenitudine Petrus omnibus præfuit, allegat. cap. perlectis 25. dist. & cap. in illis 80. distin. Vnde licèt Petrus designauerit Ecclesiæ vnitatem, non ex hoc sequitur quod Ecclesia sit maior, si præ & pro cæteris istius vnitatis Petrus claues accepit, immò sequitur quod Petrus sit caput istius vnitatis, & aliquo modo in potestate maior. Non obstat. quod text. in d. capit. audiuimus & cap. loquitur 24. qu. 1. & cap. in nouo 21. dist. dicunt quod pari consortio honorem, & potestatem, & parem potestatem ligandi, & soluendi Apostoli receperunt, tamquam si singulariter sunt pares, eorum vniuersitas sit supra singulos, tum quia ista paritas intelligitur de paritate ordinis, vt supra dictum est, tum quia pari consortio, hoc est simul, & eodem tempore receperunt potestatem, ex quo non sequitur quod non fuerit priùs data Petro plenior. Item hæc particula pari consortio potestatem, & honorem acceperunt, non dicit æqualitatem potestatis, & honoris, sed similitudinem, vnde exponi debet pari consortio, id est communi, siue simili potestate, ita exponit Archid. in dicto cap. loquitur 24. quæst. 1. Alioquin illa iura dicerent duo contraria, quia in capit. in nouo text. dicit quod Petrus primus à Domino potestatem accepit, & primus ad fidem populum suæ prædicationis virtute adduxit, & in dicto capitulo audiuimus dicit quod præ omnibus Petrus claues accepit, si autem verum esset quod fuisset omnimoda paritas potestatis, non primus, nec præ omnibus claues accepisset. Et ad hoc facit quod glos. interlin. super illud Leuit. 18. cauete ne vobis similiter eueniat cùm paria feceritis exponit paria, id est similia. Et hoc esse verum ostendit Leo Papa in Epistola ad Thessalonicen. Episcopum, vbi dicit quoniam inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cùm par omnium esset electio vni tantùm datum est, vt cæteris præemineret. Vnde apparet quod illud quod dicitur in capitulo in nouo, & in cap. loquitur, & cap. audiuimus, pari consortio honoris &c. exponi debet, id est simili honore, & potestate. Et ad hoc facit text. in capitulo puto, secunda qu. septima, comparans Cyprianum Petro, qui licèt dicat illos pares quoad Martyrij coronam, postea tamen subiungit Petrum Principem Apostolorum cuilibet Episcopo præferendum. Et hoc etiam ostendit text. in capit. sacrosancta 22. dist. vbi dicit, inter beatos Apostolos quædam fuit discretio potestatis, & licèt omnes essent Apostoli, Petro tamen concessum est à Domino, & ipsi inter se voluerunt id ipsum, vt reliquis omnibus præesset Apostolis &c. Ad auctoritatem August.
223 in cap. quodcumque 24. qu. prima, quod quando claues accepit Ecclesiam significauit, data fuit ad longum solutio in dicto 8. motiuo vltra præmissa. Et eodem modo respondetur ad alias auctoritates Aug. in contrario significatas. Ex quibus etiã apparet quod loquuntur de potestate ordinis ligandi, & soluendi, quod patet in illa, maximè de Agone Christiano, cum subijcit, nec eos audimus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Et illud est, quod dicit Innoc in allegato capit. nouerit de senten. excommunic. cum dicit quod priuilegium ligandi, & soluendi dedit Christus Petro in persona Ecclesiæ. Et quantumcumque in persona Petri designaretur Ecclesiæ vnitas, & quando Petrus claues accepit vnitas Ecclesiæ illas acceperit, cùm tamen Petrus istius vnitatis caput fuerit, vt in d. cap. loquitur, oportet, vt dicamus ipsum præferendum huic vnitati, nam vt dicit ibi text. exordium ab vnitate proficiscitur, & sicut rami arboris multi sunt, sed Robur vnum radice tenaci fundatum, sic & Ecclesia Domine Luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit vnũ tamen caput est, quod vbique diffunditur. nec vnitas corporis separatur, & vnum caput est, & vna origo, & vna mater copiosæ fœcunditatis. Vnde Archid. in dicto cap. loquitur, verbum super vnum ædificat, exponit hoc est super fidem vnius scilicet Petri, vt Ecclesiæ significet vnitatem. Sequitur ergo quod Papa tanquam caput istius vnitatis, maior, & dignior ea existat, tanquam Robur tenaci radice fundatum.

Et per præmissa datur solutio ad plures alias auctoritates Aug. de quibus in contrario, videlicet ad illam in sermone Apostolorum Petri, & Pauli cum dicit quod Petrus Ecclesiæ figuram gessit, & quod omnibus traditæ sunt claues, scilicet ordinis, sed Petro principaliter, & iurisdictionis,

nis, per deriuationem à Petro. Et idem di-
cendum est ad caitulum p18. ex lib. 1, de
Doct. Chryf. scilicet quod loquitur de po-
testate ligandi, & soluendi. Et ad illud su-
per Psal. 108. conceditur quædam esse di-
cta Petro, quæ vt illustrem habeant intel-
lectum referuntur ad Ecclesiam, sed ex hoc
non sequitur quod Ecclesia sit maior. Et
ista, & quod adducitur ex Act.20. & 15. so-
luuntur ex dictis in 8. motiuo pro Papa.
Et multæ auctoritates Hieronymi Ambros.
& Gregor. declarantur inferiùs in respon-
sionibus ad 19.20.& 21. contraria. Ad de-
224 cimumnonum contrarium, & primò ad
cap. quæ dignior cum dicit quod nulla est
dignior Domus Apostolicæ prædicationis,
quàm sancta Ecclesia, respondetur quod
non sequitur ergo est dignior ipso Papa,
qui illi præsidet, item illa comparatio refer-
tur ad alias Domos, Ecclesias, quibus præ-
ponitur Sancta Romana Ecclesia, vt in cap.
sacrosancta 22. dist. & non refertur ad Pa-
pam, Papa enim, vt Vicarius Christi est
paterfamilias ipsius Domus Dei, vt in cap.
omnibus 24. quæstione prima. Et cum di-
citur, quod nulla est dignior domus virtua
liter dicitur de Papa, qui est caput eius
quod nullus est dignior, ipso qui præest
huic domui, & ideò est supra ipsam domum
hoc est Ecclesiam, & consequenter supra
Concilium quod illam repræsentat. Et ista
solutio ad d. cap. quæ dignior, data est in
responsione ad septimum motiuum. Ad au-
225 ctoritatem Ambros. in epist. 79. respon-
detur quod non dicit ibi Ambrosius quod
ipse non possit de causa cognoscere, & iu-
dicare, sed dicit quod non conuenit, ex
quo arguitur quod si vellet, posset ideò au-
tem non conueniebat, vt ipse testatur, quia
ex quo causa erat illis iudicibus Theophi-
lo, & Anisio commissa in Concilio, non
erat conueniens in iniuriam Concilij, quod
ipse spretis Concilij iudicibus aliquid in
causa decerneret, vnde dicit, nam si integra
esset hodie Synodus, rectè de ijs, quę cópre-
hendit vestrorum scriptorum series decer-
neremus. Ecce quod ostendit quod ipse
est supra Concilium, ex quo dicit decerne-
remus, per quod ostendit omnis Concilij
iudicium dependere ab eo. Illa tamen epi-
stola videtur tota beati Ambrosij, & non
Damasi Papæ. Ad alias auctoritates beati
Ambrosij respondetur quod per nullam
earum ostenditur, quod Concilium sit supra
Papam. Et cum dicit Ecclesiam reginam,
& sponsam, quæ eminentiam potestatis
accepit, & quod vniuersa subiacent eius
sublimitati, non proponit Ecclesiam sine
Papa, sed cum Papa, nec ponit compara-
tionem inter Papam, & Ecclesiam. Ad id
verò, quod dicit, quod nõ solus Petrus cùm
ei dictum est pasce oues meas, suscepit eas,
sed cum omnibus Episcopis vniuersalis Ec-
clesiæ, respondetur id verum esse, quia
Episcopi sunt vocati in partem sollicitudi-
nis, vt in dicto capitulo decreto 2. qu. 6.
& capitulo ad honorem, de auctoritate, &
vsu pal. Et cura pascendi data fuit etiam
Episcopis, vnde & ipsi pastores appellan-
tur, iuxta illud primæ Petri 5. pascite, qui
est in vobis gregem Dei. Conceditur in-
super quod ideò dicatur Ecclesia Apostoli-
ca, quia per Apostolos gubernata, & ad-
ministrata per deriuationem à Petro, quia
à Petro consecrati sunt Episcopi 66. distin.
capitulo porrò, item gubernata, & admi-
nistrata pari potestate ordinis ligandi, &
soluendi, vt ipse dicit in Pastorali, seu lib.
de dignitate Sacerdotali. Ad illud Pauli
Act. 20. attendite vobis, & vniuerso gregi,
in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episco-
pos &c. respondetur quod, vt patet ex tex.
& dicit glos. ordinaria, ibi & text. in cap.
legimus 93. dist. Episcopus accipitur hic
pro Presbytero, seu simplici Sacerdote, &
ad literam est sermo de Ecclesia Ephesina,
& in simili de alijs particularibus Ecclesijs.
Sensus autem verborum est, quod præpositi,
seu ministri Ecclesiarum debent se, & gre-
gem eis commissum custodire ab hæreticis,
& infidelibus, eo quod ad dirigendum pa-
scendum, & protegendum commissam eis
Ecclesiam sunt instituti. Dicit autem, in
quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos,
seu presbyteros ad regendum Ecclesiam
Dei, quam acquisiuit sanguine suo, eo quod
à Deo est omnis potestas, & vt magis mo-
ueat, quam tamen potestatem receperant
illi presbyteri Ephesij mediante Petro, seu
auctoritate eius. Vel & in idem redit, po-
sitio illa, qua Spiritus Sanctus dicitur po-
suisse ministros illos ad regẽdum Ecclesiam
Dei, intelligenda est non per modum im-
mediatę institutionis, siue immediatę col-
lationis potestatis iurisdictionis, sed per
modum inspirationis, sicut qui canonica
institutione positi sunt in Ecclesia Prælati,
siue Rectores, dicuntur à Deo, siue à Spi-
ritu Sancto vocati ad regimen Ecclesiæ
suæ, licèt non sint immediatè à Deo insti-
tuti, sed mediante superiori Prælato, vnde
glos. super illud ad Hebræos quinto, nec
quisquam sumit sibi honorem, sed qui vo-
catur à Deo tanquam Aaron, dicit, qui re-
ctè eligitur à Deo vocatur. Vel quamuis
Spiritus Sanctus dicatur posuisse illos pres-
byteros ad regendum Ecclesiã Dei pro par-
te illa, cui fuerunt præfecti, ex hoc tamen
non sequitur quod apud illos esset potestas
clauium in plenitudine sua, sed tantùm se-
cundùm partem sollicitudinis, in quam
erant vocati, & sic nihil facit, dicta aucto-
ritas contra primatum Petri. Ad vigesi-
226 mum contrarium ex epist. 162. Beati Au-
gustini, quæ multùm videtur stringere, nam
sententia dicta ab Episcopis Romæ pronun-
ciata fuerat cum Melchiade Papa, & ta-
men dicit beatus Augustinus ad conuincen-
dum Accusatores, & Criminatores Cecilia-
ni, quod si allegassent, & se perpessos ma-
los Iudices, restabat adhuc plenarium vni-
uersalis Ecclesiæ iudicium, vbi etiam cum
ipsis iudicibus causa posset agitari, & si
malè iudicasse conuicti essent eorum senten
tia solueretur. Ex qua auctoritate clarè
colligitur quod superius, & maius est iudi-
cium generalis Concil. quàm Papæ, & illo-
rum Episc. qui cum eo iudicauerunt, ex quo
eorum sententia, si inuenirentur malè iudi-
casse solueretur per Concil. generale. Item
colligitur ex eadem auctoritate, quod à
sententia papæ recurritur ad Concil. gene-
rale, contra illa, quæ conclusimus in artic.
vtrùm à Papa appelletur ad Concilium.

Non reperio aliquem, qui huic contrario respondeat. Potest responderi primò, quod Augustinus non dicit, quod iudicium Concilij sit supremum, sed quod restabat adhuc plenarium iudicium. Vnde habuit respectum ad pluralitatem personarum existentium in Concilio, propter quod videtur, & rectè dicitur plenarium, idest magis plenum, & à pluribus patribus examinatum, & discussum, ac stabilitum. Patet autem, quod ista fuerit intentio Augustini quia sequitur, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, ex quo ostendit, quod idem iudices in Concilio vniuersali iterùm de causa potuissent tractare cum alijs Episcopis in Concilio existentibus. Ergo non propriè ponit, quod iudicium vniuersalis Ecclesiæ, & Concilij sit maius, sed magis plenum, quod non est dubium, quia si Papa iudicauerat Romæ cum 10. vel 20. aut 50. Episcopis Aphris, si iterum cognouisset de eadem causa cum eisdem Episcopis, & alijs pluribus in Concilio existentibus, non dubium, quin vltimum iudicium fuisset plenarium, quia cum multò pluribus Episcopis. Præterea non dubitamus, quin à sententia Papæ licèt non possit appellari, possit tamen supplicari, vt in capitulo tum ex literis, de in integr. restit. & quin ipsemet Papa, vel cui ipse committere voluerit possit sententiam suam reformare, vt in cap. cum olim de re iudic. vnde Augustinus non loquitur de iudicio Concilij sine Papa, sed simul cum Papa. Item potest dari alia solutio, quod illam causam Ceciliani Imperator ad supplicationem accusatorum remiserat ad Melchiadem Papam, vt de ea simul cum certis Episcopis Aphris ad hoc per Imperatorem missis cognosceret, cum quibus Papa non vt iudex, sed vt arbiter, & mediator in dicta causa pronunciauit. Quod patet per verba in eadem epistola, cum paulò ante dicit, & tamen qualis, ipsius beati Melchiadis vltima est prolata sententia, quàm Innocens, quàm integra, quàm prouida, ac pacifica, qua neque collegas in quibus nihil constiterat de collegio suo ausus est remouere, & Donato solo, quem totius mali Principem inuenerat, maximè culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam fecit cæteris paratus communicatorias literas mittere etiam ijs, quos à Maiorino ordinatos esse constaret, ita vt quibuscumque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior alteri, autem eorum plebs alia regenda prouideretur. Ecce quod Papa cum debuisset simpliciter illos criminatores Ceciliani, ab Ecclesia eijcere, & Cecilianum ab eorum calumnijs absoluere, studens vnioni, & concordiæ pepercit criminatoribus, & Donato accusationis auctori & Episcopo, quem loco Ceciliani in eius Ecclesia suffecerant. Vnde rectè Augustinus postea ad hoc ostendendum subiungit, ò virum optimum, ò filium Christianæ pacis, & Patrem Christianæ plebis, & subdit quod si in excusationem dixissent malos iudices se esse perpessos, quæ vox est omnium malorum ligatorum, etiam cum fuerint manifestissima veritate superati, potuisset eis iustissimè dici. Ecce putemus, qui iudicarunt Romæ non fuisse bonos iudices, restabat adhuc plenarium Ecclesiæ vniuersalis iudicium, quod propter multitudinem Prælatorum, non rectè potuissent sine causa refugere, nec dicere malum iudicium. Posset etiam dari alia solutio, quod in Ecclesia illa erat magnum schisma & à Donatistis fuerat Cecilianus absens damnatus, & Innocens exutus Episcopatu, propterquod causa ex sui natura, quia concernebat fidem, erat meritò in Concilio tractanda, vt in capitulo sicut sancti 15. distinctione, & in capitulo maiores de bapt. & in capit. nunc autem 21. dist. cum sim. vnde quantumcumque Papa iudicasset, poterat peti, vt etiam per Concilium determinaretur. Et sic etiam respondetur ad aliam sequentem auctoritatem August. ex 6. lib. contra Donat. quod loquitur de Ecclesia, vbi præest Papa. Ad
227 auctoritates August. Act. 10. & in lib. de doctrina Christiana, & in sermone super Ioannem cum dicit, quod Petrus gestabat personam Ecclesiæ, satis responsum est supra in 8. motiuo pro Papa. Et ad id, quod dicit, quod Dominus dedit claues Ecclesiæ vt quæcumque solueret in terra essent soluta, & in cœlo, &c. Et quod Ecclesia quæ fundatur in Christo accepit claues regni Cœlorum in Petro, idest potestatem ligandi, & soluendi etiam responsum est ibidem in d. 8. motiuo, quia hæc omnia, in Petro, Ecclesia claues accepit, Petrus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam Ecclesiæ, & Ecclesia Catholica in Petri persona ligandi, & soluendi potestatem accepit, sonant vnum, & idem, scilicet, quod Ecclesia in persona Petri claues recepit ligandi, & soluendi fori pœnitentialis, & iurisdictionis interioris, sed clauem iurisdictionis contentiosæ, & exterioris Petrus principaliter, & immediatè à Domino accepit, alij autem per Petrum, quia soli Petro dictum est pasce oues meas, quod intelligitur per te ipsum principaliter, & quia messis multa, esset per alios à te deputandos, quia quod dictum est tibi dabo claues, & pasce oues meas, futuris etiam in Ecclesia Episcopis, & Sacerdotibus dictum est, quorum Petrus signum, nomen, & figuram gerebat. Hoc autem signo, nomine, & figura non tamen Episcopos in Concilia congregatos designabat, sed etiam suos successores, summos Pontifices Patriarchas, Primates Episcopos, & cæteros Catholicos rite ordinatos, vt in dicto §. vna, quibus data est facultas ligandi & soluendi. Non ergo potest intelligi, quod significauerit Ecclesiam excluso se, & potestate propria, & successorum suorum, quia Ecclesia, quæ est corpus Christi mysticum, constat principaliter ex Papa, tamquam capite, & deinum ex alijs tamquam membris. Ex quo liquet, quod istæ auctoritates August. non concludunt, quod Concilium receperit potestatem iurisdictionis sine Papa, nec plenitudinem potestatis, præsertim cùm prædictæ auctoritates loquantur de facultate ligandi, &

soluen-

soluendi, data per illa verba, quodcumque ligaueris, & tibi dabo claues, quæ conuenit solùm certo generi personarum, vt dictum est, scilicet ritè ordinatis, sicque dicere, quod significauit Ecclesiam, quo ad facultatem ligandi, & soluendi actiuè, non potest intelligi de vniuersali Ecclesia, sed tantùm de certo genere personarum in vniuersali Ecclesia, seu collectione fidelium existentium, quibus hoc exercitium competere potest. Sed hic non videtur propriè sensus verborum August. sed quod Petrus Ecclesiam sanctam significauit, idest vniuersos Catholicos in hac collectione fidelium existentes, quæ collectio fidelium Ecclesia nuncupatur, vt in cap. Ecclesia, de consecr. distinct. 1. in qua aliqui habent soluere, & ligare, & isti sunt Summi Pont. Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & Sacerdotes, & aliqui sunt soluendi, & ligandi, vt omnes, quotquot sunt in hoc corpore mystico Ecclesiæ. Et sic non potest dici, quod iuxta dictas auctoritates Concilium receperit aliquam potestatem in concreto sine Papa, maximè supra iurisdictionem, & plenitudinem Papalis potestatis, aut supra Papam, qui non est exclusus à prædictis auctoritatibus. De quo dictum est plenè in d. 8. motiuo. Et licèt sint datæ claues etiam Apostolis, vt dicto cap. à nobis, & dicto cap. noua, & d. §. vna intellige vt ibi etiam dictum est. Nec vsquam reperitur Dominum dedisse illas sine Petro, quem designauerat caput, & cui demandauerat Principatum, regimen, & administrationem. Et si aliter diceretur scilicet, quod ista administratio data esset pari modo Apostolis, poneretur confusio in Ecclesia, nam vt dicit Beatus Gregor. si sua vnicuique Episcopo iurisdictio non seruatur, quid aliud agitur, nisi vt per nos, per quos Ecclesiasticus ille ordo custodiri debuit, confundatur, vt in cap. pernuit 11.
228 quæst. 1. Ad illud, quod dicitur in libro secundo, de bapt. & in dicto cap. quis nesciat, conceditur quod per Concilium potest derogari scripturis Sanctorum, inquantum deuiant à veritate, vt in cap. 1. de summa Trinitat. in 6. Hoc autem non dicitur de Concilio contra voluntatem Papę congregato, quia esset diffidium, non Concilium. Vnde cùm hoc fiat cum Papa non tam Concilio, quàm Papæ tribuitur, qui habet facultatem legis condendæ, vt iuribus vulgaribus. Sic etiam respondetur ad cap. illa dist. 12. Et idem respondetur ad alias auctoritates August. in quibus dicit cedendum esse Concilijs, quia illud est propter auctoritatem Pontificum in Concilijs præsidentium, & in ijs, quæ sunt fidei, vt veneratur illa etiam Gregor. in cap. sicut distinct. 15. Item etiam conceditur claues datas esse Ecclesiæ, sed illas, & eo modo, quo dictum est in præallegato octauo motiuo, & etiam latè in 15. motiuo, similiter pro Papa, vbi examino, an vna, vel plures sint claues Ecclesiæ, de quo etiam in quæstione vtrùm Concilium cognoscat de omnibus causis, & litibus, & quam iurisdictionem habeat. Ad vigesimumprimum
229 ex auctoritatibus Hieron. respondetur, quod ad idem virtualiter tendunt cum auctoritatibus Augustini. Et primò ad illam, quod Christus dedit omnē potestatem Discipulis, & Apostolis, dicitur, quod debet intelligi de potestate ordinis, quia Apostoli non fuerunt pares cum alijs Discipulis, vt ostendit text. in cap. in nouo distinct. 21. quia Apostoli fuerunt facti Episcopi, & ideò hodie in eorum loco sunt Episcopi, septuagintaduo verò Discipuli asciti sunt cùm messis esset multa, & operarij pauci, quorum typum in Ecclesia gerunt Presbyteri, vt in dicto capitulo in nouo. Ecce, quod maiores fuerunt Apostoli, quàm ceteri alij discipuli, & hoc dicit text. in cap. decretis, in fin. distinct. 21. vbi dicit Christus 12. Apostolos tamquam maiores Sacerdotes, & 72. Discipulos quasi minores Sacerdotes instituit. Si ergo aliqui erant maiores, & aliqui minores, non poterant in omnibus esse pares, & omnes habere omnem potestatem. Sic igitur quod dicit Hieronymus in allegata epistola de septem gradibus Eccles. Christum dedisse omnem potestatem Discipulis; habet intelligi secundùm subiectum, hoc est, quod dedit eis omnem potestatem ligandi, & soluendi in foro conscientiæ, sicut Apostolis, & in hoc erit paritas inter eos. Sed quoad alia Apostoli, & consequenter Episcopi sunt maiores, vt ipsemet Hieronymus in eadem epistola ostendit, cum dicit, quoniam quicquid in Clericis consecratum est, prædixi Episcopum solùm habere, manifestum est in illis partes, & membra virtutum, in Episcopo plenitudinem diuinitatis corporaliter habitare, atque ita est, vt in Episcopis Deum in Presbyteris Apostolos recognoscas.

Constat igitur, quod ex dictis verbis Hieronymi, omnem potestatem Deus Discipulis dedit, non potest sumi argumentum, quod fuerint supra Petrum, & alios Apostolos, & consequenter non valet argumentum, data est omnis potestas Episcopis, ergo sunt maiores Papa, sicut nec Presbyteri maiores Episcopis, vt dictum est. Ad regulam, qui omne dicit, nihil excludit, respondetur quod est intelligenda secundùm subiectam materiam, hoc est de potestate ligandi, & soluendi, & regula patitur multas restrictiones, de quo dist. 19. cap. si Romanorum, & in cap. vt circa, de elect. in 6. & in l. si pluribus post Bartol. de legat. 2. & in reg. in generali, de reg. iur. in 6. Et dictio omnis, frequenter restringitur, vel ratione eius, de quo agitur, vt in lege 2. de ritu nuptiarum, vel ratione adiuncti 1. quæstione 7. si quis omnem, vel per id quod præcessit ff. de peculio legat. lege seruo manumiss. interdum ex genere relatiui ff. de supell. legat. lege cùm quidam, interdum ex communi vsu loquendi, leg. inter omnes, ff. de furt. interdum ex mente contrahentium, leg. tres fratres, & leg. emptor, §. 1. ff. de pact. & his similibus. Ad illud Hieron. Matth. 16.
230 habent quidem eamdem iudiciariam potestatem alij Apostoli, respondetur, quod debet intelligi de iudiciaria potestate ligandi, & soluendi in foro pœnitentiali,

quod ostendit, cum subiungit, quibus post resurrectionem Dominus ait, accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. quæ auctoritas Ioannis 20. est de dimittendis peccatis, & non fori iudicialis exterioris. Et clariùs ostendunt alia sequentia verba cum dicit, vt omnes intelligant, quod quicumque ab vnitate fidei, & societate eius se separauit, nec à peccatis solui, nec Cœlum potest ingredi. Et clariùs sequitur, hunc locum quidam non intelligentes, aliquid sibi sumunt de supercilio pharisæorum, vt damnare innoxios, vel soluere se noxios putent, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur, vnde in Leuitico ostendere se sacerdotibus iubentur leprosi. Ecce, quod loquitur de iudiciaria potestate fori pœnitentialis discernendi inter leprā, & lepram hoc est peccatum, & peccatum. Ad capit.
231 omnibus, 24. qu. 1. respondi supra in præallegato octauo motiuo. Et nihilominus vltrà ibi dicta, cum in text. dicatur, quod Ecclesia est sponsa pulchra sine ruga, & macula, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuæ, & paradisus cum fructu pomorum, per hæc soluitur etiam contrarium, quia si est sponsa, quæ recepit claues ipsa habet sponsum, & patremfamilias, Ecclesiæ autem sponsus est Christus, vt dicit, sanctus Thom. in tract. contra impugnantes religionem, & text. in cap. loquitur in fin. 24. qu. 1. De quo sponso dicitur Ioannis 3. qui habet sponsam sponsus est, ipse enim de Ecclesia suo nomini filios generat, alij autem, qui sponsi dicuntur, sunt ministri sponsi exteriùs cooperantes ad generationem spiritualium filiorum, quos tamen non sibi, sed Christo generant. Qui quidem ministri intantum sponsi dicuntur, inquantum vicem veri sponsi obtinent, & ideò Papa, qui vicem veri sponsi obtinet in Ecclesia vniuersali, dicitur vniuersalis Ecclesiæ sponsus, sicut Episcopus diœcesis suæ sponsus dicitur. Papa autem cùm vicem Christi gerat in terris, paterfamilias, & agricola est, & consequenter maior ipsa sponsa. Sicque ex prædicta auctoritate non sequitur, quod Concilium sit maius Papa, quia etsi Ecclesia sponsa recepit potestatem clauium ligandi, & soluendi, hoc fuit à sponso Christo, & cum eo qui vice sponsi, & pari potestate in terris fungitur. Ipsa igitur Ecclesia sine vices gerentis voluntate, quamdiu vices Christi gerit, claues exercere non potest. Et verba, quæ sequuntur, si quis hanc domum, scilicet Ecclesiam, corrigentem, corripientemque contempserit, sit tibi sicut ethnicus, &c. non denotant magis correctionem iurisdictionalem coactiuam, quàm fraternam, & ita possunt intelligi de fraterna, sicut de iurisdictionali. Immò ex quo sumpta sunt ex illa auctoritate Matth. 18. magis videntur intelligenda de correctione fori pœnitentialis, vt latè dictum est in quæstione vtrùm potestas clauium, & quæ sit in Ecclesia, vbi agitur de dicta auctoritate Matthæi 18. post vltimum motiuum pro Papa.

Ad auctoritatem Hostien. respondetur, quod etiam Apostolis datæ sunt claues fori contentiosi, sed descensiuè à Petro, seu à Christo, non immediatè, sed mediante Petro, nec huius contrarium dicit Hostiens. ibi. Et licèt text. ibi dicat, quod Dominus dedit claues Apostolis, tamen verum est dicere, quod Dominus dedit illas principaliter Petro, & per deriuationem à Pe-
232 tro, alijs Apostolis. Ad illud Matthæi vltimo patet ex dictis supra de potestate clauium responsio. Et nihilominus dicendum est, quod non sequitur, si data est potestas baptizandi per illam auctoritatem Apostolis, & consequenter aliorum Sacramentorum, licèt ista illatio non sit necessaria, quod data fuerit potestas iurisdictionalis, quia hæc non versatur circa Sacramenta Ecclesiæ.

Ad illud, quod nemo potest in aliena parochiali prædicare, aut Sacramenta ministrare, conceditur hoc, sed vt satis dictum est, per dictam auctoritatem datum est solùm, quod est iurisdictionis fori interioris, si autē datum est etiam, quod est fori exterioris, hoc fuit non ex vi dictę auctoritatis, sed per deriuationem à Petro, à quo primo distinctæ sunt Prouinciæ, cap. in illis, 80. dist. & à Pontificibus, & Conciliorum auctoritate, vt in cap. per singulas el primo, & secundo 9. qu. 3. & in cap. Prouinciæ, dist. 99. & parochię postea diuisæ secundùm text. in cap. 1. 13. qu. 1. à Dionysio, & in cap. pastoralis de ijs, quæ fiunt à Prælato sine consensu cap. De Apostolo, qui excommunicauit Corinthium aliàs supra dictum est. Et Paulus, qui hoc fecit, non fuit pręsens cùm Christus dixit illa verba Apostolis Matthæi 18. & vlt. ergò hoc fecit, vel ex auctoritate habita per deriuationem, vel ex speciali prærogatiua, qua habebat facultatem tradendi Satanæ enormes peccatores. Ex eo etiam, quod Paulus mandabat seruari præcepta, & dogmata Apostolorum, non sequitur, quod habuerint iurisdictionem contentiosam immediatè à Christo. Et benè tunc Apostoli tradebant præcepta, & dogmata, quia erant dispersi per prouincias, & præcepta, ac dogmata, seu decreta non necessariò iurisdictionem contentiosam important, præsertim cum prædicarent fidem Christi, de qua dabant dogmata, & docebant plebes. Vnde hæc magis erant fori poli, & iurisdictionis fori interioris, quàm fori contentiosi, & si qua erant fori contentiosi, erant descensiuè à potestate Petri, vt sæpiùs dictum est. Quod Concilium possit aliquem excommunicare, cōceditur, quia recipit potestatem à Papa, qui illi præest, vel eius legatis, & commissarijs, prima quæstione 7. cap. conuenientibus, de hoc tamen vide in art. vtrum
233 Concilium cognoscat de omnibus litibus. Ad illud Lucæ 22. respondetur, quod congruentiùs exponitur de regno triumphantis Ecclesiæ, quod patet ex eo, quod subiungitur, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, iuxta illud Ioannis 6. qui manducauerit hunc panem viuet in æternum, & Ioannis quarto, qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei non sitiet in æternum. Et clariùs ostenditur ex eo quod sequitur, & sedeatis super Thronos iudicantes,

ces, 12. tribus Israel, quod non potest intelligi de Ecclesia militanti. Potest etiam dari alia solutio, si volumus illud intelligere de Ecclesia militanti, quod, & Apostolis, & Episcopis datum est regimen Ecclesiæ, iuxta illud actuum 20. in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, sed hoc regimen habuerunt non principaliter, sed per deriuationem à Petro quoad iurisdictionem fori exterioris. Non obstat, quod dicit, ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, idest regimen, quia dictio sicut,non ponitur similitudinariè, nec semper dicit similitudinem, vt ponit Anton. in capitulo damnatus de Summa Trinitate, & in c. quia V. & cap. nouit de iudic. & in capit. inquisitionis de accusat. cum similibus, sed ponitur exemplificatiuè, vt in leg. 1. ff. de rerum diuid. Nec simile est idem leg. non possunt, C. de legibus, l. ad similitudinem, C. de Episc. & Cler. l. quod Nerua, ff. depositi. Et sic intelligitur, quod fuerunt illis demandata iura cœlestis, & terreni imperij. Præterea non obstat ille text. cap. 1. dist. 22. quia non loquitur in genere de omnibus Apostolis, sed tantùm de sancto Petro,quia dicit, qui beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cœlestis imperij iura commisit, vbi nihil dicitur de alijs Apostolis, & consequenter, nec de Ecclesia vel Concilio. Et sic potiùs facit pro, quàm contra. Ad illud de gloss. habent quidem eamdem iudiciariam potestatem Apostoli, &c. Supra responsum est circa principium solutionis istius, 21. contrarij. Ad gloss. interlin. quæ supplet ad verba quæcumque alligaueritis, scilicet vinculo anathematis, est difficilis responsio,quia ibi Christus omnibus Apostolis simul est loquutus, & ita principaliter alijs, sicut Petro, & maximè, quia si volumus, quod illa auctoritas intelligatur in foro pœnitentiali, non multùm conuenit alligare peccatorem, quia hoc ipso, quod peccat est ligatus, & sic videtur sublata illa, quæ dicta fuerunt supra, quod illa verba loquuntur in foro pœnitentiali,si est verum, quod dicit gloss. quod verbum alligaueritis debet intelligi per viam anathematizationis. Sed dicendum est,vt aliàs dictum est, quod licèt simul datæ sint claues per verba Matth. 18. tamen non æqualiter, sed principaliter Petro, & considerandum est, quod illa verba dicta sunt etiam Petro cum Apostolis, vnde Ecclesia de per se sine Petro numquam legitur recepisse potestatem iurisdictionis principaliter, sed benè Petrus solus per verba, pasce oues meas. Vnde dicendum est, quod principaliter data est Petro potestas ordinis, & iurisdictionis, Apostolis autem ordinis simul, & iurisdictionis fori interioris, & si data est eis potestas fori contentiosi, hoc fuit per deriuationem à Petro in eos. Non obstat,quod Dominus loquebatur omnibus Apostolis simul cum Petro, quia si iurisdictionem receperunt descensiuè à Petro,veritas est, quod quæcumque alligauerint, vel soluerint in terra erunt ligata, & soluta in Cœlo. Ad glossam igitur exponentem, illud quæcumque alligaueritis de vinculo anathematis,respondetur quod intelligitur vel simul cum Petro, vt possumus ponere exemplum in die Iouis sancti quando Papa anathematizat solemniter, cum Cardinalibus, & Episcopis, vel intelligitur singulariter, idest quicumque Apostolorum alligauerit vinculo anathematis, & tunc intelligitur Petri voluntate, & iurisdictione eis à Petro concessa, vt in cap. ita Dominus dist. 19. quia non reperitur data administratio, & plenitudo omnimoda potestatis & iurisdictionis principaliter, nisi Petro, per illud pasce oues meas, sicut supra dictum est, & plenè, in octauo, & quintodecimo motiuo pro Papa. Vel intelligitur vinculo anathematis, idest alligationis ex iurisdictione fori interioris pœnitentialis. Nec obstat, quod hoc ipso, quod quis est peccator, est alligatus, quia quando peccatum est factum notorium debet coerceri notoria coercitione, 2. q. 1. cap. manifesta. Et ita loquitur auctoritas illa Matth. 18. postquam deductum est crimen in notorietatem. Ad vigesimumsecundum responsum
234 est in articul. vtrùm, & quæ claues fuerint datæ Ecclesiæ, & in quæstione, quam iurisdictionem habeat Concilium, & supra in 15. motiuo pro Papa. Ad auctoritatem, cap. cùm Paulus 2. qu. 7. aliàs est responsum. Et præterea ex hoc non arguitur, quod Paulus esset maior, quia licet etiam inferiori resistere superiori, quando videt superiorem scandalizantem Ecclesiam, sicut supra dixi in vno de remedijs tenendis contra Papam quando scandalizat Ecclesiam. Facit quod dicitur in cap. qui resistit, & in cap. Iulianus, 11. quæstione 1. & leg. prohibitum, C. de iure fisci lib. 10. cap. ad aures in gloss. de temp. ordin. & cap. ex literis, de offic. delegat. cum simil. Item licitè potuit Petro resisti, quia errabat, nec perpendebat antè reprehensionem Pauli quomodo scandalizabantur Gentiles, quos inducebat ad iudaizandum. Et secundùm Hieronymum fuit reprehensio dispensatoria, non quod esset maior Petro,de quorum paritate, & maioritate satis supra dixi in 8. motiuo pro Papa. Ad alias reprehensiones factas Petro etiã supra respondi, & textus in capit. Petrus eadem causa dist. 2. qu. 7. respondet cùm dicit: non ex potestate officij, qua potuisset dicere oues pastorem suum non accusent, nec reprehendant, sed ex auctoritate Diuinæ virtutis, &c. Ad auctoritatem ex præfatione Ecclesiæ, dixi, & respondi in vltimo motiuo pro Papa in quæstione de potestate clauium data Ecclesiæ. Ad illud Pauli ad Galatas 2. nihil mihi contulerunt, &c. dixi in octauo motiuo pro Papa in articulo de maioritate Petri, vel Pauli. Quoad iura cap. in nouo, & cap. loquitur, & cap. audiuimus, quomodò pro omnibus, & præ omnibus Petrus claues acceperit dixi in responsione ad auctoritatem August. de dicto capit. quodcumque dist. 24. qu. 1. in dicto octauo motiuo, & in solutione ad 18. contrarium. Et licèt dictum fuerit Petro, vt designaretur vnitas, non tamen, vt designaretur superioritas Ecclesiæ ad Petrum, & sic vnitas in capite Petro erat maiori-

ioritas, vt in capit. rogamus dist. 24. qu. 1. & satis supradictum est. Ad text. in cap.
435 quamuis dist. 21. conceditur, quod vniuersæ per Orbem Ecclesiæ sunt vnus thalamus cum Romana Ecclesia, & quod Romana Ecclesia est designata caput per verba, tu es Petrus, sed non sequitur ex hoc, quod vniuersalis Ecclesia sine Romana, sit maior Romana Ecclesia, quæ est caput aliarum. Item quamuis verba, tu es Petrus dicta essent pro omnibus, non sequitur, quod omnes aliæ per Orbem Ecclesiæ receperunt potestatem sine Petro, sed tunc demùm quando vnitæ sunt cum Petro, & pro tunc dicitur, & vnam sanctam catholicam Ecclesiam ratione vnitatis fidei. Vndè ex præmisso text. non sequitur, quod Ecclesia sit maior Papa; immò contrarium innuitur, quia si Romana Ecclesia est prælata cæteris, & Papa etiam dicitur Rom. Eccles. vt dicitur per Ioan. Andr. in cap. si Abbatem, de elect. in 6. quia Romana Ecclesia est in Papa, & Papa in Romana Ecclesia, sequitur, quod Papa sit maior. Sed si rectè consideretur, non benè sonat dicere, quod verba, tu es Petrus, censentur referri ad vniuersalem Ecclesiam si tantùm intelligatur de istis verbis, tu es Petrus, quia non potest intelligi, idest, tu es Ecclesia, maximè propter verba, quæ sequuntur, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Vndè benè dicit textus in capitulo loquitur distin. 24. quæst. 1. loquitur Dominus ad Petrum. Ego dico tibi, quod tu es Petrus. Ecce, quod illa verba non designant Ecclesiam, sed Petri personam. Sed cùm Dominus subiungit, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quod pro omnibus loquatur ad Petrum benè potest stare. Et hoc demonstrat ille text. cùm post prædicta verba, ædificabo Ecclesiam meam, subdit super vnum ædificat Ecclesiam. Vndè si dicatur, quod quando dictũ est Petro, tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis, &c. Dictum ei pro omnibus, sed principaliter ei, benè potest stare, vt in cap. audiuimus distinct. 24. quæst. 1. Quapropter non tam verba, tu es Petrus, quàm verba, quodcumque ligaueris super terram, sunt, quæ designant personam Petri etiam gessisse typum vniuersalis Ecclesiæ, & propter, quæ dicitur, quod quando Petrus claues accepit, Ecclesiam significauit. Et propterea text. Augustini dicit in capit. quodcumque dist. 24. quæst. 1. quod per dicta verba, quodcumque ligaueris, Petrus pro omnibus claues accepit, & Ecclesiam significauit, quod intelligendum est non vt minister, pica, vel organum, vt aliàs dictum est, sed demonstratiuè, & distributiuè, & etiam deriuatiuè in ijs, quæ sunt iurisdictionis fori exterioris. Et ideò non ab re dicitur, quod ipse præ omnibus claues accepit, idest antè, vt in leg. si fideiussor, C. qui satisdare cogantur, leg. quicumque, & leg. mancipia, C. de seruis fugitiuis. Item præ omnibus, idest vltrà, & suprà, & extrà omnes alios, vt in rubrica de dote prælegat. Vndè ad propositum non sequitur, etiamsi verba dicta Petro intelligantur dicta pro omnibus, quod propterea Petrus potuerit dici minor, & consequenter eius successores minores alijs de Ecclesia, siue minores ipsa Ecclesia, siue Concilio. Ad id, quod dicitur, quod si potestas tantùm data fuisset Petro, non diceretur in Symbolo, & vnam sanctam catholicam Ecclesiam, sed vnum sanctũ Petrum. Respondetur, quod non negatur, quin claues Petro datæ, fuerint datæ etiam Ecclesiæ, sed modo, quo supra sæpiùs dictum est, & sub nomine Ecclesiæ etiam Petrus qui est caput, comprehensus est, & vt vnitas designaretur, non est diuersificatus Petrus, siue Papa ab Ecclesia, quæ est vna, vt in capit. loquitur distin. 24. quæst. 1. sæpiùs adducto. Ad illud, quod dicitur, quod pro Ecclesia, & non pro Petro dictum est, Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, Lucæ 22. Respondetur, quod immò etiam pro Petro rogauit Dominus. Vndè glossa Nicolai ad verbum, Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, addit scilicet finaliter, non enim rogauit, vt Petrus non caderet, sed, vt in casu, non remaneret. Et glossa ordinaria ibi dicit, rogaui, non vt non tenteris, sed vt non deficiat fides tua, vt post lapsum negationis ad pristinum statum pœnitendo resurgas. Et glossa interlinearis dicit, sicut Ego orando te protexi ne deficeres, sic tu infirmiores fratres exemplo tuæ pœnitentiæ conforta, ne de venia desperent. Et hoc sentit text. in cap. decretis in fine dist. 24. Et posito etiam, quod illud intelligatur de fide Ecclesiæ, iuxtà illud Ioannis 17. non pro eis autem rogo tantùm, sed etiam pro ijs, qui credituri sunt per verbum eorum in Me. Adhùc non sequitur, quod Ecclesia sit maior ipso Papa. Nec si aliqui ex Pontificibus defecerunt à fide, propterea defecit dignitas Papatus in Ecclesia. Et si Petrus defecit à fide, non propterea conuersus perdidit dignitatem, quia fidelior factus maiorem reperit gratiam, quàm amiserat, tamquam enim bonus pastor tuendum gregem accepit, vt in capitulo fidelior distinctione 50. Quinimmò aliqui voluerunt, quod Petrus negando Christum non defecit à fide, sed quod ideò negauerit, quia nolebat separari ab eo ex amore, quem habebat erga ipsum, & sic, quod non defecerit nec à fide, nec ab amore Christi. Et si dicatur, quod negando se Discipulum eius, & se non nosse ipsum defecit à fide, quia negat Christum, qui se negat eius esse Discipulum, vt dicit Hugo Cardinalis super illud Lucæ 22. mulier non noui illum. Et glossa ordin. ibidem super illud, homo nescio, quid dicis. Et Marci 14. super illud, at ille negauit. Potest responderi, quod quicquid sit de charitate, licèt in Petro defecerit confessio fidei, non tamen defecit fides, quæ est in corde, quia negauit Dominum ex timore, non ex incredulitate. Et posito, quod intelligatur Dominus rogasse pro Ecclesia, non ex hoc sequitur, quod Ecclesia, siue Concilium sit maius. Nàm & in passione cæteri Apostoli defecerunt à fide, quæ,

quæ, vt aliàs dictum est, remansit in sola Beata Virgine Dei Genitrice, & tamen etiam pro alijs Discipulis rogauerat, vt patet Ioannis 17. Vndè etiamsi intelligatur pro Ecclesia rogasse, vt non deficeret fides eius, pro fide Petri, hoc est, quam Petrus confessus fuerat, rogauit. Et propterea dicit, rogaui, vt non deficiat fides tua, qua confessus esse Filium Dei, Matt. 16. Et sic rogauit pro Fidelibus, quorum non erat defectura fides, quam habituri erant de ipso, quod est Christus Filius Dei vsque ad consumationem seculi, quod ostendit illud Matth. vlt. Ego enim vobiscum sum vsque ad consumationem seculi. Quinimmò per dicta verba, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, ostendit maioritatem Petri, quia dicitur, non deficiat fides tua, quia enim alij Apostoli, non ità confessi fuerant Christum Filium Dei, sicut Petrus, ideò non dixit Apostolis pro fide vestra. Et per dicta verba ostendit, quod fides Petri est fides vniuersalis Ecclesiæ, & sic ostendit maioritatem Petri, tanquam illius, qui est caput, & fundamentum fidei. Et ex hoc infertur responsio ad capitul. pudenda, & capitul. hæc est fides distinctione 24. quæst. 1. quod si Ecclesia est perpetuò duratura, & fides, quam confessus est Petrus, & quam etiam ipse martyr moriens habuit, est in Ecclesia perpetuò duratura, vt dictum est suprà proximè. Et virtualiter Ecclesiæ fundamentum est ipsa Petri confessio, & cum Petri confessione Ecclesiæ stabilitas roboratur. Et non est verum quod ratione stabilitatis, & durationis Ecclesia, siue Concilium debeat præferri. Et ad hoc facit text. in cap. non turbatur, 24. qu. 1. vbi dicitur, quod turbari non potest nauis, cui præest Petrus in quo firmamentum Ecclesiæ est, & cui soli dictum est duc in altum, quid enim tam altum, quàm altitudinem diuitiarum videre, idest scire Dei filium, & professionem diuinæ generationis assumere. Item potest dari alia solutio, quod etiam dignitas Papatus est perpetua, vt in cap. si gratiosè, de rescript. vbi dicit Ioann. Mon. & Archid. quod licèt habens Papatum, vel dignitatem sit corruptibilis, Papatus tamen, & imperium, & dignitas semper manent, vt in Auth. quomodo opor. Episc. in §. licentiam, collat. 2. Et ideo corrupto subiecto, dignitas Papatus non dicitur non existere, sed vacare, hoc est administratore iuris, vel facti carere, de concess. præben. cap. cùm nostris. Vnde Leo Papa in serm. 2. in anniuersario die suæ Assumptionis dicit, quod in Sede Petri viuit potestas, & excellit auctoritas. Ad illud quod Ecclesia est sine macula, & ruga, & incorrupta, & pudica respondetur, quòd ex hoc non sequitur quod sit maior quàm Papa, nam Gloriosa Virgo Maria fuit maior Apostolis, & tamen non illi, sed istis claues regni cœlorum traditæ sunt, vt in cap. noua, de pœnit. & remissio. Facit quod diximus supra de parilitate meritorum Petri, & Pauli, & tamen Petrus fuit maior Paulo in administratione. Et cùm text. in capit. loquitur, & in capitulo omnibus loquitur, de Ecclesia, etiam virtualiter loquitur de Papa, qui est in Ecclesia. Ad illud, quod fides catholica est mansura vsque ad finem seculi, dictum est, quod fides catholica est etiam fides Petri, qui confessus est Christum filium Dei viui, Matth. 16. quæ fides mansura est, vsque ad consummationem seculi, vt supra dictum est. Et sic respondetur ad text. & glos. Matthæi vltimo. Et cùm loquimur de maioritate Papæ ad Concilium, non intelligimus de Papa non catholico, siue infideli, sed de fideli, & catholico, cui etiam gratia Spiritus Sancti assistit, capitulo non nos, quadragesima distinctione. Vndè epilogando dicimus, quod siue loquamur de maioritate potestatis clauium, ratione dignitatis; siue ratione stabilitatis, & durationis, siue ratione meritorum, siue ratione assistentiæ Spiritus Sancti, non infertur, nec probatur quod Ecclesia, & consequenter Concilium
236 sit maius Papa. Ad vigesimum tertium conceditur, quòd Christus est principale Ecclesiæ fundamentum, sed etiam Petrus dicitur fundamentum, Ecclesiæ secundarium, vt in capit. fidelior, 50. distinct. sed de hoc dic vt latè dixi in 5. motiuo pro Papa, & latiùs in 8. circa fin. Ad auctoritatem Gregor. quòd Petrus erat membrum Ecclesiæ vniuersalis, respondetur per ea, quæ dicta sunt in responsione, ad septimum contrarium. Ad illud Apo-
337 stoli ad Ephes. 1. & August. super psal. 103. quòd stabilitas, & firmitas Ecclesiæ inhæret ei intrinsecè, & habet virtutem, & potestatem intrinsecam se in suo esse conseruandi, respondetur quòd ex hoc non sequitur, quod si maior quàm Papa, nec quod clauium potestas principaliter sit in ea. Quinimmò principaliùs est in Papa, nec ex hoc, quòd principaliùs est in Papa deficit Ecclesiæ potestas, se in suo esse conseruandi, & Sacramenta ministrandi. Item cùm Apostolus, & August. loquuntur de Ecclesia, loquuntur de Ecclesia vnita cùm Papa catholico, & sic cum capite, & non de separata à capite. Vndè ex dictis auctoritatibus, non potest argui maioritas Concilij ad Papam, & dicere Ecclesiam, sine Papa, est dicere Ecclesiam sine capite, siue quo non est perfectio sensuum, nec recta subsistentia, & administratio. Ad illud, quod sequitur de clauibus responsum est in dicto 8. & vltimo motiuo pro Papa. Ad auctoritatem Rabani Matthæi 16. respondetur, quod loquitur de potestate ligandi, & soluendi ordinis, patet ex verbis qui seipsos ab vnitate fidei separant, tales à peccatorum vinculis absolui nō possunt. Et idem dico de auctoritate Remigij. Ad auctoritatem Leonis Papæ responsum est in solutione decimioctaui contrarij. Ad auctoritatem Abbatis dicendum est, prout latè dictum est in octauo motiuo pro Papa.

Ad illud de contentione inter Apostolos respondetur, quod contentio non fuit de primatu Ecclesiæ, sed quis esset maior in regno Cœlorum, vt patet Matth. 18. Vnde dicit ibi glossa Nicolai, quod tunc non fuit contentio, quis maior esset inter eos,

sed

sed quis maior esset in Ecclesia Militanti per meritum, & quis in Ecclesia Triumphanti per præmium. Et Chrysostomus Lucæ 22. Et refert ibi Hugo Cardin. dicit vide, quod de Principatibus terrenis non contendunt, sed de spiritualibus in Cœlo, hoc autem infirmitatis erat, sed nos neque ad infirmitatem illorum peruenimus. Non enim quærimus, quis sit maior in regno Cœlorum, sed quis sit maior, quis copiosior, quis potentior in regno terræ. Item si volumus tenere contentionem verè fuisse de præsidenria inter eos, siue hæc contentio habuerit ortum ex eo, quod audiuerant Dominum loquentem de instante sua passione, & tunc cœperint inter se quęrere, quis ipsorum esset aptior ad tenendum locum Christi secundùm glossamNicolai, siue habuerit ortum ex eo, quod Dominus, Matth. 17. secùm duxerat in montem Petrum, Iacobum, & Ioannem, quasi aliquid secretum illis commissurus, siue quia Dominus, Matth. 16. promiserat Petro se daturum illi claues regni Cœlorum, ex quo putabant vel Petrum omnibus, vel illos tres cæteris esse præferendos secundùm Bedam, de quo disputauerant in via, Marci 9. Vndè glossa ordinar. super illud Lucæ 9. intrauit cogitatio in eos, quis ipsorum esset maior, dicit, quia viderant Petrum, Iacobum, & Ioannem in montem secretè ductos, secretumque aliquid eis traditum esse, sed & Petro superiùs claues regni Cœlorum esse promissas, Ecclesiamque super eum esse ædificandam, rati sunt, vel istos tres cæteris, vel omnibus Apostolis Petrum esse prælatum, vel quia in tributi solutione Petrum ipsi Domino parificatū viderant, ipsum cæteris præferendum arbitrabantur, sed sciendum est istam quæstionem, & antè tributum, & post tributum solutum esse factam. Siue orta fuerit quando decem indignati sunt contra duos filios Zebedæi cùm petierunt, vt sederent vnus à dextris, & alter à sinistris Christi in Regno eius, vt dicitur Matthæi 20. vbi dicit glossa ordin. humilis, & mitis Magister, nec duos arguit immodicę cupiditatis, nec decem indignationis, & liuoris, sed conuenienti exemplo docet illos frustrà immoderata quæsijsse, & istos super eorum desiderio doluisse, cùm ad summa non potentia, sed humilitate veniatur, vbi glossa Nicolai dicit, indignati sunt de duobus fratribus aliquid humanum passi, quia adhùc erant carnales, sicut & illi, & ideò indignati sunt, quod excellentiam super alios habere voluerunt. Quod etiam videtur velle Chrysost. Lucæ 22. cùm dicit, passi sunt aliquid humanum Discipuli de principatu contendentes. Et idem sentit glossa ordin. ibi sub verbo dixit autem eis, reges gentium, &c. dicens, pius Magister non initæ contentionis arguit, sed formam humilitatis, quam sequātur describit quod dicit vos more secularium per prælationē peruenire vultis ad Regni possessionem, sed ad summa virtutum non potentia venitur, sed humilitate; potest responderi, negando consequentiam, quamuis enim orta fuerit inter eos contentio de maioritate, non sequitur propterea, quod Petrus non esset prærordinatus maior à Christo. Immò expressè ex textu innuitur contrarium, cùm dicitur, qui maior est inter vos. Ecce, quod præsupponit aliquem inter eos maiorem. Item potest dari alia solutio magis catholica, & conueniens, quod quia secundùm quod dicit Beda, & refert Hugo Cardin. in dicto cap. 22. incertum est, quæ fuerit causa contentionis, vtrùm scilicet ambitio dignitatis, an amor humilitatis, qua tunc vnus alium præuenire honore volebat, potuit esse, quod inter se contenderent de exhibitione reuereutiæ, qua quisque volebat alium sibi præferri, quod etiā ex ijs, quæ sequuntur, apparet. Et glossa Nicolai ibi dicit, quod Christus docuit Apostolos, quod ille esset maior, & aptior ad præsidendum alijs loco sui, qui verè esset humilior. Vndè ead. glossa super illud, Ego autem in medio, &c. dicit ex hoc intendit concludere, quod ille est aptus ad succedendum sibi in regimine Ecclesiæ, qui est fundatus in vera humilitate. Quapropter cùm Petrus fuerit à Christo præpositus cæteris, sequitur, quod ipse cæteros Apostolos in humilitate præcellebat. Sic ergo dicendum est, quod contentio non erat, quia quisque desiderabat præfici, sed quia quemlibet alium sibi præponi cupiebat. Ad quæ adde, quæ dicta sunt supra in responsione ad 15. contratium.

338 Ad vigesimumquartum respōdetur quod illud Argumentum ab absurdo non concludit, quod Concilium sit maius Papa, sed quod Papa debet habere aliquem superiorem supra se in illo casu, quo destrueret Ecclesiam hoc autem posset contingere in alio, quàm in Concilio, puta in Collegio Cardinalium, quod eo casu posset eum compescere, & fortè quod propter moram in congregando Concilium, hoc congruentiùs ad eos spectaret ad citiùs consulendum indemnitati Ecclesiæ. Facit quod dicitur post Innoc. in cap. cùm inferior de maior. & obed. de Episcopo delinquente intra fines iurisdictionis Archidiacoui, quod potest puniri per Archidiaconum. Et licèt exemplum hoc non videatur conueniens in Papa, quo ad punitionem, sit saltem quo ad actum resistendi, & eum compescendi, ne subuertat Ecclesiam. Item est solutio, quod licèt Papa sit superior, tamen sunt prodita remedia, quibus possit ei obsisti, ne destruat Ecclesiam, quæ vide posita in quæst. quid agendum, cùm pro qualibet parte contendentium de papatu inueniuntur volentes intrare ignem, vbi ponuntur modi sedandi schisma, & comprimendi Papam scandalizantem Ecclesiam. Quo ad exemplum de Regina, dicendum est quod non est omninò simile. Item quod exemplis non iudicamus l. nemo C. de senten. & interlo. omnium iudic. l. & licèt de offic. præsid. 20. distinct. cap. de quibus cum simil. Item exempla non arctant regulam l. 1. §. quod vulgo ff. de vi & vi armat. capitulo coram de elect. Ecclesia dicatur regina, non sequitur ergo est maior Papa, qui est summus inter omnes, & supra omnes 2. quæ. 3. capit.

capit. decreto, & cap. qui se scit. Et est supra Reges, & Imperatores, vt in cap. solitæ de maior. & obed cap. nouit. de iudic. Immò deponit Reges, & Imperatores 16. quæst. 6. alius capitulo ad Apostolicæ de re iudic. capit. venerabilem de elect. Item exemplum est longè diuersum à proposito, quia non est verum, quod si ponit Reginam pro Ecclesia, & Ministrum pro Papa, quod Papa sit Minister, sed potiùs Rex, & Caput Ecclesiæ, vt aliàs dictum est. Item Papa est immediatè creatus à Deo, & eius potestas immediatè à Deo, non vt in exemplo Minister à Regina, Ad vigesimum quintum decreto Constantien. respondetur quod illud decretum non fuit approbatum nec per Martinum

239 Quintum, nec per aliquem Pontificem eius Successorem, & ideo illi non est standum, nisi Papa illud recipiat, quia Papa habet approbare gesta, & decreta Conciliorum, vt in cap. significasti de elect. glos. in verbo Concilio in capit. vbi periculum de elect. in 6. Item secundò illud decretum necessariò intelligitur, vel in casu schismatis, quando sunt plures contendentes de papatu, vel quando ageretur contra Papam de hæresi. Nam aut loquimur de Concilio congregato sine auctoritate Papæ in casu, quo est vnus verus Papa, & tunc esset conciliabulum, vt 18. dist. cap. fin. & sæpius dictum est, nisi in casu quo tractatur de hæresi Papæ, vt in cap. si Papa 40. distin. & dictum est supra in qu. ad quem spectat congregare Concilium. Aut loquimur in casu, quo Concilium est legitimè congregatum auctoritate Papæ, & tunc si discordat Concilium à Papa, statur sententiæ Papæ, nisi in casu fidei, vt dictum est in propria quæstione. Oportet ergo illud intelligere in casu, quo Concilium legitimè à se congregatur. Istud autem est, quando contenditur de papatu, vt in capit. si duo 79. distinct. & quando est schisma inter plures gerentes se pro Pontificibus, & nutrientes schisma, vt in terminis illius Concilij Constantien. & quando agitur de causa hæresis contra Papam requisitum, & detrectantem congregare Concilium, vt dictum est in præallegata, quæst. ad quem spectat congregare Concilium. Aliàs autem quando est vnus verus, & indubitatus Papa, ad cuius mandatum congregatum est Concilium tunc ipse est prima, & principalior pars Concilij, qui etiam potest illud dissoluere cum vult, nec tunc potest aliquod Concilium supra eum. Item illa constitutio fuit particulariter facta pro illo Concilio, & non est constitututio generalis, & Concilium non potuisset facere constitutionem ligantem Papam, vt supra aliàs dictum est, quia non habet alium superiorem, qui eum reformet, quàm Deum, vt 9. quæstio. tertio capit. facta cum ibi concor. Item cum illa constitutio loquitur de inobedientibus statutis illius Synodi, & cuiuscumque alterius generalis Concilij, dicit super præmissis, scilicet pertinentibus ad illam synodum Constantien. nec reperiuntur aliqua Concilia, quæ ligent papalem auctoritatem. Ad glos. responde quod aliquæ non contrariantur, & aliquibus est responsum supra, & aliquæ non sunt veræ. Ad vigesimum sextum conceditur

240 quod deterius semper est gratia melioris, vt dicit Aristot. 7. polit. sed non est verùm dicere, quod illud, quod est propter aliud sit deterius; vnde Rex, qui est propter regnum, siue propter subditos regni, non dicitur deterior subditis. Sic, & Papa licèt sit propter Ecclesiam, vt Pastor propter gregem, quia præest Ecclesiæ, & Pastor grege non dicitur deterior, sed maior, vnde & charta, siue membrana sit propter literas, & tamen non cedit literis, quia literæ etiamsi sint aureæ, cedunt chartis, siue membranis, vt in l. qua ratione. §. literæ ff. de acquir. re. domin. & in §. literę insti de re. diuis. Item respondetur, & conuenientius, verum esse, quod deterius est illud, quod est gratia melioris, sed negatur quod Papa sit deterior Ecclesia, nisi sit hæreticus, vt sæpiùs dictum est. Ad dictum Apostoli de data potestate in ædificationem, & non in destructionem, respondetur, quod hoc non arguit maioritatem, vel inferioritatem in destruente, vel ædificante, sed ostendit, ad quid detur potestas à Deo; vnde dicit ibi glos. interlinearis, hoc est, vt vos in virtutibus ædificemus, & non praua doctrina, vel exemplo corrumpamus. Et idem replicat Apostolus 2. ad Corinth. 14. Ad vigesimum septimum motiuum satis abundè responsum est in res-

241 ponsione ad septimum motiuum. Ad vigesimumoctauum in eo quod dicitur,

242 quod Petrus non accepit claues supra Ecclesiam vniuersalem, sed supra singularia membra ipsius Ecclesiæ, respondeo istam conclusionem esse falsam, vt patet ex ijs quæ dicentur in solutione ad vltimum motiuum, & dictum est aliquid scilicèt in motiuis pro superioritate Petri ad Ecclesiam sanctam adductis. Ad vigesi-

243 mumnonum motiuum, quod Ecclesia vniuersalis dicitur mater omnium fidelium, dicendum est quod sicut Deus est Pater noster, quia nos creauit, ita Ecclesia dicitur mater nostra, quia per baptismum nos regenerauit, & hoc respectu omnes Christiani dicuntur fratres 11. q. 3. cap. ad mensam. Ita dicit Dominus in dict. cap. qui abstulerit, & isto respectu Papa potest dici filius Ecclesiæ. Potest etiam Ecclesia dici mater omnium ratione perfectionis gratiæ, & amplitudinis virtutis, sed non ratione iurisdictionis, & administrationis, quia isto respectu Papa non dicitur filius eius, sed cap. 24. quæst. prima cap. rogamus, & cap. loquitur. Ad illud, quod dicit Bernardus, quod & refert Archi. & Domin. in cap. non decet, respondetur, quod non facit contra, quia licèt Papa non sit Dominus, habet tamen administrationem, & dispensationem rerum Ecclesiæ, vt in d. cap. 2. de dona. & dicit Archi. in dict. cap. non decet. Item verba Bernardi ostendunt, quod Papa sit maior Ecclesia, cùm dicit consideres sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore præes esse matrem, non Dominam Eccle-

clesia-

clesiarum, ecce quod licet Ecclesia Romana sit mater, tamen illi præest Papa. Item secundùm quod dicunt Doct. in dict. cap. non decet, verba Bernardi tendunt ad monendum Eugenium ad humilitatem, sicut primæ Petri 5. dicitur non quasi dominantes in clero &c. Et in cap. olim, & in cap. esto subiectus 95. dist. in publicis tamen ceremonijs, & in apparatu conuenit, vt se maiorem subditis exhibeat propter dignitatis auctoritatem, vt in cap. ecce ergo, & cap. Episcopus in Ecclesia 95. dist. & cap. ad Apostolicæ de priuil. in 6. Quinimmò text. in dict. cap. non decet, ostendit claré, quod Papa sit maior Concilio, quia ibi text. dicit, quod debemus implere voluntatem matris nostræ, quæ est Ecclesia vniuersalis, cuius caput est Romana Ecclesia; Papa ergo, qui præest, Romanæ Ecclesiæ præest, & vniuersali, bonus text. in procem. lib. 6. & sic Concilio illam repræsentanti. Quod autem Papa sit Pontifex, & caput Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ, est tex. in cap. sacrosancta, & cap. 1. 22. dist. & bené dicit S. Thomas in tract. contra errores Græ. & extrauagans Bonifacij, quæ incipit vnam sanctam, & tex. in cap. in nomine Domini 23. dist. & cap. rogamus 24. qu. 1. Item Romana Ecclesia etiam dicitur mater etiam vniuersalis. Et sic vno respectu vniuersalis Ecclesia dicitur mater, & Romana Ecclesia suprema mater dicto capit. sacrosancta 22. dist. & bonus tex. in cap. fundamenta de elect. in 6. in §. ne autem, & in §. qui plura cap. decreto, & cap. qui se scit. 2. quæst. 9. & cap. quamuis 21. dist. Ipsa enim Romana Ecclesia est omnium aliarum Ecclesiarum caput ratione principij institutionis, & prælationis, vt omnes dicunt in dict. cap. non decet, & omnium aliarum Ecclesiarum mater, & magistra, vt in cap. si de fo. compe. Item non est dare diuisionem vniuersalis Ecclesiæ à Romana Ecclesia, quæ est caput istius vniuersi, igitur cùm dicitur, quod vniuersalis Ecclesia est mater, comprehenditur etiam Romana Ecclesia, & appellatur mater respectu omnium fidelium. Ad auctoritatem

244 Aug. quod mater Ecclesia genuit Petrum, & parturiuit Paulum, respondetur quod loquitur respectu productionis, & originis in Christo, qui Ecclesiam fundauit, quæ Ecclesia constat ex Petro, Paulo, & omnibus alijs Apostolis, & vniuerso grege Christiano, & sic potest etiam Ecclesia dici parturisse Concilium, quod constat ex Prælatis, quia & Prælatos vniuersos parturiuit Ecclesia. Vnde istud parturire dicitur respectu istius corporis mystici, cuius à Christo omnes dicimur membra, iuxta illud ad Ephes. 5. nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam, sicut, & Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius de carne eius, & de ossibus eius, & 1. ad Corin. 6. nescitis, quod corpora vestra membra sunt Christi. Ad trigesimum cùm dicitur quod

245 Ecclesia vniuersalis est domina gentium, & Papa minister, & dispensator, respondeo, quod illa auctoritas si capimus allegoriam, debet intelligi de Ecclesia vniuersali cum sponso, & non seorsum à sponso, & tunc est domina gentium. Item illa auctoritas Hieremiæ loquitur de Hierusalem, quæ fuerat domina multarum gentium ab ea deuictarum. Et si volumus capere, vt dixi allegoriam, ibi Paschasius dicit Lachrymosiùs plangenda est Ecclesia, culpis exigentibus sponsi absentia viduata, si enim sponsus cum ea esset, non esset lugenda, quia non possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus, sed gaudio gaudent propter vocem sponsi. Et subdit, cùm verò matrem idest Eccles. à vero sponso viduatam senserit, non solùm filios, sed, & omnes amicos flere conuenit. Ecce quod & Papa dicitur Dominus respectu directionis, & gubernationis fidelium, & Ecclesiæ, quæ in ipsis fidelibus consistit, non respectu seruitutis, vide glos. in cap. cùm de diuersis de priui. & in proœ. 6. & in cap. fin. de for. compe. Quod autem Papa, & alij Prælati dicantur ministri, & dispensatores, hoc est respectu bonorum Ecclesiæ, quorum est alienatio interdicta, vt in c. 2. de donat. Concilio autem est interdicta, omnis alienatio bonorum Ecclesiæ. Vnde ex hoc non sequitur quod sit maius Concilium Papa, immò inferius, quia Papa potest dispensare, & administrare Ecclesiam, quod non potest Concilium, vt dictum est supra in quæstione de potestate Concilij sede vacante cum duabus sequent.

246 Ad trigesimumprimum potest responderi, vt ad proximum supra, item dicitur, quod & Papa, & quilibet Sacerdos dicitur etiam Rex, vnde dicitur gens sancta, populus electus, regale Sacerdotium 1. Petri 2. ad hoc capit. duo sunt 96. dist. Immò etiam Clerici dicuntur Reges, vt in capit. duo sunt, genera. 12. quæst. 2. Immò, & Sacerdotes dicunt Regum, & Principum, & omnium fidelium Patres, 96. distin. cap. quis dubitet. Immò Papa est supra omnes Reges, & Imperatores, & vbi sunt demerita illos deponit, dict. capitulo duo, & capitulo venerabilem de elect. & capitulo ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. & Clem. 1. de

247 iureiur. 15. quæst. 6. cap. alius. Ad illud, quod potestas non est in Papa, sicut in Rege quemadmodum est in Ecclesia sicut in Regina, respondetur, quod immò est maior quia Papæ potestas continet, & Imperij, & omnium regnorum superioritatem, iuxtà illud Hierem. 1. ecce constitui te, ait Dominus su per gentes, & regna, &c. vt in cap. solitæ, de maior. & obed. & dictum est supra in 14. & sequenti motiuo pro Papa. Ad illud Matth. vigesimo aliàs supra responsum est, quod illud dictum fuit ad ostendendum, quod maioritas in Regno Christi non eodem modo acquiritur quo in regno terreno; quia in regno terreno acquiritur per ambitionem, & potestatem, sed in regno Christi contrario modo acquiritur, scilicèt per humilitatem, vt dicit ibi gloss. Et text. in cap. solitæ de maior. & obed. respondet Imperatori ad illud primæ Petri, 2. subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siuè Regi tàmquam præcellenti, & c. per quam authoritatem videbatur, quod regalis dignitas deberet præ-

præponi sacerdotali, respondet autem ibi Papa illud dictum, vt ad humilitatis meritum prouocaret. Immò gloss. super verbum inter Solem, & Lunam in dicto capit. solitæ, vult, quod quadragesies septies sit maior dignitas Pontificalis dignitate regali, cùm terra sit septies maior Luna, per quàm dignitas regalis designatur, & Sol octies maior terra, per quem dignitas Pontificalis designatur. Et licèt ista supputatio non sit bona, secundùm quod dicunt ibi Doctor. & indulgendum sit Bernardo, cùm non fuerit calculator, satis est, quod dignitas regalis,& Imperialis illustratur per Pontificalem, sicut Sol illustrat Lunam, vndè text. in cap. omnes eod. titu. dicit, quod omnes principes terræ, & cæteros homines Episcopis obedire Beatus Petrus præcipiebat. Ad trigesimumsecundum, cum dici-
248 tur, vbi maior est sapientia, ibi est maior superioritas, negatur assumptum, quia vt innuit text. in capitulo esto subiectus, nonagesimaquinta distinctio. frequenter reuelatur minimo, quod maior ignorat. Item est verum respectu gratiæ, & meriti, non respectu superioritatis, & administratio-
249 nis. Ad illud, quod dicitur, quod Ecclesia non potest errare, aliàs responsum est, quod intelligitur de Ecclesia vniuersali iuncta cum capite. Item non potest errare in ijs, quæ sunt fidei. Item de Ecclesia vniuersali, idest de collectione omnium fidelium, & non de Ecclesia illam repræsentante, vt est Concilium, quia & Concilia errarunt, 36. quæstio. 2. capitulo tria,& ca-
250 pitulo placuit. Ad trigesimumtertium, quod totum tendit ad hoc, quod Concilium iudicat de Papa, etiam in alijs casibus, quàm in casu hæresis, respondendo dicitur primò ad authoritatem Euangelij Matth. 5. & text. in d. cap. non omnes, quod non loquuntur de Papa, sed generaliter de omnibus Prælatis, qui debent alios excellere secundùm gloss. Nicolai ibi in discretione, secundò in intelligentia, & notitia sacrarum scripturarum, tertiò in constantia contra oppressores pauperum, quoniam, vt dicitur Ioann. 10. bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis, quartò in sanctitatis euidentia in exemplis dandis, quoniam secundùm, quod in pastorali dicitur tantum debet excellere actionem populi actio præsulis,quantum distat à grege vita pastoris. Et ista habentur ex verbis Euangelij, primum ex verbis, vos estis sal terræ, quia sicut sale omnia cibaria condiuntur, ita discretione Prælatorum debent dirigi, & ordinari omnia opera subditorum, secundum ex verbis,vos estis lux mundi, sicut enim lux est manifestatiua omnium occultorum, sic Prælati per intelligentiam Sacræ Scripturæ debent ex officio notificare alijs omnia opera virtutum, in cuius signum portant mitram in capite,in qua sunt duo cornua,quia debent scire duo testamenta. Tertium ex verbis non potest ciuitas abscondi super montem posita, quia sicut ciuitas super montem posita non potest abscondi, sic bonus Prælatus in persecutione non debet se abscondere,sed ad defensionem gregis se manifestè ostendere, vt ad eum tamquàm quoddam fortalititium oppressi habeant refugium. Quartum ex verbis,luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est, quia de hoc non debent Prælati gloriam propriam quærere, sed gloriam Dei, & ædificationem populi.

Vndè ex præmissis patet, quod illa authoritas,cùm vult Prælatum insulsum mitti foras, & conculcari, idest à prælatione repelli, secundùm gloss. Nicolai ibi non est intelligenda propriè de Papa, sed de omnibus Prælatis. Et licèt non excipiatur Papa, tamen oportet, vt intelligatur eijciendus ab eo, qui habet authoritatem, & ex causa, ob quam possit eijci, quapropter cùm in Papa non habeamus alium casum in quo possit deijci à Papatu, quàm casum, hæresis, vt in vulgato, cap. si Papa,si illam authoritatem exponimus de Papa, intelligitur,quando Papa esset hæreticus. Vndè verbum euanuerit ibi in tex. positum, multipliciter sumitur, & exponitur ab Hugone Cardi. nam dictum locum exponens dicit, si sal euanuerit,idest si Doctor, vel prædicator errauerit, aut in tribulatione defecerit, per quem populus infirmus confirmabitur? Item si euanuerit per inanem gloriam, item si euanuerit timore malè humiliante, vel amore malè inflammante, item euanuerit errando à veritate, vt hæretici. Clarum est autem, quod hoc vltimo modo habet dicta authoritas locum in Papa, quo ad remotionem eius à Prælatura,in alijs autem non habet locum in Papa, sed in aliquibus posset bene habere locum in alijs Prælatis. Item respondetur, quod posito, quod Concilium cognoscat de causa Papæ, ex hoc non sequitur, quod Concilium sit maius Papa, vt dictum est supra in responsione ad secundum motiuum, potest enim etiam inferior cognoscere de causa superioris, vt patet in cap. cùm inferior de maio. & obed. de Archidiacono ad Episcopum, & in cap. 1. ne sede vacan. in 6. & in cap. si Episcopus de supplen. negli. præla. eod. lib. de quo etiam in cap. cum in cunctis, §. Clerici sanè in gloss.fin. de elect. Item de procuratore fisci, vt in l. proximè ff.de ijs, quæ in testa. dele. Ad illud, quod dicitur, quod non reperitur, quod in causa fidei dominus dederit maiorem potestatem Ecclesiæ, quàm in alijs causis,respondetur, quod etiam non reperitur, quod in aliquo casu dederit Ecclesiæ potestatem in Papam, & de casu hæresis est cap. si Papa,qui est tex. Bonifacij martyris, & in casu hæresis assignantur multæ rationes, & præsertim quia illo casu est præcisus ab Ecclesia, & est inferior quolibet alio Christiano. Ad authoritatem Matth. 18. quæcumque alligaueritis, satis supra dictum est, quod illa authoritas loquatur de dimittendis peccatis, & non de iurisdictione fori contentiosi
251 exterioris. Ad trigesimumquartum respondetur, quod non concludit, quia hæc stant simul, quod sponsa, & coniux sit magis dilecta à viro, & tamen non habeat authoritatem, quam habet inferior à viro deputatus, vndè dicit tex. in cap. noua de

pœni. & remiſ. quod licèt beata Virgo fuerit maior cæteris Apoſtolis, non tamen ei ſed ipſis Apoſtolis datæ ſunt claues. Quapropter formaliùs reſpondendo dicitur, quod ratio ſponſalitatis non arguit ſuperioritatem authoritatis, de qua loquimur, quia ſponſalitas reſpicit gratiam gratum facientem, quia ſponſa dicitur propter dilectionem, vt inquit Bernar. in homilia 76. ſuper Cantic. vbi dicit, quod Eccleſia dicitur ciuitas propter collectionem, ſponſa propter dilectionem, oues propter manſuetudinem, ſuperioritas autem, & excellentia præeminentiæ, & authoritatis innititur dono gratiæ gratis datæ, inde eſt, quod Eccleſia dicitur ſponſa Chriſti in omnibus membris, quæ florent amore Chriſti. Eſſe igitur ſponſam Chriſti licèt arguat fidem per dilectionem operantem, vt Oſeæ 2. ſponſabo te mihi in fide, non tamen arguit authoritatem iuriſdictionis, aut ſuperioritatem principatus, nec eſt verum, quod Papa tantùm dicatur paranymphus, quia etiam dicitur ſponſus Eccleſiæ, vt dicit tex. in cap. quoniam de immu. Eccle. in 6. allegatur S. Thom. in tract. contra impug. relig. Item quando dicimus Eccleſiam Chriſti ſponſam, intelligitur cum Papa, quia Eccleſia, quæ eſt fidelium congregatio, vt in cap. Eccleſia de conſecra. diſtin. 1. intelligitur cum capite ſuo, quod eſt Papa, vt ſæpius dictum eſt; vnde Bernar. ſuper canti. homilia 63. dicit, quid ſponſa, niſi congregatio iuſtorum? Quid ipſa, niſi generatio quærentium Dominum, quærentium faciem ſponſi? Item dignitas ſponſæ ita conuenit perſonæ Papæ, ſi ſit in amore Chriſti, ſicut vniuerſo gregi, qui eſt in amore Chriſti, vnde Bernar. 2. ſermone de miraculo facto in nuptijs dicit, ſponſa Chriſti nos ipſi ſumus, & omnes ſimul vna ſponſa, & animæ ſingulorum, quaſi ſingulæ ſponſæ. Igitur Papa, qui ſicut cæteri eſt ſponſa, eſt maior alijs, quia eſt etiam Vicarius.

252 Ad trigeſimumquintum reſpondetur quod illa auctoritas Apoſtoli probat contrarium, videlicèt quod omnes dè neceſſitate ſalutis ſubſunt Papæ, quia vult quod omnis anima debet eſſe ſubdita ſublimioribus poteſtatibus, ſublimior autem inter omnes alias poteſtates eſt Papa, quia eſt caput vniuerſalis Eccleſiæ, vt ſæpiùs dictum eſt, ſequitur ergo, quod omnes ſunt ſubditi Papæ, & ſic etiam Concilium ſubeſt Papæ, & hoc dicit extrauagans vnam ſanctam, & gloſ. Nicolai ibi ſuper verbum poteſtatibus, exponendo addit videlicèt Prælatis in ſpiritualibus. Ergo illa auctoritas non præſupponit omnes ſubditos, ſed aliquos ſubditos, & aliquos ſuperiores. Vnde dictio omnes refertur ad ſubditos, cuiuſmodi non eſt Papa, quia ipſe non habet ſuperiorem cap. licèt de elect. Quod autem dicitur quod nec Papæ anima eſt excepta, reſpondetur, quod non erat excipienda, ſi non erat comprehenſa propter ſupremam eius poteſtatem. Vnde dicit Abb. in cap. omnis de cenſi. quod nullus in hoc ſæculo poteſt eſſe Acephalus, ſic vt non recognoſcat ſuperiorem ſaltem Papam, quibus verbis tacitè innuit, quod in illa auctoritate Papa non comprehenditur. Item ſecundùm quod dicunt Doct. in cap. magnum 11. quæſt. 1. illa auctoritas intelligitur reſpectu ſoluēdi tributi, & illo reſpectu poſſet Papa aliquo modo dici ſubditus, vt eſt tex. iuncta gloſ. in cap. ſatagendum 25. queſt. 1. Et illud omnis anima exponitur, ideſt omnis homo obnoxius peccato, vel cauſæ peccati, & ſic excluditur Chriſtus, qui quamuis eſſet homo non tamen peccatum, vel cauſam peccati in ſe habuit. Ita dicunt Doct. in cap. magnum, & in dicto capitulo omnis. Et licèt ſoluerit tributum, illud fecit, vt ſeruaret conſuetudinem, & ne alios ſcandalizaret, vt dicit tex. in cap. iam nunc 28. quæſt. 1. & gloſs. in dicto cap. magnum, & Abb. in dict. cap. omnis. Et ideo dicitur ſublimioribus poteſtatibus in plurali propter Papam, & Imperatorem, qui ſunt ſupremi, vt dicunt Doct. maximè Domi. in dict. cap. magnum. Ex quo patet quod illa auctoritas potiùs facit pro ſuperioritate Papæ ad Concilium, quàm è contra. Ad auctoritatem Hieron. reſponſum eſt in ſolutione ad nonum, & 32. motiuum. Ad illud, quod dicitur quod Eccleſia vniuerſalis non poteſt errare reſponſum eſt in ſolutione ad nonum, & 32. motiuum. Ad il-
253 lud, quod Hieroſolymitana, & Antiochena Eccleſiæ fuerunt ante Romanam, reſpondetur quod ex hoc non præferuntur Romanæ, ſed Romana illis, vt eſt tex. in cap. ſacroſancta 22. diſt. immò omnibus alijs, vt in cap. dudum 2. quæſt. 6. in cap. quanto 63. diſt. & cap. quamuis 21. diſt. cum ſimil. Ad cap. ecce, reſponſum eſt in reſponſione ad 12. contrarium, & latiùs dicitur infra in ſequenti ad 36. Ad trige-
254 ſimumſextum contrarium de c. benè quidem, reſpondetur quod ibi Symmachus non dicit quod non poſſet vlteriùs diſputare de eo, quod per Concilium definiretur, ſed cum ex illa ſcriptura, quæ non erat ſubſcripta, & quæ diſponebat de electione Romani Pontificis cognoſci poſſet de illius validitate, iuſſit illam legi in Concilio, non quod Concilium haberet iudicare de illius validitate, quia ipſemet Papa dicit illam fuiſſe nullius momenti, in qua nullus Romanæ Eccleſiæ præſul interfuerat, vel ſubſcripſerat. Ideò ibi gloſs. declarando, quare Papa iuſſerit illam legi, dicit non eſſe diſputandum de eo de quo ſtatim conſtare poteſt, & maximè quia Baſilius poſtea dixiſſet electionem Romani Pontificis non eſſe ſine ſui requi-
255 ſitione celebrandum. Ad cap. quod quis, dicitur quod Papa non requirit ibi ſubſcriptiones Patrum eo quod ſine illis non eſſet validum, vel vt eſſet maioris auctoritatis, quod ſtatuebatur, ſed ad maiorem demonſtrationem quod conciliariter ordinatum fuerat, vt faciliùs homines inducerentur ab obſeruandum, vnde verba tex. dicunt, vt deinceps poſſit tenaciùs cuſtodiri, & ſynodali iudicio aditus clauderetur illicitus, quod enim fit cum Conſilio plurimorum, rectiùs ſtatutum creditur cap. prudentiam cum ſimil. de offic. dele. & di-

ctum

ctum est scilicet in responsione ad 16. contrarium.

256 Ad §. hinc etiam, & §. item Symmachus respondetur, quod ibi tractabatur causa Symmachi Papæ, cui objiciebatur hæresis, vt dicit ibi glos. in dict. §. hinc etiam, & idem dicitur ad cap. nunc autem 21. dist. Possent tamen ad propositum adduci plura iura, ex quibus apparet seruari debere quod Concilia statuerunt, vt in cap. contra, & in §. his ita, & capit. confidimus, & cap. omnia statuta, cum alijs multis ibi 15. quæst. 1. & cap. dequibus 20. dist. & cap. puto in fin. 1. quæst. 7. In quibus iuribus Papa ita loquitur ex humilitate, seu modestia, vt dicit Archi. in cap. satagendum 25. quæst. 1. aut alia ex causa. Vnde tex. in cap. dudum in fin. 3. q. 6. dicit quod leguntur plures Episcopi damnati inconsulto Romeno Pontifice, & alij in eorum locum surrogati, quod pro bono pacis, & ex dispensatione tolerasse legitur Ecclesia, ad idem tex. in dict. cap. satagendum 24. qu. 1. Item aliqua iura loquuntur de Concilijs, in quibus interfuerunt Pontifices propter quod omnia eis ascribuntur principaliter, & non Concilijs capitulo in nomine Domini 23. distinctione, & aliâs supra dictum est. Et per hæc responderi potest ad multorum iurium contraria, adaptando eis præmissas responsiones. Ad tex. in cap. Concilia 17. distinctio-

257 ne resdondetur quod probat contrariũ, quia vult, quod Concilia generalia sunt nulla sine auctoritate Papæ congregata. Item etiam negatur quod Papa habuerit à Concilijs auctoritatem, vt dictum est in propria quæstione, Immò contrarium est veritas, vt probat text. in cap. quamuis 21. dist. & cap. significasti de elect. Ad cap. vrbes, & cap. prouinciæ, & capitulum nulli respondetur quod illud Apostoli fecerunt ex potestate eis data à Petro, vel Petro ita ordinante, & hoc probat tex in cap. in illis, quod immediatè sequitur cap. vrbes 80. dist. & 66. dist. porro, nec dicta iura probant maioritatem Ecclesiæ ad Papam. Idem etiam respondetur ad dictum capit. quilibet, & capitulum decretis, in quibus patet Episcopos ordinatos ab Apostolis, quia intelligitur Petro præsidente, & committente, cùm ipse etiam esset vnus de Apostolis, & caput ipsorum, vt in cap. in nouo 21. dist. Et benè probat text. in dict. cap. quilibet, qui dicit Episcopus Apostolorum dispositione ordinante Domino constitutos, quia à Christo institutum fuerat, vt hoc ita fieret præsidente igitur, & committente Petro fuit executioni demandata voluntas Dei. Ad tex. in cap. requiritis, respondetur, quod cùm Papa dicit se non posse tollere decreta à Concilijs, & pœnas contra Simoniacos statutas intelligit illas penitùs abrogando, & si disponere potuisset licitum esse committere simoniam, non enim potest Papa statuere, nec facere quod illud, quod est illicitum iure diuino sit licitum, vt in cap. sunt quidam 24. quæst. 1. Immò talia statuta tenetur defendere vsque ad animam, & sanguinem, vt ibi dicitur, quia huiusmodi statuta non tam sunt conciliaria, quàm diuina, & demonstratiua iuris diuini, contra quod penitus tollendo Papa non dispensat, vt in capit. à nobis ibi glos. & Doct. de de decim. & cap. literas de restit. spoliat., & cap. cùm ad monasterium de statu regu. Vel in casu, quo esset prohibitio iuris positiui, vel contra normam rectè viuendi, potest intelligi Papam non posse illis contraire de honestate, quia id dicimur posse, quod honestè possumus, de vsu & habi. l. non aliter ff. de cond. inst. l. filius. Et hoc demonstrat §. qui sequitur incontinenti post, videlicet nisi rigor disciplinæ quandoque relaxetur ex dispensatione misericordiæ, & sic dispensando circa rigorem pœnarum à Concilijs indictarum. Et sic ostendit ille §. quod Papa dispensat contra Concilia, & sic probat quod Papa sit maior Concilio. Ad cap. primæ

258 sedis 99. dist. respondetur quod ex hoc quod Concilium statuit Papam non appellari Summum Sacerdotem, siuè Principem Sacerdotum, non sequitur, quod Concilium sit maius Papa, quia illud statutum est ad honorem Papæ, & non contra Papam, quia cùm Papa sit Summus Pontifex, vt in Clem. si summus de sentent. excommun. & in cap. decretis 21. dist. non conuenit, vt dicatur summus Sacerdos, siue Princeps Sacerdotum, quod minus importat. Cùm enim Archiepiscopus appelletur Summus, siue Princeps Episcoporum, vt patet ex etymologia vocabuli capit. cleros 21. dist. qui est minor Papa, quantò magis dicendum de Papa, qui reipsa appellari debet summus Pontifex. Qui etiam aliquando appellatur Archiepiscopus Vrbis Romæ, vt in epistola inter claras in prima constitutione C. & in capit. statuimus 4. distin. in suprascript. & quæst. 3. in suprascript. Et aliquando appellatur Patriarcha 22. distinct. capitul. fin. aliquando Romanus Pontifex, vt in cap. fundamenta de elect. in 6. & in cap. 1. de constitut. in 6. & ibi per Archi. de multis nominibus, quibus appellatur Papa. Et in multis canonibus, & iuribus sæpè Papa appellatur Princeps Sacerdotum, & summus Sacerdos secundùm Hugo. & refert. ibi Cardinal. S. Sixti. & hæc solutio esset bona, si per Episcopum primæ sedis intelligeremus Papam, sed dico quod ibi nomine Episcopi primæ sedis intelligitur Patriarcha. Et quod ita intelligendus sit ille tex. verba, quæ sequuntur demonstrant, subiungitur enim vniuersalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur, hoc autem non conuenienter dicitur de Papa, quia ipse appellatur Romanus Pontifex. Quod ostendit dictio etiã, quæ implicat idem in diuerso, vt in l. etiam, C. qui pro tutor. negot. gessit, & in l. etiam, C. de fur. clem. dispendiosam in fin. de iudic. cap. cum illis, §. illis de præben. in 6. cum simil. Et istum esse verum intellectum demonstrat tex. in cap. cleros 21. dist. cum de Papa dicit, Pontifex Princeps Sacerdotum est, vel dicitur esse quasi via sequentium, siuè vt dicit Archi. in dict. cap. 1. de constit. quasi pontem faciens. Et subdit text. ipse enim summus Sacerdos, ipse

ipse Pontifex maximus nuncupatur. Ecce quod non potest dici, quod text. d. capit. primæ sedis loquatur de Papa, quia Papa rectè appellatur summus Sacerdos, & summus Pontifex respectu aliorum, nam & Episcopus potest appellari summus Sacerdos, & Pontifex maximus respectu aliorum Sacerdotum, & ita intelligitur capitulum cleros 21. distin. secundùm Abbatem in capitulo in causis in princ. de re iudic. Et quod ille tex. loquatur de Patriarcha, ponit Cardinalis de Turrecrem. in secundo libro de Eccles. capit. 16. & in dicto capitulo primæ sedis, vbi dicit quod illud statutum illius Concilij non potest extendi ad hoc, vt habeat locum in Romano Pontifice, tum quia illud Concilium Aphricanum fuit particulare, nec potuit disponere de Romano Pontifice, tum quia in iure Papa sæpè appellatur Princeps Sacerdotium, & summus Sacerdos, allegat. glos. & Hugo. ibi, & hunc sensum ostendit glo. interli. ibi super verbum primæ sedis, quæ supplet, id est Patriarchalis, de Romano enim Episcopo nihil dicitur, ecce quod glo. declarat illum text.

Et si dicatur, quod nec Papa debet appellari vniuersalis, vt in capit. ecce eadem dist. 99. & sic non potest dici, quod verba quæ sequuntur in fine illius capit. primæ sedis, magis loquantur de Patriarcha, quàm de Papa. Respondetur, quod per hoc non ostenditur, quod dictum capitulum primæ sedis loquatur in Papa, immò contrarium apparet ex diuersitate dicti §. vniuersalis. Quinimmò etiam Papa appellatur Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Pontifex, vt de hoc est text. in capitulo in nomine Domini vigesimatertia distinctione, ibi obeunte Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Pontifice, facit glo. in capitulo fœlicis de pœnis in sexto. Et multi Romani Pontifices appellati sunt vniuersales. Vndè Leoni in Concilio Chalcedonen. acclamatum est, viuat Leo Sanctissimus Æcumenicus, idest vniuersalis Patriarcha, & multi alij Pontifices se vocarunt sub nomine vniuersalitatis, vt Sixtus, Sanctus Victor, Sanctus Eleutherius, de quibus meminit Cardinalis Sancti Sixti in capitulo nullus 99. distinct. & ad capitulum ecce est aliàs supra responsum, quod ità ex humilitate scripsit Gregorius, qui ex humanitate etiam, quando loquebatur de alijs, loquebatur in plurali, & de se in singulari, vt dicitur in capit. nihil de præscript. cum tamen aliter conuenerint facere Romani Pontifices, vt in cap. quàm graui. de cri. fal. Sed adhuc obstat quod dicit Ioan. de Fan. in dicto capitulo primæ sedis, vbi in vers. vniuersalis autem, dicit. hæc est tertia pars dist. in qua dicitur, quod Papa non debet vocari vniuersalis, ex quo sequitur, quod ille versiculus vniuersalis autem, tantùm loquitur de Papa, vt sic sit sensus, primæ sedis Episcopus, id est Patriarcha, qui aliàs vocatur Princeps patrum, vt in capit. cleros 21. distinct. non appelletur Princeps Sacerdotum, nec summus Sacerdos, nec Romanus Pontifex appelletur vniuersalis, vt sic principium capituli loquatur de Patriarcha, & versic. vniuersalis autem de Papa, ex quo sequitur, quod ille sensus, de quo supra dixi, quod tam dictus versiculus, quàm principium tex. loquitur de Patriarcha, licèt sit verus, inquantum sonat, quod Patriarcha non appelletur, nec Princeps Sacerdotum, nec summus Sacerdos, nec vniuersalis, nec Romanus Pontifex, sicut nullo ex dictis modis debet appellari, tamen non erit verus, inquantum sonat, quod totum capitulum loquitur tantùm de Patriarcha, quia non solùm loquitur de Patriarcha, sed etiam de Papa, quia prima pars loquitur de Patriarcha, & versic. vniuersalis autem, loquitur de Papa secundùm Ioannem de Fan. ibi. Doctores, nihil scribunt super illum text. Quid dicendum? Dico saluo meliori iudicio, quod tam prima pars capituli, quàm versiculus frequens loquitur de Patriarcha, item quod versiculus ipse non tantùm de Patriarcha loquitur, sed etiam de Papa, & intellectus verus est, quod primæ sedis Episcopus, id est Patriarcha, nec Princeps Sacerdotum, nec summus Sacerdos appelletur, nec vniuersalis, quia nec Romanus Pontifex debet appellari vniuersalis, & hoc est, quod dicit versiculus vniuersalis autem, nec Romanus Pontifex appelletur, quasi dicat non solùm Patriarcha non debet appellari vniuersalis, sed nec Romanus Pontifex. Ex quo intellectu sequuntur plura, primum, quod bene adducitur pro contrario text. cap. primæ sedis, quia est text. Concilij Aphricani, & tamen disponit, & statuit de Papa, quod non appelletur vniuersalis, & sic videtur, quod Concilium sit maius Papa. Secundum, quod sequitur, est quod intellectus datus ad capitulum ecce, eadem distinctione, videlicet quod Gregorius sic locutus est ex humilitate, non est verus, sed ideò ità locutus est, & prohibuit ne vocaretur vniuersalis, quia in rei veritate hoc videbatur prohibitum per Concilium, & inconueniens secundùm rationem, quam ipse ibi assignat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit præbetur, & subiungit, si enim vniuersalem Papam me vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum, vbi glos. dicit, negat, se hoc esse, id est esse, de vniuersitate, cum tamen Romana Ecclesia non sit vniuersalis, licèt sit de vniuersitate, & sic ideò Gregorius inhibuit, ne vocaretur vniuersalis, quia ex hoc sequebatur quod alij non essent Patriarchę, Archiepiscopi, vel Episcopi, nam ex hoc quod dicebatur vniuersalis, videbatur, quod alij nihil essent, quia ex dictis verbis Gregorius designabatur esse, quod illi erant, & ideò hoc prohibuit. Tertium quod sequitur est, quod fortiter obstat text. in dicto capitulo in nomine Domini vigesimatertia distinctione, vbi Papa appellatur Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Pontifex.

Non reperio, quod Doctores aliquid dicant, posset tamen probabiliter dici, & primò ad contrarium, quod posito, quod Synodus Aphricana statuerit, ne Papa appelletur vniuersalis, propterea non disponit, ne Papa sit vniuersalis Ecclesiæ Pontifex,

fex, nec per hoc disponit contra Papam, quia Papa, qui tenetur imitari in humilitate Christum, & seruare præcepta eius, non vult sibi assumere nomen dominationis, iuxtà illud Lucæ vigesimosecundo, qui maior est in vobis fiat sicut minister, vbi Ambro. dicit, vna datur omnibus forma sententiæ, vt non de prælatione iactantia sit, sed de humilitate contentio. Et glossa Nicolai, ibi dicit quod ille est aptior alijs ad præsidendum loco Christi, qui verè est humilior, per contrarium ad terrenam dominationem. Et hinc est quod Rom. Pontifices non appellantur aliquo vocabulo dominationis, sed scribuntur serui seruorum Dei, vt patet in suprascript. ad proœmium decretalium sexti, & clementinarum. Item datur etiam alia solutio ad contrarium, quod si ille, §. est eiusd. Conc. illud quod fuit statutum in Concil. Aphricano fuit factum præsidente Papa, vel alio eius nomine, & sic non tam fuit constitutio à Concilio ædita, quàm à Papa, vt dictum est in quæst. sub cuius nomine debeat conscribi constitutio conciliaris. Imò ex quo illud Concilium fuit particulare, & locale, non potuit aliquid disponere vniuersaliter, & maximè respectu Papæ, & ideò non potuit statuere, quod Papa non appelletur vniuersalis. Et quod fuerit particulare Concilium, dicit ibi Card. Sancti Sixti in dicto cap. primæ sedis, & dixi supra. Ad secundum respondetur, quod solutio data per Doctores ad capitulum ecce, est vera, quia Gregorius erat verè humilis, vt vbique dicunt Doctor. & maximè in dicto capitulo nihil, & in dicto capitulo ecce. Et ostendit tex. in cap. si quis super his secunda quæstione septima, vbi licèt loquatur in principio in plurali, posteà vtitur verbo mecum in singulari, & ibi ostenditur humilitas eius, quia licèt non teneretur, obtulit se ad seipsum purgandum de ijs, quæ ei obijciebantur. Potuit etiam ex humanitate respondere, quod nolebat vocari vniuersalis, non quia non esset vniuersitatis caput, sed quia non conueniebat appellari vniuersalis, sicut nec Romana Ecclesia dicitur vniuersalis, cum sit vna de vniuersis, propter quod dicit Hieronymus, quod orbis maior est vrbe in cap. legimus octogesimatertia distinct. Vnde S. Thomas in tractatu contra impugnantes religionem, ad capitulum nullus, & capitulum ecce, dicit. quod autem Papa vniuersalem Pontificem se prohibet nominari, non est quia non habeat auctoritatem immediatam, & plenam in qualibet Ecclesia, sed quia non præficitur cuilibet particulari Ecclesiæ, vt proprius, & specialis illius Ecclesiæ rector, quia sic cessarent omnium aliorum Pontificum potestates, & hoc capitulum inductum nullus pro ratione inducit. Ita dicit S. Thomas in dicto tractatu in capitulo 4. circa medium. Et ad propositum facit, quod dicit Calde. in verbo mortuo prælato in repertorio suo, cum disputat penès quem mortuo prælato remanet possessio bonorum Ecclesiæ, dicit enim quod Ecclesia vniuersalis, idest collectio fidelium, vel Christus, vel Ecclesia Romana, tamquam aliarum dux, & caput possidet, quia sicut gallina, sub alijs congregat pullos suos l. prima, ff. de in integrum restitu. mino. sic Ecclesia Romana, sub alijs suis omnes alias Ecclesias continet, & sic possessio erit penès Ecclesiam Romanam, quæ est caput, & membra simul. Ad tertium contrarium de cap. in nomine Domini, potest responderi, quod Papa est Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Pontifex, vt dicit tex. ibi in d. cap. in nomine Domini, sed quod non vult intitulari, neque vocari vniuersalis Pontifex ad vitandum ambitionem, & ne videatur velle alijs adimere nomen Pontificatus, quod conuenit etiam Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis, vt in capit. Pontifices 12. quæst. 2. & cap. licèt, qu. 8. cap. 1. si quis 36. dist. cap. vbi periculum, §. super his de elect. in 6. 7. qu. 1. capit. Pontifices, cum simil. Posset etiam dari alia solutio, videlicèt quod Papa benè appellatur vniuersalis Ecclesiæ Pontifex, & sic loquitur, cap. in nomine Domini, sed non debet appellari vniuersalis Pontifex, & sic loquitur cap. primæ sedis. Et licèt huic solutioni repugnet ratio, cap. ecce, dicendum est, sicut dicunt communiter Doct. quod ibi Grego. loquitur ex humilitate, & ex humilitate assignat illam rationem. Et saltem ista solutio est vera referendo ad factum propter infideles, quorum Papa non est Papa, & ideò non dicitur Papa vniuersalis saltem de facto, quia nihil ad nos de ijs, qui foris sunt, secundùm Apostolum, vt in cap. gaudemus de diuor. Sed referendo ad ius, ista vltima solutio non videtur vera, quia Papa hodiè est Monarcha totius orbis, & habet vtrumque gladium, prout dicitur in cap. nouit, maximè per Ioan. de ligna. de iudi. ponit dec. 200. in nouis in tit. qui filij sint legit. & est extrauagans vnam sanctam, & dico infra in fine. Ipse enim est summus Princeps, & omnes sunt ei subiecti, vt dicit Abb. in capit. nouit in 4. colum. de iudi. allegat glos. in clem. ad nostrum de hæreticis, & dicta in cap. causam quæ, el secundo qui filij sint legi. & Innoc. in capit. licèt ex suscepto de fo. compe. & Hostien. in summa qui filij sint legi. in §. qualiter, & eumdem in cap. per venerabilem eod. titulo. Item Papa habet iurisdictionem circa infideles, vt in cap. quod super ijs de voto, & in cap. post miserabilem de vsu, & vtrobique Doctor. Item Papa dicitur Episcopus totius orbis, vt dicit glos. fin. in cap. fœlicis de pœnis in 6. Et est primus, & maximus omnium Episcoporum, in totam Ecclesiam Christi vniuersalem prælationem habens, vt ponit S. Tho. in tract. contra errores Græcorum cap. 6. & 66. cui etiam Patriarchæ, & omnes subesse debent de necessitate salutis, vt dicit idem Sanctus ibid. cap. 71. Et sic videtur, quod non solùm dicat. Pont. vniuers. Ecclesiæ, sed etiam simpliciter Pôtifex vniuersalis, & quod Grego. noluit sic appellari ex humilitate, vt dictum est. Sed tunc obstat ca. primæ sedis, versi. vtilis autem vbi inhibetur ne Romanus Pontifex apellatur Pontifex vtilis, & sic non solùm ex humilitate Greg. recusauit illud nomen.

Ad

Ad quod dicendum est quod si ille 5. vniuersalis est etiam Concilij Aphricani, vel illud Concilium fuit tantùm præsidente Papa, vel eius auctoritate, vel ab eo confirmatum, vt dictum est, alioquin non fuisset validum Concilium vt 17. distinctione per totum, vel non valuisset contra Papam. Vel dicendum est, vt dicit Cardinal. Sancti Sixti in capitulo nullus, quod non ideo non debet dici vniuersalis Ecclesiæ, aut quia non habeat iurisdictionem super omnes, sed quia Papa non præficitur super omnes Ecclesias immediatè singulariter, & particulariter tamquam cuius libet particularis Ecclesiæ proprius, & specialis Rector, & allegar Sanctum Thomam in tract. contra impugnantes religionem, quem supra retuli quia si sic esset, nihil relinqueretur cæteris. vt ipse dicit, in dicto capitulo ecce. Sed ad hoc posset responderi, quod etiam si Papa appellatur vniuersalis, non ideo sequitur eum esse immediatè pastorem, prælatum, vel rectorem singularium Ecclesiarum, quia quis intelligitur vniuersalis rector quoad administrationem in genere, sicut in simili Imperator dicitur Dominus mundi, vt in l. deprecatio C. ad leg. Rho. de iac. & tamen non est Dominus singularium rerum, & bonorum, vt in l. Lucius ff. de euic. & in l. item si verberatum ff. de rei vendic. sed dicitur Dominus vniuersi quoad administrationem, vt dicitur in capitulo Imperium 10. distinctione. Vel dicendum est quod Papa consensit. vt in dicto Concilio sic statueretur ad euitandam inuidiam, & ambitionem, & rationibus positis in sequenti capitulo nullus, & in dicto capitulo ecce 99. distinctione, & ad imitandum Saluatorem in dicto capitulo 22. Luc. & Matthæi 23. Ex hoc autem non sequitur, quod id quod dixit Greg. in dicto capitulo ecce non fuerit ex humilitate dictum, quia cùm ipse non teneretur stare illi Concilio & ordinationi, quia potuisset tollere statuta Concilij. vt in capitulo. cuncta per mundum 9. qu. 3. & dictum est in propria quæstione, etiam si fuisset confirmata per Papam, quia par in parem. & c cap. innotuit de elect. bene dicunt Doctores, quod sic scripsit Eulogio Patriarchæ ex humilitate, & bene ostendunt verba illius canonis, quod ita ex humilitate loquebatur. Et quod Papa dicatur vniuersalis Pontifex, vide quod latè dico supra in responsione ad duodecimum contrarium, & infra in responsione ad 60. contrarium. Ratio autem sic loquendi potuit etiam esse, quia multi patriarchæ, & Archiepiscopi ambiebant nomē vniuersitatis quod Gregorius volens tollere, dixit non conuenire, vt vocaretur vniuersalis Papa, quod clarè patet in 4. lib. regist. eius cap. 76. 77. 78. & 80. siue 32. & alijs sequentibus, & ideo nec hodie Papa appellatur, vniuersalis, non quod in rei veritate non sit, vide supra in responsione ad 12. contrarium. Et quod dicatur Papa vniuersalis, ponit Greg. VII. in 2. lib. registri in dictatu suo, & pono supra in quæstione an quando Papa iurauit, & noluit seruare capitula in conclaui, possit se absoluere. Item quod Papa veraciter dicatur etiam patriarcha vniuersalis, patet ex Concilio, Chalced. vbi acclamatum est Leoni, Leo sanctissimus & æcumenicus, id est vniuersalis, Patriarcha viuat, & multi Pontifices se vocarunt sub nomine vniuersalitatis vt beatus Sixtus, sanctus Eleutherius, vt refert Cardinalis de Turrecremata in capitulo nullus 99. distin.. vt supra dictum & clariùs ponit in secundo libro de Ecclesia capitulo 16, vt ipse dicit in dicto capitulo nullus. Ad illud d. cap. quamuis 21. distinctione quod vniuersa Ecclesia includendo Romanam est vnus Christi thalamus, & sic Romana tamquam contenta in ista vniuersitate debet dici minor. Respondetur verum esse, quod Ecclesia Romana continetur in hoc corpore mystico vniuersalis Ecclesiæ, sed tamquam caput & prælata cæteris, vt dicit ibi text. & in capitulo sacrosancta vigesimasecunda distinctio. Item ista vniuersitas perficitur, cum Romana Ecclesia, sine qua non diceretur vnus Christi thalamus, vt in capitulo loquitur 24. qu. 1. Sic ergo quia contenta in ista vniuersitate non est minor, sed maior, & caput. Facit, quod dicitur de Episcopo cum capit. de ijs quæ fiunt à præla. sine consensu capituli per totum, quia Episcopus maior est capitulo, quia caput, vt in capitulo nouit. eod. tit. & iurisdictionem habet in capitulares, vt in irrefragabili de offic. ordin. cum simul.

Ad capitulum puto, respondetur, quod non potest intelligi de Papa quia dicit, vnius Episcopi auctoritati, vel vnius prouinciæ Concilio præferendum est, quod per vniuersalem Ecclesiam stat, est, si ergo loquitur de statuto vniuersalis Ecclesiæ, loquitur de statuto facto cum auctoritate Papæ, quia si factum esset sine Papa, & sine eius auctoritate, non valeret, vt decimaseptima distin. per totum. Et hoc ostendunt verba vnius Episcopi auctoritati, vel vnius prouinciæ Concilio, quod est dicere vnius, vel plurium Episcoporum auctoritati, & non loquitur de capite. Posset dari alia solutio, si loqui volumus de Papa, quod Paulus reprehendit Petrum in concernentibus fidem, in quibus conceditur præferri statutum vniuersalis Ecclesiæ, sententiæ, siue iudicio Papæ. Item potest dari alia solutio, quod quando dicitur statutum vniuersalis Ecclesiæ dicitur virtualiter statutum cum præsentia Papæ. Et tunc non tam est statutum Ecclesiæ, quàm Papæ cum Ecclesia, quia de Consilio Concilij, vt in capitulo ad Apostolicæ de re iudi. in 6. Item ad capitulum quamuis 3. 26. quæstione 6. respondetur quod licèt ante ab Apostolis ita fuerit institutum, illud fuit cum Petro, qui erat caput Apostolorum, vt in cap. in nouo 21. distinctio ne cum simil. Item non sequitur aliquid est, institutum in Concilio in fauorem Romanæ sedis, ergo Concilium est maius, quia auctoritas Papæ non est principaliter à Concilijs, vt dictum est in quæstio. vtrùm auctoritas Papæ habeatur à Concil ijs, sed à Deo, vt in cap. nouit. de iudi. cum similibus

libus. Item quod fuit institutum ab Apostolis, vt Episcopi non nisi à sede Apostolica indicarentur, postea per infinira iura fuit confirmatum à Ponrificibus, vt in pluribus capitulis sequentibus dictum capitulum quamuis, & in alijs multis secunda quæstione 4. & 6.& 7.omnia autem nos facimus, quibus auctoritatem impartimur, vt cap. si Apostolicæ sedis de prehen. in 6. l. prima C. de veteri iure enucle. Et sic per præmissa respondetur ad capitulum dudum 3. qu. 6. Ad capitulum quisquis, dic quod modicum facit, nisi contra illud quod dicitur in præ allegato capitulo dudum, quia ibi Concilium, videtur voluisse Episcopum damnari per inferiores à Papa, cuius contrarium dicitur in capitulo dudum. Sed ad illud respondetur, quod licèt Episcopi possint accusari coram primatibus, & Concilio prouinciali, vt in dicto capitulo quisquis, seruato priùs ordine, de quo in cap. accusatio, & capitulo si quis 2. quæst. 7. tamen per inferiorem à Papa non potest damnari, vt vide text. & ibi Doct. in cap. accusatus 3. quæst. 6. quia hoc tamquam de maioribus causis est reseruatum sedi Apostolicæ, vt in capitulo primo, & in capitulo inter corporalia de translatione prælato, & cap. quod translationem ibi gloss. & Doct. de offic. lega. Sed obstat text. in cap. lator. 2. qu. 7. ibi Episcopali sententia depositus est. Verùm supplendum est auctoritate
261 Papali lata secundùm Doct. ibi Ad cap. si quis el 3. qu. 7. dicendum est, quod malè infertur ex illis verbis, quod Concilium, aut sedes Apostolica, cuius Papa est caput sit maior Papa. Nec Gregorium ibi appellat iudicem sedem Apostolicam, sed dicit ante confessionem beati Petri mecum iustè decertet. Et gloss. ibi verbum confessionem exponit, id est scripturam, & doct. ibi, Archi. Ioan. de Fan. & Domi. ad expositionem gloss. addunt, quæ est sub altari, & est vulgare secundùm Lau. Ex quo apparet quod non loquitur de iudicio contentioso, sed potiùs purgationis. Item Doct. prædicti, scilicèt Archi. & Io: de Fan. Domi. Cardin. Alex. & Cardi. de Turrecre. post Hugonem, dicunt quod ignoramus, de quo argueretur Gregorius. Et si quidem fuisset de hæresi, siue causa fidei, bene potuisset tractari apud sedem Apostolicam, sed si non fuit causa fidei, Gregorius loquutus est ex humilitate more suo, vt in cap. ecce 99. dist. quia pro alia causa non poterat ab alio redargui. Facit quod dicit tex. in capitulo mandastis de Sixto, & in capit. auditum de Leone 2. qu. 4. Vbi dicitur quod licèt se purgauerint de obiectis criminibus, non tamen ad hoc astringebantur. Et ideo text. ibi in dicto cap. auditum dicit, hoc autem faciens, non legem præscribo alijs, qua idem facere cogantur, quali, vt dicit ibi in versic. præcedenti Gratianus, modum, & non necessitatem purgandi canones accusato imponant Ad cap. memor. respondetur, quod non contrariantur, quia licèt Papa dicat, quod quando infestatur vniuersalis Ecclesia, ipse habet impendere omnes suos conatus pro Ecclesia, non per hoc probatur, quod Ecclesia sit maior. Item illi text. loquuntur in causis fidei, in quibus Papa non debet contradicere, vt
262 in cap. sicut 15. dist. Ad gloss. in capit. proposuit & in cap. literas & in cap. cùm ad monasterium. & ad cap. sunt quidam &c. quę ad perpetuam 25. qu. 1. respondetur, quod illa iura potiùs ostendunt, quod Papa sit maior, quia præterquam in ijs, quæ concernunt articulos fidei, & vniuersalem statum Ecclesiæ, & hoc intelligendo, quando decoloraretur status vniuersalis Ecclesiæ, Papa dispensat ex causa etiam contra Apostolum, & cum bigamo & criminosis, vt in cap. lector, 34. dist. Et contra Euangelium in ijs, quæ sunt consilij, & quæ parabolicè dicta sunt, & in decimis, & in voto, & in sacramentis, vt dicit Archi. in d. c. quæ ad perpetuam, & d. cap. sunt quidam, & in cap. lector. 34. dist, De quo dicendum est vt latè disputant Doct. in præallegatis locis, maximè Moderni in d. capit. proposuit, ex quo ostenditur, quod Papæ auctoritas est supra Concilium. Contra quatuor autem Concilia, non dispensat, quia in his velut in quadrato lapide sanctę fidei structura consurgit, vt in dicto capitulo sicut sancti 15. di. Ideo autem non dispensat contra vniuersalem statum Ecclesiæ, quando is decoloratur, quia hoc esset deprimere, & annullare statum Ecclesiæ, vt exponit Archid. in capitulo etsi illa prima quæst. septima. Alioquin etiam contra vniuersalem statum Ecclesiæ dispensat, vt in cap. non debet, de consan, & offi. dicit Archi. in d. cap. sunt quidam, & Abbas in d. cap. pro posuit, Papa enim est maior Apostolo in administratione, vt vide Doct. in di. capit. lector. 24. dist. Ideo autem, vt tactum est, Papa non dispensat contra articulos fidei, nec vbi deprimitur status Ecclesiæ, quia tunc non tam esset dispensatio, quàm dissipatio, & Ecclesiam destruendo, virtualiter faceret contra articulum fidei, & vnam sanctam catholicam Ecclesiam, data enim est potestas ad construendum, & non ad destruendum 2. ad Corint. 10. & 13. Et licèt in aliquibus casibus Papa non dispenset, nec Concilium etiam in illis potest, dispensare, ergo ex hoc non potest argui quod Concilium sit maius. Ad capit.
263 scit sancta, & cap. illud, & cap. ridiculum 12. dist. respondetur, quod potiùs faciunt pro Papa, quia dicunt quod consuetudines locorum non sunt infringendæ, si non officiant fidei, nec illis canonica obsistat auctoritas. Et quo ad cap. ridiculum, ibi Hingmarus Episcop. quæsirat à Papa vtrùm consuetudines antiquitùs à Patribus traditæ possint infringi, & respondetur quod non, & sic non est contra. Et tamen ex causa possunt etiam consuetudines non seruari, sed limitari, in cap. exigunt prima
264 quæstione septima dicit Domin. in dicto cap. ridiculum. Ad trigesimumseptimum de dictamine Rationis naturalis, dicendum est, quod est replicare idem per idem, quia rationibus, ibidem adductis est supra responsum, licèt enim in Ecclesia sint sancti viri

viri, tamen poteſtas adminiſtrandi, & iuriſdictionis data dignitati pontificali non respicit ſanctitatem, ſed ſuperioritatem, in qua non attenditur ſanctitas 8.qu.prima capitulo audacter. Multæ etiam rationes naturales,& vrgentiores ſunt in contrarium, quod Papa ſit maior Concilio generali, maximè quia regimen Monarchicum melius eſt Ariſtocratico, vt dicit Ariſtoti. 12. Metaphyſic. Ad alias rationes ſecundùm occurrentiam contrariorum reſponſum eſt. Ad illud, quod qui allegat poteſtatem, & iuriſdictionem debet illam oſtendere, reſpondetur quod non poteſt meliùs oſtendi, quàm ex notorietate Euangelicæ auctoritatis,qua dictum eſt Petro paſce,oues meas Ioan. vltim. & capit. ſolitæ, de maiorit. & obedien. cum ſimilibus. Ad trigeſimum-
265 octauum de auctoritate Ioannis 20. ſicut miſit me pater &c. reſpondetur quod declaratum eſt in artic. de clauibus datis Petro, & Apoſtolis, quod illa auctoritas loquitur de dimittendis peccatis, & non de poteſtate iuriſdictionali contentioſa, & adminiſtrandi. Item tunc etiam inter Apoſtolos erat Petrus, & data fuit poteſtas dimittendi, & retinendi peccata ſingulariter omnibus Apoſtolis, vt patet Mar. vltim. ibi, illi verò profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Ex quo apparet quod ex dicta auctoritate non ſequitur,quod data fuerit maior poteſtas Eccleſiæ, ſiue Apoſtolis, quàm Petro, quia ſi intelligitur data vniuerſis in concreto ſimul, ex quo cum illis erat Petrus, ſine Petro nihil receperunt, ſi autem intelligitur data ſingulariter non intelligitur data maior ſingulis alijs,quàm Petro. Et vt dictum eſt in quintodecimo motiuo pro Papa, Apoſtolis per auctoritatem Matth. 18. quæcumque alligaueritis &c. fuit ſolùm facta promiſſio poteſtatis fori interioris de dimittendis peccatis, quæ fuit confirmata Ioan. 20. igitur & confirmatio intelligitur de dimittendis peccatis, vt de confir. vti. per totum. Ad
266 trigeſimumnonum dicendum eſt quod capitulum ex geſtis,& capitulum ſcelus, loquuntur de Concilio cum Papa, immò principaliùs de Papa, quàm de Concilio, quia in Papa actus fundatur, vt patet ex dictis ibi. Eodem modo dicitur ad capit. in nomine Domini, & capit. ex multis, & cap. virgines, & cap. viſis, quod aut ſtatuta ſunt præſidente Papa, vel alio eius nomine, aut eius auctoritate, vel ab eo confirmata. Ad capitulu quiſquis, quarta qu. quinta, & ad alia iura reſponſum eſt plenè in reſponſione ad trigeſimumſextum contrarium, maximè circa fin. Et per ſolutiones datas ad iura ibi, etiam reſpondetur ad iura allegata in ſequenti 40. contrario, ſcilicet ad capitulum nolitæ, ad capitulum requiritis, ad capitulum priuilegia, ad capitulum contra, & capitulum ſicut, & ad capitulum confidimus, quia non ſequitur ex illis iuribus, quod Concilium ſit maius, frequenter enim reuelatur minori, quod ignorat maior, & ſæpè illius vnus minoris melius eſt iudicium, quàm maioris, ſeu plurimum, vt in capitulo eſto ſubiectus nonageſimaquinta diſtinctione, ſi igitur Papa benè inſtituta à Concilijs, rite auctoritate Sedis Apoſtolicæ celebratis, ſequitur & innouat, vel confirmat, vel exequitur tanquam conformia fidei, non ex hoc poteſt dici minor Concilio. Ad capitulum
267 confidimus reſpondetur, quod text. probat potiùs contrarium, quod immò Papa ſit maior, cum in fine dicit, quæ & vnamquamque Synodum ſua auctoritate confirmauit, & continuata moderatione cuſtodit, quia probat Papa,quod confirmat,moderatur, & mandat ſeruari ſtatuta conciliaria. Et quod dicit oportere primam Sedem ſeruare,quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, ibi verbum oportere importat honeſtatem, & non neceſſitatem, vt dicunt ibi gloſ. & Doct. Ad Quadrageſimum
268 primum quod Apoſtoli dicuntur fundamentum Eccleſiæ,reſpondetur,quod Petrus erat baſis iſtius fundamenti, quia erat caput ipſorum, vt in cap. in nouo 21. diſtin. & capitulo Rogamus 24. qu. prima cùm ſimil.vnde ſine Petro non erat integrum fundamentum. Et hinc Petrus appellatus eſt petra, id eſt fundamentum Eccleſiæ, vt in capit. fidelior 51. diſtinct. Ipſe enim tanquam ſaxum immobile totiùs corporis Chriſtiani compagem molemque continet, vt dicit ibi text. De quo vide quod dixi ſupra in artic. quando datus fuerit Pontificatus Petro, vbi ponitur quomodo dicatur fundamentum Eccleſiæ. Ad auctoritatem Matth. 18. & vltim. Ioan. vltim. ſatis dictum eſt in artic. quomodo claues, & quæ ſint datæ Petro, quia loquuntur de dimittendis peccatis, & quo ad ea, quæ ſunt ordinis, & non quoad ea, quæ ſuperioritatis & adminiſtrationis.

269 Ad illud Apoſtoli ad Galat. ſecundo, reſpondetur quod ibi Apoſtolus non nominauit Iacobum priùs quàm Petrum eo, quod Iacobus eſſet maior, aut æqualis Petro in auctoritate, quia contrarium oſtendit text.in allegato cap.in nouo, vigeſimaprima diſtinctione, & capitulo ſacroſancta vigeſimaſecunda diſtinctione, ſed ideò, vt dicit ibi ſanctus Thom. in dicta epiſtola ad Galat.quia tunc Iacobus ſuſcipiebat alios, eo quod erat Epiſcopus Ieroſolymorum vbi hæc acta ſunt. Item ex eo quod Iacobus priùs nominatur,non ſequitur de neceſſitate, quod fuerit maior, quia nominare aliquem priùs, vel poſteriùs eſt actus voluntatis, & ideò non eſt ſumendum argumentum ex prioritate ſcripturæ, l. ſecunda §. priùs ibi Doct.ff. de vulgar. & pupill. capitulo mandato §. ſi verò, cum ſimilibus, de præbend. Item primum fundamentum Eccleſiæ poſt Chriſtum eſt Petrus, vt in dicto capitulo fidelior, & dico in loco ſupra allegato, cæteri autem Apoſtoli cum Petro,ſunt ſecundùm fundamentum poſt Chriſtum, vt ad Epheſios ſecundo, & Apocal. 21. & dixi in loco prææalleg. Ad quadrage-
270 ſimumſecundum dicendum eſt quod ex hoc quod ſemel per Papam determinatum iterum in Concilio cum Papa confirmatur,vel determinatur, non ſequitur quod Concil. ſit maius Papa, tum quia Papa eſt caput Concilij, & ei aſcribitur confirmatio,

tio, tum quia sæpiùs benè innouata placebunt, vt in capitulo secundo iuncta glos. de treu. & pa. vbi enim per primum actum non est satisfactum menti disponentis, actus iterari potest, l. fideicommissa §. si quis 10. ibi Bald. ff. de legat. 3. Iteratio autem examinis per noua Concilia in casibus allegatis in contrario, oriebatur ex noua, siue iterata hæreticorum fidei impugnatione, & ideò noua Conciliari damnatione opus erat, vt patet in gestis Chalcedon. & Constantinopolitani Concilij. Item etiam in dictis Concilijs tractabatur causa fidei, ideò non mirum si causæ examinabantur in Concilijs, quo casu præferri potest sententia Concilij sententiæ Papæ, vt dictum est in propria quæstione. Vnde per prædicta non probatur quod Concilium sit maius, si in vtroque actu interuenit auctoritas Papę, immò videtur probari contrarium, quia sine Papa nihil statuisset. Ad quadragesimumtertium de gestis in octaua Synodo, respondetur quod canonibus conciliaribus continentibus normam rectè viuendi, & fi-
271 dei firmitatem, & præsidente Papa editis standum est, & Papa illos tueri debet, & venerari, nec aliquid contra illos statuere, vtpote à sanctis Patribus Spiritu Sancto plenis sancitos, vt dicitur in cap. sexta, & cap. sicut, & cap. sancta. 15. dist. ad quod vide quod dico in principio libri de octaua Synodo Constantinopolitana. Hoc autem ideò est, quia continent fidem, contra quam Papa non potest statuere, nec quiuis alius, hoc autem non diminuit potestatem Papæ, quæ est ad ædificationem fidei, quam tueri debet vsque ad sanguinem, capitulo sunt quidam 25. qu. 1. Ad quadragesimum
272 quartum de auctoritate Euangelica, quæ videtur prohibere dominatum, respondetur, quod illa auctoritas non prohibet, ne vnus præferatur cæteris, quia cùm tunc Apostoli ignorarent quis ipsorum esset futurus maior, idest aptior ad præsidendum, orta inter eos discordia Christus respondet quod ille est maior, qui est humilior, per contrarium ad terrenam dominationem. Et contentio inter eos erat de exhibitione reuerentiæ, quam quilibet alteri exhibere intendebat. Et text. Luc. vigesimosecundo ostendit, quod volebat, vt vnus esset maior, cum dicit, vos autem non sic, sed qui maior est in vobis fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut ministrator. Ecce quod præsupponit vnum præceptorem, & maiorem alijs. Vnde Christus per illa verba non docuit Apostolos, vt singuli reputarent se singulis minores inferioritate officij, seu auctoritate, sed vt quantò aliquis esset maior, tantò esset humilior, iuxta illud Ecclesi. 3. quantò maior es, tantò magis te humilia in omnibus capitulo olim 95. distinctione capitulo disciplina 45. distin. Et de dictis auctoritatibus vide quod latiùs dico in responsione ad 23. contrarium, in versiculum ad illud de contentione inter Apostolos, &c. Et quo ad capitulum loquitur & capitulo in nouo, vide quod latè dico in responsione ad 18. contrarium, in versiculo, & sic etiam datur responsio. Ad quadragesimumquintum de capitulo de quibus 20. distinct. respondeo non esse absonum, quod priùs ponantur canones Con-
273 ciliorum, quia illi reperiuntur editi cum Papa, vel eius auctoritate cum maiori maturitate, & cum iudicio plurium, nam faciliùs inuenitur, quod à pluribus senioribus quæritur, vt ibi dicit tex. Et si opponatur quod dicitur canones Apostolorum debere præferri decretis summorum Pontificum cùm tamen Papa sit maior Apostolo, & contra eum dispensat, vt 34. distinctione lector 82. distinct. presbyter, dicitur post glos. in capitulo proposuit de conces. præbend. & in capitulo sunt quidam, vigesimaquinta quæstione prima. Dicendum est quod cùm text. ibi loquatur de scriptis Apostolorum & sanctorum Patrum in Concilio statuentium, & vt dicit ibi Dominicus non est absonum quod primò recurramus ad canones, qui simul cum Petro capite Apostolorum editi reperiuntur, quàm ad decretales vnius Pontificis sine Concilio editas. Nec ex hoc sequitur maioritas Concilij ad Papam, quia illud facit non auctoritas Concilij solius sine Papa, quæ parum, aut nihil est sine Papa, vt 17. distinct. per tot. sed auctoritas Papæ præsidentis, vt in cap. significasti de elect.
274 Item videtur contrarium quod dicitur in capitulo de libellis ea, 20. distinctione, vbi dicitur quod in decisione causarum Ecclesiasticarum primò recurrendum est ad decretales Pontificum, quàm ad auctoritates Hieronymi, vel Augustini, & sic priùs ad decretales Papales, quàm ad dicta sanctorum Patrum, Dicendum est autem similiter, quod nulla est contrarietas, quia quod supra dicitur præponenda esse dicta sanctorum Patrum Apostolicorum, intelligitur de scriptis in Concilio editis propter auctoritatem Papæ, & plurimorum Patrum simul iudicantium, capitulum autem, de libellis, intelligitur de dictis, & scriptis Sanctorum priuatis, non Conciliariter editis. Item ad capitulum de
275 quibus, etiam respondetur, quod dato, quod priùs sit recurrendum ad statuta Conciliorum, non propterea sequitur, quod Concilium sit maius Papa, qui potest tollere statuta Conciliaria, vt in cap. vbi periculum iuncta glos. de elect. in 6. non autem è conuerso Concilium sine Papa, vt dictum est in propria quæst. Item loquitur de Concilijs, in quibus sancti Patres canones ediderunt, & ita sub nomine Apostolorum, quo vtitur ibi litera, intelliguntur Apostolici secundùm glos. & Doctor. ibi nec est absonum, quod priùs recurramus ad illa statuta si per Papã, vt decretales epistolas Pontificum non reperiuntur improbata, & maximè in ijs, quæ non concernunt decisionem causarum, vt dicit gloss. in dicto capitulo de libellis. Item ibi text. solùm instruit, ad quas auctoritates sit in dubijs priùs recurrendum, & non decidit maioritatem. Et si dicitur priùs recurrendum ad Conciliaria statuta, quàm Summorum Pontificum, est quia, & in illis interuenit auctoritas Pontificalis, & propter iudicium plurium præferuntur constitutioni vnius Pontificis. Et licèt ibi

Doct.non dicant si canon Pontificalis non concernens quæstionem fidei contrariaretur Conciliari vter esset magis attendendus, tamen recurrendum esset ad materiam l. sed & posteriores ff. de legibus, & cap.1. de constit. in 6. ad hoc, quod dicitur in cap.non debet, de consan. & affin. & dicitur infra in immediatè sequenti solutione. Ad quadragesimumsextum respon-
276 detur, quod ista ratio non est bona, quia immo non esset frustratoria congregatio, nam videmus, quod etiam Conciliaria ob varietatem temporum reperiuntur reuocata per alia Concilia, vt in cap. non debet de consan. & affin. & tamen ante reuocationem illa antiqua statuta non erant frustratoria, quia iuxta varietatem locorum temporum, & hominum etiam statuta variantur, vt 29. dist. cap. final. Ad quadra-
277 gesimumseptimum respondetur, quod immò Petrus successit Christo immediatè in administratione, & auctoritate vniuersalis Ecclesiæ, quia fuit eius Vicarius vniuersalis, vt in cap. penult. & fin. de translat. Prælat. cum simil. Et ipse magis adhæsit Christo, vt patet Matth. 16. Et Hierosolymitana Ecclesia est inferior Romana, cui præfuit Petrus, vt est in cap. antiqua de priuil. Et idem dicitur de Antiochena, licèt illi priùs præfuerit, vt in cap. rogamus 24. quæst.1. Item motiuum non concludit, quod Concilium sit maius Papa, sed quod Ecclesia Hierosolymitana fuerit priùs, quàm Romana, ex quo non sequitur, quod sit maior, sicut nec, quod Concilium sit maius Papa, vt dictum est. Et in hoc datur instantia, quia antiquitus Alexandrina Ecclesia erat prima post Romanam posteà autem fuit ei præposita Constantinopolitana, vt in cap. Constantinopolitana, & cap. renouantes distinct.22. & gloss. ibi in summa, & in cap. antiqua de priuil. In quibus iuribus etiam patet, quod Hierosolymitana tenet vltimum locum inter Sedes Patriarchales. Ad quadragesimum-
278 octauum dicendum est, quod Rex habet superiorem, Papa autem non habet superiorem, & Cardinales habent ius eligendi sed non destituendi dicto capitulo licèt de electione, & capitulo in nomine Domini distinct.23. Et regulam, quæ habet, quod eius est destituere, cuius instituere, patitur multas fallentias, nec habet locum, quando ius instituendi competit aliquo iure speciali, vt dicunt Doct. in locis præallegatis vt istud motiuum quo ad Regem, meliùs conuenit in articulo, quando Papa passim vendit beneficia, & monitus non vult desistere, & est incorrigibilis, vtrùm possit deponi per Concilium, & ibi pono in 20. contrario, Nec est verum, quod qui habet ius eligendi possit deponere capitulo in causis de electione maximè in Papa, qui statim postquam est electus habet ius administrandi dicto capitulo licèt, & capitulo in nomine Domini. Ad quadragesi-
279 mumnonum dicendum est, quod licèt Concilium iudicet Imperatorem non ex hoc sequitur, quod iudicet Papam, quia Papa iudicat Imperatorem, dicto capitulo ad Apostolicæ, de re iudic. in sexto, & capitulo venerabilem, de electione, & capitulo duo sunt quippe distinct.96. Nec est verum, quod Imperator habeat potestatem in Papam, vt in capitulo si Imperator, & capitulo satis euidenter, & capitulo cùm ad verum eadem distinctione. Non obstat auctoritas Ioann.19. quia illa ostendit contrarium, quod Pilatus nullam habebat potestatem in Christum, quia ostendit, quod ex permissione Dei illud erat non ex propria Pilati potestate. Vnde dicit ibi Hugo Cardin. quod Dominus per dicta verba humiliat Pilati de potestate iactantiam, & ostendit, quod mors sua non est secundùm aliorum morientium consequentiam, qui velint nolint moriuntur, sed sua voluntate, & Dei ordinatione. Et dictionem desuper ibi positam exponit item à Deo, à quo potestas datur, sed abusio potestatis non datur, sed permittitur ad Roman.13. Et gloss. etiam Nicol. ibidem super illud, nisi tibi datum esset desuper, dicit item à Principibus Romanorum, & vlteriùs permissum à Deo qui est potestas superior, & ex hoc arguit eius peccatum, quia non acceperat potestatem à Cæsare, nec à Deo condemnandi innoxios, sed magis liberandi eos. Ad capitul. Constanti-
280 nus, respondetur, quod non probat, quod potestas Papæ sit ab Imperatore, quia est à Deo capitulo nouit, de iudic. & capitulo solitæ de maior. & obed. in extrauag. vnam sanctam. Et potestas vtriusque gladij, materialis, & spiritualis est in Papa, vt in dicta extrauag. vnam sanctam, & dicitur in dicto capitulo nouit, & in capitulo causam quæ il secundo qui filij sint legitimi, & in capit. quoniam distinct. 10. & in capit. licèt ex suscepto, de foro competenti. Temporalem autem gladium Papa exercet per Imperatorem, vt dicto capitulo quoniam distinct.10. & dicto capitulo cùm ad verum, & dicto capitulo si Imperator, dist.96. de quo latiùs infra in propria quæstione. Item ad capitul. Constantinus dicendum est, quod Constantinus non instituit ius aliquod de nouo, quod priùs non haberet Ecclesia, quia antequam esset Constantinus, Papa habuit Primatum à Deo concessum per illud pasce oues meas Ioannis vltimo, & supra dictum est. Vnde Constantinus est solùm executus, quod à Christo concessum fuerat, quia Papa, & eius potestas maior est Imperiali, nam quantò spiritualis vita dignior est, quàm terrena, & spiritus, quàm corpus, tantò spiritualis potestas terrenam potestatem, siue secularem honore, & dignitate præcellit, vt dicit Hugo, de S. Vict. in lib.2. de sacrament. in cap.4. Et sicut non potest spiritus dependere à corpore, nec Sol à Luna, ita nec potestas spiritualis à temporali, pro hoc textu in capitulo solitæ, de maioritate, & obedientia.

Quinimmò spiritualis potestas iudicat secularem, vt in capitulo licèt ex suscepto de foro competent. & in capitulo quis dubitet cum duobus seqq. distinct.96. & capitulo venerabilem, de electione cum si ipsa autem à nemine potest iudicari, nisi à Deo vt in capitulo aliorum, & capitulo nemo,

& capitulo ipsi,& capitulo cuncta per mundum 9. quæst. 3. Vnde, vt tactum est, Constantinus, non tam dicitur concessisse Ecclesiæ, & Pontificibus priuilegia, quàm iam concessa, & à Deo data promulgasse. Propter quod Marsilius de Padua, qui voluit, quod Papalis potestas, & dignitas habuerit ortum ab Imperiali, fuit damnatus per extrauagantem Ioann. 22. & postea in Concilio Constantien. damnatus fuit Ioannes Huss, qui fuit in eodem errore cum Marsilio. Ad illud, quod dicitur de Abiathar, dicendum est, quod non tam fuit eiectus, & amotus à Salomone, quàm à Deo quia illud fuit factum nutu, & voluntate Dei, vt patet ex dicto cap. 2. 3. Regum, vbi dicitur eiecit ergo Salomon Abiathar vt non esset sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem loquutus est super domum Heli in Silo, qui sermo fuerat, quod deijceretur à sacerdotio. Et multa similia in veteri lege, voluntate Dei contra aliquos Summos Sacerdotes de facto in pœnam fa-
281 cta leguntur. Ad illud de tributo respondetur, quod Papa non soluit tributum Imperatori in signum recognitionis dominij, sed solùm pro pace, & quiete Ecclesiæ seruanda, quam Imperator tenetur tueri, & conseruare, vt in c. tributem 23. qu. 8. Nec de omnibus soluit tributum Imperatori, quia non de oblationibus, & primitijs, sed solùm de exterioribus bonis, primùm tributo ascriptis, & per Principes seculares Ecclesiæ concessis, vt ibi dicunt Doctores.

Nec per hoc arguitur maioritas, cùm & Christus soluerit tributum, vt patet Matth. 17. Nec fit solutio ratione personæ, quod ponderat ibi text. quia non iussit Dominus solui piscem, sed staterem in ore piscis inuentum. Et subijcit, quia non Ecclesia dari Imperatori, non Pontificalis apex, qui in ore capitis Ecclesiæ præeminet subijci potest Regibus. Quinimmò tex. Euangelij ostendit, quod Christus soluit tributum, & didrachma, non quod teneretur, sed vt non scandalizaret eos, qui illa colligebant, vt patet Matth. 17. Ad quinquage-
282 simum dicendum est, quod sicut Petrus fuit constitutus Vicarius Iesu Christi, & ipsius vicem gessit in terris, sic & Romanus Pontifex gerit vicem Dei in terris, vt in cap. quanto, & in cap. fin. de translat. Prælat. & in cap. 1. vt Eccles. benefic. & in capit. fundamenta, de elect. in 6. & in cap. ad Apostolicæ, de re iudic. in 6. & in cap. 1. de homic. eodem lib. cum similibus. Quod autem dicitur, quod Papa dicitur Vicarius Petri in dicto capit. ego Ludouicus, cum alijs allegatis, illud dicitur quadam impropria locutione. Dicitur enim Vicarius Petri, idest eius successor, vel gerens Vicariã, quam gessit Petrus. Cùm enim Petrus fuerit Vicarius Iesu Christi, non potuit dare alium Vicarium sibi similem, vt in capit. Clericos, de offic. Vicar. & Cardin. in Clementina 1. quæst. 11. de offic. Vicar. Vndè Papa non propriè dicitur Vicarius beati Petri, cùm parem habeat potestatem, quam habuit Petrus, nàm quod Deus dixit ad Petrum, quodcumque ligaueris, &c. Et in Petro dixit ad successores, vt in cap. solitæ, de maior. & obedient. & hoc dicit text. in dicto cap. 1. de homic. in 6. Ad id autem, quod dicitur, quod Petrus habuit primatum ab Apostolis, dicendum est, quod illud est verum voluntate consequutiua, & acceptante dispositionem Christi, qui ei immediatè, & principaliter dedit primatum, vt in capit. ità Dominus dist. 19. & in cap. omnes, & in cap. sacrosancta dist. 22. vbi dicitur, quod Petrus immediatus à Christo, & non ab Apostolis primatum accepit. Vndè dicit ibi textus inter Apostolos quædam fuit discretio potestatis, & licèt omnes essent Apostoli, Petro tamen concessum est à Domino, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, &c. Et benè ostenditur Matth. 18. vbi Discipuli interrogant Dominum, quisnam sit maior in Regno Cœlorum, & vbi narratur contentio inter eos, quis ipsorum esset maior. Vndè dicendum est, quod Apostoli dederunt Petro primatum, non disponendo, aut eligendo, non voluntate antecedente, & causante, sed voluntate obsequente, & acceptante. Facit, quod dicitur in quæstione vtrùm Papa receperit potestatem à Concilijs. Ad quin-
283 quagesimumprimum de auctoritate, Matth. vlt. responsum est supra in solutione 18. contrarij. Et ad illud, quod Papa potest errare, respondi in solutione 9. contrarij. Ad alia omnia, quæ sequuntur, vide quod latè dixi in quæstione, vtrùm Ecclesiæ vniuersali fuerit data aliqua potestas clauium, & quæ, & qualis, maximè in 8. & 15. motiuo pro Papa. Et ibi ostendo, quod plenitudo potestatis est in Papa, & non in Ecclesia principaliter, vt aliqui voluerunt, & quod status monarchicus præferendus est aristocratico. Pro quo etiam faciunt, quæ dicta sunt in illo artic. vtrùm Concilium sede vacante possit exercere reseruata Papæ. Ad illud autem, quod
284 dicitur, quod quia ista plenitudo potestatis, est separabilis à persona Papæ, vt sede vacante, vel antequam eligatur, vel facta depositione, propterea non necessariò, sed contigenter dicitur ei inesse, dicendum est, quod istud est falsum, quia immò principaliter, & necessariò est in Papa ista plenitudo potestatis, & non contingenter.

Nec est verũ, quod sit separabilis à persona Papæ, quia hoc ipso, quod aliquis est Papa, & successor Petri, inseparabiliter habet plenitudinem potestatis datam Petro à Deo, vt in capitulo ad honorem, de auctorit. & vsu pal. & distinct. 2. quæst. 6. decreto, & capitulo qui se scit, & in Clementina pastoralis in fin. de re iudic. Nec ex eo, quod sedes vacat, aut Papa mortuus est, vel depositus, dicitur plenitudo potestatis separari à persona Papæ, sed potiùs illius persona extingui. Nec per mortem Papæ fit, quando Ecclesia remaneat, & dicatur terribilis, & vt castrorum acies ordinata, idest per charitatem vnita, & numquam interrupta, secundùm gloss. interlin. super illud Cantic. 6. quia per vnitatem charitatis compacta, nullum locum aperit per malum discordiæ hominibus,

Gggg 2 idest

idest hæreticis, vel immundis spiritibus, secundùm gloss. ordin. ibid. Sicut nec per mortem aliorum Prælatorum, & cæterorum de isto corpore mystico Ecclesiæ, qui quotidiè moriuntur, Ecclesia desinit esse, vt castrorum acies ordinata, sicut etiam in simili dicimus, quod eadem est vniuersitas, & collegium, licèt successiuè omnes sint mortui, & alij surrogati, leg. sicut, §. final. ff. quod cuiusque vniu. nom. & ead. nauis, licèt sæpiùs instaurata, & idem grex, &c. vt in leg. proponebatur, ff. de iudic. Et secundùm Hugonem, Ecclesia dicitur terribilis hæreticis, impijs, & spiritibus immundis, ex numero, & fortitudine bellatorum, ex longo vsu armorum, ex fidelitate, & zelo, ac vnanimitate pugnantium ex præsidio Angelorum, & vt castrorum acies ordinata. Nàm in prima acie est ipse Rex cum suis Apostolis, in secunda exercitus Martyrum, in tertia cœtus Confessorum, postremò etiam in vltima parte aciei tempore Antichristi erunt robustissimi ex omnibus generibus electorum. Vnde ex his apparet, quod per obitum Papæ Ecclesia non desinit esse, vt castrorum acies ordinata. Item secundùm Hugonem illa auctoritas potest intelligi de Beata Virgine, ad cuius memoriam dæmones contremiscunt.

Et si rectè aduertatur, istud motiuum si esset validum, ita militaret contra Concilium, sicut contra Papam, nam si in Concilio esset potestatis plenitudo, quia esset etiam ab eo separabilis contingenter ei inesset, & non necessariò, quia dissoluto Concilio diceretur plenitudo potestatis separari à Concilio, si autem abinuicem separari possunt, sequitur quod quamdiù manet, non necessariò, sed contingenter inest. Ideò dicimus, quod in Papa tantùm necessariò, & principaliter est potestatis plenitudo, & sic non in Concilio, nisi à Papa, & contingenter, vt patet per rationes adductas in præallegata quæstione, ad quam recurre. Et cum quærimus an Papa sit maior Concilio non quæritur de persona Papæ separata ab auctoritate dignitate Papali, sed simul vnita, nam cum dicimus verum Papam, dicimus non purum hominem, vt in capit. quanto, de translat. Prælat. quia non potest esse verus Papa sine Papali potestate, nisi de facto, & violenter; & ponere personam Papæ separatam à potestate Papali, est ponere quid Chimericum, & impossibile. Et si mortuus est Papa, non propterea est mortua dignitas Papatus capitulo si gratiosè, de rescriptis in sexto. Vnde propriè loquendo plenitudo potestatis non potest dici esse in Concilio, nisi contingenter, & à Papa, quia non semper tenetur Concilium in quo debet esse caput Papa, non sic in Papatu, qui semper est necessariùs in Ecclesia, vt ductor, & gubernator, & caput, & pastor ipsius, iuxta illud Ioan. vigesimoprimo, pasce oues meas. Vnde Papæ inest necessariò plenitudo potestatis licèt aliquando vsus istius plenitudinis potestatis quiescat, vt Papa mortuo, & quando viuit, quia non semper, nec in omnibus vtitur ista plenitudine potestatis.

Ad quinquagesimumsecundum responsum
285 est in solutione septimi contrarij, & in solutione duodecimi, & 36. vbi respondetur ad cap. primæ sedis, & cap. ecce. Licèt enim Ecclesia Romana non sit Ecclesia vniuersalis, sed de vniuerso, Papa tamen benè est vniuersalis Pontifex, in capitulo in nomine Domini, distinct. 23. & in cap. fœlicis in gloss. fin. de pœnis in 6. Item Romana Ecclesia licèt non sit vniuersalis, vt in dicto cap. quamuis dist. 21. & in capit. sacrosancta distinct. 22. & in capitulo rogamus, 24. qu. 1. cum simil. est tamen caput aliarum Ecclesiarum, vt in capit. 1. & 2. distinct. 32. Ad quinquagesimumter-
286 tium de cap. Constantinus, respondetur in responsione ad 49. contrarium. Et quamuis Imperatores multa statuerint in fauorem summorum Pontificum non sequitur ex hoc, quod fuerint maiores Papa in potestate, licèt de facto essent potentiores in temporalibus, ad hoc text. & ibi dicta in capitulo nouit. de iudic. in capitulo causam, quæ el secundo, qui filij sint legit. & in capitulo solitæ, de maiorit. & obedient. ipsis enim manet necessitas obsequendi non auctoritas imperandi. vt potest inspici per totam illam distinct. 96. à capit. benè quidem vsque ad fin. Nec Romani Pontifices tenentur recipere institutiones, & sanctiones Imperatorum, nisi velint, vt in dictis iuribus, pro hoc est, quod dicitur in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ de constitutio. Vnde non contulerunt in Romanam Ecclesiam aliquam potestatem, sed à Christo datam confirmarunt, & declararunt, ad hoc epistola inter duas claras, C. de Summa Trinitate, & ibi dicta, & quod dicitur maximè per Albericum in leg. benè à Zenone, C. de quadrien. præscript. in quæstione de donatione facta per Constantinum Ecclesiæ, de qua infra in vltima quæstione, vbi plenè concordantes. Ad quinquagesimumquar-
287 tum dicitur, quod tanta est auctoritas Ecclesiæ, & iudicium eius, vt in ijs, quæ sunt fidei aliquando etiam præferri possit sententiæ Papæ, vt dictum est in quæstione, quæ sententia præferatur, Papæ ne an Concilij, ad hoc text. in dicto cap. sicut sancti, dist. 15. Sed ex hoc non sequitur, quod Concilium sit maius Papa, quia Papa est caput Concilij, & vniuersalis Ecclesiæ, vt dictum est in responsione ad 52. Et cùm August. & auctoritates allegatæ loquuntur de auctoritate Ecclesiæ, loquuntur consequenter de Papa capite, & principaliori parte ipsius Ecclesiæ. Quinimmò, nec Concilium potest sine auctoritate Papæ definire, etiam in ijs, quæ sunt fidei, vt dicit sanctus Thomas in secunda secundæ, qu. 1. art. decimo, ad idem, quod dicitur in capitulo maiores, de baptism. 24. qu. 1. hæc est fides, & cap. quoniam vetus, & cap. quoties. Et Papa est maior Paulo, & cæteris Apostolis, vt dicit Innocen. in cap. super eo, de bigamis, ipse enim, vt supra dictum est, dispensat contra Apostolum, vt dist. 34. lector, 82. dist. presbyter, dicitur post gloss. in capit. proposuit, de concess. præbend. Licèt Gerson in 3. parte, in tit. de vidium, dixeri itamæ, in 7. corollario circa spiritualia tamen,

quod

quod non est in potestate Papæ, aut Concilij, aut Ecclesiæ immutare traditiones datas ab Euangelistis, & à Paulo. Quod credo intelligendum de traditionibus concernentibus fidem secundùm gloss. in cap. quæ ad perpetuam, 25. qu. prima ad quod text. & ibi Doct. in cap. sunt quidam eadem causa,& qu. in ijs enim,quæ sunt consilij, & non præcepti, vel quæ parabolicè dicta sunt, benè Papa dispensat contra Euangelium, vt in decimis, & in voto, & continentia sacerdotum dicit gloss. & Archidiaconus in dicto capit. quæ ad perpetuam. Et in dist. 7. Corollario Gerson post distinctos gradus legis diuinæ declarando dictum August. in tract. contra Epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti in 5. cap. videlicèt ego Euangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ auctoritas commoueret,dicit quod August. in dicta auctoritate sumit Ecclesiam pro primitiua congregatione fidelium eorum, qui Christum viderunt, & audierunt, & eius testes extiterunt. Quidam autem alij, vt est gloss. diui Aug. dicunt, quod Aug. videtur accipere, Ecclesiam pro tota Ecclesia cum suo capite, quod præcipit Euang. credere, & tunc sic est, vt constat, quod Ecclesia habet quicquid continetur in scriptura diuina in sua potestate, & sic documenta ibi data per August. non habent calumniam. Si autem inquiunt accipiatur Ecclesia strictè pro illa,quæ nunc est militans, tunc documenta data ibi per Aug. sunt accipienda quo ad nos tantùm, & non simpliciter in se, sicut est nobis euidentius Cœlum moueri, quàm Deum esse. Documenta autem Aug. quæ ibi per dict. gloss. colliguntur duo sunt, primum est, quod maior est auctoritas Ecclesiæ ad credendum, quàm diuinæ scripturæ, quia quamuis Euangelium sit præstantissimum inter omnia diuina scripta, ibi Aug. maiorem fidem adhibet Ecclesiæ.Secundùm documentum est,quod maior est potestas Ecclesiæ ad statuendum, quàm sit diuinæ scripturæ ad iudicandum, quia vbi maior auctoritas ibi maior spiritualis potestas. Vnde si rectè inspiciatur, iste intellectus ad dictum August. non discrepat ab intellectu Gersonis, quia cum dicit quod si accipitur Ecclesia pro tota Ecclesia cum suo capite, quod præcipit Euangelio credere, videtur loqui de capite Christo auctore eorum, quæ in Euangelijs continentur, alioquin frustra diceret dict. gloss. aliter intelligendum illud dictum de Ecclesia nunc militante. Vnde sensus eius videtur esse, quod intelligitur de Ecclesia illa primitiua, & congregatione fidelium illorum, qui Christum viderunt, & eius testes extiterunt, vt dicit Gerson. Sed profectò, quid sibi velint isti in proposito restringentes Ecclesiam ad primitiuam, non capio, non enim ista hodierna militans aliud, quàm illa vult,cùm semper eadem firma immobilis, & immaculata permanserit, & in futuro permansura sit, vt dicit text. Hieron. in cap. hæc est fides, 24. quæst. 1. Quæ, vt in exordio normam fidei percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fidetenus manet,dicit text. in cap. à recta,24. qu.1. Quæ non potest errare, vt ibi dicitur, dicente Saluatore nostro, ego pro te oraui, vt non deficiat fides tua Luc. 22. Vnde dicta auctoritas August. videtur potiùs intelligenda simpliciter, vt iacet,ego Euangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas, quia propter Ecclesiam credidit Euangelio. Vnde ibidem statim subiungit, quibus ergò obtemperaui dicentibus credite Euangelio,cur eis non obtemperem dicentibus, mihi noli credere Manichæo. Vnde, quia Christus dicit Marc. 1. impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, resipiscite, & credite Euangelio, & Marc. 16. dixit Apostolis, euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, & Apostolus ad Rom. 1. dicit, Paulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus segregatus in Euangelium Dei, & 1. ad Corinth. 15. notum vobis facio fratres Euangelium, quod prædicaui vobis, quod, & accepistis, in quo, & statis per quod, & saluamini, & ad Galat. 1. notum vobis facio fratres Euangelium,quod Euãgelizatum est à me, quod non est secundùm hominem, neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi, & Act. 15. surgens Petrus dixit viri fratres vos scitis, quod ab antiquis diebus in nobis elegit Deus, vt per os meum audirent gentes verbum Euangelij, & crederent, & Act. 20. dicit Paulus dummodò consumem cursum meum cum gaudio, & ministerium, quod accepi à Domino Iesu ad testificandum Euangelium gratiæ Dei, cuius libri auctoritati credendum est, sicut Euangelio, vt idem August. dicit in dict. 5. cap. contra epistolam fundamenti dicit enim, in Apostolorũ actibus legimus, cui libro necesse est me credere, si credo Euangelio, quoniam vtramque scripturam similiter mihi Catholica commendat auctoritas, propter istas auctoritates Ecclesiæ, & similes, dicit Aug. se commoueri ad credendum Euangelio, ne videatur credere omnibus Euangelijs, quorum aliqua sunt apocrypha, & non ab Ecclesia approbata, vt sunt Euangelia Thaddæi, & Euangelia Thomæ, quibus Manichæi vtebantur, vt in capitulo sancta Romana in 5. Euangelia, distinct. 15. Vnde sanctus Ambrosius super Lucam in princip. dicit, multi Euangelia scribere conati sunt, quæ boni nummularij non probauerunt, vnum autem in quatuor libros digestum ex omnibus arbitrati sunt eligendum. De quo loquitur Augustinus, qui non dicit Euangelijs, sed Euangelio, vt ostendat se loqui de Euangelio Catholicæ Ecclesiæ. Alia autem plura Euangelia apocrypha connumerat Ambrosius ibi supra. Et quod iste sit sensus prædictæ auctoritatis Augustin. simpliciter intelligendo de Ecclesia, & non de Ecclesia restricta ad primitiuam congregationem Fidelium, vt dicit Gerson, patet ex supradictis eius verbis, cùm dicit, ego Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas, quibus ego obtemperaui dicentibus credite Euangelio, cur eis non obtemperem dicen-

dicentibus mihi noli credere Manichæo? Ecce, quod non tantùm loquitur de primitiua congregatione Fidelium, qui Christum viderunt, & audiuerunt, cùm hæresis Manichæi pullulauerit tempore Probi Imperatoris, vt legitur in historia Martiniana cap. 180. qui fuit longè post Christum; & sic dictum Augustin. intelligendum est simpliciter de Ecclesia Militanti; & est simile, quod dicit sanctus Gregorius in capit. sicut Sancti dist. 15. vbi dicit, sicut Sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor, Nicænum scilicet,&c.

Nec Augustinus per hoc, quod dicit se credere Euangelio propter Ecclesiæ auctoritatem, facit Ecclesiam, siue Concilium maius Papa, tùm quia illud intelligitur de Ecclesia simùl cum Papa, tùm quia loquitur de concernentibus fidem, sicut in simili aliàs responsum est supra ad capit. sicut Sancti. Augustinus enim impugnabat epistolam fundamenti hæresis Manichæorum. Et isto modo potest responderi ad omnia adducta in isto 54. contrario, fatendo, quod ad Ecclesiam spectat declarare sensum reuelationum, & canonum Bibliæ, & quod Doctores submittunt se iudicio Ecclesiæ, & quod doctrinæ Ecclesiæ infallibiliter est credendum. Sed hæ auctoritates etiam loquuntur in materia fidei. Nec ex hoc sequitur, quod maius sit Concilium, quàm Papa, quia omnia præmissa intelliguntur de Ecclesia vnita cum Papa, capit. loquitur dist. 24. quæst. 1. Similiter conceditur, quod Ecclesia est vnita Christo spiritualiter vt sponsa, & coniux, & dilecta à Deo magis, quàm Synagoga; sed ex hoc non sequitur, quod Ecclesia sit maior Papa, quia, vt aliàs dictum est, nos loquimur de maioritate iurisdictionis, & administrationis, in qua non consideratur dilectio, aut coniunctio. Facit ad hoc ille text. in capit. noua, de pœnit. & remiss. Et omnes auctoritates demonstrantes excellentiam Ecclesiæ conceduntur, quia Ecclesia est in Papa, & Papa in Ecclesia, vt dictum est, nec ex illis sequitur, quod Ecclesia sit maior, quàm Papa, nisi in causis fidei; immò ex illis demonstratur magnitudo Papæ, qui est caput Ecclesiæ; nec obstat Ecclesia est vnita spiritualiter Christo, sicut vxor viro, qui sunt duo in carne vna, quia Christus constituit Petrum, & Successores eius caput huius Ecclesiæ. Ad auctoritates

287 Apostoli respondetur, quod non inferunt, quod Concilium sit maius Papa. Et primò ad illam ex epistola ad Ephes. 3. respondetur, quod ibi Apostolus volens ostendere à quo, & ad quid, & per quem vocati fuissent ipse, & alij Apostoli, dicit mihi, enim omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc in gentibus euangelizare inperuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio mysterij absconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit, vt innotescat principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei secundùm præfinitionem seculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro, quasi dicat, non solùm hominibus fuit absconditum Christi mysterium, & maximè de vocatione gentium, sed etiam Angeli non cognouerunt ad plenum, donec prædicantibus Apostolis fuit adimpletum. Vndè glossa ordin. ibi super verbum in cælestibus, supplendo dicit, quia ibi primitùs Ecclesia fuit, quo post resurrectionem, & ista Ecclesia congreganda est, vt simus æquales Angelis Dei, & quod dicit Apostolus per Ecclesiam, idest per ea, quæ dicta, & facta sunt per Apostolorum prædicationem. Dicit tamen ibi glossa Nicolai, quod dictio per, non importat hìc causalitatem, sic intelligendo, quod Apostoli docuerint Angelos de Christi mysterijs, sed è conuerso Angeli docerunt eos, per quos diuinæ reuelationes deferuntur ad homines, sed sic intelligendum est, quod Apostolis prædicantibus viderunt actu conuersionem gentium ad fidem, quam ante sic non viderant intuitiuè. Vnde prædicta auctoritas modicum facit ad quæstionem, de qua est sermo. Similiter ad se-

288 cundam auctoritatem Apostoli primæ ad Corinth. 6. dicitur, quod ibi Apostolus, quia Corinthij contra fidei priuilegia spretis iudicijs, & sententijs Ecclesiasticis secularia fora, & gentilium leges sequebantur, Ideò aduersùs illos scribit an nescitis, quod sancti, item fideles perfecti, mundum iudicabunt, erunt enim assessores iudicis Matthæi 19. sedebitis, & vos super Sedes duodecim iudicantes, &c. Et si in vobis, idest per vos, iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis, quasi dicat per consequens multò magis digni estis iudicare huiusmodi temporalia negocia, quæ comparatiuè sunt quædam minima, Et subiungit, nescitis quod Angelos iudicabimus, scilicèt approbando sententiam iudicis de punitione malorum angelorum, nam vt dicitur Ioan. 16. princeps huius mundi iam iudicatus est scilicet iudicio definitionis, sed nondum iudicatus est iudicio pronunciationis secundùm Hugo. Card. vt vel dicit glo. Nico. licèt Angeli mali habuerint suum principale iudicium à principio mūdi, tamen de hominibus, quod ad malum incitauerunt recipient pœnam, & secundùm hoc dicuntur etiam iudicandi à sanctis viris per approbationem sententiæ iudicis. Et subiungitur, secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia illos constituite ad iudicandum quia vt dicit ibi Nicol. frequenter contingit, vt illi qui parū sciunt de spiritualibus clariùs videant in temporalibus, propter quod talibus sunt occupandi, vt sapientes in spiritualibus, doctrinæ vacent, & contemplationi, sic enim fecerunt Apostoli act. 9. constituentes Diaconos circa temporalia, vt presbyteri liberiùs vacarent spiritualibus. Vndè ibi glos. ordinar. Augustini dicit, sapientes igitur, quod in locis consistebant fideles, & Sancti, non qui huc, atque illuc propter Euangelium discurrebant, talium negociorum examinatores esse voluit, à quibus excusare nos non possumus etiam si velimus, Christum enim testem inuoco, quod mallem per singulos

dies

dies certis horis aliquid manibus operari, & cæteras horas habere liberas ad legendum, & orandum, vel ad agendum aliquid de diuinis literis, quàm tumultuosissimas perplexitates causarum pati de negocijs secularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis.

Vndè patet ex his, quod auctoritas Apostoli non concludit maioritatem Concilij ad Papam, cùm etiam inferiores Episcopis, qui sunt loco Apostolorum, quotidiè iudicent malos Angelos eos exorcizando, vt de consecr. dist. 4. cap. siue paruuli, &c. sicut nostris, & de cogna. spirituali. cap. 2. in 6. & cap. fi. ibi glo. de consecrat. Eccles. vel
290 altar. Ad quinguagesimumquintum, & ad quinqnagesimumsextum colligitur responsio ex dictis in octauo motiuo pro maioritate Papæ, vbi ostenditur maioritas Petri ad alios Apostolos, & ex dictis supra in 15. motiuo pro Papa, & ex responsione Superiùs data ad octauum motiuum, vbi euacuantur omnia, quæ dicuntur in isto. 56. contrario. Et in dictis locis apparet qualis fuerit illa suprema potestas data Apostolis, & ibidem respondetur ad auctoritates hìc adductas, quæ pro maiori parte tendunt ad ostendendum dignitatem, & præeminentiam Apostolorum, sed non ostendunt, quod Apostoli haberent potestatem, aut iurisdictionem iudicandi de Petro, qui erat eorum caput, & Princeps, & dum ostendunt præeminentiam Apostolorum, ostendunt & Petri præeminentiam, qui erat vnus, & caput eorum, & virtualiter Papæ, qui succedit Petro, vt in capit. 1. de homi. in 6. & cap. solitæ, cum simil. de maiorit. & obedientiæ. Nec aliqua dictarum auctoritatum demonstrat Apostolos fuisse Petro in aliquo prælatos. Et his auctoritatibus hìc adductis quarum aliquæ etiam supra in alijs motiuis adductæ sunt ad corroborationem, vt in 17. 18. 19. 20. 21. & 22. ibidem etiam responde-
291 tur. Ad text. in cap. per venerabilem, qui filij sint legit. dicendum est, quod ex illo non probatur, quod Concilium sit maius Papa, quamtumcumque in illo text. ex auctoritate Deuteron. 17. inferatur quod Sacerdotes leuitici generis sunt Episcopi, & Cardinales, qui habent iudicare difficiles causas.

Quinimmò ex illa auctoritate innuitur potiùs contrarium, quod Papa sit maior, tum ex eo, quod Sacerdotes leuitici generis dicit esse coadiutores Papæ, & vocatos in partem sollicitudinis, tum ex verbis Deuteron. ibi qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur. Per quem Sacerdotem Doctor. ibi intelligunt Papam, cùm ex illo text. colligunt Papam habere imperium, ex quo colligitur, quod iudicium Papæ est supra omnia alia iudicia. Et glo. Nicolai super auctoritatem adductam ex Deutero 17. in verbo surge, & ascende, dicit, in his casibus, & consimilibus recurrendum est ad superiores iudices scilicèt ad summum Sacerdotem, & iudicem populi Israel, & aliquando contingebat, quod vtrumque officium in vnam personam concurrere, sicut patet de Hely. 1. regum. 4. sed vt plurimum erant distinctæ personæ sicut, & officia, & in quibusdam quidem causis habebatur recursus ad vtrumque coniunctim, in quibusdam verò diuisim ad alterum eorum, vt in spiritualibus ad summum Sacerdotem, & in temporalibus ad iudicem, & ex hoc inoleuit consuetudo, quod ab inferioribus iudicibus Ecclesiasticis appellatur ad summum Pontificem, & ab inferioribus Principibus, & Iudicibus secularibus ad Regem, seù Imperatorem, vt etiam dicit Hugo. Cardin. ibidem. Ad idem etiam glo. ordi. in verbo Sacerdotis Imperio, quæ dicit, hoc est Christi, qui est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec, qui Vicarios sibi substituit, quibus ait, qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. Imò, & Rex clarè ostendit superioritatem Papæ, cum dicit venies ad Sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quod exponit glos. interli. & Hugo Card. ibi ad iudicem, idem Pontificem, vnde præponit
292 Pontificem alijs. Illud psal. 44. constitues eos Principes super omnem terram glo. Nico. exponit scilicet in spiritualibus, quia constituti sunt Episcopi per diuersas orbis partes, vt ibi dicit. vndè ex dicta auctoritate non colligitur, quod maiores sint Episcopi congregati, siuè Concilium ipso
293 Papa. Ad id quod adducitur ex S. Tho. in secunda secundæ qu. 87. art. 1. respondetur quod ex hoc, quod præceptum de solutione decimarum continetur in doctrina Apostolorum, & in hoc præcepto non potest dispensari per Papam, non sequitur, quod Episcopi, qui successerunt in locum Apostolorum, & consequenter Concilium sit maius Papa. Nam illud præceptum Apostolorum non tantùm est ab Apostolis, sed etiam de iure diuino in veteri lege, vt patet exo. 22. leui. 27. num. 18. & Deut. 12. vt ponunt Canonistæ in cap. 1. & capitulo in aliquibus, & in rub. de deci. Et similiter ex præcepto Euangelij, vt dicit ibi S. Tho. & allegat Matth. 10. capitulo, & Apostolum primæ ad Corin. 6. Vndè hoc præceptum, non tam est Apostolorum ex primordiali institutione, quàm ex confirmatione, & demonstratiua prædicatione, quod præceptum etiam est Romanorum Pontificum in infinitis iuribus. Et si Papa non potest in hoc præcepto dispensare, non sequitur, quod propterea sit inferior Concilio; quia multa sunt præcepta Apostoli, in quibus non dispensatur, vt puta quæ obligant semper, & ad semper 15. quæst. prima, cap. sunt quidam, & tamen ex hoc non sequitur, quod Papa non sit maior Episcopis, & consequenter Concilio, quia dispensatio non debet esse dissipatio, sicut enim dicit Apostolis potestas est data non ad destructionem, sed ad constructionem 2. ad Corinthios 10. & 13. Tollere autem penitùs præceptum de soluendis decimis esset destruere, & non construere, & esset directè contra Papalem potestatem, quæ est ad construendum, & conseruandum Dei præcepta. Et licèt Papa non dispenset tollen-

do

do ius decimandi, nec Concilium etiam
potest illud tollere, nec in eo dispensare,
ex quo magis arguitur minoritas Concilij,
& maioritas Papæ, qui aliquo modo potest
limitare tale præceptum, quod non potest
facere Concilium. Quomodò autem etiam
circa præceptum de soluendis decimis li-
mitatiuè possit Papa dispensare, dicitur in
dicto capitulo à nobis de deci. & dixi ali-
quid supra in responsione ad 54. contra-
294 rium. Ad illud Matth. 5. vos estis sal
terræ, &c. Et illud Ioan. 15. ego sum vitis
vera, &c. Respondetur, quod ex hoc quod
dicta verba directa in Petrum, & alios Apo-
stolos, comprehendunt Petrum, & eius
successores, non sequitur si contingat ali-
quem ex successoribus Petri fieri sal. infa-
tuatum, seù vitem non ferentem fructum,
quod Concilium possit illum deponere, aut
amouere, sed seruanda sunt remedia quæ
supra adducta sunt in quæst. de Papa incor-
rigibili, quia licèt in eo habeat locum di-
ctum euangelicum, non tamen est, qui pos-
sit eum iudicare, vt in capitulo nemo 9.
qu. 3. cum sequ. quia non habet superio-
rem, vt in cap. licèt de elect. cùm simil. Et
ad hoc plenè supra dictum est in expositio-
ne auctoritatis Matth. 18. si peccauerit in
te frater tuus, &c. Ad priores auctoritates
Apostoli respondetur, quod illæ inferunt
excellentiam spiritualem datam Apostolis,
& nihil dicunt quod arguat maioritatem
Concilij ad Papam. Ad illud, quod infer-
tur ex dicto Apostoli 2. ad Corint. 10. quod
Apostolis data est potestas destruendi con-
silia, respondetur quod non sic simpliciter
intelligitur, sed de consilijs callidis, seù
fraudulentis dæmonum, & hominum, se-
cundùm glo. ordin. ibi. Quæ super verbum
munitionum dicit. munitiones sunt corda
infidelium, quæ diabolus obtinet, & munit
diuersis erroribus, ne verbum Dei possit in-
trare per fidem, &c. Quo ad aliàs autem
auctoritates, qualis fuerit suprema potestas
& iurisdictio data Apostolis, & Ecclesiæ, &
quomodo intelligenda sint, quæ ad hoc ad-
ducuntur, plenè discutitur in illo 8. & 15.
motiuo pro Papa. Ad illud, quod infertur
ex auctoritate Apostoli ad Ephe. 4. quod
commissio, quam ibi tangit Apostolus est
eadem cum illa Matth. vlti. & vltima facta
per Christum, & sic quod per auctoritatem
Ioan. vlt. pasce oues meas, non potest intel-
ligi data potestas soli Petro, & successori-
bus eius, ita quod iudicium vnius præferri
debeat iudicio omnium aliorum de corpo-
re Ecclesiæ simul in Concilio generali con-
gregatorum, quia quos Dominus ad opus
ministerij, & ædificationem Ecclesiæ insti-
tuit vltimatè, voluit durare vsque ad con-
summationem seculi. Respondetur, quod
ista illatio non est bona, quia licèt Chri-
stus vltimò ascendens in cœlum dederit
quosdam Apostolos, & quosdam prophe-
tas, & quosdam Euangelistas, & quosdam
Pastores, & Doctores ad opus ministerij in
ædificationem Corporis Christi, non ex
hoc sequitur, quod Apostolis simul fuerit
data potestas supra Petrum, nec aliquod
hìc habetur verbum, per quod appareat da-
ta potestas iurisdictionis exterioris, & ad-
ministrationis; immò omnia inferunt po-
testatem spiritualem in ædificationem cor-
poris Christi mystici, hoc est Ecclesiæ, do-
nec occurramus omnes in vnitatem fidei, &
agnitionis filij Dei. Ecce quod ista aucto-
ritas, nihil loquitur de potestate aliqua
tunc data Apostolis, & ideò modicum fa-
cit ad propositum, quod Concilium sit
maius Papa.
296 Item ad 56. de auctoritate Bernar. ad
Eugen. conceditur, quod non sit in vno
tantùm vniuersa potestas, quia ex quo mes-
sis multa vnus non sufficeret operarius, &
propterea Apostoli elegerunt 72. vt dicit
tex. in cap. in nouo 21. dist. Et textusmet
Bern. ostendit maioritatem Papæ ad cæte-
ros alios Episcopos, & Prælatos, cum di-
cit non ergo tua sola potestas, sunt & me-
diocres, sunt & inferiores. Ex quo patet,
quod sentit potestatem Papæ esse superio-
rem omnibus alijs, & consequenter Conci-
lio. Nec dicatur, quod ista potestas sit ita
vnita, vt non possit, nisi per omnes simul
ministrari, quia ridiculum esset hoc dicere,
& esset contra dictam auctoritatem Ber.
dicentis, sunt & mediocres sunt, & inferio-
res. Ex quo apparet in aliquibus exerci-
tium potestatis dari mediocribus, & in ali-
quibus alijs magis inferioribus. Ad illud
297 quod dicitur, quod Paulus restitit Petro
in faciem, responsum est in d. 8. motiuo, &
ibidem similiter de illo, quod dicitur in
præfatione missæ, videlicèt vt gregem tuũ,
&c. Et aliquid in responsione ad 22. mo-
tiuum. Ad quinquagesimumseptimum
298 motiuum de cap. omnibus 24. qu. 1. re-
spondi ad longum in dicto 8. motiuo pro
Papa, & ad auctoritatem Matth. 17. ibi re-
latam in dicto cap. omnibus, aliàs in so-
lutione 18. motiui responsum est. Et de
illo latissimè dictum est in vltimo motiuo
pro Papa, vbi etiam interpositis aliquibus
de potestate clauium, iterum vltimo reuer-
tor ad illam auctoritatem Matth. 18. latiùs
illam declarando. Ad quinquagesimum
299 octauum de auctoritate Isa. respondetur,
quod ibi per clauem super humerum eius
possumus intelligere sceptrum regni, & si-
gnum victoriæ, id est crucem, quam Chri-
stus in suo proprio portauit humero, vnde
factus est principatus super humerum eius
secundùm glo. ordi. ibi. Quæ etiam super
illud, & aperiet, dicit. vnde quia aperit,
& nemo claudit, claudit, & nemo aperit,
quod in passione reserauit claudi non pote-
rit, & quod in cæremonijs clausit nemo
aperiet. Et ibidem etiam dicit ea. gl. quod
Isa. vocat domum Dauid domum Domi-
ni, in qua erat aurea clauis. Vndè ibi non
capitur clauis pro potestate Ecclesiastica;
& si capimus secundùm glos. interli. ibi
pro scientia scripturarum, nihil facit pro
maioritate Concilij ad Papam. Ad au-
ctoritatem Iob. 12. licèt non reperiam
Doctores, qui inducant illam auctoritatem
ad hoc, sed ad corda hominum benè, vel
malè agentium, quorum cogitationes, &
consilia destruit, vel ædificat includit, vel
aperit Deus secundùm suam prouidentiam,
nihilominus si volumus eam trahere ad
Ecclesiam, dico quod oportet illam intelli-
gere

gere de Ecclesia simul cum Papa, & collectiuè, non comparatiuè ad Papam. Ad c. sancta, & ad alia iura similia, quæ habentur 25. qu. 2. supra aliàs responsum est in responsione ad 4. & ad 26. contrarium loquitur enim cap. sancta dist. 15. de Conciliis, in quibus damnatæ fuerunt diuersę hæreses, quæ Gregorius profitetur se suscipere, & venerari sicut quatuor libros Euangelij in cap. sicut, & in cap. sancta eadem dist. 15. Ad quinquagesimum nonum de
301 cap. definimus, dicendum est, quod textus ille non loquitur, sicut inducitur, sed tantùm dicit, quod nullus audeat quemquam Patriarcharum, inhonorare, aut amouere à proprio Throno tentare, præcipuè Papam. Vnum vt iacet, potiùs probat, quod nullus de facto debet in honorare, aut eijcere à sede, vel suo ordine sedendi immediatè post Papam patriarchas, nec Papam à principali sede. Ideò licèt prohibeat inhonorare, aliquos Patriarchas, aut Romanos Pontifices, quod ad factum refertur, non ex hoc sequitur, quod aliàs possit quis iudicare de Papa. Et ibi Synodus hoc statuit, quia cum aliàs Alexandrina Ecclesia præferretur Constantinopolitanæ, & posteà statutum fuisset, vt Constantinopolitana teneret primum locum post Romanam, vt in cap. antiqua, ibi glo. de priui. & in glo. summæ eiusdem dist. 22. aliqui fortè laborabant ad hoc, vt Alexandrina sicut anteà teneret primum locum post Rom. & non Constant. & propterea in eadem Synodo Constantinopol. 8. de qua in d. cap. definimus, fuit iterum statutum, vt nullus omnino tentaret amouere à proprijs sedibus Patriarchas, & præsertim sanctissimum senioris Romæ Papam. Et ibi supplet Card. S. Sixti, quia huius eiectio solius Dei iudicio reseruatur, vt in cap. eiectionem 79. di. Igitur potiùs innuitur maioritas Papæ, quàm Cõcilij. Ad sexagesimũ respondetur, quod quantumcumque Papa, sit crimino-
302 sus, & incorrigibilis dummodo, non veniat contra fidem, non habet superiorem, vt aliàs dictum est per cap. nemo 9. qu. 3. & quæ dicuntur in capit. si Papa dist. 40. Et quod dicit Bernar. quod Pontifex, non vt dominans esse debet, sed vt administrator, conceditur, quia solus Christus est Dominus rerũ spiritual. vt 16. q. 1. c. quoniam quicquid, & c. cùm ex eo ibi gl. de elect. in 6. & vide, quod dicitur in responsione ad 29. motiuum, vbi etiam de authoritate Bernar. & vide etiam, quod dictum est in responsione ad 23. contrarium, vbi tractatur authoritas Euangelij de contentione inter Apostolos de primatu Matt. 18. Et quod dicitur, quod qui non vult ministrare sollicitè, sed dominari, & Apostolatum, & dominatum perdere debet, & quod ligandi, ac soluendi potestate se priuat, qui hanc pro suis voluptatibus, & non subditorum moribus exercet, intelligitur quo ad Deum propter peccatum, non quod sit aliquis superior Papæ, quod ipsum habeat priuare; qui si efficitur tyrannus, data sunt remedia plura, quæ sunt tenenda contra eum sine depositione. Ad sexagesimum primum de
303 Moyse, & Aaron dicendum est, quod Moyses repræsentabat Christum, cuius vices Papa gerit in terris, vnde dicit Moyses Deuteron. 16. Prophetam de medio tui ex fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi dominus Deus tuus, ipsum audies. Similiter Aaron repræsentabat Christum, nam Deuteron. 28. super illud, applica ad te Aaron fratrem tuum cum filijs eius de medio filiorum Israel, vt sacerdotio fungantur mihi, dicit glos. Bedæ, quod sicut tabernaculum cum ornamentis, & vasis suis significat Ecclesiam, pulchra virtutum, & personarum varietate distinctam, ita summus tabernaculi sacerdos Aaron Christum verùm Pontificem qui semetipsum obtulit pro nobis. Aliter igitur Moysés, & aliter Aaron Christum significabat, quia Moyses significabat Christum, vt legislator, iuxtà illud Isa. 23. dominus enim iudex noster, dominus legifer noster, dominus rex noster; Aaron verò significabat Christum, vt summus sacerdos, iuxtà illud Psal. 109. tu es sacerdos, in æternum secundùm ordinem Melchisedec. Dato igitur, quod Moyses fuerit maior potestate Aaron, potest dici, quod potestas Moysi non solùm fuit Imperialis in legisdatione, sed etiam sacerdotalis in votorum populi oblatione. Vndè gloss. super illud Psal. 98. Moyses, & Aaron in sacerdotibus eius, dicit Moyses sacerdos fuit, quia etsi non hostias, vota populi obtulit, & pro populo supplicauit. Repræsentabat igitur Moyses, sicut, & Aaron Christum, cuius Papa gerit vices, vt in capitulo primo, de homi. in 6. & in capitulo ad Apostolicæ, de re iudi. eodem lib. Vndè ex præmissis non concluditur, quod Papa sit inferior Imperatore, immò potiùs contrarium, & per consequens non concluditur, quod sit inferior Concilio. Ad sexagesi-
304 mumsecundum dicendum est, quod appellatio interposita pro causis minimis, & leuibus non est ad Papam deferenda, vt in dicto §. denique extra. de appella. sed pro causis grauibus, & arduis quæstionibus, omnis appellatio potest deferri ad Papam, 11. quæst. prima cap. quicumque. Ad hoc quod dicitur in cap. cuncta per mundum 9. quæst. 3. cap. ad Romanam, el. 2. 2. quæst. 6. quod dicitur in cap. licèt ex suscepto. de foro compe. & quod dicitur post gloss. in cap. si clericus laicum, & in cap. ex transmissa de foro competen. Ad sexagesimum-
305 tertium respondetur, quod tex. in cap. cum ad verum, non probat, quod Imperator sit maior, quàm Papa, immò contrarium probatur, & ibi, & in cap. sequen. & in cap. duo sunt, & in cap. si Imperator, 96. dist. & in clemen. prima de iureiu. & in clemen. pastoralis circa fin. de re iudi. vbi Papa, dicit nos tàm ex superioritate, quàm ad Imperium non est dubium nos habere, quàm ex potestate in quam vacante Imperio succedimus Imperatori, &c. Vide Albericum in epistola inter claras, & Oldra. in cons. 180. Et quod Papa, vacante Imperio habeat plenam in temporalibus iurisdictionem, vide Aluarot. in cap. 1. Episcopum, vel Abbatem, & Bal. in proœ. ff. Immò deponit Imperatorem, vt in cap. ad Apostolicæ de re iudi. in 6. & Aluarot. in

dist.cap.1. & excommunicat quando vult eum, vt in dict.cap. si duo. Et quod vacante Imperio omnis iurisdictio deuoluatur ad Papam, est extrauagans Io. 22. quæ incipit si fratres, & Moderni ponunt in cap. licèt ex suscepto de foro compe. Et de maioritate Papæ ad Imperatorem, habetur in cap. causam, quæ el 2. per Hosti. & per eumdem in cap.per venerabilem in vers. rationibus qui filij sint legi. Et est tex. cum ijs, quæ ibi dicuntur in cap. solitæ de maior. & obe.vbi patet,quod tantum excellit dignitas Pontificalis Imperium, quantum splendor solis splendorem Lunæ, quæ à Sole lucem recipit. Sunt igitur potestates dictæ, vt d.cap.cum ad verum,& cap. duo, & cap. si Imperator.Et maior est pontificalis, quæ habet vtrumque gladium, de quo in c. inter hæc 33. quæst.2.& cap. nouit. de iudi. & cap.causam quæ, el 2. qui fil. sint legi.De cuius præeminentia, & superioritate ad reges, & principes seculares, vide Card. de Turrecrem. in cap. certum, 10. dist. & de eiusdem suprema potestate per eumdem in cap.cum ad verum,96.dist. & in 2.li.de Ecclesia, in quibus locis vtitur concedere, quod Papa, tantam habeat iurisdictionem in temporalibus in toto orbe, quantam necessitas Ecclesiæ , & gubernatio dominici gregis exigit. Propterea istud contrarium ita facit contra Concilium, sicut contra Papam, quia si maior esset potestas Imperialis, quàm Ecclesiastica, similiter Concilium, quod recipit potestatem ab Ecclesia, & illam repræsentat, vt sæpiùs diximus, & ponitur in cap. significasti de elect. diceretur inferius Imperatore.Et quod Imperium non sit à Deo nisi permissiuè,& consequenter, quod Papalis potestas sit maior quia immediatè à Deo per verba pasce oues meas Ioan. vl. vide plenè per Alb. in l.cunctos populos. C.de Sum. Trin. & ibi etiam ponit.Bal. & alij Moderniores. Et magis latè quod Papa, sit supra Imperatorem etiam in temporalibus, vide Alexandrinum in cap. cum ad verum 96. dist. vbi etiam, quod potestas Imperialis deriuatiuè sit à Papa. Et idem in cap. si Imperator ea. dist.per eumdem. Et idem finaliter dicit Alber. in l. bene Zenone, Cod. de qua. præs.

6 Nec obst. prædictis, quod dicitur ab
50 aliquibus, in qua opinione semper fuit Abbas Sicu. & tàm Theologi, quàm iuristæ Basiliens. quod Papa est caput Ecclesiæ ministeriale ratione ministerij Petro commissi, & quod habet præeminentiam, & superioritatem in Ecclesias particulares, sed non in vniuersalem Ecclesiam, cuius solus Christus dicitur caput, & quod iura dicentia Papam esse caput omnium Ecclesiarum, vel totius Ecclesiæ, exponi debent, id est omnium particularium Ecclesiarum, quia ista fuit vna cauillosa inuentio contra authoritatem Papæ, & Romanæ Ecclesiæ,quæ si bene consideretur est etiam falsa conclusio. Tum quia cùm omnia iura loquantur per dictionem omnium seù similem, vt in cap. non decet, 12. dist. cum simi. quæ ex sui natura est dictio vniuersalis collectiua, l.hæredes mei, §. cum ita. ff. ad trebel. 19. dist. si Romanorum, cap. vt circa, de elect. in 6. non solùm complectuntur particulariter,& distributiuè omnes Ecclesię,sed etiam vniuersaliter, & collectiuè. Et posito,quod possit exponi omnium Ecclesiarum scilicet particularium l. in summa, ff. de statu homi. tamen ad cap. quamuis, 21. dist. non datur responsio,qui tex. dicit, quod quamuis vniuersæ per orbem catholicæ Ecclesiæ sint vnus thalamus Christi, & sic ponit illas vnitas, tamen Romana Ecclesia illis prelata est. Ecce quod præponit Ecclesiam Romanam vni thalamo Christi,qui constat ex omnibus Ecclesijs, orbis simul vnitis. Nec aduersatur, quod text. dicit Romanam Ecclesiam cæteris prælatam, & non dicit eam prælatam vniuersali Ecclesiæ, & sic collectiuè, quia est facere vim in verbis,
307 cùm dictio cæteris possit capi distributiuè, & collectiuè pro cæteris simul iunctis, pro hoc gloss. in l.non solùm §. quæritur,ff. de procura,21.dist.in.cap. de libel. 56. dist. capitulo Apostolica, & sequen. ibi cæteras, id est omnes. Vndè dicit S. Thom.in opusc. contra impug. reli.cap.3.in fin. quod Christus Romanæ Ecclesiæ contulit hoc priuilegium, vt omnes ei sicut Christo obediant, & qui hoc Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur, fidem quippè violat,qui aduersùs illam agit,quæ est fidei mater.22. dist. cap. omnes. Et tex. in cap. rogamus, 24.quæst. 1. dicit Petrum caput totius Ecclesiæ, ad euincendum,quod non intelligitur singulariter. Tum etiam quia istud videtur contra extrauagantem vnam sanctam, vbi dicitur, dicente Domino ipsi Petro pasce oues meas, meas, inquit generaliter, & non singulariter has, vel illas, per quod intelligitur ei commisisse vniuersas, cap. solitæ de maio. & obed. Et clariùs demonstrat illa extrauagans, quod Papa est caput vniuersalis Ecclesiæ, non dico per respectum ad particulares Ecclesias ipsius vniuersitatis, sed ad ipsam vniuersitatem simul iunctam, quia primò designat vnitatem ex vnitate vnius ouilis, & vnius pastoris Io.10. 23. quæstione 4. cap. tres personas,& ex vnitate arcæ,quæ Ecclesiam figurabat, vt declarat August. in li.15.de Ciuit. Dei cap.26.& S. Thom. in proœm. epis. ad Thes. & dicitur 1.Pet.3. Item, vt dicta extrauagans dicit, sponso in Canticis proclamante,vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ, quæ vnum corpus mysticum repræsentat cuius caput Christus. Et infra, hæc est tunica illa domini inconsutilis,quæ scissa non fuit sed fortè prouenit, igitur Ecclesiæ vnius, & vnicæ vnum corpus, vnum caput, non duo capita quasi monstrum, Christus videlicèt, & Christi Vicarius Petrus,Petrique successor, cui omnes subesse tenentur de necessitate salutis. Vndè Christus, & eius Vicarius pro vno reputantur. Quod etiam ponit, S. Thom. in tract. contra impug. reli. in 4.cap. vbi dicit, ideo Papa, qui obtinet vicem veri sponsi in tota Ecclesia, vniuersalis Ecclesiæ sponsus dicitur, Episcopus autem suæ diœcesis presbyter verò suæ parochiæ,

rochiæ, vndè & diœcesis sponsus Papa est, & Episcopus parochiæ, nec tamen propter hoc sequitur, quod sint plures sponsi vnius Ecclesiæ, quia sacerdotes suo ministerio cooperantur Episcopo tamquàm principali, & similiter Episcopi Papæ, & ipse Papa Christo, vndè Christus, Papa, Episcopus, & sacerdos, non reputantur, nisi vnus sponsus Ecclesiæ, si ergo Papa est vniuersalis Ecclesiæ Pontifex, & caput corporis mystici Ecclesiæ, non solùm respectu singularium Ecclesiarum, vel personarum sed etiam respectu vniuersitatis simul iunctæ. Et hoc benè probat text. in cap. loquitur, 24. quæstione 1. vbi præficit Ecclesiæ vnum caput, & quod sit vnum caput patet, quia Papa est caput, vt Vicarius Christi, & sic Christus, & Papa pro vno reputantur, cap. 2. de consue. in 6. cap. 1. de offic. Vicarij eo. lib. cap. præcipimus 93. dist. Qui autem non ponit Papam caput vniuersalis Ecclesiæ, ponit scissuram in Ecclesia, & duo capita, quia ponit Papam caput singularium Ecclesiarum, & non vniuersarum simul, & quia tunc ponit Ecclesiam sine capite, ponit etiam Concilium sine capite, & tamen nullus negat Papam esse caput Concilij, sine cuius authoritate non potest Concilium subsistere 17. dist. per to. Et sic venit contra articulum fidei, & vnam sanctam Catholicam Ecclesiam. Nec obstat si dicatur, quod Christus est caput, quia cùm Eccle-
308 sia sit vnum corpus mysticum, de consecra. dist. 1. cap. Ecclesia, oportet consequenter ponere, quod habeat vnum immediatum caput homogeneum, id est eiusdem naturæ, & eiusdem status, & conditionis, vt scilicet sit visibile, & conuersatiuum cum corpore, cuius est caput. Vndè Marsilius de Padua, qui dicit, quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiæ, fuit condemnatus per sedem Apostolicam, vt patet in extrauaganti Ioan. 22. quæ incipit licèt iuxtà doctrinam Apostoli. Et similiter Ioannes Hus in Concilio Constantien. per Martinum quintum, quia asserebat non esse scintillam apparentiæ, quod oporteat esse vnum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante conseruetur, & conuersetur, contra, quod determinauit Martinus Petrum fuisse caput sanctæ Ecclesiæ catholicæ, & consequenter successores eius. Et dicendo catholicæ Ecclesiæ, dicit Ecclesiæ vniuersalis, quia catholicon græcè idem est, quod vniuersale latinè dicit Card. in tract. de potestate Papæ lib. 2. cap. 22. & 25. Facit etiam ad hoc tex. in cap. in nomine domini, 23. dist. vbi Papa dicitur Pontifex Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ, & sic non tantùm singularium Ecclesiarum, sed in concreto ipsius vniuersitatis. Item ad idem sunt omnia illa iura, quæ dicunt Papam tenere vicem Dei in terris, in cap. ad Apostolicæ de re iudi. in cap. 6. vnico, vt Eccle. benef. cap. pen. & fin. de translat. præla. cum similibus. Ad idem est tex. in cap. vbi periculum, in §. cæterùm de elect. in 6. qui dicit Papam esse Vicarium Iesu Christi, successorem Petri, rectorem vniuersalis Ecclesiæ, & directorem gregis dominici. Et quod Pa-
309 pa non solùm in particulares Ecclesias sed in totam Ecclesiam Christi obtineat vniuersalem prælationem, ponit S. Thom. in tract. contra error. Græ. cap. 66. dicens, legitur in Chalcedonen. Concilio, quod tota synodus acclamauit Leoni Papæ, Leo sanctissimus Apostolicus, & Æcumenicus, idest vniuersalis Patriarcha per multos annos viuat. Et Chrysostomus super Matt. dicit, filius quæ patris est, & ipsius filij potestatem Petro vbique terrarum concessit, & homini mortali omnium, quæ in cœlo sunt dedit authoritatem, dando eidem claues ad hoc, vt Ecclesiam vbique terrarum amplificet, & super Ioan. in homilia 85. Iacobum localiter in loco terminat, Petrum autem totius orbis ordinat magistrum, & doctorem. Et Cyrillus Alexan. Epis. in lib. 2. Thesa. quem ad propositum contra detrahentes potestati Papæ inducit S. Thom. in d. tract. contra impug. reli. in cap. 3. circa fin. dicit, vt membra maneamus in capite nostro Apostolico Throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quod credere, & quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes pro omnibus, quoniam ipsius solum est reprehendere corrigere, & loco illius ligare, quod ipsum ædificauit, & nulli alij, quod suum est plenum, sed ei soli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant, & Primates mundi tamquàm ipsi domino Iesu Christo obediunt. Item Papa potest facere quicquid potest Deus, Christus enim non fuisset diligens paterfamilias, si non dimisisset in terra aliquem loco sui, qui exigentibus causis posset omnia facere, quæ posset ipse Christus, vt dicit Abb. in cap. venerabilem in 7. col. de elect. referendo Inn. idem dicentem in cap. ad Apostolicæ circa fin. de re. iudi. & in cap. quod super ijs de vo. Item facit, quod Petrus per illud Ioann. vlt. pasce oues meas factus fuit vniuersalis pastor. Nec obstat, quod Dominus non dixit pasce Ecclesiam meam, quia vniuersalis Ecclesia nihil aliud est, quàm grex dominicus, & collectio fidelium, de conse. dist. 1. cap. Ecclesia. Item à Christo dictum est Petro, super plebem meam principem te constitui. Item Beda super illud Ioan. 1. intuitus autem eum Iesus, &c. dicit, intuitus est eum non exterioribus oculis solùm, sed & æterno diuinitatis intuitu vidit cordis eius simplicitatem, & animi sublimitatem, cuius merito cunctæ esset præferendus Ecclesiæ. Non dicit particularibus Ecclesijs orbis, sed Ecclesię vniuersali. Et hoc probat tex. in cap. considerandum, 50. dist. & ponit Augu. super Psal. 49. vbi exponens illud Deus Deorum loquutus est, & vocauit terram, & de Christo loquens dicit, deindè quadragesima scilicet ascensionis die commendans beato Petro Ecclesiam, idest terram à solis ortu, vsque ad occasum, ne haberent excusationem, quod volunt in schismate deperire. Et hac ratione videtur Inn. velle in c. quod super de vo. quod Papa sit vniuersalis Pontifex, alleg. illud domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Et subijcit, quod cùm Christus habuerit su-

per omnes potestatem, iuxtà illud Psalm. Deus iudicium tuum regi da, & Papa qui est eius vicarius habet plenam potestatem, in omnes non solùm fideles sed etiam infideles vniuersaliter, quia aliter Christus non videretur fuisse diligens pater familias, nisi Vicario suo, quem in terra dimettebat plenam potestatem super omnes dimisisset. Et ideo dicitur quod Papa habet potestatem non solùm super terrestria cælestia, & infernalia, sed etiam super Angelos bonos, & malos de quo vide Feli. in cap. canonum in princ. de constit. Item hoc idem insinuat Sixtus Papa I. qui in 2. epistola sic scribit, Sixtus vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus in Domino salutem, vt refert beatus Isidorus in li. Conciliorum Et Victor. Papa, qui in epistola de paschate &c. Sic scribit Victor Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ Archiepiscopus, Theophilo Episcopo &c. Et pontianus Papa in epistola de fraterna dilectione &c. Sic dicit, Pontianus sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus omnibus rect. dominum colentibus &c Idem etiam S. Tho. in tract. contra impugnan. reli. respondendo ad capitulum ecce. 6. distinctione dicit, quod autem Papa vniuersalem Pontificem se prohibet nominari, non ideo est quia ipse non habeat auctoritatem immediatam, & plenam in qualibet Ecclesia, sed quia non præficitur cuilibet particulari Ecclesiæ, vt proprius, & specialis illius Ecclesiæ rector, quia sic cessarent omnium aliorum pontificum potestates, & hoc ca. inductum nullus pre ratione inducit. Ita refert Car. de Turrecre. in 2. lib. de pont. Pa. cap. 16. in fi. & dicit dictus Sanctus in supradicto tract. in capitulo quarto post medium. Ad quod vide, quæ dicta sunt in responsione ad 34. contrarium. Item & Leo Papa in quadam epistola ad palæstinos in pri. sic dicit sollicitudini meæ quam vniuersali Ecclesiæ, omnibusque eius filijs debeo. Ecce quod dicit vniuersali, & non singularibus. Item dicere Papam caput singularium Ecclesiarum Orbis, & non omnium collectiuè, videtur vna trupha, quia hoc est ponere vnum caput sine assignatione alicuius corporis, sed tantùm singulariter Ecclesiarum, personarum, vel est ponere quod sit caput diuersorum corporum scilice singularium Ecclesiarum, & personarum, & sic ponere Ecclesiam, quæ est vnum corpus esse diuersa corpora, quod esset facere Ecclesiam monstruosam. Item dicere Papam caput singularium, & particularium Ecclesiarum, & non omnium collectiuè, est implicare contradictionem cùm Ecclesia vniuersalis non sit aliud quàm omnes Ecclesiæ catholicæ in vna fide Christi vnitæ. vt in capitulo loquitur 24. qu. 1. & cap. quamuis 21. distin. seu omnium catholicorum collectio, & vnio, cap. Ecclesia de conuet. distinctione prima Vnde si est caput omnium singularium seu particularium Ecclesiarum, & personarum Ecclesiæ hoc ipso est caput singularium simul vnitarum. Ex quo sequitur quod sit caput omnium collectiuè, & vniuersaliter ac simul, quia est caput Ecclesiæ, quæ Ecclesia est corpus mysticum quod constat ex omnibus singularibus, & particularibus Ecclesijs, & personis. Nec obstat, istud nomen Ecclesia indefinitè sumptum accipi distributiuè pro singularibus Ecclesijs, quia licèt cum signum vniuersale cadit super nomen commune, non collectiuum, possit fieri distinctio quod aliquando collectiuè, & aliquando singulariter capiatur vt verbi gratia ista propositio omnes Apostoli Christi sunt, 12. si collectiuè accipiatur signum vniuersale omnes, est vera, sed si sumatur distributiuè est falsa, & è contra ista Sortes est fortior omnibus hominibus, distributiuè, est seu potest esse vera, collectiuè autem est falsa, tamen quando cadit super nomen collectiuum, vt est Ecclesia, plebs, populus, familia, grex, collegium, Concilium, & similia, numquam tale signum capitur distributiuè, quia est contra naturam nominis collectiui.

311 Ad illud, quod dicitur quod est ministeriale caput, & sic minister, ergo non supra Ecclesiam, respondetur, quod non est simpliciter minister sed cum potestate Vicariatus Christi, ergo, vt illam potestatem Christi obtinens, & illum repræsentans, est maior, sicut etiam in inferioribus Vicarius alicuius ordinarij non dicitur nudus minister illius, sed eadem fungitur potestate, qua ille, cuius est Vicarius, & eodem modo habet ordinariam potestatem, vt in cap. cleros, & in cap. sua de offic. Vicar. & cap. 1. eod. ti. in 6. & cap. 1. de consue. eod. lib. cum simil. Vndè ex his manifestè patet non esse verum, quod Papa sit tantùm ministeriale caput Ecclesiæ, sed est caput essentiale potentiale, & authoritatiuum vniuersaliter totius corporis Ecclesiæ, sicut enim Christus est caput Ecclesiæ, vt in clem. 1. de iureiur. sic, & Papa eius Vicarius dicitur caput Ecclesiæ, vt in extrauag. vnam sanctam in §. igitur, ibi Ecclesiæ vnius, & vnicæ vnum corpus vnum caput, Christus videlicet, & Christi Vicarius Petrus. Petrique

312 successor. Ad illud, quod dicitur, quod Ecclesia habet obedire Papæ in ijs, quę pertinent ad ædificationem, & non in pertinentibus ad destructionem Ecclesiæ, respondetur, quod licèt non sit obediendum Papæ, vbi non potest sine peccato ei pareri, vt dicit Abb. in c. cum teneamur de pręben. & Moderni in cap. si quando de rescrip. & in cap. non semper, & in cap. Iulianus II. quæst. 3. vt si præcipit aliquid iniustum quod continet hæresim, vel ex quo præsumitur vehementer turbandus status Ecclesiæ, vel alia mala ventura, dicit gloss. in cap. per principalem 9. qu. 3. & Ioan. An. post Inno. & communiter Doc. in capit. inquisitioni de sentent. excom. vel quando dispensaret contra vniuersalim statum Ecclesiæ, vt dicit Archi. in capit. sunt quidam post gloss. 25. quæst. 1. vel vbicumque decoloraretur vniuersalis status Ecclesiæ, ponit Milis in verbo Papæ, non est obediendum, ex hoc tamen non sequitur quod Concilium sit maius Papa, quia his & similibus casibus potest resisti Papæ, vt dictum est in remedijs datis, quando Papa est incorrigibilis, sed tamen Concilium

lium non habet potestatem supra eum ad deponendum nisi in casu hæresis, vt dicitur 40. distinctione cap. si Papa. Imò per hoc magis ostenditur, quod Papa est maior, quia ex eo quod non habet superiorem, & non est qui possit via iuris procedere contra eum, sit quod de facto debet, ei resisti, alioquin autem præcepto etiam iniusto Papæ est obediendum, vt ponit Innoc. Hostien. Ioan. And. Anto. & Abbas in d. cap. inquisitioni de sent. excom. quia licèt præceptum sit iniustum, si non continet in se peccatum debet obediri, nisi ex obedientia rationabiliter timeretur aliquod magnum malum, vt quia per illud turbaretur status vniuersalis Ecclesiæ. Et per hoc dicit Abbas in dicto capitulo inquisitioni, quod multum excusabantur, Cardinales, qui discesserant ab obedientia Benedicti, & Gregorij, qui cum reuocarentur etiam sub pœna excõmunione, dicebatur eos, non teneri obedire, quia potuisset sequi turbatio, & impedimentum tenendi Concilij per quod sperabatur sedatio schismatis. Cum enim iudicium Ecclesiæ contrariatur iudicio conscientiæ, si iudicium conscientiæ fundatur in certa, vel probabili ratione, sequendum est, alioquin deponenda est conscientia, & sequendum Ecclesiæ iudicium, ac præceptum aliàs iniustum, & dicto Ecclesiæ iudicio conformanda conscientia, vt notat. d. Anton. in d. cap. inquisitioni. Vnde licèt, aliquando non sit obediendum præcepto, superioris, non sequitur ex hoc quod superior efficiatur non obedienti inferior, & illi desinat esse superior. Ad illud, quod
313 dicitur quod Papa non est, perfectior vniuersali Ecclesia, respondetur quod non sequitur ex hoc quod vniuersalis Ecclesia siue Concilium sit maius Papa, quia cùm Petrus fuerit præpositus, & constitutus, princeps super totam Ecclesiam, consequenter, & Papa est prælatus, & præpositus vniuersali Ecclesiæ. Ideo si loquimur de maioritate, & prælatione potestatis & auctoritatis, & iurisdictionis, dignior, superior, & maior est Papa vniuerso corpore Ecclesiæ, sed in comparatione ad alia bona spiritualia, quorum maior copia reperitur in vniuersali Ecclesia, quàm in vno solo prælato. non est dubium, quod isto respectu Ecclesia sit perfectior plenitudine copiæ bonorum spiritualium, quàm Papa quamtumcumque sanctus, imò de hac perfectione interiori loquendo vna vetula potest esse perfectior. quàm Papa Attenditur enim hæc perfectio interior penes charitatem, quam Apostolus dicit vinculum perfectionis ad Colo. 3. & primæ ad Timo. 1. dicit, quod finis præcepti est charitas. Et 1. Ioan. 4. dicitur quod, qui non diligit non nouit Deum, quia Deus charitas est, & iterum Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. Perfectior autem secundũ charitatẽ potest esse vna vetula, quàm Papa, vt clarum est, quia qui spiritu Dei aguntur non sunt sub lege cap. cùm ad monasterium de statu mona. igitur, Sed quamuis in Ecclesia vniuersali sint plura, & maiora bona spiritualia, ex hoc non sequitur quod Ecclesia sit maior Papa, qui solus habet plenitudinem potestatis, vt in cap. ad honorem de auctor. & vsu. pal. & in cap. decreto, &c. qui se scit. 3. qu. 6. cle. pastoralis de
314 re iudi. cum simil. Ad illud quod dicitur quod cùm Papa sit vnus & Romana Ecclesia vna de corpore mystico Ecclesiæ, non potest esse illius caput quia nemo potest esse caput suijpsius respondetur quod dupliciter possumus loqui de isto corpore Ecclesiæ. Interdum enim loquimur de Ecclesia vt coniuncta capiti comprehendendo caput, & membra, & quandoque loquentes de Ecclesia licèt capiti suo, hoc est Christo, vel Papæ coniuncta loquimur de ea, sicut de corpore in comparatione ad caput eius. Exemplum de primo, cum dicimus Ecclesiam sponsam Christi, & quod est mater, & coniux, & quod non potest errare, & huiusmodi. Et hoc modo absolutè loquendo, non referendo eam ad aliquem fidelium, comprehendimus collectionem omnium fidelium & membra simul cum capite. Exemplum de secundo, cum loquimur de Ecclesia per relationem ad caput eius, vt cum dicimus quod Petrus fuit caput vniuersalis Ecclesiæ vt in cap. rogamus 24. qu. 1. Et isto modo licèt non ponamus membra separata à capite idest discrepantia, ponitur tamen distinctio rationis inter caput, & membra, & iste modus loquendi conuenit cuilibet principatui & regno. Nunc ergo in proposito cum dicimus quod nullus sui ipsius est caput, verum est, si capimus Ecclesiam primo modo absolutè, & effuso vniuersali sermone de capite & membris, quia talis sermo non discernit caput à membris, sed comprehendit caput, & membra simul & propterea non conuenit dicere, quod suiipsius nemo est caput, quia non sit sermo per relationẽ ad caput, secus quando fieret sermo per relationem ad caput, vt est in exemplo secundo loco posito. Ad illa,
315 quæ adducebantur per Basilienses de ministeriali capite, patet ex præmissis responsio, & ad iura ibi adducta, & alia responsum est ad plenum singulariter in responsionibus ad superiora contraria, & maximè in responsione ad quinquagesimum primum contrarium, & pro maiori etiam parte patet responsio ex dictis in 8. & 15. motiuo pro Papa.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia an, & quomodo habeat vtrumque gladium, & num. 5. & num. 13.*

Ecclesia in locis immediatè subiectis habet vtrumque gladium in exercitio, & numer. 15.

In alijs autem materia est larga de qua varijs in locis Doctores, num. 2.

3 *Dignitas sacerdotalis, est maior regali, & imperiali, quantum est Sol, respectu Lunæ.*

4 *Imperator tenet Imperium ab Ecclesia Romana, & potest dici Vicarius seu officialis Rom. Ecclesiæ.*

Et respondetur ad contrarium, num. 6.

&

Et confirmatur per locum ab absurdo, numer. 7.

8 *Ecclesia dicitur mater imperij.*

9 *Potestas Imperatoris antè Christi fidem fuit tyrannica, & per vsurpationem ab Ecclesia autem exercitium temporalis gladij fuit concessum Imperatori.*

Et ideò non sinè causa Imperator recipit ensem ab altari.

Et Papa dat illi euaginatum.

10 *Exercitia iurisdictionum licèt sint separata, tamen vterque gladius fuit apud Petrum, & Papa licèt habeat vtriusque gladij potestatem, tamen debet per se abstinere ab exercitio gladij temporalis.*

12 *Imperator hodiè recipit Imperium à Papa, nàm, & electores à Papa habent eligendi potestatem.*

14 *Romano Pontifici necessarium est subesse, & qui hoc negat, est hæreticus.*

17 *Donatio Constantini facta Ecclesiæ an fuerit vera, & vndè fuerit aucta potestas sedis Apostolicæ.*

Et infra num. 18. & 19.

Nihilominùs eius forma ponitur ad longum cum seq. remiss.

19 *Dantes ferè de hæresi damnatus, & quare.*

20 *Constntinus fuit Christianus sed quando anà principio sui ortus, an post num. 25.*

Vbi an esset Christianus tempore Melchiadis, & num. 31.

21 *Cap. Constantinus 96. distinctio, & capitulum futuram 12. quæstio, 1. difficile est concordare.*

Nihilominùs Author concordat, nu. 22.

23 *Constantinus imperauit annis 31. & Siluester vixit in Pontificatu annos 23.*

24 *Constantinus quare effectus fuerit leprosus.*

26 *Cap. futuram 12. quæst: 1. an sit Melchiadis, vel Iulij.*

27 *Constantinus an fuerit baptizatus à Siluestro variæ sunt opiniones, & quando fuerit baptizatus, & an in vltimo vitæ Spiritu, ibidem, & num. 29.*

28 *Reuersi ab hæresi, an debeant rebaptizari.*

30 *Donationem factam à Constantino plures comprobant.*

Et Auctor vidit multos Codices loquentes de Constantini donatione, num. 32.

Et nihilominùs vidisse se dicit plures Codices deprauatos.

33 *Donatio Constantini facta Ecclesiæ comprobatur, quia Imperatores in sui coronatione præstant iuramentum.*

Donatio Constantini fuit facta Siluestro, & consequenter Deo, ibid.

34 *Legatum Ecclesiæ factum Deo factum dicitur.*

35 *Donationem Constantini dicere esse factam, vel non factam, vel de ea disputare, reliquendum curiosis.*

36 *Donatio Constantini, an fuerit vel non remissiuè.*

ARTICVLVS VIII.

1 QVæritur demum ad, & quomodo Ecclesia habeat vtrumque gladium. Et dicendum est; quod si loquimur in locis immediatè subiectis Ecclesiæ Romanæ, non dubium est quin habeant vtrumque gladium in exercitio, in spiritualibus, & temporalibus, vt pone exemplum in insula Sardiniæ, cap. si diligenti de præscript. in insula Siciliæ, vt in cap. mandata de præsumpt. clem. pastoralis de re iudic. vbi idem dicitur de toto Regno Siciliæ, cap. ad Apostolicæ de re iudic. in 6. De quo vide Bald. in l. cum antiquioribus in 4. colum. versic. constat namque, quod Dominus Clemens, Cod. de iure deli. Bar. in l. lex. 12. tabu. ff. ad l. Iul. maiesta. & in tract. de re milit. siuè de duello domini Paridis de Puteo lib. 7. c. 2. & gloss. 94. dist. c. 1. Idem in alijs prouincijs, de quib. in c. tibi domino Io: & in c. ego Ludouicus 63. dist. & cap. Constan. 96. dist. cum simil. De quo vide Barbatium in capit. quo ad consultationem de offic. legat. In alijs autem locis, quæ non sunt in
2 temporalibus immediatè subiecta Ecclesiæ Romanæ, materia est larga. Super quo vide, quæ dicuntur maximè per Cardin. & Barbatium, & alios Modernos in capitulo nouit. de iudic. & in cap. inter hæc 33. qu. 2. & capit. causam quæ el 2. qui filij sint legit. & de vo. cap. super ijs, per Archiep. Florent. in 3. par. sum. ti. 23. char. 8. & per Franciscum de Pauinis in extrauag. vnam sanctam. Et Cardin. de Turrecrem. in 2. lib. de Ecclesia. cap. 113. vsque ad fin. & Milis in verbo iurisdictionis prorogatio, & in verbo Papa autem non solùm, & Alex. in cap. per venerabilem, qui filij sint legi. Angelus in l. deprecatio ff. ad leg. Rodiam de iactu. Old. in consil. 83. Idem Alexan. in cap. causam quæ el 2. qui filij sint legit. & ponit Stephanus Aufrerij in repe. Clem. 1. de offic. ordin. in 1. oppo. versic. duodecimo legitur, cum secundo quæsito. Ponit etiam Aug. de Aucon. quæst. 1. artic. 7. & 8. & idem q. 20. artic. 2. Doct. max. Alex. in c. quoniam 10. distinctione, & in dicto cap. cùm ad verum 96. dist. Et Albericus de Rosata in dict. l. ne à Zenone C. de quadrien. præscrip. & latè Hostien. in summa in tit. qui filij sint legi. in §. qualiter, & à quo. vbi ostendit maioritatem solis ad lu-
3 nam, vt ostendat quantò maior est dignitas sacerdotalis regali, & imperiali. De quo vide latè per Alex. in d. cap. cùm ad verum 96. dist. & conclude, quod licèt sint distinctæ iurisdictiones, quantum ad exe-
4 cutionem, tamen Imperator ab Ecclesia Romana imperium tenet, & potest dici Vicarius, siue Officialis Romanæ Ecclesiæ, & quod vnum tantùm est Caput Vrbis, & Orbis spiritualium, & temporalium, scilicèt Papa, & quod Petrus habuit vtrumque gladium, dixit enim cum alijs Apostolis, ecce duo gladij hìc, & non sine mysterio datæ sunt ei claues, & non vna clauis. Et idem ponit Bartol. in extrauaganti ad reprimendum, in verbo totius orbis, vbi vult, quod post aduentum Christi imperium fuit apud Christum, & ideo apud Christi Vicarium, qui habet vtrumque gladium. Et quod olim non poterat haberi Imperium salua conscientia, qui erat per vsurpationem, impressionem, & tyrannidem

nidem, vt dicit Albericus in dict. l.cun-
ctos populos, sed hodie est ab Ecclesia,&
ab ea procedit, ponit Abbas Sicul.in cap.
venerabilem de elect. Et quod habeat Ec-
clesia vtrumque gladium ponit Astesanus
5 in lib.6.summæ in tit.de papatu. Et quod
vterque gladius sit in Ecclesia,& quod gla-
dij temporalis potestatem habeat Impera-
tor ab ea, ponit Hostiens.in capit.causam
quæ el 2.& Abb.in repet.capit. per venera-
bilem, qui fil.sint legi. Et licèt Imperator
dicatur habere potestatem immediatè à
6 Deo, vt in authent.quomodo opor.Epis.in
princ.& in authen.de instrumentorum cau-
tela,& fide §.quia igitur, tamen in l.digna
vox C.de ll. videtur quod Imperatoris po-
testas sit immediatè à lege Regia, vt in
l.1.cum enim C. de veteri iure enucle. &
in §.sed quod Principi instit. de iure natu-
ral.& sic à Deo mediatè, vt dicitur in di-
cta l.digna vox. Sed si volumus quod im-
mediatè à Deo, vt in dicta authent. quo-
modo oporteat Epis. & in authentica de
non alienan. in §.finimus, hoc intelligitur
permissiuè, & generaliter, quia à Deo est
omnis potestas, ad Romanos 13. & 23.
quæst.2.capit.quid culpatur, Sed effectua-
liter, & immediatè etiam in temporali-
bus principaliter data est Petro omnis po-
testas, cuius executionem in temporali-
bus Imperator recipit à Papa Petri Suc-
cessore, & Christi Vicario, vt in capitulo
licèt de transla. Prælat.de quo Alex. in
consil.87.in 2.volum.Alioquin si ab eodem
principio immediatè, & distinctè proce-
7 derent istæ potestates, videlicèt potestas
Papæ in spiritualibus, & potestas Impe-
ratoris in temporalibus sequeretur quod
fuissent dati duo eodem tempore Vica-
rij à Deo, cùm tamen Ecclesia vniuersa-
lis, & fidelium collectio vna sit, & vnum
corpus 7. quæstio prima. Nouatianus, &
vnum caput dicitur habere, qui est Papa,
vt in cap.loquitur, & in cap. rogamus 24.
quæst.1.glos.in Clem.ad nostrum de hæret.
Aliter vnum corpus haberet duo capita, &
esset monstrum, vt in capit.quoniam de
offic.ordinar.ad hoc extrauagans Bonifa-
cij, quæ incipit vnam sanctam, & esset
contra articulum fidei, & vnam sanctam
Ecclesiam Catholicam, in qua Ecclesia ita
est Imperator, & Reges. sicut cæteri alij.
Ita dicit Abbas Siculus in repet. cap. per
venerabilem in §. rationibus in fin.qui filij
sint legit. & Hostien. in dict.cap. causam
quæ el 2. eod.tit.& Alexand. in dicto cap.
cùm ad verum. Inde est quod Ecclesia di-
8 citur mater Imperij, vt in authen. vt de-
ter.sit num.cler. §.1.& in l. decernimus C.
de sacrosanct.Eccles.Et sic dicimus intelli-
gi quod dicit Bald. in l.cunctos populos
de summa Trinit.cùm dicit quod imperium
est à Deo permissiuè, & approbatiuè,item
formaliter, & effectiuè ea ratione, quia
tota collectio Christianorum hoc tenet,
quia illi obediunt, & quia à Papa confir-
matur. Quæ ratio ostendit, quod eius
temporalis iurisdictio sit ab Ecclesia, si il-
lud formaliter, & effectiuè surgit à colle-
ctione fidelium, quæ nihil aliud est,quàm
Ecclesia de consecrat. distinctione 1. capi-
tulo Ecclesia, cui Papa est caput est,& præ-
est, vt dicto capitulo rogamus, & 22. di-
stinctione capitulo sacrosancta, & dicit
S.Thom.in 3.part.quæst 8.artic.6.Non ob-
9 stat tex.& Angelus ibi in authen. quomo-
do oportet Episc.in princ. cùm dicit, ex
vno, eodemque principio vtraque proce-
dentia humanam exornant vitam, quia
non dicit vno eodemque tempore, & mo-
do, in quo est vis, quia ante Christi fidem
imperium fuit per tyrannidem, & à popu-
lo data est Imperatori omnis potestas, &
imperium, vt dicit tex.in §. sed quod prin-
cipi insti.de iure natu. & in l.prima ff.de
constit.prin. Quod bene prosequitur Ioan-
nes Igneus in quæstione vtrùm Rex Fran-
ciæ recognoscat Imperatorem in superio-
rem, & dicunt Doct.in illa ardua quæstio-
ne,an imperium dependeat à Papa in l.1.
C.de sacrosanct.Eccles.& in l.bene à Zeno-
ne C.de quadrien.præscrip.Sed post aduen-
tum Christi qui aliqua gessit, vt Imperator,
cum eiecit vendentes de templo, & aliqua,
vt Sacerdos, vt dicit glos.in cap.quoniam,
10.dist. & glos.in cap. cùm ad verum 96.
dist.& qui habuit omnem, & in omnes
potestatem in cœlo, & in terra, iuxta illud
Matth. vl.data est mihi omnis potestas in
cœlo,& in terra, & qui fuit Rex Regum,&
Dominus Dominantium, apocalyp. & pri-
mæ ad Timot.6.& à quo nos populus ele-
ctus, gens sancta, & regale Sacerdotium
cap vnico de sacra Vnct.& à quo omnis
potestas fuit data Petro in Cœlo, & in
terra cap.quodcumque 24. quæst.1.& con-
sequenter successoribus c. solitæ de maior.
& obed.& quia nullibi reperitur data ali-
qua potestas Imperatori, propterea Bart.
in dicta authen.quomodo opor.Epis. & in
dict.extrau.ad reprimendum, dicit Eccle-
siam habere vtrumque gladium, & quod
temporalis gladij exercitium Imperatori
concessum ab Ecclesia dependet per extra-
uagantem vnam sanctam, ad quod vide
Alex.de Imo. in dicto consil. 87. in 2. vol.
Et ista videtur veritas, vt imperium iustè
possideatur, eo quod præsertim Pontifices
transferre possunt imperium de vna gente
in aliam, & confirmant, & coronant Im-
peratores, vt dicto capitulo venerabilem
de elect. & Clem.Romani de iureiur.& il-
lum inungunt, vt de sacra Vnct. cap. 1. Et
Imperator non sine causa recipit gladium
de altari 93.dist.legimus, dicit Hostien.in
dicto capitulo causam el 2. Et Papa dat il-
li euaginatum, dicens accipe gladium
de super Beati Petri corpore sumptum &c.
Vt habetur in pontificali. ponit Brixien.
in verbo Papa. Vnde licèt exercitia iuris-
10 dictionum sint distincta, & separata, ta-
men vterque gladius fuit apud Petrum,hoc
est spiritualis, & secularis potestàs, per il-
lud ecce duo gladij hìc, & secundum Do-
min.in dicto capit.quoniam 10.dist.execu-
tio temporalis fuit interdicta Petro per il-
la verba,mitte gladium tuum in vaginam.
Vbi considero,quod Christus non per se
posuit gladium Petri in vagina, sed dixit
Petro, vt ipse poneret gladium in vagina,
& non dixit proijce gladium à te, quasi
non prohibuerit gladij temporalis pote-
statem

statem, sed vt per seipsum abstineret ab vsu gladij. Vnde Papa licèt habeat vtrius-
11 que gladij potestatem, tamen debet per se abstinere ab exercitio gladij temporalis, & hoc benè probat text. 23. quæst. 8. in princ. & 14. quæst. 1. si Petrus, vbi patet quod etiam materialem gladium exercuit
12 Petrus. Hodie tamen nulla est dubietas quin Imperator recipiat imperium à Papa, quia, & Electores habent potestatem eligendi à Papa, vt dicitur in dicto capitulo venerabilem. Et nunc verè, & cum bona conscientia tenetur imperium, nam de alijs Imperatoribus ante approbationem Ecclesiæ, qui erant veriùs vsurpatores poterat dubitari, vt dicit Abbas in dicto cap. venerabilem, & Albericus, & alij in dicta l. cunctos populos. Et vide omninò Alex. in dicto cap. verùm, vbi ostendit superioritatem gladij spiritualis ad temporalem, & quemadmodum temporalis descendit à spirituali, & quomodo est maioritas Papæ ad Imperatorem, & respondet ad motiua, quæ fiunt pro ptestate Imperatoris ibi, de quo vide remis. per Alexan. de Imo. in l. prima ff. de requi. reis. Et quod dependeat Imperium ab Ecclesia, disputat Iacobus de Beluiso in authen. de fide instru. §. 5. de quo per Bal. in tit. de pace Constan. invsi. feu. Et de his, & quomodò Ecclesia habeat vtrumque gladium, ponitur in dicto capitulo nouit, maximè per Barbatium, de iudic. Et de maioritate Papæ ad Imperatorem in capitulo licèt de foro compe. post Innoc. & dicto capitulo solitæ, & capitulo Abbate de re iudic. & Clem. pastoralis de re iudic. Et vide multum benè per Collectarium, qui etiam tenet, quod habeat vtrumque gladium in cap. antiqua de priuil.

Sed quia hodie est confusio, quia laici volunt disponere de spiritualibus, scilicèt conferendo beneficia, & clerici de temporalibus exponendo se armis, & secularibus negotijs, ideo mundus est in malo statu, vt dicit Dominicus in d. cap. quoniam 10. dist. Et Albericus in dict. l. benè à Zenone dicit, nouit ille, qui nihil ignorat quod præsidentes Romanæ Ecclesiæ sua astuta, & sagaci prudentia secundùm temporum varietatem sua variarunt statuta, modò Imperium sublimando, modò paulatim deprimendo, sed si quilibet esset contentus suis limitibus, & vnus alium coadiuuaret, sicut facere tenentur, puto quod pax esset in vniuerso orbe. Sed ego dico quidquid velit Alberic. quod vndique sunt angustiæ, nam modica etiam est reuerentia laicorum in clericos, intantum quod Papa de spiritualibus, & beneficijs parum potest disponere, & sæpius quasi cogitur dare principibus priuilegia, & iam gladius temporalis non ad tuitionem Ecclesiæ, sed ad depressionem videtur illis datus, contra illud quod dicitur in cap. Principes 23. quæst. 5. Sed quod Ecclesia habeat vtrumq;
13 gladium, multa adduci possent, quæ in locis supra allegatis à Doctoribus ponuntur. Sed hodie de hoc etiam est extrauagans vnam sanctam, quæ hoc clarè declarat, ideò indubiè dicendum est apud Ecclesiam esse vtrumque gladium. Et licèt Ioan. Mona. conatus fuerit peruertere sensum illius extrauagantis, secundùm quod dicit Ægidius Bellamera in dict. c. solitæ, & in dicto cap. nouit, de quo valdè miratur, cùm esset legatus de latere D. Bonifacij in Francia, tamen vt dicit Pauinus in glos. dictæ extrauagan. illud fuit, quia erat Gallicus, & Amicus Regis Philippi tunc regnantis. Et vt dicit Felinus in dict. cap. solitæ, ipse ex hoc forsan præbuit occasionem, vt Clemens V. qui fuit guasco, & transtulit Rom. curiam in Gallias, faceret extrauagantem meruit, per quam declarat quod per definitionem, & declarationem Bonifacij, quæ incipit vnam sanctam, Rex, & Regnum Franciæ non magis, aut minùs censentur subijci Romanæ Ecclesiæ, quàm antea subijciebantur. Quæ
14 si rectè considerentur, est modici momenti, quia negare esse necessarium subesse Romano Pontifici, qui est caput vniuersalis Ecclesiæ, vt in dict. cap. rogamus, esset contra articulum fidei, & vnam sanctam &c. & ponere plures Vicarios Christi, vide in Clem. ad nostrum, & quæ ibi dicuntur de hære. Nec per dictam declarationem Bonifacij aliqui de nouo subijciuntur magis, quàm antea essent subiecti. Et si Bonifacius in dicta extrauaganti declarat illud, quod priùs erat, ita Rex, & Reguicolæ prædicti astringebantur, sicut cæteri catholici, nec per dictam extrauagantem, meruit, à subiectione Vicarij Christi, & sedis Apostolicæ eximuntur argumen. eorum, quæ ponuntur in l. hæredes palam cum coucord. ff. de testam. Nec hoc negat Ioannes Igneus in quæstione, vtrùm Rex Franciæ recognoscat Superiorem, & in quæstione de Papa cùm respondet ad 8. contrarium in 21. char. Et de prædicta extrauaganti, meruit, facit mentionem glos. fin. in Clem. in plerisque, de elect. Et ex quo, de ea fit declaratio est ecclesiastica, non dubium est, quin spectet ad Papam Anton. & Abb. in cap. licèt de for. comper. remissiuè Bellencinus in cap. per venerabilem, in fin. qui filij sint legit. Et de materia an Ecclesia habeat vtrumque gladium vltra remissiones supra datas vide etiam remissiuè Felin. in dict. cap. solitæ, & Pauinum in fine glos. eius ad dictam extrauagantem vnam sanctam, &c.

15 Et quod dictum est, Ecclesiam habere vtrumque gladium, procedit sine dubio in ijs, quæ sunt de dominio Ecclesiæ. Sed non desunt dicentes numquam fuisse factā donationem à Constantino, & paleam cap. Constantinus dist. 96. esse falsam, de quorum numero est Æneas Syluius, qui posteà fuit Papa in suo dialogo in folio 21. vbi inuehitur contra miseros Legistas, qui tan-
16 tùm elaborarunt, vtrùm donatio Constantini facta Siluestro valuerit, cùm numquam fuerit facta, & ostendit vndè fuerit aucta potestas Sedis Apostolicæ. Hoc idem non sine multis conuitijs prosequitur Laurentius Valla de falsa donatione Constantini, & ferè per singula verba improbat paleam, dicto cap. Constantinus distinct. 96. Idem
17 etiam posuit Dantes in sua Monarchia, qui

qui quia pertinaciter voluit, quod imperium non dependeret ab Ecclesia, parum abfuit, quin fuerit de hæresi damnatus, vt dicit Bartolus in lege 1. ff. de requir. reis, licèt ipsemet Dantes in 19. Inferni videatur sentire contrarium, dùm dicit:

Hai Constantin di quanto mal fù madre,
Non la tua conuersion, ma quella dote,
Qual da te prese il primo ricco padre.

Item etiam Nicolaus de Cusa de concordantia catholica cap. 2. vbi ad hoc ostendendum allegat multas auctoritates, & scripta Sanctorum, & historias de beato Siluestro, in quibus nihil legitur de dicta donatione. Et idem dicit Hieronymus in excerptis in practica Cancellariæ folio 9. & seq. Sed fuisse factam, & non tenuisse in præiudicium successorum, ponunt multi Doctor. in procem. ff. in verbo, Augustus, cum gloss. ibid. & in authent. quomodò oportet Episc. in gloss. Quorum multos recitat Albericus de Ros. in dicto procem. Sed idem Albericus formam dictæ donationis ponit ad longum in lege 1. § initio, ff. de offic. Præfect. Vrbis, quæ est sub data Kalen. Aprilis, & aliam ponit infrà sumptam ex Isidoro in libro de synodis in gestis Concilij Nicæni, & est sub data 3. Kalen. Aprilis, & concordat cum capit. Constantinus dist. 96. Et in effectu omnes concordant, & verisimile est, quod de eadem concessione plures dederit literas diuersis temporibus. Nàm & in illis quando dicit Romanam Ecclesiam caput vniuersarum Ecclesiarum, dicit, sicut per alia imperialia decreta nostra statuimus, ex quo videtur, quod dederit de eadem re diuersis temporibus diuersa decreta. Cuperem autem, vt Albericus dixisset, vndè habuerit illud primum decretum dictæ donationis. Porrò mirum est quomodò Lau-
18 rentius Valla, Pius, & Dantes audeant astruere istam negatiuam, cuius est impossibilis probatio directa per rerum naturã, vt dicit textus in capit. bonæ il 1. de elect. & dist. 6. quæst. vlt. cap. actor, & cap. super hoc, de renunciat. cum similibus. Et ex hoc, quod legerunt historias, & non inuenerunt, non sequitur eam non fuisse factã, quia potest fuisse facta, & non esse scripta in historijs, potest quoque esse scripta, & ab ipsis non visa. Et profectò nimis contumeliosè insurgit Valla contra dictu cap. Constantinus, & contra Ecclesiasticos, ex quo vehementer redditur suspectus, nisi dicamus id fuisse factum licentia poetica. Et contra prædictos facit textus in capit. sancta dist. 15. vbi vita beati Siluestri ponitur inter authenticas scripturas, in qua affirmatur liberatio, & donatio Constantini, quod Alexand. ibi dicit notandum contra illos, qui temerè audent illam negare, quia historiæ eorum scriptores à spiritu prorsùs alieni ista literis non mandarunt, secularia tantùm gesta annotantes, nec est verisimile, quod tantum laborassent Doctores omnes in diuersis locis circa validitatem huius donationis, nisi pro certo habuissent illam fuisse factam. De quo vide remissiuè in glossa Pauini super extrauag. vnam sanctam, & remissiuè per Felinum in capit. solitæ in fin. de maior. & obedient. cum alijs etiam remissiuè per eum adductis, & remissiuè etiam Alexan. in procem. ff. & remissiuè Barbos. in postilla ad Bald. in procem. Codicis, in verbo Imperator Augustus, vbi dubitatiuè adducit aliqua pro parte negatiua, remittendo tandem se decisioni Romanæ Ecclesiæ. Item remissiuè Bertachinus in verbo donatio à Principe, & remissiuè Brixien. in verbo donatio, versic. an donatio facta per Constantinum. Ex quibus remissionibus colliges infinita loca, vbi agitur de dicta donatione. Facit textus in cap. intellecto, de iureiuran & Calderin. in tit. qui filij sint legitimi in tract. legitimationum, Doctor. in capit. ego Ludouicus distin. 53. & in dicto capit. Constantinus, & in Clement. 1. §. porrò, de iureiurand. & ibi remissiuè per Barbat. & Bartol. in lege prohibere §. fin. ff. quod vi, aut clam, & ibi remissiuè per Alexan. licèt loquatur in Rege, non in specie de donatione Constantini. Ad idem Archidiacon. distin. 16. quæst. 3, cap. placuit, Cardin. & alij post glossam in Clement. 1. de iureiur. Salyc. & Bald. in procem. Cod. alia, vide in locis supra remissiuè adductis, Signorellus in consil. 26. incipit quæstio talis, disputat hincindè, & vltimò adducit rationes pro negatiua, sed nihil apertè concludit. Et de
19 ista donatione facit mentionem text. in cap. futuram dist. 12. qu. 1. Contra quem opponit Nicolaus de Cusa, quod non probat hoc, sed tantùm, quod Imperator dimiserit Vrbem Romam Siluestro. Et profectò multùm contrariatur ille text. capit. futuram, ei quod legitur, quod beatus Siluester, qui fuit post Melchiadem auctorem dict. text. baptizauit Constantinum, vt patet in legenda eius in libro legendæ Sanctorum, cuius auctor ignoratur, & ei, quod legitur in festo beati Siluestri, & in dedicatione Ecclesiæ. De quo ad plenum Vincentium Histori lib. 13. à cap. 43. vsque ad 57. Nec releuat, quod glossa dicit, quod ille ille titulus ad capit. futuram est falsus, & quod etiam aliqui ibi voluerunt text. esse Iulij Papæ, & aliqui, quod illa sint verba Gratiani, sumpta ex lib. 10. historiæ Ecclesiasticæ, videlicet à versic. denique, vsque ad fin. cap. futuram. Nàm ego in dicto lib. 10. nihil inueni de donatijs factis per Constant. & quod tempore Melchiadis Constantinus esset Christianus, expresè ponit Aug. in epist. 162. ad Glorium, Eleusium, &
20 Felicem Grammaticum. Et maximè fit hoc verisimile, quia Constantinus fuit etiã Christianus tempore Eusebij, qui fuit secundus antè Siluestrum in Pontificatu, quo etiam tempore Helena ipsius mater reperit Crucem Domini nostri Iesu Christi, & inuentor Iudas baptizatus est, vt in vita Eusebij ponit Platina, & supplementum in eiusdem Eusebij vita, de quo est textus in cap. Crucis, de consecr. distin. 3. licèt idem Platina de Crucis inuentione ponat etiam in vita Siluestri. Et supplementum dicit inuentionem factam post Baptismum ab ea receptum: ait enim, quod baptizato

filio cùm vidisset Christi prodigia per beatum Siluestrum facta, expostulauit à Siluestro Baptismum, & quod eo suscepto confestim ad perquirendum sanctæ Crucis lignum Hierosolymam petijt; & hoc innuit Vincentius historialis vbi supra. Vnde dif-
21 ficile est concordare dicto capit. futuram cum cap. Constantinus dist. 96. & cum ijs, quæ ponit Vincentius histor. vbi supra, & cum cap. fundamenta, de elect. in 6. & cum extrauag. Clementis VI. quæ incipit Vnigenitus, vbi habetur, quod Constantinus fuerit baptizatus à Siluestro. Sed posset ad
22 cap. futuram sic responderi, quod text. ibi non dicit Constantinus fuisse tempore Melchiadis baptizatum, sed solùm, quod primus Imperator fuit Constantinus, qui fidem veritatis patenter adeptus est. Et hoc non discordat, quia Constantinus iàm tempore Melchiadis erat initiatus Christo, quia in signo Crucis superauerat Maxentium, & deindè dederat licentiam Christianis Ecclesijs fabricandi, & fidem Christi publicè prædicandi. Nec dicitur in eo capit. futuram, quod fecerit donationem generalem Ecclesiæ, sed quod immensa donaria contulerit Ecclesiæ, & sedem imperialem reliquerit, & beato Petro, successoribusque eius concesserit. Et sic non contrariatur, cap. Constantinus, nec cap. fundamenta, nec ei quod dicitur, in historia beati Syluestri, nam sicut legitur in historia triparrita infin. tertij lib. Constantinus distulit baptismum, quia volebat baptizari in Iordane, sed præuentus infirmitate, vt alij volunt, à Syluestro baptizatus est, & ei fecit donationem. Licèt, quod dicitur de dilatione baptismi, quousque ei ad Iordanem peruenire contingeret, Platina non admittat, nec sit verisimile, & communiter dicitur contrarium, vt dicitur in dicto cap. sancta, & locis supra allegatis. Ista
23 colliguntur ex Platina in vita Eusebij, & Melchiadis, & Marci, & Beati Syluestri Papæ, & etiam ex Vincentio historiali, & scholastica, & tripartita, quia Constantinus imperauit annis, 31. & Syluester vixit in Papatu 23. Et quia, vt legitur in 1. lib. tripar. cap. 6. Constantinus occiderat aliquos genere proximos, & in nece filij sui Crispi cooperator extiterat, non mirum est
24 si vir alias religiosus in pœnam tanti sceleris Dei nutu factus leprosus, & postea fonte baptismatis mundatus, donationem ampliorem Ecclesiæ fecerit, de qua in dicto capit. Constantinus, diuersam à donarijs Ecclesiæ Lateranen. de quibus in dict. cap. futuram, alioquin oportet necessariò dicere, quod ille tit. in dicto capit. futuram sit falsus, vt dicit gloss. ibidem. Sed in supplemento in vita Constantini dicitur, quod cùm ipse varias martyrum strages dedisset, elephantiæ morbo à Deo correptus est, & à Siluestro baptizatus, & curatus, & quod pro gratijs Deo exoluendis, dictam donationem fecit. Platina autem in vita Marci successoris Siluestri dicit eum à Siluestro baptizatum, sed quod in lepram inciderit, & baptismo mundatus sit, non credit. Vnde videmus quàm variè scribant Historici, & sępiùs cum audacia ex proprio sensu aliqui loquuntur, nullam adducentes auctoritatem. Sed omninò obstat epist.
25 Aug. ad Glorium, quę vult, quod Constantinus tempore Melchiadis fuerit Christianus. Verùm ad illam potest responderi, quod licèt Aug. faciendo mentionem de Melchiade, & de Constantino dicat Constantinum Imperatorem Christianum, non tamen dicit. quod factus fuisset, vel quod esset Christianus tempore Melchiadis, sed eum vocat Christianum, quia postea tempore Syluestri fuerat factus Christianus, sicut si hodie allegando Alexandrinum super vsib. feudor. vel super 4. decretalium, dicerem ita dicit Cardinal. Alexand. in vsib. feudo, vel in 4. decretalium, rectè allegarem, quamuis tempore editionis dictorum librorum nondum esset Cardinalis, quia sufficit, quod sit, vel fuerit Cardinalis tempore allegationis. Et istam solutionem computando tempora videtur sensisse Alexand. in dicto capitulo Constantinus, quam primò non videram. Sed adhuc videtur, quod responsio data ad capitulũ futuram non sit bona, quia text. videtur clarè sentire, quod esset tempore Melchiadis Christianus, & non quod esset initiatus, vel deliberatiuè Christianus, quia text. dicit, sed etiam Romani Principes, qui totius orbis Monarchiam tenebant ad fidem Christi, & ad baptismi sacramenta concurrerent, ex quibus vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, &c. Quod referendo ad verba præcedentia intelligi debet fidem veritatis adeptus, scilicet per baptismi sacramentum, & si tunc non fuisset baptizatus, alijs verbis de Constantino locutus fuisset. Et profectò impossibile est dare aliam responsionem, quam dedit glos. quod sit falsus titulus, quia oportet, quod ille text. sit vel Syluestri, vel alicuius ex suc-
26 cessoribus eius. Vide Iacobum Zenum Episcopum Patauinum de vitis Pontificum ad Paulum Papam II. in vita beati Syluestri, qui facit mentionem de text. d. cap. futuram, & ibi dicit, quod communiter dicitur, quod in inscriptione est error, & quod ille text. ascribitur Iulio, sed ipse dicit se vidisse in vetustissimis Codicibus, quod ille text. fuerit Lucij. Quicquid sit, opinio gloss. est vera, quod est error in
27 suprascriptione. Vtrùm autem baptizatus fuerit à Syluestro, variæ sunt opiniones nam multi asserunt, vt Hieronym. & Euseb. Cæsarien. Episcopus, ipsum in Arianam hæresim lapsum, fuisse baptizatum ab Eusebio Nicomedien. Episcopo in vlt. vitæ spiritu. Et Ambros. in oratione de obitu Theodosij inquit, licèt baptismatis gratia Constantino in vltimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit, quod etiam legitur in 4. lectione officij inuentionis S. Crucis. Vnde ex his inducta est varietas dę tempore conuersionis Constantini, nam nonnulli tenent eum in 8. vel 14. Imperij sui anno baptizatum fuisse à Siluestro & à lepra mundatum & tunc dictã donationem ab eo factam, & hoc

hoc ostendit capitulum Constantinus distinct. 96. quam dicunt paleam, & Albericus in dicto §. initio, & Isidorus inter gesta Nicæni Concilij, qui recitant dictam donationem, vt diximus supra. Alij idem
28 asserunt, sed dicunt eum postea in Arianam hæresim lapsum, fuisse ab Euseb. Nicomedien. Episcopo rebaptizatum. Et hoc consonat ijs, quæ tunc plures viri Catholici dicebant, qui volebant ab hæresi reuersos esse rebaptizandos, vt fuit Cyprianus Martyr. vt legitur in eius epistolis, & patet per multa iura 1. quæst. 1. Alij dicunt eum distulisse baptismum, eo quod decreuerat baptizari in Iordane, vt beatus Ambros. vbi supra, & habetur in 4. lectione inuentionis, Sanctæ Crucis, quamuis in legenda beati Siluestri in eodem libro legatur, quod Constantinus post plurimas Martyrum strages à Deo elephantia correptus tamdem à Siluestro baptizatus est. Et sic ista varietas ibi nascitur ex va-
29 rietate scribentium. Sed idem Iacobus Zenus allegatis omnium auctoritatibus concludit, credendum esse eum baptizatum fuisse à Siluestro, & quod scribitur Cõstantinum rebaptizatum fuisse ab Euseb. Nicomedien. Præsule Ariano, dicit intelligendum esse de Constantino eiusdem Constantini filio, vt legitur in vita Fœlicis Papæ, qui quartus fuit à Siluestro. Et ibi adducit multos auctores de Constantini vera fide, & perseuerantia, & quomodo iusserit Ecclesiam in honorem Saluatoris construi, & destrui templa gentilium, & dicit eum dictam donationem fecisse, non obstantibus omnibus, qui contrarium senserunt. Inquit insuper sibi admirationem fecisse, quod cum ad eius manus venisset ex Alemania antiquissimus codex de vita Constantini, & eius obseruantia in Christianos, & quomodo voluerit templa idolis olim dicata ad Dei veri cultum transferri, & quomodo inuitauerit omnes præmijs, & pollicitationibus ad religionem, & plura alia, tamen nihil ibi de baptismate, & donatione facta dicebatur, quod maximè adduxerat eum
30 in admirationem. Sed de hoc non est mirandum, quia Scriptores aliqui magis adhuc concisè narrant historias, nec hoc sequitur, quod non fuerit facta donatio, quam factam fuisse ponit Gelasius Papa, Isidor. Hispalen. Præsul, Adrianus Papa, Nicol. III. Bernardus in libro de consideratione ad Eugenium Papa, Damasus Papa, Moderni historici, Martinus Cusenrinus, Sigiberrus, Ptolomæus Poggius, Card. de Turrecremata Archiepiscopus Florentinus & Vincent. histor. vbi supra, vbi etiam dicit de lepra, & baptismate à Siluestr. & ibi ponit constitutum eius, siue epistolam directam sanctissimo Patri Patrum Siluestro omnibusque successoribus vrbis Romæ Episcopis, & est illa eadem, quam refero positam ab Isidoro, de qua dicit Vincentius, quod actor illam refert, proinde non dubitandum est, quin fuerit facta. Nec ex hoc quod aliqui scriptores tacent dictam donationem, & baptisma, sequitur quod non fuerit baptizatus à Siluestro, aut quod non fecerit donationem. Et multùm pro his facit benignitas Constantini in Christianos, & Victora ipsius, & Inuentio Crucis & erectio Palatij in Ecclesiam Lateranen. & ampliatio Ecclesiæ, & nominis Christiani ex illius Imperio, & possessio subsecuta, & tanto tempore continuata, licèt postea Ecclesia multas passa sit persecutiones. Nec est verisimile sanctos illos Pontifices voluisse mentiri, qui illam affirmant. Et de prædicta donatione Constantini, & quod baptizatus fuerit à Siluestro, & mũdatus à lepra, & de visione nocturna Apostolorum, multum ad plenum ponit Isidorus de Synodis in 1. par. cum tractat de Concilio Nicæno, & ibi ad longum recitat directum, siue constitutum Constantini Imperatoris decretum sancto Siluestro vrbis Romæ Episcopo, & omnibus eius successoribus, qui in Sede beati Petri vsque in finem sæculi sessuri sunt Pontificibus, & omnibus vbique terrarum Catholicis Episcopis quæ est sub data Romæ tertio Kal. Aprilis, Domino Flauio Constantino Augusto IV. & Gallicano IV. viris clarissimis consulibus. Et ibi in effectu ponuntur verba capitulo futuram 12. quæst. 1. & capitulo Constantinus distinct. 96. per quæ apparet, quod falsus est titulus de Melchiade
31 in dicto capitulo futuram. Nec obstant verba Ambros. cum dicit eum fuisse in vltimis baptizatum, quia id non debet referri ad vltimos dies vitæ ipsius Constantini, sed ad vltimas Christianorum persecutiones, vel ad multa per eum gesta, quæ ad fidei fauorem pertinebant, vt de Victoria Maxentij, de ædictis propositis in ædificationem Ecclesiarum, & de subuersione idolorum post emundationem à lepra, quia enim post hæc baptizatus est dicitur in extremis baptizatus, quamuis de his Ambros. non fecerit mentionem. Et est modus loquendi volentis omittere multa medio tempore gesta, & simile ei, quod ponitur in dicto capitulo futuram 12. quæst. 1. in vers. denique idem præfatus Princeps donaria immensa contulit, cum tamen eodem tempore, quo baptizatus est, & Palatium Lateranen. in Ecclesiam erigi curauerit, & donaria fecerit, non quod hæc fuerint vltima per eum, vel in vltimo Imperij eius anno gesta. Porro multi malignantur contra Sedem Apostolicam propter istam donationem, & ante culpant, quàm legant, quod mirum est, cum adhuc temporibus nostris fuerit in Ecclesia sancti Petri in frontispitio maioris arcus ante altare maius Constantinus Imperator in musaico depictus, literis aureis ostendens Saluatori, & beato Petro Apostolo Ecclesiam ipsam à se ædificatam videlicet Ecclesiam sancti Petri. Et vidi ego
32 multos Codices de dicta donatione loquentes, hominum malignitate corruptos vbi enim scriptum erat, concedimus Palatium nostrum Lateranen. deletum erat verbum concedimus, & adiectum contradicimus; & ad hunc modum vidi etiã aliquos libros decreti viciatos. Et rursùs ex hoc, quod Constantinus transtulit sedem Imperialem Bysantium, magis præsumendum est pro dicta donatione, quam contrà, cùm

pro parte negatiua nulla adducatur ratio, nisi,quod non legitur, & cùm satis constet, ipsum fuisse baptizatum. Quod autem ho-
33 diè non sit dubitandum de validitate huius donationis propter iuramentum, quod præstant Imperatores in sui coronatione, scilicet de non infirmando illam donationem, ponit Barbat. in Clem. 1. de iureiur. Quod iuramentum exigere, videtur superfluum, cùm illa donatio non tam fuerit donatio, quàm recognitio, siue restitutio, vt dicit Alexand. de Imol. in consil. 87. in volumine 2. & videntur communiter velle Doctor. in locis supra remissiuè adductis, quia facta est Siluestro pro Ecclesia recipiente, & consequenter Deo, cùm, & quod Deo legatur, Ecclesiæ censeatur legatum,
34 vt in Authent. de Eccles. tit. §. si quis in nomine. Igitur facta est illi donatio, cuius est omnium potestas, & imperium, quia Domini est terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & omnes, qui habitant in eo, vt dicitur in Psal. 23. & ipse est Rex Regum, & Dominus Dominantium. Ideò non opus est disputare, an Constantinus potuerit minuere Imperium, vel an potuerit successoribus præiudicare, cùm omnia antè Christum tyrannicè per Imperatores possiderentur, adueniente autem Saluatore nostro omnis potestas in Cœlo, & in terra in eum translata est, vt dicitur Matth. vlt. Et ideò postquàm Imperium factum est Christianum, & haberi cœpit ab Ecclesia, quæ illud transtulit in Germanos, capit. venerabilem, de elect. iure bono dominium habere cœpit, & Imperatores facti sunt filij Ecclesiæ, & non Domini, dist. 23. quæst. 8. cap. conuenior dist. 96. capit. si Imperator, & Clementina 1. de iureiurand. & Aduocati, & Defensores, dicta Clementina in §. porrò, & procurare debent, & seruare pacem Ecclesiæ dist. 23. quæst. 4. cap. quando vult, & multis alijs eadem causa, & quæstione 5.
35 Ideò disputare de dicta donatione videtur hodiè curiosis, & inquietis relinquendum. Et de ea est text. quem ad hoc allegat Albericus in dictionario suo in verbo Constantinus, & Baldus in procem. ff. in leg. Diui Constantini, Cod. de natur. liber. vbi dicit, Imperator Diui Constantini, qui veneranda Christianorum fide Romanorum minuit Imperium. Vndè apparet error eorum, qui tam audacter dicunt non fuisse factam donationem. Nec ex hoc, quod dictum capit. Constantinus dicitur palea, sequitur, quod non fuerit facta donatio. Nàm plures sunt canones in decreto, qui dicuntur paleæ, tamquàm non positi per Gratianum, qui non sunt minoris auctoritatis, quàm inserti per Gratianum.
36 Et de ista donatione Constantini, quod fuerit facta, & valuerit, vide omninò Alexand. in dicto cap. Constantinus, qui singula dicta Laurentij Vallæ discurrit, & reprobat; & vide etiam ibi Cardin. de Turrecremata. Et hæc de suscepto opere ad laudem Dei dicta sufficiant.

F. DOMINICI MARIÆ
MARCHESII

Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Magistri, ac Prouinciæ Regni Prouincialis, & olim Neapolitani Collegij S. Thomæ Studiorum Regentis.

THEOLOGIA BIPARTITA
In Dogmaticam, & Moralem.

TOMVS PRIMVS
In quo pro parte Dogmatica agitur de Supremo Legislatore, & Capite Ecclesiæ, Romano Pontifice.

Dominicus Maria Marchesius, natus ab Andræa Marchesio Præsidente Sacri Consilij S. Claræ Neapolis à prima iuuenta fuit Eques Hierosolymitanus, & exhortationibus vehementibus celeberrimi Fr. Ioannis de Altamura Dominicani, eiusque vita, & exemplo à Religione Militum Melitensium transijt ad Ordinem Patrum Prædicatorum, eiusque beneficij memor vitam eiusdem Ioannis scripsit. Missus est ad studendum Salmanticam, vbi fuit discipulus celebratissimi Godois, Episcopi Oxymensis, post relictos in Dominicana Familia insignes Auditores, inter quos omnium manibus teritur Ioannes Baptista Gonet. Hoc ipse fatetur in Dedicatoria suæ Theologiæ facta Salmantinæ Vniuersitati, & propter publicam obligationem, cùm Salmanticenses sint deuotissimi Angelici Doct. Asseclæ, & PP. Dominicani à F. Francisco Victoria latè tenuerint primariam illius Vniuersitatis Cathedram, semèl tantùm infaustissimo omine, & miserabili omninò successu interrupto eo ordine, & propter priuata beneficia, cùm à teneris annis per quinquennium integrum in illius gremio sit eruditus, & recognoscat scientiam suam totam ab illa, cuius bis se nominat minimum, sed fidelissimum Alumnum. Reuocatus Salmantica Neapolim destinatur Lector Philosophiæ in Collegio S. Dominici Maioris, deinde se transtulit ad Collegium Sancti Thomæ Aquinatis, fuitque ibi Lector, Magister Studiorum, Bacalaureus Ordinarius, legitque ibi Theologiam Moralem, deinde per plurimos annos in dicto Collegio fuit Regens, & Prouincialis Regni Neapolitani. Deinde nominante ipsum Catholica Maiestate electus est Puteolorum Episcopus. In eius promotione facta est illi oppositio, & obiectum impedimentum Canonicum, de deformitate corporis (erat enim nimiùm paruus, & distortis cruribus) & in eius defensionem eximium Scriptum edidit Sapientissimus Cardinalis Otthobonus, assumptus posteà ad Summum Pontificatum sub Alexandri Octaui nomine, & ipsius Electi sapientiam tacitam quidem, sed efficacissimam, & victricem Apologiam edidit. Eius autem Opera sunt infrascripta. Theologia Bipartita diuisa in Dogmaticam, & Moralem. Tomus primus, in quo pro parte Dogmatica agitur de Summo

mo Pontifice per totum, quem collocamus in Bibliotheca nostra, præcipuè cùm sit Modernus, & impugnet etiam Modernos contra Apostolicam Sedem stylum acuentes, pro parte morali agit I. De Legibus in communi, II. De Lege æterna, & naturali, III. De Lege humana, IV. De proprietatibus, conditionibus, & effectibus legis humanæ, V. De dispensatione. In secundo tomo pro parte Morali agit, De Iustitia, & Iure, & in parte Dogmatica, De Verbo scripto, & non scripto. In tertio tomo, De Sacramentis in parte morali, de ijsdem, ac Verbo Incarnato Sacramentorum Auctore in parte dogmatica. In quarto tomo in parte morali, De Immunitate Ecclesiastica, ac Censuris, & in parte dogmatica, De Indulgentijs, & Purgatorio, deque Ecclesiæ veræ notis. Vtitur autem Methodo Scholastica, vt ipse asserit, quia acriùs conuincit, & veritatem contra pertinaces meliùs demonstrat, vtitur tamen traditionibus, Scripturis, & Sanctis Patribus. Ista omnia opera ipsius Theologica enumerantur tamquam iam impressa ab Auctore Bibliothecæ Neapolitanæ, qui illius meminit. Sed ex notitijs habitis à PP. Neapolitanis eiusdem familiæ, & ad nos transmissis solùm scimus editum librum primum tùm Dogmaticæ, tùm Moralis, sic etiam in diuersis Bibliothecis etiam Theologicis, & celeberrimis, nonnisi primum tomum vidimus, quod argumento est solùm eumdem impressum. Edidit prætereà in lingua Italica, Il Sacro Diario Domenicano diuiso in sei Tomi in foglio, che contengono le Vite de' Santi, Beati, e Venerabili dell'Ordine de Predicatori, & ogni tomo contiene due mesi, in Napoli per Girolamo Fasulo 1668. in foglio. Edidit vlteriùs, La Vita del Venerabile Seruo di Dio Frà Gio.Leonardo di Fusco da Lettere dell'Ordine de Predicatori. In Napoli appresso il sudetto 1668. in 8. La Vita della Serua di Dio Suor Paola Marescа, detta di S. Teresa, Monaca nel Monastero di S.Caterina di Siena nella Città di Napoli, ristampata ad istanza di Gio.Domenico Maresca in Napoli per il sudetto Fasulo 1669. in 4. La Vita del glorioso Apostolo delle Spagne S.Vincenzo Ferreri dell'Ordine de Predicatori, in Napoli per il medesimo Fasulo 1670. in 8. Finalmente la Vita della B. Rosa di S. Maria, Peruana del Terz'Ordine di S. Domenico. In Napoli ristampata per Girolamo Fasulo 1668. in 4. Et vn Breue Compendio della Vita della Serua di Dio Suor Maria Villani dell'Ordine de Predicatori, in Napoli per il medesimo Fasulo 1670. in 8. vltra Vitam sui Patris Spiritualis, qui Cœlo peperit, & à terrena militia ad cœlestem vocauit; similiter Neapoli. Floruit sub Modernis Pontificibus Innocentio XI; Alexandro VIII; & sub præsenti fœlicissimè, & vtinam diù gubernante Catholicam Ecclesiam, nostrumque opus Protegente. Plura scripturus erat, & Theologiam totam perfecturus, sed Lectoratum, quem reliquerat in Religione suscepit in Episcopatu, legens Presbyteris suis, docens Christianam Doctrinam pueros, & per se ipsum pauperes omnes erudiens, vnde studium hoc, quod conscientiam onerat; aliud quoduis impedijt. Mortuus est Neapoli, sepultusque in Collegio S.Thomæ Aquinatis, vbi factæ sunt illi celeberrimæ exequiæ à Patribus eiusdem Collegij. Ipsius vtpotè nostris temporibus existentis pauci meminere excepta Bibliotheca Neapolitana, illius tamen notitias tùm virtutis, tùm integerrimæ vitæ à testibus ocularibus Neapoli hausimus, & vltimas vtpotè ad Bibliothecam non spectantes relinquimus.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS THEOLOGIÆ DOGMATICÆ,

DE CAPITE VISIBILI ECCLESIÆ.

PRÆFATIO.

SI à feculorum initio verum femper fuit militiam effe vitam hominis fuper terram; non mirùm fi hominum vitam moderari cogitantes, non tam regulis morum, quàm armis argumentorum onufti, in arenam defcendimus; Non enim aliter fortes illi Hebræi muros Hierufalem ædificaturi armati apparuere, itaut vna manu (facro fatente eloquio) opus facerent, alterâ gladium tenere coacti fuerint. Quid enim? nonnè pluribus nos, quàm Hebræi vndique hoftibus vallati in ædificando confcientias, quæ per muros Hierufalem, iuxtà Bedam intelliguntur, non folùm manipulis Moralis Theologiæ indigemus, fed etiam armis Dogmaticæ Theologiæ ad reprimendos veritatis hoftes, vndique & Ecclefiam, & confcientias, Hærefum erroribus, & vitiorum libertate infectantes defendere debemus. Deindè meritò vtramque in hoc opere iungere cogitauimus Theologiam Moralem fcilicet, & Dogmaticam. Vtrumque enim & confcientias fcilicet ædificare, & dogmata Ecclefiæ ab hoftibus defendere proprium Prædicatorum eft, munus eft Thomiftarum: nàm & à Domino ad hoc electos, fancta Mater Therefia (tefte P. Ribera Societatis Iefu in eius vita) antè facrofanctam Hoftiam orans, pluries vidit. Apparuit enim illi, fanctus quidam Ordinis fancti Dominici magnum volumen in manu habens (& fanctum Thomam fuiffe non dubito) viditque plures eiufdem Ordinis diftrictos gladios habentes in manibus, qui igniitis vultibus in campo ampliffimo præliabantur multos victos profternentes, alios occidentes, & contra hæréfes certamen fufceptum fore indixit. Nec mirum, nàm tota vis prælij Hæreticorum noftrorum temporum æquo paffu contra Thomiftas, ac contra (vt ipfi aiunt) Papiftas, directum eft.

Hinc Lutherus ille, qui contra Papiftas blafphemans, illos falfos, & falfarios, immò nil aliud, quàm fallere, & mentiri fcientes affirmat, eodem fpiritu contra Thomiftas inuenitur, & eorum Principem fanctum Thomam non finceros, non Euangelicos, non Chriftianos, non Paulinos, non Theologos, fed Dialecticos, Peripateticos, Pithagoricos, temerarios, Scholafticos, ideft (ait ille) Illufores, Thomiftros, Thomaftros, Impropriliftas appellat. Et alibi, Papatus eft, inquit, Principis Sathanæ peftilentiffima abominatio, quæ numquam fub Cælo fuit, aut futura eft. Viuens Papatus hoftis ero. Exuftus, bis hoftis ero. Facite Porci Thomiftæ, quod poteftis, Lutherum habebitis Vrfum in via, & Leænam in femita. Et ab eo didicerunt cæteri Sectarij: Thomiftas, eorumdemque fanctum Doctorem maledictis inceffere. Alij cum Herbrando Thomam, eiufque fectatores multa impia, abfurda, verboque Dei contraria docere affirmantes. Alij cum Miniftro Scotiæ, Rudes, & indoctos afferere non erubefcentes, immò alij cum eodem Luthero, fanctum Doctorem, multa fcripfiffe hæretica, eumque Afinum, & Mulum effe impijs linguis blafphemantes. Contra nos ergo Thomiftas excandefcit ira Sectariorum. Nos itaque armis inftructi ex Thomiftico promptuario, non veremur vna manu confcientiarum muros ædificare, Hæreticorum acies altera manu Thomiftico gladio fugare. Et fi apparatus belli (vt loquar cum Bafilio) aduersùm nos eft inftructus, omnifque cogitatio in acie conftitit, in nos quidem machinas, & infidias inftruunt, feque mutuò exortantur ad ferendas fuppetias, vt quifque peritia, aut robore valet. Cęterùm id, quod oppugnatur fides eft, hifque fcopus communis eft omnibus, vt foliditatem fidei in hominum labefactent Apoftolicam traditionem folo æquatam arguendo. At arma veftra, argumenta veftra, ò Hæretici (non ego, fed Auguftinus hìc loquitur) eloquijs fint redarguenda illorum, quos oportet, vt Populi Chriftiani veftris nouitatibus anteponant, eifque potiùs eligant adhærere, quàm vobis. Qui enim eftis (ait Tertullianus) quando, vndè veniftis? Quid in meo agro agitis, non mei? Quo denique iure fyluam meam ceaditis? Qua licentia fontes meos tranf-

transfuertitis? Qua potestate limites meos commouetis? Mea est possessio; quid hìc cæteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis Auctoribus, quorum fuit res.

Ad moderandas ergo conscientias, simulque ad eliminandos errores Hæreticorum, bipartitam hanc Theologiam institui; in qua tractatus vtriusque Theologiæ, Dogmaticæ scilicet, & Moralis sibi inuicem correspondentes absoluam. Vndè in primo tomo in parte Morali de Legibus disputabimus, cùm enim lex sit fundamentum moralitatis, testante Paulo, sine lege non esse peccatum; rationabiliter ab hoc tractatu incipimus. Et in parte Dogmatica, de Supremo Ecclesiæ Legislatore, & Capite Romano Pontifice consequenter agemus. In secundo, in parte Morali de Iustitia, & Iure; & in parte Dogmatica de Verbo scripto, & non scripto tractabimus. In tertio, de Sacramentis in parte Morali; de eisque, ac Verbo Incarnato Sacramentorum Auctore disputabimus in parte Dogmatica. Ac denique in quarto in parte Morali, de Immunitate Ecclesiastica, ac Censuris; & in parte Dogmatica de Indulgentijs, & Purgatorio, deque Ecclesiæ veræ notis differemus. Deo sua gratia fauente, & Augustino, ac Thoma, cæterisque Ecclesiæ sanctis Doctoribus sua sacra doctrina dirigentibus.

Nec vereor, quia, vt ait Cyprianus, alta est, & erecta Hæreticorum ceruix; nec quia cecidit inflexa est. Tumens animus, & superbus, nec quia victus fractus est. Iacens stantibus, & integris vulneratus minatur. Non inquam vereor: nàm si pertinacia insuperabiles vires habere conatur, quanta debet habere constantia, me docet Augustinus, quæ in eo homo, qui perseueranter, ac infatigabiliter agit, & Deo placere se nouit, & proculdubio non potest hominibus prudentibus displicere. At multi Heroes, multi Sapientes (dicet aliquis mihi) multi Fortes in arenam hanc descenderunt. Ad quid ergo tu paruulus ingenio, rationibus ignorans, & imbecillis doctrinis vis etiam contra Ecclesiæ hostes militare. Non inquam hæc timeo; nàm verum erit nunc dicere: Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ Hæreticorum, etiamsi infirmatæ sint contra eos linguæ eorum: & ego nouissimus, & ego inermis, & ego insipiens, & si hostes trucidare non valeo, trucidatos ostendam; & si de his triumphare non possum, ipsorum tamen iàm victorum trophæa, & spolia traducam: mihi sufficit pro causa Fidei, pro Religione defensione, iuxtà Fidei mensuram laborare, & militare Deo bonam militiam.

Methodus autem, qua vtar in his dissertationibus, Scholastica vndique erit. Quidquid mussitent Hæretrci: nàm sermo scholasticus, etsi simplex, sed apertus; incultus, sed clarus; demissus, sed conuincens; delicatulas aures Hæreticorum nostri temporis offendat, ego, qui veritatem quæro, non verborum amænitatem luxuriantem, non fucos decipientes, Augustini sententiam sequor lib. 1. de Gentib. contra Manich. cap. 1. dicentis: Cùm verò illi edoctis literis, & indoctos errore suo persequantur, & cùm promittant veritatem, à veritate conantur auertere, non ornato, politoque sermone conuincenda est vanitas eorum: derident enim Hæretici scholasticos, quia decipere volunt, non docere; odio habent scholasticam methodum, quia in apertum profert ipsorum fallacias. Tandem stomachantur Scholasticorum simplicitatem, quia non simplicem veritatem, sed vaniloquium exquirunt. Accipe ergo, pie Lector (dicam cum Cypriano) non diserta, sed fortia, nec audientiam popularis illecebrem culto sermone fucata; sed ad Diuinam indulgentiam prædicandam rudi veritate simplicia.

Arma nostræ militiæ erunt ex sacris literis testimonia, sanctorum Apostolorum traditiones, Conciliorum, Ecclesiæ decreta, & dogmata, sanctorum Patrum, specialiter Augustini, & Thomæ dicta, rationes, & argumenta; & vt cum Dauide spectaculum pulchrum instituamus (à Hierouymo edocti) extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimum caput proprio mucrone truncare, ipsorum Hæreticorum testimonia citantes, eorumque verba referentes, curabimus cum Damasceno ex ipsis plurimum aduersùs ipsos roboris comparare.

DISPVTATIO PRIMA.

An detur Caput Visibile Ecclesiæ, & quodnam sit.

CELEBRIS hæc disputatio nostris temporibus, plusquam in alijs reddita est, & à Neotericis contra Nouatores non solùm hæreticos, verùm etiam Catholicos plurimùm agitatur; Nos pro viribus nostris Deo dante, & Angelico Præceptore dirigente, claritate, & breuitate, qua possumus, illam tractabimus.

DVBIVM PRIMVM.

An detur vnum totius Ecclesiæ Caput, & legitimus Sponsus.

§. I.

Aliquibus suppositis errores Hæreticorum referuntur.

SVpponimus in Ecclesia Catholica (quam suo loco multiplicium ordinum, statuum, ac officiorum varietate ornatam, ostendemus) esse debere, & esse ordinem, siue gradus superioritatis, quo alij alijs præsint dignitate, officio, seu potestate contra aliquos Hæreticos Nouatores nullam Hierarchiam in Ecclesia recognoscentes. Quod ostendo primò ex S. Doctore in 4. sententiarum, ratione àd hanc formam redacta: Deus in naturalibus hanc legem præfixit, vt vltima per media perficerentur, & media per prima, vt docet Diuus Dionysius, vt in suis operibus repræsentaretur, non solùm secundùm, quod in se est, sed etiam secundùm quod alijs influit, ergo ne huiusmodi pulchritudo Ecclesię deesset, posuit in ea ordinem, vt quidam alijs præsint, influantque Sacramenta ministrando, eosque regendo.

Confirmatur, seù explicatur eadem ratio, æquè, vel magis debet esse ordinatus, & regulatus processus Ecclesiæ directus ad esse gratiæ, quàm processus naturæ ad esse naturale; sed in processu naturæ datur ordo, quo vnum in aliud influit ordinatè, scilicet vltima per media, & media per prima; ergo, & in Ecclesia debet esse ordo, quo alij alijs præsint, & alijs iuuent in doctrina, & Sacramentorum dispensatione.

Secundò probatur ratione desumpta ex Beato Gregorio Magno in cap. ad hoc 89. dist. illis verbis: [Quia verò quæcumque creatura in vna, eademque qualitate gubernari, vel viuere non potest; secundùm Cœlestium Militiarum exemplar nos instituit, quis dum Angeli, & Archangeli, liquet, quia non æquales sunt, sed in potestate, & ordine, sicut nostris differunt alter ab altero, &c.] Ex quibus sic formo rationem: Ecclesia Militans à Triumphanti, siuè Cœlesti est exemplata, iuxta illud Exodi 24. [Inspice, & fac secundùm exemplar tibi monstratum in monte;] & illud Dionysij in capit. 6. Ecclesiasticæ Hierarchiæ: [Nostra enim Hierarchia ab eo traditis ordinibus est disposita Sanctis, & Cœlestibus Hierarchijs conformis est.] Ac denique ex Diuo Gregorio super illud Iob 36. [Numquid nosti ordinem Cœli, & rationem eius pones in terra. Ordo quidem Cœli (subiunxit sanctus Doctor) in terra ponitur; hoc est in Militante Ecclesia, cùm à Triumphantis Ecclesiæ exemplari militans disponitur, & formatur,] sed in Cœlesti, & Triumphanti Ecclesia adest ordo Hierarchicus, consistens, vt definit D. Dionysius lib. Cœlestis Hierarchiæ cap. 3. in ordine, scientia, & actione Hierarchia enim à Hieros, quod est Sacrum, & Archos, quod est Princeps, quasi Sacer Principatus dicitur; ergo etiam in Ecclesia Militanti datur ordo hierarchicus potestatis.

Denique probatur, confusa est multitudo, & non ordinata vniuersitas, vbi non datur Hierarchia, & ordo superioris, & inferioris, sed Ecclesia vtpotè instituta à Sapientia increata, quæ iuxtà Apostolum ad Romanos, non facit, nisi ordinata, quia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, non potest esse confusa multitudo, ergo est Vniuersitas ordinata per ordinem Hierarchicum, vndè de ea dicitur Canticorum 4. quod sit, [vt castrorum acies ordinata,] & fuit præfigurata per illud 3. Regum 10. quod Regina Saba videns omnem sapientiam Salomonis, & habitacula seruorum, & ordinem subministrantium, non habebat vltra spiritum. Hinc Origenes lib. 2. super Cantica habet: [Per hoc puto Ecclesiasticum ordinem dici, qui in Episcopatus, vel Presbyterij sedibus habetur.] Hoc supposito.

Quia non est dabilis ordo inter plures, quorum vnus ab alio non dependeat, vel vtrumque ab vno Tertio, consequenter inquirimus, vtrum debet dari aliquod Caput Visibile, sub quo cœtus fidelium ordinetur.

Circa quod duo inter alios fuere errores Hæreticorum, primus (teste Epiphanio lib. 2. contra hæres. hæresi 59. quem sequuntur Irenæus lib. 3. cap. 2. & Baronius tomo 1. Annalium

lium pag. 128.) fuit Nabatorum affirmantium Christi primatum nulli hominum fuisse relictum, ac proindè nullum esse Caput visibile Ecclesiæ; quem errorem fuisse sequutos Donatistas, & Rogatianos, docet Diuus Augustinus in epist. 48. contra Valentinum, & Marcionem, & Montanum, vt refert Eusebius lib. 5. hist. cap. 16. ac denique in eodem, errore fuisse Nestorianos, & Iconomachos.

Secundus error fuit nostri temporis Nouatorum asserentium dari vtique in Ecclesia auctoritatem, iudicem, & Magistrum de rebus fidei Religionis, & morum, non tamen in vno Capite Visibili, sed in vniuscuiusque priuato iudicio, ita Lutherus, Caluinus, & Bucerus, nec non Wicleph, teste Magist. Cano lib. 5. de locis cap. 3. quos sequuntur Anabaptistæ, Munzeriani, & Iacobus Rex Angliæ, qui tamen inter se diuisi sunt; alios huiusmodi iudicium, & auctoritatem in priuata Dei reuelatione vnicuique facta constituentes, secundùm quam Deus vnicuique spirat, de his, quæ spectant ad mores, Religionem, & Fidem. Alios verò in iudicio vtique priuato, atque interno simul tamen cum Sacra Scriptura hoc iudiciale forum tribuentes, quatenus per instinctum internum vnusquisque fidelis sufficiens est ex Sacra Scriptura cognoscere, & discernere verùm à falso in materia Fidei, Religionis, & Morum. Omnes autem Hæretici in eo conueniunt, quod visibile, & supremum caput Ecclesiæ, vt de rebus Fidei, & de doctrina iudicet, omninò negent.

§. II.

Statuitur Catholica Veritas.

Conclusio. Conueniens fuit ponere in Ecclesia vnum caput visibile, quod sit Summus Princeps, Rector, & Gubernator totius Christianę Reipublicæ. Ita omnes Catholicæ Veritatis Sectatores.

Et probatur primò ratione desumpta ex Angelico Pręceptore in 4. contra gentes: Optimum regimen multitudinis, & Communitatis est, quod regatur per vnum, sed Ecclesiæ regimen, vtpotè à Deo, per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, est optimum; ergo per vnum debet Ecclesiæ regimen gubernari, maior probatur, tùm ex auctoritate Philosophi 11. Metaphysicæ, tùm ex 3. Politicor. Tùm ratione finis politici regiminis, quod est bonum, & pax Communitatis; vt ait Augustinus, sed causa pacis, & vnitatis congruentior est vnitas, quàm multitudo; ergo vnum debet esse caput Ecclesiæ, vndè dicitur Ezech. 34. [Suscitabo super eas Pastorem vnum.] Et cap. 37. [Et Pastor vnus erit omnium vestrum.]

Secundò probatur ratione desumpta ex Diuo Bernardo lib. 3. de consideratione ad Eugenium illis verbis: [Non vilem reputes formam hanc, quæ in terris formam habet in Cœlo, vidit hoc, qui dicebat: Vidi Ciuitatem Sanctam Hierusalem nouam descendentem de Cœlo, &c. Sicut enim Seraphim, & Cherubim, & cæteri Ordines sunt sub vno capite Deo, ita, & hic Patriarchæ, Archiepiscopi, & reliqui sub vno Pontifice Summo.] Ex quo sic formatur ratio in Ecclesia Triumphanti, & in Synagoga ponitur vnum caput, & Summus Pontifex; ergo etiam in Ecclesia Militanti Christiana. Consequentia tenet, nam Ecclesia Militans ideata est à Triumphanti, & succedit in locum Synagogæ, ergo non debet habere minorem vnitatem, ac proindè esse sub vno capite.

Tertiò probatur. Christus Dominus, dum viueret solus fuit visibile caput totius Ecclesiæ, iuxtà illud Apostoli ad Ephes. 1. [Deus autem dedit Christum caput Ecclesiæ super omnia;] ergo reliquit Ecclesiam suam sub vno capite visibili, sicut sub vno visibili fundauit, & gubernauit, dum viueret.

Respondent Hæretici, Christum non reliquisse aliquam personam caput visibile Ecclesiæ, cùm ipse maneat in æternum Ecclesiæ caput inuisibile, influens in illam spiritualis gratiæ largissima dona, non tamen est hodie caput visibile Ecclesiæ illam gubernans, sicut gubernabat, dum esset in carne visibili inter nos manens.

Sed contra est, nam vel ille visibilis Principatus, quem Christus exhibuit, dum viueret, iam perijt, vel modò etiam viget, si viget, ergo cùm non vigeat in persona Christi, quæ visibiliter apud nos non manet, debet dari caput visibile in Ecclesia, in quo vigeat, primum autem, quod scilicet perijt dici non potest, nam, & nulla datur ratio ad hoc dicendum, & datur ratio dicendi oppositum; si enim necessarius fuit in fundatione Ecclesiæ visibilis Christi Principatus, vt Ecclesiæ administraret, prædicaret, falsos à veris Prophetis demonstraret, veram à falsa doctrina discerneret, cùm tam isto tempore, quàm illo, hoc maximè necessarium sit, non est cur negemus Principatum illum visibilem in Ecclesia esse.

Secundò nam Christus in Ecclesiæ suæ regimen de facto vnum tantùm caput visibile statuit Matthæi 16. qui dixit: [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.] Vndè, & Christus imposuit Petro nomen Cephas, quæ vox lingua Syriaca capitis dignitatem significat, ad quod alludens Sponsa de capite Sponsi dicit Canticorum 5. [caput eius aurum optimum, vbi legunt, Septuaginta: Caput eius Cephas,] ergo de facto datur in Ecclesia caput aliquod visibile.

Dices ex Hæreticis Nouatoribus, Ecclesiam non indigere modò illo visibili regimine, quia Spiritu Christi regitur, & gubernatur, qua ratione Christus dixit: [Et ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.]

Sed contra est, nam necessariū est præter Spiritum Christi inuisibilē gubernari Ecclesiā per visibile caput, ergo modò indiget Ecclesia illo regimine visibili per visibile caput. Antecedens probatur, tum primò, dum Christus in terris viueret, Spiritus Christi Ecclesiam regebat, & nihilominus Christus secundùm carnem visibilem Ecclesiam gubernabat; ergo quia necesse erat præter Spiritum inuisibilem, quo Christus Ecclesiam regit dari visibile caput, per quod, tamquam per organum, & instrumentum visibile inuisibilis

lis

lis Spiritus Christi suam Ecclesiam gubernet, patet hæc consequentia, si sufficeret Ecclesiæ solo Spiritu Christi inuisibili gubernari frustrà, & sine necessitate Christus visibilis in terris apparens visibilem suum Principatum primus inchoasset, ergo si hoc fecit est, quia necessarium existimauit non solùm inuisibili Spiritu suo, sed per visibile caput Ecclesiam gubernare.

Tum secundò, antequam Christus visibiliter Ecclesiam gubernaret, etiam si Spiritu suo interno gubernasset, erant multi pseudo Prophetæ, & multi Magistri mendaces, qui Ecclesiam seducebant, vndè ad eadem mendacia refellenda, & opus diaboli dissoluendum visibiliter venit in mundum, iuxta illud Ioannis 10. [Quotquot venerunt à seipsis, & antequam ego mitterem eos, fures sunt, & latrones, fur non venit, nisi vt furetur, mactet, & perdet: Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.] Sed non minùs post Christi ascensum in Cœlum, quàm ante Christi aduentum in carne, sunt, & erunt Pseudoprophetæ, & Pseudo Christi, ac Magistri mendaces, iuxtà illud Matthæi 29. [Et erunt Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & facient signa, & prodigia, &c.] Et illud eiusdem Matthæi 24. [Et erunt multi falsi Prophetæ, & decipient multos,] Ergo non minùs post Christi ascensum requiritur caput visibile Ecclesiæ, quo Christus, tamquam per instrumentum visibile Ecclesiam regat, & ab erroribus defendat.

Tum denique, vel Ecclesia post Christi ascensum gubernatur à Petro, tamquam ab vno eius visibili capite, vel à solo Spiritu inuisibili Christi. Si primum dicatur à Lutheranis, quare modò Deus non gubernabit Ecclesiam suam, sicut gubernauit tempore Sancti Petri; si autem dicatur secundum, ergo frustrà Christus tradidit gubernationem Ecclesiæ suæ Petro, quando dixit: [Pasce oues meas, & tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum;] Quid enim Petro restabat gubernandum, si Ecclesiam suo solo Spiritu inuisibili gubernabat.

Denique probatur principaliter nostra conclusio ratione desumpta ex Diuo Thoma secunda secundæ quæst.1.art.10. Ecclesiæ Regnum, seù Principatus est Monarchicus, siue Regalis, sed Principatus Monarchicus est ille, in quo potestas regiminis est apud vnum toti multitudini Præsidentem, ergo talis à Deo constitutus fuit Ecclesiæ Principatus, vt vnus in eo præsideat, & principetur. Minor est certa, & docetur, tum à Philosopho 3. Politicorum cap. 7. & 8. politicorum capit. 10. tum à Diuo Thoma pluribus in locis, specialiter 2.2. quæst.5. art.1. ad secundum 4. contragentes cap. 76. de regimine Principum libro 1. & sequentibus docet hoc etiam Diuus Dionysius libro de Diuinis nominibus c. 11. & libro Ecclesiasticæ Hierarchiæ in principio, vbi habet, quod ratio ornatus, & decentissimæ dispositionis attenditur in ordinatorum consonantia, & connexione ad inuicem, & ad vnum simpliciter primum Monarcham, tum etiam ratione, illud regimen est optimum, & omnibus alijs præstantius, & nobilius, quo inter subditos Charitas, Pax, & Concordia maximè nutritur, conseruatur, & fouetur, iuxta illud Cassiodori: [Decet regalis apicis curam agentem sibi commissam custodire concordem.] Vnde Princeps pacis dicitur Christus Isaiæ 9. super cuius humerum factus est principatus, & totam legem suam in Charitate, & Pace fundauit, vnde Ioannis 18. moriturus, & suam vltimam voluntatem Apostolis relicturus, dixit. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, & post Resurrectionem suam Apostolus relicturus ait: [Pacem meam do vobis pacem relinquo vobis.] Maior verò probatur, tum quia Monarchia dicitur à Monos, quod est vnum, & Arcos, quod est Princeps, quasi vnus Princeps toti multitudini præsidens, tum etiam, nam in hoc differunt secundùm Philosophum. Monarchia ab Aristocratia, & Democratia, quod Aristocratia, est Principatus Optimatum, Democratia Principatus mediocrium, Monarchia verò Principatus vnius; hinc beatus Albertus Magnus omnia ista complectens in libro suo de Missa dicebat: [Hęc adunatio multorum, per omnem ordinē graduum Ecclesiæ ad vnum caput in Cęlo refulget, in naturis ostēditur, in operibus exemplificatur, in Diuinis legibus recipitur, & in toto corpore mystico obseruatur. In Cœlis enim Angeli ad Archangelos, Archangeli ad Principatus, & sic deinceps vsque ad Seraphim, secundùm obedientiæ, & illuminationis ordinem ordinati ordinantur, & ipsa multitudo Angelorum, quæ in quolibet est agmine ad vnam personam, quæ in quolibet ordine præeminet, adiuuatur, & ideò ordo Cœli vocatur, quia omnis ordo, est multorum in gradibus differentium ad vnum; hoc etiam in naturis ostenditur, vbi multi ramusculi ad virgas, vbi multæ virgæ ad ramum, vbi multi rami ad stipitem vnum, vbi multi stipites in vna radice infiguntur, vt omnia socia fiant, & participent succi, qui est in radice, ad Romanos 11. Socius radicis oliuæ, & pinguedinis factus es; sic multæ grues vnam sequuntur ordine literato; sic multa membra in corpore vnius capitis percipiunt beneficia. In Christi operibus hæc adunatio exemplificatur, quia sicut Christi, opus semper est in vnum colligere dispersa, sic diaboli opus est adunata diuidere, & dispergere. Hinc est quod Ioannis 10. dicitur: Fiet vnum ouile, & vnus Pastor: & Matthæi 12. qui non colligit mecum, dispergit. Hæc adunatio præcipitur in legibus Diuinis, quia sicut dicit beatus Dionysius: Lex Diuinitatis est per prima media, & per media vltima reducere & post plura; hoc etiam inquit, in toto corpore mystico, quod est Ecclesia obseruatur, in quo omnia ad vnum diriguntur, quæ Petri Clauibus committuntur, Matthæi 16. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, &c. hæc clauis vni committitur, vt plenitudo potestatis in vno ostendatur, & in alios ab illo secundùm partem sollicitudinis, ad quam comittatur.] Hæc omnia Magnus Albertus.

§. III.

Sophismata Hæreticorum diluuntur.

ARguunt aliqui ex huius veritatis hostibus contra nostram Catholicam propositionem. Solus Christus est caput totius Ecclesiæ; ergo frustrà ponitur in illa aliud visibile caput, quod sit Romanus Pontifex, antecedens probatur, tùm primò, quia vnitas vniuersalitatis Ecclesiæ sumitur ex ordine Populi Christiani ad vnum caput, quod est Saluator, & Redemptor ipsius, & cui Fide, Spe, & Charitate coniungitur, sed huiusmodi est Christus solus, & non aliquis alius, ergo &c. tum secundò, nam si alius, quàm Christus esset Ecclesiæ Princeps, & Monarcha, sequeretur, quod Ecclesia diceretur regnum Papæ, & non Christi, quod est absurdum; tum denique: nam sicut Christus est Monarcha totius Ecclesiæ, ita est Rex Regum, & Dominus Dominantium, ac proindè Monarcha totius Orbis, à quo omnis potestas deriuatur, iuxta illud: [Per me Reges regnant, & legum Conditores iura decernunt,] sed ex eo, quod sit Monarcha Regni temporalis nō sequitur, quod debeat dari vnus Rex, vel Monarcha visibilis totius Orbis in regno tēporali; ergo nec etiam in Eccles. debet dari vnus Monarcha, qualis est Papa.

Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam, licèt enim vnitas Corporis Christi, quod est Ecclesia, principaliter sumenda sit ex ordine ad Christum, qui est principale Caput eius, cui omnes Fideles Fide, & Charitate, & Spe, tanquam eius vera membra connectuntur, nihilominùs tamen ex ordine ad vnum Caput visibile, quale est principalis Christi Vicarius, quantum ad exteriorum gubernationem sumenda est. Ad probationem igitur primam distinguo antecedens; desumitur per ordinem ad Christum, tanquam ad inuisibile Caput; concedo antecedens, quantùm ad visibile, & exteriorem gubernationem, nego antecedens, & consequentiam. Viderat hanc obiectionem Angelicus noster Præceptor, & ita in 4. contra gentes cap. 76. iam ad illam responderat his verbis: [Si autem quis dicat, quod vnum caput, & vnus Pastor est Christus, qui est vnus Ecclesiæ Sponsus, non sufficienter respondet: Manifestum est enim, quod omnia Sacramenta Christus ipse perfecit; ipse enim est, qui baptizat Ioannis primo; ipse est, qui peccata dimittit; ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit in ara Crucis, in cuius virtute corpus eius continuò in Altari consecratur, & tamen quia corporaliter non erat cum fidelibus omnibus permansurus, elegit Ministros, per quos prædicta Fidelibus dispensaret, eadem ratione, qua præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit, quod alicui committeret, qui loco sui vniuersalis Ecclesiæ curam gereret, hinc est, quod Petro dixit antè Ascensionem suam: Pasce oues meas. Ioannis vltimo. Et antè Passionem: Tu autem aliquando conuersus, confirma Fratres tuos.] Hæc Sanctus Thomas.

Ad secundum dico, quod Regnum Ecclesiæ non dicitur Regnum Papæ, sed dicitur Regnum Christi, quia eadem species politiæ manet in principatu respectu principalis, & respectu Vicarij instituti à principali cum plenitudine potestatis, sicut idem Consistorium reputatur Episcopi, & sui Vicarij, vt habetur [in capit. Romana extra de appel. lib. 6. Præterquam quod non est inconueniens, quod Papa Rex nominetur, & Ecclesia eius Regnum, sicut nominatur Principes, iuxta illud Christi Domini: [Simon Petre, antequam de naui vocarem te, noui te, & super plebem meam Principem te constitui; vnde Augustinus exponens illud Psalmi 44. Delectauerunt te filiæ Regum, ita habet: Etenim omnes Ecclesiæ, quæ illis Euangelizantibus, & prædicantibus natæ sunt, filiæ Regum sunt, & Ecclesiæ filiæ Apostolorum, filiæ Regum sunt. Ille enim Rex Regum, illi autem Reges, de quibus dictum est: Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.] Hæc Augustinus. Non vtuntur tamen hoc nomine Summi Pontifices, tùm vt quemadmodum inter spirituales, & temporales Principes est discretio potestatis, ita in nominibus differentia, tùm etiam ad vitandum fastum, & superbiam, quæ nomine Regis importari videtur; sic enim eius Magister Christus docuit eum esse humilem, iuxta illud [Matthæi 11. Discite à me, quia mitis sum, & humile corde.]

Ad tertiam probationem respondeo concessa maiori, negando minorem, dico enim falsum esse in Vniuersitate Christiana non dari vnum Monarcham, qui tam in spiritualibus quàm in temporalibus præsideat vniuersis, quia vt infra (Deo auxiliante) probabimus, Papa, qui est ille vnus, qui Vice Christi omnibus præsidet, non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus Principatum habet in tota Republica Christiana, vt ibi latè explicabimus. Præterquamquod etiam dato, & non concesso, quod Papa non sit Princeps, & Rex vniuersalis in temporalibus, datur ratio discriminis inter regimen temporale, & spirituale, quia non est necessarium, quod leges ciuiles, quibus Regna reguntur sint conformes, siuè eædem apud omnes nationes propter varietatem morum, & conditiones hominum in diuersis Prouincijs, sed potiùs secundùm diuersitatem Prouinciarum variantur, at verò obseruantia Diuinæ legis, sine qua non datur ingressus ad vitam, iuxta illud [Matthæi 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,] Debet esse vna, & eadem, ac vniformis in tota Republica Christiana, & ideò necessarium est, vt vnus in tota ipsa Christiana Republica in spiritualibus residcat, non verò in temporalibus.

Secundò arguitur ab Hæreticis. In lege veteri Pontificatus supremus non fuit in vno tantùm, ergo neque in lege noua id debet seruari. Consequentia tenet, & antecedens probatur, tùm primò tempore Dauid erant Summi Sacerdotes Abiathar, & Sadoc, qui descendebant ex Aaron; Sadoc quidem per familiam Eleazar; Abiattar verò per familiam Ithamar, & hic cæteris omnibus præfuit cum Sadoc, vsque ad Salomonem, qui eum deposuit, vt dicitur 3. Regum. Secundò in lege veteri erant duæ leges, ergo in lege veteri erant duo Summi Sacerdotes, probatur consequentia, Summus Sacerdos Iudæorum tan-

tantùm se extendebat, & habebat auctoritatem supra eos, qui credebant intra Iudaismum, non verò se extendebat ad Fideles, qui erant inter Gentiles, qualis fuit Iob. Qui credebant, & habebant veram Dei fidem, & vtebantur Sacramentis legis naturæ pro iustificandis paruulis, ergo istis præerat alter summus Sacerdos, à quo possent de rebus fidei instrui, & ad quem in dubijs possent confugere, ergo erant duo summi Sacerdotes.

Respondeo, negando antecedens, ad primam probationem distinguo antecedens, fuit in vtroque per accidens ex ignorantia, scilicet iuris huius, vel alterius, concedo antecedens, per se, nego antecedens, & consequentiam; Sadoc enim, & Abiathar habebant probabile ius ad Pontificatum fundati in eo, quod tangit argumentum, quod vterque descendebant ab Aaron; Sadoc quidem per familiam Eleazari, cui primò annexum fuit summum Sacerdotium, perseuerauitque in ea vsque ad tempus Sampsonis; nam tunc propter peccatum, & ineptitudinem filiorum Eleazar cessauit in eis summum Sacerdotium, & transiuit ad Heli de filijs Ithamar, in cuius linea fuit summum Sacerdotium vsque ad mortem Abimelec interfecti à Saule in odium Dauid, vt habetur primò regum 22. & tunc Abiatar filius Abimelec confugit ad Dauid prætendens ab eo summum Sacerdotium, & retentus est à Dauid in officio Patris sui. Sadoc ex alia parte visis Sacerdotibus interfectis à Saule, qui descendebant ab Heli, prætendit iterum summum Sacerdotium redijsse ad suam familiam Eleazari, & maximè se fundabat in pacto initum à Domino cum Phinees filio Eleazari de eo, quod in domo eius perpetuum maneret Sacerdotium; propter quod Saul conseruauit eum in iure suo, vndè successo Dauid in Regno vtrumque tolerauit in officio quousque clariùs constaret, quis eorum verum ius ad Pontificatum haberet, vndè non potest sumi argumentum ex hoc casu, quod non fuerit in lege veteri vnus summus Sacerdos per se, sicut nec ex Schismate trium Pontificum tempore Concilij Constantiensis, quorum quilibet prætendebat suum verum ius ad Pontificatum.

Ad secundam probationem, concesso antecedenti nego consequentiam, dico enim, quod illi, qui credebant extrà Iudæos non habebant summum Sacerdotium, nec congruebat illi misero statui, & imperfecto, in quo fides, apud paucos inueniebatur explicita, & ferè omnes, qui saluabantur, erant per fidem Trinitatis, & Incarnationis tantùm implicitam. Et si aliquando aliquod dubium circa res fidei occurrebat, confugiebant pro solutione ad Prophetas, quorum ore tunc Deus loquebatur vsque dum loquutus est nobis in Filio, quem constituit Principem, & Sacerdotem vniuersi. Quod si velis populum tunc credentem extra Iudaismum habuisse alium Pontificem distinctum à summo Sacerdote Iudæorum. Vltro concedimus, eo quod Deus tunc ordinauerat, quod sub vna fide Christi mediatoris secundùm distinctas leges naturalem scilicet, & scriptam saluarentur, vbi autem est diuersitas legum, diuersum quoque Sacerdotium esse debet, sicut quando transfertur lex transferri debet (docente Apostolo ad Hebræos 7.) Sacerdotium. Iuxtà hanc ergo solutionem ab initio mundi, quando omnes fideles sub vna lege naturali erant, vnico summo Sacerdoti subdebantur, de quorum serie continuata ab Adamo vsque ad legem scriptam videndus est Sanderus lib. 7. de Visibili Monarchia. Voluit deindè Deus ob suos altissimos fines sibi eligere Populum, & dare illi specialem legem, & nihilominus relinquere alios saluandos in lege naturæ, vsque dum adueniret plenitudo temporis. in quo omnes adunaret sub vno Capite Christo Iesu, sub vna fide, & vna lege Christiana, consequenter sub vno summo Sacerdote eius Successore, & Vicario, & sic fieret, vt ipse dixit: [Vnum Ouile, & vnus Pastor.]

Arguitur tertiò, saluatur Ecclesiæ vnitas, & Monarchia absque eo, quod detur vnum visibile caput, ergo nulla datur ratio ponendi illud, antecedens probatur, saluatur talis vnitas per hoc, quod Christus sit eius Caput, & solùm Vicarij illius in terra Petrus, & cæteri Apostoli; ergo saluatur Ecclesiæ vnitas, et Monarchia sine visibili Capite. Antecedens probatur primò, seu explicatur hoc exemplo, esto in pluribus Prouincijs sint plures Proreges, non fit, quod ex illis non conficiatur vnum Regnum Monarchicum, quia omnes illæ Prouinciæ faciunt vnum Regnum sub vno Rege, ergo à simili etiam si potestas Ecclesiæ sit communis Pontifici, & alijs Episcopis, non dissoluitur vnitas Ecclesiæ, quia isti sunt tantùm plures Vicarij inter se independentes sub vnico Capite Christo, qui vt supra diximus, adhuc perseuerat caput inuisibile Ecclesiæ.

Respondeo ad hoc argumentum, negando antecedens, ad cuius probationem distinguo antecedens, inuisibile caput Ecclesiæ concedo antecedens, visibile nego antecedens, & consequentiam; nam esto in hoc statu Christus sit Caput inuisibile Ecclesiæ, est tamen necessarium aliud caput visibile, quod sit eius Vicarius repræsentans visibilitatem Capitis, quam habebat Christus, quando erat visibilis, & simile, quod adducitur, non est ad propositum, etenim in illis omnibus Prouincijs præest vnus visibilis supremus Rex, vndè ex multiplicatione Proregum non scinditur vnitas Regni, at verò Christus in terris non præest, vt visibilis, vnde si multiplicetur caput visibile, & sint plures supremæ potestates visibiles, non subsistit vnitas Ecclesiæ visibilis.

Sed instabis, & quidem difficilè argumentum, licet Christus non appareat in terris, adhuc tamen conseruat in Cœlis visibilis capitis dignitatem, quam habebat, dum degeret in terris, ergo ad seruandam vnitatem visibilis Ecclesiæ, non requiritur aliud caput visibile in terris. Antecedens probatur primò ex Ecclesia Triumphante, & Militante sit vnum indiuisibile Regnum, & vna Ecclesia, ergo sufficit ad eius vnitatem si caput eius visibile, quod est Christus, sit in Ecclesia Triumphanti, etiam si non existat præsens in Militanti, sicut Rex, vt seruet vnitatem sui Regni, non requiritur, quod sit præsens in omni parte ipsius, sed quod existat in aliqua principaliori Ciuitate eius,

Secundò probatur illud antecedens, si Christus non conseruaret rationem visibilis capitis, sed illam amisisset, sequeretur, quod

Sum-

Summus Pontifex non esset Vicarius Christi, sed eius successor: sicut non dicitur Vicarius Petri, sed successor eius, quia Petrus per mortem amisit dignitatem capitis visibilis Ecclesiæ.

Respondeo, distinguendo antecedens, conseruat rationem capitis visibilis in se, concedo antecedens, quoad nos, nego antecedens, & consequentiam; nam Christus esto in se visibilis maneat, & à Beatis videatur; non tamen visibiliter nos gubernat, & regit, sicut faciebat, quando nobiscum erat in terris. Ad primam probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens, ergo saluatur Ecclesiæ vnitas aliqualis, concedo consequentiam, illa vnitas specialis visibilis, quam militans Ecclesia habebat, quando Christus eam modum visibili gubernabat, nego consequentiam; quando enim Christus degebat in terris Ecclesia non solùm habebat caput visibile, sed etiam visibiliter in illam influens, & illam gubernans, sed modò tantùm inuisibiliter, vndè oportet, quod ponatur eius Vicarius, qui eam visibiliter gubernet.

Ad secundam probationem distinguo antecedens, si non conseruaret rationem visibilis capitis, visibiliter nos gubernantis, & regentis nego antecedens, in se, concedo antecedens, & nego consequentiam; esto enim Christus Dominus conseruet rationem capitis visibilis Ecclesiæ in Cœlo, non tamen nos visibiliter gubernat, & regit, sicut faciebat quando nobiscum erat, vnde opus fuit relinquere in terris vnum caput visibile suæ Ecclesiæ vices eius gerens, & modo visibili nos gubernans, & se habens, vt Vicarius ipsius, sicut contingit etiam multoties in gubernatione Politica; Rex enim Hispaniæ, quia non potest personaliter in omnibus Regnis suis esse, facit suos Proreges, sub quibus sunt alij Gubernatores Prouinciarum, & Ciuitatum, qui tamen Proreges dicuntur caput visibile ipsius Regni, & non sunt successores, sed Vicarij, seu Proreges talis Prouinciæ, vel Regni.

Nec valet si instes, vel Pontifex Romanus dicitur vniuersalis Pontifex Ecclesiæ, & sic Episcopi non essent capita suarum Ecclesiarum, quia monstruosum est corpus plura capita habens, vel non esset vniuersalis Pontifex, sicut de facto ordinatur in capite finali 49. dist. & sic non datur vna potestas vniuersalis, ac proindè vnum caput visibile.

Non inquam valet, nam dico esse Pontificem Romanum vniuersalem, non quidem alicuius Ecclesiæ particularis, sicut sunt Episcopi, sed habet plenitudinem potestatis super omnes Ecclesias, in quantum potest facere in qualibet Ecclesia, quidquid potest Episcopus in sua Ecclesia particulari, & plura alia, quæ nec etiam Episcopus potest in sua Ecclesia particulari, puta reseruare absolutionem alicuius casus, dispensare impedimentis matrimonij, vel ordinis, & alia huiusmodi, quæ Episcopus non potest etiam in propria Ecclesia.

DVBIVM II.

Vtrum soli Petro inter Apostolos fuerit concessa hæc suprema potestas Capitis.

§. I.

Relatis sententijs statuitur prima Conclusio.

Esto nostris temporibus error suscitatus fuerit, qui asserebat, Sanctum Petrum, & S.Paulum duos fuisse Eccl. Princip. qui vnicum efficiunt illius Caput, prodijtque in lucem tùm Gallico, tùm Latino idiomate anno 1645. damnatusque fuit, tanquam hæresis à suprema Sancta Romana Inquisitione, suo decreto emanato die vigesima quarta Ianuarij 1647. Fuerat tamen multò anteà quæstio hæc agitata, vt inter alios videre est in nostro [Cardinali Turrecremata lib. 2. sum. de Ecclesia cap. 5.] & deinceps, sed specialiter de Beato Paulo cap. 9. 13. & 16. Fuit igitur in hac parte duplex error, alter antiquior asserens à Christo Domino non fuisse concessum soli Beato Petro primatum, seu supremam potestatem gubernandi Ecclesiam, sed vel concessam toti Ecclesiæ, & multitudini illam conficienti, vt dixit Illyricus, vel solùm senioribus, vt voluit Caluinus, vel solis Principibus secularibus, vt Brentius, & Hæretici Angli dogmatizant, quibus fauet Vigorius Iurisconsultus, docens: claues non esse collatas personæ Petri, seiunctim à cæteris Apostolis, sed coniunctim, sicut (vt refert Gonet) licèt Deus Genesis 2. dicatur inspirasse in faciem hominis spiraculum vitæ, totum tamen corpus viuificauit, & anima totum corpus informat; ita quando dixit Petro: [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,] hoc conuenit toti Ecclesiæ; quibus adiungendi sunt Hæretici adducti à [Domino Caietano op. de primatu R. E.] qui docent, Pontificiam potestatem non immediatè homini esse collatam, sed mediante dono virtutis, ità quod prædito dono virtutis debeatur etiam Pontificia potestas, tamquam virtus glutinum sit quoddam iungens homini Pontificatum, vndè secundùm illos, claues non sunt collatæ personæ Petri, sed eius dono traditæ sunt singulari Ministro, puta Sacerdoti, seù iusto cuicumque Alter error fuit illius Doctoris Sorbonici damnati ab Innocentio X. qui, vt supra retulimus, non soli Petro, sed Petro, & Paulo fuisse collatam Pontificiam potestatem asseruit, ita tamen, quod ex illis non duo, sed vnum Ecclesiæ Caput coalescat. Sed contra omnes hos errores sit.

Prima Conclusio. Non dono virtutis, nec omnibus Apostolis, vel Ecclesiæ. Sed soli Beato Petro fuit à Christo Domino collata Pontificia potestas; ita omnes Doctores Catholici contra Sectarios, tàm antiquos, quàm nouatores.

Probatur prima pars, primò ex ipso Euãgelij textu [Matth. 16. Beatus es Simon Bariona,

riona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, &c. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum;] vbi, vt benè notat Caietanus, duo in hoc textu continentur, & præmium scilicet fructum suæ confessionis, & personam, cui facta est reuelatio, exhibita fuit confessio, & redditum præmium, quando quidem, & in eo, quod ipsum Beatum esse dixit, & in eo, quod fundamentum Ecclesiæ ipsum posuit, ibi: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;] vbi licèt Augustinus ait, quod ly Petra, & sumi possit pro Christo, & pro ipso Petro, iuxtà tamen contextum literæ, sumi probabiliùs pro Petro, probat Caietanus ex eo, quod dixit: Fundabo; si autem pro Christo sumeretur, debebat potiùs dicere, fundo, quia iam in Christo Ecclesia fundata erat, & tantùm fundanda remanebat in Petro eius Vicario. Et potestatem, quam ipsi dedit in eo, quod dixit: [Et tibi dabo claues.] vbi etiam notandum est, quod per ly Claues, altissima potestas Petri significatur; per claues enim Regia potestas, & Regnum denotatur, vndè de Christo dicitur [Isaiæ 22. Dabo Claues super humerum eius. Et Apoc. 3. Qui habet Clauem Dauid.]

Quod autem præmium hoc non qualitati alicui, seù virtuti, sed personæ Diui Petri sit data, manifestatur sic. In prima promissione, quod futurum esset fundamentum Ecclesiæ, sic habet: [Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.] vbi, vt docet Caietanus, notandum est illud pronomen Tu; demonstratur enim persona, cui Christus loquebatur, non qualitas aliqua; pronomen enim Tu, demonstrare substantiam sinè qualitate constat, etiam apud Grammaticos, & huic personæ per ly, Tu demonstratę adiungitur ly, Petrus, ad determinandam personam talem singularem, quæ esset Petrus, & non alius; & ideò incipit suam orationem: Et ego dico tibi, [Tu, (glossat Caietanus) non beatitudo tua, aut aliquid huiusmodi.] Tu, non vos, vt vnitas fundamenti Ecclesiæ, vnitas quoque personalis à Christo affirmata intelligatur. Similiter de Clauibus Regni Cœlorum non dicitur: Et tibi Petro, neque huic Petro; sed simpliciter, & absolutè: Tibi dabo claues, ad denotandum per hoc, quod dixit tibi, personæ, non qualitati, per Petram significatæ, puta fidei, vel constantiæ, præmium promittebat, personæ ergo per fidem qualificatæ promissum est futurum esse Ecclesiæ fundamentum, personæ verò nudæ promissæ sunt claues Regni Cœlorum. Ecclesiam igitur fundare, non Petro, sed Christo tribuitur; non enim dixit: Et super hanc petram ædificabis, sed ædificabo Ecclesiam meam, quasi diceret: Tu es Petrus, & tamquam petra, me ædificante super te petram, Ecclesiam meam, tu substinebis; in promissione verò clauium non sibi reseruauit Dominus officium claudendi, vel aperiẽdi, sed daturum se claues promisit, vt illi, cui dantur, agat aperiendo, vel claudendo Regnum Cœlorum. Ergo à primo ad vltimum potestas Capitis Ecclesiæ non fuit collata virtuti, sed personæ.

Quod autem personæ Petri in se, & non tantùm in persona Ecclesiæ facta sit hæc repromissio, probatur, aliud est enim personam Petri significasse Ecclesiam, cùm claues accepit, & aliud est, quod persona Petri non accepit claues; primum enim docetur à Sanctis Patribus, secundum verò non solùm (ait Caietanus) est error, sed error plusquam hæreticus. Et probatur eadem auctoritate. Illi dedit Christus claues, cui dixit: Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; sed hoc dixit soli Petro, & non toti Ecclesiæ. Ergo Petro, & non toti Ecclesiæ in persona Petri dedit claues. Minor probatur, si Ecclesiæ dixisset Christus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, commisisset intolerabilem, & nugatoriam battologiam, idem enim esset, ac si dixisset: Super Ecclesiam ædificabo Ecclesiam.

Secundò probatur ratione, nam vt supra arguebamus, Christus Ecclesiæ suæ Monarchicum regimen, non autem Democraticum, vel Aristocraticum instituit; ergo potestatem, & claues, non toti Ecclesiæ, sed vni dedit, ergo quando Petro dedit dicens: Tibi dabo claues Regni Cœlorum, non Ecclesiæ in persona Petri, sed ipsi Petro potestatem dedit, & Capitis dignitatem.

Vltimò probatur, hæc pars; verba in Sacra Scriptura, quando habent sensum literalem, non sunt ad metaphoricum reducenda, nisi ex literali maximum sequatur absurdum; ergo persona Petri, cui dedit Christus Claues, & potestatem; esto metaphoricè Ecclesiã significet; quia tamen literaliter personam propriam Petri in se ipsa propriè significat, nec ex hac significatione, aliquid inconueniens sequitur, sic est accipienda.

Vltimò probatur vltima pars, quod scilicèt soli Petro, & non cæteris Apostolis, fuit collata hæc potestas suprema, & dignitas Capitis. Primò auctoritate Sacræ Scripturæ, tùm ex illo Ioannis 16. iam adducta, vbi Christus tradens Petro potestatem, & Claues ad denotandum, quod illum præ cæteris Apostolis, Caput Ecclesiæ constituebat illum non solùm proprio nomine vocat, sed cuius filius sit, notat dicens: [Simon Bariona,] hoc est filius Ionæ, vt explicat ex alijs Sanctis Patribus Caietanus; tùm etiam, nam cùm dicat Christus: [Beatus es Simon Bariona, si hoc de omnibus Apostolis diceret, diceret etiam de Iuda, cui non poterat hoc conuenire; Sciebat enim Christus Iudam non credere, vt dicitur Ioannis 6. illis verbis: [Sunt quidam ex vobis, qui non credunt;] Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes, & quis traditurus esset eum, ergo non est loquutus omnibus Apostolis, sed soli Petro.

Secundò probatur hæc vltima pars, solus Petrus fuit constitutus Pastor supremus super cæteros Apostolos ex illo [Ioannis vltimo: Simon Ioannis pasce Agnos meos, pasce Oues meas, (ait Beatus Chrysostomus) loco mei præpositus esto, & Caput fratrum tuorum;] hoc idem probant loca Euangelij Matth. 17. vbi Dominus pro se, & pro Petro didragma, & tributum persoluit æquale. [Pensa enim didragmæ (inquit Ambrosius) solutio erat Capitis, vndè iam dabatur intelligi, quod Petrus post Christum super alios Apostolos Caput primus esset constituendus.] Hoc idem insinuat specialis oratio facta à Chri-

Christo ad Patrem pro fide Petri: [Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] De quo verbo Sanctus Leo Papa in quodam sermone, sic habet: [Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione, & formidine, & Diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen speciali cura à Domino Petrus suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit, in Petri ergo omnium fortitudo munitur, & omnium Diuinæ gratiæ ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.] Idem probant plurima alia loca, in quibus Euangelista, vel Petrum primum inter Apostolos numerat. [Primus (ait noster Albertus Magnus) dignitate non vocatione, & alia huiusmodi, quæ supra diximus, hoc idem probant, de quibus videndus est noster Cardinalis Turrecremata.

Tertiò probatur. Ille qui est Caput super omnia membra, primatum habere dignoscitur, sed Beatus Petrus Caput fuit Apostolorum, iuxtà illud [Ioannis 1. Tu vocaberis Cephas,] idest Caput. Super quem locum ait Beatus Pontifex Anacletus, & refertur [in capite sacrosancta dist. 22. Inter Beatos Apostolos quædam fuit discretio potestatis, & licèt sint omnes Apostoli, Petro tamen concessum est, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, idest Caput, & Principatum teneret Apostolatus.] Ille. Hoc similiter tota Ecclesia Catholica pleno ore confitetur, cùm illi decantat: [Tu es Pastor ouium, Princeps Apostolorum, tibi tradidit Deus claues Regni Cœlorum.]

§. II.

Argumenta Sectariorum soluuntur.

Contra primam partem Conclusionis, quod scilicèt Petro personaliter, & non tantùm eius virtuti, vel fidei sit collata Pontificia potestas, arguunt Sectarij primò omnes promissiones Pontificiæ potestatis, vel indicant, vel fundantur, non in Petri persona, sed in Petri virtute; ergo non personæ, sed virtuti fuit collata Pontificia potestas. Antecedens probatur, tùm primò, nam Dominus volens Petro tribuere hanc potestatem, sic incępit alloqui illi [Beatus es Simon Bariona;] in quibus verbis duo attribuit Petro, scilicet Beatitudinem in spe quidem verę fidei, & Bariona, quod filius Columbæ à Hieronymo interpretatur, sed Christus Dominus cùm nihil impertinens dixisset, non attribueret Petro beatitudinem in fidei spe fundatam, & simplicatem per Columbam adumbratam, iuxta illud: [Et simplices sicut Columbæ,] nisi duplex hæc virtus ad Pontificatum, & Ecclesiasticam potestatem pertineret, ergo omnis promissio in illo loco à Domino, Petro facta, non personæ, sed virtuti correspondet.

Tùm secundò, nam Christus Dominus assignans causalem accipiendæ potestatis, subiunxit. quod caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est; in quibus verbis monstratur non à carne, & sanguine, sed diuina reuelatione instruendum esse, qui alijs præficitur in fide Christiane erudiendis ergo non personæ, sed dono personæ facto ex Diuina reuelatione est potestas Pontificia collata.

Tùm tertiò probatur idem antecedens, prima, & principalis promissio facta Petro in illo loco, est illa: [Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;] ex hoc enim, quod Petrus constitutus fuerit fundamentum Ecclesiæ omnis alia potestas spiritualis, & temporalis debetur, sed hoc, quod est esse fundamentum Ecclesię non correspondet personæ Petri, sed eius virtuti, ergo non Petro, sed eius virtuti collata est Pontificia potestas. Minor probatur ex verbis ipsius Christi Domini, ait enim: [Tu es Petrus,] hoc est (vt glossa ibi notat) ob fidei fortitudinem, & confessionis constantiam. Et subiunxit. [Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã:] vbi per ly [hanc petram.] vt exponunt Hieronymus, Augustinus, & Cyprianus, intelligitur ipse Petrus, ergo esse fundamentum Ecclesiæ, non fuit collatum Petro, nisi mediante dono fortitudinis, & Fidei.

Respondeo ad hoc argumentum negando antecedens, ad probationem primam dico, nihil impertinens vtique Christum dixisse, non tamen in sensu à Sectarijs accomodato, sed quia voluit reddere vices Petro sui fidelis confessionis, laudans illam, & à Patre datam affirmans, quæ omnia non ad Pontificatum, sed ad personam Petri referri debent, & laudata persona ei postea, vt persona Petri est, Pontificiam potestatem tribuit, quapropter non dixit tuæ virtuti, sed tibi dabo claues, nec dixit super tuam virtutem, sed super hanc petram (vt explicant Hieronymus, & Augustinus) Ecclesiam ædificabo, vt explicaret, non virtuti, vel dono, sed Petri personæ potestatem clauium, & dignitatem fundandi Ecclesiam concessisse. Ex quibus patet solutio ad secundam probationem, non enim illa causalis, quia caro, & sanguinis, &c. referenda est ad Pontificiam potestatem, sed ad virtutem laudatam suæ fidelis confessionis.

Ad tertiam probationem antecedentis, dico, quod etsi demus illa verba: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam, esse referenda ad Pontificiam potestatem tantùm, ex hoc probatur, quod Pontificia potestas petat, tamquam sui fundamentum stabilitatem, & constantiam fidei in persona, cui tribuitur, vnde (vt infra dicemus) si Pontifex amitteret fidem, amitteret etiam, & Pontificatum, deponi enim posset à Concilio; non tamen ex hoc infertur, quod omnis, cui competit fides debet etiam competere Pontifici, & Ecclesiastica potestas, sed solùm Petro, eiusque legitimis successoribus, in quibus veræ fidei soliditas inuenitur; Quapropter non dixit Christus super petram, sed super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ad denotandum, quod fundamentum Ecclesiæ, non in quacumque fidei soliditate, sed in Petri tantùm fide posuit

fuit, & sicut solus Simon demonstratus est, dicendo: Tu es Petrus, sic solus repetitus est dicendo: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Secundò arguitur contra secundam partem conclusionis: omnibus Apostolis fuit à Christo Domino collata æqua potestas, ac Diuo Petro, ergo potestas Capitis Ecclesiæ non fuit collata Petro tantùm. Antecedens probatur, tùm primò omnis potestas collata à Christo Domino Petro, explicatur per illa duo, quod scilicèt ei dedit claues, potestatem scilicèt ligandi, atque soluendi, & per hoc, quod illi præcepit, vt pasceret oues suas, sed vtrumque cæteris Apostolis æquè collatum est à Christo Domino, ac Beato Petro; ergo minor probatur, ideò tradidit potestatem clauium Petro, quia ipsi dixit: [Quæcumque solueris super terram, erunt soluta, & in Cœlis, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata in Cœlis.] Sed hoc idem tradidit omnibus Apostolis Matth. 18. illis verbis: quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in Cœlo. Similiter si Petro dixit: [Pasce oues meas, hoc etiam Apostolis commisit, nam pascere gregem, vel contingit per doctrinam, & sic omnibus Apostolis competit, quia omnibus dictum est Matthæi 28. [Euntes in mundum, docete omnes gentes, vel exemplo vitæ;] & sic omnes audierunt Matth. 5. [Vos estis lux mundi, vel correctione peccatorum;] & hanc potestatem Ioann. 20. dedit quãdo omnibus dixit: [Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.] ergo quoad omnia munera æqualem potestatem Apostoli cum Petro acceperunt.

Secundò probatur idem antecedens: non maiorem potestatem habuit Petrus, quàm Christus, iuxtà illud: [Non est Seruus super Dominum suum, nec discipulus supra Magistrum;] sed Christus Dominus misit Apostolos suos cum æquali potestate, quam ipse habebat, iuxtà illud Ioannis 20. [Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum &c.] ergo æqualem potestatem dedit omnibus Apostolis, ac dedit Petro.

Tertiò, nam hæc maior potestas concessa Petro præ cæteris Apostolis ex eo probari posset, quia Petrus fuit à Christo positus in Ecclesia sua, tamquam eius fundamentum iuxtà illud: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;] sed etiam hoc cæteris Apostolis competit, cùm etiam ipsi fundamenta Ecclesiæ dicantur, iuxtà illud Apocalypsis 21. [quod murus ciuitatis Hierusalem,] scilicèt Sanctæ Ecclesiæ, [duodecim fundamenta habet, quæ habebant scripta nomina duodecim Apostolorum.] Denique probatur illud antecedens, Christus Dominus numquam constituit Petrum super Apostolos, sed potiùs eos esse æquales voluit, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos, vt dicitur Matthæi 22. ergo, &c.

Respondeo ad hoc argumentum, negando antecedens, ad primam probationem respondeo, quod licèt ex duplici illo capite à nobis probatum sit, Petrum esse Apostolorum, & totius Ecclesiæ Principem, non tamen in eo fundamur, quomodo arbitrati sunt Nouatores, nam primum fundamentum de receptione clauium, non in sola quacumque potestate absoluendi, & ligandi, vt cæteri habuerunt Apostoli, sed in aliqua præeminenti potestate. Quam plenitudinem potestatis super reliquos Apostolos, non, cùm Origene, ex eo, quod Petro dictum est in Cœlis, cæteris autem autem Apostolis in Cœlo, colligimus; sic enim, vt ait Bannes, etiam posset colligi oppositum, cùm Petro dictum sit, quodcumque ligaueris, in singulari; cæteris verò, quorumcumque remiseritis peccata, in plurali; sed vel ex eo, quod vt docet Sanctus Thomas, in 4. dist. 24. [Quamuis omnibus Apostolis data communiter sit potestas ligandi, atque soluendi, tamen vt in hac potestate aliquis ordo significaretur, primò soli Petro data est, deindè discipulis alijs, vt ostendatur, quod ab eo in alios debeat deriuari.] Vel cum Domino Caietano [de primatu Romani Pontificis] cap. 5. quod claues, quæ collatæ sunt Petro, plus aliquid dicunt, quàm potestatem ligandi, atque soluendi; isti enim sunt actus tantùm inadæquati potestatis clauium, vt enim latè probat, & explicat c. 7. in illa promissione: [Tibi dabo claues Regni Cælorum,] plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ illi promissæ, quæ quadruplex potestatis genus sub se cõprehendit, scilicèt iudiciariam, tam in foro interno pęnitentiæ, quàm in foro Ecclesię, quæ conuenit omni Ecclesiastico Iudici vtriusque fori; potestatem gubernatiuam Ecclesiæ Catholicæ, potestatem ad Purgatorium extensam; quatenus, scilicèt, vt subtiliter ait Caietanus, estò Christus non dederit Petro iudiciariam potestatem super Purgatorium dedit tamen claues Regni Cœlorum, aperiendi, vel claudendi his, qui sunt in Purgatorio, ac denique potestatem imperatiuam omnibus quomodolibet ad Ecclesiam spectantibus: vndè sub hac Petri potestate comprehenditur posse imperare Regibus, & Principibus omnibus in ordine ad Regnum Cœlorum. Et quod hæc suprema potestas sub nomine clauium intelligatur, patet ex modo loquendi Sacrę Scripturæ, in qua summi Sacerdotis plenipotentia, seù plenitudo potestatis per claues significatur, vndè Isaiæ 22. de Eliachin Sacerdotis Summi plenaria potestate dicitur: [Dabo clauem domus Dauid super humerum eius;] & Apocal. 3. de Christi potestate dicitur: [Qui habet clauem Dauid, aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.]

Similiter quando Christus commisit Petro, vt pasceret oues suas, ita Petro hoc commisit, vt speciali modo dictum sit ei, ac dictum est alijs Apostolis, nam vt docet Eminentissimus Turrecremata, ita dictum est Petro, vt in persona Petri, tamquam à quo, in alijs deriuanda erat potestas dictum est cæteris Apostolis; vndè Beatus Augustinus super Ioannem dicit, quod totius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam. Vel dicendum est, quod licèt modus ille pascendi communis fuerit omnibus Apostolis, non tamen æqualiter; discretio enim

potestatis fuit inter illos, vt dicit Anacletus Papa, & habetur [in capite Sacrosancta] dist. 22. Solus itaque Petrus habuit in vniuerso orbe potestatem pascendi, vtpotè totius Dominici gregis Pastor. Alij verò non vniuersaliter; sed secundùm mensuram taxandam per Petrum. Hinc Glossa super illud 1. Petri 5. [Pascite eum, qui in vobis est gregem sic habet: Sicut Dominus Petro curam totius gregis habere iussit, ita Petrus sequentibus iure mandat, vt eum quisque, qui secum est, gregem Dei sollicita gubernatione tueatur.

Ad secundam probationem respondeo, quod verba illa Christi Domini, vt rectè probat Caietanus, non loquuntur, nisi de auctoritate Apostolatus mittere enim, & mitti ad Apostolatum spectat iuxtà illud Ioan. 13. [Non est Seruus maior Domino suo, nec Apostolus maior est eo, qui misit illum.] Vnde ex hac auctoritate non habetur, nisi æqualitas Apostolatus, cæterùm Petro vltrà hoc promissum est à Domino fore Ecclesiæ fundamentum, & quod sibi darentur claues Regni Cœlorum.

Sed oppones, nam esse fundamentum Ecclesiæ, vel conuenit soli Christo, vel conuenit omnibus Apostolis, ergo non conuenit soli Petro, ac proindè ex hoc nequit inferri Principatus. Antecedens probatur, vel fundamentum Ecclesiæ est vnum, quod est solus Christus, iuxtà illud 1. ad Corinth. 3. [Fundamentum nemo potest ponere præter id, quod est Christus Iesus;] aut est multiplex, & sic omnes Apostoli sunt Ecclesiæ fundamentum, iuxtà illud ad Ephes. 2. [Superædificati super fundamentum Apostolorum, &c.

Similiter si claues dantur soli Petro, quarè dicuntur claues Ecclesiæ, & non dicuntur claues Petri?

Respondeo, quod esse Ecclesiæ fundamentum, si stat simpliciter, & totaliter, & cum exclusione aliorum, & sic conuenit Christo soli, vndè dicitur fundamentum, aliud nemo potest ponere, vel conuenit pluribus, & cum additione fundamenti totalis, idest Christi, & sic dicitur de Apostolis, & Prophetis, vndè in loco adducto [ad Ephes. 2.] adiungitur: [Ipso summo angulari lapide Christo Iesu.] Vel tertiò dicitur secundùm rationem quidem communicatam à Christo, sed vniuersaliorem, quàm alijs scilicet secundùm rationem Pastoris totius Ecclesiæ Christi, secundùm, quàm rationem non conuenit alijs Apostolis; hoc tamen habet communicatum à Christo, volente supra illum ædificare Ecclesiam suam, vndè dixit ipse Christus: [Ædificabo Ecclesiam meam,] vt ostendatur ex Christo Ecclesiæ ædificium principaliter dependere, & hoc conuenit soli Petro.

Ad aliam probationem respondeo, quod claues dicuntur, & Ecclesiæ, & Petri; Petri quidem, vt Capitis vtentis, per quem ad Ecclesiam deriuantur: Ecclesiæ autem dicuntur vt finis, quia propter Ecclesiam Petrus habet claues, & dicuntur claues Regni Cœlorum; ita tamen, quod secundùm earum totalitatem Ecclesia vtitur illis in suo capite, secundùm autem partialem vsum in Episcopis.

Et per hoc patet responsio ad tertiam principalem probationem illius antecedentis.

Ad vltimam nego antecedens, & ad probationem dico, quod Christus non interdixit omnem dominatum, seù principatum Apostolis, sed solùm dominatum, quo Gentiles, & homines mundani vtuntur in subditos; dominari enim potest dupliciter sumi, vt docet Sanctus Thomas [super Matthæum in postilla ad 22. caput,] vno modo accipitur pro præesse, & hoc modo non interdicitur à Christo Domino Apostolis, sed potiùs legitur dixisse Petro: [Super plebem meam Principem te constitui;] & in psalmis de Apostolis dicitur: [Constitues eos Principes super omnem terram.] Alio modo dominari dicitur correlatiuè ad seruum, & est idem, quòd seruiliter sibi subijcere subditos, & de hoc dominio loquutus est Christus Dominus, cùm dixit: [Principes gentium dominantur eorum,] idest in seruitutem sibi redigunt subditos, de quibus Ezech. 20. dicitur: [Principes tui in medio eius, tamquàm lupi rapaces.] Et hoc prohibet discipulis suis Dominus Iesus, quando ait: [Non erit ita inter vos.] Vnde Chrysostomus super prædictum locum Matthæi inquit: [Principes mundi ideò fiunt, vt dominentur minoribus suis, & abutantur vita eorum ad suas vtilitates, & glorias; Principes autem Ecclesiæ, vt seruiant minoribus suis, & ministrent eis quæcumque acceperunt à Christo, vt suas vtilitates negligant, & illorum procurent.] Ille.

Sed oppones, nam Lucæ 22. narratur, quod facta est contentio inter Apostolos, quis eorum videretur esse maior, quam quæstionem compescuit Saluator dicendo: [Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur, vos autem non sic, sed si quis maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.] Ex quibus verbis duplex formatur instantia contra datam solutionem, primò sic Apostoli de maioritate honoris, scilicèt seù primatus contendebant, sed si habuissent Principem, & Superiorem cùm eis fuisset notum, de hoc non contendissent, ergo nullus inter eos primatum, etiam, vt à nobis remanet explicatum, habebat. Secundò Dominus contentionem compescens commune, ait; Vt singuli se minores alijs reputarent, sed hoc facere Apostoli non potuissent, si aliquis inter eos habuisset Principatum, cùm ipse verè non posset se existimare minorem alijs; ergo nullum Principatum inter Apostolos Christus constituit.

Respondeo ad primam instantiam negando consequentiam, dicimus enim, quod licèt Apostoli, tunc nondum plenè cognouerant quis inter eos post Christi ascensum cæteris præsidere deberet, & ideò de hoc contendebant, non indè sequitur, quod Christus Dominus præordinauerit nullum fore inter ipsos maiorem, immò ex verbis ipsius Christi clarè videtur inferri oppositum, nam cùm Christus dixerit: [Si quis maior est in vobis, fiat sicut minor, &c.] supponit aliquem fore maiorem.

Ad secundam instantiam, distinguo antecedens, vt singuli reputarent se singulis mino-

minoris inferioritate humilitatis, concedo maiorem, inferioritate officij, seù auctoritatis, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; Christus enim in illo loco tantùm docuit Apostolos esse humiles, & quod ille, qui esset maior, debebat esse humilior, iuxtà illud [Ecclesiast.3. Quantò maior es, tantò te humilia in omnibus,] & hoc etiam docuit suo exemplo; non enim negauit se esse Magistrum, & Dominum, iuxtà illud [Ioann.13. Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim. Cæterùm non sicut Magister, & Dominus, sed sicut Minister, & Seruus erat in medio eorum.

Tertiò arguitur Christus Dominus non Petro, sed Ecclesiæ dedit claues, & potestatem; ergo per hoc, quod dixit Petro: Tibi dabo claues, ipsum non constituit Caput Ecclesiæ, consequentia tenet, & antecedens probatur primò, vt enim exponit Augustinus [tract.50. in Ioannem. Si in Petro, ait, non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus: Tibi dabo claues Regni Cœlorum, si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem, & in Ecclesia fit, Petrus, quoniam claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit, &c.

Secundò antecedens probatur, quando Christus dedit claues Petro, apertè suis verbis significauit, quod non Petro in propria persona, sed in persona Ecclesiæ ipsas dedit; sic enim habet: [Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.] Vbi apertè monstratur, quod persona, supra quam Christus fundauit Ecclesiam suam, & cui dedit claues, non erat persona Petri, sed persona Ecclesiæ, tùm quia non est caro, & sanguis, qualis est persona Petri, quæ paulò post, quia carnem, & sanguinem sapiebat prohibens Domino ad passionem, & mortem ire Sathan ab ipso vocatur, nec solidus vsque in finem permansit, sed illa, cui à Patre reuelata fuit Diuinitas Christi, ergo, &c. tùm etiam, nam ei promisit claues, & potestatem, qui eius diuinitatem confessus est, sed Petrus, vt placet Hieronymo, & Chrysostomo, ex persona omnium Apostolorum, & totius Ecclesiæ, respondit tamquam os, & caput illius, ergo omnibus, & toti Ecclesiæ in persona Petri promissæ sunt claues.

Tertiò probatur illud antecedens, quando Papa eligitur, non secum habet claues Ecclesiæ, aliàs fuisset Papa antè electionem, ergo accipit eas ab Ecclesia, cum non sit alius, à quo possit accipere. Similiter quando Papa moritur, authoritas remanet cum clauibus, & non nisi in Ecclesia; ergo Ecclesiæ fuerunt à Christo promissæ, & datæ, & ab illa postea Papæ communicatæ.

Respondeo negando antecedens ad primam probationem, respondeo Augustinum in loco adducto solùm intendisse Petrum accepisse claues, & potestatem, non quidem, vt persona ea particularis, sed vt Pastor, & caput Ecclesiæ, ex quo tantùm sequitur, quod claues ex eo, quod datæ sint Petro, tanquam capiti formaliter datæ, sunt etiam Ecclesiæ, tamquàm corpori talis capitis, quod enim formaliter datur capiti, datur etiam formaliter, & corpori, ita tamen, quod id, quod datur capiti, datur corpori, nonnisi vt communicatum à capite, vndè Leo Papa, & refertur [cap. ita Dominus dist. 19.] affirmat à Petro in totum corpus potestatem deriuari.

Ad secundam probationem antecedentis dico, quod esto Dominus dederit Petro claues, & potestatem in præmium suæ confessionis fidelis, quam dixit non fuisse ex proprijs viribus naturalibus ipsius Petri elicitam, sed solùm Diuina illustrante, & reuelante gratia, non sequitur illam non habuisse Petrum in persona propria, sicut quilibet Sanctus, etiam si nonnisi virtute supernaturali auxilij Diuini, elicit actum charitatis supernaturalis, non sequitur, quod talis actus meritorius, & præmium ei correspondens non tribuatur Sancto. Ad aliam probationem illius antecedentis dico, quod loqui vnum in persona aliorum contingit tripliciter, vel scilicet per viam commissionis, vel ex officio, vel per viam ratificationis, Princeps Apostolorum non loquutus est per viam commissionis, cùm nullibi reperiatur facta ei ab Apostolis talis commissio, neque loquutus est solùm ex officio, cùm post illam responsionem commissum sit ei officium Principis Apostolorum. Dicendum est ergo loquutum esse, tamquàm os Apostolorum per viam ratificationis, quia scilicet grata fuit, & ratihabita cæteris Apostolis confessio Petri, & hoc solùm intendisse Chrysostomum, & Hieronymum in argumento adductos.

Ad tertiam probationem antecedentis respondeo, quod electus in Papam accipit claues à Christo, eadem traditione sibi] donatas, qua eas contulit Petro, quando enim semel eas Petro dedit, non solùm illi dedit, sed etiam illius successoribus in Pontificatum, sic ergo Papa electus ab Ecclesia, non recipit ab Ecclesia, sed à Christo potestatem, de quo tamen infra.

§. III.

Vltimùm argumentum soluitur, & monstratur, quod Beatus Paulus non habuit in Ecclesia æqualem potestatem cum Petro.

Denique arguunt contra nostram conclusionem Hæretici, Paulus habuit à Christo Domino æqualem potestatem cum Petro, ergo non soli Petro fuit tradita à Christo Domino potestas clauium, & principatus Ecclesiæ. Antecedens probatur primò, non minùs Paulus, quàm Petrus dicitur Episcopus, & Pastor Romanæ Ecclesiæ, ergo non soli Petro, &c. Antecedens probatur tùm ex [Chrysostomo hom. 25. in epist.2. ad Cor. vbi habet: Paulus vniuersum terrarum orbem, quasi familiam vnam gubernauit. Et S. Petrus Damianus epist. 15. Non vni tantùm Ecclesiæ, sed omnibus præfuit Paulus. Sed clariùs ex Epiphanio hæresi 27. vbi habet: Primi autem Romæ Apostoli, & Episcopi fuerunt Pe-

trus, & Paulus. Et S. Leo Papa serm. 1. de Petro, & Paulo: Petrus, (inquit) & Paulus Romanæ Ecclesiæ veri Pastores. His addunt duo S.R.E. Cardinales Cusan. in epist. 2. ad Cor. illis verbis: Petrus, & Paulus vnius sedis, & Episcopatus titulum erexerunt. Et Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice cap. 2. Petrum, & Paulum (ait) primos in Sede Romana Episcopos sedisse, omnes veteres docent.

Secundò probatur idem antecedens, Sancti Patres, & Summi Pontifices appellant Paulum nunc collegam, modò fratrem, & aliquando consortem Petri in dignitate principatus, ergo participat cum illo Pontificiam dignitatem. Antecedens suadetur, nam Petrus Chrysologus serm. 6. in psal. 99. vocat Petrum Pauli collegam. Similiter S. Gregorius Magnus lib. 1. Dialog. cap. 12. Paulus (inquit) in principatu Apostolico frater Petri. Et S. Leo Papa serm. 1. de Sanctis Petro, & Paulo consors, ait: Paulus gloriæ Petri; ac denique Chrysostomus, Paulum eiusdem dignitatis cum Petro esse demonstrat in cap. 2. ad Gal.

Tertiò probatur idem antecedens, Augustinus serm. 25. de Sanctis, loquens de Petro, & Paulo, ait: [Ambos vno honore Deus ditauit.] Et S. Venantius Fortunatus dignitatis honore pares, & sedis honore curules Paulum, & Petrum affirmat, ergo in eadem Sede Pontificia collocant.

Quartò probatur antecedens, Petrus, & Paulus leges latas sic Romæ subscribebant, teste [Clemente Romano lib. 8. constit. cap. 33. Ego Paulus, Ego Petrus constituimus; ergo, &c.

Quintò, nam Paulus non dubitauit coram omnibus palam reprehendere Petrum, & illum, vt reprehensibilem obiurgare, ergo colligunt Sancti Doctores, inter quos Ambrosius [in cap. 2. ad Galatas] habere parem potestatem cum Petro.

Denique arguunt ex diuersis titulis, quos attribuunt Sancti Patres Petro, & Paulo, quod scilicet sint duo luminaria magna in Ecclesia Dei, duæ Columnæ Ecclesiæ, vt [S. Maxim. in Nat. Petri, & Pauli duo Oculi splendentes Romæ. Sicut Chrisost. hom. 32. in epist. ad Rom. Duo orbis Doctores, & Magistri. Ita Ambros. serm. de Sanctis Petro, & Paulo duo Iudices humani generis. De quo S. Maximus hom. 4. in festo Sanctorum Petri, & Pauli. Duo Duces Ecclesiæ; ita Augustinus ser. 29. de Sanct. & Diuus Gregorius hom. 18. in Ezech. & similes;] ergo sentiunt isti Sancti Patres pares, esse in Pontificatu Petrum, & Paulum.

Ob hæc argumenta non solùm antiqui Hæretici, verùm etiam quidam Anonymus Doctor Sorbonicus, non multis ab hinc annis docuit, Paulum vnà cum Petro constituisse vnum Ecclesiæ caput, & fuisse simul cum Petro Romanum Pontificem, quem errorem iam nascentem in Gallia, & typis mandatum Gallico idiomate publicauit anno Domini 1645. contra quem acerrimè, & pugnauit, & vsque ad necem confutauit Doctissimus noster Magister Generalis Ordinis Frater Thomas Turcus, tunc temporis visitationis gratia in Galliam profectus; contra hunc ergo errorem sit.

Secunda conclusio, solus Petrus Pontificiam dignitatem, ac clauium potestatem à Christo Domino super totam Ecclesiam habuit, ac proindè Paulus non est ei in potestate, & dignitate æqualis. Ita fuit definitum in Sacro Sanctissimæ, ac generalis Inquisitionis Senatu coram Sanctissimo Domino Innocentio X. die 24. Ianuarij 1647. Vbi tamquàm hæretica damnata fuit hæc propositio: Sanctus Petrus, & Sanctus Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes; qui vnum efficiunt eius caput. Vndè sic docent nostram conclusionem omnes Theologi, ex professo (Augustinus de Bellis per totum suum librum, quem inscripsit de absoluta Diui Petri Monarchia, Macedo de Clauibus Ecclesiæ lib. 1. Diatriba speciali, Lezana tomo de varijs consultis consulto vltimo, Diana in calce nonæ partis, Dominicus à Sanctissima Trinitate tomo 3. sect. 4. cap. 3. & ex nostris Bertinus in suis contemplationibus, Gonet 2. 2. qu. 1. ar. 10. Ferre de fide q. 11. §. 3.

Probatur primò, S. Petrus solus institutus fuit pastor supremus, per illa verba [Ioannis vltimo: Pasce agnos meos, pasce oues meas:] sed omnes Apostoli, etiam Paulus, sunt oues Christi, ergo Petrus fuit Pastor omnium Apostolorum, etiam Pauli: consequentia tenet, quia oues sunt subditæ, & non æquales Pastori. Minor verò probatur illa propositio: [Pasce oues meas,] æquiualet vniuersali, ac si diceret: pasce omnes oues meas, nam ly meas extendit ly oues, ad standum pro quibuscumque ouibus, ad quas se extendit ly meas. sicuti quando Christus Dominus dixit [Ioannis 10. Animam meam pono pro ouibus meis: ly meis facit, vt propositio illa intelligatur de omnibus ouibus Christi, quas ipse ponendo animam suam, redemit, vndè [Caietanus sic habet in tract. 3. de Romano Pontifice. Quod (Ioannis 21.) Christus promisit, hic exhibuit, & propterea, quia ei propter Ecclesiam promisit hic omnes oues commisit.]

Dices estò illa propositio: [Pasce oues meas,] intelligatur pro omnibus, etiam Apostolis, non tamen de Beato Paulo, propter priuilegium illi concessum, sicut ab illa vniuersali, omnes in Adam peccauerunt, excipitur ab aliquibus Doctoribus Beatiss. Virgo, propter speciale priuilegium Maternitatis.

Sed contra est, nam hoc priuilegium Diuo Paulo concessum, neque formaliter, neque virtualiter habetur in sacris literis, nec in sacris Commentatoribus, & Doctoribus, sicut habetur de priuilegio concesso Beatissimę Virgini, apud grauissimos Ecclesiæ Doctores, qui reddunt illam sententiam valdè probabilem, ergo est dispar ratio de exceptione vnius vniuersalis, ac de alia. Antecedens probatur, & quod formaliter non sit, patet, quia non adducitur ex Sacra Scriptura locus, in quo hoc priuilegium ponatur, imò potiùs oppositum, vt statim videbimus. Quod autem nec etiam virtualiter, probo hac ratione.

Quinque priuilegia communiter Ecclesiæ, ac eius Capiti tribuuntur, primum est primatus super vniuersas orbis Ecclesias, quod Christus dedit, cùm dixit, [super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:] Sed hoc fuit concessum soli Petro, cùm Christus ipsum allo-

alloquens, dixit. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] quod non potest intelligi de Paulo, quando hæc dicta fuerunt tempore, quo ipse nedum non erat petra, quin potiùs deuastabat Ecclesiam; vndè [S. Damasus Papa in epist. ad Concil. Afric. Scitis, ait, Apostolicam Sedem constitutam esse verticem omnium Ecclesiarum, dicente Christo; Tu es Petrus &c.

Sed dices etiam Paulus principatum, hunc, & primatum in Ecclesia habuit, docente [Ambrosio in caput 2. ad Galatas: Paulus gratiam primatus sibi soli à Deo concessam vendicat, sicut & soli Petro concessa est inter Apostolos,] ergo sicut Petro, ita & Paulo hoc primum priuilegium competit.

Sed contra nam primatus concessus ab Ambrosio, Paulo non est primatus regiminis, & Pontificius, sed primatus prædicationis, & magisterij, vndè his verbis se declarat in illo loco. Paulus dignus fuit habere primatum prædicationis in prædicatione gentium, sicut habebat Petrus in prædicatione circumcisionis, soli tamen Petro concessa est gratia primatus inter Apostolos, ergo non habuit Paulus primatum inter Apostolos, sicut Petrus, sed solum primatum prædicationis, & sapientiæ, vndè benè canebat, [Diuus Fortunatus lib 12. ad Chilper. Princeps claue Petrus, primus quoque dogmate Paulus.]

Sed adhuc oppones Chrysostomum, [orat. 1. de oratione, [appellantem Paulum Ducem Apostolorum, ergo non solùm in doctrina, & prædicatione, sed etiam in Pontificia potestate, & regimine æquè ac Petrus primatum habuit.

Sed contra, nam estò Paulus Dux Apostolorum à Chrysostomo fuerit appellatus. non tamen omnium Apostolorum, sicut & Petrus, vt enim ait, [Gregorius Magnus l. 4. epistolarum epist. 31. Paulus Caput erat singularum plebium, Petrus verò primum membrum vniuersalis Ecclesiæ] itaque principatus Pauli inter Apostolos assertus à Chrysostomo, non est intelligendus inter Apostolos vocatos à Domino in illo duodenario numero Apostolorum, sed de Apostolis illis de quibus ait. [Hieronymus in cap. 2. ad Galatas,] quod omnes, qui Dominum viderant, & prædicant, Apostoli sunt appellati, inter quos Paulus primatum habuit. hinc definitur [in Concilio Valentino sessione vltima in literis sacræ vnionis Rom. Pontificem. In Beato Petro plenariam potestatem traditam esse gubernandi vniuersalem Ecclesiam. Et Bernardus lib. 3. de considerat. Alij, inquit, in partem sollicitudinis, Petrus in plenitudine potestatis vocatus fuit.

Secundum priuilegium concessum Petro, & per ipsum Romanæ Ecclesiæ, fuit esse Magistrum totius orbis, & vniuersorum Christi fidelium, quod concessum fuit Petro quando dixit, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, vt docuit Innocentius III. epistola ad Episcopum Constantinopolitanum, de quo priuilegio S. Bernardus sermone de Io. Baptista, ait, Caput, Mater, & Magistra omnium Ecclesiarum Romana est Ecclesia vbi dictum est, [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat, fides tua,] ergo hoc Magisterium, vt vides soli Petro promissum, & non Paulo, qui adhuc inter Christi oues non connumerabatur fuit concessum.

Dices, quod licèt Paulus non fuerit constitutus Magister orbis per illa verba adducta, & dicta soli Petro, nihilominus tamen fuit Paulus Doctor vniuersalis Ecclesiæ quia, vt ipsa Ecclesia canit in quadam prosaque recitatur in Missa festi Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli à Religione Dominicana, cuius Auctor fuit Adam de Sancto Victore, Paulus pollet Magistratu totius Ecclesiæ, & ipsemet Paulus fatetur in 2. ad Corinthios 11. [Instantia mea quotidiana, & sollicitudo omnium Ecclesiarum,] ergo & hoc priuilegium inuenitur Paulo concessum.

Sed contra, nam etsi prædictis auctoritatibus tantùm habeatur, quod Paulus sit doctior Petro, quantùm ad doctrinam, quam reliquit scriptam in vtilitatem totius Ecclesiæ, cùm enim Petrus non nisi duas epistolas canonicas scripserit, Paulus verò tot epistolas ad diuersas Ecclesias tam doctas ac sapientia plenas, vt totius Theologiæ thesaurus esse videantur, ideò canit Victor, & cum illo Ecclesia Dominicana in illa prosa præit Paulus Magistratu totius Ecclesiæ, non autem de Magistratu potestatiuo, vt ita dicam, & definitiuo ex Cathredra, quod ad primatum, & principatum Petri spectat, de quo in eadem prosa dicitur, præit Petrus, principatu totius Ecclesiæ, & idem dicimus ad locum adductum ex epistola ad Corinth. habuit enim sollicitudinem omnium Ecclesiarum, ad quas epistolas suas scribebat, & sapientia sua docebat, quæ solutio desumitur ex Diuo Ambrosio in Psal. 118. illis verbis: [Paulo ad euocandas gentes Deus dedit primatum, & sapientiam,] & vt docet Sanctus Thomas in 4. sentent. dist. 19. qu. 2. explicans Diuum Maximum docentem soli Paulo datam fuisse clauem scientiæ, idest excellentiam, & magisterium scientiæ, cùm fuerit à Deo laureatus gentium doctoratu: hoc enim significat apud Patres clauis scientiæ, vt notat Tertullianus lib. 4. contra Marcianem cap. 27. explicans illud Lucæ 11. Væ vobis legis periti, qui habetis clauem scientiæ, scilicet magisterium.

Tertium priuilegium est potestas clauiũ ligandi, atque soluendi, quod soli Petro fuit concessum. quando dixit: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum,] in quo loco soli Petro, vt supra ex Sanctis Patribus diximus, datur vniuersalis, & plenaria potestas ligandi, atque soluendi, quod priuilegium sinè dubio, Paulo non fuit concessum, nisi communicatum à Petro, sicut fuit communicatum cæteris Apostolis, eorumque successoribus, iuxta illud Theophylacti in cap. 18. Matth. [Quamuis soli Petro dictum sit, tibi dabo claues omnibus tamen Apostolis concessæ sunt, ita tamen, quod vt ait Hieronymus lib. 1. aduersùs Iouinianum: Licèt Sancti Apostoli claues Regni Cœlorum accipiant, tamen inter duodecim vnus Petrus eligitur, vt Capite constituto, schismatis tollatur occasio.] Ex qua auctoritate iam remanent solutæ, & explicatæ illæ, quas ex Sacris Doctoribus affert Ano-

Anonymus ille Sorbonicus, in quibus, sicut Petro, ita & Paulo claues Regni Cœlorum à Christo Domino tributæ esse dicuntur.

Quartum priuilegium tributum Petro à Christo, tamquam Capiti Ecclesiæ, fuit indefectibilitas fidei, illis verbis [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, quod soli Petro & non Paulo tributum fuisse docuit [Bernardus epistola 190. ad Innocentium Papam. Huius Sanctæ Sedis prærogatiua (inquit) hæc est, vt ibi fides non possit sentire defectum, cui enim alteri dictum est aliquando, Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.

Quintum denique priuilegium Ecclesiæ in persona Petri concessum est iudiciaria totius Orbis potestas, quam Christus Petro tradidit, cùm dixit: [Tibi dabo claues, iuxtà Victorem Papam epist. ad Theophylactum Alexandrinum Causas Episcoporum definiri inconsulto Pontifice non est permissum cùm Beato Petro à Domino dictum sit: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis. Et Zephyrinus Papa ad Episcopos Siciliæ: Maiores Ecclesiæ causæ à Sede Apostolica sunt terminandæ, cùm Beato Apostolo Petro dictum sit, quodcumque ligaueris super terram, &c. Et canone 2. epist. Iulij Papæ primi. Episcopi (dicitur) in grauioribus causis liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam, tamquam ad Matrem confugiant.] At hoc priuilegium non fuit, concessum Paulo, qui tunc non solùm erat in potestate constitutus in Ecclesia, sed sub potestate tenebrarum, ergo non fuit hæc potestas illi concessa.

Secundò probatur euidentissima ratione nostra conclusio, Ecclesia, vt supra probauimus, est perfectissima Monarchia, ergo debet habere vnum Caput, sed si Petrus, & Paulus essent Compontifices, & coæquales Principes Ecclesiæ, non essent vnum Caput sed duo, ergo solus Petrus, & non Paulus est Pontifex, & Princeps vniuersalis Ecclesiæ.

Dices cum illo Anonymo se non lædere vnitatem Ecclesiæ, quia ipse non dat duo Capita, sed vnum, cum dicat ex Petro, & Paulo non fieri duo Capita, sed vnum tantùm coalescere Caput.

Sed contra, nam hæc solutio verbis ludit potiùs, quàm argumentum soluat, nam sic instatur Petrus, & Paulus per te sunt duæ supremæ potestates, quarum quælibet sibi omnia membra Ecclesiæ subordinat, & quarum vna alteri non subordinatur, ergo secundùm rei proprietatem sunt duo Capita Ecclesiæ, probatur consequentia, per Caput Ecclesiæ hoc intelligimus, quod omnia membra ei subordinantur, & illud nulli alteri personæ Ecclesiæ subordinetur, ergo si in Ecclesia dantur duo Supremi, quorum vnus alteri non subordinatur, dantur duo Capita in illa. Tùm secundò, nam vel quod vnus, alteri non subordinetur, tollit rationem supremi Capitis, vel non, si non tollit, ergo nullum erit in Ecclesia supremum Caput. Tùm tertiò, si aliquis admitteret dari duos supremos Deos inter se nullo modo subordinatos. etiam si assereret ex illis fieri vnum Deum, nihilominùs conuinceretur, vel quod nullum Deum supremum agnosceret, vel quod duos Deos supremos admitteret, ergo si duo Capita suprema faciunt Petrus, & Paulus inter se non subordinata, vel nullum supremum Caput faciunt, vel sunt duo Capita Ecclesiæ patet consequentia, ideò in primo casu sequeretur illud inconueniens, quia de ratione supremæ Deitatis est, quod omnia alia à de distincta sibi subordinet, cumque in tali casu non sibi subordinaret alium supremum Deum à se distinctum, non esset supremus Deus, sed etiam ad rationem supremi Capitis Ecclesiæ, est, quod omnia ad Ecclesiam pertinentia sibi subordinet, ergo si non sibi subordinat Paulum, qui est membrum Ecclesiæ, non erit Petrus supremum Caput. Hinc perbellè Cyprianus in lib. de vnitate Ecclesiæ. Vt vtilitatem (inquit) manifestaret vnitatis ab vno incipientè sua auctoritate disposuit. Et epist. 40. Deus (ait) vnus est, & Christus, vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna, super Petrum Domini voce fundata. Et Bonifacius VIII. in extrauaganti vnam Sanctam Ecclesiam, sic habet: Vnam Sanctam Ecclesiam vrgente fide credere cogimur, & tenere, igitur Ecclesiæ vnius vnum corpus, vnum caput, non duo Capita, quasi monstrum Christus, videlicet Christi Vicarius Petrus, Petrique successor.

Sed oppones cum Auctore illo Anonymo perfectissima Monarchia, qualis est illa Cœlestis, non sub vna persona fundata est, sed super plures, ergo & Ecclesiastica Hierarchia, non congruè super vnam personam, sed super plures fundabitur.

Sed contra nam estò Cælestis Monarchia super plures personas sit fundata, illæ tamen personæ vnam naturam habent, vnicum intellectum, & vnicam voluntatem, & sic sunt vnius indiuisæ virtutis; & habent vnum sapere, vnum intellectum, & vnum velle. At Petrus, & Paulus, non in vna eadem que natura, & voluntate conueniunt, & ideò non possunt vnicam Monarchiam fundare, vndè dicebat [Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum. Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite constituto, schismatis tollatur occasio.

Imò & retorquetur instantia, Ecclesia militans, instar Triumphantis Ecclesiæ, est instituta, tamquam eius imago, sed in Ecclesia Triumphanti, præter vnum Deum, & & Christum, datur vnus primus Angelus, à quo cæteri illuminantur, & perficiuntur, ergo, & in militante, præter Deum, & Christum debet dari vna persona, & non plures, quæ sit caput Ecclesiæ, cumque sine dubio Petrus fuit à Christo erectus, vt caput Ecclesiæ, vt concedunt cum Anonymo sæpè citato, eius sequaces, ergo Paulus non erit simul cum illo caput Ecclesiæ.

Denique probatur nostra conclusio ex ipsomet Apostolo Paulo, nam ipse recognoscens Petrum, tanquam suum Pastorem, & Caput, ascendit Hierosolymam videre Petrum, & mansit apud eum diebus 15. vt ipse narrat [ad Galatas cap. 1. ergo ipse non est, simul cum Petro, Caput Ecclesiæ. Antecedens patet ex Sanctis Patribus, qui in illo loco agnoscunt Paulum accessisse ad Petrum, tanquam ad suum Pastorem, & Caput recognoscendum, sic Ambrosius commentando illum lo-

locum [ad Galatas: Dignum erat, ait, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui legauerat Saluator curam Ecclesiarum.] Et clariùs Hieronymus explicans eundem locum: [Non enim ascendit, vt genas, vultumque agnosceret, sed ad ipsum venit, tanquam ad Pastorem supremæ potestatis, & vt honorem priori Apostolo deferret. Et Gregorius IX. in epistola ad Archiepiscopum Constantinopolitanum: Ascendit Paulus, qui in Petro auctoritatis officium recognoscens, ad eum, tanquam ad primatem, & Euangelij fontem ascendit Hierosolimam.

Si dicas, idem Apostolus ait, se nihil accepisse à Petro, cùm in initio citatæ epist. Pauli, sic habet: [Notum vobis facio Euangelium, quod euangelizatum est à me, non esse secundùm hominem, neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per Iesum Christum;] ergo non ascendit ad Petrum, tanquam ad suum Pastorem, & directorem.

Contra est, quia estò Paulus nihil didicerit à Petro, quantùm ad fidem, & Euangelium, quod prædicabat, cùm hoc sciret solùm per reuelationem sibi factam à Christo Domino, vt claré indicat in loco nuper adducto, ad approbationem tamen illius, quod didicerat per reuelationem à Christo, voluit à Petro comprobari, vt ipse indicat [cap. 2. eiusdem epistol. ad Galatas, illis verbis: Deindè post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam, cum Barnaba, assumpto, & Tito. Ascendi autem secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse, nè fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem. Supra quem locum Hieronymus in epistola ad Augustinum sic habet: Id fecit ostendens non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & eorum, qui cum eo erant, fuisset sententia roboratus.] Quibus addo id, quod narrat Diuus Dionysius epistola ad Timotheum, vbi refert, quod cùm Petrus, & Paulus ad martyrium ducerentur, ipso Dionysio audiente, quando diuisi sunt, ita se se salutauerunt; Paulus ait: [Pax tecum Petre, fundamentum Ecclesiarum, Pastor ouium, & agnorum Christi. Et Petrus ad eum: Vade in pace, prædicator bonorum mediator, & Dux salutis iustorum.] Vbi, vt vides, solùm Petrus habuit titulum Pastoris & fundamenti Ecclesiæ, non verò Paulus.

Denique hic innouatus error à Sorbonico Doctore fuerat priùs damnatus à Ioanne XXII. contra Marsilium de Padua, & Ioannem Iandunum Auenione decimo Kalendas Nouembris, Pontificatus sui anno duodecimo, his verbis: [Quod autem Beatus Petrus, plusquam alij Apostoli auctoritatis habuit, ex prædictis euidenter concluditur; certum est enim, quod maior est auctoritas Pastoris, quàm gregis: Petrus autem totius gregis Dominici generalis constitutus est Pastor, quod de nullo alio Apostolo dici potest.] Ita Pontifex in præcitata Bulla adducta à Bzouio tomo 13. anno 1327.

Ad rationes ergo dubitandi in principio appositas, respondeo negando antecedens ad primam probationem nego antecedens, & ad Sanctos Patres, quos adducunt, respondeo, Paulum vocatum fuisse, non Episcopum Romæ, quasi ipse esset Pastor Romanæ Ecclesiæ: sed Episcopum Romæ, hoc est Episcopum in vrbe Romana, quatenus in ipsa vrbe Romæ exercuit omnia munera Episcoporum, non quia Episcopus, seù Pontifex, sed quia Apostolus; omnes enim Apostoli, quia habuerunt à Christo Domino delegatam potestatem totum orbem regendi, iuxtà illud [Chrysostomi serm. 26. à die Pentecostes: Gubernatores orbis terrarum fuerunt Apostoli, quoniam viam rectam docuerunt.] Et vt communiter docent Theologi, Apostoli omnes fuerunt Christi Vicarij in toto orbe, & habuerunt potestatem gubernandi totum orbem: parem Diuo Petro, cum hoc dumtaxat discrimine, quod in Petro hæc potestas erat ordinaria cum successione, & totali independentia à quocumque homine; at verò in cæteris Apostolis erat delegata sinè successione, & cum dependentia aliqua, quoad exercitium, & vsum eius à Petro, & consequenter vbicumque pergebant, poterant propria auctoritate, cuncta munera Episcopalia exercere, initiando scilicèt Sacerdotes, Episcopos consecrando, &c. vndè quicumque Apostolus, Episcopus totius orbis dici potest; & ideò Diuus Clemens vocauit Iacobum Apostolum epist. 1. Episcopum Episcoporum gubernantem omnes vbique Ecclesias Christi Domini; & Legatus à latere dici potest Episcopus in tota dictione suæ legationis, non quia sit Episcopus ordinarius illius Prouinciæ, sed quia in tota illa dictione potest exercere omnia munera Episcopalia, vt delegatus Summi Pontificis; ità ergo Paulus dicitur à Sanctis Patribus Episcopus Romæ, cùm ipse non fuerit Pontifex; sed quia nedum vt Petri adiutor (vt aliqui soluentes hoc argumentum autumnant) verùm etiam auctoritate propria à Christo Domino, sibi tanquam Apostolo delegata omnia Episcopalia munera Romæ præstabat.

Hinc notanter dixit Epiphanius Romæ primi omnium Petrus, & Paulus Apostoli, ac Episcopi ibi fuerunt, vbi apposuit illam vocem, ibi ad denotandum Paulum non fuisse Episcopum Romanum, sed Romæ Episcopi munus exercuisse; idem enim valet illa vox ibi, atque in ea vrbe. Similiter Sanctus Leo, quando dixit, quod Petrus, & Paulus sunt Romanæ Ecclesiæ veri Pastores, non quia erat principaliter Pastor Paulus simul cum Petro, sed quia erat eius socius, quapropter Paulus ab Ecclesia vocatur Apostolus Petri, hoc est adiutor Petri in erectione, ac gubernatione Romanæ Ecclesiæ.

At oppones cum Anonymo illo cur Petrus Fagioni Episcopo Hispano pernoctanti apparuit simul cum Paulo, manu inter se conserta medij inter omnes Episcopos Romanos, nisi ad significandam apertè æqualitatem in Pontificia dignitate.

Respondeo negando rationem adductam talis visionis, sed potiùs ratio cur Petrus, & Paulus apparuerunt manu inter se conserta ad significandum summam coniunctionem, & in laboribus, & opere, & animo vnionem in Ecclesia Romana instituenda, & regenda à Petro quidem, tamquam à Pontifice: à Paulo verò, tamquam à Coapostolo, & Coadiutore,

tore, ſicut eo, ex quod Sanctus Vigilius Papa in Concilio Conſtantinopolitano ſe videndum præbuit manibus conſertis, cum tribus Patriarchis Conſtantinopolitano, Alexandrino, & Antiocheno, inter innumeros Epiſcopos illius Synodi, argui non poteſt æqualitas in Pontificia dignitate, & poteſtate inter Romanum Pontificem, & Patriarchas prædictos, ſed ſolùm maxima animorum vnio ſeruata in prædicto Concilio inter prænominatos Prælatos.

Ex his reſpondetur ad ſecundam probationem antecedentis, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, nam ex illis locis Sanctorum Patrum non ſequitur pontificatus Pauli; ſed ſolùm Collegam in Apoſtolatu fuiſſe, in quo omnes faciunt Paulum parem Petro, non autem collegam in pontificatu; & ſi vis fuiſſe collegam in pontificatu, fuiſſe ſolùm eius Coadiutorem, non autem Compontificem; ſimiliter, quod Sanctus Leo ait: Paulum conſortem eiuſdem gloriæ, & Chryſoſtomus eiuſdem dignitatis, non debet intelligi, itaut faciant Paulum verum pontificem, ſicut ex eo, quod S. Leo facit hominem conſortem Diuinæ naturæ, vt patet ex illis verbis [in ſerm. de Natiu. Agnoſce, ò homo, dignitatem tuam, & Diuinæ conſors factus naturæ, &c.] non proindè facit hominem verum Deum, aut Deo æqualem, conſortes enim dicuntur illi etiam, qui non ex æquo participant dignitatem, ſicut Rex Aſſuerus vocauit Eſter conſortem Regni ſui, etiam ſi Eſter non participabat illud cum omnibus prærogatiuis, ſicut Aſſuerus; ſic Paulus, cui tanquam adiutor Petri vniuerſam Eccleſiam moderaretur, meritò frater Petri in principatu Apoſtolico, & conſors dignitatis eius, & gloriæ ab alijs Patribus dicitur.

Ad tertiam probationem antecedentis, ſimiliter conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, non enim loquuntur Sancti Patres quantùm ad Pontificatum, ſed in Apoſtolatu, in quo non ſolùm Paulus, ſed etiam omnes Sancti Apoſtoli ſunt pares, ſic enim ait, [Auguſtinus in præfatione ad epiſt. ad Galatas: Paulus cæteris Apoſtolis, quantùm ad auctoritatem teſtimonij Euangelij imparem ſe non haberi oſtendit. Et ad auctoritatem Sancti Venantij, quatenus contra datam ſolutionem obſtare poſſet. Reſpondeo, docuiſſe iſtum Sanctum Doctorem, eſſe Petrum, & Paulum in ſedis honore curules, non quia habuit æqualem poteſtatem Pontificiam, ſed quia fuit Coadiutor eius in Pontificatu; Sicuti de Lino dixit [Tertullianus 3. Carmine contra Marcionem, cap. 9. illis verbis: Petrus in Cathedra, qua ſedebat, conſedere iuſſit Linum, non quia Linus eſſet, viuente Petro, verus Pontifex, ſed quia erat eius Coadiutor in Pontificatu, vt ſcripſit Marianus Scotus ad ann. 71. Cletus, inquit, ſedit viuente Petro, non vt Pontifex, ſed vt Coadiutor.

Vel dicendum ex ipſis verbis adductis in argum. conſtare, non loqui S. Doctorem de Pontificatu, ſed de Apoſtolatu; nam Sedes Curulis apud Romanos non erat propria ſedes Imperatoria, ſed ſedes Conſularis, vt aduertit Thomas Dempter. lib. 70. antiq. cap. 9. cùm ergo apud Sanctos Patres dignitas Pontificatus correſpondeat Imperatoriæ, iuxtà Petrum Damianum lib. 1. Ep. 5. ad Victorem Papam, Pontifici Romano totius imperij Romani vacantis iura permiſit Deus, vndè Conſtantinus Romano Pontifici imperialia indumenta, & imperialia ſceptra, & dignitatem largitus fuit, vt habetur, capite Conſtantinus diſt. 96. Et dignitas Apoſtolatus correſpondeat dignitati Conſulari, teſte [Diuo Chryſoſtomo ſermone 1. de vtilitate Sacræ Scripturæ tomo 6. ibi: Sicut inter ſenſibiles magiſtratus Conſul, quaſi culmen, & Caput præ reliquis cunctis eminet, ſic inter ſpirituales, Apoſtolus honoris gratia gaudet prærogatiua.] Conſequenter ergo, quando dicuntur Petrus, & Paulus pares in ſede curuli, non æqualitas in Pontificatu, ſed in Apoſtolatu ſignificatur.

Sed inſtabis iuxtà [Cyrillum Hieroſolimitanum Cathech. 6. Petrus, & Paulus, ſunt duo Eccleſiæ Capita;] ergo non ſolùm habent in Apoſtolatu æqualitatem, ſed etiam in Romano Pontificatu; Solus enim Romanus Pontifex Eccleſiæ Caput dicitur, ita arguit in epiſtola gallico ſermone conſcripta pag. 16. Anonymus ille Pariſienſis.

Reſpondeo tamen falsò citaſſe Cyrillum, qui eo loco numquam appellat Petrum, & Paulum Capita Eccleſiæ, quod illi affinxit Anonymus, ſed ſolùm Præſides Eccleſiæ, quod eſt valdè diuerſum, nec aliquod ſingulare, hoc eſſet reſpectu Apoſtoli Pauli cùm præſides Eccleſiæ vocantur; à Sanctis Patribus omnes Apoſtoli, qui vt ſupra diximus, æquè, ac Petrus ius habebant in totum orbem, omneſque illius Eccleſias moderandi; vndè Chryſoſtomus hom. de duodecim Apoſtolis; illos vocat egræ humanitatis præſules.

At dato, & non conceſſo, quod Cyrillus, Paulum Caput Eccleſiæ diceret, vt finxit Anonymus, vel Caput nationum, vt ait Petrus Damianus; nil tamen proficit, vt Paulum dicat Summum Pontificem, ſic enim non ſolùm Paulum, ſed etiam Andream, & Iacobum vocauit Gregorius Papa lib. 4. moral. cap. 38. illis verbis Paulus Andreas, & Iacobus fuerunt capita ſingularium plebium; & [Diuus Ambroſius tom. 1. in cap. 12. epiſt. 1. Pauli ad Corin. ait: Caput in Eccleſia Paulus poſuit Apoſtolos, qui ſunt Chriſti legati,] igitur, quando Damianus, & Cyrillus vocant Petrum, & Paulum Caput Eccleſiæ, non tamen æqualitatem Capitis vtrique attribuunt; ſed Petro rationem Capitis totius Eccleſiæ, & etiam ipſorum Apoſtolorum; Paulum verò Eccleſię, ſed non totius, ac proindè Petrum, vt Pontificem, Paulum vt Apoſtolum, exemplifico hoc in dignitate temporali; Imperator Romanus v. g. Traianus, qui erat etiam Conſul, dici poterant vnà cum Maximo Conſule Capita Romanæ Monarchiæ, non tamen æqualiter abſolutè, ſed ſolùm in Conſulari dignitate, eſtò Maximus non fuerit Caput Imperiale, & vniuerſale totius Monarchiæ, ſicut erat Traianus; ita ſimiliter Petrus, & Paulus dici poſſunt Capita Eccleſiæ in ratione Apoſtolatus, licèt Petrus ſolus ſit Caput totius Eccleſiæ, ratione pontificatus.

Sed adhuc oppones ex [Diuo Laurentio Iuſtiniano ſermone de Apoſtolis, vbi habet: Meritò clauium Regni Cœleſtis poteſtate præditi Petrus, & Paulus ligandi, atque ſoluen-

uendi Pontificio fungebantur ;] ergo non solùm in Apostolatu , sed etiam in Pontificatu pares fuerunt.

Respondeo , Sanctum Laurentium Iustinianum non loqui de clauibus iurisdictionis Pontificiæ , sed de clauibus magis restrictis, vt supra diximus , prout dicunt potestatem solùm ligandi , atque soluendi , quæ potestas, vt supra probauimus, non solùm tradita fuit Petro,& Paulo,sed etiam omnibus alijs Apostolis; imò & Episcopis, & Presbyteris , iuxtà illud [Bedæ in cap. 8. Matthæi soluendi , atque ligandi potestas , & si soli Petro videatur à Domino data , idem tamen officium committitur Episcopis, & Presbyteris.

Sed opponit Anonymus auctoritatem Sancti Maximi dicentis soli Petro , & Paulo claues Regni Cœlorum datæ fuerunt , ergo Pontificias claues non solùm Petro, sed etiam Paulo dedit Deus, patet hæc consequentia , nam loquitur Maximus de clauibus, quæ non fuerunt concessæ cæteris Apostolis , sed solis Petro, & Paulo, atqui claues Apostolicæ concessæ fuerunt, non solùm Petro , & Paulo , sed etiam omnibus Apostolis, ergo loquitur de clauibus pontificijs.

At hæc oppositio processit à trunca lectione illius loci S. Maximi , ipse enim statim se explicat, de quibus clauibus loquitur , sequitur enim Petro potentiæ , Paulo scientiæ , igitur non tribuit Paulo clauem potentiæ , quæ est clauis Pontificia , vt appellatur à Concilio Basiliensi s. finaliter , & Paulo solùm dat clauem scientiæ , idest excellentiam, & magisterium scientiæ, cum fuerit laureatus à Deo Doctor Gentium , & soli Paulo datam fuisse clauem scientiæ , docuit Diuus Thomas in 4. dist.19. quæst.2.

Ad quartam probationem respondeo in loco citato Clementis, non loqui de legibus Romæ latis,sed latis Hierosolymæ in pleno Concilio Apostolorum, vbi Petrus sic loquitur : [Simul congregati nos duodecim Apostoli has diuinas institutiones, de omni Ecclesiastica forma præsentibus , vnà nobiscum Paulo vase electionis ; Iacobo, Ioanne , &c.] Sed dato , quod Petrus , & Paulus simul Romæ has leges ædidissent, non hoc sequitur , quod fuerit simul cum Petro Pontifex Romanæ Ecclesiæ, nam Paulus, tamquam Apostolus , poterat etiam Romæ leges ferre , immò , & totam Ecclesiam suis legibus subijcere , vt supra probatum est , speciali tamen titulo poterat Romæ, vbi Petri erat Coadiutor in Pontificio regimine .

Dices si solùm Coadiutor Paulus in firmandis decretis, cur se primo loco nominat dicens : [Ego Paulus , ego Petrus constituimus , &c.] Certè hoc non auderet , nisi vna & æquali potestate præessent in Sede Pontificia ; patet hæc consequentia à simili ipsemet Paulus capitulo 2. ad Galatas nominans Iacobum primo loco , & deinde Petrum dicit , Iacobus , Cephas , & Ioannes , qui videbantur esse columnæ. Hoc facit , ait Anselmus , propter primatum suum , quem habebat in Hierusalem , vbi erat Episcopus ; ergo nominari primo loco potestatem, vel maiorem, vel æqualem in dignitate significat .

Respondeo pluribus ex causis posse inferiorem se primò nominare , vel scilicet ratione loci , sicut fuit in exemplo adducto de Iacobo , & Cepha, quia enim Iacobus erat Episcopus Hierosolymæ: nominatur priùs quàm Cephas , vt notat Anselmus adductus in argumento , vel etiam ratione temporis in possidendo,sic etiam Canonicus simplex licèt inferior Canonico Episcopo , si tamen est antiquior Canonicus , priùs subscribit , & priùs sedet similiter si primò est ordinatus , qua ratione ille Episcopus primus subscribit decretis Conciliarijs, qui primò est ordinatus, non quia maioris est dignitatis, denique si decretum illud,quod subscribit immediatiùs, & principaliùs ipse constituit , tunc enim fas est inferiori primo loco se nominare , & sic Apostolus ad Galatas 1. in sua vocatione ad Apostolatum priùs nominat Iesum Christum, & posteà Deum Patrem, quia immediatiùs à Christo , fuit à Cœlo vocatus , & hac ratione Paulus in casu adducto se primo loco,& antè Petrum nominat , & subscribit, quia illa constitutio erat pro diebus festiuis instituendis , quæ ab ipso Paulo immediatè condebatur, in illo enim Concilio Apostolico quilibet Apostolus suum peculiarem Canonem condidit, & illum Canonem suo proprio nomine signabat, etiam tacito Petro. Paulus ergo signans suum Canonem à se constitutum , sic subscribit : [Ego Paulus , ego Petrus, constituimus ;] Honoris causa etiam Petri nomen imposuit, qui Canonem constituerat , sed solùm in illum consenserat, vndè potius subiectionem Pauli respectu Petri , quàm superioritatem demonstrat .

Sed adhuc obijcies , Ecclesia Romana dicitur à sancto Gregorio Papa in tabula marmorea, quæ habetur in porticu sancti Petri [Ecclesia beatorum Apostolorum Petri, & Pauli ; & clariùs Gregorius VII. in Concilio Romano 7. Paulus , inquit , sibi delegit Ecclesiam Romanam , tamquam sponsam suam speciali iure , & ritu Episcopali , & officio ;] Ergo nedum vt Apostolus , sed etiam vt Pontifex poterat simul cum Petro decreta subscribere .

Respondeo , quod Gregorius Papa , vt sæpè dixi , numquam agnouit Paulum Pontificem Romanum , sed solùm Coadiutorem Petri , ratione cuius dicit Ecclesiam Romanam esse Ecclesiam beatorum Petri , & Pauli sicut , & Clemens , etiam viuente Petro , se nominat Ecclesiæ Romanæ Præsulem , sic enim scribens ad Iacobum epist.2. ait : [Ego Clemens Præsul Ecclesiæ Romanæ , quatenus erat Coadiutor Petri . A fortiori ergo poterat, dici Ecclesia Romana propria Pauli , qui non solùm Coadiutor , sed Coapostolus erat .

Ex quibus respondeo ad auctoritatem Gregorij VIII. quæ tamen non fuit fideliter adducta ab Anonymo, non enim dixit Gregorius (vt ipse testatur) Ecclesiam Romanam delegisse sibi vt sponsam , speciali iure , officio , & titulo Episcopali ; non enim vmquam hoc dixit, nec poterat dicere, quia Diuus Paulus in hoc sensu nullam habuit propriam Ecclesiam , vt docet Petrus Damianus lib. 2. epist.16. [Cùm Apostoli distributi in terrarum regionibus, proprias , vt obtinuerunt Cathedras, Paulus nullam specialiter tenuit;]

Tantùm ergo dixit Gregorius, Ecclesiam Romanam specialem Diui Pauli in sensu supra explicato, quatenus fuit Coadiutor Petri, & Coapostolus.

Sed opponit nobis Anonymus Cardinalem Cusanum in epist. 2. vbi sic habet: [Omnis Principatus spiritualis tam Petri inter Apostolos, & Iudæos, quàm Pauli inter gentes, legitimus successor est Pontifex vtriusque.] Et in eadem epistola, ait; [Vnicus Petri, & Pauli primatus per singulos eorum successores in Romana Ecclesia;] Ergo sentit Pontifices Romanos fuisse successores in Romana Ecclesia tam Petri, quàm Pauli ergo non solùm Petrus, sed etiam Paulus pontificatum tenuit in Romana Ecclesia.

Respondeo claram esse doctrinam huius Cardinalis, non enim voluit Paulum simul esse cum Petro pontificem, sed præsentissimum Coadiutorem, & Coapostolum, quatenus habuit ad hoc specialem gratiam, & sapientiam à Deo, vt simul cum Petro gentes ad fidem vocaret, & primatum in sapientia, & magisterio totius Ecclesiæ; dicit autem successores vtriusque Pontifices Romanos, non quantùm ad potestatem, & iurisdictionem, secundùm quam sunt soli successores Petri, sed quatenus in fundatione Ecclesiæ Romanæ, in qua succedunt, vterque Apostolus laborauit.

Sed adhuc non acquiescit Anonymus, Summi Pontifices in vsu potestatis, & iurisdictionis se declarant successores tam Petri, quàm Pauli, ergo non quia Paulus fuit solùm Coadiutor, sed etiam quia in pontificatu socius extitit, Antecedens patet, nam tam in indulgentijs concedendis, quàm in Concilijs indicendis, quàm in censuris ferendis, Sanctis canonizandis, & contumacibus excommunicandis semper vtuntur auctoritate Petri, & Pauli, vndè Innocentius III. lib. 1. decret. epist. 234. ait: [Bullæ Pontificiæ, ideò capitum ipsorum charactere præsignantur, quod in eorum persona Romana Ecclesia auctoritatem super vniuersas Ecclesias accepit;] Ergo, &c.

Respondeo explicando sensum, & vim illorum verborum (Auctoritate Petri, & Pauli,) quæ tanti facit Anonymus, itaque sensus illorum verborũ est auctoritatem Petri potestatiuè, & Pauli tantùm deprecatiuè, sicut & aliquando etiam faciunt respectu Beatissimæ Virginis, & aliorum Sanctorum, de quo adduci potest exemplum ex Nicolao I. Pontifice epist. 10. vbi priuans quemdam Sacerdotem sua dignitate, sic habet: [Dei omnipotentis, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac omnium simul Sanctorum, &c.] Sicut ergo Pontifex inuocat intercessionem aliorum Sanctorum, & verbis illis vsi sunt solùm deprecatiuè, ita intelligendus est in causa nostra.

Sed obijcies si ita esset, deberetur ad minùs melior, & dignior locus Petro, cuius potestate possunt illa mandare, atqui non Petrus, sed Paulus in Pontificis Bullis ponitur in dextera, ergo quia non solùm Coadiutor, sed quia etiam fuit simul cum illo Pontifex.

Respondeo non ea ratione apponi Paulum à dexteris, & Petrum à sinistris, quia ambo fuerunt Pontifices, sed vel quia (vt ait Petrus Damianus) Paulus, quia ex tribu Beniamin, qui interpretatur filius dexteræ, hunc sibi locum vendicauit; vel quia, & meliùs (vt ait Diuus Thomas super caput 1. ad Galatas) præsens vita signatur per sinistram futura verò per dexteram; ideò Petrus, qui vocatus fuit à Christo, dum esset adhuc in carne mortali, ponitur in sinistra; Paulus verò, quia vocatus fuit ab eodem Domino iam glorificato, ponitur in dextera parte, ac proinde non infertur ex hoc, Paulum fuisse Pontificem.

Ad quintam probationem respondeo in primis illam consequentiam fuisse Caluini lib. 4. institut. cap. 6. §. 7. vbi sic arguit: [Petrus fuit correctus à Paulo, & paruit;] Ergo palàm fit fuisse æqualitatem inter Petrum, & Paulum, & priùs hanc eamdem consequentiam fecerat impius ille libro de primatu in simili; [Concilium reprehendit Pontificem Romanum;] Ergo est saltem æqualis potestatis cum illo. Omnium autem horum clarè apparet inconsequentia, arguunt enim fuit correctus, ergo est æqualis, & tamen verissimum est, quod par in parem non habet imperium. Præterquam, quod sequeretur, quod etiam Discipuli Apostolorum omnes essent Pontifices, nam quando Petrus (vt dicitur Actuum Apostolorum 11.) Ascendit in Hierusalem, disceptabant aduersùs illum hi, qui erant ex circumcisione, &c. quibus Petrus non obluctatur, sed seipsum excusat, nolens Doctoris auctoritate vti, teste Chrysostomo homil. 24.

Itaque non arguitur æqualitas, vel maioritas Pauli ex reprehensione, & Petri tolerantia, quin potiùs exemplum (vt ait Augustinus epist. 9. cap. 2.) posteris datur, quo auderent etiam minores maioribus pro defendenda Euangelica veritate resistere. Etenim, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæst. 33. artic. 4. ad 1. fas est superiorem, & maiorem corrigere, præsertim quando id, aut fidei honor, aut fidelium salus exposcit. Alioquin teste Petro Damiano epist. 12. quæ tanta superbia hæc est, vt liceat Episcopo per fas, & nefas viuere, ad propriæ voluntatis arbitrium & à subditis suis, quod excessum est, dedignetur audire. Itaque Paulus reprehendit hoc modo Petrum, quasi subditus suum superiorem, in quo minùs miranda est Pauli constantia, & pectus, quàm Petri humilitas & patientia; [Quis nostrum (ait Gregorius homil. 18. in Ezech.) à minori fratre increpatus, patienter audiret, & ecce à Paulo minori suo Petrus arguitur, & reprehendi non dedignatur.

Ad vltimam probationem illius antecedentis respondeo, quod omnia illa epitheta, & honoris tituli, qui à Sanctis Patribus æquali lance Petro, & Paulo tribuuntur, non eo sensu ab illis æqualiter tribuuntur, quod scilicèt sint duo Romæ oculi, duæ bases Ecclesiæ, duo iudices humani generis, duo Duces Ecclesiæ, & similia, non faciunt Paulum æqualem Petro in pontificatu, sed in Apostolatu, quod & de alijs Apostolis dici possunt, & de pluribus de facto dicuntur, vt à Laurentio Iustiniano de Philippo, & Iacobo, ab

Enti-

Eutichio Diuus Andreas dicitur prima columna Ecclesiæ, & omnes Apostoli à Patribus, & Iudices, & orbis Doctores, & bases Ecclesiæ, eiusque columnæ passim vocantur, quin ex eo liceat inferri, quod omnes fuerunt Romani Pontifices.

Sed adhuc restat scrupulus aliquis in illo, quod communiter canit Ecclesia, Paulum, scilicet meruisse thronum 12. possidere, ergo, arguit Anonymus, Paulus eumdem prorsus thronum Petri possidet, aliàs non 12. sed 13. thronum occuparet.

Sed scrupulus iste facili negotio diluetur nam per duodecim Thronos, vel Ecclesiam intelligere gradum, & Senatum Apostolicum, qui cùm conflatus fuerit, & cœperit ex numero duodenario, meritò thronus 12. ab Ecclesia dicitur, vel per duodecim sedes, numerositas omnium iudicantium, sicut per 12. tribus numerositas iudicandorum omnium intelliguntur, teste Venerabili Beda homilia in Natali S. Benedicti. Et hæc de hoc dubio dicta sufficiunt.

DVBIVM III.

An Pontifex Romanus sit legitimus Petri successor in Primatu totius Ecclesiæ, & quo iure primatus iste cum Episcopatu Romano coniunctus sit.

§. I.

Aliquibus præsuppositis Prima Pars dubij resoluitur.

SVpposita Petri suprema dignitate in dubium vertitur quisnam successor legitimus sit Petri in hac suprema, & amplissima potestate, pro quo.

Suppono primò, esse certum, tamquam de fide, hanc supremam Petri, & vniuersalem potestatem permanere debere in aliquo particulari prælato, & non solùm in tota Ecclesia. Hoc docet, & probat Diuus Thomas 4. contra gent. capit. 76. tùm quia Ecclesiæ vnitas desumitur, vt supra ostendimus, ex ordine ad vnum caput visibile, sicut quælibet diœcesis constituitur per vnum ordinem ad vnum Episcopum, tum etiam nam vnitas fidei petit, vt ab vno Magistro, & Doctore supremo dependeat, aliàs multiplicatis Doctoribus possent multiplicari sententiæ, & opiniones in rebus fidei, & sic non manere eius infallibilis vnitas. Tum vltra, nam vt supra statuimus, regimen Ecclesiæ, vtpotè optimum, cùm ab optimo, & sapientissimo sit ordinatum, debet esse Monarchicum; ergo debet habere vnum caput, & Principem. Tum denique, nam Ecclesia triumphans sub vno capite regitur, iuxta illud Apocal. 21. [Ipsi populus eius erunt, & ipse cum eis erit eorum Deus;] Ergo etiam in Ecclesia Militante, quę ad instar triumphantis est instituta, iuxtà id quod dictum est Moysi, vt faceret omnia secundùm exemplar ei propositum, debet dari vnum caput, & vnus Princeps.

Et est definita in Concilio Constantiensi, vbi inter errores Ioannis Wiclef 27. erat non est vlla apparentia, quod oporteat esse vnum caput in spiritualibus, regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Militanti Ecclesia conuersetur, & conseruetur, & 13. error erat, Papa non est manifestus, & verus successor Petri, contra quem definitum est, Pontificem Romanum esse verum successorem Petri, & caput totius Ecclesiæ, & sumitur hæc definitio à sanctis Patribus, specialiter à Chrysostomo, & Cyrillo, ille enim explicans illud Matth. 24. [Cœlum, & terra transibunt,] ait, quod verba ista Christi, quæ sunt mansura in æternum, sunt illa, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & Cyrillus ex persona Christi ad Petrum, sic habet: [Tu cum fine, & ego sine fine cum omnibus, quos loco tui ponam pleno, & perfecto Sacramento etiam auctoritate cum eis ero, sicut sum tecum.]

Secundò suppono beatum Petrum à Christo immediatè potestatem, & dignitatem Episcopalem obtinuisse, & primus omnium Apostolorum, immò & solus inter Apostolos immediatè à Christo factus, & ordinatus fuit Episcopus, ita docet Felix Papa in suis decretis, vbi habet per Petrum Apostolatus, & Episcopatus in Christo cœpit exordium, & Anacletus Papa in cap. in nouo dist. 21. sancto Petro, inquit, primò Pontificatus in Ecclesia datus fuit. Cæteris verò Apostolis à Petro mediatè, vel immediatè soli, vel cum alijs Episcopis sunt ordinati, quod diuersis auctoritatibus, & rationibus, probat noster Cardinalis Turrecremata Summa de Ecclesia lib. 20. cap. 32. Sed de hoc latiùs infrà.

Tertiò suppono beati Petri successionem legitimam futuram esse in Ecclesia Dei vsque in finem seculi, quod probatur, tùm à sancto Thoma lib. 4. contra gentes cap. 76. Christus Ecclesiam suam instituit vsque in finem seculi duraturam, iuxtà illud Isaiæ 9. [super solium Dauid, & super regnum eius, sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia, amodo, & vsque in sempiternum;] Sed Christus constituit Ecclesiam suam sub vno capite, qui in illam haberet supremam, & amplissimam potestatem; ergo successio Petri in Pontificatu, & in hoc, quod sit caput visibile Ecclesiæ duratura est vsque in finem seculi. Hinc Augustinus adductus capit. quodcumque 24. qu. 1. inquit: [Hoc quando Petrus claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit, quia scilicet non tantùm pro se, sed etiam pro omnibus successoribus accepit, vsque ad finem seculi, quo duratura est Ecclesia.]

Tùm secundò, nam vt dicitur Psalm. 44. [Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram;] vbi Glossa: [Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, idest post Apostolos, & pro Apostolis, Episcopi, & alij, quos Ecclesia genuit, & in sede Petri constituit;] Ergo dignitas Apostolici ordinis, permansura erat vsque in finem seculi. A fortiori igitur primatus eiusdem Apostolatus, qui in Petro erat, successorem pariter habiturus erat.

Tùm tertiò, nam potestas data Petro, col-

collata fuit ad ædificationem Ecclesiæ, vt ait Paulus 1. ad Corinth. 10. ergo tamdiù durare debet in Ecclesia, quamdiù Ecclesia ipsa ędificatione eget, atqui indiget ædificatione, vsque in finem seculi, in quo complebitur numerus Electorum, iuxtà illud Hieronymi supra Psalmum 121. [Hierusalem, quæ ædificatur, vt Ciuitas, in qua adhuc non est completum ædificium, sed continuò ædificatur de lapidibus viuis super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu;] ergo vsque ad finem mundi Petri primatus, & principatus erit duraturus.

Tùm denique, nam, vt ait Apostolus ad Hebræos 7. [Christus in Ecclesia sua sempiternum habet Sacerdotium;] sed Sacerdotium Christi non potuit esse sempiternum in se post Ascensionem, nec in Petro, qui mortuus est; ergo in successoribus eius vsque ad consummationem seculi. His suppositis.

Prima Conclusio. Romanus Episcopus est legitimus Petri successor in Principatu totius Ecclesiæ, in amplitudine potestatis, & in prærogatiua dignitatis.

Hæc conclusio est de fide diffinita in Concilio Florentino in literis sanctæ vnionis, illis verbis: [Diffinimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesię caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.]

Sed antiquiùs diffinita fuerat hæc veritas, tùm in Concilio Nicæno primo Can. 39. vbi ex Arabicis, vt ait noster Turrecremata lib. 2. de Eccles. Catho. cap. 3. quod concordat cum his, quæ refert Gonet ex Amico, & Turriano, sic dicitur: [Veneramur secundùm Scripturas, & Canonum diffinitiones Sanctissimum Romanæ antiquæ Ecclesiæ Episcopum, vt primum, & maximum omnium Episcoporum.] Et infra: [ille, cuius Principatus est Romæ est Petro similis, & auctoritate par omnium Patriarcharum, Dominatum, & Principatum obtinet. Huic sanctioni, si quis repugnauerit, & obsistere ausus fuerit totius Synodi decreto anathemati subijciatur.] Et in Lateranensi sub Innocentio III. cap. 5. habetur: [Romana Ecclesia, disponente Domino super omnes alias ordinarię potestatis obtinet, & principatum; vt potè Mater omnium Christi fidelium, & Magistra.] Ad id etiam facit Canon Concilij Canonanensis, vbi dicitur: [Si quis Episcopus, prædicatur infamis liberam habeat potestatem appellãdi ad Beatissimum Episcopum antiquę Romę, quem habemus Petrum, Petram refugij, & ipsi soli liberam potestatem loco Dei sit ius discernendi Episcopi infamiam, secundùm claues sibi à Deo datas.]

Testantur hanc veritatem omnes Sancti Patres, ex quibus aliquas selectiores auctoritates adducemus. Irenæus lib. 3. cap. 3. de Ecclesia Romana sic habet. [Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem omnem Ecclesiam conuenire necesse est.] Sanctus Anacletus Papa in cap. Sacrosancta dist. 22. [Sacrosancta, inquit, Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore Nostro primatum obtinuit;] Et infra: [prima ergo Sedes Cœlesti beneficio est Romana Ecclesia.] Beatus Hieronymus ad Damasum Papam, & habetur in cap. quoniam vetus 24. qu. 1. sic scripsit: [Cum successore Piscatoris loquor, & Epist. 5. ad eumdem Pontificem. Ego, inquit, nullum primum, nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior super illã petram ædificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc domum Agnum comederit profanus est, si quis in arca Noe non fuerit, regnante diluuio, peribit.] Sanctus Ambrosius cit. c. Beati quęst. 7. ita habet: [Petrus, & Paulus martyrium pertulerunt in vrbe Roma, quæ Principatum, & caput obtinet nationum, scilicet, vt vbi erat caput superstitionis, illic caput quiesceret sanctitatis, & vbi gentium Principes habitabant, illic etiam Princeps Ecclesiarum moraretur.] sanctus Augustinus ep. 162. dicit loquendo de Ecclesia Romana, quod in ea semper Cathedræ Apostolicæ viguit Principatus. Sanctus Prosper eius Discipulus lib. 2. de voc. gentium ca. 16. [Quamuis gratia Christiana non contenta sit eosdē habere limites, quos Roma, multosque iam populos sceptro Crucis Christi illi subiecerit, quos armis suis ista non domuit; quæ tamen per Apostolici solij Principatum amplior facta est arce Religionis, quàm solio potestatis.] Hoc idem, quod soluta oratione hic Sanctus declarauit, concinnè carminibus istis expressit:

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta Caput mundi, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

Athanasius in epist. ad Marcum Pontificem, sic habet: [Domino Sancto Apostolici culminis venerando Marco Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ Patri Athanasius, & vniuersis Ægyptiorum Episcopis salutem.] Et infra: [Optamus, vt à vestra Sanctæ Sedis auctoritate, quæ est Mater omnium Ecclesiarum, [Et magis infra: [Vestri sumus, vobisque obedientes, cum omnibus commissis, & sumus, & semper esse volumus.] Sanctus Basilius ad Athanasium cap. 52. [Visum est, inquit, mihi consentaneum, vt scribatur Episcopo Romæ, vt quæ hìc geruntur consideret;] Denique (infinitis alijs relictis sanctus Bernardus scribens ad Eugenium lib. 2. de consideratione cap. 8. sic ait. [Age interroga diligentiùs, quis sis, quam geras pro tempore in Ecclesia Dei personam, quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu Hæres Adæ, tu primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, Iudicatu Samuel, Petrus potestate, vnctione Christus, & post pauca; Alij in partem sollicitudinis, Tu in plenitudinem potestatis vocatus es, aliorum potestas certis coarctatur limitibus, tua extenditur, & in ipsos, qui potestatem supra alios acceperunt.] Possem etiam adducere seriem Romanorum Pontificum firmissimè nō

minus

minus hoc dicentium, quàm contra repugnantes defendentium, incipiendo à Sancto Anacleto, qui fuit quartus Papa post Petrum, vsque ad nostrum tempus, cæterum eos mittimus videndos apud Ferre tractatu de fide qu. 11. §. 5. num. 24. & alios; eò magis, quod Hæretici Protestantes, Romanos Pontifices, tamquam testes non legitimos, vtpotè in propria causa non admittunt. Contra quos ex dictis tamen probata remanet continuam, & ex tempore Apostolorum perpetuam traditionem per Sanctos Patres nobis deductam, Romanum Pontificem fuisse, & esse successorem Petri, & caput vniuersalis Ecclesiæ.

Deindè probatur ratione deducta subtilissimè à Caietano ex illis verbis: Quæ Christus dixit Petro, toties repetitis: [Pasce oues meas;] ex quibus sic perpetuitatem Pastoris in Ecclesia Dei infert præcitatus Cardinalis; oues suas sciebat Christus duraturas, vt dixit, vsque ad consummationem seculi in ouili vno, ergo prouidendo de Pastore vno ouibus in vno ouili duraturis vsque ad consummationem seculi, dum dixit Petro: [Pasce oues meas,] significauit se prouidere de vno Pastore vsque ad consummationem seculi; ac proindè à Christo institutum est quemlibet Petri successorem futurum esse Pastorem totius ouilis, & Ecclesiæ, sicut fuerat constitutus Beatus Petrus. Hæc vltima consequentia probatur, tum quia desipienter putaret, qui diceret Christum prouidisse de Pastore suarū ouium pro parte temporis satis minima, qua scilicet vixit Petrus, & non pro toto, & amplissimo tempore vsque ad consummationem seculi, quo durant oues suæ. Tùm etiam, quia rationabile est, vt vniuersalitas temporis correspondeat, vniuersalitati locorum, sed dicendo, pasce oues meas, oues suas vbique terrarum dispersas comprehendit, ergo similiter easdem pro quocumque futuro tempore comprehendere debuit.

Confirmatur, & explicatur hoc amplius Regnum Ecclesiæ est perpetuum, & vsque ad finem mundi duraturum, ergo indiget perpetuo Principe, qui in primatu Petro succedat in perpetuum; non enim Monarchia Ecclesiastica, quæ modò est, minùs indiget suo capite, & Monarcha, quàm indigebat in sua prima fundatione, & institutione.

§. II.

Primum argumentum Hæreticorum proponitur, & resoluitur secunda pars dubij.

Arguunt Hæretici cum Caluino primò, priuilegium primatus, vel est personale, vel reale, vel mixtum; si personale, ergo nihil pertinet ad locum, neque ad Ecclesiam Romanam, magis quàm ad aliam; si reale, seu locale, tunc sequitur, quod cum semel Petrus Episcopus fuerit Antiochiæ, Regnum ei concessum pro tunc, non potuit postea ab ea tolli; si mixtum, ergo siue locus desit, siue persona, perit priuilegium, vt dicemus in tractatu de legibus.

Petit hoc argumentum, id quod in secunda parte dubij quæritur, quo iure scilicet hæc suprema potestas Capitis Ecclesiæ cum Romano Episcopatu coniungitur. Ad cuius declarationem noto cum subtilissimo Caietano, aliud esse succedere Petro, & aliud esse, succedere Petro Episcopum Romanum; primum iam fuit à nobis supra ostensum, quomodo sanctus Petrus fuit institutus à Christo Domino caput vniuersalis Ecclesiæ cum successione vsque in finem seculi. Secundùm verò, quod hæc successio sit continuata, & determinata in Episcopo Romano, debemus assignare rationem, pro qua multiplex fuit Doctorum sententia.

Caluinus cum suis somniauit coniunctionem primatus vniuersalis Ecclesiæ cùm Episcopatu Romano esse de iure humano Imperatorum, ex eo, quod dicebat Phocam Imperatorem primatum hunc dedisse Bonifac. III. & Pipinum Gallorum Regem iurisdictionem in Gallias dedisse Zachariæ. Inter Catholicos autem etiam est dissidium, aliqui enim cum Soto in 4. distin. 34. quæst. 2. artic. 3. & Caietano opusc. de primatu Ecclesiæ Romanæ cap. 13. docent iure Diuino supremum Pontificatum non esse annexum Episcopatui Romano, sed solùm de iure Ecclesiastico, & ex facto Diui Petri, qui Romæ sedens, derelicta iàm Antiochena Cathedra, mortuus est, ità quod ait Caietanus, si Petrus sedens Antiochiæ mortuus esset cum Antiocheno Episcopatu vtique remansisset coniuncta dignitas, & potestas capitis vniuersalis Ecclesiæ; cum illo sicut si nullam Ecclesiam Petrus sibi appropriaret, cum nullo Episcopatu talis dignitas, & potestas coniuncta esset, sed remansisset apud vniuersalem Ecclesiam, quæ mortuo Petro elegisset vnum in Episcopum, Catholicæ Ecclesiæ, qui successor fuisset Petri.

Alij verò cum Driedo lib. 4. de dogmaticis varijs, Cano lib. 6. cap. 5. & Bagnez 2. 2. quæst. 1. artic. 10. dub. 4. concl. 3. Turrecrem. in cap. Rogamus, & Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 36. Bellarmino, Valentia, & alijs, quibus nouissimè subscripserunt Dominicus à Sanctissima Trinitate Carmelita Discalceatus lib. 3. tertij tomi Biblioth. Theologicæ sess. 4. cap. 8. Gonet in suo Clypeo tom. 4. disput. 4. art. 3. conclus. 3. & videtur docere Magister Ferre de virtutibus Theologicis tom. 1. tractatu de fide quæst. 11. §. 6. num. 27. affirmant esse hanc vnionem non de iure humano, sed de iure Diuino; sit ergo.

Secunda conclusio coniunctio primatus vniuersalis Ecclesiæ cum Episcopatu Romano, non est de iure humano, siue seculari, siue Ecclesiastico, sed de iure Diuino. Ita Doctores pro vltima sententia citati.

Probatur hæc conclusio quoad omnes suas partes, tùm ex auctoritatibus Summorum Pontificum, quæ videri possunt apud Canum, & Driedo loco citato, specialiter ex Diuo Anacleto in epist. 3. de Patriarchis, & Primatibus, vbi ait: [Hæc sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem consecuta est.] Tùm etiam ex Concilijs, nam in Nicæno dicitur, quod

Apo-

Apostolica Sedes Romana omnibus maior, & prælata est Ecclesijs, & non solùm Sanctorum Patrum, & Canonum decretis, sed Domini Saluatoris voce obtinuit principatum. Et Concilium Tridentinum postquam definiuit, sanctam Sedem Apostolicam, & Romanum Pontificem supra vniuersum Orbem principatum tenere affirmat ipsi in Beato Petro pascendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. Mitto alios Sanctos Patres clarissimè hoc idem docentes breuitatis gratia.

Deindè probatur prima pars contra Hæreticos, tùm quia Principes seculares nullum ius habent in res Diuinas, & Ecclesiasticas; tùm etiam, nam falsæ sunt historiæ ab Hæreticis adductæ, non enim Constantinus hoc statuit, vt somniant aliqui Hæretici fundati in eo, quod dicitur in cap. Constantinus dist. 90. vbi habetur, quod Constantinus Imperator quarta die sui baptismatis priuilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, vt in toto orbe Romanum Pontificem Sacerdotes habeant Caput, sicut Iudices Regem. Et Paulus Diaconus lib. 4. historiæ Longobardiæ cap. 36. in eo quod dicit Phocam regnante Papa Bonifacio statuisse Sedem Romanam, & Apostolicæ Ecclesiæ Caput esse, & omnium Ecclesiarum: non enim sic intelligendæ sunt dictæ Historiæ, vt isti Imperatores primi dedissent, & statuissent primatum, & Capitis dignitatem Romano Pontifici, sed ita quod isti Imperatores suis decretis, & auctoritate stabilissent, & conseruassent contra alios Episcopos, & Patriarchas hanc dignitatem Capitis, & primatum in Romano Pontifice, constat enim non solùm antè Imperium Phocæ, sed etiam antè Imperium Constantini Romanum Pontificem dignitatem hanc Capitis, & primatum in tota Ecclesia tenuisse, & substituisse, vt patet in auctoritate à nobis supra adducta Anacleti, qui vixit in pontificatu sub initio secundi seculi renascentis orbis, ac proindè plusquam duobus seculis antè Constantinum.

Deindè secunda pars probatur, si Episcopus Romanus esset tantùm iure Ecclesiastico Episcopus orbis, sequeretur, quod posset per Ecclesiam mutari, & fieri remanente iurisdictione Episcopi Romani in illa tantùm Diœcesi, alius Episcopus eligi posset Episcopus totius orbis, consequens est falsum, ergo, &c. sequela probatur, nam tenemur tantùm subdi Vicario Christi, & successori Petri, qui est Pastor vniuersalis Ecclesiæ, ergo si iure Diuino Pontifex Romanus non est huiusmodi, poterit Ecclesia alium successorem Petri declarare, cui priuilegia Petri, quæ modò habet Romanus Pontifex committat.

Secundò probatur, & simul explicatur tertia pars, stat in communi Theologorum sententia, quod conclusio per bonam consequentiam illata, sit de fide, & tamen præmissæ inferentes, ambæ non sint de fide, sed vna naturalis, & vna de fide, sicut ex. gr. omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis, ergo similiter esto actualis coniunctio potestatis Capitis, cum Romano Episcopatu dependeat à morte Petri in Romana Sede; tamen quia de fide est, vt supra diximus, iure Diuino ad successorem Petri pertinere vniuersalem potestatem supra totam Ecclesiam, non iure humano, sed diuino iure modò coniuncta est Episcopatui Romano potestas Capitis. Itaque supposito, quod ex morte Petri, & approbatione Ecclesiæ coniuncta sit cum Episcopatu Romano potestas Capitis, de fide modò est Episcopum Romanum esse Pastorem vniuersalem totius Ecclesiæ.

Confirmatur hoc primò, nam vt scribit Marcellus Papa in epist. ad Antioch. Petrus iubente Domino Romam venit, & ibi suam sedem fixit, vt scribit his verbis: [Petri sedes primitùs apud vos fuit, postea iubente Domino Romam venit, & Romam translata est eius Sedes;] indè vt narrant Diuus Ambrosius lib. 5. epist. Diuus Gregorius in explicat. 4. psal. pœnitent. Egesippus lib. 3. de excidio Hierosolymitano. Cùm Diuus Petrus carcere solutus fratrum monitis acquiescens, vt effugeret persecutionem Neronis ex Roma exiret, Christus illi occurrit, & Petro interroganti, quò iret? respondit: Vado Romam iterùm crucifigi. Quo responso intellexit Petrus diuinitùs sibi mandatum esse à Domino, vt Romam reuerteretur, & morte sua supremum Pontificatum in Romana Sede perpetuò stabiliret, ergo de iure Diuino est coniunctio supremi Pontificatus cum Episcopatu Romano. Quo argumento vsus est Papa Gelasius in decreto de scripturis apocryphis.

Confirmatur vlteriùs in tot seculorum decursu inter tot persecutores, & bella etiam translata Sede Auenionē per septuagintatriū annorum spatium à Pontificibus Gallis, numquam tamen separatus fuit Episcopatus Romanus à Pontificatu totius Orbis, ergo signū est, quod iure Diuino, & speciali Dei ordinatione sedes Romana inseparabilis sit ab Ecclesiæ primatu, quo argumento vsus est Diuus Augustinus, affirmans esse vnum ex illis, quæ se in fide Catholica retinebant, lib. contra epistolam fundamenti cap. 4. his verbis tenet: [Me tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.] Quod si hoc argumento conuincebatur Aquila Doctorum Augustinus, cuius tempore tantùm quadraginta Pontifices numerabantur, cuius roboris modò esse debet protracta continua successione per tot secula, & inter tot Orbis mutationes, & turbationes, supra numerum ducentorum triginta sex Pontificum, vsque ad Innocentium XI. qui feliciter regnat.

Denique probatur hæc pars conclusionis. Est de fide debere esse vnum Caput, & vnum Pastorem, ad quem recurrant Fideles, tamquam ad supremum Caput, & Iudicem veritatis, & fidei; ergo eadem certitudine debet sciri, quem Deus in Ecclesia sua supremum Iudicem, & Pastorem constituit; ergo ad Deum solum pertinet determinare, in quo Diuina sua Prouidentia hanc dignitatem Capitis, & Pastoris reposuit, sed de fide est Romanum Pontificem ritè electum esse supremum Caput, & Pastorem vniuersalis Ecclesiæ, vt infrà videbimus; ergo de iure Di-

uino

uino est, & non ab homine coniunctio supremi Pontificatus, cum Episcopatu Romano.

Dices cum Magistro Soto, quod quia hæc coniunctio Pontificatus supremi cum Episcopatu Romano dependens fuerit à morte, & voluntate Petri in Ecclesia Romana, ideò per accidens coniunguntur Episcopus Orbis cum Episcopo Vrbis; est ergo de fide, quod Episcopus Orbis sit successor Petri, & regula infallibilis veritatis, & fidei, non autem, quod Episcopus Orbis sit Episcopus Vrbis, vndè si modò Ecclesia constitueret, quod Episcopus Orbis non esset Episcopus Vrbis sedem suam ab Vrbe remoueret, & cum alio Episcopatu coniungeretur, vel cum nullo, ità quod Episcopus Orbis non esset Episcopus alicuius determinatæ Ecclesiæ, sicut fuerunt ordinati à Christo Apostoli Episcopi Orbis, & per Orbem dispergendi, nec addicti ad aliquam determinatam Vrbem, vel Ecclesiam, quod quidem non est Ecclesiæ Catholica interdictum, immò conforme ad id, quod fecit Christus, quando constituit Petrum caput Ecclesiæ, dùm non erat addictus alicui Ecclesiæ particulari; tunc enim Vrbis Episcopus non esset Episcopus Orbis, nec caput Ecclesiæ, nec regula fidei, & sufficit Fidelibus subijci, & credere illi, qui ab Ecclesia in Episcopum Orbis, & successorem Petri eligeretur.

Ob hæc docet Bannez, quod si hìc dici posset, ipse diceret, quod hæc coniunctio, etiamsi non sit de iure Diuino, est tamen immutabilis ab homine, & inseparabilis ab Ecclesia, nàm ait ipse, sicut inter ius purè naturale, & ius purè humanum mediat ius gentium, quod pro quanto participat de iure naturali, non potest de facili mutari, ità posset hoc ius Romanæ Ecclesiæ vocari medium inter ius Diuinum, & ius merè humanum, quatenùs dependebat à morte, & facto Petri, & pro ea parte, qua participat de iure diuino non potest de facili mutari. Cæterùm, quia hoc ius nouum videtur, & non fundatum nihil ipse determinat in hac parte.

Nihilominùs tamen dicendum est, nihil contra nostram rationē facere solutionē Soti, nàm esto Christus Dominus dederit potestatem capitis Ecclesiæ Diuo Petro, tempore, quo non erat addictus alicui Ecclesiæ, tamen ex Damiano, Ambrosio, & Gregorio supra probauimus, iubente ipso Christo Domino; ac proindè de iure diuino facta est talis coniunctio ex morte Petri, etiam Romæ successa, ipso Domino iubente, quando Petro è Roma egresso, obuiam fuit, dixitque ei: Venio Romam iterùm crucifigi; ergo non remanet modò auctoritas in Ecclesia diuidendi Episcopatum Romanum à Pontificatu totius Orbis. Confirmatur, & vrgetur hoc magis: Romanus Episcopatus, & Pontificatus totius Ecclesiæ non sunt duæ Sedes, nec duo Episcopatus, sed vnus, & vna Sedes, quæ Petri facto, & Christi mandato in Sedem, & Pontificatum totius Orbis euecta est; ergo vnum non est separabile ab alio.

Antecedens probatur; Episcopo Romano, & Summo Pontifici non datur, nisi vnum pallium, vt notauit Cardinalis Bellarminus lib. de Summo Pontifice; ergo signum est, quod non sunt duo Episcopatus, sed vnus.

§. III.

Occurritur argumentis contra hanc secundam Conclusionem.

Arguitur primò contra hanc secundam Conclusionem, coniunctio ista non probatur ex iure Diuino, nec ex sacra Scriptura, nec ex Concilijs, & auctoritate Sanctorum, ac Doctorum sententia, nec denique ex Apostolica traditione, ergo nullo modo probatur esse de iure Diuino, consequentia tenet, quia res fidei his vijs probari tantùm consueuerunt. Antecedens autem patet, & quod non sit ex sacra Scriptura, nec Concilijs, nec sanctorum Patrum auctoritate, patet cùm non sit locus sacræ Scripturæ, nec Sāctorum, in quo dicitur esse de iure diuino. Quod autem nec ex communi consensu Doctorum constat, cum in hac parte, etiam inter Catholicos est magna dissensio, vt vidimus, ergo nullo modo probari potest esse de iure diuino.

Respondeo nos non dicere esse de fide, quod sit ista coniunctio Pontificatus vniuersalis Ecclesiæ cum Episcopatu Romano de iure diuino, licèt sit de fide, quod Episcopus Romanus sit modò caput totius Ecclesiæ; primum enim esto sit probabilius, & rationibus, & auctoritatibus à nobis adductis, non tamen est ità certum, vt oppositum non sit valdè probabile, etsi non propter aliud, propter catholicos tamen, & eminentissimos Doctores ità tenentes, dicimus itaque esse valdè probabile talem coniunctionē fuisse factam non ab homine, sed à Deo; non iure humano, sed diuino, quatenùs Deus, vt supra ostendimus, præcepit Petro, vt Sedem suam Romæ transferret, & in ea vsque ad mortem permaneret.

Sed oppones ex præcepto Christi Petro facto de Roma petenda ad fundandum ibi Ecclesia, non sequitur, quod de fide sit credendum Petrum taliter fixisse sedem Romæ, vt successoribus tali sede reliquisset summam totius Ecclesiæ potestatem, & capitis dignitatem, sed solùm, quod Romæ tamquàm Apostolus Ecclesiā fundaret, quod fuit commune omnibus Apostolis, qui, vt supra diximus, ex facultate, & potestate Apostolatus totius Ecclesiæ gubernationem habebant, & in eo loco, in quo actu exercebant munera Apostolatus, dicebantur Episcopi, ergo ex locis adductis non probatur esse de iure diuino coniunctionem illam Pontificatus cum Episcopatu Romano. Probatur antecedens, etiam Ioannes Euangelista, quando Romæ fuit, & ibi in feruentis olei dolium missus, fuit Romæ Episcopus, & exercuit munera Apostolatus, vt refert Tertullianus, ex quo tamen non licèt inferri, quod Episcopus Romanus sit successor Ioannis Euangelistæ, ergo ex eo, quod Petrus Romam venit, & ibi Episcopus fuit, non sequitur, quod si hoc ex Christi præcepto fecerit eodem præcepto suos successores cum potestate capitis Episcopos Romanos reliquerit.

Hoc argumento vsus Spalatensis apostata.

stata, & modernus hæreticus apud nostrum Ioannem à sancto Thoma, censet non solùm non esse de iure diuino coniunctionem Episcopatus Romani cum Pontificatu vniuersalis Ecclesiæ, sed nec etiam esse de fide esse Episcopum Romanum Pontificem vniuersalem Ecclesiæ, itaque hæreticus iste sequutus in partem Caluinum, & Lutherum, necnon Nilum Thessalonicensem in libro contra primatum Papæ, totam iurisdictionem primatus, & potestatem Romani Pontificis super alias Ecclesias, ad ius positiuum humanum deuoluit.

Respondeo tamen vtrumque ab ipsis assertum esse falsum, licèt non in eodem gradu falsitatis; primum enim, quo scilicèt Summus Pontifex totius Ecclesiæ sit Episcopus Romanus est ità certum de fide definitum à Concilijs supra adductis, vt oppositum sit hæreticum. Secundum verò, licèt non sit ità certum, vt coniunctio ista facta sit auctoritate Dominica, ac proindè sit de iure diuino, est tamen probabiliùs ex rationibus, & auctoritatibus supra adductis, specialiter ex illo, ex cap. sacrosancta dist. 22. ab Anacleto Papa dicto, quod Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino, & Saluatore nostro primatum obtinuit.

Sed adhùc obijcies ex catholicis Doctoribus, si esset de iure diuino hæc applicatio Summi Pontificatus ad Episcopatum Romanum, sequeretur, quod si Romana Ciuitas funditùs exterminaretur, sicut multi Doctores, & Patres putant esse euertendam tempore Antichristi, ità quod periret Episcopatus illius Vrbis, hoc ipso non subsisteret summus Ecclesiæ Pontificatus, at hoc dici non potest, ergo falsa nostra assertio. Minor probatur, sicut Ecclesia manebit eiam post Antichristum vsque ad consumationem seculi, iuxtà promissionem Christi, ità & supremum caput Ecclesiæ, ergo saltem tunc separandus erit Episcopatus Romanus, à Pontificatu totius Ecclesiæ, ergo non est de iure diuino illi alligatus.

Respondeo in primis non esse certum Romanam Vrbem esse euertendam tempore Antichristi, nàm vaticinium Apocalypsis non esse intelligendum de Roma Christiana, eiusque Catholico Imperio, sed de Roma Gentilitia, eiusque tyrannide contra Christianum sanguinem à primis Imperatoribus effusum, vt enim ait eruditissimus noster Maluenda, ægerrimè audimus, nec satis possimus pati vrbem Diuino electam munere, vt esset fons pietatis, domicilium Sanctorum, fidei columen, sedes Christiani, & Ecclesiastici Imperij asylum, Religionis virtutum Magistra, probitatis conseruatrix, orthodoxæ Doctrinæ Catholicæ, & denique omnis boni amplissimum cornucopia, insuper tot Martyrum fuso sanguine consecratam, tot Sanctorum præsidijs cultam, tantis diuinis honoribus à Deo ornatam, & auctam, & ingentium duorum propugnaculorum robore cinctam, & vallatam, Principes dico Apostolorum Petrum, & Paulum, vt alia multa omittamus, quæ ipsam Cœlo propè modum æquent, sic horrendè in summum impietatis, & infelicitatis barathrum tandem prolapsuram.

Sed dato, & non concesso, quod Roma tempore Antichristi destruenda sit, non indè sequitur Romanum Pontificem non esse iure Diuino coniunctum cum Pontificatu vniuersalis Ecclesiæ, nam vel in tali casu Ecclesia ipsa iudicaret esse transferendam alibi Sedem Apostolicam Diui Petri, declarando cessasse per destructionem Romæ ius illud Diuinum vniens Episcopatum Romanum cum Pontificatu totius Ecclesiæ Catholicæ, sicut in pluribus alijs, quæ sunt de iure Diuino, potest Ecclesia declarare non teneri tale ius in aliquo determinato casu, vel cum Bellarmino, Maluenda, & alijs, dicere, quod etiam tunc Romanus Pontifex diceretur Summus, & vniuersalis Ecclesiæ, licèt Romæ non habitet, vt accidit multoties, specialiter quando tempore Totilæ Regis Gothorũ expulsus fuit Vigilius Pontifex à sua Romana Sede, & sub Clemente V. & sex alijs Pontificibus Gallis per 73. annorum spatium Romani Pontifices Auenioni in Gallia commorati sunt, qui tamen non desinebant esse Romani Præsules, vt videre est in Bullis Pontificijs ibi expeditis.

Secundò arguitur ex illa propositione de fide, & iure diuino successor Petri habet vniuersalem potestatem; & ex altera, quod Romanus Pontifex sit successor Petri, non sequitur conclusio de iure diuino, ergo, &c. antecedens probatur, tùm quia conclusio, quæ euidenter ex præmissa de iure ciuili colligitur, non est de iure naturali, sed de iure gentium; ergo neque illa, quæ euidenter colligitur ex iure Diuino non erit de iure Diuino, tùm etiam, nam vt docet sanctus Thomas 1. 2. quæst. 95. art. 2. quæ deriuatur à lege naturali, sicut determinationes quædam aliquorum communium, pertinent ad ius positiuum, sicut ver.gr. de lege naturæ est, quod ille, qui peccat puniatur, sed quod tali pœna puniatur pertinet ad positiuum; ergo in casu nostro similiter sequitur ex iure Diuino, per modum determinationis, quod Romanus Episcopus sit successor Petri; ergo hoc non videtur pertinere, nisi ad ius positiuum.

Respondeo, nos non inferre ex illis præmissis coniunctionem esse de iure Diuino, sed ex traditione Sanctorum, ita asserentium ex præcepto Christi facto Diuo Petro de figenda sua Sede Romæ, & de morte ibi ferenda, quod ex historijs, & Sanctis Patribus supra retulimus, ac denique ex auctoritate sacrorum Conciliorum, ita asserentium.

Sed oppones, nam ex facto, Diui Petri iuxtà traditionem Sanctorum, potiùs sequitur illam coniunctionem Pontificatus cum Episcopatu Romano esse de iure Ecclesiastico, & positiuo; ergo nulla nostra solutio. Probatur antecedens iuxtà prædictas traditiones, Petrus cùm primatum à Christo fuit consecutus ex sua voluntate Antiochenam Sedem constituit, & ibi per plures annos sedit, deindè illam deseruit, & Romæ Sedem suam vsque ad mortem figere voluit; ergo ex voluntate Petri, & non ex Diuino præcepto fuit facta talis coniunctio. Probatur hæc consequentia, ante mortem Petri non erat de iure Diuino illa coniunctio, sed ex voluntate pendebat, ergo neque modò; illius enim mors non poterat constituere ius diuinum; antecedens

cedens verò probatur, si ante mortem Petri id esset de iure Diuino, hoc non ignoraretur, à Petro, qui erat à Spiritu sancto edoctus, at constat ex traditionibus, & Sanctis Patribus, historijsque à nobis adductis, Petrum voluisse alibi transferre Sedem, nisi à Christo Domino fuisset admonitus, vt Romæ pateretur; ergo non erat de iure Diuino ante mortem Petri.

Respondeo negando minorem, ad probationem nego consequētiam, & ad eius probationem dico, quod ius diuinum talis coniunctionis fuit Petro à Christo reuelatum, quando ei obuiam venit, & ei præcepit, vt Romæ pateretur, quod ex pluribus traditionibus, & Sanctis Patribus, ac historicis facilè infertur. Nec mirum, quod ius Diuinum pendeat, quoad suum exercitium, & valorem ab aliquo naturali, & humano, maximè quando determinat aliquod positiuum, & naturale, vt accidit in præsenti.

Ex dictis infero ob nullam causam, præter quam totalis subuersionis Episcopatus Romani separari posse auctoritate Ecclesiæ, nec posse transferri Sedem Pontificalem, ab Episcopatu Romano, & cum alio coniungi, vel cum nullo; Et ratio est, tùm quia ad minus nostra sententia est probabilis; ergo si debeat tale ius dispensari, & mutari, non nisi ex vrgentissima causa, quæ nulla dari potest sæuientibus persecutionibus, & coactis Episcopis Romanis exulare, numquam iudicatum est debere transferri Pontificatum ab Episcopatu Romano; tùm etiam, nam dato non à iure Diuino, sed ab Apostolis hanc coniunctionem esse factam, tamen non fuit facta ab illis secundùm potestatem, & auctoritatem ordinariam, in qua succedit Pontifex, sed secundùm potestatem extraordinariam, in quantum erant delegati à Christo Domino primi Fundatores Ecclesiæ, quam potestatem non reliquerunt Summo Pontifici; non potest ergo, vel Pontifex, vel Ecclesia mutare hanc coniunctionem, quia numquam potest auctoritate ordinaria mutari, aut destrui id, quod fit auctoritate delegata.

Secundò infertur, Romanum Pontificem, primatum, & amplitudinem suæ dignitatis immediatè à Christo habere. Quod probo cum nostro Cardinali Turrecremata, hac ratione desumpta ex sancto Dionysio Sexto de Cœlesti Hierarchia, vbi habet: [Proprium est Angelis primæ Hierarchiæ esse circa Deum;] quod dictum non est accipiendum quantùm ad beatitudinis participationem, quia sic omnes Angeli, & omnes Sancti sunt circa Deum, sed quoad receptionem illuminationis, quam Angeli primæ Hierarchiæ recipiunt immediatè à Deo, ergo pariformiter primus, qui est in Ecclesiastica Hierarchia, qualis est Summus Pontifex, dicendus est capere immediatè à Christo suam amplitudinem dignitatis, & primatus.

Secundò probatur, quia papalis potestas non potest conferri ab homine, ergo à solo Christo immediatè confertur; antecedens probatur, tum, quia Papalis potestas dicitur illa, qua Summus Pontifex vtitur in regimine communi vniuersalis Ecclesiæ, vt Vicarius Christi, ergo non potest conferri ab homine, sed à solo Christo. Tùm etiam, nam si conferretur ab homine, vel ab homine Papa, vel à tota Communitate, vel ab eius vices habente, non autem aliquo ex ijs modis potest conferri, ergo à solo Christo confertur. Minor probatur, & quod non ab ipsomet Papa patet, quia nullus potest sibimet conferre potestatem iurisdictionis, quod autem, nec etiam à communitate probatur, nulla communitas potest conferre potestatem suo Superiori gubernanti, quando huiusmodi dominium non dependet à consensu communitatis, sed huiusmodi est potestas papalis, quæ non dependet à consensu communitatis Christianæ, ergo non à communitate dependet immediatè, sed immediatè recipitur à Christo Domino.

Denique infero pontificiam dignitatem duraturam esse vsque ad diem iudicij, ita contra quamplures Hæreticos somniantes esse iam abolitam, sed non conuenientes quando, vel quomodo, qua auctoritate, & in quod regimen translata sit talis pontificia dignitas, & potestas, nec aliquod solidum fundamentum adducentes. Docetur à Catholicis prædicta veritas, & solido hoc fundamento probatur. Ecclesia Dei duratura est vsque ad consummationem seculi, iuxtà illud Matthæi vlt. [Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.] Et illud Lucæ 21. [propter Electos breuiabuntur dies illi,] scilicet dies antè Christi aduentum, ergo etiam duratura est vsque ad talem diem pontificia potestas, non enim potest remanere Ecclesia à Christo fundata, & sub tali regimine constituta, destructa iam pontificia potestate, ac proindè mutato regimine. Hinc est, quod dixit Christus Petro, Matthæi 16. [Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Quæ vtique præualerent, si potestas Petri in suis successoribus mutaretur.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Potestate Papæ.

HAbere Summum Pontificem supremam potestatē, quam plenitudinem potestatis appellant in Ecclesia Sancta Dei est communis Catholicorum sententia, & ratio euidens persuadet. In omni enim Communitate benè ordinata oportet apud Supremum residere plenam potestatem se extendentem ad omnia necessaria, & euidenter expedientia bono Reipublicæ illius Communitatis, cum ergo Papa sit, vt supra probauimus, Supremum Caput, & Princeps in Communitate totius Christianitatis, tanquam Rector omnium fidelium, consequenter apud illum plenitudo residet Potestatis, extendens se ad omnia necessaria saluti Reipublicæ Christianæ.

Hæc autem plenitudo potestatis, quam diximus esse in Romano Pontifice non est ita intelligenda, sicut est illa, quæ Deo omnipotenti attribuitur, apud quem, vt dicitur Lucæ 1. Non est impossibile omne verbum, vt de se patet, nec est illa plenitudo potestatis excellentiæ, quam recognoscunt Sancti Patres, & Doctores in Christo Domino, nam vt docet Sanctus Thomas in 4. dist. 15. quæst. 3. artic. 1. [Ministri Ecclesiæ instituuntur in illa diuinitùs fundata, & ideò institutio Ecclesiæ, quæ supponitur ad operationem Ministrorum, sicut opus creationis, ad opus naturæ, quæ institutio Ecclesiæ consistit in fide, & Sacramentis, & ideò ad Ministros Ecclesiæ, nec nouos articulos edere, nec editos remouere, nec noua Sacramenta instituere, nec instituta remouere pertinet, seu hæc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo. qui est Ecclesiæ fundamentum, & ideò sicut Papa non potest dispensare, vt aliquis sine Baptismo saluetur, ita nec quod saluetur sine confessione, secundùm quod obligat ex vi Sacramenti;] ita Sanctus Doctor. Est ergo plenitudo potestatis, quæ ponitur in Papa, plenitudo potestatis ministerialis, & tanta, quanta est necessaria ad vniuersalis Ecclesiæ regimen, & ad salutem fidelium procurandam, sicut plenitudo scientiæ fuit à Christo Domino suæ Ecclesiæ promissa Ioannis 16. cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quod non est tamen ita vniuersaliter accipiendum, quod quidquid sciri possit ab homine fuerit Apostolis reuelatum, sed in quantùm nobis fuit ad salutem necessaria, & vtilis, qua propter Glossa, super illud verbum omnem veritatem, adiunxit: Saluti necessariam.

Hanc autem plenitudinem, in quindecim ostendit manifestatam noster Cardinalis Turrecremata. Primò ex his, quibus excellentia huius dignitatis nobis figuraliter describitur, de quo Sanctus Bernardus lib. 2. [de consideratione, ita inquit: Tu, qui es Sacerdos Magnus, Pontifex Summus, Princeps Episcoporum, Hæres Apostolorum, Primatu Abel, Gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisech, Dignitate Aaron, &c.]

II. Ostenditur plenitudo potestatis in Romano Pontifice, in extensione Principatus sui in omnem terrarum orbem, nullus enim fidelis in toto Christiano orbe eximitur ab eius principatu, iuxtà illud Ioannis vltimo: Simon Ioannis pasce oues meas; inter oues illas, & istas non distinguens, sed vniuersas oues illi commendans, vt glossat Chrysostomus.

III. Hæc plenitudo potestatis ostenditur in potestate clauium in foro conscientiæ, sic enim extenditur eius potestas ad omnia loca, ad omnes personas, ad omnes casus.

IV. Ostenditur in clauibus iudiciaria potestas in foro exteriori, valet enim de omnibus personis orbis Christiani, cuiuscumque status, & conditionis iudicare, quia est Iudex totius Ecclesiæ, vt dicitur in cap. Episcopo quæst. 3.

V. Ostenditur in depositione Episcoporum.

VI. In eo, quod sub nulla humana potestate subditur, & ipsa omnem aliam excedit, & superat.

VII. Ostenditur ex eo, quod non arctatur eius potestas ad operandum, seruato semper ordine inferiorum potestatum, sed potest immediatè in quemcumque Christianum, tanquam ordinarius, & immediatus Pastor ordinari.

VIII. In eo, quod potest eximere à suis Prælatis superioribus Prælatos inferiores, v. gr. Abbates, vel Priores ab Episcopis, Episcopos ab Archiepiscopis, &c.

IX. In hoc, quod non ligatur legibus à se factis, immò nec etiam à Sacrorum Conciliorum Canonibus, in quibus potest, iuxtà temporum opportunitatem, & aliarum circumstantiarum dispensare.

X. In dispensatione humanarum actionū, puta iuramentorum, & votorum.

XI. Hæc plenitudo potestatis ostenditur in administratione, & dispensatione rerum Ecclesiasticarum, cùm omnes aliæ potestates Ecclesiasticæ inferiores habeant hanc potestatem

tem limitatam ; & subordinatam Summo Pontifici.

XII. In eo, quod potest committere aliquibus inferioribus ea, quæ sunt ordinum superiorum, sicut inferioribus Presbyteris concedit conferre minores ordines, immò & ministrare Sacramentum Confirmationis, quę sunt munera Episcoporum, vt habetur in cap. peruenit dist. 95.

XIII. Ostenditur plenitudo potestatis in dispensatione thesauri Ecclesiæ, cùm ipse solus possit, vt Christi principalis Vicarius, concedere plenariam indulgentiam omnibus fidelibus vniuersis, & ex quacumque causa; Episcopis verò est taxata secundùm ordinationem Papæ.

XIV. Seruatur ista plenitudo potestatis in dispositione totius Ecclesiastici ordinis, quoad dignitates Ecclesiasticas, quæ pertinent ad Summum Pontificem, tanquam ad principalem Architectorem in Templo Domini, vt fuit definitum in Concilio Viennensi.

XV. Denique plenitudo potestatis Romani Pontificis ostenditur in Canonizatione Sanctorum, quæ pertinet ad solum Romanum Pontificem, vt ad Iudicem, & Principem vniuersalis Ecclesiæ, habetur extrau. de Religione, & veneratione Sanctorum, capitulo 1. & 2.

DVBIVM PRIMVM.

An detur in solo Pontifice Romano plenitudo potestatis.

Circa omnia ista plura dubia in hac disputatione exagitabimus. Itaque sit dubium primum: An solus Romanus Pontifex in Ecclesia Dei habeat plenitudinem potestatis.

Duplici sensu potest hæc difficultas agitari. Primò, an solus Pontifex Romanus absolutè in se habeat plenitudinem potestatis in toto vniuerso Christiano orbe; cæteri verò Prælati, & Episcopi non habeant plenitudinem potestatis, nec vniuersalem, sed in determinato grege.

Alius sensus esse potest respectiuè ad cæteros Prælatos Ecclesiæ, itaut sola Pontificia potestas sit absoluta, & independens, cæteræ autem potestates, saltem iurisdictionis à Papa, siue Apostolica Sede mediatè, vel immediatè deriuentur, & dependeant, & quoad vtrumq; sensum hoc dubium examinabimus.

§. Primus.

Resoluitur dubium in primo sensu.

Sit igitur prima Conclusio, solus Romanus Pontifex habet plenitudinem potestatis in Ecclesia vniuersali.

Hæc conclusio à nemine Catholico negari potest, & probatur primò ex illo, quod Dominus ad solum Petrum Lucæ 5. ait: [Duc in altum, & laxate retia vestra; vbi Glossa: Alijs (inquit) imperatur, vt laxent retia, soli Petro dicitur, duc in altum, idest in profundum disputationum.] Et vrgetur hoc ex illo Matthæi 17. vbi Dominus soli Petro iubet hamo piscari, vbi glossat Ambrosius, & habetur in cap. est aliud 24. quæst. 1. [Est aliud piscandi genus, quo genere solùm Petro piscari hamo Dominus iubet, dicens: Mitte hamum per hamum intellige iurisdictionem, qua Petrus præfuit alijs, hoc genere piscandi solus Petrus piscatur, quia habet potestatem ligandi, & soluendi.]

Confirmatur aurea auctoritate Cyrilli in lib. Thesaurorum, vbi sic habet: [Sicut Christus à Patre accepit ducatum, & sceptrum Ecclesiæ, gentium super omnem principatum, & potestatem, & super omne quodcumque est, vt ei genua cuncta curuentur plenissimam potestatem, sic & Petro, & successoribus eius plenissimè commisit.

Confirmatur secundò ex Sancto Bernardo lib. 3. de consideratione ad Eugenium, vbi clarissimè declarat hanc supremam potestatem solùm in Romano Pontifice residere, & idem docet Sanctus Thomas in 4. dist. 30. vbi ait: Papa habet plenitudinem Pontificalis potestatis, quasi Rex in Regno, sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi Iudices singulis ciuitatibus præpositi.

Et probatur ratione, tùm primò, quia solus Romanus Pontifex in toto corpore vniuersalis Ecclesiæ post Christum est Caput vniuersale ad regimen, & gubernationem totius vniuersitatis fidelium; ergo solus ipse habet plenitudinem potestatis. Consequentia tenet, quia solum caput in corpore hominis, ad cuius similitudinem de corpore Ecclesiæ loquimur, habet plenitudinem sensus, & regitiuæ, & gubernatiuæ virtutes. Antecedens autem probatur, seu explicatur; Ecclesiasticus Principatus est (vt supra probauimus) Monarchicus, ergo sub vno capite habente plenitudinem potestatis. Antecedens constat, & consequentia probatur, quia in principatu Monarchico suprema potestas in solo Capite, seu Principe collocatur, vt docet Philosophus 8. Ethnicorum, & 3. Politicorum, & probatur sic: Principatus Monarchicus est quoddam totum potestatiuum, cuius hæc est natura, quod secundùm completam perfectionem sit in vno solo, scilicet in Principe; in alijs verò, in quo distributum est per gradus diuersarum dignitatum, ac officiorum, est aliqua participatio ipsius, ergo &c.

Probatur secundò, iuxtà Apostolum ad Romanos 13. [Omnis anima potestatibus superioribus subdita est, quæ à Deo enim sunt, ordinata sunt, [ergo datur in Ecclesia prælatio, quæ sit secundùm ascensum, & descensum, & non secundùm æqualitatem, ergo datur in Ecclesia vnus Prælatus, in quo sit suprema potestas regiminis, & plenitudo iurisdictionis. Hæc secunda consequentia satis constat, quia vbi datur ordo debet dari primum, medium, & vltimum; ergo si prælatio in Ecclesia est ordinata, debet dari primus Prælatus, à quo cæteri inferiores dependeant in potestate iurisdictione, & ipse habeat plenitudinem potestatis. Prima verò consequentia probatur, datur in Ecclesia subiectio, & subiectio ordinata, cum iuxtà Apostolum: [Quæ à Deo sunt, ordinata sunt;] ergo da-

tur prælatio secundùm ordinem ascensus, & descensus. Hinc Augustinus contra Donatistas, [& in epistola ad Glorium, & Eleusium, docet, quod in Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.

Tenent contra hanc conclusionem, & Hæretici, & fuit etiam error Marsilij de Padua, dicentis, Papam non habere aliquam plenitudinem potestatis absque concessione Imperatoris. Tenuerunt etiam aliqui Doctores Concilij Constantiensis, qui (vt refert noster Turrecremata) dicebant, quod plenitudo potestatis non est in solo Papa, sed etiam in Ecclesia vniuersali,& inConcilio vniuersali,aliter tamen,& aliter;nam distinguunt quod aliquid tripliciter potest esse in aliquo. Primò,tanquam in subiecto ,sicut accidens in substantia.Secundò,tanquam in obiecto, sicut effectus dicitur esse in sua causa,& in suo fine. Tertiò, tanquam in exemplo, sicut res visa dicitur esse in speculo; aiunt ergo plenitudinem potestatis esse in Papa, tanquam in subiecto eamdem recipiente,& ministraliter exercente. Secundo modo est in Ecclesia, tanquam in obiecto causaliter, & finaliter continente. Tertiò est in generali Concilio, tamquam in exemplo ipsam Ecclesiam repræsentante, & regulariter dirigente,& probant suum dictum isti Doctores.

Primò in duobus potissimè exprimitur hæc potestas, primò in illo Matth. 16. vbi Christus ait Petro: [Tu es Petrus, &c. tibi dabo claues.] Secundò, in illo [Quodcumque ligaueris super terram, &c.] sed vtrumq; non solùm de Petro, & successoribus eius, sed etiam de alijs Apostolis dicitur, ergo non solùm Papa,sed etiam Ecclesiæ, & Concilijs data est suprema potestas. Minor quoad primum dictum probant ex eo, quod cùm Petrus non solus fuerit interrogatus, sed etiam omnes Apostoli, Petrus pro omnibus respondit, vt dicit Glossa, ergo collatio clauium, quæ videtur fuisse data ob meritum confessionis fidei, non solùm Petro, sed etiam pro alijs Apostolis dictum est, [tibi dabo claues, &c.] quapropter Augustinus serm. 10. super Ioannem, ita docuit: [Cum esset ipse numerus duodenarius, idest quadripartitus in ternos, & omnes essent interrogati, solus Petrus respondit, Tu es Christus filius Dei, &c. & ei dicitur: Tibi dabo claues, &c. ligandi, & soluendi, solus acceperit potestatem, cum & illud pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus,tanquam personam gerens ipsius communitatis accepit.] Ille. Aliud est, quod dicitur Petro, pasce oues meas,quod verbum ad omnes dictum esse probant ex eodem Augustino lib. de agone Christiano, ita dicente: Non ei sinè causa inter Apostolos Ecclesiæ Catholicę personam substinet Petrus, huic enim Ecclesiæ claues datæ sunt, cùm Petro datæ sunt, & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, amas me, pasce oues meas;] ergo ea, quæ Petro data sunt ad plenitudinem potestatis spectantia, non solùm eius successoribus, sed etiam toti Ecclesiæ sunt concessa.

Respondeo negando minorem, & ad probationem primæ partis dico, quod soli Petro, vt supra disp. præterita diximus.datur in illis verbis plenitudo potestatis, quod ibi ex multis probauimus, vt docet Augustinus ipse in quodam sermone Apostolorum Petri, & Pauli, vbi post plura elogia, quæ tribuit Petro, sic habet: [Et ideò solus inter Apostolos meruit audire: Tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,& tibi dabo claues.] Ad id autem, quod adducunt, ex glossa dico verum esse, Petrum respondisse pro omnibus, tanquam Caput, & Princeps Apostolorum, sicut & verum est ipsi, & mediantè ipso omnibus Apostolis concessas esse claues; cæterùm differenter, quia Petro, vt ibi diximus, datæ sunt cum plenitudine potestatis, & immediatè à Christo Domino;alijs verò mediante Petro, & iuxtà mensuram dispensationis fiendæ per eum, quæ responsio sumitur ex Sancto Leone Papa, qui in serm.3. suæ consecrationis, ita habet: [Primus est in confessione Domini, qui primus est in Apostolica dignitate, propter quod dicitur Beatissimo Petro: Tibi dabo claues Regni Cœlorum, &c. transiuit quidem in alios Apostolos ius potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huiusmodi cōstitutio communicatur, sed non frustrà vni commendatur, quod omnibus intimetur, Petro enim hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus, Petri forma præponitur. Ille.

Sed contra opponitur auctoritas Augustini super Ioannem, quæ affertur in cap. quodcumque 24. quæstione 1. ita dicentis: [Quodcumque ligaueris super terram,erit ligatum in Cœlis, si hoc tantùm Petro dictum est, non hoc facit Ecclesia, si autem in Ecclesia fit, Petrus, quando claues accepit, Ecclesiam Sanctam significauit.] Vbi, vt vides, expressè docet Augustinus, claues non soli Petro, sed toti Ecclesiæ esse datas immediatè à Christo Domino, nam vt exponit Alchiniachius: [Sub signo, & nomine Ecclesiæ Petrus accepit.

Respondeo, quod mens Diui Augustini in illo dicto non est, quod Petrus, ita nomine, aut signo Ecclesiæ claues susceperit, ac si esset Procurator, aut Syndicus eius, sed tanquam Caput, quod plenius illam auctoritatem susceperit, & vt sic significasse quidem Ecclesiam non in omnibus membris eius, sed in principalioribus, scilicet Episcopis, & Presbyteris, ita quod data est Petro potestas clauium, non tantùm pro se, sed etiam vt significanti vniuersos Ecclesiæ Prælatos,in quibus eius potestas deriuanda erat. Et quod hęc sit vera intelligentia Augustini, patet,tùm ex contextu, faciebat enim ibi comparationem inter Petrum, qui est Caput bonorum, & Iudam, qui est caput malorum, & de hoc secundo explicat illud: [Me autem non semper habebitis:] de Petro autem illi tradam claues Regni Cœlorum:tùm etiam ex eodem Augustino, qui in hom. 13. de verbis Domini, tractans illud: [Absit à te Domine, &c.] dicit, quod illo vno Apostolo, idest Petro, in ordine Apostolorum primo, & præcipuo, in quo figurabatur Ecclesia, vtrumque gentium significandi sunt firmi, & infirmi, quia sinè vtrisque non est Ecclesia; ergo quando sentit Augustinus, quod Petrus, quando claues accepit, significabat Ecclesiam,non quoad omnes de Ecclesia, sed quoad aliquos tantùm, videlicet successores eius, & alios Prælatos, in quibus deriuanda erat ipsa clauium potestas.

Tùm

Tùm denique, nam in loco illo, vt benè notat Turrecremata: [Si potestas data Petro, soli ei data fuisset, ità quod eius personam non transgrederetur, profectò non persisteret potestas ligandi, & soluendi, & in Ecclesia non esset;] ergo cum in Ecclesia sit, vt continuè videmus fieri; per Prælatos, absolutio, & reseruatio, seù ligatio, signum est manifestum, quòd Petrus, quando claues suscepit, significabat Ecclesiam in suis Prælatis, in quibus deriuatur potestas, & sensus iste aptandus, est omnibus alijs testimonijs adductis ex Augustino.

Sed adhuc instabis; ea, quæ dicuntur à Sancto Doctore esse in Ecclesia vniuersali, vel vniuersali Ecclesiæ data intelliguntur, vt dicit, omnia membra sua coniunctim, ergo quando Christus dedit vniuersali Ecclesię claues, intelliguntur datæ omnibus membris eis coniunctim. Probatur antecedens, nomen Ecclesiæ est nomen collectiuum, sed quando collectiuum afficitur signo vniuersali, videtur distribuere pro omnibus, ergo ita intelligenda est illa auctoritas.

Respondeo, quàm falsa sit, imò & derisoria ista explicatio, quæ tribuit vnicuique ex Ecclesia omne id, quod Ecclesiæ vniuersali tribuitur, patet ex auctoritate Apostoli ad Romanos 12. & 1. ad Cor. 12. & ad Ephes. 4. vbi commemorantur gratiæ gratis datæ Ecclesiæ vniuersali, quæ tamen iuxtà eumdem Apostolum, ibi, non omnibus membris eius simul conueniunt, sed tantùm alia alijs; dicente eodem Apostolo: Diuisiones gratiarum sunt. Cum dicitur ergo, quod Ecclesia sit nomen collectiuum, etiam si afficiatur signo vniuersali, non sequitur indè, quod distribuatur secundùm distributionem absolutam, & vniuersalem, sed per distributionem accommodam, hoc est aliqua aliquibus, alia alijs; cum enim Ecclesia per corpus figuratur, non possunt omnia eius membra idem vnum officiū exercere, nam vt docet idem Apostolus 1. ad Cor. 12. [Si totum corpus oculus, vbi auditus, si totum corpus auditus, vbi odoratus, &c.] licèt ergo claues Regni Cœlorum solis Sacerdotibus conueniant, dicuntur tamen datæ Ecclesiæ, imò dicuntur claues Ecclesiæ, & hoc pluribus rationibus; tùm propter vnitatem membrorum in corpore Ecclesiæ, iuxtà illud Apostoli: [Multi vnum corpus sumus in Christo:] & ideò, quæ membris principalioribus dantur, toti corpori Ecclesiæ data dicuntur. Tùm quia dicuntur claues Ecclesiæ, eo quod ad bonum totius Ecclesiæ datæ sunt, iuxtà illud 2. Corint. 13. [Secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in significatione.] Tùm denique, quia fides Ecclesiæ multum operatur in istis clauibus, & dicuntur claues Ecclesiæ, sicut dicuntur claues domus, quia per eas datur ingressus in Ecclesia, vel excluditur quis ab illa.

Secundò arguitur, omnes Apostoli immediatè fuerunt ordinati Sacerdotes, & Episcopi à Christo Domino, & designati Vicarij gregis eius, iuxtà illud, quod canit Ecclesia in præfatio Apostolorum; [Quos operis tui Vicarios, eidem contulisti præesse Pastores:] ergo non in solo Petro residet plenaria potestas, sed etiam in cæteris Apostolis, ac proindè in Episcopis eorum successoribus.

Respondeò, quod licèt alij Apostoli fuerint Ecclesiæ Pastores, & Vicarij Christi, sicut, & modò Episcopi, qui illis succedunt, nihilominus non vniuersaliter super totam Ecclesiam, sed tantùm secundùm illam partem sollicitudinis, ad quam vnusquisque vocatus est, solus autem Petrus Pastor fuit vniuersalis Ecclesiæ in vniuersalitate, & solus Romanus Pontifex illi succedit.

Sed oppones secundùm id, quod dicitur [Actuum Apostolorum 20. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus, Episcopos regere Ecclesiam Dei, &c.] Episcopi immediatè ponuntur à Spiritu Sancto regere Ecclesiam suam, ergo non assumuntur à Papa in partem sollicitudinis, ergo habent plenam, & independentem à Papa potestatem.

Respondeo, quidquid sit modò, an Episcopi sint immediatè electi à Spiritu Sancto; mediante Summo Pontifice, & dependenter ab illo (de quo infra) dico, quod esto Apostoli, & eius successores Episcopi, & Presbyteri positi dicantur à Spiritu sancto ad regendam Ecclesiam Christi pro parte illa, in qua Pastores, & Rectores positi sunt, non ex hoc sequitur, quod apud illos sit potestas clauium in plenitudine potestatis, sed tantùm secundùm partem sollicitudinis, ad quàm fuerunt vocati v. g. talis, vel talis Prouinciæ, respectu talis Diœcesis, vel talis Parochiæ, solo autem Romano Pontifici est plenitudo potestatis concessa huius regiminis in ipsa tota vniuersali Ecclesia: toto orbe diffusa commissa est, cùm indistinctè dictum est illi à Domino: [Simon Ioannis diligis me plusquam his, pasce oues meas.]

Oppones numquam aliqua potestas legitur data Petro, quod non sit data simul, cum illo alijs Apostolis, ergo si Petro fuit concessa à Christo plenitudo potestatis, etiam & cæteris Apostolis fuit concessa. Antecedens probatur, non reperitur alius locus aptior ad explicandam potestatem promissam Petro, quàm ille Matth. 18. [Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo;] sed in isto loco conceditur æquè Petro, & alijs Apostolis hæc potestas; ergo, &c. Maior patet, non datur alius locus in toto Canone Scripturæ, in quo videatur executa illa promissio: [Tibi dabo claues, &c.] nisi iste, in quibus potestas clauium data est Petro, & cæteris Apostolis ijsdem verbis, quibus anteà Petro promissa fuerat.

Respondeo negando maiorem, & ad probationem respondeo, falsum esse, quod in illo loco facta sit aliqua concessio potestatis, sed tantùm promissio, sicut quando Petro dictum est: [Quodcumque ligaueris, &c.] quod patet, quia claues Regni Cœlorum, quæ promissæ erant Petro, non dantur, nisi Sacerdotibus, tales autem non erant Apostoli, quando dictum est eis: [Quæcumque ligaueritis, &c.] cùm facti fuerint Sacerdotes in die cœnæ, ergo falsum est, quod id, quod promissum erat Petro Matthæi 16. fuit adimpletum Matt. 18. quantumcumque currat similitudo inter verba expressa in vtroque loco.

Instabis ex Sancto Hieronymo, qui glossans illum locum Matthæi 18. habet, quod ibi potestatem tribuit Apostolis, ergo non promisit, sed tribuit.

Re-

Respondeo, quod locus ille Hieronymi debet exponi, potestatem tribuit, hoc est designauit, vel insinuauit dandam Apostolis, & eorum successoribus, vndè idem Hieronymus tractans de simili promissione facta Petro Matth. 16. [Consideret (inquit) qui hæc quærit Petro illam benedictionem, & beatitudinem, atque potestatem, &c. in futurum promissam, non in præsenti datam.

Sed quæres, quando ergo fuit Apostolis, & Petro data hæc potestas clauium.

Respondeo, quoad clauium potestatem fuit actu data Petro, & Apostolis simul, quando Ioannis 20. dictum est illis: [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Hic enim (ait Gregorius in quadam homil.) Apostoli primatum Diuini iudicij sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, & quibusdam relaxent.]

Sed adhuc oppones, ergo æqualem potestatem in executione dedit Christus Petro, & cæteris Apostolis; patet hæc consequentia, sub eadem vniuersalitate dictum est, iuxtà nostram solutionem Petro, & Apostolis: [Quæcumque ligaueritis, &c.] ergo eamdem potestatem tribuit.

Respondeo cum Angelico Præceptore in 4. sententiarum dist. 29. [Quamuis omnibus Apostolis sit communiter data potestas ligandi, atque soluendi, tamen, vt in hac potestate significaretur aliquis ordo, primò soli Petro data est, vt ostendatur, quod ab eo in alios debeat ista potestas descendere.] Hæc Sanctus Thomas; quod probat, & confirmat Albertus in 4. dist. 17. affirmans; [quod cùm Dominus dicit Apostolis: accipite Spiritum sanctum, &c. præsupponit esse ordinem in Discipulis, quoniam antè præfecerat, siuè ordinauerat Petrum super omnes esse. Matthæi 16. tibi dabo claues, & Lucæ 22. & aliquando conuersus confirma fratres tuos; vndè ergo hic ordo iurisdictionis à Domino fuerit institutus, præsupponit illum, vt secundùm illum conferret prosecutionem officij, quando insufflauit, & dixit: accipite Spiritum sanctum, &c.] Hæc Albertus.

§. II.

Resoluitur Dubium iuxtà secundùm sensum explicatum.

Diximus in principio, dubium hoc agitari posse in duplici sensu. Primò, vt supra discussum remanet, an in solo Romano Pontifice sit plenaria potestas, itaut cæteri Episcopi non habeant plenitudinem potestatis, nec vniuersalem, sed in determinato grege; aliùs sensus esse potest, respectiuè ad cæteros Prælatos Ecclesiæ, itaut sola Pontificia potestas sit absoluta, & independens, cæteræ autem potestates, saltem iurisdictionis à Papa, siuè Apostolica Sede immediatè dependeant, & deriuentur. Et in hoc sensu dubium hoc agitabimus in præsenti.

Quod autem Pontifex habeat hanc supremam potestatem independentem ab alio, quocumque homine, & immediatè eam recognoscat à Christo, iuxtà ea, quæ supra diximus, & fuit definitum in Concilio Florentino sub Eugenio IV. in præsenti supponimus, & infra magis apparebit, quando Deo dante agemus de comparatione, & potestare Ecclesiæ Catholicæ, & Conciliorum respectu Rom. Pontificis. In præsenti ergo solùm illam partem examinabimus, quæ inquirit, an potestas Episcoporum dependeat à Romana Sede, & illi subdita sit, & consequenter ab ea restringi, vel dilatari possit.

Iam supra diximus, quod sicut Romanus Pontifex est successor Diui Petri, ita & cæteri Episcopi, & Sacerdotes sunt successores aliorum Apostolorum. Cæterùm pro maiori huius veritatis intelligentia, noto cum Cardinali Caietano: [Apostolos inter se posse comparari dupliciter, primò in quantum Apostoli, & sic fuerunt omnes æquales; vt enim scribitur Lucæ 9. Christus Dominus omnibus Apostolis conuocatis dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent, & misit illos prædicare verbum Dei, & sanare infirmos; Et Matthæi vltimo dicitur eis à Domino: Euntes in mundum vniuersum, docete omnes gentes, baptizantes, & docentes seruare omnia, quæ mandaui vobis.] Alio modo possunt considerari Apostoli, vt sunt oues Christi ab eo hìc corporali conuersatione separatæ, & sic Petrùs solùm est Pastor, & reliqui Apostoli oues sub illius cura. His suppositis.

Dico primò, si loquamur de Apostolis primo modo, sic Episcopi non sunt successores Apostolorum, quod probo tùm primò, nam Diuus Thom. explicans epistolam Pauli ad Corint. 1. sic habet: [Maiores autem Ministri in Ecclesia sunt Apostoli, ad quorum officium tria pertinent, quorum primum est auctoritas gubernandi fidelium populos, quod propriè pertinet ad officium Apostolatus. Secundò facultas docendi. Tertiò potestas miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ, subiungens, quod tertium horum ordinatur ad secundum, & secundum ad primum,] & quod Deus posuit primùm Apostolos, quorum regimini commisit Ecclesiam, quibus addit Caietanus, quod Apostoli in quantum Apostoli habuerunt, non solùm potestatem ordinis, sed iurisdictionis, auctoritas enim gubernandi Ecclesiam, quæ est Apostolatui propria siuè iurisdictionis potestate non est; Et addit etiam, quod non habuerunt Apostolatum à Christo mediantè Petro, sed immediatè à Christo, iuxtà illud Ioannis 20. [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos;] ac proindè sequitur, Apostolos quantùm ad Apostolatus auctoritatem, fuisse omnes æquales simpliciter, & omnes habuisse immediatè à Christo hanc potestatem, ergo Episcopi, & Sacerdotes non sunt successores Apostolorum, quantùm ad potestatem Apostolatus, vel quantùm ad modum accipiendi hanc potestatem.

Si autem consideremus Apostolos quatenus sunt oues Christi, quia ab eo statutum est, vt sit vnum ouile, & vnus Pastor, sic Petrus est eorum Pastor, quia ei dictum est: [Pasce oues meas, hoc est non eas, vel illas, sed omnes oues meas, quæ faciunt vnum ouile, in cuius signum, ait Dominus Caietanus:

[Pe-

[Petrus post illa verba Christi Domini, tamquam Pastor Apostolorum, statim curam Ioannis suscepit, interrogans de eo Dominum hic autem quid?, vt dicitur Ioannis vltimo;] & sub hac consideratione.

Dico secundò, sicut cæteri Apostoli fuerunt subiecti Petro, tanquam Pastori, & Capiti vniuersalis Ecclesiæ, ita quod ab ipso Capite in totum Ecclesiæ corpus, & consequenter in principaliora membra, quæ sunt Apostoli, & eius successores Episcopi potestas deriuata est.

Hæc veritas docetur communiter à Theologis, & Sacris Expositoribus, & explicatur hæc conclusio. In Petro, & à Petro inchoatur omnis Ecclesiæ potestas, & deriuatur in totam Ecclesiam, & quinque differentias ad hoc magis explicandum assignat Caietanus, prima est in modo dandi, & accipiendi, quia Petro data est, non solùm vt Apostolo, sed etiam vt Capiti, & Pastori vniuersalis Ecclesiæ. Secunda est in officio, in quantum Petrus factus est Vicarius generalis Iesu Christi; Cæteri verò tantùm legati, seù delegati eius, iuxtà illud Apost. 2. ad Corinth. 5. [Legatione pro Christo fungimur.] Tertiò in obiecto potestatis; quia potestas Petri est super omnes fideles, & etiam super ipsos Apostolos; vndè Chrysostomus in persona Christi, sic ait ad Petrum: [Loco mei prepositus esto, & Caput fratrum tuorum.

Quarta est in perpetuitate potestatis, quia aliorum potestas finienda erat, cum eorum vita, quoniam data est eis in proprijs, & solis personis, & non pro eorum successoribus, Petri verò potestas, vsque ad consummationem seculi perseuerat, quia data est Petro, nō solùm pro se ipso, sed etiam successoribus suis, quod alijs verbis solent explicare aliqui Sancti Patres, dicendo: Data est Petro in persona Ecclesiæ; quo fit, quod Episcopi non sint successores Apostolorum in auctoritate Apostolatus vniuersalis gubernationis Ecclesiæ, sed tantùm in potestate ordinis, & regiminis vnius certæ, & determinatæ Ecclesiæ. Et solus Papa dicitur successor Petri in regimine, & potestate regiminis vniuersalis Ecclesiæ.

Quinta denique differentia est in ipsa essentia potestatis, nam illa, quæ fuit communicata Apostolis ex vi Apostolatus, fuit veluti potentia executiua, vndè à Sancto Doctore vocatur auctoritas gubernandi, gubernatio enim significat executionem; illa verò, quæ data est Petro, quando factus est Papa, dicente Christo: [Pasce oues meas,] est potentia præceptiua, quæ vocatur à Sancto Doctore auctoritas regiminis, vndè in præfatione non appellantur Vicarij absolutè, sed Vicarij operis, dicente Ecclesia: [Quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse Pastores; quasi diceret, (glossat Caietanus) Vicarios ad exequenda.] Quod ipse explicat hoc exemplo: Episcopi habent officium prædicandi, & Fratres Prædicatores habent etiam officium prædicandi, cum ad hoc instituta sit hæc Religio, cum hoc tamen discrimine, quod Episcopi propria auctoritate hoc faciunt, Fratres verò Prædicatores auctoritate Papæ eos delegantis in officium prædicationis, habent prædicationis exercendæ potestatem; ita Petrus ex propria sui pontificatus officij auctoritate gubernabat, alij verò Apostoli ex priuilegio Domini delegantis eis gubernationis officium. His suppositis.

Id quod in dubium vertitur est, vtrùm Episcopi potestatem suam habeant immediatè à Deo, an verò mediatè ab illo, & immediatè ab eius Vicario Romano Pontifice, & non loquimur de collatione potestatis à Deo, tamquam à prima causa, sic enim nullum dubium est esse à Deo, quia dicitur ad Romanos 13. [Non est enim potestas, nisi à Deo;] sed loquimur, & dubitamus de immediata causa, vtrùm Episcoporum potestas sit reducenda ad Christum Dominum, tanquam ad causam immediatam, sicut potestas Summi Pontificis, an verò ad ipsum Summum Pontificem reducenda sit, pro quo aliqua supponenda sunt.

Primum est duplicem esse in Ecclesia potestatem, scilicet potestas ordinis, & potestas iurisdictionis, ista non est limitata ad determinata verba, nec ad præsentiam materiæ, ac proindè potest causare suum effectum, & verbis, & scripto, & non solùm in præsentes, sed etiam in absentes, at verò potestas ordinis, ad causandum suum effectum, indiget verbis determinatis, & determinata materia, & similiter potestas ordinis, nec proferia voluntate, nec crimine amoueri potest, ac perpetua manet; at verò potestas iurisdictionis, & restringi, & aboleri potest; omnis autem spiritualis potestas originem habet ex diuina institutione, non solùm ab ipso Deo conditore vniuersi, sicut omnis potestas etiam secularis est per Deum, & à Domino Deo, iuxtà illud: [Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.] Sed etiam est specialiter ab ipso Deo, vt auctore supernaturali, ipse siquidem Christus instituit in sua Ecclesia, vt esset potestas consecrandi, & ordinandi Ministros, similiter iudicandi in ordinem, & finem supernaturalem, & alia instituit, quæ necessaria erant ad Ecclesiasticam Hierarchiam conseruandam, itaque omnia ista sine dubio ex diuina Christi institutione originem traxerunt, quamuis humano ministerio postea tradantur.

Suppono secundò præter Romanum Pontificem institutionem aliorum Episcoporum esse de iure Diuino, tùm quia ordo, & principatus Ecclesiæ Hierarchicus est de iure diuino, sed Hierarchia non potest esse sine Principum multitudine, & diuersitate, secundùm quemdam ordinem collecta, ergo in Hierarchia Ecclesiastica de iure diuino instituta, non solùm debet dari summus, & absolutè Princeps Hierarchiæ, qualis est Pontifex Romanus, sed etiam Episcopi, qui sunt quidam Principes particulares sub illo supremo, iuxtà illud Psalmi 46. [Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.] Tùm etiam, nam à Christo Domino non solùm fuit electus Petrus, sed etiam vndecim Apostoli, & septuaginta duo Discipuli, quibus successerunt Episcopi, quia electi sunt, vt docerent omnes gentes, baptizantes eos, & prædicarent vniuerso mundo, quod non poterat fieri per vnum in toto orbe, ergo multitudo Episcoporum de iure diuino est. Tùm denique probatur ex illo Apostoli ad Ephes. 4. [Et ipse dedit

dit quosdam quidem Apostolos, alios autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores;] ergo à Spiritu sancto datos esse Pastores Ecclesiæ, docet Apostolus, ac proindè de iure diuino est.

Quod dictum extendimus, non solùm quantùm ad potestatem ordinis Episcopalis, sed etiam quantùm ad potestatem gubernatiuam Ecclesiæ, nam Hierarchia non est, tam in dignitate ordinis, quàm in potestate gubernatiua, ac proindè non poterit saluari Ecclesiastica Hierarchia, vt de iure diuino posita absque eo, quod de iure diuino sit etiam Episcopatus in Ecclesia, non solùm quoad dignitatem ordinis, sed etiam quoad potestatem gubernatiuam.

Denique est supponendum, quod licèt Episcoporum institutio sit de iure diuino, vt probauimus; nullus tamen potest in Ecclesia Dei fieri legitimus Episcopus, siue Romani Pontificis consensu, siue expresso, siue implicito, & ratio est, quia Romanus Pontifex est vniuersalis Pastor Ecclesiæ, sed vniuersalis Pastoris est, singulares, & determinatos Pastores habere subiectos, vt cùm gregi expedierit, eos gregi præficere, vel eos amouere possit, vndè ex capite quis nesciat distin. 11. dicitur; [Quis nesciat, aut non aduertat id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur ab omnibus debere seruari, nec superduci, ac introduci aliquis, qui auctoritatem debeat generalem aliundè accipere, vel exemplum: præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Galliam, & Hispaniam, Africam, atque Siciliam. Insulasque inter iacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, & successores eius constituerunt.] Hæc quidem cùm certa sint, quod in hac parte difficultatem inuoluit est, vtrùm Episcoporum potestas sit immediatè à Christo Domino, an verò emanet ab auctoritate Summi Pontificis, pro qua sit.

Conclusio. Esto potestas Episcopalis sit immediata à Christo immediatione virtutis, est tamen immediatè à Summo Pontifice absolutè, & simpliciter. Ita communiter Theologi sequuti Diuum Thomam in 2. sententiarum, & in 4. contra gentes, Caietanus opusc. de auct. Papæ cap. 3. Turrecremata in Summa Ecclesiæ lib. 2. cap. 54. Bannez 22. qu. 1. art. 10. Soto in 4. sententiarum dist. 20. qu. 1. art. 4. conclus. 2. Victoria Relectione 1. de potestate Ecclesiæ, Suarez 2. 2. quæst. 1. art. 10. & alij communiter, & prima pars probatur primò, omnis potestas spiritualis pendet à Christo, tamquam à primo fonte, ergo omnis potestas Episcopalis, & spiritualis est dependens immediatè à Christo immediatione virtutis. Patet hæc consequentia, sicut primum mobile dicitur concurrere ad omnes motus corporales inferiorum immediatione virtutis; nullus enim corpus superius potest mouere inferiorum corpora, nisi accepta virtute ab illo primo, & illud præuenit omnia alia, & à nullo potest impediri, aut diuerti, ita nulla potestas spiritualis est in Ecclesia, in quocumque Prælato, seu Ministro Ecclesiastico, nisi accepta à Christo primo concurrente, ad dandam ei talem potestatem.

Secundò probatur, omnes effectus naturales sunt à Deo, vt ex causa vniuersali immediatè immediatione virtutis, ergo similiter omnes effectus spirituales in Ecclesiastica Hierarchia sunt immediatè à Christo immediatione virtutis, tamquam à prima, vniuersali, & suprema causa.

Secunda verò pars conclusionis, in qua est maxima difficultas in hac parte est accuratiùs stabilienda. Probatur igitur primò ex diuersis locis decretalium, primò ex cap. quis nesciat dist. 11. vbi sic habetur: [Quis nesciat, aut non aduertat id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur ab omnibus debere seruari, nec superduci, aut introduci aliquid, quod auctoritatem debeat generalem aliundè accipere, vel exemplum; præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, & Galliam, Hispaniam, & Africam, atque Siciliam, Insulasque inter iacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut successores eius, constituerunt Sacerdotes.]

Et ex capite Sacrosancta dist. 22. & vigesima quarta, & ex capite, ita Dominus 19. dist. vbi expressè dicitur: [Huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro omnium Apostolorum primo principaliter collocaret, vt ab ipso, quasi quodam capite dona sua, veluti in corpus omne diffunderet;] Quæ auctoritas est Sancti Leonis Papæ, qui in Sermone 3. ordinationis suæ, clariùs hoc contestatur his verbis: [Ex toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ partibus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi sint Sacerdotes, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus. Magnum, & mirabile dilectissimi huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, vt si quid commune cum eo cæteris voluit esse Principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid alijs non negauit.] Hæc Sanctus Leo clarissimè pro nostra conclusione tuenda reliquit.

Denique clarissimè habetur nostra conclusio in secunda qu. 6. cap. qui se scit, vbi dicitur: [Romanam Ecclesiam in perfectione reliquit Ecclesijs vices suas, vt in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis;] hæc ibi. In quibus, vt vides clarissimè, habetur, & potestas Episcoporum, & subordinatio eorum potestatis, ac deriuatio ex plenissima potestate Pontificis.

Secundò probatur conclusio ex dictis sanctorum Patrum, nàm August. tract. 124. in Ioannem, ait: [Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam Ecclesiæ.] Ioannes Chrysostomus super acta Apostolorum, ait: [Petrus à filio super omnes, qui filij sunt, accepit potestatem, vt Moyses in gente vna, séd in vniuerso orbe.] sanctus Cyprianus relatus in capite loquitur 24. qu. prima, comparauit Ecclesias cæteras particulares ad Ecclesiam Romanam, sicut radios ad Solem, fluuios ad fontem, ramos ad radicem; Melli-

fluus

fluus Bernardus lib. 3. de consideratione ad Eugenium, sic habet: [Nec vilem repntes formam hanc] loquitur de Ecclesiastica Hierarchia, [quia in terra est, exempla habet de Cœlo, viderat hoc, qui dicebat: vidi Ciuitatem Sanctam Hierusalem nouam descendentem de Cœlo à Deo paratam. Ego enim propter similitudinem dictum reor, quia sicut illic Seraphim, & Cherubim, ac cæteri quique vsque ad Angelos, & Archangelos ordinantur sub vno capite Deo, ita hic quoque sub vno Summo Pontifice Primates, vel Patriarchæ, Episcopi, Presbyteri, vel Abbates, & reliqui in hunc modum.]

Denique relictis alijs pro nunc sufficiat Angelicus noster Præceptor sanctus Thomas quarto lib. contra gentes cap. 76. vbi patet: [Soli Petro promisit Dominus claues Regni Cœlorum, vt ostenderetur potestas clauium per eum ad alios deriuanda, ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem.]

Probatur deindè nostra conclusio ratione Ecclesiæ Hierarchia est Monarchica, sed in omni principatu Monarchico deriuatur potestas iurisdictionis ab vno Monarcha, & Principe, & ad cæteros omnes Gubernatores, ergo à Summo Pontifice, qui est Summus Princeps, Ecclesiasticæ Monarchiæ ad alios Episcopos potestas deriuatur. Maior probatur tùm ex Diuo Dionysio de Cœlesti Hierarchia, & de Ecclesiastica Hierarchia, tùm quia Ecclesiastica Hierarchia exemplatur, & imitatur Cœlestem, sed Cœlestis Hierarchia est Monarchica sub vno Principe Deo, à quo radij Diuinæ Lucis immediatè deriuantur in superiores creaturas, ergo similiter Hierarchia Ecclesiæ Militantis est Monarchica, in qua potestas gubernatiua à Christo immediatè ad Summum Pontificem, & indè ad cæteros inferiores Episcopos deriuatur, vndè super illa verba Iob 38. [numquid nosti ordinem Cœli, & rationem eius pones in terra,] ait Gregorius: [Ordo quidem Cœli in terra ponitur, hoc est in Militanti Ecclesia, cum à Triumphantis Ecclesiæ exemplari disponitur.] Tùm denique, nam multò excellentior est principatus Ecclesiæ sub lege gratiæ, quàm principatus antiquæ Synagogæ, etenim sicut multis alijs superat Ecclesia Sponsa Christi decorata, & ornata Sponsi sanguine, veterem Synagogam; ita etiam, & in principatu perfectiori, & Monarchico, sed in Monarchia Synagogæ Moyses, ita antecelluit potestate, vt ab ipso omnis potestas iurisdictionis deriuabatur in inferiores, & subditos, vt habetur Exodi cap. 8. & num. 11. vbi Dominus Moysi ægrè ferenti tantæ multitudinis curam habere, concessit, quod ipse eligeret quosdam ad populum gubernandum, his tamen verbis: [& auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi.] Ergo similiter Ecclesiastica Monarchia ab vno Summo Principe Romano Pontifice in cæteros prælatos, seu Episcopos peculiares Ecclesiarum, potestas regiminis deriuatur.

Secundò probatur, ratione ea, quæ ordinata sunt inter se in ratione causandi, ita se habent, vt ea, quæ sunt immediata, & secundaria in illo ordine recipiant virtutem à primo illius ordinis, sed Episcopi particularium Ecclesiarum respectu Romani Pontificis comparantur, sicut causæ immediatæ, & secundariæ, respectu causæ primæ illius ordinis, ergo potestas iurisdictionis, & regiminis, quam habent Episcopi, deriuatur à Summo Pontifice Romano. Maior probatur, seu explicatur in omnibus causis agentibus ordinatis semper causæ sequentes, agunt in virtute causæ primæ, sicut in rebus naturalibus corpora inferiora agunt in virtute corporum Cœlestium, & in rebus voluntarijs omnes artifices operantur secundùm imperium summi Architectoris, ac denique in ordine politico omnes particulares potestates, auctoritatem iurisdictionis suscipiunt à suprema potestate, ergo. Minor etiam constat, tùm quia, vt diximus ex Beato Cypriano comparantur Ecclesiæ particulares ad Ecclesiam Romanam, sicut radij ad Solem, fluuij ad fontem, sicut rami ad radicem, & sicut membra ad caput; sed ista se habent, vt causæ immediatæ, & particulares in illo ordine ad causam primã, & vniuersalem, ergo ordo, qui est inter Romanum Pontificem, & alios Episcopos, est secundùm influentiam, prout vnus mouet alium ad actus Hierarchicos, ac proindè sicut radij à Sole, fluuij à fonte, rami à radice, & membra à capite recipiunt immediatè deriuationem virtutis eius sensus, & motus, ergo iurisdictionem accipiunt immediatè à Summo Pontifice.

Denique probatur nostra conclusio ex diuersis Inconuenientibus, quæ sequerentur ex supposita sententia; sequitur enim primò, quod potestas iurisdictionis non dependeret à Papæ confirmatione, sed sicut ipse Summus Pontif. canonicè electus, non indiget alterius confirmatione, sed immediatè ab ipso Christo confirmatur, ita Episcopi electi non indigerent aliqua confirmatione, quod est maximum absurdum, nam insuper sequeretur, quod Summus Pontifex non posset ad suum iudicium aduocare ea, quæ pertinent ad iurisdictionem Episcoporum, nec illam alijs committere. Secundò sequeretur, quod Summus Pontifex, non posset aliquid immutare circa iurisdictionem Episcoporum consequens est absurdum, & contra ordinariam, & continuam praxim Romanæ Curiæ, ergo &c. Sequela probatur, hanc iurisdictionem Episcopi immediatè, iuxtà illam sententiam acceperunt à Christo, ergo Summus Pontifex, qui est Vicarius Christi, non poterit immutare aliquid illorum, quod ipse Christus per se ipsum immediatè dedit, & ordinauit Patet hæc consequentia, quia Sacramenta fuerunt immediatè, & per se ipsum ordinata à Christo Domino, nihil immutare potest Summus Pontifex circa numerum Sacramentorum formas, & materias illorum, ergo si Episcopi iurisdictio est immediatè à Christo, & non à Summo Pontifice, nihil poterit iste immutare in talem iurisdictionem, cuius oppositum, vt diximus in praxi videmus.

Tertiò sequitur, quod non posset Pontifex eximere à iurisdictione Episcopi aliquos suos Diœcesanos, cum non possit auferre ea, quæ immediatè collata sunt à Deo.

Si dicas, quod Summus Pontifex auferret tunc Episcopo excommunicato, vel suspenso, populum, & subditos, ita quod non valebit

eius sententia, quia non ferretur in populum sibi subiectum, sicut si Sacerdoti auferret materiam Euchatisticam non posset Sacerdos consecrare, non quia potestas characteris semel data habeat veram dependentiam à Summo Pontifice, sed quia non potest exire in actum, nisi materia sit præsens.

Sed contra est, nam non potest dari iurisdictio, nisi in subditos, in quos exerceri possit, cùm enim sit relatiuum, non potest dari sine suo correlatiuo, ergo si iurisdictio est data Episcopis à Deo immediatè, & non potest auferri à Summo Pontifice, nec etiam ab eo possunt auferri subditi.

Instatur contra solutionem ex exemplo ibi adducto, nam quia panis triticeus præsens est materia Eucharistiæ de iure diuino, non potest facere Summus Pontifex, quod Sacerdos non consecret illum præsentem, si venit, ergo si subditi sunt oues huius Episcopi, & à Christo immediatè receperunt potestatem iurisdictionis in illos non potest, nec illam, nec eos auferre à potestate Episcopi.

Denique suadetur conclusio, si iurisdictio Episcopalis fuisset immediatè à Christo collata mendax esset Summus Pontifex, quando dicit in prouisione Episcoporum: [Prouidemus tali Ecclesiæ de tali viro, & præficimus eum in patrem, & pastorem, ac Episcopum eiusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem, &c.] Similiter mendacium diceret Summus Pontifex, quando dicit Episcopo: [Ego confero tibi curam talis Episcopatus.] Probatur sequela, nam conferre curam, & committere Ecclesiam, est dare potestatem iurisdictionis in tali Ecclesia, ergo, &c.

§. III.

Obiectionibus contra hanc veritatem occurritur.

Contra hanc conclusionem arguitur primò, oppositum enim huius conclusionis tenent aliqui Doctores Catholici, inter quos principales fuerunt Alphonsus Castrus, vel de Castro lib. 2. de iusta Hæreticorum punitione, Vasquez in 3. par. tom. 3. disp. 240. num. 41. cap. 4. Thomas Hurtadus tom. 2. resolut. mor. tract. vlt. var. resolutionum, (citat etiam pro hac sententia) Magistrum Sotum, Thomam de Rosa in sua de vera residentia tractatu in 4. distinct. 18. quæst. 4. artic. 2. immeritò tamen, nam ibi solùm agit de proprio Sacerdote, quoad Sacramentum Confessionis, cæterum nostram sententiam ipse docuit in 4. distinct. 24. quæst. 2. art. 4. & 5. vbi agit de hac re: Fundamenta huius sententiæ varia à diuersis Doctoribus proponuntur, principalius tamen est, nam Apostoli habuerunt hanc potestatem immediatè à Christo, vt supra probatum remanet, sed Episcopi sunt Apostolorum successores, vt colligitur ex Concilio Tridentino sessione 24. cap. 4. Ergo Episcopi succedunt in hac potestate iurisdictionis ex vi concessionis Christi, ergo ab illo immediatè eam habent.

Ad hoc argumentum variè respondent Doctores nostræ sententiæ, aliqui cum Turrecremata lib. 2. Summa de Ecclesia cap. 54. & Iacobatius lib. 10. de Concilijs, negant, maiorem, sentiunt enim, vt supra diximus, nec etiam Apostolos immediatè à Christo habuisse potestatem iurisdictionis, sed à Diuo Petro.

Verùm quia, vt supra probauimus cum Caietano, alijsque Doctoribus nostræ sententiæ, Apostoli speciali iure, vt fundatores Ecclesiæ immediatè habuerunt à Christo, potestatem iurisdictionis, ideò aliter respondendum erit distinguendo minorem, sunt successores Apostolorum, quantùm ad auctoritatem Apostolicam, & extraordinariam, nego minorem, quantùm ad potestatem iurisdictionis Episcopalis transeat minor, & nego consequentiam, vel distinguo consequens, à Christo immediatè immediatione virtutis, concedo consequentiam immediatione suppositi, nego consequentiam igitur quamuis potestas gubernandi totam Ecclesiam habuerint Apostoli immediatè à Christo Domino, non sequitur, quod Episcopi, qui sunt successores Apostolorum, etiam hoc modo ipsam habeant, sicut non sequitur, quod si Apostoli hanc potestatem iurisdictionis habuerunt non limitatam ad aliquam Diœcesim, Prouinciam, vel Regnum, sed extensam ad totum orbem Christianum, vt supra sæpè diximus, quod etiam Episcopi hanc potestatem iurisdictionis habeant illimitatam; & vniuersalem respectu totius orbis Catholici quia hoc habuerunt ex speciali delegatione à Christo Domino, quantum ad exercitium potestatis, non quantùm ad ius transfundendi potestatem in successores, quod soli Petro fuit concessum, vt supra probatum est, & explicatum remanet.

Sed oppones, Dominus non solùm Apostolos, sed etiam, vt dicitur Lucæ 10. designauit alios 72. Discipulos, vbi glossa ait, quod in illis est forma Episcoporum, at isti immediatè à Christo potestatem acceperunt, ergo Episcopi non à Papa, sed à Christo potestatem accipiunt.

Respondeo, quod in Episcopo duplex datur potestas, alia spiritualis, quæ necessariò pendet à visibili signo, & ei competere non potest, nisi fuerit sacramentaliter consecratus, v. g. ordinare Sacerdotes, consecrare Ecclesias; &c. quæ solùm præstare possunt Episcopi consecrati, & huiusmodi potestas, tam Papæ, quàm Episcopis, omnibus æqualis est, & dicitur potestas ordinis, & in hac succedunt Episcopi Apostolis, & Discipulis. Alia est potestas spiritualis in Ecclesia, quæ nullatenus pendet à consecratione, vnde illam possunt etiam habere, & Vicarij Episcoporum, & Abbates, vt est potestas ad suspendendum, ad excommunicandum, & ad regendum, quæ potestas licèt sit de iure diuino in communi, & vniuersali, quia vt rectè probat argumentum; & Apostolos, & 72. Discipulos ipse Christus elegit, & misit prædicare, & baptizare, tamen hoc non probat, quod licèt Episcoporum institutio sit de iure diuino, non tamen, quod ipsi potestatem suæ propriæ Ecclesiæ in indiuiduo possit dari absque consensu, immò absque electione, atque con-

confirmatione saltim implicita Apostolicæ Sedis; & Papæ, & hoc est, quod dicimus in nostra conclusione, ita quod sicut Rex existens in suo Regno, immediatè tribuit auctoritatem, & potestatem gubernatiuam prætoribus, quos designat, si verò à Regno recesserit in remotam quamdam prouinciam, relinquens in suo Regno proregem cum plenitudine potestatis amouendi, & instituendi gubernatores, & prætores ciuitatum: isti prætores habent potestatem gubernandi mediatè quidem à Rege, & immediatè à Prorege, esto eamdem potestatem habeant cum illa, quam habuerunt prætores immediatè designati à Rege; ita Summus Rex Christus existens in hac vita mortali, immediatè constituit non solùm Petrum suum proregem cum plenitudine potestatis, sed etiam alios Apostolos, & Discipulos cum potestate gubernandi, & regendi Ecclesiam, cum quo stat, quod discedens à nobis visibiliter accipere sibi Regnum in regionem longinquam; in dexteram scilicet patris, reliquit suum Vicarium Pontificem Romanum cum plenitudine potestatis eligendi, & amouendi Episcopos, & Rectores particularium Ecclesiarum, qui habent quidem potestatem eamdem cum ea, quam habuerunt electi immediatè à Christo. Immediatè à Christo non habent, sed mediante Summo Pontifice: relicto ab ipso in Ecclesia sua supremo Vicario cum plenitudine potestatis.

Sed contra hanc solutionem instabis id, quod habetur Actuum Apostolorum cap. 20. vbi Paulus sic presbyteris, seu Episcopis Asiæ loquitur: [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo;] Vbi loquitur de Episcopis Asiæ electis post ascensum Christi Domini, & dicit eos electos à Spiritu sancto, sed ab illo habent prælati gubernandi potestatem, à quo sunt in Ecclesia constituti; non enim sufficienter esset prouisum Ecclesiæ regimini, si à Deo essent solùm instituti, & regendi non haberent potestatem, ergò omnes Episcopi, etiam post ascensum Christi in Cœlum, Episcopi à Deo sunt instituti, & ab illo habent potestatem.

Respondetur, quod maior est vera respectu illorum, qui immediatè sunt in Ecclesia positi Rectores, & Episcopi à Christo Domino, non sic autem omnes Episcopi, & Rectores Ecclesiarum sunt instituti immediatè à Spiritu sancto, sed solùm 72. Discipuli, & 12. Apostoli, & ad auctoritatem inductam respondetur esse intelligendam de institutione, siue immediata, siue mediata facta à Spiritu sancto; illi enim, qui Canonica institutione positi sunt in Ecclesia prælati, & Episcopi à Deo, & Spiritu sancto ad Ecclesiæ suæ regimen dicuntur electi, & vocati, licèt non sint immediatè à Deo instituti, sed mediante canonica electione prælati superioris, vnde glossa super illud Apostoli ad Hæbreos 5. [Ne quis sibi honorem assumat, sed qui vocatur à Deo:] Sic habet: [Qui rectè eligitur à Deo vocatur.]

Sed arguit contra, Henricus de Gandauo, Episcopi sunt, & dicuntur Sponsi Ecclesiarum, sed hoc, nonnisi immediatè gerendo vices Christi veri Sponsi; ergo à Christo immediatè instituuntur, ergo immediatè potestatem in Ecclesia à Christo recipiunt.

Respondeo ex Angelico præceptore opusculo contra impugnantes religionem, quod Sponsus Ecclesiæ propriè est Christus, de quo dicitur Ioann. 3. [Qui habet sponsam, sponsus est;] Et Oseæ secundo loquens de Ecclesia sua: [Sponsabo te mihi in fide;] alij autem, qui sponsi dicuntur, sunt ministri sponsi, cooperantes ad generationem filiorum, quos non sibi, sed Christo generant, & tamen non sunt diuersi sponsi, sed faciunt vnum in Christo, vnde glossa super illud Isaiæ 61. [Dedit me quasi sponsum decoratum, &c.] Sic habet: [Christus Ecclesiæ sponsus, sed tamen perfectos in Ecclesia eodem nomine dignatur; secundùm illud Apostoli 1. ad Corinth. 3. tamquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi non escam, ipse ergo sponsus Christus, sponsos suos facit & sponsas, & tamen vna est in capite, & in membris Ecclesiæ.] Hæc glossa, Episcopi igitur Ministri Christi in Ecclesia, in tantùm sponsi dicuntur, in quantùm vicem veri sponsi obtinent, & quia solus Romanus Pontifex gerit vices Ministri, & Vicarij Christi, immediatè à Christo respectu vniuersalis Ecclesiæ, sponsus vniuersalis Ecclesiæ dicitur; alij autē Episcopi, quia non sunt immediatè à Christo electi, sed mediante Summo Pontifice, qui eos vocat in partem sollicitudinis ad ministrandum Ecclesiam, ideò dicuntur Episcopi sponsi non vniuersalis Ecclesiæ, sed Ecclesiæ particularis, scilicet suæ Diœcesis, in signum huius matrimonij spiritualis, quod vt ait Innocentius in capitulo licèt extra de translatione Episcopi. [In electione initiatur, ratificatur in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatus, anulum portat, tamquam sponsus suæ Ecclesiæ particularis.

Secundò arguitur ea, quæ in consecratione Episcopi visibili exercentur immediatè sunt à Christo, sicut est character Episcopalis, & Sacramentalis effectus, ergo & gubernandi potestatem habent immediatè à Christo Domino. Consequentia probatur, tùm primò, quia in consecratione visibili accipiunt Episcopi virgam pastoralem, sed hæc significat regendi potestatem, ergo & hanc per consecrationem percipiunt. Tùm secundò, nàm Diuus Thomas 2. 2. quæst. 84. art. 6. ad 2. habet: [Quod in Ecclesia sola Episcopalis cura cum solemnitate consecrationis committitur, cura autem Archidiaconatus, vel præbendatus cum simplici inunctione,] ergo in consecratione visibili accipit Episcopus regendi potestatem.

Respondeo negando antecedens, ad primam probationem, nego antecedens, nàm Episcopus electus à die suæ confirmationis, antequam consecretur, habet potestatem iurisdictionis in sua Ecclesia, & ad primam probationem respondeo, Episcopum quando consecratur, supponere iàm receptam potestatem à Summo Pontifice, & ideò datur ei virga pastoralis, per quam talis potestas designatur, non verò traditur, cùm iàm supponatur data.

Ad secundam probationem dico, quod non intendit Diuus Thomas docere, quod potestas iurisdictionis detur Episcopis per solam consecrationem, sed adhibere ad designandum statum Episcoporum, & sublimitatem, & amplitudinem potestatis, & perpetuitatem obligationis impositæ, vnde ad hoc propositum adducit exemplum de seculari potestate, quæ confertur Regi, & alijs inferioribus, solus autem Rex recipit illa cum solemni benedictione; alij verò inferiores per simplicem commissionem, & tamen nemo dixit, quod per talem benedictionem Rex accipiat regiminis potestatem; ità similiter in præsenti Episcopus immediatè à Summo Pontifice per confirmationem accepit potestatem iurisdictionis, quæ postea per consecrationem designatur.

Sed oppones, si Episcopi haberent potestatem solùm per electionem factam à Summo Pontifice, sequeretur, quod Pontifex posset ad nutum amouere vniuersos Episcopos, aliosque subrogare, consequens est absurdum, ergo &c. Minor probatur, Pontifex non habet potestatem ad destructionem Ecclesiæ, sed ad ædificationem, si Episcopi essent ad nutum amouibiles, esset Ecclesiæ destructio, ergo &c.

Respondeo, quod licèt Summus Pontifex posset pro suo arbitrio vnum, vel alterum Episcopum amouere, & alios in locum eorum designare, non tamen admittendum est, quod Summus Pontifex, quamuis habeat potestatem amouendi singulos Episcopos, amoueat omnes, alios non designando, sicut communiter Doctiores Theologi docent necessarium esse Summum Pontificem præmissa consultatione res fidei definire, & quando obijcitur, quod si definiat absque tali consultatione errabit; ab omnibus negatur casus, quia Deus, qui promisit Petro, & eius successoribus non posse errare, casum hunc non permittet, ità dicimus in præsenti, quod Deus non permittet casum, quod Papa simul amoueat omnes Episcopos.

Tertiò arguitur, munus Episcopale est de iure diuino, vt supra dictum est, ergo quidquid est intrinsecè annexum tali muneri, est de iure diuino; sed iurisdictio Episcopalis est intrinsecè, & necessariò coniuncta cum munere Episcopali, non enim potest hoc pastorale munus exerceri sine tali potestate, ergo &c.

Respondeo, quod, vt supra diximus, munus Episcopale in genere est de iure diuino, & consequenter etiam potestas in genere iurisdictionis, in quantum scilicet voluit Christus, vt sint in Ecclesia episcopi, ex hoc tamen non sequitur, quod collatio talis muneris in particulari sit immediatè à Christo, & consequenter etiam potestas tali muneri annexa, itaque Christus posuit munus hoc episcopale in Ecclesia sua, & illud posuit cum potestate aliqua iurisdictionis; munus enim pastorale, quale est episcopale munus, sine aliqua iurisdictionis potestate exerceri non potest, ità tamen munus hoc episcopale cum sua potestate in Ecclesia reliquit, vt voluerit esse sub vno capite, & Principe summo Pontifice, & ab illo deriuatum, & dependens, vt sic perfectam Monarchiam in Ecclesia sua statuerit, & tamquam Principes sub vno Rege, Episcopos sub Pontifice collocaret.

Sed contra oppones, si iurisdictio, & potestas episcopalis tota à Romano Pontifice deriuaretur, & penderet, sequeretur, quod summo Pontifice moriente deficeret, & finiret omnium episcoporum ab ipso institutorum auctoritas, at consequens est absurdissimum, & contra praxim Ecclesiæ, ergo & eius antecedens, sequela probatur ea, quæ in sua virtute ab alio dependent, illo deficiente deficiunt, sicut extincto fonte, riuulorum aquæ siccantur, & radice exsiccata ramorum deficit virtus, ergo si potestas iurisdictionis episcoporum à Papa deriuatur, & pendet, eodem spirante, deficeret.

Secundò oppones, quæ sunt annexa iuri diuino, homo non habet auctoritatem ad inuicem separare, secundùm illud Matth. 18. [quod Deus coniunxit, homo non separet;] ergo si potestas iurisdictionis esset annexa muneri episcopali, non esset in potestate Pontificis illam separare à tali munere, ergo consecrato episcopo, etiamsi nullam concedere potestatem, illam ex intrinseco sui muneris consequeretur.

Respondetur ad primam obiectionem cum Cardinali Turrecremata, negando sequelam, ad probationem, distinguo antecedens, ea, quæ in sua virtute ab alio dependent in esse, illo deficiente, deficiunt, concedo antecedens, in fieri tantùm, nego antecedens, & consequentiam, non enim dicitur Papa ratione personæ, quæ corruptibilis est, causa potestatis Ecclesiæ in esse, sed hoc modo, causa eius in esse est Apostolica Sedes, quæ fundata à Deo supra firmam petram, non potest destrui, nec moritur, vt dicitur extrà de rescriptis capite si gratiosè lib. 6. & quidem hoc argumentum si quid probaret, probaret etiam, quod constitutiones factæ per Papam, non haberent vigorem, siue auctoritatem à Papa, cùm illum non perdant eo iam mortuo, & sede vacante.

Ad secundam impugnationem respondeo, duplicem potestatem habere episcopos, alteram ordinis, alteram verò iurisdictionis, & hæc etiam dupliciter, alteram in actu primo, & signatam; alteram in actu secundo, & exercitam; potestas ergo ordinis, & iurisdictionis in actu primo, quam habent episcopi immediatè à Christo, & quæ sunt per se coniuncta ab ipso Christo, cum munere episcopali, non potest separari ab illo à summo Pontifice; potestas verò iurisdictionis in actu secundo, quia ex institutione Christi tota pendet, & deriuatur à potestate Pontificis, potest separari ab illo, vndè potest dari casus, in quo episcopus nullam habeat iurisdictionem in actu secundo, vt patet in episcopis titularibus illarum Ciuitatum, quæ sunt in partibus Infidelium.

Sed contra primò, si episcopi iurisdictionem in actu secundo haberent immediatè non à Christo, sed à Papa, esset potestas Papæ respectu potestatis episcoporum, sicut potestas Regis ad potestatem Iudicum ab ipso institutorum, & non sicut potestas Principum, sed hoc est inconueniens, quia sic episcopi non essent Ordinarij suarum diœcesum,

sicut

sicut Iudices non sunt Ordinarij, & sic non essent Hierarchiæ contra id, quod dicit Diuus Dionysius cap. 5. de ecclesiastica hierarchia, vbi Episcopos hierarchas vocat.

Secundò sequeretur, quod Papa posset ad libitum deponere etiam sine culpa, & sine causa episcopos, consequens est absurdum, ergo & antecedens sequela paret, quia quilibet superior, à quo totaliter pendet potestas inferiorum, pro libito suo, potest illum amouere, & potestatem ab inferiori subtrahere, sicut Papa potest suum Legatum mutare ad libitum sine peccato.

Tertiò sequeretur, quod Episcopi essent, & dicerentur Vicarij Papæ, sed hoc est falsum, nàm Episcopi dicuntur Vicarij Dei, & non Vicarij Papæ, vt enim dicitur de pœnitentia dist.3. §.inter hæc [eum, quem Sacerdos iudicat, Deus iudicat, cuius persona in Ecclesia gerit;] ergo &c.

Respondeo ad primam cum Angelico Præceptore in 4. sententiarum dist.19. [quod potestas Papæ se habet ad potestatem Episcoporum, sicut potestas Regis ad potestates Iudicum constitutorum, per singulas Ciuitates;] & sicut habet in fine 2. sententiarum, [sicut potestas Imperatoris se habet ad potestatem Proconsulis.] Et cum obijcitur, quod non essent tunc ordinarij, sed commissarij, nego sequelam, & patet ratio ex dictis, quia isti Iudices non sunt commissarij, sed ordinarij positi à Rege, vel ab Imperatore, vel à Republica; ordinarium enim dicitur ab ordine, cùm ordinarium videtur importare id, quod secundùm ordinem, & semper fit in Republica, vndè illud, quod competit diuersis gradibus, & statibus in Republica ordinatis, ordinarium dicitur; potestates ergo competentes statibus Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & Parochiali, dicuntur ordinariæ; & illi, qui in talibus gradibus statuuntur, vt regant populum secundùm statum, & gradum, in quibus statuuntur, dicuntur Ordinarij locorum. Potestas autem commissarij in sua proprietate dicitur, quando alicui committitur eadem potestas, quæ est ordinaria in Prælato, quæ committitur solùm, vt secundùm illam vicem eius ferens aliquid agat, ac proindè collatio talis potestatis non dicitur, nec est institutio simpliciter in aliquo gradu nouæ potestatis, sed solùm est commissio eiusdem potestatis ab instituto in tali potestate. Et ideò Episcopi à Papa creati non dicuntur commissarij, sed ordinarij.

Ad secundam respondetur, negando sequelam, ad probationem nego vniuersaliter maiorem, falsa est enim vniuersaliter, quia falsum est, quod quando potestas, quæ confertur, est ordinaria ex suo libito, & sine causa possit amouere ab officio aliquem inferiorem prælatum à se, vel à suo antecessore institutum.

Ad tertiam probationem, nego minorem, non enim est falsum, quod Episcopi sint Vicarij Papæ, nàm, vt habetur in capite decreto, & in capite sequenti distin.2. quæst.6. impartitur, & largitur summus Pontifex alijs Ecclesijs vices suas, nec obstat, quod sint ordinarij, quia etiam Legatus à latere est ordinarius, & tamen est Papæ Vicarius.

§. IV.

Ex dictis aliqua inferuntur.

Colligo ex dictis primò, quod Romanus Pontifex est immediatus Prælatus, & Iudex omnium Christianorum, vndè totum id potest facere in totum Orbem, quod potest quilibet Prælatus in sua diœcesi, & ratio est, tùm quia in quocumque ordine potestas tota inferiorum dependet, & originatur à potestate superiorum ad quodcumque se potest extendere potestas inferiorum, ad illam etiã se extendit potestas superiorum, sed potestas iurisdictionis, de qua loquimur, in Episcopis deriuatur à potestate Papæ, ergo summus Pontifex potest facere immediatè in toto Orbe quæcumque possunt alij prælati in proprijs diœcesibus.

Tùm secundò potestas Papæ in ecclesiastica hierarchia, est potestas vniuersalis; potestas verò aliorum inferiorum est potestas particularis; sed potestas, seu virtus vniuersalis efficaciùs agit in id, quod subijcitur virtuti particulari, quàm ipsa particularis; ergo potestas Papæ extenditur ad omnia, ad quæ se extendit virtus particularis Episcoporum. Tùm denique, nàm Episcopi dantur Papæ in adiutores, & vocantur in partẽ sollicitudinis, sicut 70. Senes in adiutorium Moysi Num.11. quapropter Papa ordinando Episcopos, ait: [Mandata cælestia efficaciùs gerimus, si nostra Confratribus onera partiamur;] sed ille, qui sumit aliquem in adiutorem sibi, non ex eo admittit potestatem operandi, quando voluerit, immò ipse est principalis operans, & adiutor secundarius, ergo Papa potest omnia facere, quæ possunt episcopi in proprijs diœcesibus, etiam ipsis irrequisitis, immò & inuoluntarijs.

Ex hoc confutantur à nostro Turrecremata plures errores, qui, vt ipse refert, fuerunt Ioann. de Poliaco. Primus error est, quod Parochiani non possunt reduci in Deum per pœnitentiam, nisi mediantibus Parochianis Sacerdotibus. Secundus error est, quod licèt Papa, & Episcopi sint principaliores Parochianorum, non sunt immediatè aliorum Curati, eo quod immediatè curam eorum non habent. Tertius error est, quod nec Papa, nec Episcopus possunt audire confessiones Parochianorum, quin teneantur eadem peccata confiteri proprijs Parochialibus Sacerdotibus, ex quo à fortiori quartus error sequebatur, quod nec Papa, nec Episcopus possunt dare aliquibus generalem potestatem audiendi confessiones, vndè confessi talibus, de nouo teneantur confiteri eadem peccata proprijs Curatis, qui errores damnati fuerunt in extrauaganti Ioannis XXII. quæ incipit: [Vas electionis.]

Conabantur quondam isti probare suos errores, & nostrum corollarium infirmare hac ratione ex capite omnis vtriusque sexus, de pœnitentia, & remissione, vbi præcipitur: [Quod quilibet Fidelis, cùm ad annos discretionis peruenerit, teneatur omnia peccata sua confiteri semel in anno proprio Sacerdoti, sed proprius Sacerdos est Sacerdos Parochia-

chialis ;] ergo non potest confiteri alijs, siue sint simplices Sacerdotes expositi ab Ordinario , siue sit ipse Ordinarius, siue ipse Papa. vndè Papa non est immediatè, &c.

Respondeo cum Angelico præceptore, Alberto Magno, & Bonauentura, quod proprius Sacerdos non solùm est Parochialis, sed etiam Episcopus, vel Papa, ad quos magis spectat cura ipsius populi, quàm ad Sacerdotem Parochialem, vndè in illa decretali ly proprium non accipitur, prout contra ponitur ad ly communem, sed prout contra ponitur ad ly alienum, qui ergo confessus est Episcopo suo, vel Sacerdoti habenti ab Episcopo facultatem, non tenetur iterùm confiteri peccata sua Sacerdoti parochiali.

Nec valet, si contra obijcias primò vnius, & eiusdem non possunt esse duo Iudices, vel prælati ordinarij, vt videtur esse Episcopus, ergo non potest esse Episcopus, vel Papa proprius Sacerdos, sed est parochialis Curatus.

Secundò, nàm ecclesiastica hierarchia debet se conformare Cælesti, sed in Cælesti hierarchia ità sunt diuersi ordines, vt illi, qui pertinent ad supremum, non possunt immediatè se habere ad ordinem infimum, ergo in ecclesiastica hierarchia Papa, & Episcopi non possunt se immediatè habere ad infimos, sed solùm Curati immediatè se habent ad eos.

Tertiò ex similitudine ordinis inter caput, & membra, ità quod sit impossibile vnũ membrum simul immediatè coniungi pluribus membris, ergo similiter in Ecclesia, quæ se habet vt vnum corpus, vt dicitur ad Romanos 12. Illi, qui sunt infimi in hoc corpore, non possunt immediatè coniungi cum capite supremo membro huius corporis, vt est Papa, ergo &c.

Respondeo ad primam, distinguendo maiorem, quando vnus non dependet totaliter ab alio ; concedo maiorem, quando sic dependet; nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam, vel, vt distinguit sanctus Thomas in 4. sententiarum dist. 17. quando æqualiter essent iudices, & prælati, concedo maiorem, quando vnus est principalior alio, & talis dependens ab ipso, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; tunc enim duæ potestates non possunt esse, & exercere iurisdictionem, & immediatè in vnam personam, quando sunt æquales, & vna independens ab alia, quia tunc cùm vna non refrænet aliam, nec ei imponat legem, impossibile est, eumdem subditum, vtrique satisfacere, cum possent contraria præcipere, quod non currit, quando vna præest alteri, & potest suspendere aliam sibi inferiorem, quoad executionem,&c.

Ad secundam impugnationem respondeo, absolutè esse falsam minorẽ, nàm Deus, qui est caput totius ordinis, potest agere omnia immediatè per seipsum. Angeli etiam superiores, quantùm est de potestate absoluta, possunt illuminare ordinem remotum omisso ordine medio ; est enim probabile, apud plures Doctores, quod quidquid potest inferior Angelus, per virtutem sibi datam à superiori, possit superior per seipsum. Præterquamquod, vt docet sanctus Thomas in lib. contra impugnantes religionem: ecclesiastica hierarchia imitatur cælestem aliqualiter, sed non perfectè, nec in omnibus, etenim, vt ibi ipse exemplificat in cælesti hierarchia distinctio donorum gratuitorum, secundùm quæ ordines distinguuntur, sequitur distinctionem naturæ, non autem in hominibus, & ideò ordo inter Angelos habet immutabilitatẽ quamdam, cùm Angelorum natura sit immutabilis, quod opposita ex causa non potest dici in ecclesiastica hierarchia, in qua ordo non est naturalis, & necessarius, sed voluntarius, & liber.

Ex quibus patet solutio ad tertiam, dico enim, quod similitudo inter corpus naturale, & mysticum, non potest currere in omnibus, quia in corpore naturali, caput cum membris habet ordinem naturalem, & immutabilem, non autem in corpore mystico Ecclesiæ, vt nuper dicebamus.

Sequitur secundò Romanum Pontificem, cùm sit Summus Pastor, & tribuat alijs Episcopis potestatem iurisdictionis, immediatè posse illorum potestatem restringere diœceses diuidere, totaliter, si opus fuerit, auferre, & hanc diœcesim ab vno subtrahere, & alterum in ea constituere, & ratio est, quia Pontifex Romanus est Episcopus, & Pastor totius orbis, cuius ouile sunt omnes Catholici, sed Supremi Gubernatoris est sibi subordinatis modum imponere, & oues diuidere, eorumque curam peculiaribus Pastoribus committere secundùm indigentiam spiritualem ipsarum ouium, ergo iure optimo, potest iurisdictionem restringere, etiam in foro conscientiæ, reseruando sibi, quædam grauiora crimina, dispensationem votorum, & indulgentiarum largitionem, & alia huiusmodi.

Infero tertiò contra Hæreticos, & Nouatores in Ecclesia Dei, episcopi nomen non esse dumtaxat operis, oneris, & sollicitudinis, sed esse etiam honoris, dignitatis, & iurisdictionis, ita Caietanus de potestate Papæ cap. 3. licèt enim, vt ibi benè explicat, deriuetur à Petro, eiusque successoribus, non tamen sequitur, quod qui posuit Episcopos in Ecclesia sua, Deus, non dederit eis hanc regendi iurisdictionem, & potestatem, & ratio est, tùm quia, vt docet sanctus Thomas in 4. dist. 19. ea, quæ circa singularia oportet operari, non eodem modo omnibus competunt, vndè sicut præter præcepta generalia medicinæ oportet adhibere Medicum, qui talia præcepta singulis infirmis applicet, secundùm quod debent obseruari: ita in quolibet Principatu præter illa vniuersalia præcepta legis tradita, oportet esse alios, qui ea singulis, secundùm quod debent, adaptent; ergo & in prælatione Militantis Ecclesiæ, præter Summum Pontificem, qui est Princeps vniuersalis Ecclesiæ, debent ab illo constitui Episcopi, qui ab eo, & sub eo iurisdictionem habeant, & exerceant supra Ecclesias particulares sibi in custodiam traditas. Tùm etiam, nam in Cœlesti Hierarchia sub Deo dantur diuersi ordines Angelorum, qui præsunt diuersis, & diuersimodè, vndè sub potestatibus, qui indistinctè præsunt, ponuntur Principatus, qui singulis Prouincijs distribuũtur, & sub his

Ange-

Angeli, qui Ciuitatibus, immò & singulis hominibus in custodiam deputantur, ergo similiter in Ecclesiastica Hierarchia, præter Summum Pontificem, debent constitui Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, quorum alij toti Regno, alij singulis Prouincijs, alij denique Ciuitatibus præsint, & iurisdictionem exerceant. Denique, & est ratio S. Gregorij Papæ in cap. singula dist. 89. vbi sic ait: [Sicut varietas membrorum per diuersa officia, & robur corporis seruat, & pulchritudinem repræsentat. Ita varietas personarum per diuersa nihilominus officia distributa, & fortitudinem, & venustatem Sanctæ Dei manifestat Ecclesiæ.]

Ex quibus probatur etiam, quod Episcopi nomen est nomen iurisdictionis, officij, & muneris; Primò sic, sicut primus orbis dicitur concurrere ad omnem motum corporum, quia vnum corpus non potest moueri, nisi accepta virtute ab illo primo; itaut ex hoc tollatur potentia motiua, & motus proprius cuiuscumque causæ, vel corporis, ita esto omnis alia potestas iurisdictionis sit à Pontifice, non tollit quin sit annexa muneri, & officio Episcopali.

Secundò probatur hoc idem, nam Hierarchia, non tam ordinis dignitate, quàm potestate gubernatiua constat, ergo Ecclesiastica Hierarchia, quam Deus instituit, & ipse fundauit Altissimus ordines suos, non tam dignitate ordinis, quàm potestate constare debet; sed Ecclesiastica Hierarchia in ordine Ministrorum à supremo ad medios, & infimos, ac proindè à Capite, quod est Summus Pontifex, ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Curatos ordinatè descendit, ergo omnes isti non solùm dignitate, & ordine, sed etiam potestate, & iurisdictione debent esse præditi:

Et confirmatur hoc, Episcopi possunt conferre plura diuina mysteria, quæ ab alijs conferri non possunt, vt sunt ordinare presbyteros, & sacerdotes, consecrare Ecclesias, ministrare Sacramentum Confirmationis, & alia huiusmodi, quæ à solis Episcopis consecratis conferri possunt, & omnibus Episcopis consecratis est æqualis hæc potestas; ergo nomen Episcopi non est solùm nomen honoris, & dignitatis; sed potestatis, & iurisdictionis, & sic fuit definitum in Concilio Trid. sess. 23.

DVBIVM II.

An Romanus Pontifex habeat potestatem, & iurisdictionem, non solùm spiritualem, sed etiam temporalem in toto orbe Catholico.

§. I.

Aliqua præsupposita statuuntur.

Sicut multitudo actionum, quæ in Ecclesia necessariæ sunt diuersitatem officiorum arguunt ita dignitas, & pulchritudo eius, quæ in quodam ordine consistit, exigit vt in ipsa Ecclesia sit multiplex graduum, ac ordinum varietas, quorum alijs sunt excellentiores, de quibus gradibus in psalmo 47. habetur: [Deus in domibus eius cognoscetur]; hoc est secundùm aliam literam: [Deus in gradibus eius cognoscetur.] Quod verbum exponens Gregorius super Ezechiel ita habet: [Dum Sanctã Ecclesiam Deus suscipit in gradibus eius, dignoscitur, quia, & eius gloria per illius incrementa declaratur; quantò enim Sancta Ecclesia ascendendo proficit, tantò Deus ab hominibus ex eius virtute cognoscitur.] Ita si attentè consideretur, manifestè cognoscitur, quod ipsa pluralitas actionum, quæ in Ecclesia sunt necessariæ, & secundùm quas officiorum distinctio desumitur, plures arguit in Republica Christiana necessarias esse potestates, eius enim est potentia secundùm Philosophum, cuius est actus.

Fidelium autem vniuersitas duos in generali complectitur ordines, laicorum scilicet, & clericorum, quasi duo latera vnius corporis; duę igitur in ipsa fidelium vniuersitate sunt potestates, scilicet secularis, & spiritualis, quarum figura in veteri Testamento vt eruditè adnotauit Turrecremata, haberi videtur in duabus illis columnis æneis positis à Salomone in porticu Templi, vt habetur 3. Reg. 7. vnam, quam, posuit in dextera, quam vocauit Ioachim, aliam, quæ erat in sinistra, & appellauit eam Boom, cùm enim Ecclesia Militans significetur per atrium Templi, quod Ecclesiam Triumphantem demonstrat, nam sicut per atrium intratur in Templum, ita de Militanti Ecclesia transitur ad Triumphantē, & sapientissimus noster Salomon filius Dei duas columnas, potestates scilicet duas spiritualem, & temporalē posuit in hoc atrio, idest in Ecclesia Militanti, quarum vna, quæ à dexteris ponitur, & est spiritualis potestas, quæ antefertur potestati temporali, vocatur Ioachim, quod interpretatur præparans alijs firmitatem, quod conuenit spirituali potestati, vndè Petro, qui plenitudinem spiritualis potestatis à Christo habuit, dictum est: [Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Et alia, quæ à sinistris ponitur, potestas temporalis demonstratur, de quibus potestatibus Pelagius Papa ita Anastasio Imperatori scribit: [Duo sunt quippè, Imperator Auguste, quibus principaliter hic regitur mundus, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas,] vt habetur in cap. duæ sunt. dist. 86.

Cum ego istæ duæ potestates à Deo sint & quæ sunt, à Deo ordinata sunt, vt inquit Apostolus ad Romanos 13. necesse est, vt altera harum potestatum alteri præemineat, & illa ei subijciatur, cumque manifestæ rationi repugnat, vt spiritualia terrenis subijciantur, consequens sit, vt spiritualis potestas præemineat terrenæ, seu seculari, sitque illi superior. Et quidem in multis esse superiorem nullus poterit dubitare; primò est dignior temporis antiquitate, cum enim in Abel, à quo dicitur Ecclesiam incepisse, videtur consequenter Sacerdotium exordium in illo habuisse, cum enim ad Hæbreos 11. dicatur obtulisse sacrificium Deo acceptum, consequenter Sacerdos fuit, quod testatur etiam Augusti-

gustinus lib.5.ad Orosium, vbi habet: [Tria maximæ iustitiæ præconia in Abel fuisse comprobantur, scilicèt Virginitas, Sacerdotium, & Martyrium, in quibus Christi figuram primus gessit.] Quæ prioritas etiam seruata est in veteri testamento, in quo semper Sacerdotium præcessit Regalem potestatem, immò Sacerdos constituit, & vnxit Reges; sic enim omnes primogeniti à Noè, vsque ad Aaron Sacerdotes esse dicuntur, inter quos Melchisedech (qui secundùm probabiliorem sententiam fuit Sem) dicitur Sacerdos Dei Summus Genes.14. & ab Aaron vsque ad Samuelem continua fuit successio Sacerdotum, constat autem Reges in Israel à Saule initium accepisse, qui à Samuele constitutus fuerat, & inunctus in Regem Israel.

Ex quo alia præexcellentia potestatis spiritualis supra temporalem desumitur in nobilitate scilicèt originis, nam potestas spiritualis immediatè à Deo in veteri, & à Christo in nouo testamento originem duxit, tradente Christo Petro pro se, & suis successoribus hanc spiritualem potestatem, quando ei dixit: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum.] At verò secularis potestas à Principio non sic fuit iustitia à Deo, vt patet consideranti initium, quod habuerunt quatuor Imperia, scilicet Assyriorum, & Caldæorum, Medorum, & Persarum, Græcorum, & Romanorum. non fuit à principio legitimè introducta, sed per tyrannidem, & violentiam vsurpatam; nam Assyriorum, & Caldæorum Imperium primum in toto orbe terrarum à Nembrot incæpisse legitur Genes.10. vbi dicitur, [quod ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus, & venator hominum, idest, oppressor,] vt exponit Magister Historiarum. Et idem dicendum est de alijs tribus Imperijs, nam secundum ex oppressione primi, tertium ex oppressione secundi, & quartum scilicèt Romanum per violentiam surrexisse pro indubitato habetur, & communiter narrant historiæ, quapropter hæc quatuor Imperia ostensa sunt Danieli in similitudinem non hominum sed bestiarum, vt dicitur Daniel.7. quia, vt postillat Turrecremata, non insurrexerunt per viam rationis in prima sua origine, sed impetu sensualitatis, & bestialitatis. Vndè temporis processu hæc Regna reducta sunt ad statum legitimum, vel Dei auctoritate, vel populorum consensu.

Tertiò, spiritualem potestatem præeminere terrenæ, seculari dignitate, nulli dubium esse potest. [Tantò enim sunt spiritualia temporalibus digniora] ait Innocentius Tertius, extra de maior. & obed. in cap. solitè [quantò anima præfertur corpori;] vnde Sanctus Ambrosius, vt habetur in capite 2. dist.96. dicebat, quod aurum non tantò pretiosius est plumbo, quantò Regia potestate est ordo Sacerdotalis altior. Et probatur ratione finis, nam finis, ad quem debet intendere, vtraque potestas, est bonum multitudinis in hoc, quod est viuere secundùm virtutem, sed potestas secularis non tendit ad bonum multitudinis tam perfectum, & tam altum, ac tendit potestas spiritualis ergo dignior est ista illa, hæc consequentia tenet; illa enim est dignior potentia, quæ ad magis perfectum, & dignum finem tendit. Minor verò probatur bonum multitudinis, quod intendit potestas temporalis est bonum temporale, & ad quod potest perueniri virtute naturæ; bonum verò, ad quod tendit potestas spiritualis, est bonum supernaturale, & Cœleste, [quod exuperat omnem sensum,] vt dicitur ad Philippenses 3. vndè Saluator promittens Petro hanc spiritualem potestatem, dixit: [Tibi dabo claues Regni Cælorum.

Denique certum est, quod spiritualis potestas præminet maioritate auctoritatis potestatem sæcularem, nam sine dubio spiritualis potestas habet amplitudinem Principatus magis extensam, quàm secularis; extenditur enim illa: [A mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum,] vt dicitur Psal.71. vbi glossa sic habet: Hìc ostendit Propheta, quæ sit amplitudo Regni dominabitur à mari, idest à quolibet fine terræ diffundetur, tam latè dilatabitur Ecclesia, & à flumine, scilicèt Iordane dominabitur, vbi vox Patris intonuit super Christum: Hic est filius meus dilectus; indè ergo doctrina eius cœpit, indè auctoritas magisterij dilatatur vsque ad terminos orbis terrarum prædicato Euangelio Christi Regni. Indè regula baptismi per totum mundum manauit.] Illa. Et de Apostolis dicitur Psal. 44. [Constitues eos Principes super omnem terram;] vnde Augustinus admirans, ita in sermone Apostolorum Petri, & Pauli habet: [O mira potentia, & ineffabilis gratia Saluatoris, quis plebeium Apostolorum facilè crederet Principem, & Regibus obsistere, Reges sanctificare, Regibus omnibus imperare, mundum refrænare legibus, &c.

Denique est dignior potestas spiritualis seculari ratione firmitatis, & permanentiæ, nam cùm cæteræ potestates seculares paruæ durationis sint, & exiguæ firmitatis, vndè de illis dicitur Eccles.10. [Omnis Potentatus breuis vita,] Spiritualis verò stabilis, & firma perseuerat, iuxtà illud Matthæi 16. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebuut aduersùs eam; vndè de Sede Apostolica in figura, magis, quàm de trono Dauidico in re, dictum est 2. Regum 7. [Tronus eius erit firmus iugiter, & stabiliam Tronum eius, vsque in sempiternum.]

Hæc cùm certa sint, id quod in dubium vertitur, etiam inter aliquos Catholicos est, vtrum potestas spiritualis supereminet potestati seculari iurisdictione, quatenus potestas spiritualis iudicare potest terrenam, & laicalem potestatem, si eam deuiare contingat, non autem è contra, vndè sit.

Pro-

§. II.

Proponitur, & firmatur conclusio de praeminentia iurisdictionis potestatis spiritualis super laicalem.

IN pluribus quæstionibus diuidunt hanc difficultatem aliqui Doctores disputantes de Regia dignitate, de eius exemptione à quo cumque alio supremo, de Regno Christi an fuerit spirituale, an etiam laicale, Si fuerit totius orbis, & an in eo successerit Petrus, & consequenter eius successores Romani Pontifices. Cæterum nos tantùm de præeminentia potestatis Ecclesiasticæ super laicalem, quoad iurisdictionem disputabimus, & eius occasione plura de Regno Christi dicemus, in qua parte duæ sunt oppositæ sententiæ.

Prima docet, quod Papa ita est Superior potestati ciuili, iurisdictione, & auctoritate, vt alij Principes temporales, & Reges tantùm sint, quasi Vicarij, & Legati Romani Pontificis, & vt Ministri potestatis Pontificiæ, vnde affirmant, quod Papa est Dominus orbis proprio dominio temporali, & quod habet auctoritatem, & iurisdictionem in toto orbe super omnes Principes, quia putant omnem temporalem potestatem deriuari à Romano Pontifice, ita [Panormitanus, Angelus, & Siluester, alijque plures, tam Iurisconsulti, quàm Theologi citati à Magistro Victoria relectione prima de potestate Ecclesiæ sess.6.num.1.

Secunda ex opposito ita eximit potestatem secularem ab Ecclesiastica, vt nihil relinquat Ecclesiasticæ potestati, sed omnes causas etiam spirituales vult deferri debere ad iudicium ciuile, & illic terminari. Ita præter Hæreticos Protestantes, sentiunt nonnulli Doctores etiam Catholici, vt autem veritatem in hac parte, quantùm possumus, indagemus.

Suppono primò, quod Papa non est toteus orbis Dominus, quod patet, tùm quia, vt habetur 12.quæst.1.capite futurum, [Papa fatetur se recepisse dominium ab Imperatore aliquarum terrarum.] Et capite cùm ad verum dist.96.dicitur: [cum ad verum ventum est Imperator vltra sibi iura Pontificatus non accipiat, nec Pontifex nomen Imperatoris sibi vsurpet.

Tùm etiam, nam Papa non habet dominium temporale in terris infidelium, non enim habet potestatem, nisi supra eos, qui sunt intra Ecclesiæ gremiũ,nam [nihil ad nos de ijs, qui foris sunt,] ait Apostolus 1. Corint.5. at infideles sunt verè Domini, cùm Apostolus ad Romanos 13. doceat, & præcipiat eis esse reddendum tributum,& obedientiam eorum legibus, etiam à fidelibus, quia habent potestatem à Deo, ergo Papa non habet directum dominium temporale in totum orbem, & super omnes Principes terræ Tùm denique, nam non legimus in scripturis concessam esse àChristo hanc potestatem,nec ipsi Petro, cui Romani Pontifices succedunt, neque hac potestate vsi sunt, Pontifices ipsius successores, immo oppositum plures ex illis confessi sunt, vt videri potest in capite per venerabilem, vbi Innocentius dicit se non habere potestatem in Regem Franciæ circa temporalia.

Ex his sequitur, quod potestas temporalis non dependet à Summo Pontifice, sicut potestates aliæ spirituales inferiores, vt v.g. Episcopatus, aut Curatus, & probatur, nam vt dictum est Episcopis, & inferioribus potestatibus ipse habet potestatem limitandi iurisdictionem, & ipsam dilatandi, vt supra diximus, sed Regibus, & Principibus non præest potestate, & iurisdictione,quia eorum Dominus non est, vt probatum remanet;ergo nec potest dare dominium, nec facere Reges, aut Principes temporales directè dando eis potestatem hanc temporalem, cùm nemo det, quod non habet.

Tùm etiam antequam esset instituta à Christo Domino, & tradita Petro potestas clauium Ecclesiæ, erat potestas temporalis, & erant Principes veri, & Domini temporales etiam antè aduentum Christi, sed Christus Dominus non venit tollere aliena, nec Ecclesia hoc dominio in sui administratione indiget, ergo.

Tùm denique, nam Papa non habet directum dominium temporale supra bona particularia, & priuata alicuius personæ, nec talia dominia priuata dependent à Papa, ergo nec etiam dominia publica.

Secundò sequitur, quod potestates ciuiles non omnes sunt subiectæ potestati temporali Papę, ita quod non subijciantur ei tamquam Domino temporali, & probatur, tùm ex præcedentibus, quia si non datur dominium temporale Papæ in toto orbe,nec potestates ipsæ temporales dependent in sua linea à potestate Pontificis, ergo non est subiecta potestati temporali Papæ, licèt sint subiectæ potestati Papæ, tamquam oues sub Pastore. Et potest confirmari hac ratione, Respublica temporalis est Respulica perfecta, & integra: ergo intra se habet Caput, ergo non est subiecta alicui extra se, sed Papæ potestas est extra potestatem temporalem Reipublicæ. Ergo, &c. Quapropter tempore, quo fuerunt Reges, & Sacerdotes distincti, numquam legimus, quod Sacerdotes legitimè habuerunt temporale dominium, aut Reges spirituale, vnde numquam potest probari hæc temporalis potestas insummo Pontifice.

Denique suppono temporalem potestatem non pendere à spirituali, sicut ars inferior pendet à superiori, vt ars frænufactiua ab equestri, & armifactiua à militari, quod patet contra aliquos Doctores, qui hanc comparationem inter vtramque potestatem ponunt hanc ratione, potestas ciuilis nõ est pręcisè propter spiritualem, sed ars inferior est præcisè propter superiorem, ergo comparatio ista est nulla. Maior patet, tùm quia etiam si non esset potestas vlla spiritualis, aut beatitudo supernaturalis, esset aliqua ciuilis, & temporalis potestas, qua ordinaretur Respublica temporalis;non enim (vt ait Apostolus) est primum, quod spirituale, sed quod ani-

animale, ergo potestas ciuilis non est præcisè propter spiritualem. Tùm etiam, nam vt docent Philosophi, vir fortis deberet ponere vitam pro Republica, etiam si non esset aliqua felicitas post hanc vitam, ergo adhuc maneret Respublica, & per consequens ordo Principatus, & potestatis, secluso fine spiritualis potestatis. Minor etiam constat, nam si non esset militaris, non esset armorum ars, nec frænufactiua, nisi esset equestris, vnde istæ dicuntur organicæ, scilicèt instrumentales, quia sicut cessante fine nullum est instrumentum, ita cessante arte superiori, cessat inferior.

Dubium ergo esse potest vtrùm potestas temporalis, & ciuilis subiecta sit, non quidem potestati temporali, sed spirituali Summi Pontificis, vel an habeat potestatem etiam temporalem, supra potestatem secularem in ordine ad finem spiritualem. In qua difficultate non solùm hæretici Protestantes, sed etiam aliqui Catholici nimium Principum, & Regum potestati deferentes, negant dari aliquam potestatem, etiam in ordine ad finem spiritualem in Summo Pontifice, respectu Regis, vel Principis supremi, sit autem pro veritate,

Conclusio non solùm Summus Pontifex habet potestatem spiritualem, & potestatem ciuilem, sed etiam potestatem aliquam, & auctoritatem temporalem supra totum orbem, in ordine ad finem spiritualem, & amplissimam potestatem temporalem supra omnes Principes, Reges, & Imperatores. Ita omnes Doctores Catholici, præter aliquos Doctores Sorbonicos.

Et prima pars probatur hac ratione administratio ciuilis est aliquo modo ordinata ad finem potestatis spiritualis, sicut finis temporalis dependet à fine spirituali aliquo modo erga potestas ciuilis, etsi non sit subiecta potestati spirituali Summi Pontificis, est aliquo modo illi subiecta. Anteced. probatur, seù explicatur, tùm quia natura humana, quæ est imperfecta, ordinatur in beatitudinem supernaturalem, tamquam ad perfectum finem, ergo finis temporalis potestatis ordinatur, & dependet à fine spirituali, ac proinde sunt inter se coordinatæ, & non disparatæ, & differentes. Tùm etiam, & est fortior ratio, nam si administratio ciuilis esset in detrimentum administrationis spiritualis teneretur Princeps, aut Rex mutare talem administrationem, etiam si aliàs esset vtilis & commoda fini potestatis ciuilis, ergo potestas ciuilis est aliquo modo subiecta potestati spirituali, hæc consequentia tenet, quia Gubernator vnius Reipublicæ non tenetur, conseruare bonum alterius Reipublicæ, quantumuis maioris cum detrimento sui, vel suę Reipublicæ, sicut nec homo priuatus tenetur adire detrimentum suorum bonorum pro conseruatione alienæ Reipublicæ, ergo si Princeps temporalis teneretur subuenire spiritualibus, est, quia Respublica ciuilis subordinatur, & dependet à spirituali.

Tùm denique, nam potestas secularis nihil nouit de vltimo fine, nec de medijs conducentibus ad illum, sed hoc est proprium spiritualis potestatis, ergo necesse est, quod si in ordine ad vltimum finem potestas secularis dirigere debeat subditos suos, hoc habeat ex deriuatione, & dependentia à spirituali potestate, vnde Augustinus lib. 2. de Ciuitate Dei cap. 21. docebat, [quod sinè summa iustitia non potest regi Respublica, vera autem iustitia non est in Republica, cuius Christus non est Rector. Et Sanctus Thomas in 4. dist. 19. affirmat, Reges iuungi, vt excellentia potestatis ipsorum à Christo descendere significetur, vt ipsi sub Christo in populo Christiano regnent.]

Dices etiamsi administratio spiritualis noceret Reipublicæ, deberet illam mutare, sed ex hoc nequit inferri, quod potestas spiritualis dependeat à temporali, ergo nec nostrum argumentum est conuincens.

Sed contra est, nam falsum est, quod debeat mutari administratio spiritualis ad tollendum incommodum potestatis temporalis, nam etiam si perirent omnia bona temporalia, debent poni pro spiritualibus, ergo falsum est, quod propter incommodum potestatis ciuilis, deberet mutari administratio spiritualis.

Confirmatur, & corroboratur magis prima pars nostræ conclusionis ex potestate ciuili, & spirituali, non fiunt duo corpora, sed tota Ecclesia est vnum corpus, vt docet Apostolus, & supra dictum est, sicut enim Christus est vnum Caput totius Ecclesiæ, & esset monstruosum, quod vnum corpus Ecclesiæ esset sinè capite Christo, vel cum duplici capite, ita monstruosum esset, quod sub vno capite essent duo corpora. sed in vno corpore omnia membra sunt disposita & subordinata, & partes ignobiliores sunt propter nobiliores, ergo etiam & Reipublicæ Christianæ sunt subordinatæ, & connexa officia quoad fines, potestates, sed non ita, vt spiritualis subordinetur ciuili, ergo quia ciuilis subordinatur spirituali.

Prima hæc pars conclusionis suadetur secundò ex diuersis auctoritatibus Doctorum Nicolaus Papa in cap. omnes dist. 22. ait, Christus Beato Petro vitæ æternæ Clauigero terreni simul, & Cœlestis Imperij iura commisit. Vbi glossa: Argumentum (inquit) quod Papa habet vtrumque gladium, spiritualem scilicet, & temporalem.] Sanctus Bernardus ad Eugenium, ita expresè etiam docuit, & Sanctus Thomas [in fine secundi libri sententiarum. vbi habet, quod spirituali potestati potestas secularis in Papa coniungitur, qui vtriusque potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis, & secularis, hoc illo disponente, qui est Rex, & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, & Dominus dominantium, cuius potestas non auferetur & Regnum eius non corrumpetur.] Hæc Sanctus Thomas.

Secunda verò pars conclusionis probatur, seù explicatur Papa, vt explicatum remanet, non sic dicitur habere iurisdictionem in temporalibus iure Papatus, vt dicendus sit totius orbis Dominus temporalis, non enim potest ei competere, quod Apostolis fuit interdictum à Christo Domino Mathæi 20. vt enim scribebat Bernardus Eugenio Papa in lib. 2. de considerat. [Numquid tibi aliud remisit Sanctus Apostolus. Quod habeo tibi do, quid illud vnum scio non est

aurum,

aurum, nec argentum, cùm ipse dicat non est mihi, esto vt alia quacumque ratione hoc tibi vendices, sed non Apostolico iure, nec enim ille tibi dare, quod habuit potuit: quod habuit, dedit sollicitudinem, vt dixit, super Ecclesias, numquid dominationem, aut ipsum non dominantem in Clero, sed forma factus gregis, & ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate vox Domini est in Euangelio, Reges Gentium dominantur eorum. & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, & infert. Vos autem non sic.] Hæc ille, vbi plura alia ad propositum habet, quæ breuitatis causa ommittimus. Itaque Romanus Pontifex habet potestatem in temporalibus non ita directam, & plenam, sicut in spiritualibus, sed ex consequenti, & in quantum necessarium est ad conseruationem rerum spiritualium, ad directionem fidelium in viam salutis, & conseruandam pacem, & fidem in populo Christiano.

Sic explicata conclusio, probatur primò, Romanus Pontifex generaliter est à Deo constitutus Pastor, iuxtà illud Ioannis vlt. [Petre, pasce oues meas, quod sic postillat Glossa. Pascere est oues credentes, ne à fide deficiant confirmare, terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere, & exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere aduersarij obsistere errantes subditos corrigere.] Hæc illa, sed ista munera exigunt in Pastore non solùm spiritualem potestatem, sed etiam temporalem, ergo cum concesso, alicui aliquo officio, censeantur etiam concessa ea, sinè quibus nequit tale officium exerceri, ergo ista potestas data est à Deo Summo Pontifici.

Quo argumento vsus est Innocentius III. in cap. solitę de maio. & obe. vbi ostendens Imperatori Orientis, quod ius habebat eum reprehendendi, & increpandi, sic habet. [Nos autem etsi non increpando scripsimus, potuissemus tamen rationabiliter increpare, nobis enim in Beato Petro sunt oues Christi commissæ, dicente Domino: Pasce oues meas, non distinguens inter has oues, & illas, vt alienum se à suo demonstraret, ouili, qui Petrum, & successores ipsius Magistros non recognosceret, & Pastores.] Ille, ex quibus formari potest secunda ratio sic.

Romanus Pontifex potest Principes, & & Reges, imò, & ipsum Imperatorem non solùm reprehendere, sed etiam deponere pro eorum iniquitatibus, & demeritis, vel quia contra fidem, vel quia in scandalum populi, & Regni, vel quia contra Sanctam Sedem contumaces, & inobedientes aliquid egerunt, imò quia solùm inutiles, & inhabiles erant ad gubernandum, ergo indirectè, & in ordine ad finem spiritualem habet Summus Pontifex plenariam potestatem supra Reges, & Principes. Antecedens probatur diuersis historijs, & exemplis, tùm ex veteri, tùm ex nouo testamento, nam in veteri testamento videmus Deum præcepisse Samueli, vt in Regem Israel consecraret Saulem, illumque tamquam inobedientem deponeret, & Regno priuaret, & Dauidem in locum eius Regem constitueret similiter Haias Ieroboam Elias Acabum, Zaccharias Ioam, Isaias Ezecchiam, reprehenderent Sacerdotes, & Prophetæ Reges in Israel, similiter propter Idolatriam Salomonis, Propheta, & Sacerdos Regnum eius diuisit, & decem tribus dedit Ieroboam, Eliseus etiam licèt, non per se, sed per vnum ex filijs Prophetarum Acab à Dei cultu recedentē Regno priuauit, Iehu Regem vnxit, & quid circa domum Acab facere debebat ei præscripsit, quod obediens statim executioni mandauit, vt in libris Regum videre est.

Ex Regibus autem Iudæ Ozias Rex Iudæ, vt habetur 2. Paralip. capite 26. superbia inflatus: officium adolendi Thymiamatis, quod solis Sacerdotibus fuerat attributum, sibi arrogando à Zaccharia Pontifice, vnà cum Sacerdotibus octoginta viris fortissimis ex Templo eiectus, & Regali honore abdicatus est, itaut deinceps, vt scribit Iosephus lib. 9. antiquit. cap. 11. à Domino lepra percussus, tamquam priuatus homo extra vrbem in domo separata vixit, Filio eius Ionatha ad thronū euecto per eumdem Pontificem, similiter Ioiada Pontifex inuicta fortitudine Athaliam tyrannicè imperantem contra stirpem Dauidis Ionam infantem septennem Regem in Templo coronatum, & inunctum oleo sacro, Regem pronunciauit, ac denique mittens plura alia exempla huius generis inter Reges Iudæ extirpato, per Babylonios, Regio nomine à Iudæis post septuaginta annos renouata Iudaica Republica, & Dei mandato instaurato pontificali Tribunali, & consilio tandem ipsius Dei voluntate, Regale quoque Imperium ad summum Pontificem est delatum, qui vtrumque tenuit, vsque ad Herodem tyrannum, qui & Concilio, & Pontifici, & Regi Iudaico finem imposuit.

Translata autem Moysi cathedra in cathedram Petri, & corpori vmbra, veritati figura, ac Ecclesiæ Synagoga cedentes sinè dubio translatum est etiam in Petri successores potestas, & Imperium in omnes Reges ac Principes Christianos, quod & exemplis clarè probabimus, nam tres inter alias huius iurisdictionis, & potestatis principaliores actus probant historiæ, scilicet Reges, & Imperatores creare, inaugurare, & confirmare: Illos deponere, Regno priuare, & castigare, ac denique subditos à iuramento fidelitatis absoluere, quos omnes actus exercuisse Summos Pontifices, satis probant historiæ.

Et quidem Pontifices plusquam Alexander, & Augustus, Reges creasse probatur, nam Leo III. Pipinum Caroli Magni filium Italiæ Regem creauit, & coronauit, Sergius Romanus Papa, Stephanum Vngariæ Regem constituit anno 1001. quam tamen Regiam dignitatem Polonorum Duci eodem tempore enixè petenti negauit, qua postea anno 1320. Ioannes XXII. Vvenceslao Polonorum Duci, teste Cromero Polono, concessit. Similiter Demetrius Russorum, seù Ruthenorum primus Rex à Gregorio VIII. fuit declaratus anno Domini 1076. sicut, & paucis post annis Edgarus primus Scotorum Rex ab Vrbano II. declaratur. Alphonsus primus Portugalliæ Rex iubente Eugenio III inauguratur, Minnacus Lituanorum Dux instigan-

stigante Opisone Abbate Messanensi Innocentius Quartus Regium nomen impartiuit, & duo magni Duces, Moscouiæ, vnus, Etruriæ alter, Summis Pontificibus Regali dignitate donari summis precibus impetrauerunt, quod contenderunt, sed sinè fructu, & alij quamplures. Imò (quod magis est) Pontificia auctoritate Carolum Magnum Franciæ Regem à Græcis Imperium Romanum, in Germanos transtulit, eo quod cum opprimeretur Romana Ecclesia ab Astulpho Rege Longobardorum, petijt auxilium à Constantino Imperatore Constantinopolitano, & ille negasset, Stephanus Papa II. natione Romanus Imperium in Carolum Magnum transtulit, vt ait Glossa in 15. qu. 6. capite alius, cuius imperij successio ab annis iam nongentis penè perdurauit.

Deindè post aliquot annos, in quibus Imperium in Caroli posteritate mansit, vt est continua Imperiorum vicissitudo Caroli posterisà maiorum pietate, & fortitudine degenerantibus Germania, Gallia, Italiaque diuulsa in varios Principatus, & per varios Tyrannos turbatissimæ res in Italia & Germania essent, Ottonem Magnum Ducem Germanum propter pietatem, & fortitudinem bellicam ex Italia Saracenos, Græcosque illis adhærentes profligantem, & Romanæ Ecclesiæ magnam tranquillitatem restituentem omnium Germanorum Principum (teste Paulo Æmilio lib. 3.) primus Imperiali Corona donatur à Romano Pontifice Ioanne, eiusque benedictione, atque consecratione primus Imperator factus est, & notandum, quod (teste eodem Auctore) primus dicitur, eo quod esto Conradus, & Enricus Imperium sibi antea comparauerant Pontificis auctoritate, & benedictione caruerunt.

Denique à Gregorio V. vt vult Platina, seu à Gregorio X. vt volunt Genebrardus anno 995. & Honuphrius in Cronica anno 1000 vt deinceps certa, & stabilis esset Imperatoris eligendi ratio, & nè Patris Indulgentia (vt multoties factum fuerat) in multas partes rursus dilaceraretur Imperium, sed ei præficeretur ille solus, qui propter Catholicam Religionem, & heroicas eius virtutes Imperio gerendo existimaretur idoneus, lex fuit statuta omnium Christianorum Principum assensu recepta, qua tribus Archiepiscopis Moguntino, Treuirensi, ac Coloniensi, totidem Laicis Germaniæ Principibus, scilicet Duci Saxoniæ, Comiti Palatino, & Marchioni Brandeburgensi Imperatoris electio attribuitur, quod si aliquando horum in diuersis Imperatoribus eligendis suffragia essent paria, illis adiungitur in electione Dux Boemiæ. Is ergo, quem isti designant dicitur Cæsar, & electus, & cum à Romano Pontifice confirmatur, & coronatur, tunc habetur, vt Imperator Augustus.

Similiter quàm plures alij Reges Christiani, & si non à Pontifice Romano, sed à populis, vel à Communitate ciuili sint constituti, ipsam tamen inaugurationem suam, eiusque formam, quasi expressam confirmationem in Regno ad præscriptum huius Sanctissimæ Sedis acceperunt, à certis scilicet Archiepiscopis, quibus Romanus Pontifex hanc potestatem dedit vnus, vel coronati, & ea verborum forma, quam idem Papa instituit. Sic Rex Franciæ ab Archiepiscopo Rhemensi ex institutione Hormisdæ Papæ, Rex Angliæ ab Archiepiscopo Cantauriensi ex priuilegio Adriani II. Rex Scotiæ ab Archiepiscopo Sancti Andreæ ex concessione Vrbani II. sic Rex Germaniæ à Maguntino; Bohemiæ à Pragensi; Poloniæ à Gnemensi; Vngariæ ab Albæ Regalis; Sueuiæ ab Vspalensi, Daniæ à Lugdensi Episcopis ex Romanæ Sedis instituto vnguntur, & coronantur in Reges, vt proprij Scriptores earum regionum Dubrauius, Cromerus, Bonfinius, & alij commemorant, itaut videtur ad literam de Summo Romano Pontifice verificata prophetia Isaiæ cap. 60. Reges eorum ministrabant tibi. Et infra: Et veniant ad te curui filij eorum (Regum scilicet persequendo) & adorando vestigia pedum tuorum.]

Sed quid dicam de amplitudine Pontificiæ potestatis in reprehendendo, & castigando, vsque ad priuationem Imperij, & Regni Principes illos, & Reges, qui vel à Fide Catholica, vel ab obedientia Summi Pontificis, vel à moribus Christianæ Religionis dignis aberrarunt, primus inter Imperatores Christianam Religionem suscepit Philippus anno Domini 249. quarto anno sui Imperij, & tamen, quia postea ex licentia Imperiali grauiter deliquerat Fabianus Papa nulla humana potentia, sed Diuina omnipotentia fretus in diebus Pascalibus ab Ecclesiæ ingressu eum prohibuit, & sacram Synaxim cum cæteris Christianis facere vetuit, vsque dum, & pœnitentiam salutarem faceret, & satisfactionem sui peccati Ecclesiæ daret. Euseb. l. 6. cap. 27. Innocentius I. etiam si à Gothis occupata Italia, tanquam seruus teneretur, scriptis epistolis Arcadium Imperatorem, eiusque vxorem Eudoxiam excõmunicauit, quia Sanctum Ioannem Chrysostomum sua Sede Patriarchali expulerant. Niceph. lib. 13. capit. 24. Anastasius Papa II. Anastasium Imperatorem hæresim Eutychianam patrocinantem excommunicauit, Michaelem Theophili filium, qui Ignatium Constantinopolitanum Patriarcham Catholicum iniquè expulerat sua epistola acriter Nicolaus Primus redarguit.

Et ne solis Episcopis, sed etiam facie in faciem Imperatorum Romani Pontifices restiterint, plura exempla adduci possunt; Liberius Pontifex quàm liberè, intrepidè, & constanter se gesserit aduersùs Constantinum Imperatorem Arianum Theodoretus in Ecclesiastica historia lib. 2. cap. 16. latè conscripsit Martinus I. pari constantia Constantio Imperatori Monothelitæ imperterritus restitit. Agapitus Papa Constantinopolim veniens Iustiniano illicita ab illo petenti, hoc responso restitit. [Atqui me non ad Diocletianum, sed ad Iustinianum venisse existimabam, vt narrat Platina in eius vita.

Dices omnia adducta exempla tantùm probant spiritualem potestatem Papæ, in Reges, quæ per excommunicationem, & reprehensionem, quæ ad gladium spiritualem pertinent, exercetur, non autem temporalem, quæ in priuatione Regni consisteret.

Sed contra, nam etiam hanc potestatem in Reges, & Imperatores exercuerunt Pontifices,

tifices, etenim vt Miscellę Auctor scribit Gregorius III. Concilio indicto Romæ Leonem Isaurum Imperatorem Iconoclastam excommunicauit, & ab eius obedientia Italiam totam absoluit, & abstraxit. Ludouicus IV. Bauarus ab Alexandro III. Otho IV. Imperatores Occidentis à Ioanne XXII. Imperio eijciuntur, & ab Electoribus alijs eliguntur. Federicus II. impiè, & tyrannicè regens ab Innocentio IV. Throno Imperiali deiectus est in Concilio Lugdunensi, eique suffectus Lantgrauius Hassiæ, similiter Chilpericus, Rex Francorum, Carolus Grassus, Adolphus, & Wenceslaus Imperatores; ac demum Sancius Portugalliæ Rex, Romanorum Pontificum auctoritate à Regali, & Imperiali fastigio ob ignauiam imperandi depulsi sunt, denique Ladislaus IV. Vngariæ Rex, à Fide Catholica resiliens, Nicolaus III. excommunicauit, & Regio titulo priuauit Ioannem Angliæ Regem propter atrocia sacrilegia iure Regni priuauit Innocentius III. & Gregorius VII. eadem pœna priuationis Regni, & tituli Regij mulctauit Boleslaum secundum Poloniæ Regem, cognominatum ferum, propter Sancti Stanislai cædem teste Cromero lib. 5. quibus, & alijs pluribus exemplis probatur euidenter Summi Pontificis Romani potestas, & auctoritas supra Reges, & Imperatores etiam temporalis, quo argumento vsi sunt Turrecremata Cardinalis, & Petrus de Palude.

Tertiò probatur nostra conclusio, nam Summus Pontifex Romanus habuit à Christo Domino, vtrumque gladium, spiritualem scilicet, ac temporalem, ergo vtramque iurisdictionem spiritualem scilicet, & temporalem supra populum, Reges, & Principes. Antecedens probatur, tùm primò [ex extrauaganti Bonifacij VIII. vnam Sanctam, vbi sic habet: In hac equidem Romani Pontificis potestate duos esse gladios, spiritualem scilicet, & temporalem Euangelicis dictis instruimur, nam dicentibus Apostolis, ecce duo gladij hic non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est, vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis gladius, & materialis.] Tùm etiam ex Bernardo de consideratione ad Eugenium Papam explicante illa verba Christi Domini ad Petrum Ioannis 18. [Converte gladium tuum in vaginam, sic quid tu denuo gladium vsurpare tentas, quam semel iussus es ponere in vaginam, quem tamen, qui tuum negat, non satis videtur mihi attendere verba Domini, dicentis. Conuerte gladium tuum in vaginam Ioannis 18. & Matthæi 16. tuus ergo, & si ipse tuo forsitan nutu, & si non tua manu euaginandus, alioquin, si nullo modo ad te pertineret, & de istis loquentibus Apostolis, ecce gladij duo hic non respondisset Dominus satis est; sed nimis est.] Ille. Hinc potuerunt Pontifices non solùm exhortari, sed etiam copias militum disponere, & mittere contra fidei hostes, & Ecclesiæ, sic potuit Leo Papa IV. contra Saracenos congregare populum, & eis cum copijs ad littus maris occurrere, vt habetur in capite ergo 23. qu. 8. sic potuit Adrianus Papa mittere Carolum Regem contra Longobardos, vt in capite hortatu, sic Gregorius Sanctus quosdam nobiles, vt milites congregent inducere, & contra hostes arma viriliter præparare, immò & ciuibus Tusciæ præcipere, vt contra Longobardos arma sumerent, militantibus stipendia assignare, vt legitur in registro Beati Gregorij.

Quomodò autem huius gladij materialis dispositio conueniat Papæ, & Clericis docet Sanctus Thomas 2. 2. hac ratione; Omnis persona, vel ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, habet disponere de his, quæ sunt ad finem, bella autem carnalia in populo fideli sunt referenda, sicut ad finem ob bonum spirituale diuinum, cui clerici deputantur, & ideò ad clericos pertinet disponere, & inducere alios ad præliandum.

Dices cum Bellarmino, cui non probatur, hoc argumentum in illo loco Sacræ Scripturæ non loqui Christum de gladio spirituali, vel materiali, & Theophylactum, ac alios Patres locum illum explicasse pro figurata loquutione, quasi Dominus diceret: [Ita vos timebitis in mea morte, sicut timet ille, qui pro inimici timore vendit tunicam suam, & emit gladium;] non ergo conuincitur ex hoc argumento aliqua potestas, siue spiritualis, siue temporalis, siue in Petro, siue in successore eius Romano Pontifice.

Sed contra est, nam vt ex Sancto Bernardo, & Bonifacio VIII. adduximus; si ille locus intelligendus esset vt Bellarminus ait, non diceret Dominus discipulis afferentibus duos gladios satis est, sed diceret, opus istis non est, quia de ipso non loquor, & nobis sufficit, vt argumentum conuincens sit, & appareat, auctoritas Sancti Bernardi, & Bonifacij VIII. ita illum explicantium, esto alij Patres in alio sensu illum sumant, quia vnus locus sacræ Scripturæ potest admittere plures intelligentias, & sensus. Mitto alia argumenta, quæ vsque ad sexdecim adducit noster Turrecremata breuitatis gratia, & quia tria à nobis facta videntur sufficienter intentũ conuincere.

§. III.

Aliqua argumenta contra hucusque dicta soluuntur.

Arguitur primò contra nostram conclusionem in sola commissione Regni Cælorum non cadit commissio Regni terreni, sed Christus commisit Petro, & in eius persona successoribus eius claues Regni Cœlorum, & non Regni terreni, vt patet Matthæi 15. vbi Christus dixit: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum;] ergo nec debet concedi hæc potestas temporalis in summo Pontifice.

Retorqueo in primis hoc argumentum, nam Christus Beato Petro tradidit ambas claues, ergo regimen totius Ecclesiæ, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus; consequentia probatur, iuxta id, quod dicitur capit. omnes distinct. 22. vbi Nicolaus Papa dicit, quod Christus Beatus Petro æternæ vitæ Clauigero terreni simul, & Cœlestis Imperij iura commisit. Respondeo ergo ad argumentum distinguendo maiorem, non cadit commissio Regni terreni sub claue Regni Cœlestis directè, & per se, concedo maiorem, indirectè, & prout Regnum temporale ordinatur ad Regnum Cœleste, nego maiorem,

rem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam, etenim sicut in collatione principalis intelligitur accessorium, etiamsi de illo nulla expressa fuit mentio, ita quia in Papa datur plenitudo potestatis spiritualis regiminis Ecclesiæ, intelliguntur collata etiam omnia ea, sine quibus rectè expediri, & & exequi non potest tale regimen, quia in collatione spirituali, tanquam Capiti, & Rectori totius Christianæ Reipublicæ necessariò subintelligitur collatio potestatis secularis quatenus necessaria est ad conseruationem bonorum spiritualium, & directionem fidelium in Regnum Cœlorum, ideò intelligitur illi concessa.

Sed oppones hæ duæ potestates, scilicet spiritualis, & temporalis, non possunt in vna, eademque persona conuenire, ergo Romanus Pontifex habens plenitudinem potestatis in spiritualibus, non potest habere illam in temporalibus. consequentia est bona, & antecedens probatur, Regnum Cœlorum, & terrenorum opponuntur, sicut duæ species eiusdem generis, & sicut Regnum carnale, & spirituale, ergo non se compatiuntur in eadem persona.

Respondeo hoc argumentum multum probare, & ideò nihil, si enim aliquid probaret, probaret vtique, quod nulla persona Ecclesiastica posset habere aliquam iurisdictionem temporalem, nec Castrum, imò nec villam aliquam, quod est valdè absurdum, & quod istæ iurisdictiones in nulla persona essent compossibiles, quod est clarissimè falsum, nam tempore legis naturæ, simul ambæ concurrebant Regnum, & Sacerdotium, omnes enim primogeniti Regum Reges erant, & Sacerdotes, & iurisdictionem tam spiritualem, quàm temporalem exercebant. Immò tempore legis scriptæ à Moysi vsque ad Samuelem, sub quo populus petiuit sibi Regem eadem persona, vtramque iurisdictionem habebat, sunt ergo compossibiles in eodem supposito, igitur nego antecedens, & ad probationem nego vniuersaliter antecedens; non enim omnia, quæ distinguuntur sub eodem genere, etiam proximo, opponuntur, & incompossibiles sunt; species enim virtutum, tam moralium, quàm intellectualium specie differunt sub eodem genere proximo virtutis, & tamen non solùm compatiuntur, verùm etiam connectuntur, itaut qui habet perfectè vnam, habet omnes, vt dicitur Ethic. 6. cùm igitur istæ iurisdictiones non opponantur, immò vna iurisdictio iuuet, & confortet aliam, consequenter non sunt incompossibiles in eodem supposito.

Sed instabis, officia debent esse omninò impermixta; nè oriatur confusio, sed aliud est officium iurisdictionis spiritualis, & aliud iurisdictionis temporalis, ergo hæc officia sunt incompossibilia in eadem persona. Antecedens probatur, tùm ex illo [Prouerbiorum. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui, sed antiqui posuerunt terminos vtrique iurisdictioni,] vt enim ait Nicolaus Papa [in capite cùm ad verum dist. 96. Christus actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit;] ergo, &c. Tùm ex illo Apost. ad Titum 2. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, sed iurisdictio spiritualis militat Deo, & temporalis se implicat negotijs secularibus; ergo sunt duo munera omninò impermixta. Tum denique ex illo Matt. 22. vbi Christus dixit: [Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo,] in quo annuere videtur distinctionem prædictarum iurisdictionum, & personarum, in quas cadunt.

Respondeo, quod tunc officia permixta in vna persona, causant confusionem, quando ex æquo plures habentes eamdem authoritatem, & iurisdictionem sinè subordinatione aliqua se intromitterent de eodem negotio, non autem quando in vna, eademque persona sunt istæ duæ potestates, cum aliqua subordinatione vnius ad aliam, vndè non transgrediuntur termini assignati à Patribus, quia esto in particularibus istæ potestates sint distinctæ, possunt tamen coadunari in vno supremo capite, & Superiore, quæ enim in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt vnita, & tamen Papa non semper immediatè vtitur vtraque iurisdictione, sed in casibus determinatis, & in ordine ad finem spiritualem, vt diximus.

Ad secundam probationem respondeo cum Diuo Thoma 2.2. quæst. 86. art. 2. quod ingerere se negotijs secularibus est prohibitum his, qui militant Deo, vt sunt Religiosi, & Clerici, quando fit causa cupiditatis, non tamen quando fit causa charitatis, sic enim cum debita moderatione ingerere se possunt negotijs secularibus, dirigendo, & ministrando iuxtà Superioris licentiam, vt habetur etiam in decretis dist. 88. cap. decreuit; non derogat ergo dignitati Summi Pontificis, si vrgente charitate, & necessitate ad conseruationem spiritualium, & ad conseruationem pacis, & iustitiæ se ingereret, vt director, Pater, & Pastor negotijs secularibus.

Ad tertiam dico, quod authoritas illa nullo modo facit ad rem, ibi enim Christus Dominus solùm volebat respondere Iudæis tentantibus illum, si extorquere potuissent responsum ab ipso, quo fateretur illos, qui essent de populo Dei non esse obligandos ad soluendum censum, seù tributum Cæsari, vt possent eum accusare apud Imperatorem, si affirmaret esse immunes, & ideò cum Herodianis, qui erant de gente Imperatoris venerunt, vel accusare apud Principem, & Sacerdotem, si contrarium affirmaret, quasi contra cultum Dei, & immunitatem populi eius aliquid diceret, eorumque nequitia à Christo cognita, vt eos redargueret ostenso sibi Numismate insculpta imagine Cæsaris, ait: [Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo;] loquitur ergo ibi non de distinctione iurisdictionum, sed de redditione debitorum, & ideò non est ad propositum.

Secundò arguitur ex Wichlef relato à Waldensi [lib. 2. de doctrina fidei art. 3. cap. 76.] Pontifex Romanus non habet maiorem authoritatem, quàm Reges, sed si haberet vtramque iurisdictionem, haberet maiorem potestatem, ergo, &c. Consequentia tenet, quia ex maiori dignitate oritur maior potestas. Antecedens verò probatur, Reges sunt dignio-

digniores Summo Pontifice, quia sunt Vicarij Christi Regis, Pontifex verò est Vicarius Christi, vt Sacerdotis, at Christus Dominus potiori iure fuit Rex, quàm Sacerdos, cùm natus sit de familia Dauid, & de Tribu Iuda, non autem de Tribu Leui, & familia Aaron, ergo.

Respondeo, quod esto Christus Dominus ex familia Dauid, & Tribu Iuda natus sit, natus est etiam ex linea Sacerdotali, vndè Cognata Beatissimæ Virginis dicitur Elisabeth, quæ erat vxor Zachariæ Sacerdotis, vndè non potest fieri argumentum ex hoc capite, quod magis sint Vicarij Christi Reges, quàm Summus Pontifex, vt malè arguit Wichlef, præterquamquod Regnum Christi, vt infrà magis explicabimus, non fuit temporale, quoad exercitium, licèt in probabiliori sententia habuerit ius Regium, de quo tamen infrà.

Tertiò arguitur Iudex secularis de re spirituali iudicare non potest, vt habetur [capite decernimus de iudicijs,] sed contrariorum eadem est disciplina secundùm Philosophum, & habetur [ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris lib. 1. §. videmus,] ergo Iudex Ecclesiasticus de temporalibus sit intromittere non potest.

Respondeo concessis maiori, & minori, nego consequentiā, non enim istæ duæ iurisdictiones contrariantur ad inuicem, immò, vt supra diximus, in vna, & eadem persona concurrere possunt, non potest autem Iudex secularis de re spirituali iudicare, quia est omninò incapax Ecclesiasticæ, & spiritualis iurisdictionis, vt in cap. decernimus, allegato in argumento, dicitur:[Quapropter Ozias punitus fuit lepra, Paralipom. 26. quia officium Sacerdotum sibi vsurpare præsumpsit.] Benè tamen Iudex Ecclesiasticus est capax iurisdictionis temporalis, immò in principio Ecclesiæ omnes causæ Christianorum tractabantur coram Sacerdotibus, etiam illæ, quæ pertinebant ad iurisdictionem temporalem, vt habetur [in cap. per venerabilem, qui fil. sint leg.]

Sed opponcs persona Ecclesiastica, & maximè Papa, non est capax iurisdictionis temporalis, ergo eadem ratio esse debet de Iudice Ecclesiastico, & seculari. Antecedens probatur, iurisdictio in temporalibus contradicit perfectioni Apostolicæ, iuxtà illud [Matthæi 19. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Et Lucæ 14. Omnis ex vobis, qui non renunciabit omnia, quæ possidet non potest meus esse Discipulus.] Ergo non potest competere personæ Ecclesiasticæ, & maximè Romano Pontifici, qui speciali titulo dicitur Apostolicus.

Respondeo negando antecedens, ad probationem respondet Sanctus Thomas [2.2.qu. 184.art.7. Quod renunciatio propriarum facultatum potest considerari dupliciter, vno modo, secundùm, quod est actu, & in ea non consistit essentialiter perfectio, immò nil prohibet, quod sit status perfectionis sinè renunciatione propriorum, alio modo potest considerari secundùm præparationem animi, vt scilicèt homo sit paratus, si opus fuerit, omnia dimittere, & distribuere, & hoc directè pertinet ad perfectionem.] Hæc Sanctus Doctor. Potest ergo potestas iurisdictionis circa temporalia esse simul cum perfectione Apostolica, sicut de facto multi Sancti Prælati ex deuotione fidelium hæc habere potuerunt, & tamen perfectionem non amiserunt, quia hac animi ratione illa possidebant.

Instabis ex [cap. conueniat 23. quæst. 8.] vbi dicitur: [Ad Imperatores palatia pertinent, ad Sacerdotes Ecclesiæ;] ergo sicut iurisdictio spiritualis ad solos Ecclesiasticos, ita temporalis ad solos seculares Principes pertinent.

Respondetur, quod primò per se, & principaliter facultas spiritualis, & Ecclesiæ ad Romanum Pontificem, & Ecclesiasticos pertinet, secundariò autem, & ministerialiter in ordine ad finem spiritualem, ad eosdem spectant palatia, idest ciuilis facultas, Imperarori autem, & laicali potestati sola palatia, hoc est ciuilis iurisdictio, cum eius actuali exercitio conueniunt, & hoc etiam ex commissione, & dispositione Romani Pontificis, vndè eodem [cap. conueniat supra cit.] dicit Imperatori: [Publicorum tibi menium ius commissum est, non sacrorum. Nam Papa,] ait Glossa [in cap. nouit de Iudic. temporalis gladij executionem commisit Imperatori, non spiritualis gladij officium.

Sed adhuc obijcies Alexander Papa III. vt habetur [in cap. causam qu. 2. extrà qui filij sint legit. sic habet: Nos attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus iudicare, ne videamur iure legis Anglorum distrahere, qui ipsarum iudicium ad se pertinere asserunt, mandamus, &c.] vbi duo dicit Papa, primò non ad Ecclesiam, sed ad Regem pertinere hanc iurisdictionem ciuilem. Secundò, quod Papa faceret contra ius Regium, si illud vsurparet, ergo nullo modo, nec etiam indirectè, est iurisdictio ciuilis, &c.

Respondeo, quod aliud est loqui de iurisdictione, aliud de exercitio talis iurisdictionis, quoad particularia occurrentia. Primo modo nego Alexandrum negasse hanc iurisdictionem, cuius apicem iure diuino, vt probauimus, & infrà magis explicabimus, habet Romanus Pontifex, & apertissimè hoc docet Diuus Thomas [opusc. de regimine Principum cap. 12.] & deinceps; si autem loquamur de vsu, & exercitio, quoad particularia occurrentia, verum est non decere Summum Pontificem illud exercere, imò nec Regiam dignitatem hoc decet per se immediatè, sed mediantibus suis Ministris, vt docet Diuus Thomas 1. par. qu. 103. art. 6. ad 3. fortiori ergo non decet hoc dicere de Romano Pontifice.

Sed contra huc vsque dicta obijcies si solutio verum diceret, & Papa haberet in temporalibus iurisdictionem supremam, posset ad ipsum appellari à sententijs Regum, & Iudicum secularium, at hoc est falsum, nam Papa Alexander III. declarat [in cap. si duobus, §. deniquè de appellat. Extrà terras Ecclesiæ non posse ad ipsum appellare à sententia Iudicis laicalis, nulla inter supremum, & inferiorem Iudicem facta differentia. Vndè & Glossa singularis in cap. quoniam dist. 10. tenet: Quod ab Imperatore non possit appel-

appellari ad Papam ,] ergo , &c.

Respondeo pro nunc , relinquendo ad Canonistas maturiorem discussionem circa leges, & Canones, quæ in hac parte sinè dubio in opposito sensu loquuntur , quænam illarum lex vigeat, quænam derogata sit , appellationem ab Imperatore ad Papam non teneri in facto oppositionis, quia Papa iam exercitium iudicandi in rebus temporalibus delegauit Imperatori , & non reseruando sibi, nisi expressos casus,non autem , quod absolutè non valeret .

§. IV.

Soluitur vltimum argumentum , & explicatur an Regnum Christi fuerit solùm spirituale , vel etiam temporale .

Denique arguitur , Vicarius non habet maiorem plenitudinem potestatis , quàm habuit Christus homo , cuius est Vicarius , sed Christus non habuit , nec voluit habere hanc potestatem, seù dominium in temporalibus, ergo nec Romanus Pontifex , qui est eius Vicarius . Minor probatur, tùm primo , nam [Lucæ 12. Christus Dominus sibi dicenti : Magister dic fratri meo , vt diuidat mecum hæreditatem, ait, homo quis me constituit Iudicem super vos ?] quasi diceret nullus : sed si haberet potestatem laicalem hoc non diceret, ergo hanc non habuit. Tùm secundò , nam Isaias faciens mentionem de Regno Christi addit aliquid , quod denotat Regnum eius fuisse solùm spirituale, ait enim [nono capitulo : factus est Imperium super humerum eius , & vocabitur nomen eius, Pater futuri seculi.] Tertiò arguit Bellarminus, Christus non habuit authoritatem , vel potestatem Regni temporalis, nec ex hæreditaria successione , nec ex electione , nec iure belli , nec tandem ex dono Dei , ergo ex nullo capite Christus fuit Rex . Quartò, nam Ioannis 6. habetur : [Quod cum cognouisset Iesus, quod venturi essent, vt raperent eum , & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus;] & Ioann.18. Interrogatus à Pilato si Rex esset, respondit : [Regnum meum non est de hoc mundo , sed hoc nec facere, nec posse, nec dicere si esset Rex temporalis , ergo, &c. Denique probat Vasquez, [nam lege vt certo, §. si duobus, ff. commodati,] dicitur non posse esse duos Dominos eiusdem rei, aut partis illius insolidum , quia non potest in vtriusque vtilitatem referre , ergo cum sit regnum temporale apud Reges , & Principes seculares , non fuit in Christo Domino hoc dominium temporale .

Petit hoc argumentum , vt per transennam explicemus famosam illam quæstionem de Regno Christi,in qua parte diuersa fuerunt Doctorum placita , aliqui dixerunt Christum nullum habuisse Regnum , aut dominium temporale , sed potiùs fuisse subditum Regibus , ac Principibus , ita [Rosellus , Duarenus, Molinçus , & Centuriatores , Magdeburgensis cen.1. cap. 7.] placuit hæc opinio Luthero ,vt à Pontifice Romano omnem Principatum , & potestatem posset à fortiori auferre , nec multum ab ea distat opinione Marsilius Patauinus , Iandunus , & Ocham.

Alij verò, & si Christum nolint, etiam vt hominem esse alicui Regi subditum , negant tamen fuisse Regem , aut Dominum , neque totius mundi , neque Regni Iudaici , vel alterius Prouinciæ , sed ius regnandi in ipso fuisse merè spirituale , & hoc iure potuisse in toto vniuerso , & iura, & leges, immò , & Reges mutare, prout sibi visum esset conueniens ad finem spiritualem, ita Sanctus Bonauentura[lib.de paupertate Christi , Victoria lect.1. qu.5.à num.16.Sotus de iustitia, & iure lib.4. quæst.4.Bannez de iustitia, & iure in præambulo de dominio Christi , Medina in tertiam partem q.59.art.4. Bellarminus , Valentia to. 4.disp.1.quæst. 22. punt.6. Abulensis in cap. 21. Matthæi qu.30.]& alij plures . Tertiò,alij docent Christum fuisse Regem, ac Dominum totius orbis, ita Sanctus Antoninus[3. p. tit. 3.cap.2.Turrecremata lib.2.summæ,Nazarius tom.5.in tertiam partem qu. 22. Ioannes de Neapoli in disputatis qu.42.pun.5. Burgensis in addict.2.ad partem 1. Cabrera in 3. parte q.22.art.1.Gandauensis, quodlib. 6.] citatur etiam Canus, à Bannez, & alij plures .

Denique alij voluerunt Christum non fuisse Monarcham super omnes Reges, & tantùm habuisse speciale ius,& solùm in Regnum Iudæorum , ita Armacanus lib.4. de qu. Armenorum capit. 15. Ioannes Bacconius in 4. qu. 1. prolog. art.2. conclus.2. Vega in Theologia Mariana parte 1. Palestra 10. certamine 1. Ex quibus , aliqui ponunt hoc ius per Iosephum non per Mariam,ita inter alios Cornelius à Lapide in caput 1. Matthæi 16. Alij verò Christum habuisse ius ad Regnum Iudaicum ex eo , quod 1. Machabæorum 14. dicitur hoc regnum , quod cessasset in familia Dauid Senatus, & Principes Iudæorum, ex communi consensu statuerunt Simeonem Machabeum esse Ducem , donec Deus mitteret Prophetam fidelem , nempè Christum Dominum,ac proindè cùm primum Christus Dominus aduenit, acquisiuit integrum ius ad Regnum , ita [Ioannes de Siluera , Vgo de Sancto Victore, Ferrarius , & alij .]

Inter tot varietates sententiarum,vt certa ab incertis separemus . Suppono primò , tamquam certissimum, Christum ex carnali origine familiæ Dauidicæ nullum ius hæreditarium ad Regnum temporale Iudæorum acquisiuisse , & ratio est, quia Regnum Dauidis,iam pridem cessauerat in Iechonia,cui decretum fuit à Domino id , quod dicitur Hieremiæ 22. non erit de semine eius, qui sedeat super solium Dauid , & potestatem habeat vltra in Iuda ,] & Principes , qui successerunt in Israel, vt refert Ioseph, & notat Hugo Cardinalis non fuerunt ex stirpe Dauid , nec de Tribu Iuda , sed de Tribu Leui , quibus successit Herodes Antipatri proselyti filius , ergo ex hoc capite nullum poterat acquirere ius in temporale Regnum Israelis .

Quod si obijcias illud Genesis 49. [non auferetur sceptrum de Iuda,& Dux de femore eius , donec veniat , qui mittendus est .] Respondeo cum Sancto Thoma in Genesim super

per dicta verba: [Quod intelligendum est, quod Regnum fundatum in Tribu Iuda, non auferetur populo Iudaico, donec veniat Christus, licèt enim ad tempus fuerit de facto interpolatum, vtpotè cùm fuerunt in captiuitate, non tamen fuit vsque ad Christum totaliter ablatum;] ita Sanctus Thomas. Nec contra hoc est, quia antè Herodem Ascalonitam, sub quo natus est Christus per spatium 29. annorum regnasset Herodes pater, antequam nasceretur Christus. Non inquam valet, quia illis annis Herodes violenter regnauit, tamquam tyrannus, cum adhuc viuerent Aristobolus, & Hircanus legitimi Regni hæredes, qui proditoriè postea ab Herode sunt occisi, & tandem Principes Iudæorum, qui priùs non acquiescebant, nec antea legitimum Regem Herodem agnoscebant, malis artibus victi, suis iuribus cedentes, Herodem pro Rege agnouerunt, & tunc natus est Christus.

Sed maioris ponderis est aliud argumentum, quod obijci potest ex verbis Athanasij, qui sermone de Sanctissima Deipara, explicans illud psalmi 109. [Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.] De Christo ait: [Accepit autem, his verbis, thronum Dauidis corporaliter ex ratione prosapiæ, qua pater illi Dauid fuit;] cui consonant verba Epiphanij hæresi 29. [re ipsa, ait, carnaliter impletum esse, vt Christus sederet in Sede Dauid, quia ipsa erat de stirpe illius.]

Respondeo tamen Sanctos istos Patres nil aliud in illis locis dicere intellexisse, quàm quod promissio facta Dauid, quod de semine eius nasceretur Christus corporaliter, & ratione prosapiæ impletum esse, quia venit Christus ex Virgine, quæ erat de domo Dauid. Quando autem dicunt, quod sedit in sede, vel throno Dauidis, necessariò intelligendi sunt de sessione, & throno spirituali, sicut intelligitur illud Angeli annunciantis Virginem [Dabit illi Dominus Sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum,] quod sine dubio intelligendum est de sessione spirituali, quæ in fundatione Ecclesiæ consistit, quæ licèt vna, & eadem sit in principio mundi, tamen de Ecclesia legis naturæ, & Synagogæ transiuit in Ecclesiam Christianam Militantem, & de Militanti in Triumphantem.

Suppono secundò Christum Dominum non fuisse Regem temporalem Israelis, nec ex communi, vel tacito consensu Iudæorum, nec ex electione, nec aliquo alio humano iure, ità contra Auctores supra citatos, pro tertia sententia omnes alij Doctores. Quod probatur. Nam vbi expresè negatur consensus, non potest remanere, nec tacitè, nec expressè, sed Iudæi, & Principes Iudæorum, quibus pertinebat præbere consensum, negauerunt expresè ipsum fuisse suum Regem antè faciem Pilati, clamantibus: [Non habemus Regem, nisi Cæsarem, & noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum;] Ergo nullus poterat esse consensus, neque tacitus, neque expressus.

Quod autem nec electione patet infirmando fundamentum oppositum, nam si esset aliquis locus, ex quo posset probari talis electio, maximè esset ille Ioannis 6. vbi dicitur, [quod sciens Iesus, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit solus in montem;] Sed ex hoc loco nullum ius, ex electione proueniens potest probari, ergo tale ius non probatur. Minor probatur, tùm quia multitudo illa, quæ Christum Regem constituere volebat, erat exigua portio, respectu populi Iudaici, nec aderant Principes, & Sacerdotes, apud quos erat potestas conferendi Rgnum. Tùm quia illa non fuit electio, sed solùm desiderium electionis, & oblatio, ac proindè de facto illi Regnum, aut ius in Regnum non contulerunt. Tùm denique, quia ipse Christus non acceptauit, sed recusauit Regnum, fugiens in montem; ergo etiam si electio fuisset valida nullum ius in Regnum ei contulisset, impeditum à renunciatione ipsius electi. His suppositis sit.

Conclusio. Christus à primo instanti suæ Conceptionis fuit verus Rex, & Monarcha totius orbis, habens ius super omnes alios Reges, immò per se directè habuit vniuersale excellens dominium in omnes res creatas, etiam Angelos, & homines. Hæc conclusio est omnium Doctorum pro secunda sententia Catholica à nobis relatorum, & illam expressè docuit Diuus Thomas pluribus in locis, specialiter tertia parte qu. 59. art. 4. vbi in corpore sic habet: [Si verò loquamur de Christo secundùm naturam humanam, sic etiam manifestum est, quod omnes res humanæ subduntur eius iudicio, & in solutione ad primum docet, quod iudiciaria potestas consequitur Regiam dignitatem, & quod Christus quamuis fuerit Rex constitutus à Deo, non tamen in terris viuens terrenum Regnum temporaliter administrare voluit, vndè & ipse dicit Ioannis 18. Regnum meum non est de hoc mundo,] Sic sentit ergo Sanctus Thomas, quod Christus fuit Rex constitutus à Deo, quamuis terrenum Regnum temporaliter administrare noluerit, cum quo stat, iuxtà sensum Sancti Thomæ, quod fuerit Rex temporalis. Hoc expressiùs docuit opusculo de regimine principum lib. 3. cap. 3. & deinceps, vbi ex professo probat vtrumque dominium, tam spirituale, quàm temporale fuisse in Christo Domino, & hoc pluribus rationibus, quas infra adducemus.

Cardinalis Bellarminus videns ita clarè docuisse hanc veritatem Sanctum Doctorem in dicto opusculo de regimine principum, ne ipse admittat Thomistici discipulatus honorem contendit Diuum Thomam priuare, vno ex doctioribus opusculis Sancti Doctoris affirmans ipsum non fuisse Diui Thomæ, quod nititur probare, tùm quia non sapit modum loquendi, & docendi Diui Thomæ, tùm etiam, nam videtur hoc opusculum inchoatum fuisse 29. annis post obitum Diui Thomæ, vt patet ex 20. cap. lib. 3. huius opusculi, vbi mentionem facit trium Imperatorum, scilicet Rodulphi, Alberti, & Adulphi, quorum duo vltimi non floruerunt tempore Sancti Doctoris, Rodulphus enim solù florebat anno 1273. & Sanctus Thomas mortuus est anno 1274. Albertus verò Rodulpho successit anno 1292. & post illum Adulphus anno 1299. ergo Auctor huius opusculi non potuit esse Diuus Tho-

Thomas. Limitat hanc sententiam Bellarmini Paulus Frigerius in vita Sancti Doctoris lib. 1. cap. 10. num. 7. vbi ait, [fuisse indubitanter illud opusculum Diui Thomæ, vsque ad medium 4. cap. 2. lib. ad illa illa verba, opportunum est igitur in conuersatione humana modicum delectationis pro condimento habere, &c.] tamen ab eo loco vsque ad finem opusculi, quod scriptum censet à Tolomeo Lucensi nostri Ordinis Prædicatorum, non esse Sancti Doctoris, quod dictum ipse nō ex alio probat, nisi ex manuscripto sibi ad legendum tradito ab Alex. VII. vbi hoc notatur.

Cæterum totum opusculum de regimine principum fuisse à Diuo Thoma elaboratum est luce meridiana clarius, & docetur communiter à nostris Thomistis, specialiter à Sancto Antonino in 3. parte dist. tit. 18. cap. 1. Trithemio lib. 2. de oper. Diui Thomæ pag. 46. [Ioanne Garzone, apud legendam de viris illustribus Castigio, Nazario, Sebastiano Maccio, Vincentio de Grossis in commentarijs ad dictum opusculum.] Immò, & quod pluris est, hoc fatentur Caietanus fidelissimus Diui Thomæ interpres, ac in eius doctrina, & stylo versatissimus, & socius Diui Thomæ Beatus Reginaldus relatus à Flaminio in catalogo, vndè in impressione Romana iussu beati Pij V. edita inter legitima, & indubitata opuscula Diui Thomæ reponitur.

Et quod totum opusculum fuerit conscriptum ab Angelico Præceptore, & non vsque ad locum præfixum à Paulo Frigerio insolubili argumento probatur, nam in cap. 19. & 20. lib. 3. & cap. 8. lib. 4. Diuus Thomas ait: [Per Gregorium V. similiter genere Theutonicum prouisa est electio, vt videlicèt per septem principes Alemaniæ fiat, quæ vsque ad ista tempora perseuerat, quod est spatium 270. annorum,] ex quibus verbis sic formatur argumentum secundùm Historiatores facta fuit illa prouisio à Summo Pontifice Gregorio V. anno Domini 996. vel, vt ait, Cardinalis Baronius 1002. aut ex Pannino 1003. quibus additis 270. resultat annus, in quo capitulum illud scribebat Diuus Thomas, vel secundùm primam sententiam 1266. vel secundùm alios 1271. & 1273. cùmque Diuus Thomas obierit anno 1274. sine dubio sequitur, quod scripta sunt illa capitula viuente Diuo Thoma, ac proindè non subsistit dictum Patris Frigerij affirmantis incepisse quidem hoc opusculum Sanctum Thomam, sed morte præuentum non perfecisse, nisi vsque ad caput quartum secundi libri.

Ex quibus constat non potuisse Diuum Thomam ponere illa exempla Adulphi, & Alberti, qui multo tempore post obitum Diui Thomæ floruerunt; dicendum ergo est illa verba ex margine, in quo fuerant ab aliquo posteriore Auctore, apposita in textu irrepsisse ex ignauia Impressorum cùm manifestè appareat ex nunc dictis illud opusculum, conscriptum fuisse multo tempore antequam florerent illi tres Imperatores, nempè anno 1267. aut ad summum 1273. quod confirmatur ex cap. 8. 4. lib. vbi Auctor hæc habet, vt narrant Historiæ, iam ter Populata est illa Insula de præfata gente (& loquitur de Gallis populantibus Siciliam) primò nempè tempore Caroli Magni. Secundò ad 300. annos tempore Roberti Viscardi, & temporibus nostris, per Regem Carolum, ex quibus sic arguitur, iste Rex Carolus florebat anno Domini 1265. nam aduocatus fuit contra Manfredum Ecclesiæ hostem, & Siciliæ Regem à Clemente IV. qui sedit ab anno 1265. ad annum 1268. & obtenta victoria contra prædictum Tyrannum obtinuit, & Regnum Siciliæ ab eodem Clemente, vt obseruat Ciacconius, ac proindè conscriptum fuit etiam, quoad quartum librum viuente Diuo Thoma, & multo tempore antè Imperium prædictorum Imperatorum.

Quod autem ait Bellarminus non sapere hoc opusculum methodum Diui Thomæ, nescio quo fundamento hoc dicat, nam cum in hoc opusculo, sicut in cæteris operibus Diui Thomæ reperiantur dotes scriptis Diui Thomæ attributæ, scilicet veritas sententiarum, proprietas sermonis, & claritas, non est, cur non sapiat methodum Diui Thomæ; & mihi sufficit talem apparuisse Cardinali Caietano sine dubio in doctrina Diui Thomæ magis perito, & fideliori Discipulo, vt potè lacte purissimo doctrinæ Thomisticæ enutrito, & hæc satis dicta ad non dicenda scripta Sancti Doctoris.

Deindè probatur ex auctoritatibus Sacræ Scripturæ; tùm ex illo Isaiæ cap. 9. vbi dicitur: [Super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit, vt confirmet illud amodo, & vsque in sempiternum.] Tùm ex illo Psalmi 144. [Regnum tuum, Regnum omnium sæculorum.] Tùm denique dimissis alijs, ex celebri illa prophetia Danielis cap. 2. de statua visa à Nabuchodonosor, in qua secundùm Diuos Hieronymum, Augustinum, & Thomam significabantur quatuor Monarchiæ, scilicet in eius capite aureo, Monarchia Assyriorum, in eius pectore, & brachijs argenteis Monarchia Medorum, & Persarum: in eius ventre, & femore æneo, Græcorum Monarchia; ac denique in tibijs, & pedibus partim ferreis, partim fictilibus, Romanorum Monarchia designabatur, abscissus tamen lapis de monte sine manibus, per quem Christus significatur, dedit in pedibus luteis, & statuam proiecit, & omnes eius partes contriuit, postque sic de Monarchia Ecclesiastica Christi Domini habet Propheta: [Sed post hæc suscitabit Dominus Deus Regnum Cœli, quod in æternum non dissipabitur, & Regnum eius alteri non tradetur, comminuetque vniuersa Regna, & ipsum stabit in æternum.]

Dices cum Caluino istas auctoritates tantùm probare Regnum Christi spiriritu ale, & probat, quia æternitas, quam apud Danielem Angelus Christi personæ tribuit, meritò Angelus idem apud Lucam saluti populi accommodat, quæ non de alio, quàm de Christo possunt attribui quidquid aliud terrenum est, atque mūdi temporale, immò etiam caducum esse cernimus, ergo Christus, vt spem in Cœlos nostram attollat, Regnum suum pronunciat non esse ex hoc mundo, ita Caluinus institutionum lib. 2. cap. 14. immò, & Cardinalis Bellarminus, & Magister Soto prophetias allegatas existimarunt solùm loqui de Regno spirituali, non verò de Regno terreno, & temporali, quia nec est Regnum Cœli, nec est æternum.

Sed

Sed contra est id, quod habet Diuus Thomas lib. 3. opusc. de regimine Principum cap. 13. illis verbis: [Christus Deus, & homo est, vndè eius principatus æterno coniungitur, & in eo circulus dominij completur à puncto ad punctum in Christi principatu, percussis hominum motibus, quilibet terminatur principatus, sicut in re immobili, vltra quam non est motus; vndè supra dictum est, omne dominium esse à Deo, & ad Deum in persona Christi debet reduci.] Ille. Ex quibus sic formatur argumentum, esto temporale, & æternum spirituale, & corporale terrenum, & Cœleste opponantur nihilominus Regnum terrenum, & temporale famulatiuè, obsecutiuè, ac ministerialiter inseruit spirituali, æterno, & Cœlesti Regno, sit vt sicut phantasia in actu, quia ministerialiter inseruit intellectui, habeat vim cogitatiuæ, & generaliter supremum infimi attingat infima supremi, ita pariter ciuilis potestas, quia ministerialiter inseruit spirituali, & maximè, vt subsitat agenti superioris ordinis, qualis est Christus, posita in suprema sui, habet ius spiritualis Regni, & Cœlestis, & æterni, non quidem, quod æternum simpliciter sit, sed vsque ad renouationem mundi, quomodo etiam spirituale censetur æternum, vt docet Diuus Thomas loco supra citato, quapropter secundùm Diuum Gregorium hom. 38. in Matth. præsens Ecclesia, Regnum Cœlorum dicitur.

Et confirmatur alijs locis Sacræ Scripturæ, in quibus continetur, & comprobatur vtriusque potestatis excellentia dominij, scilicet spiritualis primò, & temporalis ministerialiter Christi hominis, vt sunt illa Canticorum 3. [Filiæ Sion venite, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua;] in qua, iuxtà Sanctorum Patrum expositionem, quasi latens in humanitate, Regia dignitas in diademate explicatur, & illud Psalmi 2. [Ego constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.] Et illud Prouerb. 2. [Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.] Et illud Apocal. 3. [Ego vici, & sedi in throno patris mei.] Ac denique illud Hieremi 23. [Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & Iustitiam in terra.] Et Isaiæ 60. [Super te Hierusalem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui;] in quibus Prophetæ Christi Domini aduentum, & Regnum dixerunt, non solùm spirituale, sed etiam temporale, cùm iudicium & iustitia in terra egent ministerio facultatis temporalis, quapropter Diuus Thomas loco citato docet, quod nato Christo, iurisdictio temporalis existebat in ipso, & in Cæsare Augusto solùm, quasi in eius vicesgerente, executio, & ministerium, quia (ait ipse) ille natus erat, qui erat mundi Dominus, & Monarcha, cuius vices gerebat Augustus; licèt non intelligens.] Hinc ad explicandam vastitatem eius Imperij, dicitur psal. 71. [Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei. Et Zachariæ 11. Ecce Rex tuus veniet tibi, dominium eius à mari vsque ad mare.]

Idem etiam probatur ex nouo testamento, specialiter ex illo Matthæi 28. [Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra;] vbi per ly mihi, vt docet D. Thomas 3. par. quæst. 2. & de regimine principum libro 3. cap. 12. non refert personam Christi, quatenus est terminus naturæ diuinæ, sed gerit vices proprij termini naturæ humanæ, & per ly omnis potestas, intelligitur potestas tàm Regia, quàm Sacerdotalis circa omnia, cùm signum vniuersale omnes includat, scilicet omnem potestatem, & iurisdictionem Sacerdotalem Propheticam, & Regalem, tam potestatem spiritualem, qui enim dicit omnis, vt ait Paulus ad Hebræos 2. exponens illud psalmi 8. [Omnia subiecisti sub pedibus eius, in eo, quod omnia subiecit, nihil omisit non subiectum, & ad Corinth. 15. Solum Deum ab illo vniuersali excludens ait, cum dicit omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia.

Hinc Christus Ioannis 13. dixit: [Quia omnia dedit ei Pater in manus.] Et Lucæ 10. [Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.] Et ad Hebræos 1. [Quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit, & secula.] Quæ omnia in vniuersali ponuntur, vt vtramque potestatem spiritualem, & temporalem à Deo Christum Dominum habuisse intelligatur.

Et confirmatur ex illo Ioannis 13. vbi Christus Apostolis dixit: [Vos vocatis me Magister, & Dominus, & benedicitis, sum etenim.] Sed si Christus non esset in quantùm homo verè Dominus, & Rex, non potuisset sic dicere: ergo in quantùm homo, fuit verè Dominus, & Rex.

Denique ex nouo testamento probatur Apocal. 1. Vbi Christus dicitur [Princeps Regum terræ,] & cap. 19. in quo habetur, quod Christus habebat scriptum in vestimento, & in femore; [Rex Regum, & Dominus dominantium,] Vbi per ly vestimento, & in femore significatur, quod hoc ei competebat non solùm secundùm Diuinitatem, sed etiam secundùm humanitatem, sed hæc nomina Rex, princeps, & Dominus in propria, & ex sua primaria impositione significant Regem, principem, & Dominum temporalem, ergo de Regia dignitate temporali loquuntur sacræ Scripturæ.

Deindè probatur ratione desumpta ex Diuo Thoma loco supra citato, Christus Dominus est naturalis Dei filius, ergo hæres Dei, non solùm in quantùm Deus, sed etiam in quantùm homo, quia sunt filij, hæreditario iure, quæ patris sunt, ergo cùm Deus sit Dominus, & Rex vniuersi, Christus etiam, in quantùm homo, dominium, & Regnum super totum vniuersum habebit. Primum antecedens, præterquamquod certissimum est, ex opposita propositione damnata ab Adriano I. epistola ad Episcopos Hispaniæ, & in Concilio Francfordiensi in epistola ad eosdem Episcopos contra Elipandum Archiepiscopum Toletanum, & Felicem Episcopum Vrgelitanum. Probatur ratione, qua optimè illud demonstrat Diuus Thomas 3. par. quæst. 23. art. 3. filius naturalis est; qui gi-

gnitus, nec est antè generationem, adoptiuus autem supponitur esse antè adoptionem, ille non est extraneus patri, qui verò adoptatur, supponitur alienus à patre, sed Christus Dominus tunc fuit, quando verbum caro factum est, & per talem vnionem simul fuit homo, & Deus, ergo non potuit adoptari. Tum secundò; nam in Christo non est alia persona, vel hypostasis, quàm increata, & Diuina, cui conuenit filiatio naturalis, persona enim verbi procedit à patre, vt filius naturalis, ergo cùm filiatio adoptiua non solùm non supponat, Sed opponatur filiationi naturali, non potest esse filius adoptiuus, & naturalis, quod si filius, (vt innuit Paulus ad Galatas 4.) & hæres.

Confirmatur hoc primò, Christus constitutus est à Patre Redemptor, & Reparator totius orbis, ergo est Dominus, & Rex, ac Monarcha vniuersi orbis, patet hæc consequentia, nam sicut Deus, quia mundum istum ex nihilo creauit, & condidit, supremum habet in vniuerso dominium, ita quia Christus Dominus lapsum mundum erexit, & captiuum redemit, erit totius Dominus, & Rex, quam rationem indicat sanctus Bernardus libro 3. de considerat. Eugenium.

Confirmatur secundò, Christus, vt homo, constitutus erat caput hominum, & Angelorum, sed hæc dignitas, & excellentia singularis sibi vendicat, vt polleat supremo iure Regis, ac Monarchæ, ergo. Itaque tota radix supremæ potestatis Regiæ in Christo Domino est vnio hypostatica, ratione cuius, sicut connaturaliter debebantur excellentiæ, & priuilegia alia quamplura, vt potestas patrandi miracula, plenitudo totius scientiæ, visio clara Dei dignitas capitis, & alia huiusmodi ita connaturaliter ei debetur ius Regium, & supremum dominium totius vniuersi. Hoc supposito.

Respondeo ad argumentum positum in principio negando minorem, vt enim probatum remanet, Christus Dominus non solùm habuit dominium, & Regnum spirituale, sed etiam temporale. Ad primam probationem, respondeo ex illo loco tantùm probari, Christum non habuisse in hac vita exercitium dominij temporalis, non autem quod non habuisset ius Regium, & Regnum temporale.

Ad secundam desumptam ex Isaia, dico in Isaia, vtrumque Regnum Christi, & spirituale, & temporale reperiri, quia licèt in illis verbis loquatur de Regno spirituali, in alijs tamen loquutus, vt de Regno temporali, vt visum est supra.

Ad tertiam ex Bellarmino iam diximus non ex illis titulis ius Regium, sed ex alijs titulis, specialiter ex duplici titulo, scilicet quia filius Dei naturalis est, ac proinde Rex, & Dominus omnium, sicut Pater, cuius est hæres, & filius, & titulo redemptionis, quatenus suo pretiosissimo sanguine totum vniuersum redemit.

Ad quartam dicimus, Christum noluisse exercitium Regni in hac vita, & quia Iudæi rapere eum volebant, vt facerent eum Regem vt bellaret contra Herodem tyrannum, ideò ne exerceret temporaliter hoc ius Regium, quod iam habebat, fugit in montem, & idem dicimus de responsione facta Pilato, quando dixit: [Regnum meum non est de hoc mundo;] Loquutus est enim de exercitio Regni non verò de iure regnandi, quod patet ex consequentibus, ait enim: [Quod si Regnum meum esset de hoc mundo ministri mei vtique decertarent, &c.] Quod pertinet non ad ius Regium, sed ad exercitium talis iuris.

Ad vltimam probationem desumptam ex Vasquez dico, legem illam ab eo adductam loqui de duobus Dominis æqualibus, & eiusdem rationis, atque ordinis, tunc enim sequeretur inconueniens in argumento adducto, nam tunc vnusquisque Dominus vtilitatem requireret, ex eadem re, id autem non requiritur in casu præsenti, quia Christus Dominus non habet dominium illud proximum, & in exercitio, quod reliquit mundi Regibus, & Dominis, & sicut supremum dominium Dei non impedit dominium Regum & hominum, ita & dominium supremum Christi.

Sed instabis ex Caluino, & alijs, Christus fuit verè pauper, non solùm quoad vsum, sed etiam quoad dominium, quod probant Catholici, tum ex Sancto Bonauentura libro de paupertate Christi, tum ex Nicolao III. in capitulo exijt, de verborum significat. in sexto, vbi dicitur: [Christum docuisse verbo, & exemplo paupertatem Religiosorum, quæ caret omni dominio;] Idem etiam habetur ex Clemente V. in Clementina exiui de verbor. signif.

Respondeo cum Bannez, Cabrera, Eminentissimo Capisuccho, & alijs, quod vt dictum est Christo dominium Regium debitum fuit ratione filiationis Dei naturalis, & ratione redemptionis, vndè non potest dici superuacaneum, & inutile, cùm sit Deo connaturale, licèt ad persuadendum contemptum diuitiarum, noluit vsum, & exercitium talis dominij, immò, vt benè notat Molina, Si Christo, vt homini, hoc dominium non competeret, non esset ita eius paupertas mirabilis, nec eius exemplo illam commendaret: quippè vt dicitur Sapient. cap. 3. [Quis est hic, & laudabimus eum, qui potuit transgredi, & non est transgressus.] Ait enim Apostolus 2. ad Corint. 8. [Scitis gratia Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia nos diuites essemus.] Vnde posito dominio quoad ius, & non quoad vsum, & exercitium, apponitur nobis optimum exemplum diuitias contemnendi.

Sed objicies primò, perfectior est paupertas, quæ abdicat, non solùm vsum, sed dominium, & ius ad res ipsas, sed perfectior paupertas à nobis poni debet in Christo, ergo hæc ponenda est, & non solùm illa. Tum secundò, nam frustatoria est illa potestas, quæ numquam reducenda est ad exercitium, sed in Christo Domino talis potestas numquam reducenda est ad exercitium, ergo. Tum denique Christus Dominus (arguit Caluinus) venit omnibus persuadere contemptum gloriæ delitiarum, & diuitiarum, quibus maximè affluunt Reges huius seculi, iuxta illud Matthæi 11. [Qui enim mollibus vestiuntur,

in

in domibus Regum sunt:] Ergo indecens, & inutile talis potestas temporalis foret, si in Christo fuisset.

Respondeo distinguendo maiorem, perfectio est in nobis, concedo maiorem, in Christo Domino, nego maiorem, & distinguo minorem, paupertas perfectissima, quæ decet homines puros, nego minorem, quæ decet Christum, transeat minor, & nego consequentiam, dico enim, ideò in nobis fore perfectiorem paupertatem, abdicantem non solùm vsum, sed etiam dominium, & ius, quia ex tali dominio periculum imminet, ne inordinato affectu erga temporalia feramur, & sic impediamur à Dei amore, & perfectione acquirenda, in Christo autem non sic, quia iam perfectus erat, ac firmatus immobiliter in Dei amore, immò in hoc maximum nobis exemplum dedit humilitatis, & paupertatis, quod noluit vti potestate, & dominio, quod habebat vitium enim, & virtus, circa diuitias, & potestates temporales, non in earum dominio, sed in illarum vsu consistit.

Ad secundam instantiam respondeo, quod sicut non dicuntur superflua in Christo scientia, & artes practicæ, etiam si illis numquam fuerit vsus, ita non reputatur frustratoria, & superuacanea potestas, illa Regia super omnia creata, & si numquam reducenda foret ad exercitium, & vsum, quia ista erat perfectio debita Christo, tamquam filio Dei naturali. Præterquam, quod nec talis potestas fuit in Christo omninò, absque aliquo actu, nam, vt notat Eminentissimus Capisucchus, ea fuit aliquando vsus Christus Dominus, vt cum misit dæmones in gregem porcorum Matth. 8. [Cum maledixit ficulneæ, & aruit Matthæi 21. Cum imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas,] imò cum iam duceretur captiuus à Iudæis, imperauit eis, vt illæsos Discipulos suos dimitterent, & obtemperarunt.

Ad tertiam respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam, imò ad persuadendum contemptum gloriæ diuitiarum, & opum maximè conducebat ius illud, ac Dominium Christi in Reges, ac res omnes creatas, cùm tale ius, & dominium voluntariè in illo ab vsu, & actu secundò præcisum fuerit; hoc enim maximè commendabat exemplum voluntariæ paupertatis, & abiectionis Christi, non enim esset ita commendabilis ipsius paupertas, & humilitas, si non habens hoc dominium, & ius, omisisset administrationem Regnorum, & rerum temporalium, non voluntariè, sed quia sine iniustitia illam vsurpare non potuisset.

§. V.

Aliqua ex dictis inferuntur.

EX dictis huc vsque in hoc dubio colligo primò, Papam non habere iure Pontificatus iurisdictionem in temporalibus, vt dicatur Dominus totius orbis, sicut nec assumere potest ob eandem iurisdictionem nomen Regis, vel Imperatoris. Prima pars huius corolarij probatur: Nihil potest conuenire Romano Pontifici ratione, & iure Apostolici Principatus, quod Petro, cuius est successor, competere non potest, imò fuit interdictum; sed dominatus in temporalibus fuit interdictus Petro à Christo Domino, sicut & cæteris Apostolis Matth. 20. illis verbis: [Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos; non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, &c.] quæ verba ita exposuit Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium: [Nam quid tibi aliud dimisit Sanctus Apostolus, quod habeo (inquit) tibi do. Quid illud? vnum scio, non est aurum, nec argentum, cùm ipse dicat, argentum, & aurum non est mecum, esto vt alia quacumque ratione hoc tibi vendices, sed non Apostolico iure, nequit enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit, quod habuit, dedit sollicitudinem, vt dixit super Ecclesias; numquid dominationem, audi ipsum non dominantes autem in Clero, sed forma facti gregis. Et infra: Etsi in agrum æger mundus est, tibi creditus est, etsi in illum, non sicut Dominus; sed tanquam villicus videre, & probare, vnde exigendus es, reddere rationem.]

Secunda verò pars patet ex prima, quia si non potest dici Dominus totius orbis à fortiori, nec Rex, nec Imperator, vnde Nicolaus Papa in cap. cum ad verum dist. 96. habet [Cum ad verum ventum est vltra sibi, nec Imperator iura pontificatus eripiat, nec Pontifex nomen Imperatoris sibi vsurpet, &c.]

Secundò colligo Romanum Pontificem, non ita habere iurisdictionem plenariam in temporalibus, vt sicut omnes dignitates Ecclesiasticas à Sede Apostolica pendere dicuntur ab ea iurisdictionem sumentes, ita principatus, & iurisdictiones Regum, & principum secularium dependeant ab ea, ac proindè non potest de feudis principum secularium, aut de possessionibus eorum directè iudicare, vel se intromittere regulariter. Prima pars probatur auctoritate Ioannis Pontificis in cap. si Imperator dist. 96. illis verbis: [Si Imperator Catholicus est, filius est, non Præsul Ecclesiæ, quod ad Religionem competit discere, ei competit nō docere, habeat priuilegium potestatis suæ, quo administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est] vbi Glossa subiungit: [Ergo non à Papa; imperium enim à solo Deo est.] Hoc idem confitetur Innocentius Papa III. in capite quæsitum 21. qu. 4. & in cap. solitæ de maioritate, & obedientia, vbi habet: [Quod fecit Deus duo luminaria magna in firmamento Cœli, hoc est vniuersalis Ecclesiæ duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis Maiestas.] Et probatur ratione, nullum prius, vt prius est, dependet in esse à suo posteriori; sed potestas principum secularium præcedit tempore papatum, seu potestatem Principatus Apostolici, ergo non potest dici cum veritate, quod illa in esse dependeat, & originetur ab ista; maior est per se nota, minor verò probatur, tùm quia [non prius quod spirituale, sed quod animale est] 1. ad Corinthios 15. sed potestas secularis ad partem animalem pertinet, potestas Sedis Apostolicæ ad partem spiritualem, ergo. Tùm etiam,

nam

nam priùs fuerunt Reges, Imperatores, quàm fuiſſet Papa, vel quàm Petrus recepiſſet claues Regni Cœlorum, vt de ſe manifeſtum eſt, ergo tempore illa poteſtas præcedit iſtam. Tùm denique, nam aliàs omnes Principes Chriſtiani, qui ſua dominia non recognoſcunt à Romano Pontifice, vt Rex Franciæ, teſte Innocentio III. capite per venerabilem, qui fi. ſint leg. non eſſent in ſtatu ſalutis, cùm bona fide illa non poſſideant, quod eſſet totum mundũ conturbare.

Secunda pars probatur, tùm quia ſequitur ex prima, ſi enim illa iuriſdictio temporalis non deriuatur, nec dependet à Pontifice, non poteſt Pontifex ſe intromittere in cauſis Principum ſecularium circa feuda, & poſſeſſiones ipſorum. Tum etiam auctoritate Innocentij III. in cap. nouit extra de iud. illis verbis: [Non enim interdicimus iudicare de feudo, cuius ad ipſum ſpectat Iudicium, niſi fortè iure communi per ſpeciale priuilegium, vel contrariam conſuetudinem aliquid ſit detractum; Et ex Alexandro III. extra qui fil. ſint leg. ibi: Nos attendentes, quod ad Reges pertinet, non ad Eccleſiam de talibus poſſeſſionibus iudicare, ne videamur iuri Regij Anglicorum detrahere, &c.] Vndè Bernardus ad Eugenium Papam in lib. de conſideratione ſic ſcribit: In criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra, propter illa, ſiquidem has accepiſti claues Regni Cœlorum. Et poſt aliqua ſubiungit: Habent, & infima terrena Iudices ſuos Reges, & Principes terræ.]

Ex quo inſuper colligo tertiò non poſſe regulariter, & paſſim in iudicijs temporalibus appellari à quocumque Iudice ſeculari ad Summum Ponti ficem, quod patet, tùm ex dictis, nam tunc poteſt ab vno Tribunali ad aliud appellari, quando ad vtrumque immediatè, ſeù mediatè pertinet de illa re iudicare, ergo cùm non pertineat ad Papam iudicare paſſim, & regulariter circa bona temporalia, non licet paſſim, & regulariter appellare à Tribunali ſeculari ad Tribunal Eccleſiaſticum, etiam Papale. Tum etiam ex auctoritate Alexandri Papæ, qui in cap. ſi duobus extra de appellatione acquiſitum. [Si à ciuili Iudice antè, vel poſt iudicium ad Papam appellatum fuerit, an talis appellatio teneat; reſpondet: Tenet quidem in his, qui ſunt temporali iuriſdictione ſubiecti, in alijs verò, & ſi de conſuetudine Eccleſiæ teneat; ſecundùm iuris rigorem credimus non tenere,] ergo, &c.

Colligo quartò, non poſſe Papam ſua plenaria iuriſdictione in temporalibus, ita vti, ſicut in ſpiritualibus, vnde ſicut deponere poteſt Prælatum Eccleſiaſticum, etiam ſinè ſua culpa, ita poſſit deponere Principem ſecularem. [Eſto enim (ait Petrus de Palude lib. de poteſtate Eccleſiaſtica) Papa poſſit deponere Principem laicum, & Prælatum Eccleſiaſticum, non tamen æqualiter, quia Principem laicum, ſiuè Vaſſallum, ſiuè extraneum non poteſt deponere ſinè iuſta, & rationabili cauſa, puta quod ille ſit indignus tali Principatu, ſed ob tyrannidem, vel infidelitatem, vel etiam ignauiam meruerit priuari, & ſi ſinè tali cauſa priuat, peccat non ſolùm conando, ſed etiam nihil agit priuando, ſicut non valet ſententia lata à non ſuo Iudice competente. Sed in Prælatis Eccleſiæ ſecus eſt, quia non ſunt Domini, ſed Procuratores, vt ſicut adminiſtrator ſuperior, qui plenam poteſtatem habet, poteſt inſtituere, & deſtituere inferiores, & adminiſtratores, & tenet quidquid facit, etiam quando minus bonus inſtituit, & in hoc ipſe peccet, ita Papa deponendo perſonas Eccleſiaſticas, licèt peccet, niſi pro meliori Eccleſiæ hoc faciat, tenet tamen, quod facit.] Ille. Secus autem in Principibus laicis, qui ſunt veri Domini illius, quod habent, vndè cùm res ſua non eſt alicui auferenda ſinè culpa, nec feudum à Vaſſallo, nec aliquid, quod aliquis à nullo alio habet, poteſt ſinè ſua culpa auferre.

Colligo quintò Summum Pontificem tantùm indirectè, & in ordine ad bonum ſpirituale habere illam ſummam poteſtatem, vt ſupra probauimus, diſponendi de temporalibus rebus omnium Chriſtianorum; ità omnes Catholici vno, vel altero excepto, & probo, & ſimul explico ſic corollarium nobiliſſimo exemplo ex Gregorio Nazianzeno [in oratione ad Populum timore perculſum,] cum enim reperiuntur in homine ſpiritus, & caro, ita in Eccleſia ſunt illæ duæ poteſtates, & ſicut ſunt caro ſenſus, & appetitus, quibus correſpondent actus proportionatus, cum ſuis obiectis, qui habent ſanitatem, & bonam conſtitutionem corporis pro vniuerſali, & immediato fine, ita ſpiritus ſimiliter habet intellectum, & voluntatem, & actus, ac obiecta proportionata, & pro fine animæ proportionem, & tamen neutrum eſt præcisè propter alterum, cùm vnum ſinè altero poteſt inueniri, reperitur enim caro ſinè ſpiritu in brutis, & ſpiritus ſinè carne in Angelis; Tamen quia inuenitur etiam in homine caro adiuncta ſpiritui, vbi cum vna perſona faciant, neceſſariam habere debent ſubordinationem, & connexionem ad inuicem, caro ergo ſubeſt, ſpiritus præeſt, ita tamen, quod ſpiritus non ſe miſceat actionibus carnis, ſed ſinit eam exercere ſua opera, quando non officiunt fini ipſius ſpiritus, non quando officiunt, ſpiritus carni imperat, eamque coercet, & caſtigat indicendo ieiunium, aliaſque afflictiones, cogit linguam, ne loquatur, & oculos ne videant, imò ſi ad finem ſpiritus obtinendum neceſſaria ſit aliqua carnis tribulatio, etiam ipſa mors eam ſpiritus carni imperare poteſt, vt ſe exponat, vt patet in Martyribus. Ita pariformiter philoſophandum eſt in præſenti, duplex enim poteſtas datur in mundo, altera ſpiritualis, altera temporalis iſta directè pertinet ad Principes ſeculares, & Reges, illa ſcilicet ſpiritualis ad Summum Pontificem, & vna per ſe non ſe miſcet in negotijs alterius, licèt vna, ſcilicet temporalis, ſeù politica ſubdita ſit alteri, ſcilicet ſpirituali, ſi autem temporalia officiunt fini ſpirituali, aut ſint neceſſaria ad eum conſequendum, tunc ſpiritualis poteſtas poteſt coercere temporalem, & ſe extendere omni ratione hac via, quæ ad id neceſſaria eſt, & ſi opus eſt temporales poſſeſſiones auferre, Regna ab vno ad alium dominium transferre, leges mutare, tanquam ſuprema Domina orbis.

Hinc optima eſt regula, quam tradit gloſſa ad caput poſſeſſor de regulis iuris in 6. ſci-

scilicet, quando de eadem re contrariæ inueniuntur leges Imperatoria, & Pontificia, si materia legis est res concernens animarum periculum, lex Imperatoria, per Pontificiam abrogatur, quapropter, vt infra dicemus in tractatu de legibus lex Imperatoria præscribendi per spatium triginta, vel quadraginta annorum, etiam cum mala fide, quæ non poterat sinè peccato mortali seruari, fuit abrogata per legem pontificiam, quæ habetur in capite finali de præscriptionibus.

§. Vlt.

Probatur contra Caluinum non esse contra verbum Dei, quod aliquis sit simul Princeps Ecclesiasticus, & Politicus.

EX doctrina huc vsque posita impugnandus venit Caluinus circa ea, quæ contra Romanum Pontificem frontosa temeritate stabilire conatur lib. 4. institutionum capitulo 11. quod de Ecclesiæ iurisdictione, eiusque abusu qualis cernitur in Papatu ab ipso describitur, & vt mittamus ea, quæ contumeliosa, ac calumniosa contra Sanctam Sedem diabolicè euomit, nè respondeamus stulto, iuxtà stultitiam suam, tria tantùm, quoad præsens pertinent, impugnabimus, primum est omnem possessionem Ecclesiasticam esse merè tyrannicè, & latrocinio occupatam. Secundùm etiam si iusto titulo haberet non posse illam iure retinere, quia pugnat cum Principatu spirituali. Ac tertium denique, nec ipsam potestatem spiritualem, penès vnum esse, vt pro sua libidine quid vult agat, sed penès consessum seniorum, qui sunt in Ecclesia, quod in vrbe est senatus, contra quos errores stabilienda est Catholica veritas.

Dico ergo primò, Summum Pontificem iure optimo principatum temporalem, quem vocant patrimonium Sancti Petri possidere, quod facili negotio probatur, tùm quia dono Imperatorum, & Principum habuit, nam vt scribit Ado in Cronica anni 727. Pipinus Rex Rauennam, totamque Pentapolim Sanctis Apostolis Petro, & Paulo tradidit, tùm etiam nam vt habetur in dec. dist. 63. Ludouicus I. Caroli Magni filius, & Romanorum Imperator confirmauit Summo Pontifici Paschali, & successoribus eius in perpetuum omnia iura circa Romanam Ciuitatem cum Ducatu suo, & suburbanis, & Territorijs eius Montanis & Maritimis, & eius Ciuitatibus, Castellis oppidis, & Villis in Thusciæ partibus; Quod idem affirmat Leo Episcopus Ostiensis in Cronica Cassinensi lib. 1. cap. 9. & lib. 3. cap. 48. ad annum 1079. vbi narrat Methildem Comitissam Liguriam, & Thusciam Prouinciam Gregorio Papæ obtulisse; Ex quo satis constat, quàm turpe mendacium fuit illud, quod habetur in articulis Smalchadicis anno 1537. constitutis Smalcadiæ, vbi asseritur fol. 346. impressionis Lipsiæ anno 1606. [quod à Bonifacio VIII. constitutione, quæ habetur cap. omnes dist. 22. Papæ rapere à se Imperia cœperunt, transtulerunt Regna, vexarunt iniustis excommunicationibus, & bellis ferè omnium nationum Reges in Europa, sed maximè Imperatores Germanos, alios vt occuparent Italicas Ciuitàtes, alios vt Episcopos Germaniæ redigerent in suam seruitutem, & eriperent Imperatoribus collationem.

Hoc inquam solemne mendacium, & iniuriosa calumnia, falsitatis ex supra dictis facillimè conuincitur, nam non solùm pluribus annis, sed etiam seculis Summi Romani Pontifices, hanc iurisdictionem, & potestatem antè tempus Bonifacij I. sinè aliqua contentione, quando ad fidem seruandam, vel mores coercendos necessarium fuit exercentes, Imperatores, & Reges deposuerant, & Regna ab vno, ad alium transtulerant ex communi Historiatorum consensu, supra quam plura exempla adduximus, quæ modò repetere superfluum existimamus.

At frontuosa inuerecundia negat Caluinus institutionū lib. 4. cap. 11. num. 12. historiam Constantini de donatione facta Ecclesię Romanæ non alia ratione, nisi quia Diuus Gregorius scribens Imperatori Serenissimum Dominum ipsum vocat, & se indignum seruum, & quia alibi, scilicet epist. 34. lib. 4. ita legat. [In omnipotenti Deo confido, quod longam pijs Dominis vitam tribuat, & nos sub manu vestra, secundùm suam misericordiam disponet, ex quo infert: Esse manifestum, quàm pueriliter mentiantur Romanenses, cùm terrenum Imperium sui Pontificis asserere conantur. Subiungens: Quod si quis temporum requirat, ex quo commentitium hoc Imperium cœpit emergere, nondum elapsi sunt anni quingenti, cum subiectione Principum adhuc manebant Pontifices, nec Pontifex sinè Imperatoris auctoritate creabatur. Mitto alias iniurias, mendacia, probra, contumelias, & infamias, quas temerarius iste filius diaboli contra Romanum Pontificem, & Ecclesiam Catholicam euomit, nam qui rationibus, & veritate nudus erat, necessarium fuit, vt probris, mendacijs, & falsitatibus se armaret.

Contra ergo pessimum hunc Hæreticum, & peiorem Balaam, non quidem Populum Dei, sed Summum Sacerdotem, & Principem Populi Dei iniurantem, & maledicentem, sic veritate non probris armatus insurgo, & primo hoc argumento antequam ad veritatem historiarum veniamus. Si Pontifex Imperatori subiectus erat potentia seculari destitutus, quibus viribus, & quibus partibus potuit iugum excutere, & Imperatores se dominantes in seruitutem redigere, fortè ne prædicando Populis, vt tui faciunt ad sequelam pessimorum hominum, ad captandam libertatem conscientiæ, tributa non soluere, Regum auctoritatem spernere, omnes æquales esse, nullas pœnas, nulla iudicia, & omnia ad voluntatis arbitrium, & secundùm proprium voluntatis appetitum agere posse, vt sic deprauatorum hominum voluntates ad se attraherent; at contrarium Catholici Romani, & Pontifices docent, strictiorem viam Præceptorum Dei ambulandam esse præcipiunt, temporalibus Dominis obedientiam, legitimis Regibus fidem, & iustitiam, & iudicium

præ-

prædicant; vndè ergo armatorum, & populorum sequelam adepti sunt, vt iugum seruitutis excutere,& Imperium,ac dominationem terrenam sibi potuerunt acquirere.

Quod autem non fabulosa, nec fictitia, vt ex Laurentio Valla eiusdem picis homine, quia sola linguarum eruditione præditus loquacissimo, asserit de donatione Constantini Caluinus, sed veridica sit accipe ex decretali Gratiani prima parte dist.96. §. Constantinus authenticam, ex ipsius Imperatoris verbis donationem: [Vndè,ait, vt Pontificalis apex non vilescat, sed magis, quàm terreni Imperij dignitas, Gloria, & potentia decoretur: Ecce tam Palatium nostrum, quàm Romanam Vrbem, & omnes Italiæ, siuè Occidentalium regionum, prouincias, loca, Ciuitates Beatissimo Pontifici,& vniuersali Papæ Siluestro concedimus, ac relinquimus, & ab eo, & à successoribus eius Prachmaticum constitutum decernimus disponenda, atque iuri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permanenda, vndè conclusum perspeximus nostrum Imperium, & Regni potestatem ab Orientalibus transferri Regionibus,& in Bizantiæ Prouinciæ optimo loco Ciuitatem nomini nostro ædificari, & nostrum illic Imperium constitui: quoniam vbi Principatus Sacerdotum, & Christianæ Religionis Caput ab Imperatore Cœlesti constitutum est, iustum non est, vt illic Imperator terrenus habeat potestatem.] Sic Constantinus pijssimus Princeps honorauit, & ditauit Ecclesiam Romanam amplissimæ Italiæ patrimonio, non ergo fuit rapina, nec tyrannis Romanorum Pontificum, sed pietas, & largitas Christianissimi Imperatoris,quæ Romanam Ecclesiam amplissimo hoc patrimonio ditauit.

At contra opponit Caluinus Diuum Gregorium, quem dicit vnum huius rei,& idoneum, & locupletissimum esse testem, quoties de Imperatoribus loquitur,Serenissimum Dominum vocat,& se indignum eius seruum. Item alibi Sacerdotibus autem non ex terrena potestate Dominus noster citiùs dignetur, sed excellenti consideratione propter eum,cui serui sunt eis, ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat, ex quo infert. [Quàm pueriliter mentiantur Romanenses, cùm terrenum Imperium suo Pontifici asserere conantur.

Sedquis non videat,quàm futilis, & inanis,ne dicam stulta sit hæc Caluini argumentatio, Diuus Gregorius vocat Imperatorem Dominum, & se esse seruum ,ergo fabulosa, & vana fuit Constantini donatio, ergo hæc donatio à pijssimo Imperatore facta, abstulit à Summo Sacerdote vrbanitatem, reuerentiam, & politiam, certè si talis, qualis Papa fuisset in dominio, superbus Caluinus elatus omnes tamquam seruos, & mancipia respiceret, & tractaret, cæterum Romanus Pontifex, quia Vicarius est illius, qui cum esset omnium Dominus se ministrare venisse, & non seruos, sed amicos suos fatetur, non solùm Imperatoris se seruum dicit,sed omnium Seruorum Dei seruum se esse in omni sua subscriptione fatetur. Mirum est autem, quod locum ex Epistola 31.lib.4. ex Gregorio nobis opponat, cùm in illa feruenti spiritu reprehendat Imperatorem Mauritium,quod Sacerdotibus debitum honorem non impendat, & inter cætera hæc ad confutandum Caluinum habet: [Ecclesiastica quoque testatur Historia, quia cùm piæ memoriæ Constantini Principi scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem, qui accusati fuerant, Episcopos conuocans in eorum conspectu libellos quos acceperat incendit, dicens: vos Dij estis à vero Deo constituti; ite & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est, vt nos iudicemus Deos.]

Quod autem effingit Caluinus de subiectione Pontificis Romani Imperatoribus in sua electione infra tractabimus, cùm de electione Pontificis agemus.

Dico secundò, non repugnare Summum Pontificem simul esse Principem spiritualem, & temporalem alicuius Prouinciæ, ita omnes Catholici contra Caluinum loco cit. §.8. & 11.

Et probatur tùm exemplis vtriusque testamenti, & quidem in lege naturæ habemus exemplum in Melchisedech, qui fuit simul Rex, & Summus Sacerdos, vt habetur Genesis 14.& ad Hebræos 7. immò Beatus Hieronymus in quæstionibus Hebraicis super illud Gen esis 49. [Ruben primogenitus meus docet: Omnis primogenitus Patriarcharum erat Rex, & Pontifex, & præerat in his, quæ ad cultum Dei, & ad politicam vitam pertinent.] In lege verò scripta sinè dubio Moyses fuit Summus Princeps temporalis, & Summus Pontifex, ac Sacerdos, nam primum constat Exodi 18. vbi habetur: [Sed Moyses iudicare populum.] Et cap. 32. [Iussit multos ex populo occidi ob peccatum idolatriæ] vt dicitur Exodi 40. Et secundum probatur, tùm quia adoleuit Domino incensum, tùm etiam in Leuitici 8. [Consecrauit Aaron fratrem suum in Sacerdotem, similiter sanctificauit Tabernaculum, & Altare, & obtulit sacrificia,] quæ munera sunt propriè Sacerdotis, vndè Gregorius Nazianzenus in or.ad Gregor.habet:[Moyses Principum Princeps;] & Augustinus quæst.23.in Leuiticum: Ambo, inquit, [Summi Sacerdotes erant, Moyses, & Aaron.

Vidit hoc argumentum Caluinus, & ad illud respondet loco cit.num.8. quod Moyses vtrumque simul sustinuit non semper, sed donec res meliùs componerentur, vbi autem certa forma à Domino præscribitur ciuilis gubernatio, ei relinquitur, & Sacerdotium, iubetur fratri resignare, & meritò, & est enim supra naturam, vt vnus homo vtrique oneri sufficiat, & hæc fuit seculis omnibus diligens obseruatio.

Sed contra arguitur ex Beato Augustino loco supra cit. quæst. 23. in Leuiticum, vbi docet: [Eodem tempore ambos fuisse Pontifices, Moysem, & Aaronem;] ergo falsum est id, quod dicit Caluinus quod ad tempus Moyses fuit Pontifex, tùm etiam nam Moyses deposuit Aaronem,& tamquam Pontifex consecrauit Eleazarum filium Aaronis in locum eius, vt habetur num. 20. Ergo non ad tempus, sed semper, & etiam postquam ad Sacerdotium assumpsit Aaronem, ipse retinuit Summum Sacerdotium. Tùm denique,

que, nam si post Aaronem non poterat in vnam personam simul coire Principatus, & Sacerdotium, non potuisset Eli esse simul Sacerdos, & Princeps, nec Duces Machabæi per annos plusquam centum simul retinere Sacerdotium, & Principatum, at contrarium constat ex sacris literis, vt patet in 1. Regum, & in libris Machabæorum, ergo.

Deindè probatur ratione, non datur aliqua oppositio, vel contrarietas inter potestatem Ecclesiasticam, & politicam, imò vna alteri seruit, & ad alteram ordinatur, ergo non datur ratio, cur esse non possunt simul in eodem subiecto. Probatur hæc consequentia, non solùm sunt diuersa, sed opposita, pax, & bellum, & tamen vnus, & idem Rex potest Senatui, & exercitui præesse ergo multò magis poterit vnus Summus Pontifex retinere vtramque potestatem spiritualem, & temporalem.

Et confirmatur hoc, potest vnus Princeps, vel Rex gubernare plures Ciuitates, imò & exteras Prouincias, & Regna in quibus sint diuersæ leges, statuta, & mores, ergo etiam poterit vnus homo regere spiritualiter, & politicè vnum Principatum, & Episcopatum.

Denique non minus pij, & sancti fuerunt Principes, qui patrimonium, & Principatum Ecclesiæ dederunt, quàm Summi Pontifices, qui simul Principatum, & Episcopatum rexerunt, ergo non fecerunt contra præceptum Christi, qui vtramque potestatem coniunxerunt. Antecedens patet, nam Principes fuerunt, maximè Constantinus, Carolus Magnus, & Ludouicus Pius, de primo habetur apud plures Historicos, quod vt Sanctus ab Ecclesia Græca, teste Cardinali Baronio, citatis Græcorum antiquis monologijs colitur; de secundo ab Ecclesia Gallicana habemus, quod Sanctorum cultu honoratur; & tertius exindè Pius appellatus est, quod puto ab Hæreticis, & Caluino negari non posse, Pontifices etiam Leo IV. miraculis claruit, & vt Sanctus apud Suessanos colitur, Leo I. ab omnibus Scriptoribus Sanctus, vocatur, & miraculis claruit, teste Sigisberto, atque Othone Frisingensi, Gregorius VII. à Laberto Scafnaburgensi Sanctus describitur, Cœlestinus V. Sanctus ab Ecclesia canonizatur, & eius officium solemniter agitur 19. Maij. Similiter Adrianum I. Leonem III. Innocentium III. Pium V. à Scriptoribus vt Sanctos, & pios laudatos, constat vnà cum Pontificatu principatum administrasse, ergo dicendum est non esse contra Euangelium, vel iustitiam in eodem subiecto vtramque potestatem combinare, & exerceri.

Sed contra obijcit Caluinus illud 2. ad Timot. 2. [Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus,] at potestas spiritualis militat Deo, temporalis verò implicat se negotijs secularibus; ergo non possunt conuenire in eadem persona secundùm illud Bernardi lib. de considerat. ad Eugenium; [Cum dicat Dominus, ac Magister se non esse constitutum inter duos Iudicem, non debet Seruo, ac Discipulo indignum videri, si non iudicet vniuersos ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra, quoniam propter illa, non propter has, accepisti claues Regni Celorum. Quænam tibi videtur maior dignitas dimittendi peccata, an prædia diuidendi? Nulla comparatio. Habent hæc infima, & terrena Iudices suos, Reges, & Principes terræ, quid fines alienos inuaditis, &c.]

Tertiò obijcit verba Beati Gregorij lib. 4. epist. 4. vbi dicitur: [Anathema Episcopo, qui iubet alicui agro more fiscali titulum imprimi,] ergo, &c.

Ad primum autem respondeo in illo loco Apostoli negotia secularia non intelligere regimen politicum, sed curam parandi victum, negotiationes, mercimonia, & huiusmodi, quæ omnia prohibet omnibus Ecclesiasticis, sicque Apostolus non prohibet regimen politicum, sed nimiam sollicitudinem circa vitam temporalem, & bona temporalia, Præterquam quod, vt notat Chrysostomus, sententia Pauli dicitur tam Episcopo, quàm alijs hominibus etiam laicis; omnes enim tam laici, quàm Clerici debent esse milites Christi.

Ad secundum dico loqui Diuum Bernardum de Pontifice, secundùm id, quod habet ex Christi constitutione, non verò de eo, quod potest ei conuenire, secundùm quod est Princeps politicus, quod patet, nam paulò ante dixerat, esto, [vt alia quacumque ratione hæc tibi vendices, sed non Apostolico iure, nec enim tibi, &c.] loquitur ergo de eo, quod habet ex Christi constitutione tantùm.

Ad tertium, relicta Bellarmini responsione, quia ex illo videtur sequi tempore Diui Gregorij non habuisse Summum Pontificem Principatum terrenum, cuius oppositum supra probauimus, & ex ipsa epistola citata satis constat, ait enim patrimonium Ecclesiæ habere vrbana, & rustica iura, ac proindè habere feuda, & Principatum; dicimus ergo tantùm voluisse in illo decreto compescere audaciam aliquorum Rectorum patrimonij, qui vi, & potentia, non iudicio, titulos fiscali more imprimebant, sic enim subiunxit, atque hoc, quod competere pauperibus æstimant, non iudicio, sed manibus defendant, & cùm Prædicatores suos veritas dicat, nihil pro contentione agere etiam ipsum litigiosæ contentionis malum transcendunt, & res qualibet cum æstimatur Ecclesiæ posse competere, per vim tenetur; vndè non absolutè vetuit titulos ponere, sed suos spontè ponere vitare.

Dico tertiò, hanc Ecclesiæ potestatem non penès consessum seniorum, qui sunt in Ecclesia, quod in vrbe est Senatus, vt vult Caluinus, sed in vno solo Romano Pontifice esse dicimus, quod probatur, nam vt supra ostensum remanet, Monarchia est illa, in qua potestas regendi, & gubernandi apud vnum est, sed, vt probauimus, Ecclesiastica Dominatio est Monarchica, ergo apud vnum Pontificem esse debet. Quæ, quia supra latè probauimus, repetere nefas est.

Sed arguit contra hoc dictum Caluinus authoritatem Cypriani epist. 14. lib. 3. vbi scribit: [Ab initio Episcopatus mei statui sinè Cleri Concilio, & plebis consensu nihil agere.] Ex quo infert Caluinus hanc fuisse communem: & visitatam rationem, vt per

Senatum Presbyterorum Ecclesiæ iurisdictio exerceretur.

Respondeo nihil contra Monarchicam potestatem Pōtificis facere authoritatem Cypriani, qui noluit dicere se potestatem iudicandi, & agendi non habere, sed nolle ad prudenter agendum sine Cleri concilio, & plebis consensu aliquid agere non quasi ex voto illorum definitiuo, sed consultiuo, quod vtique etiam faciunt Romani Pōtifices, qui ex consilio Cardinalium quidquid faciunt operantur, hoc tamen non tollit quod potestas, siuè spiritualis, siuè temporalis apud Summum Pontificem Ecclesiæ Monarcham non resideat, sicut non valet arguere Imperator, & supremi Reges quidquid mandant; ex consilio suorum supremi consilij Assessorum præcipiunt, ergo non habent Monarchicam potestatem.

Idem etiam dicendum est ad aliam auctoritatem, quam ex Ambrosio nobis opposuit in expositione 2. ad Timoth. 3. vbi habet: [Synagoga vetus, & postea Ecclesia Seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur, quod qua negligentia absoluerit, nescio, nisi forte Doctorum desidia, vel magis superbia, dum soli volunt aliquid videri. Nam in illo loco solùm vult Ambrosius conuenienter Summum Pontificem, & Episcopos vti debere consilio prudentum, & Seniorum, non autem id, quod ex hoc intulit Caluinus, dum ait, [igitur facimus nimis improbum, quod vnus homo translata ad se communi potestate, & tyrannide, libidinum patefecit aditum, & Ecclesiæ, quod suum eripuit.] Si enim Ambrosius conqueritur defecisse concilium seniorum in pertractantibus Ecclesiæ negotijs, votum consultiuum, non decisiuum dat Ecclesiæ senioribus, non ergo tyrannicè, sed iustè Papa Monarchicam potestatem, quam Deus ei dedit apud se retinet.

DVBIVM III.

De potestate spirituali Summi Pontificis.

VIdimus in præcedenti dubio, de potestate Summi Pontificis temporali, & ciuili, nunc videndum remanet de potestate spirituali, an scilicèt Summus Pontifex habeat potestatem à Christo Domino supra res spirituales, & potest dubium circa plura procedere, scilicèt an Pontifex possit peccata reseruare, censuras contra Catholicos fulminare, indulgentias concedere, & vota dispensare, de quibus singulis §. agemus, igitur sit.

§. I.

An Summus Pontifex habeat auctoritatem reseruandi sibi absolutionem aliquorum casuum.

CAsus reseruatus dicitur secundùm Bonacinam à cadendo, & accipitur pro crimine mortali exteriori, in quo qui labitur non potest à quolibet à crimine reseruato adimatur, aut non concedatur omnibus Sacerdotibus expositis ad audiendas confessiones, itaque, quod dubitatur in præsenti (nam cætera, quæ de casibus reseruatis dicenda sunt, pertinentibus ad Tractatum Moralem, Deo dante, in tractatu de pœnitentia dicemus) tantùm est, an detur in Ecclesia potestas hæc reseruandi aliquos casus.

Negant hoc quamplures Hæretici, & in primis omnes illi, qui negant confessionem auricularem, de quibus suo loco dicemus, negant etiam articuli confessionis Augustanæ his verbis: [Et mandatum Dei est, vt ministri Euangelij absoluant hos, qui conuertuntur, iuxtà illud: Potestas nobis data est ad ædificationem, quare reseruatio casuum, politica res est, est enim reseruatio pœnæ canonicæ, non reseruatio culpæ in his, qui verè conuertuntur coram Deo.] Quod probare sibi visum est, quia Christus dedit mandatum, vt ministri Euangelij absoluant hos, qui conuertuntur, iuxtà illud: [Potestas nobis data est ad ædificationem;] ergo contra mandatum Dei est reseruatio casuum. Secundò, nàm gratis propter Christum remittuntur peccata, & fide in Christum consequimur remissionem peccatorum, ergo reseruare casus est gloriam Christi obscurare, & à conscientijs firmam consolationem eripere.

Vt autem doctrinam Catholicam statuamus in hac parte, suppono, quod si ius diuinum, & commune consideremus, nullum profectò est irremissibile peccatum, modò accedat vera pœnitentia, vt habetur de pœnitentia dist. 3. cap. intantùm, per ipsam enim omne peccatum deletur, sicut etiam non datur peccatum, quod non possit ex Christi meritis deleri per Sacramenta. Immò stando iuri communi, non datur peccatum, à quo non possit proprius Sacerdos absoluere, cap. omnis, de pœnitentia, & remissione, verbo omnia, & cap. adijcimus §. ecce, distinct. 16. quæst. 1.

Dicendum tamen est, quod rectè sancta Ecclesia traditione ab Apostolis recepta iudicauit conuenire, quod grauiora, & atrociora crimina Pontifici Summo, aut alijs maioribus prælatis reseruarentur, ità docet Angelicus præceptor in 4. sententiarum distinct. 19. quæst. 1. artic. 3. quæstiunc. 2. & fuit definitum in Concilio Trident. sess. 14. cap. 6. & canone 11. vbi oppositum fuit damnatum tamquam Hæreticum, & probatur primò ratione Diui Thomæ, esto potestas ordinis, quantùm est de se, extendat se ad omnia peccata remittenda, cæterùm, quia ad vsum huius potestatis requiritur iurisdictio, quæ à maioribus in inferiores descendit,

dit, ideò potest superior aliqua sibi reseruare, in quibus iudicium inferioribus non committat; ergo datur talis potestas in summo Pontifice, immò & in inferioribus prælatis. Antecedens probatur, seu explicatur ab eodem Angelico præceptore in articulo citato ad primum argumentum, vbi habet, quod ad absolutionem à peccato requiritur duplex potestas, ordinis scilicet, & iurisdictionis, prima quidem potestas est æqualiter in omnibus Sacerdotibus, non autem secunda; & ideò vbi Dominus Ioannis 20. dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate, quæ consequitur ordinem, vndè & Sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur, sed Petro dedit singulariter potestatem remittendi peccata, Matthæi 16. vt intelligatur, quod ipse præ alijs habet potestatem iurisdictionis, potestas autem ordinis, quantùm est de se, se extendit ad omnes absoluendos, & ideò determinatè Dominus dixit: [Quorum remiseritis peccata,] intelligens tamen, quod vsus illius potestatis esse deberet præsupposita potestate Petro collata secundùm ipsius ordinationem.

Secundò probatur, quia superior potest id, quod ad salutem animarum expedire iudicat, sed reseruatio aliquorum criminum expedire videtur ad salutem animarum, vt pœnitentes à peccatis arceantur, ergo potest sibi aliquorum criminum absolutionem reseruare.

Ad argumenta Hæreticorum respondeo ad primum, quod, vt diximus, potestas data à Christo Domino remittendi peccata, est potestas, quæ consequitur ordinem Sacerdotalem, quæ licèt quantùm est de se, se extendat ad omnes absoluendos, quia tamen vsus illius potestatis debet esse, præsupposita potestate iurisdictionis à Petro collata, secundùm ipsius ordinationem, ideò non potest simplex Sacerdos absoluere, nisi secundùm iurisdictionem sibi à Petro, & successoribus eius collatam, & quia, vt vidimus, congruum est ad coercendas animas ab aliquibus enormissimis delictis sibi reseruare eorum absolutionem, ideò non potest circa talia delicta exercere Sacerdos inferior suam potestatem absoluendi, & mandatum Christi fuit secundùm deriuationem iurisdictionis absoluendi, quæ non fuit data à Christo cuilibet Ministro, sed Petro, vt supra probatum est.

Ad secundum respondeo non derogare Christi auctoritati, & dignitati, non posse Sacerdotem simplicem absoluere ab aliquo casu, nàm vel pœnitens habet actum contritionis, & sic remittuntur ei peccata, etiam reseruata; reseruatio enim non fit in foro interno, de quo non iudicat Ecclesia, sed tantùm in foro Sacramentali, in quo cùm potestas iurisdictionis descendat, & dependeat à iurisdictione, & potestate Summi Pontificis, non potest absoluere ea peccata, circa quæ non habet iurisdictionem, quia illam sibi reseruauit Summus Pontifex.

Sed oppones, potestas absoluendi est potestas indiuisibilis, ergo si habet potestatem absoluendi ab vno peccato, habet potestatem absoluendi ab omnibus. Antecedens probatur, perfectior est potestas Sacerdotis Noui Testamenti, quàm Veteris; sed Sacerdos Veteris Testamenti poterat vti sua potestate, quam habebat, discernendi inter lepram, & lepram indifferenter in omnes, ergo multò fortiùs Sacerdos Euangelicus poterit vti sua potestate indifferenter circa omnia peccata.

Respondeo, quod cùm populus Israel vnus populus fuerit, & vnum tantùm Templum habebat, non oportebat Sacerdotum iurisdictionem distingui, sicut in Ecclesia, in qua congregantur diuersæ populorum nationes; hinc Christus Dominus in fundatione Ecclesiæ suæ voluit, vt apud aliquem esset prælatio indistinctè in omnes, & super hoc essent alij, qui super diuersos distinctam potestatem acciperent, & quia vsus clauium requirit aliquam prælationis potestatem, per quam ille, in quem vsus clauium communicatur, efficitur materia propria illius actus; ideò in noua Ecclesia ille, qui habet hanc indistinctam potestatem super omnes, & à quo descendit, & communicatur hæc potestas inferioribus, potest sicut personas, & loca, ità peccata reseruare. Quapropter tres reseruationes in Ecclesia fieri solent. Prima, circa personas, dans iurisdictionem circa has personas, & non circa alias, v. gr. circa mares, & non circa fœminas, vel, vt communiter fit, vt non possit excipere confessiones Monialium, & illas absoluere.

Secundò, reseruare possunt tempus, exceptuando, scilicet aliquas festiuitates Resurrectionis Domini v. gr. vel Pentecostes, & Natiuitatis Iesu Christi, in quibus reseruant confessiones suorum subditorum sibi.

Ac denique possunt Prælati, & debent reseruare sibi crimina grauiora, & atrociora, nàm sicut secundùm ius naturæ, periculosiores, & grauiores infirmitates doctiori, & peritiori Medico reseruandæ sunt, &c. Et sicut in lege veteri, maiores, & difficiliores quæstiones referebantur ad Moysen, vt habetur Exodi 18. ità in noua lege, maiora, & atrociora crimina reseruanda sunt Summo Pontifici, & Episcopis. Remitto cætera, quæ de casibus reseruatis dici poterunt, ad Sacramentum Pœnitentiæ.

§. II.

An detur in Summo Pontifice potestas excommunicandi, & ferendi alias censuras.

NEgat hanc potestatem in Ecclesia Wicleff, affirmans excommunicationem à Papa, aut quocumque alio Prælato inflictam non esse timendam, [quia (ait ipse) est censura Antichristi;] eamdem sententiam sequuti sunt Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga, affirmantes non reperiri in Ecclesia potestatem priuandi bonis spiritualibus in terris, & consequenter excommunicandi. Hunc errorem iàm damnatum, & sepultum renouauit Lutherus, vt habetur art. 23. inter eos, qui à Leone X. damnati sunt contra Lutherum his verbis: [Excommunicationes sunt tantùm pœnæ externæ, nec priuant ho-

minem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.] Sed ridiculum est id, quod in articulis Smalchaldicis dicitur, par. 3. ar. 9. de excommunic. vbi sic habetur: [Maiorem illam excommunicationem, quam Papa ità nominat, nonnisi ciuilem pœnam esse dicimus, non pertinentem ad nos Ministros Ecclesiæ.] Minor autem, quam nominat vera, & Christiana est excommunicatio, quæ manifestos, & obligatos peccatores non admittit ad Sacramentum, & Communionem Ecclesiæ, donec emendentur, & scelera vitent, & Ministri non debent confundere hanc ecclesiasticam pœnam, seu excommunicationem cum pœnis ciuilibus, subiungit Lutherus, teste Castro aduersùs Hæreses lib. 6. [Excommunicationem non solùm non esse timendã, sed cum gaudio recipiendam, & procurandam.] Contra hos omnes, & si, qui sunt in hac re, alij Hæreticorum errores sit.

Conclusio. Ecclesia, & consequenter eius caput visibile Summus Pontifex Romanus potest auctoritate clauium, quam habuit à Christo excommunicare, hoc est priuare hominem Christianum, non solùm communione Fidelium, sed etiam Sacramentis, & spiritualibus bonis, orationibus, ac suffragijs totius Ecclesiæ, ac denique Ecclesiastica sepultura.

Probatur primò ex verbis Matth. c. 18. vbi Christus inquit: [Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solùm, si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos, vt in ore duorum stet omne verbum, quod si te non audierit, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.] Quod est idem, ac dicere nullam omninò cum eo habeas communionem, sicut cum Infidelibus, & Ethnicis est Christianis communio interdicta, iuxtà illud Apostoli, [quæ pars fideli cum infideli.] Sed hæc separatio à Christo posita, non solùm significat priuationem ab externo consortio Christianorum, sed etiam ab orationibus, suffragijs, & Sacramenti, ergo datur hæc potestas à Christo Domino in Ecclesia. Minor probatur, nàm, vt docet Diuus Thomas in 4. sent. distin. 18. quæst. 2. artic. 1. non potest esse, quod aliquis excludatur à communione Fidelium, & non à participatione Sacramentorum, quia scilicet Fideles in Sacramentis communicant, quapropter Ecclesia suffragia, orationes, & Sacramenta non impartitur, nisi Fidelibus, qui in gremio eius continentur.] Vndè Hieronymus explicans illa verba: [Habet potestatem, tribuit Apostolis, vt sciant, quia talibus condemnantur humanam sententiam diuina sententia roborari, & quodcumque ligatum fuerit in terra, ligari pariter & in Cælo.] Cui concordat dictum Chrysostomi super eumdem locum dicens: [Vide qualiter duplicibus colligauit necessitatibus, & pęna, quæ hic est, scilicet proiectione ab Ecclesia, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, & supplicio futuro, quod est esse ligatum in Cælo.] Ergo separatio posita à Christo Domino, non solùm dicit separationem ab externo consortio Christianorum, sed etiam ab orationibus, suffragijs, & perceptione Sacramentorum.

Hinc sancti Apostoli, hac vtili auctoritate pluries excommunicationes censura vsi sunt sic Paulus 1. ad Corinth. 5. [Incestuosum, qui nouerca abutitur, inquit, iudicaui eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi tradere huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi.

Dices Paulus sic non ait tradidisse Sathanæ animam Corinthij, cui ipse iàm per peccatum eam tradiderat, sed solùm in interitum carnis; ergo illic non significatur separatio quoad bona spiritualia. Sed contra, nàm, vt dixit sanctus Thomas, & Doctores Theologi exponunt, sicut Matth. 10. legitur, quod Christus potestatem dedit Apostolis eijciendi dæmonia, ità è conuerso tradendi homines dæmonijs, à quibus torquerentur, quando essent inobedientes Ecclesiæ, vt metu talis pœnæ resipiscerent, quia spiritualia, ad confirmandam fidem sensibilibus oculis, sensibili signo obijciebantur, sicut super baptizatos in confirmationem visibiliter descendebat Spiritus sanctus, ità fortasse ad maiorem timorem incutiendum, tunc visibiliter Sathanæ torquendi tradebantur, ac proindè traditio Corinthij facta à Paulo, designat non traditionem animæ, per peccatum, sed aliud genus traditionis, vt ille, scilicet dæmonis vehementiùs incursibus perculsus, rediret ad cor, & vt clariùs hoc innotesceret, subiungit Apostolus: [Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit, expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio.

Dices cum Luthero hanc excommunicationem illatam à Paulo non significare priuationem alicuius rei spiritualis, sed solùm exteriori contubernio, & separationem à conuersatione Christianorum.

Sed contra, nàm ad priuandum hominem externo contubernio non requiritur virtus supernaturalis clauium, sed Apostolus Paulus ibi vsus est illis verbis: [In nomine Domini nostri Iesu Christi,] per quæ denotatur virtus supernaturalis clauium, quæ cùm sit spiritualis etiam ad animam penetrat, eam priuans spiritualibus bonis, ergo sententia illa Pauli, non solùm denotat separationem ab externo contubernio, sed à communicatione bonorum spiritualium.

Eadem excommunicandi auctoritate percussit Apostolus Himenæum, & Alexandrum 1. ad Timotheum 1. dicens: [Tradidi Sathanæ, vt discerent non blasphemare.] Similiter ad Titum 3. [Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita sciens, quia subuersus est, qui huiusmodi est.] Eadem censura vsus est Apostolus Ioannes in 1. canon. cap. 5. [Est peccatum ad mortem, non dico pro eo vt oret, quis.] Et quando dixit in 2. cap. 1. [Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis, qui enim illi aue dixerit, communicat eius operibus malignis.] Quæ loca exponit pro excommunicato, & quod pro eo non sit orandum, & quod sit vitandus, quantùm ad externa commercia, exponit Diuus Thomas de malo quæst. 3. art. 13.

Fuit & in veteri lege aliqua figura, & exem-

exemplum Ecclesiasticæ censuræ, nàm propter delicta excludebantur à Synagoga Iudæi, vt patet ex illo, quod refertur Ioan. 9. [Iàm conspirauerant Iudæi, vt si quis confiteretur Dominum esse Christum, extrà Synagogam fieret.] Non erat autem illa propriè excommunicatio, quia non erat adhùc spiritualis virtus clauium, sicut modò est in Ecclesia, in qua, vt docet Cyprianus lib. 1. epist. 11. [Pœna excommunicationis successit pœnæ mortis temporalis, quæ inferebatur in lege veteri.] Vndè cùm Deuteron. 27. [Lata esset lex, vt quicumque non exaudiret Sacerdotem, morte moreretur,] loco illius in Ecclesia reliquit excommunicationem vt gladius, qui tunc erat ferreus, esset in Euangelio spiritualis, quapropter potestas excommunicandi dicitur, ferox Episcopi mucro, vt habetur 16 qu. 2. canone vix.

Hoc idem nedùm apud Fideles, verùm etiam apud Ethnicos, & Gentiles erat quædam, vt videbatur species nostræ excommunicationis, quando scilicet ob nefandum facinus diris aliquis deuouebatur, sic apud Romanos erat vsus harum dirarũ, & execrationum, sic Marcum Crassum his diris confixisse Ateium Tribunum plebis, affirmat Plutarchus, dictæ erant autem diræ furiæ infernales, & diris deuouebatur, quia putabant (vt tradit Dionysius Alicarnasseus lib. 2.) à quolibet impunè occidi, & maximo infortunio necessè erat; vndè & de Marco Crasso supra allegato ait Tullius lib. 1. de diuinat. [Marco Crasso quid acciderit, videmus dirarum obnunciatione neglecta.] Et Arnobius lib. 8. aduersùs gentes: [Et, vt ad Parthos, inquit, signa repetamus dirarum imprecationes Crassus, & meruit, & irrisit.]

Sic etiam apud Gallos, si quis eorum Sacerdotibus non paruisset, eorumque decretis non stetisset, sacrificijs interdicebatur, eratque pœna hæc apud illos grauissima, qui enim sic interdicti erant, in numero sceleratorum habebantur, & ab eisdem omnes decedebant, aditum, sermonemque fugiebant, existimantes quæcumque leui cum eis communicatione contaminari. Quis non videt in hac pœna figuram quandam nostræ excommunicationis? Et Plato lib. 9. de legibus propè fin. ità cauet: [Si quis de vi parentibus allata damnatus fuerat, primum quidem ex Vrbe egrediatur, in exiliumque perpetuum proficiscatur, à sacris omnibus arceatur, &c.

Mirum est autem, & valdè mirum, pœnam hanc, non solùm à Catholicis, sed etiam à Gentilibus, & Ethnicis, ità timeri, & tamen ab impio Luthero, eiusque sequacibus non esse timendam, sed potiùs procurandam prædicari.

Nec tamen crudelis censenda est, Mater Ecclesia (vt obijcit Lutherus) eo, quod filium suum tam crudelissimo supplicio punit, quia ad filij vtilitatem facit, & si filius contempserit, aliorum incolumitatem consuluit, quia melius est vnum perdere, quàm omnes; vndè Ambrosius lib. 2. de officijs cap. 27. ait: [Cum dolore amputatur etiam, quæ putruit pars corporis, & diù tractatur, si potest sanari, medicamentis, si non potest, tunc à Medico bono abscinditur. Sic Episcopi affectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentia auferre, vlcera adurere aliqua, non abscindere, postremò, quod sanari non potest, cum dolore abscindere.

Vt autem cognoscat Lutherus, & quàm timenda sit excommunicatio, & quàm iustè ab Ecclesia exercetur ostendendum est à nobis, qui sint huiusmodi excommunicationis, quam ipse censuram Antichristi vocat effectus. Traditur ergo primò excommunicatus Sathanæ, vt ab illo facili, & maiori libertate torqueatur, nàm licèt propter peccatum dæmonis factus sit seruus, & in eius sit potestate, per excommunicationem autem posteà maiorem in eo accipit potestatem, vt faciliùs pro suo libito possit illum torquere, nàm & si antè excõmunicationem per peccatum iàm charitatem amiserat, & Christo non erat vitaliter coniunctus, per fidem tamen nonnullam habet vnionem, qua dici non potest ab ea totaliter separatus, sicut membrum aridũ carens vita, quod corpori per neruos, & pellem coniungitur, & aliquantulum corporis calore fouetur, qua fide, & coniunctione particeps efficitur orationum communium, quæ ab Ecclesia fiunt, & ideò dæmon non habet in eum tantam potestatem, vt pro suo libito illum vexet, quia resistit virtus reliquorum membrorum, quibus est per fidem coniunctus, per excommunicationem autem destituitur, hoc auxilio vtpotè membrum abscissum, & totaliter à corpore Ecclesiæ separatum, vndè dæmon eum potest faciliùs torquere. Quapropter sanctus Anterus Papa, & Martyr in epistola ad Episcopos Prouinciæ Beticæ, & Toletanæ, ità ait: [Veteri quidem lege habetur, quicumque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extrà castra potiùs lapidabatur à populo, aut gladio ceruix subiecta contemptum expiabat cruore, nunc verò inobediens spirituali animaduersione truncatur, & ejectus ab Ecclesia rapido ore dæmonum decerpitur.]

Secundò probatur nostra conclusio, hac ratione Ecclesia, & eius visibile caput Romanus Pontifex habet facultatem priuandi hominem non solùm cœtu Fidelium, verùm etiam, & communibus bonis spiritualibus, orationibus, & suffragijs, ergo & excommunicandi. Antecedens probatur, homo dùm per Baptismum efficitur Ecclesiæ membrum admittitur in Ecclesiæ gremium, & in communione Fidelium, quæ dicit rationem conferendi, & suscipiendi aliquid inter plures, & inter Fideles consistit in communione bonorum, tam internorum, & spiritualium, quàm externorum, & corporalium, bona verò interna spiritualia cùm sint in duplici differentia, alia, in quibus spiritualis vitæ substantia consistit, vt gratia, charitas, fides, & reliquæ virtutes, quæ charitate, & gratia informantur; alia verò accidentalia, quibus solùm ad eamdem gratiam acquirendam, & conseruandam adiuuatur homo. Duplex est etiam communicatio alia, per quam ea, quæ sunt eiusdem corporis membra fit, vt meritum vnius alteri prosit, non quidem, quoad essentiale præmium, quia sic non prodest alteri, nisi illi, qui meretur, sed ei suffragatur, vt Deus ob meritum vnius membri gratiùs audiat orationes alterius; & hæc communio expli-

explicatur in Symbolo per ly [Sanctorum communionem ;] deindè sunt orationes, & suffragia, quibus Ecclesia adiuuat suos filios, & denique Sacramentorum participatio, de primis bonis, quæ à Deo immediatè conferuntur, solùm à Deo pendent, & ab illo, qui illis bonis vtitur, vndè nulla indiget Ecclesiæ applicatione, nec in manu Ecclesiæ sunt, neque Ecclesia, neque vllus alius potest illa bona auferre, sed solus homo peccando ea perdet; alia verò bona, orationes, & suffragia, quia ab Ecclesia instituta sunt, per eius applicationem membris eius prosunt, quapropter prima solis iustis competunt, hęc verò secunda etiam peccatoribus, quia illis Ecclesia suis orationibus, & suffragijs adiuuat, vt à peccato exeant, ex quibus sic probatur illud antecedens, & quod possit Ecclesia priuare vtrisque bonis, & consequenter eorum communicatione, nàm cùm omnes Christiani sint Ecclesiæ, eiusque Prælatis subditi, & quodcumque delictum mortale sit obex gratiæ, quæ per Sacramenta confertur, ideò potest propter peccatum inobedientiæ, quod de suo genere mortale est, inobedientem Sacramentorum receptione priuare, alijsque bonis spiritualibus, & patet, nàm cùm illa ex eius applicatione pendeant, potest aliquem inobedientem bonorum illorum communione priuare.

Condecens autem fuit, vt Ecclesiæ iudicium sit ad similitudinem iudicij Diuini, cuius ministerium agit, dupliciter autem Deus peccatores, vt ad se trahat, tamquam infirmos corripit vno modo salutaribus monitis, & inspirationibus alliciendo, tamquam si Medicus lenitiuis vtatur emplastris, alio modo vrgendo aliqua calamitate, vel tribulatione, tamquam si potione amara ad infirmum sanandum vtatur, & vtique, quando opus est putre membrum, ne alia inficiat, resecando, nempè destituendo hominem salutaribus auxilij, & vocationibus ex sua culpa, vt sic resipiscat, & hæc duo in excommunicatione includuntur, nam erubescentia, & pudor excommunicati exclusi à gremio Ecclesiæ, & à consortio fidelium se habet, vt calamitas, & pœna; priuare autem eum subsidijs, orationum, suffragijs, & Sacramentis, est illum derelinquere, expositum acrioribus tentationibus dæmonum vexandum, vt sic suam miseriam agnoscens resipiscat.

Nec argumenta Hæreticorum conuincunt, arguunt enim primò Vviclef, & Hus excommunicatio est separatio excommunicati à communione Ecclesiæ quoad fructum, & suffragia generalia, sed Ecclesia non potest priuare fidelem huiusmodi fructibus, ergo neminem potest excommunicare. Minor probatur, tùm quia priuare huiusmodi fructibus, est ipsum auxilijs Ecclesiæ destitutum tradere Sathanæ, vt habetur ex Apostolo 1. ad Corinth. 5. Sed nemo est tradendus Sathanæ, nisi desperatus salute, quod in hac vita esse non potest, ergo.

Tùm secundò, tradit si per excommunicationem diabolo adimitur excommunicato potestas resistendi eius insidijs, quæ per baptismum, & confirmationem fideli communicatur, sed Ecclesia non potest priuare potestate per Sacramenta accepta, ergo.

Tùm denique, & vrgentiùs communicatio fructuum suffragiorum, & orationum Ecclesiæ in charitate fundatur, sed Ecclesia non potest priuare fidelem charitate, qua nullus priuatur, nisi per voluntarium peccatum; ergo in Ecclesia non datur hæc potestas separandi fideles à communione suffragiorum, orationum, &c.

Respondeo negando minorem, ad primam probationem dico, quod licet nemo in hac vita sit Sathanæ permittendus, eo fine, vt in perpetuum crucietur, quia de nullo in hac vita est desperandum, tamen congruit illum tradere ad tempus diabolo, eo fine, vt per dæmonem correptus resipiscat, & vt ait Paulus: [Saluus fiat in die Domini.]

Ad secundam probationem respondeo, quod excommunicatio non priuat illa potestate, quam recepit in baptismo, & confirmatione, sed illa, quæ fundatur in auxilio suffragiorum, orationum Ecclesiæ, & hoc facit, non vt pareat, & succumbat, sed vt corripiatur, & ad cor redeat, quod si aliquando non prodest illi, contra quem fertur, vtilis est tamen alijs, quia ex ea terrentur: [Pestilente enim flagellato, ait Salomon, stultus sapientior erit.]

Ad tertiam probationem respondetur, vt supra diximus cum Diuo Thoma in 4.dist. 18. quæst. 2. artic. 1. ad 1. vbi sic habet: Suffragia alicuius valent alicui, secundùm quod continuatur, potest autem actio vnius alteri continuari dupliciter, vno modo ex vi charitatis, quæ omnes fideles connectit, vt sint vnum in Deo, & hanc continuationem excommunicatio non intercipit, quia iustè excommunicari quis non potest, nisi pro culpa mortali, per quam iam à charitate diuisus est, etiam si non excommunicetur; iniusta autem excommunicatio charitatem alicui auferre non potest, cum sit de maximis bonis, quæ non possunt alicui inuito auferri. Alio modo per intentionem suffragia facientis, quod in aliquem fertur, pro quo fiunt, & hanc cōtinuationem excommunicatio intercipit, quia Ecclesia per excommunicationis sententiam separat excommunicatos ab vniuersitate fidelium, pro quibus suffragia facit, vndè suffragia Ecclesiæ ei non prosunt, quæ pro tota Ecclesia fiunt, nec ex persona Ecclesiæ oratio pro eis inter membra Ecclesiæ fieri potest quamuis aliqua persona priuata possit ad eius conuersionem aliquod suffragium per intentionem dirigere. Ille.

Ex quibus in forma ad argumentum respondeo distinguendo maiòrem, suffragia Ecclesiæ in charitate fundantur; tanquam in fundamento proximo, nego maiorem; tanquam in fundamento remoto, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam nam esto Ecclesia præsupponat charitatem inter fideles, vt capaces sint communicationis, orationum, & suffragiorum, ad inuicem tamen vltra hoc requiritur applicatio, & intentio applicandi suffragia Ecclesiæ facta ab ipsa Ecclesia pro vniuersitate fidelium, à qua intentione vniuersalitatis excludit Ecclesia excommunicatos.

Sed obijcies, magis excluduntur ab vniuersitate fidelium infideles, quàm excommunicati; sed pro Hæreticis, & paganis, qui sunt

extra,

extra, Ecclesiam suffragia valent, cùm pro eis, qui extra Ecclesiam sunt, orat Ecclesia, ergo etiam iuuabunt excommunicatis.

Respondeo cum eodem Angelico loco citato, quod Ecclesia orat vtique pro infidelibus, sed ipsi fructum orationum non percipiunt, nisi ad fidem conuertantur, & eodem modo pro excommunicatis orari potest, quãuis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt, & tamen fructum non participant, quamdiù in excommunicatione manent, sed oratur, vt detur eis tempus pœnitentiæ, vt ab excommmunicatione soluantur.

Sed adhuc oppones, si excommunicatio priuaret communione, seu communicatione Sanctorum, sequeretur, quod excommunicatio iniusta nullum effectum haberet, consequens est absurdum, ergo, &c. Sequela probatur, excommunicatio iuxta solutionem Diui Thomæ, quia supponit peccatum mortale, priuat communione Sanctorum; sed excommunicatio iniusta non supponit peccatum mortale, ergo non priuat, nec habet aliquem effectum. Minor autem constat, quia, vt ait Gregorius, [Præcepta Pastoris, siue iusta, siue iniusta sunt timenda.]

Respondeo cum eodem Angelico loco cit. ad 3. [Quod excommunicatio dupliciter potest dici iniusta, vno modo ex parte excommunicantis, sicut cum ex odio, vel ira excommunicatur, & tunc excommunicatio habet effectum suum, quia iste iustè patitur, licèt ille, qui excommunicat, iniustè faciat, & peccet. Alio modo ex parte ipsius excommunicationis, vel quia causa non est iusta, vel debita; vel quia infertur sententia iuris ordine prætermisso, & si talis error ex parte sententiæ nullam faciat esse sententiam, tunc non habet aliquem effectum, quia excommunicatio non est: si autem non annullat sententiam, debet excommunicatus humiliter obedire, quia si contenderet, eo ipso mortaliter peccaret,& si aliquando contingat, quod causa debita sit ex parte excommunicationis, sed non ex parte excommunicati, puta cùm aliquis pro falso crimine sibi imposito, & iudicio probato excommunicatur, & tunc si humiliter substinet humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum.

Ad argumentum igitur in forma nego sequelam, ad probationem dico quod vt supra diximus, excommunicatio non priuat communione Sanctorum in charitate fundata licèt supponat hanc priuationem iam positam à peccato mortali, priuat autem formalissima communione illa causata ab intentione Ecclesiæ applicantis orationes vniuersales, quæ in ea fiunt pro cœtu fidelium, à quo excludit excommunicatum, vndè si vera est excommunicatio, iam priuat illa communione fidelium.

Secundò arguere possunt Hæretici, excommunicatio est quædam maledictio,sed ad Rom. 12. Prohibemur maledicere, ergo prohibemur excommunicare, ac proindè Ecclesia excommunicare non debet.

Respondeo cum Diuo Thoma, distinguendo maiorem, si maledictio ita malum irrogat, quod in malo per intentionem sistat, concedo minorem, si maledictio ita malum imprecatur, vt illud ordinet ad bonum illius, qui maledicitur. Nego minorem, & consequentiam, nam maledictio, quæ ordinatur in bonum illius, qui maledicitur, est licita quandoque, & salutifera, sicut Medicus aliquando nocumentum infert infirmo, vt sectionem membri putridi, per quam ab infirmitate, & à morte liberetur.

Sed instant Caluinistę,& Lutherani cõtra hæc omnia dicta, nam esto ponatur in Ecclesia potestas hæc excommunicandi, tamen est sola politica, & externa, non autem spiritualis, est enim sola potestas pellendi sceleratos à consortio fidelium, sicut in Republica est potestas expellendi in exilium, & in Synagoga Iudæorum erat olim potestas arcendi leprosos à conuictu aliorum, & eijciendi extra Synagogam, quod alia ratione non probant, nisi quia bonis spiritualibus priuare hominem Catholicum est contra vsum, & morem Apostolorum, & veterem Ecclesiæ consuetudinem, quod ipsi alijs non probant, nec possunt probare, nisi auctoritate Chrysostomi in oratione, quam habuit de Anathemate, vbi inter alia sic habet: [Et tu, qui tantæ auctoritatis, qui tantam tibi vsurpas potentiam, tunc enim sedebit filius Dei, & statuet oues à dextris, & hædos à sinistris. Cur igitur dignitatem tantam assumis, quæ Apostolis tantùm communicata, & his, qui illorum sunt idonei successores verè pleni gratia in virtute? iam Apostoli diligenter id mandati seruarunt, sic enim Hæreticos eijciebant ex Ecclesijs, quasi effodiendus est dexter oculus, qua tempestiua membri defectione magnum suæ compassionis, & doloris iudicium præferebant. Et post pauca; Putatis ne hanc parui momenti rem esse antè Iudicem, iudicijque tempus aliquem huiusmodi sẽtẽtia condemnare? obsecramur, & attestamur vos, vt à tanto malo desistatis, nam is, quem tu anathematizare decreuisti, vel viuit, vel mortuus est, quod si adhuc superest, impiè agis, qui eum, qui à malo in bonum conuertere potes, crudeliter abscecas, si mortuus est, multò magis crudelis es;cur ita? quia Domino suo stat, vel cadit, non est sub iure humano existens. Et sic denique concludit: Dogmata enim impia, & quæ ab hæreticis profecta arguere, & anathematizare oportet, hominibus autem parcendum, & pro salute ipsorum orandum, &c.] vbi vt vides Chrysostomus non solùm longo sermone, sed rationibus probat, neque viuos, neque mortuos esse excommunicandos.

Quod etiam confirmant, nam potestas priuandi bonis spiritualibus, & internis, numquam fuit concessa Imperatoribus, & Principibus secularibus, sed semper apud Prælatos Ecclesiasticos remansit; sed Principes suis sanctionibus circa excommunicationem plura mandauerunt, vt patet in capite omnibus, vbi Iustinianus Imperator sic habet: Omnibus Episcopis, & Presbyteris interdicimus segregare aliquem à sacra communione, antequam causa monstretur, propter quam sanctæ regulæ id fieri iubent.] Sic etiam Theodosius Imperator aduersùs eos,qui Nestorium sequebantur excommunicationis censuram inflixit. Sic similiter Theodosius aduersùs eos,qui sordidorum munerum fœce pol-

polluntur sub anathematis interdictione hoc præcepit, vt habetur lib. 5. de Sacrosancta Ecclesia, ergo potestas excommunicandi non est, nisi potestas politica eijciendi à politica, non à spirituali communione fidelium.

Nihilominùs dico potestatem excommunicandi, quæ datur in Ecclesia, non est politica, sed spiritualis, quod patet ex dictis, tùm quia nulla potestas politica potest priuare bonis spiritualibus, nec potest tradere Sathanæ, vt ab eo faciliùs, & liberiùs torqueatur, sed per excommunicationem priuatur excommunicatus suffragijs Ecclesiæ, & Sacramentis, quæ sunt bona spiritualia, & traditur Sathanæ in interitum carnis, vt dicebat Apostolus, ergo potestas excommunicandi non est potestas politica, sed spiritualis. Tùm etiam, nam ad potestatem spiritualem pertinet ouem leprosam ab ouili separare, & hoc fit per excommunicationem, ergo potestas excommunicandi non est politica, sed spiritualis.

Ad rationes Hæreticorum respondeo falsum esse vsum in Ecclesia, à tempore Apostolorum vsque ad præsens non fuisse excommunicandi; nam (vt vidimus supra) Apostoli, inobedientes, & contumaces excommunicarunt, vndè dixit Origenes [in homilia 2. super librum Iudicum: Non solùm per Apostolos suos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum, sed & per eos, qui Ecclesiæ præsident, & potestatem habent, non solùm soluendi, sed & ligandi tradit peccatores in interitu carnis, cum pro delictis suis à Corpore Christi separantur.] Et quod hoc fuerit posteà antiquissimus vsus Ecclesiæ, probant authoritates duorum Pontificum, & Martyrum primitiuæ Ecclesiæ, scilicet Sanctus Anterus Papa, & Martyr, & Sanctus Vrbanus etiam Papa, & martyr; primus enim [in epist. ad Episcopos Beticæ, & Toletanæ Prouinciæ, ita habet: Veteri quidem lege habetur, quicumque Sacerdotibus non obtemperassent, aut extra Castra positus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice subiecta contemptum expiabat cruore; nunc verò inobediens spirituali animaduersione truncatur, & eiectus ab Ecclesia rapido Dæmonum ore decerpitur.] Beatus Vrbanus verò in epistola, quam scripsit de communi vita fidelium prohibens, ne bona Ecclesiæ in alios vsus conuertantur, inter alia sic comminatur: [Contra detractores sacrilegij legatum incurrant, qui eas indè abstrahunt, vndè traditæ sunt, ne pœnam, & mortem Ananiæ, & Saphiræ incurrant, & (quod peius est) Anathema Maranatha fiant, &c. Sed de his infrà habetur.

Ad locum ergo Chrysostomi respondeo in primis sermonem illum, qui à Sixto IV. adhibetur inter sermones Chrysostomi, vt notat Magister Soto, neque esse Chrysostomi, neque eius praxim redolere, dico enim certissimum esse Chrysostomum apertè docuisse eos, qui Ecclesiæ non obediunt, nec audiunt esse excommunicandos. Ita docet inter alia innumera testimonia, quæ adduci possunt [homilia 5. in epistola ad Timotheum homil. 15. in prim. ad Corinthios, ac denique homil. 4. ad epist. ad Hebræos, & refertur cap. nemo contemnat 11. qu. 3. Nemo contemnat (ait) vincula Ecclesiastica, non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit, & fecit dominos homines tanti honoris.] Et docuit Chrysostomus, & factis etiam corroborauit, non enim rara occasione ità cogente gladium hunc Ecclesiasticum iustissimè tractauit, & in subilimiores potentias inflixit cùm Eudoxiam Arcadij Imperatoris vxorem priùs reprehendit, & contumacem ab ingressu Ecclesiæ prohibuit. Hoc supposito respondeo explicando mentem Chrysostomi, non enim voluit Chrysostomus, in illo loco Ecclesiam non habere potestatem anathematizandi, & excommunicandi, sed solùm reprehendisse aliquos temerarios, & indoctos nullam habentes excommunicandi potestatem, solùm odio, & maleuolentia ductos dogmata aliorum ab ipsis non intellecta vnà cum Authoribus temerè damnantes, & notantes anathemate, ità explicat Chrysostomum, Sixtus Senensis [lib. 6. suæ Bibliothecæ annot. 267.] illam desumens ex contextu ipsius citatæ homiliæ, vbi Sanctus Doctor videtur se explicare se loquutum fuisse contra huiusmodi viros, dum sic prosequitur: [Inspecto viros, qui nullum ex sacris literis germanorum sensum, immò nihil omninò sacrarum literarum tenent, & vt pleraque transeam, non erubesco dicere furibundos, nugaces, contentiosos, qui neque sciunt, quæ dicunt, neque de quibus affirmant in hoc vno tantùm audaces, quod dogmata statuunt, & anathema declarant ea, quæ maximè ignorant, &c.

Scio quòd Cardin. Baron. [tom. 3. Annalium anno 382.] sub anno 16. Damasi Papæ tractans de doctrina, & facundia Chrysostomi, & enumerans opera, & sermones illius, tangit hanc difficultatem ex illius homilia de anathemate, & affirmat illam fecisse ad sedandos populares tumultus, adhuc iuuenem diaconum, & vigesimum octauū annum non explentem, sed posteà prouectioris factus ætatis, tùm factis, tùm verbis dicta illa correxisse; sed necessarium non æstimo, ad hanc solutionem recurrere, & puto standum esse, vt etiam ipse Cardinalis Baronius in secunda solutione consentit explicationi nostri Sixti Senensis.

Sed oppones esto sit sensus Chrysostomi, vt à nobis exponitur, adhuc tamen viget ratio ab ipso adducta, qua vtuntur Moderni Hæretici ad euertendam Ecclesiasticam potestatem excommunicandi: aut enim (sumunt illi argumentum, ex hoc loco Chrysostomi) [his, qui excommunicatur viuit, aut mortuus est, si viuit, impiè, & crudeliter agitur abscindendo eum, qui conuerti potest à corpore Ecclesiæ, si obijt, quæ maior crudelitas, quàm sæuire in mortuum, & pœnam in eum inferre, qui iam humano foro non est subiectus.]

Respondeo cum eodem Sixto Senensi loco citato, ad vtramque partem, ad primam iam diximus, vt supra, quod cùm finis Ecclesiæ non sit, tanquam desperatum salutis illum à suo corpore resecare, sed potiùs, vt resipiscat, & qui erat membrum putridum, immò, & mortuum, per pœnitentiam reuiuiscat, & quia finis illorum ignorantium, & temerariorum, contra quos arguit Chrysostomus

mus non erat Germanus ille ab Ecclesia intentus, sed odium, & liuor; ideò optimè illos arguit crudelitatis.

Ad secundam verò partem dilemmatis respondeo eodem modo, Chrysostomum redarguisse, qui abutentes eadem potestate crudelitate, & intentione praua diuersa ab Ecclesia mortuos excommunicabant, Ecclesia enim, quando defunctum Hæreticum v. g. excommunicat, non hoc facit ea intentione, quasi tunc primùm velit excommunicari, & animam illius defuncti à consortio aliarum, quæ in gratia decesserunt, separare; sed illum, qui dum viueret, iam excommunicationi innodatus, declarare è vita transisse anathematis nexu colligatum, itaque id, quod damnat Chrysostomus, non est modus iste Ecclesiasticus anathematizandi mortuos, sed errorem illorum Episcoporum, qui existimantes ius haberi etiam in mortuos illos excommunicabant, credentes sic posse ex statu salutis eos deturbare, & in locum damnationis detrahere.

Ad confirmationem respondeo nego minorem, numquam enim potestas excommunicandi fuit apud Imperatores, & Principes seculares, sed semper apud Prælatos Ecclesiasticos, & si aliquando nisi sunt excommunicare, vt in exemplis ab argumento adductis, hoc non fecerunt propria authoritate, sed vel synodi, vel Episcoporum, vel ipsius Pontificis, & ipsi solùm quasi approbantes, & exequutioni mandantes censuras contra impios Hæreticos, eorumque fautores promulgarunt.

Sed quæres supposito, quod hæc potestas excommunicandi sit spiritualis, & Ecclesiastica, an pertineat ad forum pœnitentiæ, & non ad forum externum? Respondeo cum Angelico Præceptore in 4. dist. 18. qu. 2. ar. 2. qu. 1. pertinere hanc potestatem ad forum externum; Et ratio Sancti Doctoris est, quia in foro conscientiæ, & interno causa solùm agitur inter hominem, & Deum; in foro autem exterioris iudicij, inter hominem, & hominem, sed excommunicatio separans hominem à communione fidelium reddit hominem erga alium hominem obnoxium, ergo excommunicatio ad forum exterius pertinet.

Nec obstat contra hoc commune proloquium Theologorum, quod potestas excommunicandi ad claues Ecclesiæ pertineat. Non inquam obstat, nam claues Ecclesiæ non solùm significant potestatem absoluendi à peccatis, verùm etiam continent omnem potestatem illam iurisdictionis, quæ necessaria est ad rectam Ecclesiæ gubernationem, vndè actus excommunicandi, non est actus ordinis, sed iurisdictionis, quapropter potest aliquis excommunicare, qui nullum ordinem habet.

Vt denique mendacia Hæreticorum præcludantur, asserentium non esse in Ecclesia Dei vsum excommunicandi antiquum sed solùm censuram, vt ait Lutherus: [Antichristi ad tyrannidem exercendam, non multis ab hinc annis à Romanis Pontificibus inuentum,] antiquissimum etiam in primitiua Ecclesia fuisse vsum excommunicandi, Eusebij, Nicephori, & aliorum antiquorum historicis satis constat, sic teste præcitato Eusebio lib. 6. cap. 29. Victor primus, qui fuit Papa circa annum Domini 198. excommunicauit omnes Asiaticos, recusantes celebrare Pascha Dominica sequuta ad decimam quartam Lunam mensis Martij, iuxtà dictum Pij I. Similiter Fabianus Papa anno Domini 246. Philippum Imperatorem excommunicauit, nec priùs permissus est Ecclesiam ingredi, quàm confessus fuisset peccata sua, & inter peccatores pœnitentiam agentes publicam se sua spontè collocasset, quod totum alacri animo Pius Imperator præstitit, vt absolutionem reciperet, vt refert Eusebius lib. 6. cap. 27. Sic Innocentius Papa audita morte Ioannis Chrysostomi Imperatorem Arcadium, eiusque vxorem Eudoxiam, ac Episcopos coniurantes in exilium Chrysostomi anno 407. excommunicauit, teste Nicephoro lib. 13. cap. 34. Sic Vigilius Papa anno 547. excommunicauit Theodoram Augustam, & Hæreticos Achephalos, quorum ipsa patrona erat, vt testatur Gregorius Magnus lib. 2. epist. 36. Sic Gregorius II. Leonem Isaurum Imperatorem, tamquam Iconoclastam anno 703. non solùm excommunicauit, sed tamquàm Hæreticum Imperio priuauit, ac subditos à iuramento absoluit, referente Sigonio lib. 3. Regni Italiæ. Sic Gregorius III. anno 731. Leonem III. Imperatorem simul excommunicauit, ac Imperio priuauit, vt referunt Paulus Diaconus, & Platina. Sic Nicolaus anno 860. vt ipsemet refert in Epistola 27. ad Episcopos Germaniæ excommunicauit Engeldrudam vxorem Comitis Bozonis, eo quod proprio viro relicto vagabunda erraret. Sic Leo IX. Andream Hungariæ Regem anno 1052. excommunicauit, eo quod pacem cum Henrico II. inire noluit, vt refert Sigonius lib. 8. Regni Italiæ. Sic Gregorius VII. Henricum III. Germaniæ Regem ob inaudita, & nefanda flagitia, excommunicauit, vt ipsemet refert lib. 3. epist. 6. Idem Pontifex Boleslaum Poloniæ Regem ob necem Sancti Stanislai Cracouiensis Episcopi excommunicauit, ac omni honore, & dignitate regali ipsum, & suos successores, in Regno Poloniæ priuauit. Alexander III. Federicum Imperatorem anno 1178. anathematizauit, & excommunicatum, per totum orbem suis literis denunciauit, teste Ænea Siluio cap. 13. histor. Bohemicæ. Ac denique Ludouicus Bauarus Imperium siue Romani Pontificis consensu sibi approprians successiuè à Ioanne XXII. anno 1319. à Benedicto XII. anno 1332. & à Clemente VI, anno 1343. fuit excommunicationis ictu percussus, de quo Volat. l. 23. non ergo, vt mentiuntur Hæretici, à Modernis Pontificibus inuenta est excommunicatio ad suam (vt ipsi blasphemant) tyrannidem firmandam, sed semper in Ecclesia Dei potestas, & vsus fuit excommunicandi Ecclesiæ rebelles, & contumaces.

§. II.

An Summus Pontifex potestatem habeat concedendi Indulgentias.

EX hac Indulgentiarum potestate in Ecclesia, earumque vsu incæpit insania Hæreticorum nostri temporis, quorum Coripheus, Martinus,Lauter,seù Lutherus,ex inuidia nostrorum Prædicatorum, quibus commissa fuerat Pontificij Iubilæi publicatio, primus blasphemare incæpit contra Indulgentias, eorumque valorem, qui cum esset maximus, quando à suis prædicabatur, nullus factus est, quia prædicabatur à nostris. Itaque Lutherus (sequens Waldenses, eorumque sequacem Ioannem Wiclef, docentes: [Papam nullam prorsùs habere potestatem indulgentias concedendi, & si concesserit illas (asserunt) nullius essé virtutis] hoc idem docuit vocans indulgentias pias fraudes fidelium. Sed plusquam omnes contra indulgentias blasphemauit Caluinus, affirmans: [Non solùm esse nullius valoris indulgentias, sed insuper (addit) esse insaniam magis Helleboro, quàm argumentis dignam; quæstuosas nundinationes per illos de animarum suarū salute exerceri, paruulis nummis salutis pretium taxari, ac denique monstrum maiori in dies licentia grassari, ac luxuriari.] Aliasque quamplures dignas Orco blasphemias euomuit. Contra hos omnes errores ponitur Catholica veritas.

Conclusio. Datur in Ecclesia potestas indulgentiarum, hoc est potestas remittendi pœnas temporales debitas in foro Dei,etiam extra Sacramentum, & Sacrificium. Hæc conclusio est de fide definita in Concilio Viennensi [in Clementina vnica de reliq. & vener.Sanct.in Cōstantient.session.8.15.& 41. & in extrauaganti antiquorum, Bonif. VIII. & in extrauaganti vnigenitus, Clement. VI. & Sixti IV. quæ incipit; Quemadmodum,] & in illa, quæ incipit: & si Dominici gregis, ac denique[in Concil.Trident.session.21.cap. 9.& session.25.in dec.de indulgentijs,]& probatur primò ex authoritatibus Scripturæ, & Sanctorum Patrum, illam probant Suarez, & cum eo aliqui Theologi ex illo [Matth. 18. Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terram erunt ligata, & in Cœlis,& quæcumque solueritis super terram erunt soluta, & in Cœlo. Sed non probant ista verba (ait Roffensis) nam Christus illa verba dixit occasione correctionis fraternæ, nam antè illa præmiserat ordinem talis correctionis, concludens, si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquàm Ethnicus, & Publicanus;] ergo loquitur de potestate externæ gubernationis, & extra forum pœnitentiæ, vndè, vt supra diximus, præcipuè ibi est sermo de excommunicationis potentia,& potestate absoluendi à tali censura, & sic locum illum explicant Hieronymus adductus [in Catena aurea] Diui Thomæ, & idem D. Thomas super cap.18.Matth.

Meliùs ergo probatur cum Caietano, & Soto ex alio loco Matth. cap. 16. vbi ait Petro: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque, ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in Cœlis;] in quo loco Christus concedit Petro claues, & potestatem aperiendi Cœlum, vel illum claudendi, ergo potestatem remittendi pœnas, per concessionem indulgentiarum. Antecedens constat, & consequentia probatur, potestas aperiendi Cœlum est potestas ad tollendum omne id, quod impedit ingressum in Cœlo, sed concessio Indulgentiarum est ad tollendum impedimentum ingressus in Cœlum, ergo per illa verba concessa fuit potestas indulgentiarum. Vtuntur hoc testimonio ad probandam nostram conclusionem Innocentius V. in 4. dist. 20. quæst. 3. art. 1. & Cardinalis Turrecremata, Caietanus, Suarez; & alij; vndè est communis sensus Doctorum, quod per illa verba dederit Christus potestatem concedendi Indulgentias, & habent fundamentum in Clemente VI. in extrauaganti vnigenitus de pœnit. & remis. illis verbis: [quorum vni, scilicet Apostolorum, Principi,sicut bono dispensatori claues Regni Cœlorum commisit.

Denique probatur nostra conclusio auctoritate Apostoli 2. Corinth. 2. illis verbis [quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi, vbi ait Glossa: Ac si Christus donasset, sed Christus non solùm poterat relaxare culpas, sed etiam debitas pœnas absque vlla satisfactione,] ergo & Apostolus, ac proindè Ecclesia potestatem habet remittendi, non solùm culpas, sed etiam pœnas debitas, & debitam satisfactionem, sed hoc est, & intelligimus concedere indulgentias, ergo est in Ecclesia potestas concedendi indulgentias, Maior est certa, & minor probatur, seu explicatur, indulgentia enim licèt sæpè vsurpetur, pro immodica licentia vtendi, vel faciendi aliquid, quapropter adducitur illud Quintiliani: [Mollis educatio quam indulgentiam vocamus &c.] Ecclesiasticæ tamen indulgentiæ appellantur illæ relaxationes, & remissiones, quæ conceduntur ab Ecclesia, in quo sensu sic diffinitur communiter, Est relaxatio pœnæ peccato debitæ, quę extra Sacramentum fit, ita Magister Soto in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 1. ergo indulgentia Ecclesiastica idem est; quod relaxatio pœnæ.

Confirmatur, Ecclesia habet potestatem dispensandi supra canones pœnitentiales; immò potuit illos abrogare, vt de facto iam sunt abrogati per contrarium vsum, ergo similiter potest ex legitima causa remittere pœnitentias iniunctas à Sacerdote in foro pœnitentiali, vel etiam pœnas debitas in Purgatorio, etiam si pœnitentiæ non sint iniunctæ.

Dices, Ecclesiam non habere auctoritatem remittendi peccata, nisi Sacramentis alligatam, ergo nec etiam remittendi pœnas debitas pro peccatis.

Sed contra est primò, nam ideò Ecclesia quoad remissionem culpæ habet potestatem Sacramentis alligatam, quia absolutio peccati esse non potest, nisi per infusionem gratiæ, quæ à Ministris infundi nequit, nisi medijs Sacramentis, sed ad remissionem pœnæ

næ non exigitur gratiæ infusio, sed solùm applicatio thesauri Ecclesiæ; quæ fieri potest sinè Sacramentis, ergo hæc potestas non est Sacramentis alligata.

Secundò, nam si ad remissionem pœnæ necessarium esset Sacramentum, id esset maximè, vt taxatio illius, iuxta culparum quantitatem fieret, ergo cum per applicationem thesauri, vel nulla sit necessariò taxatio vel supponitur iam facta in Sacramento, ergo potest extra illud remitti.

Tertiò, nam Ecclesia canones pœnitentiales instituit, ad quorum solutionem compellendi erant pœnitentes, iuxta mensuram suorum peccatorum, & tamen modò tales canones abrogati sunt auctoritate ipsius Ecclesię, ergo sicut illas pœnas secundùm canones taxatas, potuit Ecclesia relaxare, quarè non poterit relaxare pœnas debitas, pro peccatis, medijs indulgentijs.

Denique nam Ecclesia habet auctoritatem remittendi peccata venialia extra Sacramentum, vel per aquam lustralem, vel per benedictionem Episcopi, vel per alia sacramentalia, ergo similiter poterit condonare extra Sacramentum pœnam debitam pro peccatis, medijs indulgentijs.

Ratio autem nostræ conclusionis est illa quam assignat Diuus Thomas in 4. dist. 20. art. 3. in corpore illis verbis; [Ratio autem quarè valere possunt, est vnitas corporis mystici, in qua multùm operibus pænitentiæ super erogauerunt ad mensuram debitorum suorum, & multas etiam tribulationes iniustè substinuerunt patienter per quæ multitudo pænarum poterat expiari, si eis deberetur quorum meritorum tanta est copia, quod omnem pænam debitam nunc venientibus excedunt. & præcipuè propter meritum Christi, quod etsi in Sacramentis operatur, non tamen efficacia eius in Sacramentis includitur, sed sua infinitate efficaciam Sacramentorum excedit.] Ex quibus sic formatur ratio, merita Christi, & Sanctorum, quæ thesaurum Ecclesiæ constituunt, possunt applicari propter vnionem corporis mystici Ecclesiæ omnibus membris constituentibus hoc corpus mysticum ad soluendas pœnas debitas pro peccatis, ergo datur potestas in Ecclesia communicandi tales satisfactiones, per indulgentias. Patet hæc consequentia, nam prædicta merita sunt communia toti Ecclesiæ, cum non sint applicata determinatè pro isto, sed ea, quæ sunt communia applicari possunt ab habente regimen talis multitudinis, ergo &c.

Confirmatur auctoritate Apostoli 2. Corinth. 2. vbi asseritur: Incestuosum illum, de quo mentionem fecit in 1. epist. 5. post remissam culpam traditum fuisse Sathanæ in interitum carnis, postmodum admonuit Sacerdotes Corinthios, vt eius pænitentiam relaxarent, quod re vera non faceret, nisi crederet pœnam Purgatorij illi correspondentem per talem relaxationem à Deo etiam remitti, concludens [si quid donastis, idem & ego donaui, quod autem donaui, propter vos in personam Christi.]

Denique probatur assertio ex vsu antiquissimo, nam aliqui existimant, quod vsus indulgentiarum inceperit tempore Apostolorum, & probant ex nuper allegata auctoritate Apostoli 2. ad Corinth. 2. difficile tamen est probare, quod illa remissio pœnæ facta ab Apostolo, fuisset remissio per indulgentiam, quæ non potest spectare, nisi ad forum pœnitentię internæ, illa autem pœna remissa ab Apostolo, fuit pœna data in foro externo. Itaque etiam si hoc non sit certum sine dubio antiquissimus est vsus indulgentiarum in Ecclesia, & vt notat eruditissimè noster Magister Grauina lib. 4. Cathol. præscr. ostens. 8. ad 8. opposit. à tempore Sancti Clementis Papæ III. post Sanctum Petrum Pontificis, & ipsius Petri discipuli, & ibi per singula secula demonstrat semper fuisse in Ecclesia Dei vsum indulgentiarum, etenim Sanctus Clemens Papa in 2. lib. const. Apost. cap. 16. docet modum, quomodo pænitens recipiatur in Ecclesia post pœnitentiam, & quomodo, talis pænitentia remitti poterat, hæc autem remissio indulgentia dicitur; ergo à tempore Apostolorum, eorumque discipuli Clementis iam introducta erat indulgentia in Ecclesia Dei. Possunt etiam cum ipso Magistro Grauina per singula secula adduci exempla, ex quibus apparet concessas fuisse à Summis Pontificibus indulgentias nobis ad conuincendum Lutherum solemnissimi mendacij, quando affirmat indulgentias numquam fuisse in Ecclesia, nisi ex tempore Clementis VI. qui fundatus in opinionibus Diui Thomæ, & Scholasticorum (ait ipse) cæpit indulgentias cconcedere, vt patet in extrauaganti ipsius Clementis.

Vt igitur hoc solemne mendacium clarissimè præcludatur, nobis sufficiant clarissima testimonia, quæ habemus inter alia Leo III. anno 804. ad petitionem Imperatoris dedicauit Ecclesiam Virgini Mariæ, dotans illam multis indulgentijs, vt habetur in epistola Sancti Lugderi de Sancto Suuiberto; quæ habetur apud Surium tomo 2. Similiter Sergius II, concessit indulgentiam trium annorum, & trium quadragenarum visitantibus Ecclesiam Sancti Martini in montibus, quæ cernitur exarata in marmore antiquissimis inciso literis, & Ioannes VIII. plenissimam concessit indulgentiam decertantibus contra infideles, vt habetur in epistola 144. ad Coepiscopos per totum Regnum Ludouici Regis similiter habemus ex Concilio Claramontano, vt refert Sanctus Antoninus 2. par. hist, cap. 1. tit, 16. §, 23. quod Vrbanus Secundus plenissimam indulgentiam concessit illis, qui ad bellum Hierosolymitanum Duce Gndifredo Buglionensi iuerunt. Et ab Innocentio III. vt habetur in capite cùm ex eo de pænitentia, & remissione, conceditur indulgentia plenissima Crucesignatis pro recuperanda Terra Sancta, & in nostra Ecclesia Sanctæ Sabinæ extat indulgentia in lapide marmoreo incisa, in qua Gregorius IX. relaxat de iniunctis pænitentijs per indulgentiam, sicut alius lapis marmoreus, ex quo constat Alexandrum IV. concessisse indulgentiam in dedicatione Sanctæ Mariæ de Campo. Quomodo ergo verum erit, quod dixit Lutherus, si per tot secula constat fuisse vsum indulgentiarum in Ecclesia?

Denique, vt ora iniquorum in perpetuum claudantur, nobile testimonium antiquita-

quitatis vsus indulgentiarum in Ecclesia habetur ex libellis indulgentiæ, quos Martyres lapsis concedebant; erat enim mos in primitiua Ecclesia, vt constat nedum ex Sancto Cypriano epistolis 13. 14. 15. 18. 19. & alijs, sed etiam ex Tertulliano in libro ad Martyres vt tantus honor olim designatis martyribus ab Episcopis deferretur, vt ad eorum preces quibusdam lapsis satisfactionis, & pænitentiæ partem aliquam relaxarent, de quo sufficiat testimonium Cœlestini Martyris, quod inter epistolas Cypriani numeratur, vbi sic habetur. [Quarè iam causa audita præceperunt eos præpositi tantisper sic esse, donec Episcopus constituatur. Sed quatenus per vestras sanctas orationes, in quas nos fidimus, quoniam estis amici, sed & testes Christi, quod omnia indulgeatis. Habetur etiam de hoc in Concilio Arelatensi primo can. 9. sic de his, qui Confessorum literas afferunt placuit, vt sublatis eis literis, alias accipiant communicatorias.

Sed videamus argumenta, quibus conuictus Lutherus à negatione Indulgentiarum cæpit præcipitium suum; vsque ad barathrum errorum & facinorum, quibus suam sectam fundauit. Arguit enim primò quia nèque ex aliquo loco scripturæ; neque ex antiquo Ecclesiæ vsu colligitur hæc potestas concedendi indulgentias, ergo non datur.

Secundò nullus Prælatorum potest ligare, & imponere pænas immediatè in foro Dei, sed pœnas peccatorum imponit lex diuina, & ipse Deus taxat: ergo non infertur ex potestate soluendi in Ecclesia dari potestas hæc remittendi pænas peccatoribus in Dei foro taxatas, & in Purgatorio soluendas.

Tertiò, nam vt blasphemat Lutherus, valdè perniciosum est, immò & simoniacum temporali subsidio fieri indulgentias, quia remissio peccatorum est quoddam spirituale, & spirituale pro temporali dare est simonia, ergo fraus est, & nundinatio, verba sunt infamis Lutheri, vt habetur [in articulis Smalcaldicis bullarum fructuosa excogitatio, & annus aureus; & Iubilæum verè auriferum, quem Papa Romæ celebrari voluit.

Denique nam ex indulgentiarum doctrina, vana oritur fiducia, & ansa peccandi, cum post infinita facinora sufficit sumere vnam indulgentiam plenariam, vt ex eis quis mundetur, & satisfaciat pro illis.

Respondeo ad primam obiectionem, negando antecedens, vt enim supra probauimus, & in scripturis; & in Sanctis Patribus & in continuo, & antiquiori vsu Ecclesiæ sine dubio indulgentiæ valor remanet, supra satis probatus.

Ad secundam dico, quod indulgentia non absoluit à pœna taxata in foro Dei, sed vt ait Diuus Thomas in 4. distinct. 20. qu. 1. art. 3. ad secundum datur ei, qui indulgentiam suscipit, vndè debitum soluat.

Sed oppones si vera esset hæc solutio; Indulgentia esset solutio debiti, non absolutio, sed hoc est falsum, ergo &c. sequela probatur. tùm primò nam indulgentiarum concessio est potestas clauium, sed potestas clauium fundatur in illo quodcumque solueritis, & in illo, quorum remiseritis &c. ergo indulgentia est absolutio, & remissio non solutio.

Secundò indulgere est relaxare, quod est nomen misericordiæ, & non iustitiæ, vndè in forma indulgentiarum dicitur: [Misericorditer indulgemus, vel relaxamus,] sed si indulgentia est solutio, non esset opus misericordiæ, sed iustitiæ, ergo non est solutio sed absolutio.

Tùm tertiò: si non esset solutio nullam requireret iurisdictionem in concedente Indulgentiam, sed hoc est falsum, vt patet ex capite, quod autem de pœnitentia, & remissione, vbi Alexander determinat conferre indulgentias esse iurisdictionis actum, & ideò non posse exerceri, nisi erga subditos, ergo.

Denique sequeretur, quod nulla esset differentia inter indulgentias, quæ conferuntur defunctis, & quæ conferuntur viuis, istæ enim non differunt, nisi quod pro defunctis conceduntur, per modum suffragij, quia non sunt de iurisdictione Ecclesiæ, illæ verò, quæ viuis dantur, per iurisdictionem clauium conceduntur eis, qui subditi sunt tali iurisdictioni, ergo concessio indulgentiarum est actus iustitiæ, & consequenter solutio.

Respondeo cum Caietano in opusc. 21. qu. 1. vbi ait: [Quod indulgentiarum concessio est quidem absolutio, & remissio respectu illius, qui suscipit indulgentias, quia ille non soluit, est tamen solutio respectu Christi, & Sanctorum, qui soluerunt pro eo. Vndè ad primam instantiam respondeo quod potestas clauium non exercetur, nisi cum eo qui suscipit indulgentiam, qui non soluit, sed absoluitur, vt diximus, absoluitur enim à pæna, quia soluitur ipsa pæna, non ab ipso, cui remittitur, sed ab illis, quorum meritis, & satisfactionibus conflatur thesaurus: qui applicatur per indulgentias,

Ad secundam dico, quod indulgentia potest esse actus misericordiæ respectu illius, cui conceditur indulgentia, est autem actus iustitiæ respectu Dei, cui per indulgentiam soluitur pæna debita pro peccatis per applicationem thesauri meritorum Christi.

Ad tertiam distinguo maiorem, si non esset absolutio vllo modo, & nullo respectu, transeat maior, si non esset absolutio omnibus modis, nego maiorem; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam, respectu enim illius, qui recipit indulgentiam est actus iurisdictionis, & est absolutio, respectu verò Dei Christi, & Sanctorum, respectu quorum, vt diximus, non est absolutio, sed solutio, nulla exercetur iurisdictio.

Ad vltimam nego sequelam, nam quæ conferuntur defunctis, differunt ab illis, quæ conceduntur viuis per differentiam positam in argumento, quia scilicet mortuis applicantur per modum suffragij, quia non sunt ampliùs subditi Ecclesiæ, at verò viuis, qui sunt Ecclesiæ subditi, & respectu illorum exercetur iurisdictio, & ideò remanet salua nostra solutio, quod indulgentia est solutio respectu Christi, & Sanctorum, qui suis meritis soluunt pænas debitas pro aliorum peccatis, at verò respectu illorum, qui indulgentias sumunt, dicitur, & est absolutio. Noster autem Angelicus Præceptor, quando dicit (supra retulimus) quod merita Sancto-

rum

rum, & Christi soluunt, & quod non absoluitur à pœna, sed datur ei, vt debitum soluat, loquitur respectu Sanctorũ, & Christi non verò respectu illorũ, qui indulgentiã sumunt.

Ad tertium argumentum respondeo, cum Diuo Thoma in 4. dist. 20. qu. 3. art. 3. quæstiunc. 2. vbi argumentum à Luthero non alijs innouatum, quàm dicterijs vanis, & in iuriosis blasphemijs sibi proposuit, & respondet: [Quod temporalia possunt sumi dupliciter vno modo simpliciter, & sic pro illis non potest fieri indulgentia, alio modo possunt sumi temporalia, vt ordinata ad spiritualia, sicut repressio inimicorum Ecclesiæ, qui pacem Ecclesiæ, perturbant, sicut constructio Ecclesiarum, & pontium; & aliarum eleemosynarum, & tunc non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali, vnde non committitur simonia.

Sed obijcies, spiritualia subsidia sunt magis necessaria, quàm temporalia ordinata ad spiritualia, sed pro spiritualibus subsidijs non fiunt indulgentiæ, ergo multò minùs fieri debent pro temporalibus etiam vt ordinatis ad spiritualia.

Respondeo cum eodem Angelico Præceptore falsam esse minorem, siquidem etiam pro purè spiritualibus potest fieri indulgentia, & quandoque fit, sicut ait Diuus Thomas; [Quicumque orat pro Rege Franciæ habet decem dies indulgentiæ à Papa Innocentio IV. & similiter Crucem prædicantibus datur, quandoque eadem indulgentia, quæ Crucem accipientibus.]

Ad quartum respondeo negando sequelam, immò potiùs è contra vt ait Diuus Thomas loco cit. nam maius remedium ad vitanda peccata est gratia, quia ex assuetudine nostrorum operum, & quia ex affectu, quem accipiens indulgentiam concipit ad causam, pro qua indulgentia datur ad gratiam disponitur, & ideò etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur; & ita non est in destructionem indulgentias dare; quod autem inordinatè dentur, hoc non facit, quin indulgentiæ non habeant suum vigorem, vel quod sint perniciosæ, vt blasphemat Lutherus, & si aliquis est, qui ob spem indulgentiarum peccatum committat, iste malus est, & oppositus Deo, qui non sicut Deus ex malo bonum; sed è contra ex bono malum elicit.

Ex hac autem vltima instantia sumunt occasionem aliqui Theologi disputandi verũ indulgentiæ tantum valent, quantum prædicantur, in qua parte Hæretici nostri temporis negant omnem valorem indulgentijs, inter Catholicos verò aliqui, quos sine nomine citat Diuus Thomas loco citato, docent indulgentias non tantùm valere, quantum prædicantur, sed vnicuique tantum valere, quantum fides, & deuotio sua exigit, & docent, quod Ecclesia pia fraude ita pronunciat, vt homines hac pia fraude ad benefaciendum alliciat, sicut mater filio pomum promittens ad ambulandum ipsum prouocat.

Alij verò dixerunt, quòd valent, quidem Indulgentiæ, quantum prædicantur, sed secundùm iustam existimationem, non tamen dantis Indulgentiam, qui minùs quandoque indulgentias existimat, quod dat, aut secundùm existimationum recipientis, qui nimis parum existimare posset, quod datur, sed secundùm existimationem prudentis, & bonorum hominum iudicium pensatis, conditione personæ, vtilitate, & necessitate Ecclesiæ.

Tertiò, docent alij Indulgentias non in foro Dei, sed solùm in foro Ecclesiæ efficaces esse, scilicet liberare sumentem Indulgentias ab obligatione pœnitentiæ iniunctæ in Sacramento, non verò ab aliqua pœna in Purgatorio soluenda; ita aliqui cum Caietano in tract. de Indulgentijs ad Iulium Medicem, cap. 7. Adriano in quæst. de indulgentijs, & Paludano in 4. dist. 20. qu. 4.

Vt ergo nostram mentem in hac parte explicemus, dico cum Diuo Thoma: [Indulgentias tantum simpliciter valere, quantum prædicantur, dummodò ex parte dantis sit auctoritas, ex parte recipientis sit charitas, & ex parte causæ sit pietas, quæ comprehendit honorem Dei, & proximi vtilitatem,] ità Sanctus Thomas loc. cit. ex 4. sententiarum dist. 20. qu. 1. art. 3. qu. 2. Sanctus Bonauentura in 4. dist. 20. Alexander de Ales in 4. parte qu. 63. membro 1. art. 1. Magister Soto in 4. dist. 21. quæst. 2. artic. 1. & alij quamplures.

Et probatur primò, nam valdè periculosum est dicere in Sacræ Scripturæ, vel in Ecclesiæ prædicatione aliquod falsum deprehendi posse, vt enim ex Augustino in epist. ad Hieronymum refert Diuus Thomas, si in Sacra Scriptura deprehenditur aliquid falsitatis, iam robur auctoritatis sacrę Scripturę perijt, & consequenter si aliquid falsitatis in Ecclesię prædicatione deprehenditur nullam auctoritatem ad roborandam fidem documenta Ecclesiæ haberent, sed si Indulgentiæ non tantum valerent, quantum prædicantur aliquid falsitatis in prædicatione Ecclesiæ deprehenderetur; ergo debemus dicere, quod vel Ecclesia nullum robur auctoritatis habeat, quod est Hæreticum, vel quod Indulgentiæ tantum valent, quantum prædicantur.

Dices, quod valent, vtique Indulgentię quantum pronunciantur, non absolutè, sed secundùm iustam existimationem prudentum.

Sed contra, tùm primò, quia si hoc esset verum, Indulgentiæ non valerent ad remissionem, sed potiùs ad commutationem, nec prædicatio Ecclesiæ à mendacio excusaretur, cum quandoque Indulgentia conceditur, & prædicatur longè maior, quàm iusta existimatio omnibus conditionibus pensatis, posset requirere, sicut quando conceditur à Papa Indulgentia 7. annorum, pro visitatione vnius Ecclesiæ, ac proindè etiam esset mendacium talis prædicatio.

Secundò quantitas Indulgentiæ consequitur quantitatem suæ causæ, sed causa remissionis pœnæ in Indulgentijs non est, nisi abundantia meritorum Ecclesiæ, quæ sufficiens est ad totam pœnam expiandam, non autem causa remissionis effectiua est, vel deuotio, aut labor, aut eleemosyna data ad recipiendam Indulgentiam, aut causa, per quam fit Indulgentia, ergo non oportet ad aliquod illorum proportionare quantitatem Indulgentiæ, sed ad merita Ecclesiæ, quæ semper abundat, & super abundat, vndè secundùm

quod

quod applicantur ad istum, vel ad illum, secundùm hoc remissionem consequuntur.

Tertiò ex eo, quod Indulgentia tantum valeat, quantum sonat, non sequitur, quod iustitia Diuina derogetur, aut magnum forum fiat de misericordia Dei, cum nihil de pœna dimittatur, & absoluatur, sed vnius pœna alteri computatur; ergo non est, cur Indulgentia non tantum valeat, quantum sonat.

Secunda verò pars, quod scilicet requiritur auctoritas ex parte dantis, charitas ex parte recipientis, & pietas ex parte causæ, probatur, seu explicatur, nam ad hoc, vt applicentur Indulgentiæ, requiritur auctoritas dispensandi huiusmodi thesaurum, insuper requiritur vnio inter dispensantem, & cui dispensatur, quod est per charitatem, & ratio dispensationis, secundùm quam saluetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt, fecerunt autem ad honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ in generali, ergo requiritur, vt diximus cum Diuo Thoma pietas ex parte causæ.

Sed obijcies si Indulgentiæ tantum valerent, quantum prædicantur, sequeretur, quod quando conceditur Indulgentia visitantibus aliquam Ecclesiam v. g. centum annos Clericis ipsius Ecclesiæ, qui quotidiè ad illam vadunt, consequerentur tantum, quantum ille, qui à remotis partibus venit, sed hoc videtur iniustum, ergo.

Respondeo cum Diuo Thoma loco sæpè citato concedendo sequelam: [Ille enim, qui est vicinus Ecclesiæ, immò Sacerdotes, & Clerici ipsius Ecclesiæ, sicut ille, qui veniret à mille dietis, eamdem consequuntur indulgentiam, quia remissio non proportionatur labori, sed meritis, quæ dispensantur, vt dictum est supra, ille autem, qui plus laborat, plus de merito acquirit, sed non plus de indulgentia.] Similiter quando Indulgentia absolutè conceditur ad determinatum tempus, vt cum dicitur, quicumque vadit ad talem Ecclesiam, vsque ad tale tempus, habeat tantum de Indulgentia, semel tantùm intelligitur concessa pro toto illo tempore, & non toties, quoties valet, nisi hoc explicetur in concessione Indulgentiæ dicendo toties quoties aliquis in tali tempore visitauerit talem Ecclesiam, consequatur Indulgentiam, quia tunc quoties in illo die visitauerit talem Ecclesiam, toties Indulgentiā illam consequetur.

Sed oppones esto valor Indulgentiæ non sumatur à labore, quod imponitur, sed à meritis, quæ dispensantur, requiritur tamen causa, itaut qui facit indulgentiam, non possit remittere absque causa pœnam, siue in toto, siue in parte, ergo videtur, quod nec possit dimittere pœnam vltra iustam æstimationem, sed si vera esset solutio Indulgentiæ, concederentur vltra iustam existimationem, ergo nulla solutio. Minor subsumpta constat, nam iusta æstimatio censet plus dimittendum esse ei, qui plus laborauit, ergo, &c. Prima verò consequentia probatur, idem videtur remittere pœnam vltra iustam existimationem, quàm remittere absque causa, eo quia, quantum ad id, quod excedit causam, non habet, ergo si non potest sine causa, non potest vltrà iustam existimationem.

Respondeo cum eodem Angelico loco cit. ad 5. concesso antecedente, negando consequentiam, ad cuius probationem dico, quod causa non requiritur ad hoc, quod secundùm eam mensuretur remissio pœnæ, sed ad hoc, quod intentio illorum, quorum merita communicantur, ad ipsum peruenire possint; dupliciter enim continuari potest bonum vnius alteri, vno modo (ait Diuus Thomas loco citato) per charitatem, & sic etiam sine indulgentijs, si aliquis in charitate sit, est omnium bonorum, quæ fiunt particeps, alio modo per intentionem facientis, & sic per indulgentias, quando adest legitima causa, scilicet pro cultu Dei, vtilitate Ecclesiæ, vel proximi potest intentio illius, quorum merita dispensantur, & qui pro vtilitate Ecclesiæ operatus est, ad istum continuari, igitur non requiritur causa adæquans satisfactiones, quæ applicantur, sed continuans intentionem illius, cuius merita applicantur.

Secundò arguitur, indulgentiæ non habent effectum, nisi ex vi clauium, sed ex vi clauium non potest dimitti de pœna peccati, nisi aliquid determinatum, attenta quantitate peccati, & contritionis pœnitentis, ergo similiter indulgentiæ; ergo quando fiunt pro libito instituentis indulgentiam, non valent tantum, quantum pronunciantur.

Respondeo, distinguendo maiorem, non habent effectum, nisi ex vi clauium ordinis tantùm, nego maiorem iurisdictionis, concedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam, indulgentiæ enim non sunt effectus clauis ordinis, sed clauis iurisdictionis, vndè earum remissio non pertinet ad dispensationem Sacramentorum, sed ad dispensationē bonorum communium Ecclesiæ, quæ in eius thesauro sunt recondita, quapropter etiam Legati non Sacerdotes possunt indulgentias concedere, vndè in arbitrio dantis indulgentiam est taxare, quantum per indulgentiam de pœna remittitur.

Oppones, si ex arbitrio concedentis indulgentiam taxatur pœna per indulgentiam remissa, sequeretur, quod quis tribus denarijs v. gr. consequatur plenariam remissionem pœnę sibi debitæ pro peccatis, quantumuis attrocissimis. Sequela probatur, solet dari indulgentia his, qui dant auxilium ad aliquam Ecclesiam erigendam, vt quoties adiutrices manus exhibeant, tertiam partem remissionis pœnarum consequantur. Tùm sic, qui dat vnum denarium pro tali fabrica, & secundò dat vnum, ac tertiò alterum dat, tunc plenam absolutionem suorum peccatorum, ac pœnarum, quæ pro eis debentur adæquatam remissionem habet; ergo tribus denarijs posset quis consequi plenariam remissionem omnium pœnarum, quæ sibi pro peccatis debentur.

Ad hoc argumentum respondeo, negando sequelam, nam quando datur Indulgentia indeterminatè, scilicet qui dat auxilium ad fabricam Ecclesiæ, intelligitur tale auxilium debere esse conueniens ei, qui auxilium dat, & secundùm hoc plus, vel minus Indulgentiam consequuntur, vndè etiam pauper dans vnum denarium plus consequitur de Indulgentia, quàm diues, quem non decet tàm paruum dare in re itā fructuosa, & pia.

Deni-

Denique arguitur à Luthero in art. Smalcaldicis art. 2. de missa in fine, vbi hæc sacrilega verba habet, ibi: [huc pertinent Indulgentiæ viuis, & defunctis pro pecunia attributæ, quibus sacrilegus, & damnatus ille Iudas, seu Papa, meritum Christi, & merita superflua omnium Sanctorum, & totius Ecclesiæ vendidit;] & post pauca: [meritum enim Christi (ait) non nostris operibus, aut nummis, sed per fidem ex gratia apprehenditur, & obtinetur sine pecunia, & merito, & non per Papæ potestatem, sed per prædicationem verbi Dei oblatum, & propositum.] Ex quibus verbis, sic formari possunt instantiæ contra nostram doctrinam de Indulgentijs, thesaurus iste, quem in Indulgentijs dispensat Pontifex, vel fictus est, vel si aliquis est, non à potestate Papæ dependet eius dispensatio, ergo nullæ sunt indulgentiæ, & nullius sunt valoris, sicut à Papistis prædicantur. Antecedens quoad primam partem probatur primo argumento non quidem à Luthero, sed à Francisco Mayrone in 4. distinctione 19. quæst. 2. formato ad tollendum de medio, vt ipse contendit in illo loco thesaurum meritorum, non solùm Sanctorum, sed etiam Christi, & sic formatur; Tam Sancti singuli, quàm ipse Christus Redemptor noster, non solùm sufficiens, sed etiam vltra condignum respectu Sanctorum, & condignum respectu Christi præmium susceperunt, ergo nullum remanet residuum meritorum, quibus conflari posset thesaurus iste, quem Papa dispensat. Antecedens probatur & quoad primam partem de sanctis probatur, nam quilibet sanctus gloriam pro suis meritis vltra condignum suscepit, sic etiam de Christo patet, nam sufficiens fuit præmium suorum meritorum collatum; vbi datum est ei nomen super omne nomen, vt in nomine eius omne genuflectatur, ergo.

Dices verum esse saltem loquendo de sanctis (nam de Christo Domino infra dicemus) opera eorum bona, secundùm quod sunt meritoria fuisse per gloriam superabundanter præmiata; cæterùm secundùm quod sunt satisfactiones non fuisse præmiata, seu applicata, cum pro se necessaria non erant, & vt satisfactoria sunt conflare Ecclesiæ thesaurum, qui per indulgentias dispensatur.

Sed contra opponit Durandus in 4. distinct. 2. quæst. 3. vbi licèt: Thesaurum Christi non neget, renuit tamen concedere thesaurum Sanctorum, ob hæc argumenta. Primò quicquid passa est Beata Virgo, & consequenter quicumque Sanctorum, & quicquid operis in Dei obsequium præstiterunt, siue in ratione meriti, siue in ratione satisfactionis totum fuit eis supra condignum remuneratum, etenim etsi illi, qui innocenter vitam duxerunt, satisfactione nulla indiguerint, cæterum satisfactionis ratio commutata eis fuit in remunerationem gloriæ, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 3. [Vnusquisque propriam mercedem recipiet, iuxta suum laborem;] Immò receperunt vltra condignum, patet ex illo Lucæ 6. [Mensuram bonam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum;] Ergo nihil indè pro thesauro redundat.

Secundò opponit Durandus, opus vnius non potest cedere in satisfactionem alterius, nisi ille pro alio satisfacere proponat, sed nulla nobis refert historia sanctos voluisse mereri pro alijs, & maximè pro illis, qui modò viuunt, ergo nulla est ratio applicandi eorum satisfactiones nobis per indulgentiam.

Deindè secunda pars illius antecedentis, quod scilicet si aliquis detur thesaurus in Ecclesia, non sit sub potestate Pontificis eum dispensare. Probatur tùm primò, inferior non potest absoluere ab eo, ad quod superior obligauit, sed si thesaurus Ecclesiæ posset supplere satisfactionem pœnæ debitæ pro culpa, inferior posset absoluere ab eo; ad quod superior obligauit, ergo, &c. Minor probatur, Deus absoluendo à culpa, ligat ad pœnam temporalem, iuxta Hugonem de sancto Victore, sed Papa dispensando thesaurum, absolueret à pœna temporali; quæ remanet absoluta culpa, ergo.

Secundò, dispensare thesaurum pertinet ad potestatem excellentiæ, sed potestas excellentiæ non potest vllo puro homini competere, ergo non competit Papæ. Maior probatur, ad potestatem excellentiæ pertinet effectus Sacramentorum sine Sacramentis tradere, sed dispensare thesaurum Ecclesiæ, est tradere effectus Sacramentorum sine Sacramentis, cùm sit pœnam sine satisfactione dimittere ergo ad potestatem excellentiæ pertinet dispensare thesaurum.

Tùm denique nam hæc potestas non habetur, nec ex sacra Scriptura, nec ex sacris Canonibus, ergo est vana inuentio Papistarum.

Ad hoc argumentum, vt respondeamus debemus aliquo modo explicare, quomodo merita Christi, & sanctorum thesaurum constituant, & qua potestate Papa potest thesaurum istum per indulgentias dispensare. Ad primi notitiam habendam notandum est cum Magistro Soto, in quocumque opere ex gratia procedenti distingui rationem meriti à ratione satisfactionis, itaut propter augmentum meriti satisfactionis ratio numquam minuatur, immò potiùs ex eo, quod opus aliquod in satisfactionem pro alio offeram, nihil mihi meriti decrescit fundatum in charitate, sed potiùs augetur, eo quia charitas per opus meum latiùs in proximo diffusa, eo mihi diuino munere plus meriti accrescit, hoc supposito.

Quod in Ecclesia sit thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum; tamquam certum apud omnes Theologos habetur. Et de meritis Christi probatur hoc euidentissimo argumento, Christus Dominus nullum sibi præmium essentiale meruit, scilicèt gratiæ, & gloriæ, vtraque enim sibi propter vnionem hypostaticam debebatur cumulatissimè, ergo nobis ipsis meruit præmium essentiale gratiæ, & gloriæ, vnde vt ait Paulus, posuit Deus propitiatorem nostrum per fidem in sanguine ipsius. Et Isaiæ 53. [Verè, ait, languores nostros ipse tulit, & dolores ipse portauit, ipse autem attritus est propter iniquitates nostras, & posuit super eos Dominus iniquitates omnium nostrum.] Ex quo sibi postea accidentale meruit, puta quia Redem-

demptor meus fuit, omne genu illi flectatur, &c.

Ex quibus sic formo argumentum, non fuerunt in Christo præmiata sua merita, sed in nobis, quia merita sua erant, non ad accidentale præmium, sed ad essentiale, ergo cùm eius satisfactio, & meritum sit infinitum, ex illis conflauit thesaurum, quem reliquit in sua Ecclesia.

Quod autem thesaurum, istum ingrediantur etiam merita Sanctorum, probatur, in quocumque opere ex gratia procedente ratio meriti, sic à ratione satisfactionis secernitur, vt propter augmentum meriti numquam satisfactionis ratio minuatur, immò quia meritum in charitate fundatur, quo mea charitas latiùs in proximos diffunditur, eò mihi plus diuino munere meriti accrescit, ergo quantumcumque Beatissimæ Virgini sua merita (& idem dicimus de alijs sanctis) per gloriam fuerint remunerata, remanet tamen satisfactionis ratio in thesauro reponenda, hinc Sanctus Iob potuit dicere cap. 6. [Vtinam appenderentur pecata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret:] Non enim poterat hoc dicere de merito acquisito in perferendo tot mala sic patienter, ipse enim sciebat, quod minima gloria superat omne meritum nostro labore acquisitum, iuxta illud Apostoli: [Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis;] Loquitur ergo de redundantia laborum in satisfactione, qua ipse non indigebat, quia iustus erat, & hæc satisfactio est illa, quæ reponitur in thesauro.

Et hoc non aduertit, vel noluit aduertere Caluinus totus in maledicendo indulgentiarum vsum in Ecclesiam inueteratum contra Catholicos, quos ipse vocat Papistas applicatus, exaggerat enim tota dicendi arte, qua pollebat. & tamquam nefandam blasphemiam refert doctrinam Catholicam, quam de thesauro Ecclesiæ adduximus, sic enim quasi contra nos perorando ait: [Sunt autem indulgentiæ sanguinis Christi profanatio, Sathanæque ludibrium, quo Christianum populum à Dei gratia, à vita, quæ est in Christo abducant, & à vera salutis via auertant. Quid enim poterat fœdius profanari Christi sanguis, quàm dum negatur sufficere ad peccatorum remissionem, ad reconciliationem, ad satisfactionem, nisi velut arescentis defectus aliundè suppleatur, & sufficiatur. Christo lex, & Prophetæ (inquit Petrus) testimonium perhibent, quod per ipsum accipienda sit remissio peccatorum. Indulgentiæ remissionem peccatorum per Petrum, Paulum, & martyres largiuntur. Sanguis Christi emundat nos à peccato (inquit Ioannes) indulgentiæ sanguinem martyrum faciunt peccatorum ablutionem. Christus (inquit Paulus) qui peccatum non nouerat, factus pro nobis est peccatum, (idest peccati satisfactio) vt instiria Dei efficeremur in illo. Indulgentiæ peccatorum satisfactionem in sanguine martyrum reponunt. Clamabat Paulus: Solum Christum pro nobis crucifixum, & mortuum. Indulgentiæ pronunciant Paulum, & alios pro nobis mortuos. Alibi dicit: Christum acquisiuisse Ecclesiam suo sanguine. Indulgentiæ aliud pretium acquisitionis in martyrum sanguine statuunt. Vna oblatione Christus consummauit in perpetuum sanctificatos, ait Apostolus. Indulgentiæ reclamant à martyribus perfici sanctificationem, quæ alioquin non sufficeret. Ioannes dicit: Sanctos omnes lauisse stolas in sanguine Agni. Iudulgentiæ docent lauare stolas in sanguine sanctorum.]

Et infrà post alia testimonia sanctorum Leonis, & Augustini respondendo ad argumentum à nobis propositum sic habet: [Sed audiamus eorum enthymemata ne, sine fructu effusus sit sanguis martyrum in commune bonum Ecclesiæ conferatur, ita ne verò nullus erat fructus glorificare Deum per mortem? Veritati eius suo sanguine subscribere? testificari præsentis vitæ contemptu meliorem se vitam quærere? fidem Ecclesiæ sua constantia confirmare, & hostium pertinaciam frangere.

Et ad instantiam de satisfactione à nobis facta, quam sibi sic proponit coronam victoriæ adepti essent Petrus, & Paulus, si in lectulis defuncti essent sua morte, quod autem ad sanguinem, vsque certarent id sterile, & infructuosum relinquere Dei iustitiæ, non quadraret. Cui argumento respondet, quasi verò pro donorum suorum mensura gloriam in seruis suis augere Deus non nouerit. Vtilitas autem satis magna in communi ab Ecclesia percipitur, vbi illorum triumphis accenditur ad pugnandum.

Sed contra, nam hæc omnia sophismata, ab illo principio procedunt, quod confundunt Hæretici, & cum ipsis Caluinus rationem meriti, & rationem satisfactionis, sicut confundunt ipsam satisfactionem, cum emundatione à peccato gratia sanctificante; & ipsa sanctificatione, quis enim vnquam Catholicorum, dixit illa, quæ nobis apponit falsator iste sophista, non enim vnquam somniauimus, indulgentias, vel remissionem peccatorum, vel emundationem à peccato, vel sanctificationem, aut stolæ ablutionem causare, omnia enim hæc gratia sanctificans, & habitualis causat, quam indulgentia non dat, sed supponit in recipiente illam, nec potest dici indulgentia satisfactio peccati in eo sensu, quo loquitur Paulus in loco adducto à Caluino 2. ad Corinth. 5. nam Paulus de illa satisfactione peccati loquitur, qua iustitia Dei efficimur in illo, hoc est, qua iustificamur à peccato, non qua satisfaciamus pœnam peccati, primum non ab indulgentia, sed à gratia sanctificante ex meritis Christi nobis data habetur, indulgentia autem satisfactionem tantùm pœnæ peccati dicit, & neque pœnæ eternæ, quæ peccato debebatur, sed pœnæ illius quæ post absolutionem peccati, per quam pœna eterna tollitur, & fit temporalis, remanet satisfacienda in hac vita, vel in purgatorio. Ex quo fit solùm Christum, cuius meritis sanguine, & morte gratiam sanctificantem per sacramenta habemus, dici posse nostrum Saluatorem Redemptorem pro nobis mortuum; & Crucifixum; & suo sanguine Ecclesiam acquisiuisse, non autem martyres, vel alios Sanctos, quorum satisfactionibus, nec à macula

cula

cula peccati abluimur, neque pretium nostræ redemptionis soluimus, neque gratiam sanctificantem meremur, neque pœnas æternas fugimus, sed solùm pœnas temporales per indulgentias satisfacimus. Hinc Augustinus frustrà adductus contra nos à Caluino ep.95. nostram doctrinam eisdem verbis, contra nos adductis clarissimè docuit, ait enim: [Et si fratres pro fratribus morimur, nullius tamen sanguis Martyris in peccatorum remissionem funditur, quod fecit Christus pro nobis.] Ille: Nihil certè clariùs (non vt tu dicis impie Caluine, ad confodiendum impium hoc dogma) sed ad fundandum, & declarandum pijssimum nostrum dogma desiderari queat, nam vtrumque Augustinus dicit, & scilicet, quod fratres pro fratribus moriuntur, hoc est mors Martyrum pro satisfactione fratrum, hoc est Christianorum charitatis fraternitate coniunctorum in thesauro Ecclesiæ reconditur, & pro eis per indulgentias applicatur, & tamen hoc non obstante, ait Augustinus: [Nullius sanguis Martyrum in peccatorum remissionem funditur, quia non per sanguinem Martyrum, sed per solum sanguinem Christi à peccatis abluimur, & remissionem consequimur, Filij Dei efficimur, & gratiam sanctificantem habemus.] Hinc cessant Caluine horrenda sacrilegia, & blasphemiæ prodigiosæ, quas tu ex nostra sententia malitiosè detorques, nec est cur miraris Ecclesiam Apostolicam docuisse effusum sanguinem Martyrum in commune Ecclesiæ bonum in eius thesauro contulisse, non quidem quoad meritum, per quod gloria mensuratur, & in seruis suis illam auget Deus, non quoad vtilitatem, & fructus, quales sunt glorificare Deum per mortem veritati eius suo sanguine subscribere, nec quo ad exemplum nobis datum, quando illorum triumphis accendimur ad pugnandi zelum, sed quoad satisfactionem, quæ ab omnibus his distinguitur, & qua ipsi non indigentes nobis in thesauro Ecclesiæ seruauerunt.

Fingit autem Caluinus hostem, quem feriat, quando inuehitur contra thesaurum Ecclesiæ, dum dicit: [quo enim poterat fœdius profanari Christi sanguis, quàm dum negatur sufficere ad peccatorum remissionem, ad reconciliationem, ad satisfactionem, nisi velut arescentis, & exhausti defectus, aliunde suppleatur, & sufficiatur.] Quis enim Catholicorum vnquam hoc dixit, quin potiùs cum Apostolo profitemur ad Hebræos 9. [Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.] Et cùm Ioannem epist. 1. cap. 2. [Ipse est propitiatio pro peccatis non solùm nostris, sed totius mundi,] ac denique cum Apostolorum Principe Actuum Apost. 4. [Quod non sit aliud nomen datum sub Cœlo, in quo oportet nos saluos fieri.] Itaque non negamus vnam solam guttam sanguinis Christi, vnum eius actum meritorium, non solùm sufficientissimum esse ad remissionem omnium peccatorum totius mundi, non solùm quantùm ad culpam, sed etiam quantùm ad pœnam, sed id, quod dicimus est, quod cùm passio Christi, etsi fuerit infinita, quoad sufficientiam, quia tamen finito, & limitato modo per Sacramenta, & opera nostra applicatur, quò plures Sanctorum passiones, & satisfactiones thesauro accrescunt, plus nobis applicatur, & habemus ad hoc explicandum exemplum in ipsis operibus Christi Domini, vnico namque passionis actu infinitè quoad sufficientiam meruit (vt est communis sententia inter Theologos) tamen quantùm ad applicationem maior nobis fructus accrescit ex additione aliorum, quæ per totam vitam Patri obtulit, quam si sola passio nobis applicaretur, ita similiter magis nobis accrescit applicatio thesauri aucti satisfactionibus Sanctorum, quàm si solis meritis Christi constaret. Et tamen non licet eodem modo dicere Indulgentias esse remissionem virtute passionis Christi, & Sanctorum, nam potestas clauium, virtute cuius fit illa applicatio, non est nobis collata Sanctorum auctoritate, sed solius Christi, quapropter si sola applicarentur merita Sanctorum, non esset vera indulgentia, quæ misericordem applicationem dicit, & relaxationem, seù remissionem dicit, sed tantùm esset applicatio pretij, quo fieret solutio satisfactionis, & pretij, sed quia Christus dedit potestatem Ecclesiæ applicandi Sanctorum merita, dicitur etiam quodammodo virtute illorum fieri indulgentia, soluit itaque in primis Christus, ac deindè suo ordine Sancti pœnas à nobis debitas per suas satisfactiones.

Respondendum restat nunc ad argumenta Durandi, ad primum dico, quod licèt in ratione meriti omnia opera satisfactoria, tam Beatissimæ Virginis, quàm aliorum Sanctorum fuerint per gloriam præmiata, non tamen in quantum satisfactiones sunt, quia (vt diximus) propter augmentum meriti, & præmij ei correspondentis, numquam satisfactionis ratio minuitur, sicut quando Sanctus in hac vita opus suum in satisfactionem peccatorum proximi obtulit, nihil decreuit meriti, sed potiùs creuit, quia cùm in charitate fundetur, vt diximus, quò charitas magis diffunditur, eò meritò plus augetur, nec sequitur ex hoc, quod verè non soluat pro peccatis proximi sui.

Ad secundum argumentum Durandi, iam ex dictis ex Diuo Thoma patet solutio, nam esto Sanctis operibus se exercens, quibus non eget, non habet singulare propositum referendi, ad hoc illam suam satisfactionem, quia tamen omnes Sancti habuerunt propositum in genere, dum opera sua Deo referebant, quia in ipsa relatione includitur, vt ipse, suaque Ecclesia de illis disponeret.

Quod autem dispensatio huius thesauri pertineat ad potestatem Summi Pontificis, quod erat secunda pars impugnata ab argumento Lutheri probatur à Diuo Thoma in 4. distinct. 20. quæst. vnica art. 4. hac ratione, indulgentias conferre, est thesaurum Ecclesiæ dispensare, sed dispensare thesaurum Ecclesiæ ad Summum Pontificem pertinet, ergo indulgentias conferre. Minor probatur, dispensatio bonorum Reipublicæ, pertinet ad eius Principem, & Gubernatorem; sed Pontifex est Summus Princeps, & Gubernator totius Ecclesiæ vniuersalis, ergo illi competit ex proprio officio dispensare thesaurum Ecclesiæ, ac proindè indulgentias conferre.

Et ad argumentum supra factum contra hanc veritatem; ad primam ergo respondeo

cum Diuo Thoma in 4. dist. 20. artic. 4. ad 2. concessa maiori, & minori, negando consequentiam, quia ille, qui indulgentias suscipit, non absoluitur simpliciter à debito pœnæ, sed datur sibi, vndè debitum soluat, vndè non absoluit inferior ab eo, ad quod Superior obligauit, sed applicando thesaurum communicat, & dat vt soluat, ad quod obligatur.

Ad secundum respondeo negando minorem, ad cuius probationem concessa maiori, nego etiam minorem, non enim per indulgentiam effectus aliquis Sacramenti traditur; effectus enim sacramentalis absolutionis est diminutio reatus, & iste affectus non inducitur per indulgentiam, sed pro eo faciens indulgentiam, soluit pœnam, quam debebat de Ecclesia communibus bonis, vt supra remanet explicatum, & ideò non requiritur potestas excellentiæ, sed sufficit potestas clauium, & iurisdictionis.

Ad tertium dico, satis supra ostensum esse, & nobis sufficit modò id, quod adduximus ex Matthæo 16. vbi Christus dixit Petro: [Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis;] vbi non solùm datur potestas remittendi, & retinendi culpas, sed etiam pœnas contra Lutherum contrariũ, vt supra diximus, somniantem, nam illa propositio à Christo dicta est ita vniuersalis, vt si eius amplitudinem inspiciamus, sonat idẽ, ac si dixisset quodcumque, & quomodocumque solueris, aut ligaueris, siue sit culpæ, siue sit pœnæ, sententia tua probabitur in Cœlo, nec mihi displicet exemplum adductum à Magistro Soto: [Si quis, ait ipse, Prætor ad Vrbem cum plenissima potestate veniret ad vlciscenda aliqua crimina in ipsum Regem commissa, dicens ei: Ego ratum habebo, quicquid tu, & quomodocumque condonaueris, aut vendicaueris.] Certum est, quod posset iste delinquentes in Regis gratiam reuocare, atque pœnas pro delictis condonare, vel in partem, vel in totum, ita quia Summus Pontifex constitutus fuit à Deo Caput cum plenitudine potestatis, dicendo: [Quodcumque solueris erit solutum,] potest sine dubio remittere pœnas pro peccatis debitas.

§. IV.

An Papa possit commutare, vel relaxare vota.

SVppono in hac parte tamquam Catholicã veritatem, vota semel emissa esse opere complenda, & non posse pro cuiusque arbitrio tolli; opus tamen ex voto factum esse magis meritorium, quàm si liberè, & absq; voti necessitate factum fuisset, ità contra antiquos Hæreticos Lamperianos damnantes omnia vota, eo quod iuxta prophetam voluntariè sacrificandum est Deo, quam hæresim iam diù sepultam suscitarunt, Pseudo-Apostoli, Ioannes wicleff, & tandem Martinus Lutherus dicentes: [Vota non solùm non esse magis meritoria, sed nullius valoris, & nil valere, nisi ad operum iactantiam, & præsumptionem.] Contra hos omnes Hæreticos nostrum assertum probatur; tum ex sacris literis Veteris Testamenti, quod ipsi negare nequeunt, tum ex Nouo; ex Veteri enim constat Numerorum 21. ibi: [Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se coustrinxerit iuramento, non faciat irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit,] quod præceptum expressiùs in lib. Deuteronomij 23. cap. reperitur, Ecclesiastes 5. cap. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, & in Psalm. 49. [Redde Altissimo vota tua,] 54. [Reddam tibi vota mea,] & 25. [Vouete, & reddite Domino vota vestra.] Ex Nouo verò Testamento, patet ex illo, quod Beatissima Virgo, Angelo nuncianti respondet: [Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco,] quod sic explicant sancti Patres Bernardus, & Augustinus 1. Homilia 4. super Euangel. [Missus est,] sic illum explicat, non dubitat de facto, sed modum requirit, & ordinem, nec enim quærit, an fiat istud, sed quomodo, quasi dicat: [Cum sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud, si oportuerit me frangere votum, vt pariam talem filium, & gaudeo de filio: & doleo de proposito, fiat tamen voluntas eius;] ille Augustinus verò lib. de sancta Virginitate cap. 4. loquens de Virgine Deipara, sic habet: [Ipsa quoque virginitas eius gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Christus, viro violaturo, quam conseruaret, ipse prærripuit, sed priùsquàm conciperetur, iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit: Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret, nisi Deo virginitatem ante vouisset; sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat.] Hæc Augustinus ecce ergo, quomodo Regina Virginum votum virginitatis perpetuò in Nouo Testamento exemplo suo innumeras Virgines Filio, & sponso suo attrahens, votum emisit, plura de hac materia alio loco adducemus, quando Deo daute contra Lutherum monasticæ vitæ desertorem, & persecutorem de vita monastica, ac votis eius tractabimus, nunc satis fuit dixisse obligationem voti, tàm in Veteri, quàm in Nouo Testamento probari, nec esse seruitutem illam, qua sua morte nos liberauit Christus.

Secundò suppono ex communi Theologorum sententia, diffinitionem voti, quam ex Magistro sentẽtiarum adducit DiuusThomas. Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his, quæ Dei sunt propria fieri debent; Et duplex est, aliud simplex, aliud solemne; votum simplex est promissio facta Deo sinè aliqua solemnitate, nec in facie Ecclesiæ acceptantis, siuè sit pro aliquo faciendo, vt de dicenda Oratione aliqua, siuè sit de non faciendo, vt est votum de ieiunio, vel de non contrahendo matrimonio, siue sit absolutum, vt cum quis vouet aliquid simpliciter, non apposita aliqua conditione, siuè sit conditio-

tionatum, vt cum quis vouet ieiunare, si sanetur, & non obligat, nisi apposita conditione. Vel est solemne, & hoc etiam duplex aliud annexum ex præcepto Ecclesiæ sacris ordinibus, aliud quod constituit Religiosum Professum, & de omnibus his quærimus, vtrùm Papa posit dispensare.

Dico primò, quod in Ecclesia datur potestas ad dispensandum in votis simplicibus, quam veritatem esse dogma fidei, docet Arauxo dis. Eccl.tract.2. qu.19.num.72.& probat, quia id constat ex modo loquendi Conciliorum, ac Summorum Pontificum decretis, & ex communi traditione Ecclesiæ ab Apostolorum temporibus vsque ad nostra deriuata, itaut dispensatio hæc non solùm sit iuris humani interpretatio, sed etiam relaxatio, nec sola mutatio materiæ promissæ, sed etiam iuris diuini naturalis, & particularis relaxatio.

Maius autem dubium in hac parte esse potest, an Summus Pontifex posit dispensare in voto solemni castitatis, v. g. siuè sit votum solemne professionis Monachalis, siuè votum solemne consequutum ad susceptionem Sacrorum Ordinum, & in hac parte diuisi sunt Doctores. Prima sententia docet, Summum Pontificem dispensare posse in voto solemni, tam annexo Ordini Sacro, quàm per professionem solemnem, quam sententiam defendunt [Durandus in 4. dist. quæstion. 2. & ibi Paludanus quæst. 4. Riccardus quæst. 1. art. 9. Maior. quæst. 14. Ioannes Gerson 1. par. in regulis moralibus tract. de Matrim. alfab. 25.lit.I. & 3.par.alfab.67.lit.T.Caietanus 2.2.quæst.38.art.11. & tomo 3. opusc. tr. vlt. in responsione ad artic. 12. Catharinus lib.6. in Caiet. quæst. vtrùm Papa posit dispensare in voto Professionis, Zunica de voto quæst.6.num.104. Arauxo de statu Eccles. tract.2.quæst.19.Medina lib.5. de sacrorum hominum continentia cap. 21. Petrus de Ledesma quæst.61.de Matrim.art.2.ad 4.Petrus de Soto, Eruens, Henricus de Gandauo, Azorius, Rodericus, Emanuel Sà, Henriquez, Toletus, & Thomas Sanchez lib.8. de dispensationibus dispensat.8.num. 7. vbi citat pro hac sententia innumeros Canonistas, & Iuristas. Nihilominùs tamen in hac parte sit.

Conclusio. Non potest Papa in voto solemni, saltem professionis in approbata Religione ob quamcumque causam quantumcumque vrgentissimam dispensare, hanc sentẽtiam tuentur celebriores Ecclesię Theologi, Diuus Thomas 2.2. quæst.88. artic. 11. eius Præceptor Beatus Albertus Magnus in 4.distinct.38.art.16. vbi illam communem dicit [Altisiodorensis lib.2. Summę tract.28. cap.1. quæst.2.Capreolus in 4.dist. 33. art. 3. ad primum, Aureoli, Dominicus Sotus lib. 7.de iustit. & iure quæst. 4. art. 2. Cardinalis Turrecremata, Syluester, Seraphinus Porretta 2.2.quæst.88.art.11.Ioannes à Sancto Thoma in 1.par. in tractatu doctrinæ Sancti Thomæ, & 2.2, quæst.88.art.11.disput.29.Vincentius Baronius lib.1. Apologetico sect. 3. §. 1. Ioannes Nicolai 2.2.quæst.38.artic. 11.] & ibi Raphael de Turre, eandem sententiam docent Diuus Bonauentura [in 4. distin. 38. quæst.3.Dionysius Carthusianus in summa fidei orthodoxæ tom.2.lib.3. art.151. Alexander de Ales,] alijque plures, quos nouissimè citat, & sequitur noster Eminentissimus Capisuccus.

Probatur autem nostra conclusio à Diuo Thoma ex illo [Leuitici vltimo, quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios vsus commutari.] Ex quo sic format rationem Sanctus Thomas; non potest facere aliquis Ecclesiæ Prælatus, vt id, quod est sanctificatum, sanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis, puta quod Calix consecratus desinat esse consecratus, si maneat integer; ergo multò minùs potest facere Prælatus, vt homo Deo consecratus quamdiù viuit, consecratus esse desistat, sed solemnitas voti consistit in quadam consecratione, seù benedictione vouentis, vt dictum est, ergo non potest facere, quod ille, qui est Sacerdos, non sit Sacerdos, esto possit inhibere ordinis exequutionem, & simili ratione, quod ille, qui est professus Religionem non sit Religiosus, licèt quidam Iuristæ ignoranter contrarium dicant.

Notat autem hìc Diuus Thomas differentiam inter votum per professionem solemnizatum, & votum Ordini Sacro annexum, in eo, quod votum continentiæ non essentialiter, sed ex statuto Ecclesiæ est annexum Ordini Sacro, vndè videtur (ait Diuus Thomas) quod per Ecclesiam possit dispensari in voto continentiæ solemnizato per susceptionem Sacri Ordinis, at verò debitum continentiæ per professionem contractum essentiale est statui Religionis, per quem homo abrenuncians seculo totaliter Dei seruitio mancipatur, quod non potest stare simul cum Matrimonio, in quo statu homo sollicitus debet esse de procuranda familia, vxore, prole, vndè [Apost.1. ad Cor. 7. ait: Quod qui est cum vxore, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est,] nomen autem Monachi ab vnitate sumitur per oppositum ad diuisionem prædictam, vndè, & [Decretali in capite cum ad Monasterium, de statu Monachorum, habet, quod Pontifex non potest dispensare contra custodiam castitatis Monacho, & assignat rationem, quia castitas est annexa regulæ Monachali.]

Vndè sic sub breui forma potest reduci irrefragabilis ratio (vt eam meritò appellat Syluester), Diui Thomæ, Ecclesia non potest facere de Religioso non Religiosum, sed si dispensaret in voto solemni castitatis, faceret de Religioso non Religiosum; ergo cum illo non potest in voto solemni castitatis Summus Pontifex dispensare. Consequentia tenet, maior constat ex illo [Leuitici supra adducto, quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios vsus commutari;] Religiosus autem per professionem consecratur Deo, ergo non potest fieri de Religioso non Religiosus; maior autem etiam constat, votum continentiæ est essentialiter annexum statui Religioso; ergo non potest Summus Pontifex dispensare in voto castitatis per professionem solemnizato. Cuius rationis efficacia ità Angelicum Diui Thomæ intellectum conuicerat, quod vt obseruant Sotus & Syluius præter morem eius, qui erat re

prehendendi parcissimus, affirmaret eos, qui contrarium nostræ conclusionis sentirent ignoranter id asserere, vnde nulla est glossa, quam textui Diui Thomæ, apposuerunt Petrus de Palude, & Caietanus affirmantes, Sanctum Thomam tantùm docuisse Pontificem non posse dispensare in voto solemni Religiosum, quamdiù maneat Religiosus, non verò, quod non possit amouere statum à Religioso, & facere de Religioso non Religiosum; nulla enim glossa hæc est, repugnante ex opposito textu: nam Diuus Thomas in sua ratione hæc habet verba: [Simili ratione Papa non potest facere, quod ille, qui est Professus Religionem non sit Religiosus. Licèt, subiunxit, quidam Iuristæ ignoranter contrarium dicant.]

Ex quo manet etiam exclusa glossa Cardinalis Caietani, dum asserit resolutionem ex verbis Diui Thomæ adductam non esse Sancti Doctoris sententiam, sed opinionem à quibusdam ex decretali cum ad Monasterium de statu Monachorum positam: Vndè (verba sunt Caietani) [statim post decretalem subdit, ideò aliter est dicendum, quæ verba sunt loquentis tantùm opinatiuè.]

Remanet, inquam, præclusa ista euasio, tum quia Sanctus Doctor expendit rationem tactam à decretali, & illam confirmat, & approbat, eique tam certus inhæret, vt contrarium dicentes ignorantes existimet; ergo ex propria sententia, & non opinatiuè locutus est Diuus Thomas; tum etiam nam ratio sic explicandi Diuum Thomam, quam adducit Caietanus, nullius roboris est; semper enim Diuus Thomas sub illis verbis videtur dicendum, suas sententias exponit; ergo ex eo, quod sic dicit in præsenti, non potest argui ipsum non ex propria sententia, sed opinatiuè secundùm illam decretalem fuisse loquutum.

Nec minùs reiecta remanet alia glossa Caietani, scilicèt fuisse locutum Diuum Thomam in sensu composito, non in sensu diuiso, hoc est, quod Papa non potest facere, quod Religiosus, vt Religiosus non sit Religiosus; tum quia hoc esset non quæstionem soluere, sed vanis nugis ludere; quis enim dubitat, quod Religiosus, vt Religiosus in sensu composito non possit non esse Religiosus; tum etiam, nam nec etiam Summus Pontifex posset dispensare in voto simplici, loquendo in sensu composito; quamdiù enim votum ipsum fuerit, non potest per Summum Pontificem fieri, vt non sit; tum denique: nam verba Diui Thomę expressè referunt sensum diuisum, & non compositum non enim dixit, Papa non potest facere, vt Religiosus non sit Religiosus, quia sic posset aliqualiter glossam illam recipere, sed nullo modo quadrare potest verbis Diui Thomæ, ait enim: [Papa non potest facere, quod ille, qui est professus Religionem, non sit Religiosus,] quæ propositio, prout manet, non solùm facit sensum diuisum, sed excludit omnem sensum compositum.

Dices contra rationem adductam ex Diuo Thoma falsò supponi, quod solemnis professio sit hominis consecratio, non enim certum est essentiam professionis solemnis in consecratione, aut benedictione consistere, dantur enim plures Religiones, in quibus professio solemnis sinè benedictione, aut consecratione fit. Præterquam quod addit cum Caietano Arauxo duas consecratarum rerum classes, & benedictionum oportet distinguere, quarum vna est constitutiua rei, vtpotè illam formaliter sacrans, vt est benedictio consecratiua Calicis, Sacerdotis, &c. Alia verò benedictio est tantùm inuocatiua, quatenùs inuocatur Deus, vt talibus rebus vtenti opem ferat, sicut benedicitur mensa, nauis, &c. & ista, quæ sic benedicuntur, & consecrantur, non fiunt inhabilia ad humanos vsus.

Sed contra est, nam venia tantorum Doctorum solutio hæc vim rationis Diui Thomæ non attingit, non enim sentit essentiam solemnis professionis consistere in aliqua exteriori ceremonia superaddita tribus votis essentialibus sed sensus legitimus eius est esse essentialiter, & de intrinseca ratione Religionis traditionem hominis perfectam ad seruandum tria vota substantialia, & hoc esse intransitiuè hominis consecrationem occultam Dei, cum enim homo se Deo tradit, & superior ex approbatione Ecclesiæ illum Dei nomine acceptat, Deoque offert, vndè eo ipso, quod quis solemniter profitetur, fit Deo consecratus. Quam doctrinam non solùm docuerunt Diuus Thomas, & decretalis supra citata, sed etiam Diuus Ignatius Martyr [in epist. ad Antiochenos, Eusebius in lib. 4. de vita Constantini, Diuus Athanasius lib. de Virginitate, Basilius in proemio suarum constitut. Sulpitius in vita Sancti Martini, Diuus Ambrosius lib. 3. de Virginitate,] & alij plures.

Aliter respondet Suarez, & quidem ingeniosè, ad nostram rationem, duplex esse genus consecrationis, quandoque enim res consecratur Deo per deputationem ad aliquem eius cultum, pacto, aut promissione firmatam, vndè res tunc non denominatur sacra ab actione sacrante, esto præcesserit talis actio, sed mediantè obligatione in ea relicta ad sacrum cultum, vel vsum, ac proindè si talis obligatio rescindi potest, consecratio consequenter potest auferri, & ponit exemplum in voto simplici virginitatis, quod esto personam suo modo sacret, tamen per dispensationem, sicut tollitur eius obligatio, ità consecratio personæ; alio modo res consecratur, quando per solam actionem sacram, quæ circa talem rem fit, redditur sacra, sicut contingit in calice, in altaribus, & similibus, & quia tunc res non denominatur consecrata, nisi ex habitudine ad actionem præteritam, quæ nulla potentia potest fieri non præterita, consequenter res sic consecrata quamdiù manet, non potest fieri non consecrata.

Sed contra hanc euasionem, relictis alijs impugnatoribus Salmanticẽsium arguitur primò. Ratio Diui Thomæ non consistit in eo, quod Religiosus denominatur consecratus à voto, vel ab eius obligatione, sed ex eo, quod vt ait Abulen. cap. 30. Numer. qu. 109. §. sed adhuc: [Votum solemne non est indispensabile, quia consecratum est, sed quia est constitutiuum, & de intrinseca ratione status Religiosi, qui est Deo consecratu;]

Reli-

Religiosus enim constituitur intrinsecè, & essentialiter per tria vota, vndè quando à Theologis dicitur, quod solemnitas voti consistit in quadam consecratione intelligendi sunt nõ de consecratione externa, quæ cõsistit in quadam benedictionem, sed de consecratione interna, per quam homo tradens seipsum Deo per internam voluntatem intrinsecè consecratur; ipsa enim traditio sui, & dedicatio ad cultum Dei, est interna quædam consecratio, ergo si Papa rem consecratam dissecrare non potest quamdiù in se integra existet, non potest dispensare in voto solemni.

Secundò arguitur contra responsionem Suarez, sicut consecratur Religioni per hoc, quod se offert Deo ad specialem eius cultum, & ad hoc sequitur, tamquam effectus essentialis debitum continendi, ita quando consecratur quis in Episcopum, sequitur vt effectus essentialis obligatio aliqua, & specialis potestas, & tamen ab homine, qui semel in Episcopum consecratus est, non potest tolli consecratio, nec effectus eius à Summo Pontifice, ergo similiter esto actio sacrans professionem, relinquat obligationem voti, non potest Summus Pontifex, vel tollere ab illo denominationem consecrari, vel obligationem ortam ex tali consecratione, & accepi exemplum de Episcopatu, & non de alio ordine sacro, quia Episcopatus in veriori, & saniori Theologorum sententia, non imprimit nouum characterem, ac proindè nequit ad illum recurri, sicut ergo Episcopus non potest à Papa, quantumuis degradetur, & suspendatur ab Episcopatu, dissecrari, & fieri, vt non sit sacratus in Episcopum non potest etiam facere, vt Religiosus transeat ad statum non Religiosi, cùm vtrobique par ratio militet internæ consecrationis.

Secundò probatur nostra conclusio alia ratione Diui Thomæ, qua vtitur in 4. dist. 38. quæstio. 1. artic. 2. & artic. 3. ad 3. sub hac forma proposita, Pontifex rem alicui traditam, & sub eius dominio existentem ab illo non potest tollere, sed Religiosus per professionem solemnem Deo perfectè traditur, & sub eius speciali dominio constituitur, ergo Pontifex nequit cum eo dispensare. Maior sinè dubio est certa, minor etiam liquet, nam hæc est differentia tradita à Diuo Thoma 2.2. quæst. 88. art. 7. ad 1. quoad votum simplex, vt ait idem Angelicus quodlib. 3. art. 18. [Huius autem diuersitatis ratio est, quia votum solemne habet promissionem cum quadam traditione, votum autem simplex habet promissionem sinè traditione.

Tertiò probatur nostra conclusio ex historia illa celebri Diui Matthæi, quæ adducitur in lectionibus sui officij, quæ licèt à Caietano reijciatur, tanquam non authentica, illam tamen refert Abdias, qui fuit coætaneus Apostolorum, & recipitur ab Ecclesia vniuersali, quæ illam recitat in suo officio, vt dixi, ibi enim refertur, quod Diuus Matthæus noluit dispensare cum Ifigenia Moniali, vt nuberet, quamuis Rex promitteret se, & suos conuersuros esse ad fidem, quæ autem maior, & vrgentior ratio dispensandi esse poterat in Ecclesia, quàm conuersio totius Regni, & tam vasti, ergo si noluit Apostolus dispensare, qui, vt supra diximus, tanquam Apostolus habebat æqualem potestatem cum Pontifice Romano, est quia in Ecclesia Dei non datur talis potestas dispensandi in voto solemni.

Denique probatur nostra conclusio, votum solemne obligat de iure diuino, & naturali; Religiosus enim de iure diuino, & naturali est iam Deo totaliter traditus per professionem, ergo non potest dispensari à Summo Pontifice, probatur consequentia, quia de iure diuino, & naturali est fides matrimonialis ob nullam causam, quantumuis vrgentissimam non potest dispensari, vt vxore relicta maritus aliam ducat, itaut etiam si daretur iste casus metaphysicus, quod esset tantùm vnus homo coniugatus in mundo, cuius coniux esset sterilis non posset dispensari cum illo, vt ea relicta aliam duceret, ergo neq; etiam propter aliquam causam quantumuis vrgentissimam potest dispensari in voto solemni.

Sed contra hanc nostram conclusionem arguunt aduersarij, primò, si propter aliquam rationem non posset dispensari in voto solemni, maximè propter adductam ex Diuo Thoma, quia solemnitas voti est consecratio hominis in cultum Dei, & Papa non potest facere, quod res consecrata, quamdiù extat, consecrata non sit, sed hæc ratio est nulla, ergo, &c. Minor probatur, tùm primò, quia omnis Religiosus est Deo consecratus, vtpotè, vt diximus, consecratio hæc est de essentiali, & intrinseca ratione status Religiosi, & tamen certum est posse Pontificem dispensare cum aliquibus Religiosis, qui sunt veri Religiosi, vt contrahant matrimonium, vt constat in Societate Iesu, cuius Religiosi sunt veri Religiosi per tria vota simplicia, & tamen cũ illis Pontifex potest dispensare, ergo esto professi sint Deo consecrati poterit cum illis Pontifex indulgere, vt contrahant matrimonium. Tùm secundò, quia Sacerdotes sunt Deo consecrati, & tamen Papa potest cum Sacerdote dispensare, vt vxorem ducat, ergo idem dicendum est de solemniter professis. Tùm denique, quia si ratio Diui Thomæ conuinceret, probaret etiam, quod non solùm Papa, sed nec etiam Deus posset facere, quod Religiosus, non sit Religiosus, sed hoc est planè absurdum, ergo nihil probat ratio Diui Thomæ, cum nimis probet, sequela probatur, Religiosus remanet essentialiter consecratus per habitudinẽ ad professionem præteritam, sed Deus non potest facere, quod professio non præterierit, ergo si discursus Diui Thomæ aliquid valet, probat, quod non solùm Pontifex, sed etiam Deus non potest facere de religioso non Religiosum.

Ad hoc argumentum respondeo, negando minorem, ad probationem nego consequentiam; & discrimen maximum est inter Religiosum per tria vota simplicia, & Religiosum per tria vota solemnia. Quod ille sedat, & sacrat Deo, à superioribus tamen non acceptatur absolutè, & in perpetuum, sed conditionatè, & ad tempus, quamdiù causam non habeant ipsum licentiandi à societate, iuxta propria ipsius statuta. Vndè consecratio ibi interueniens non est absoluta, nec perpetua, sed saltem ex parte ipsius Religionis, & ad tempus, quo permanebit in Societate; & consequenter mirum non est, si deficiente conditione deficiat. Et hoc argumentum,

tum, si aliquid conuinceret, conuinceret etiam non esse necessariam dispensationem Pontificis, vt solemniter professus posset vxorem ducere, nam exemplum de Sacra Societate adductum hoc probat; Religiosi enim professi per tria vota simplicia non indigent dispensatione Pontificis, vt desinant esse religiosi, sed fiunt non Religiosi per hoc, quod à Prælatis Societatis dimittantur, & ita dimissi absque noua dispensatione, possunt matrimonium contrahere.

Sed oppones Religiosi Societatis Iesu sunt veri Religiosi, & tamen non sunt Deo consecrati, ergo falsum est id, quod adducit pro fundamento suæ rationis Diuus Thomas, quod scilicet Religiosus essentialiter sit consecratus, maior est certa, & patet ex Bulla Gregorij XIII., quæ incipit: [Quantò fructuosiùs,] & in altera Bulla, quæ incipit: [Ascendente Domino,] vbi declarauit, & definiuit eos, qui in societate Iesu tria vota simplicia emittunt esse verè, & propriè Religiosos. Minor autem constat, quia consecratio, vt idem Sanctus Thomas docet in illa ratione perpetuitatem, & solemnitatem voti importat, vndè infert Diuus Thomas, quod Papa non potest facere, vt homo Deo consecratus quamdiu viuit consecratus esse desistat; ergo si Religiosus Societatis non dicit perpetuitatem, non est Deo consecratus.

Respondeo, Diuum Thomam in sua ratione locutum fuisse de statu Religioso, iuxtà id, quod suis temporibus erat in vsu, & approbatione Ecclesiæ; tempore autem Diui Thomæ (ait Ioannes à Sancto Thoma in approbatione doctrinæ Diui Thomæ dispnt.2. art.3.) Ecclesia solùm censebat esse Religiosos cum effectu; qui essent Professi, vt constat ex cap. Religioso, §. quamuis de sententia excommunicationis in 6. vndè olim in Ecclesia non erat species aliqua Religiosorum ante professionem; illi autem, qui sunt Religiosi in Societate Iesu, etiam post biennium, quando emittunt vota simplicia, licèt sint veri Religiosi, non tamen sunt professi, nisi illi, qui post decursum temporis fiunt professi per vota solemnia, & tunc nec possunt egredi, nec possunt reijci, vndè, & domus, quam habitant, vocatur domus professa, seu professorum. Licèt enim antè vltimam professionem sint veri Religiosi, ita declarati à Gregorio XIII. in Bullis supràcitatis.

Sed adhuc obijcies. Ea, quæ sunt de iure diuino, non possunt mutari, seu alterari ab Ecclesia, sed quod Religiosus sit consecratus voto solemni, est de iure diuino, vndè non potest dispensari à Papa, vt nos dicimus, ergo si declaratum est in Ecclesia Religiosos Societatis Iesu esse verè, & propriè Religiosos, falsum est id, quod affirmat Diuus Thomas in sua ratione, quod Religiosus essentialiter debeat esse Deo consecratus per votum solemne. Et roboratur hoc argumentum in sententia Diui Thomæ: professiones per vota simplicia, & per vota solemnia distinguuntur ab intrinseco ex natura rei, & de iure diuino, sed non in alio, nisi in hoc, quod secunda constituit hominem Religiosum, non verò prima, ergo, &c.

Ad hoc argumentum respondeo, quod sensus Diui Thomæ in illa ratione non est, quod Religiosus essentialiter constituatur per voti solemnitatem, sed quod ille, qui non professus est Religionem, Religiosus non sit, non autem, quod non possit dare Religiosus. qui non sit professus professione solemni quæ sunt valdè diuersa, & licèt primum sit verum, secundum apparet esse falsum, vt patet in exemplo adducto de Societate Iesu, vbi per vota simplicia, vt diximus, sunt veri Religiosi, sicut Religiosi professi; non mutat ergo Ecclesia aliquid substantiale Religionis, sed solùm declarat posse esse veros Religiosos sinè professione solemni; duo enim requiruntur secundùm Diuum Thomam, & cæteros Thomistas ad statum Religiosum, scilicet tria vota, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, & quod tradat se in Religione Deo, vel tradat se Superiori, aut Religioni ad cultum Dei, & quia vtrumque reperitur in voto solemni, ideò dicit Diuus Thomas, quod professus in aliqua Religione non potest non esse Religiosus, cumque in Societate Iesu dentur ista tria vota, licèt simplicia, datur tamen traditio sui ipsius in cultum Dei, suæ Religioni, & Superiori, vt ait Gregor. XIII. in illa extrauaganti, [Ascendenti Domino,] vbi docet: [Quod Religiosus Societatis est verè Religiosus, quia per vota illa simplicia tradit se Religioni in cultum Dei.] Hinc est, quod non est contra Diuum Thomam, instantia facta de votis Societatis Iesu.

Ad confirmationem respondeo, vota solemnia, & vota simplicia constituentia statum Religiosum, vt sunt vota emissa in Societate Iesu non distingui specie formali, sed solùm quoad modum intrinsecum, siue quantùm ad maiorem, & minorem statum perfectionis, quod enim vota simplicia, vt in præsenti loquimur, important promissionem conditionatam, & limitatam ex parte obiecti; secus verò vota solemnia, dummodò vtraque vota importent æqualem traditionem sui ipsius, licèt non eodem modo, itaut sicut votum simplex emissum in Societate, sit conditionatum, ita & traditio, ex parte tamen Religionis acceptantis, vt supra explicauimus, non conuincit distinctionem specificam, sed solùm modalem maioris, vel minoris perfectionis. Nec Diuus Thomas docet oppositum, nam loquitur de votis simplicibus non importantibus traditionem, nec constituentibus statum Religiosum, qualia erant omnia vota simplicia tempore Sancti Doctoris, in quo non erat adhuc admissa in Ecclesia Religio cum votis simplicibus, sicut fuit admissa tempore Gregorij confirmantis Societatem Iesu, nec est nouum in Ecclesia aliqua declarare circa ea, quæ sunt de iure diuino, quæ statum illorum videntur mutare, & quidem meo videri ad propositum nostrum, habemus clarum, & adæquatum exemplum in matrimonio, quod ex iure naturæ, & iure diuino est indissolubile, iuxtà illud Christi Domini: [Quod Deus coniunxit homo non separet;] & tamen Ecclesia declarauit in matrimonio rato non consumato, quod tamen est verè, & propriè matrimonium, quod non facit copula, sed consensus; dari bimestre ad deliberandum coniugibus, vt possint meliorem frugem eligere, itaut si alter illorum Religionem ingrediatur, relictus potest ad alias nuptias tran-

transire; sicut ergo non valet hoc argumentum: Ecclesia concedit tempus bimestre, vt coniuges possint separari, post ratum, & non consummatum matrimonium, sed matrimonium ex natura sua, & essentialiter est indissolubile, ergo matrimonium ratum, & non consumatum, non est verè, & propriè, & essentialiter matrimonium, ita phisosophandum est in præsenti, religio essentialiter secundùm statum perfectum consistit in traditione sui ipsius perpetua, & indispensabili facta per votum solemne, sed Societas Iesu non habet hanc traditionem actualem, perpetuam, & indispensabilem, sed per vota simplicia perpetua sub illa conditione: [Quamdiù Superiores acceptant, & non licentiant;] ergo Societas Iesu non est verè, & propriè, & essentialiter Religio, non enim valet hæc consequentia in vtroque casu, nam sicut in primo ex statuto Ecclesiæ consensus matrimonialis, quamuis debeat esse absolutus, & perpetuus, potest esse dependens ab ista tacita conditione, nisi infra duos menses meliorem frugem elegerit, ita in secundo casu, esto Religio ex se dicat perpetuitatem traditionis, & voti, potest nihilominùs Ecclesia declarare posse aliquam Religionem esse veram Religionem, etiam si sui Religiosi non emittant solemnem professionem, quæ est absolutè perpetua, & indispensabilis, sed non se tradat, nisi per vota simplicia, quæ non absoluta, sed conditionata sint conditione implicita, & tacita, nisi Prælatus licentiauerit, & quamdiù acceptauerit, perpetuitatem importat.

Ad secundam probationem minoris principalis argumenti, nego consequentiam, nam esto Sacerdos sit consecratus, quia tamen consecrationi Sacerdotali non est essentialis obligatio continentiæ, sed solùm ex statuto Ecclesiæ, vnde Sacerdotes Græci vxores habent, ideò potest Papa dispensare, vt Sacerdos manens Sacerdos vxorem ducat, non enim potest facere, quod Sacerdos non sit Sacerdos, at verò votum continentiæ est essentiale professioni solemni Monachali, & ideò Papa non potest dispensare, vt Religiosus professus solemniter vxorem ducat.

Ad tertiam dico, argumentum hoc soluendum esse à contrarijs, sic enim illud formo ad nostrum propositum in simili, Calix consecratur per ordinem ad consecrationem factam ab Episcopo, quæ iam est præterita; quæro ergo, potest ne Deus facere, vt maneat Calix in integro esse, & consecratus non sit, & quod ipsi respondebunt ad hoc argumentum, applicabo pro solutione factæ obiectioni, nam si existimant, quod Deus non possit dissecrare Calicem consecratum deputando, vt Supremus Dominus illum ad vsus non sacros, quod est verius in hac parte, idem nos dicimus de professo Religioso, quod si contrarii dixerint non existimantes inconueniens, Deum non posse illum dissecrare, nec etiam nos inconueniens existimamus, Deum non posse illum dispensare.

Secundò arguitur, & potest esse instantia præcedentis argumenti Pontifex potest dispensare in omnibus alijs votis, siuè sint purè simplicia, siuè sint simplicia constituentia statum Religiosum, siuè sint solemnia annexa ordini sacro, ergo pariter potest dispensare in voto solemni emisso per solemnem professionem; patet hæc consequentia, nam si votum continentiæ in professione solemni emissum, esset indispensabile per Pontificem, vel esset, quia est promissio Deo facta, & hoc non, quia omnia vota sunt promissiones Deo factæ, & à Papa dispensantur, vel ex eo, quod in tali voto datur actualis traditio sui ipsius in cultum Dei, & hæc etiam reperitur in votis simplicibus constituentibus statum Religiosum, quæ de facto dissoluuntur, vel denique, quia in tali voto interuenit aliqua consecratio, sed hæc, & maior reperitur in ordinatione sacra, & tamen votum ei annexum est dispensabile, ergo nullo ex capite potest probari Summum Pontificem, qui potest alia vota dissoluere, non posse dispensare in voto emisso per solemnem professiouem.

Ad hoc argumentum respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam, & dicimus, vt supra iam tactum est, prouenire ex eo, quod votum solemne per professionem emissum, importat traditionem sui ipsius, & translationem dominij in Deum, ac proindè nec Pontificia potestate dissolui nequit; dissoluitur autem, vt supra iam remanet explicacatum, votum simplex constituens Religionem, etiam si aliquam traditionem dicat, quia illa traditio non est absoluta, neque perfecta, quia, & dominicum radicale in subiecto relinquit, & obligat solùm dependenter à conditione, quamdiù maneat in Societate ex Superiorum beneplacito, vndè etiam sinè dispensatione dissolui potest; perfectio verò professionis solemnis est traditio perfecta, & absoluta, quo homo constituitur, specialiter sub Dei dominio speciali, & ideò primum est potiùs dissolubile, quàm dispensabile, secus autem secundum.

Quod si oppones indispensabilitas hæc prouenit ratione solemnitatis, sed solemnitas professionis est de iure Ecclesiastico, & per Ecclesiam inuenta, vt docent Bonifacius VIII. in cap. vnic. de voto in 6. & Gregorius XIII. in sua extrauaganti, quæ incipit: [Ascendente Domino, vbi habet: Non considerantes voti solemnitatem, sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse, triaque huiusmodi Societatis vota tamen, & si simplicia, vt substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu Religionis verè constitui, qui per ea ipsi se Societati dedicant, atque actu tradunt, seque diuino seruitio mancipant,] ergo cùm Pontifex potest dissoluere ea, quæ sunt de iure Ecclesiastico, poterit ea dissoluere, & dispensare in votis solemnibus.

Respondeo, vt supra diximus, quod esto solemnitas voti proueniat ex formula, seù modo, quo talis professio emitti debet, tamen quod sit indissolubile votum emissum, prouenit immediatè, & formaliter ex ipsa essentia professionis solemnis, quæ hominem Deo perfectè tradit, & consecrat, sicut indissolubilitas matrimonij ex eius essentia, quæ consistit in mutua coniugum traditione prouenit, esto Ecclesia possit præcipere talem, vel talem solemnitatem, sine quibus non dissolubile, sed nullum redditur matrimonium, vt accidit post Concilium Tridentinum in matrimonio clandestino, quod nullum est, non ex defectu

mu-

mutui consensus, qui essentialiter constituit matrimonium, sed ex defectu solemnitatis præsentiæ Parochi, & testium ab Ecclesia statutæ, ita similiter indissolubilitas voti per professionem solemnem emissi, oritur ex actuali traditione absoluta, & perpetua qua constituitur Religiosus, Deo consecratus, esto Ecclesia statuat solemnitatem, & modum emittendi talem professionem, sinè qua professio non dispensatur, sed nulla redditur.

Tertiò arguitur illud, quod est maioris boni impeditiuum, habet sufficientem causam, vt dispensetur, sed tale est votum continentię Religiosorum, ergo - Maior est certa, quia votum non potest esse de re non accepta Deo, sed id, quod est maioris boni impeditiuum, non potest esse Deo acceptum, ergo, &c. Minor verò probatur; primò, bonum commune est maius bonum, quàm bonum particulare, sed bonum totius Reipublicæ, quod potest pendere à dispensatione voti Religionis, est bonum commune, & bonum talis voti est bonum particulare, ergo debet dispensare in isto, ad hoc, vt saluetur illud. Secundò probatur illa minor, & explicatur magis vis argumenti, in casu quo Regnum aliquod reducatur ad has angustias, vt nisi dispensetur cum Religioso, deuoluatur Regnum in potestatem Hæretici, ex quo infinitæ clades Religionis, & Fidei destructio, & summa mala, tam spiritualibus, quàm temporalibus euenire, ergo tale potest esse votum continentiæ Religiosorum, quod ipsum non dispensare sit causa maximi mali, & ipsum dispensare causa maximi boni, ac proindè non dispensare impeditiuum maioris boni. Tertiò probatur illud antecedens, si aliquis imminenti graui periculo Regni, nisi contraheret matrimonium, & vellet emittere votum, iste talis potiùs teneretur matrimonium contrahere, quàm vouere, ergo stante eodem periculo, maius bonum est matrimonium contrahere, quàm votum seruare, ac proindè poterit Pontifex in illo dispensare, & declarare, manente tali necessitate, votum hoc non tenere.

Respondeo concessa maiori, negando minorem, ad primam probationem respondetur bonum commune est maius bonum, quàm bonum particulare, distinguo maiorem; si bonum particulare non sit de iure diuino, concedo maiorem; si est de iure diuino, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam violare ius diuinum est maius malum, quàm quodcumque aliud malum creatum, maius est enim malum violatio iuris diuini, quàm ruina, vel perditio totius mundi, quia maius bonum est Deus, contra quem violatur ius diuinum, quàm pax, tranquillitas, non dico alicuius Regni, sed totius mundi; non ergo debet respici hoc, quod est Religiosum seruare continentiam, sed ius diuinum, quod violaretur per dispensationem illius voti. Et ad casum illum adductum, vt satisfaciam horrori, quem in superficie legentibus incutere potest, dico non esse nouum in Theologia docere, quod ad saluandum ius diuinum, debemus postponere omne bonum creatum, & non curare quodcumque malum, etiam illud apostasiæ totius Regni, quod argumentum adducit, & habemus clarum exemplum in matrimonio, quia de iure diuino est indissolubile; etiamsi ex tali indissolubilitate sequatur maximum malum Reipublicæ, nequit Pontifex dispensare, vt matrimonium dissoluatur, & vnius coniugum alteri nubat, vt si casus detur, quod Regina alicuius Regni sit sterilis, & infecunda, vndè ex defectu hæredis maxima mala, & bella in Regno, vel Regnis succedant, non potest Pontifex dispensare, vt illa, tanquam sterili relicta, alteri nubat, vt ex ea prolem, & hæredem in Regno habeat, & de facto quot mala, quot bella, quot damna ex apostasia Henrici VIII. Regis Anglorum in illo Regno, & in tota Ecclesia euenerunt, quibus omnibus occurrere poterat Pontifex, dispensato Henrico, vt repudiata Maria Austriaca, Annam Bolenam in vxorem acciperet, & tamen, quia violaret in hoc ius diuinum, & naturale, noluit, quia non potuit dispensando illa vitare; ita ergo similiter cùm æquè de iure diuino sit, & naturali indissolubilitas voti solemnis continentiæ ad vitandum quodcumque malum nequit Pontifex in eo dispensare. Per quod patet solutio ad secundam probationem illius minoris, sicut enim apostasia Regni non potuit mouere Pontificem ad dispensandum indissolubilitatem matrimonij temporalis, ita, nec ad dispensandum dissolutionem matrimonij spiritualis, quod cum Deo medio voto solemni professionis celebratur.

Ad tertiam probationem respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam, nam multa facta tenent, quæ fieri non possunt, vndè licèt ille, qui imminenti graui periculo, nisi contrahat matrimonium, non deberet emittere votum solemne, sed matrimonium contrahere, si tamen emisit votum manente eodem periculo, votum tenet, & indispensabile est à Summo Pontifice, sicut si aliquis ex contractu matrimonij cognosceret graue malum sequendum esse communitati, non deberet contrahere, tamen si contractum est matrimonium, factum teneret, & dissolui à Pontifice minimè posset.

Sed oppones in omni voto etiam solemni, intelligitur illa conditio: [Nisi Pontifex dispensauerit;] ergo in omni voto, etiam solemni, potest Pontifex dispensare. Antecedens probatur, votum est quædam lex particularis, quam sibi homo particulariter præscribit, sed omnis lex particularis includit illam conditionem: [Si non obstat bono communi;] ergo & illa, nisi Pontifex dispensauerit, cùm ad ipsum maximè spectat prouidere bono communi.

Respondeo negando antecedens, non enim in voto solemni Religiosorum, debet includi illa conditio: [Nisi Papa dispensauerit,] imò potiùs oppositum videtur includere, cum quando vouit, dicat; [Promitto vsque ad mortem, ac proindè potiùs intentio eius est, quod cum ipso non dispensetur.]

Quartò arguitur ex Arauxo Pontifex, non semel dispensauit in voto solemni continentiæ non solùm ordini sacro annexo, sed etiam per professionem in Religione militari Equitum Sancti Ioannis Baptistæ, ergo etiam votum solemne cuiuscumque Religionis dispensari poterit. Antecedens supponit ipse, & consequentia sic ab eo probatur, votum solemne

lemne professionis cuiuscumque Religionis, nihil speciale habet, quod obstet dispensationi, quod non habet votum solemne Equitum S. Ioannis, vel annexum ordini sacro habeat, ergo vtrobique est par ratio. Antecedens probatur, tria includit votum solemne Religionis militaris, nimirum promissionem Deo factam, materiam ipsius voti, scilicèt castitatem perpetuam, & solemnitatem, sed in nullo ex his oritur indispensabilitas voti solemnis, magis quàm voti ordini sacro annexi, & Religioni militari, ergo. Minor probatur, vtrobique est promissio Deo facta, ac proindè vtriusque voti obligatio est iuris diuini, & naturalis; vtrobique est eadem materia, scilicèt perpetua continentia, vtrobique est eadem solemnitas, hoc est actualis traditio sui ipsius ad cultum Dei, ergo vtrobique par ratio.

Respondeo esse maximam disparitatem inter votum solemne per professionem Religionis regularis emissum, & votum solemne ordini sacro annexum; nam primum nempè votum Religionis regularis est traditio talis, vt per eam Religiosus se Deo omninò tradat, & nullam compatiatur diuisionem in humanas curas, sed totum, & totaliter se Deo consecrat, at verò per votum solemne Clericale homo non tradit se Deo totaliter, & per modum viui holocausti, sed se tradit ad sacros ordines exercendos, ad quod exercitium dignè faciendum Ecclesia statuit debere in statu continentiæ permanere, vndè (vt benè notat Syluius, potiùs dicendum est votum solemnizatum, quàm solemne, vndè Sacrum Concilium Tridentinum sess. 24. can. 9. damnans eos, qui dixerint Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante (ait Sacrum Concilium) lege Ecclesiastica, vel voto. Clarè discernit votum solemne castitatis à lege, qua qui in sacris constituti sunt, obligantur seruare continentiam; Ad id verò, quod additur de Religiosis militaribus Sancti Ioannis Baptistæ, dico eodem modo esse philosophandum de ipsis, ac de alijs Religiosis professis; sunt enim veri Religiosi per solemnem professionem dicati, licèt non claustrales, sed militares, vndè nego, quod Papa possit dispensare illis circa votum castitatis, sicut & alijs Religiosis claustralibus, nec adducit Arauxo aliquam historiam, vel rationem aliquam, quòd Papa dispensauerit, vel potuerit dispensare tali Religioso militari.

Sed oppones, omnia tria vota per professionem emissa sunt æqualis solemnitatis, & non minùs de essentia professionis alia duo, quàm votum castitatis, atqui votum paupertatis solemne est dispensabile à Summo Pontifice, ergo & votum continentiæ. Maior est certa, quia ista tria vota constituunt essentialiter statum Religiosum, vt supra diximus. Minor verò probatur, quoties Monachus assumitur ad Episcopatum, dispensatur cum eo, quantùm ad vota obedientiæ, & paupertatis, vt docet ex nostræ sententiæ Doctoribus Magister Dominicus Sotus quæst. vltima art. 7. lib. 10. de iustitia, & iure, quia Monachi, quando assumuntur in Episcopos, eodem modo assumuntur, atque Clerici, & eodem tenore verborum illis, ac istis sua portio bonorum adiudicatur; sed Clerici acquirunt dominium verum bonorum Ecclesiasticorum fructuum scilicet, & redditúum, quoad illam portionem, quæ illi contingit; ergo hoc etiam conuenit Episcopis Regularibus; ergo acquirunt verum dominium bonorum Ecclesiasticorum, ac proindè in voto paupertatis ei dispensatur, vndè sic habetur in canone, & statutum 18. qu. 1. illis verbis: [Monachum canonica electio à iugo Monasticæ professionis absoluit;] vndè huic sententiæ subscribunt præcitatus Sotus, & Arauxo.

Respondeo, concessa maiori, negando minorem, ad eius probationem nego antecedens, dico enim cum Angelico nostro Magistro in 4. dist. 38. qu. 1. art. 4. ad 5. vbi sic habet: [Dicendum, quod cum illis, qui assumuntur à statu Religionis in statum prælationis, non dispensatur in principalibus votis Religionis, quia illa, quæ possidere videntur, non suo nomine, sed Ecclesiæ possident, vndè nihil per hoc præiudicatur voto paupertatis, similiter nec voto obedientiæ, quia obedientia respicit statum prælationis in altero, cui obedire tenetur, & ideò quia ille, qui sub Prælato esse desistit, non teneatur alicui obedire, non est ex hoc, quod obligatio voti deficiat ex parte vouentis, sed quia subtrahitur prælatio ex parte vouentis, sed quia subtrahitur prælatio ex parte altera, cui obedire tenebatur, vndè Monachus, qui Abbati obedientiam promittit, si ipse fiat Abbas, non tenetur obedire alteri Abbati, quia iam non habet Abbatem.] Hæc ille. Quibus ad obiectionem factam clarissimè respondetur, quod licèt eodem modo in bullis tradatur dominium portionis sibi debitæ tam Clerico, quàm Monacho, neuter tamen est Dominus absolutus illius partis, sed vterque illam possidet nomine Ecclesiæ. Similiter obedientiæ votum non dispensatur, sed subtrahitur Prælatus, cui debeat obedire, quod si esset dispensatio obedientiæ, dispensaretur à tali voto ex se, & sinè auctoritate Pontificis quilibet Abbas, & Generales Religiosorum, qui assumpti ad has prælaturas non habent supra se intra suam Religionem Superiores, quibus obediant, quod iam videtur falsissimum.

Sed adhuc oppones cum Arauxo, & alijs Doctoribus contrariæ sententiæ; de facto Pontifices dispensarunt cum aliquibus Monachis professis, sed factum Superioris censetur legitimum, & maximè Summi Pontificis, cui Spiritus Sanctus magis assistit, nec errat, ergo si à Summo Pontifice datæ sunt tales dispensationes, validæ censendæ sunt, ac legitimæ. Antecedens autem probatur, de facto Pontifex dispensauit cum Ramiro Monacho, & Sacerdote ex stirpe Regum Aragoniæ ob defectum successoris, vt vxorem duceret, ex qua habuit filium, qui successit in Regno, ita refert Auchar. cons. 329. similiter Alexander III. teste Surio, vel vt ait Caietanus, Cœlestinus III. dispensauit cum Constantia filia Regis Siciliæ, vt nuberet Henrico filio Imperatoris Federici Barbarossæ, Alexander III. dispensauit cum Nicolao Monacho de familia Iustinianorum, nè familia illa extingueretur; vt duceret vxorem, ex qua filium habuit Sanctum Laurentium Iustinianum, vt habet Surius tom. 1. die 8. Ianuarij in vita prædicti

S. Laurentij,] ac denique ex Martino Cromero lib. 4. de rebus Polonorum habetur, quod Benedictus IX. ad Polonorum petitionem dispensauit cum Casimiro filio Regis Poloniæ, & Monacho Cluniacensi, vt vxorem duceret; si ergo Pontifices dispensarunt, dicendum est, dispensationes illas fuisse validas, ac proindè ex ipso facto Summi Pontificis manet veritas huius sententiæ, non solùm probata, sed aliquo modo definita.

Respondeo, nullum ex allatis exemplis esse ita certum, vt possit facere argumentum Theologicum in primis de Ramiro Sotus lib. 7. de iustitia, & iure loco supra citato, negat in Chronicis Hispanicis talem historiam reperiri, & Mariana, qui lib. 10. de rebus Hispaniæ cap. 15. illam refert, quasi dubitando (ait) dispensatione, vt creditur Pontificia, & Syluester in verbo votum 4. affirmat esse, qui asserant, Religiosum illum Aragonem, vel non fuisse professum, vel non spontaneè solemniter vouisse. Quam fabulosa verò sit narratio de Constantia Moniali desponsata Henrico VI. videatur Baronius, qui reijcit illam auctoritate Gotfridi Viterbiensis, qui fuit Notarius prædicti Henrici VI. qui narrans nuptias istas, ita scribit (referente eodem Baronio) Hoc eodem anno millesimo centesimo octuagesimo sexto, indictione sexta, 6. Kalendis Februarij Rex Henricus VI. cum Regina Constantia, filia Rogerij Regis Siciliæ, nuptias gloriosas celebrauit Mediolani apud S. Ambrosium, &c.] vbi, vt vides, nec verbum quidem habet de Monachatu Constantiæ; [Quod autem (subdit Baronius) Constantiam hanc Monialem fuisse, complures ex recentioribus asserant, scias fabulosum esse, atque commentum, fortasse indè excogitatum, quod asseruata fuerit in Monasterio, vt si defuisset Regibus mascula proles, spes esse potuisset nubendi Regi cum dote Regni, Scriptorum siquidem omnium tempore Federici nullum planè reperies, qui aliquid narret de Monachatu Constantiæ.] Et citat ad hoc confirmandum, non solùm Gotfridum, sed etiam Vgonem Falcadum Scriptorem Siculum illius ætatis, Arnoldum Abbatem Lubecensem Authorem illius seculi, Romualdum Archiepiscopum Salernitanum Neubrigensem, Rigordum, & Rogerium eiusdem temporis Scriptores, probat etiam ex contradictione historiæ, nam Cœlestinus III. fauebat Tancredo, vt fieret Siciliæ Rex, vt fatetur Baronius ex Neubrigensi ab ipso relato, quomodo ergo potuit dispensare Constantiæ Moniali, vt nuberet Regi Henrico, sciens ea ratione illam ducere in vxorem, vt vnà cum ipso Regno potiretur, certè contra Tancredum ageret, vt potiùs eijceretur à Regno, quàm vt Rex fieret, quæ (relictis alijs pluribus, quæ in huius confirmationem adduci possent) satis probant falsitatem illius historiæ. Casimirum denique à Benedicto IX. dispensatum, & Nicolaum Iustinianum ab Alexandro III. etiam euidenti argumento constat esse falsum, quia primum, tam diuersa ab Auctoribus narratur, vt statim falsitatem facti de se prodat; de secundo verò adest clarissima contradictio, cùm Alexander III. iam obierat, quando fuit Iustinianus dispensatus; Quod si vis aliquam ex prædictis historijs veram fuisse, dico cum Petro Ledesma, quod Summi Pontifices in his, quæ sunt facti, non definiunt, sed possunt errare, esto in hoc non errarunt, sed si dispensarunt, sequuti sunt opinionem Canonistarum, id posse fieri à Summo Pontifice asserentium. Et hæc de hoc §. ac tota secunda disputatione dicta sufficiant.

DISPVTATIO TERTIA.

De Infallibilitate Iudicij Summi Romani Pontificis.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm detur vna infallibilis regula in rebus fidei iudicandis, quæ sit Summus Pontifex Romanus.

§. I.

Statuitur Catholica Veritas.

IN limine huius disputationis debemus aliqua, quæ inter Catholicos supponitur contra modernos Hæreticos disputare, & priusquàm de infallibilitate Iudicij Summi Romani Pontificis, tam in rebus definiendis, quàm in moribus Ecclesiæ dirigendis tractemus, debemus stabilire Summum Romanum Pontificem esse supremum Iudicem controuersiarum fidei contra Hæreticos Protestantes nostri temporis, qui respuentes Papam legitimum Iudicem, ius iudicandi controuersias fidei, ac interpretationes cuiuslibet libidini concedunt, ex quo tot Protestantium sectæ se inuicem lacerantes, quot in illis aut superciliosi, aut ceruicosi ingenij sunt, oriuntur. Hinc Lutherus eorum coripheus, & princeps in eam est captus insaniam, vt to. 1. Germ. ab Aurifabro edito, & Lypsiæ reuiso fol. 166. docuerit: [Nullum esse fidei controuersiarum Iudicem, sed vnicuique licitum esse (modò sit Christianus) probè de fidei doctrina iudicare, siue sit vir, siue mulier, siue senex, siue puer, siue doctus, siue indoctus: nullus, inquit, est Iudex in rebus spiritualibus de doctrina Christiana, nisi homo, qui veram fidem in suo corde habeat, siue sit vir, siue mulier, siue doctus, siue indoctus, siue iuuenis, siue senex, siue seruus, siue ancilla, quia Deus non respicit personas, omnes æqualiter amat.] Et rursùs in procemio assertionis ait: [Hinc hausto spiritu, iudicium suum quisque formabit, non modò super omnia gentium, sed & sanctorum Patrum scripta.] Ille. Sequuntur ipsum, Caluinus lib. 4. institutionum cap. 4. §. 11. & 13. vbi sic habet: [Quare nulla Conciliorum, Pastorum, & Episcoporum nomina (quæ tam falsò obtendi, quàm vsurpari possunt) nos impediant, quo minùs & verborum, & rerum documentis muniti, omnes omnium spiritus ad Diuini verbi regulam exigamus, quo probemus nùm ex Deo sint.] His addendi sunt Melancton in loco communi cap. de Eccles. Brentius in prologom. Centuriatores cent. 1. lib. 2. cap. 4. Gripus Lauignanus disputat. de sacra Scriptura, & controuersiarum Iudice thesi 3. Antonius Fayus in suo enchiridio disput. 31. conclus. 25. quibus adiungendus est Archiapostata Spalatensis lib. 7. de Republica cap. 5. & alij plures, ex diabolica horum Sectariorum fucina exorti, contra quos omnes sit.

Vnica conclusio: Romanus Pontifex est legitimus, ac supremus Iudex omnium controuersiarum fidei, & regula suprema visibilis gubernationis Ecclesiæ super omnes Fideles, & vniuersos Orbis Episcopos, non autem cuiuscumque priuatæ personæ internum dictamen.

Ità omnes veri Catholici, duo autem sunt probanda in hac nostra assertione, scilicet, quod detur & suprema regula, & supremus Iudex controuersiarum fidei, quod est Romanus Summus Pontifex; & quod non sit dictamen, & spiritus priuatus; Primum ergo probatur contra Hæreticos ex Deuteronomij cap. 17. illis verbis: [Si difficile, atque ambiguum iudicium esse perspexeris inter causam, & causam, lepram, & lepram, & iudicum intrà portas tuas videris verba variare, surge, & ascende in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint iuxtà legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.] Ergo clarè ex sacris literis habetur Summum Sacerdotem esse regulam veritatis.

Dices cum aduersarijs, quod veritas hæc iudicij, secundùm adductam auctoritatem à laico Iudice erat exquirenda, iuxtà illa verba: [Et ad Iudicem, qui fuerit in illo tempore,] quod patet esse falsum.

Sed contra, nàm esto ministerium obedientiæ cum his, qui Sacerdoti non acquiescunt, Iudici commendetur, sicut modò brachio seculari traditur, vt à Iudice seculari pœna capitalis inferatur, iudicium tamen in

in rebus fidei, soli Sacerdoti competit. Antecedens probatur, tùm primò, nàm post prędicta verba ex Deuteronomio adducta, vt nostrum intentum explicaret, sic subditur: [Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo suo, ex sententia Iudicis moriatur;] igitur obedientia soli Sacerdoti competit, pœna inobedienti inferenda Iudici commendatur. Tùm secundò, nàm hoc etiam explicatur 2. Paralip. cap. 19. illis verbis: [Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in Vrbibus suis, inter cognationem, & cognationem, vbicumque quæstio est, &c.] Et subdit: [Azarias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.] Ergo ad Summum Romanum Pontificem pertinebit in his, quæ Dei sunt iudicare.

Secundò probatur ex Nouo Testamento, Christus Petro, suisque successoribus promisit, quod futuri essent regula fidei, ergo ad illos solùm pertinet. Antecedens probatur, tùm primò, nàm dictum est Petro Lucæ 22. [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Ergo soli Petro, eiusque successoribus datum est fratres Episcopos, omnesque Fideles in fide confirmare iudicando, quæ nàm credenda sunt, quæ autem minimè. Secundò, nàm ex sententia Christi Matth. 13. [Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcumque dixerint vobis seruate, & facite;] sed cathedra Moysis erat figura Cathedræ Petri in Nouo Testamento firmandæ; ergo multò magis in illa sedentes, vt sunt Summi Pontifices, tamquam regula fidei sunt audiendi. Tertiò, nàm Io. vlt. dictum est Petro: [Pasce oues meas;] non quidem pabulo terreni cibi, sed cœlestis doctrinæ, vt dicit August. tract. 123. ergo, qui sunt oues Christi, à Petro, eiusque successoribus, cœlestis doctrinæ pabulum debent expetere; vndè concludo cum August. lib. de Pastoribus cap. 14. sic contra Donatistas, & cum eis Lutheranos, & Caluinistas loquente: [Sed rectè à vobis quæritur vox Christi, vox Pastoris, quam oues audiant, & exequantur: non inuenitis, quid dicetis, vocem Pastoris non habetis? audite exequiminì vocem Pastoris, aut vocem Pastoris date.]

Mitto auctoritates Summorum Pontificum, qui in primis Ecclesiæ fœlicissimis seculis floruerunt, Anacletum Papam epist. 1. Felicem I. epist. 3. Marcum Papam epist. ad Athanasium, Liberium Papam epist. ad Constantinum Augustum, Anastasium Papam ep. ad Germaniæ, & Burgundiæ Episcopos, Innocentium I. ep. 32. quæ est ad Patres Concilij Mileuitani, Gelasium Papam in commonitorio ad Faustum, Vigilium Papam epist. 1. ad Eleutherium, Pelagium I. epist. 1. ad Vigilium, Gregorium I. lib. 44. & alios quamplures, affirmantes in solo Summo Pontifice collocatum esse à Domino iudicium de rebus fidei; quia has, & similes Pontificum auctoritates, tamquàm in re propria surreptas aduersarij vel irrident, vel à Catholicis confictas affirmant; pro quibus impugnandis mitto Lectores integro libro Patris Francisci Turriani, in quo pro epistolis Pontificijs probandis, & ad aduersarios mendacij arguendos plura reperies.

Mitto auctoritates ex Concilijs desumptas ex Concilio 87. Episcoporum congregato à Cypriano pro non rebaptizandis Hæreticis. Ex Concilio Arelatensi canone 1. ex Ariminensi, Antiocheno, Nicæno 1. Sardicensi, Constantinopolitano 1. 2. 3. & 4. Ephesino, Chalcedonensi, Nicæno 2. & alijs pluribus tam Generalibus, quàm Prouincialibus, in quibus diuersas fidei quæstiones Summi Romani Pontificis iudicio detulerunt, quia has infrà in celeberrima illa quæstione, an Papa sit supra Concilium examinabimus.

Deindè probo primam partem conclusionis, ratione desumpta ex ipsis principijs hostium nostræ sententiæ. Vnitas fidei est necessaria ad consistentiam Religionis, ne oriantur contentiones, & scandala, sed hæc vnitas, nisi statuatur vnus supremus Iudex, & regula veritatis, haberi non potest; ergo ad fidei, & Religionis consistentiam, necessariò ponenda est vna summa regula, & Iudex veritatis fidei; sed hic nequit esse, nisi Pontifex Romanus, ergo. Probamus omnes propositiones huius discursus ex doctrina Protestantium Hæreticorum; & maior quidem conceditur à Luthero pluribus in locis, sed clariùs in locis communibus class. 1. cap. 35. fol. 105. illis verbis: [Cùm Deus voluerit habere Ecclesiam Catholicam per totum Orbem, necessè fuit vnum aliquem Populum, immò vnum aliquem Patrem istius Populi vnius eligi, ad quem, & suos posteros spectaret totus Orbis, & fieret vnum ouile, & sic vnica fieret Ecclesia.] Minor verò probatur ex Caluino lib. 4. institut. Cathol. 1. §. 2. ibi: [Ideò Catholica Ecclesia dicitur, seu vniuersalis, quia non duas, aut tres inuenire liceat, quin discerpatur Christus.] Sed clariùs Hokerus lib. de Ecclesiæ politia sect. 6. folio 26. ibi: [Hoc vnum sat scimus tam natura, & experientia, quàm ipsa scriptura edocti, tandem finem contentionibus istis imponẽdum esse definitiuè alicuius Iudicis sententiæ nos submittendo, cui neutra litigantium pars, sub quouis prætextu contradicat.] Et vt idẽ Caluinus lib. 4. institut. cap. 6. §. 6. expendens locum Deuteronomij à nobis, vt supra adductum, sic habet: [Debuit vnus Populus Iudæorum obsessus circumcirca ab Idolatris habere vnum Summum Pontificem, qui omnes in vnitate contineret, ne varijs Religionibus distraheretur.] Eis subscribunt Witacherus de sacra Scriptura pag. 465. Reinaldus Puritanorum Princeps in collect. pagina 241. Minor verò subsumpta, quod scilicet talis Iudex, & regula sit Pontifex Romanus probatur, & Luthero tom. 1. Wittemberch fol. 219. vbi omnia submittens Romano Pontifici, tamquam supremo controuersiarum Iudici: [Fateor (habet) me omnia sub pedibus Sanctissimi Domini nostri Leonis X. subiecisse, vt reprobet, & approbet, sicut placuerit.] Melancton clarioribus verbis idem confirmat in centuria epist. Theol. epist. 74. fol. 244. vbi habet: [Pontifex Romanus omnibus Episcopis præsidet, & hanc politiam canonicam nemo puto sapiens improbat, aut improbare debet.] Et post pauca addit: [Mo-

[Monarchia enim Romani Pontificis in hunc finem meo quidem iudicio vtilis est, vt vnitas doctrinæ seruetur.]

Denique probatur hæc prima pars, malè, immò pessimè gubernaretur Respublica, quæ licèt leges bonas haberet, nullum tamen haberet Iudicem, seu caput, qui ius litigantibus diceret, sed omnes mitterentur ad ipsum librum legis, vt ex eo discerneret, quis eorum ius haberet, quia sic numquam lites terminarentur; ità Ecclesia, & Respublica Christiana, malè esset à Christo disposita, & ordinata, si ipsa Ecclesia præter librum legis, qui est Scriptura sacra, nullum statuisset Iudicem, qui auctoritatem haberet dirimendi controuersias, & lites circa fidem exortas.

Et confirmatur, nam Scriptura non continet omnia, quæ debent fide Diuina credi, v. gr. quod Hæretici non sunt rebaptizandi non habetur in Scriptura, vndè August. lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. [Credo (inquit) consuetudinem non rebaptizandi Hæreticos ex Apostolica auctoritate venire, sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Concilijs posteriorum, & tamen, quia custodiuntur per vniuersalem Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita, & commendata traduntur.] Ergo Scriptura non continet omnia, quæ debent fide Diuina credi, ergo indiget Iudice viuo, apud quem sit auctoritas declarandi, quæ de fide tenenda sunt, quæuè minimè.

Deindè probatur secunda pars conclusionis, quod scilicet hæc regula fidei non possit esse spiritus priuatus cuiuscumque, hac ratione, regula debet esse nota, & infallibilis, sed spiritus ille priuatus, nec est notus, & certus, nec infallibilis; ergo non potest esse spiritus priuatus ipsa regula. Maior est certa, nàm si fallibilis est, non potest esse regula certitudinis fidei. Secundò probatur, spiritus ille priuatus potest esse diuersus in pluribus, ergo non potest ex ipso sumi vna regula, cui omnes debent acquiescere. Antecedens constat euidenter in tot sectis Hæreticorum, & Protestantium ex eo in illas diuisi, quia non ad vnam regulam certam, & infallibilem, sed vnius cuiusque spiritum priuatum in controuersijs fidei confugiunt.

§. II.

Soluuntur Hæreticorum Sophismata.

ARguit contra hanc conclusionem primò Hundius Lutheranus nullus nisi insanus dicit dogmata, non aliter esse certa, & sine dubio vera, nisi quia Papa Romanus sic affirmauit, atque è sua Cathedra respondet; ergo falsa nostra conclusio.

Respondeo distinguendo antecedens dogmata esse vera, & certa in se, & in actu primo, quia Papa sic affirmat, nego antecedens, quoad nos, & in actu secundo, quia Papa sic affirmat concedo antecedens, & nego consequentiam, ideò enim Papa determinat dogmata infallibiliter vera, quia in se sunt vera, & non potest nobis declarare infallibiliter, quæ reuera non sunt: itaque ista regula visibilis non datur ad facienda dogmata vera, sed ad declarauda, & proponenda nobis ea, quæ sunt vera.

Sed oppones: ad credendum sufficit reuelatio Diuina sufficienter proposita, per argumenta credibilitatis, ergo non est opus alia regula viua, quæ nobis dogmata infallibiliter vera proponat.

Respondeo, sufficit reuelatio Diuina ad credenda ea, quæ distinctè, & expressa per ea proponuntur, Concedo antecedens; ad credenda ea, quæ confusè tantùm, aut non ità expressè proponuntur, nego antecedens, & consequentiam, quia cùm sint plures reuelationes, quæ non ità expressè, & distinctè credenda proponunt, vt locus non relinquatur dubitationi, & controuersiæ de vero sensu reuelationis recurri debet ad regulam viuam, talia dubia dissoluentem, & ea, quæ credenda sunt clarè, & distinctè proponentem.

Sed adhùc instabis, nulla potest dari regula viua, & animata, quæ infallibilis sit, & prima in proponendo res supernaturales, & fidei; ergo ruit solutio. Antecedens probatur primò, vel hæc regula esset Diuina, vel humana: si Diuina, ergo non viua, quia præter sacram Scripturam, quæ regula mortua est, nulla datur: si humana ergo non infallibilis, cùm omnis homo, iuxtà Regium Psalmistam, sit mendax, ergo non datur talis regula viua, & infallibilis. Secundò, vel hæc regula animata eget talibus regulis, vel non eget: si non eget, ergo reliquæ erunt superfluæ, & sic superflua erit sacra Scriptura: si eget, ergo non erit prima regula, sed potiùs regulata, cùm sine alia regula non valeat dirigere.

Respondeo nego antecedens, ad primam probationem dico, talem regulam esse Diuinam, non minùs, quàm Scripturam, & traditionem: habet enim, sicut illæ immediatam auctoritatem à Deo, à quo tam mortua, quàm viua accipit in suo genere infallibilitatem; viua quidem in proponendo, mortua verò in testificando: sicut in humanis æqualem in suo genere auctoritatem habent lex scripta, & animatus Iudex, à Principe legem statuente constitutus, illa in obligando, & hic in sententiam, & iudicium ferendo.

Ad secundam probationem antecedentis dico, quod vtique hæc regula viua in definiendis rebus fidei indiget regulis traditis, & scriptis: ipsa enim cùm non sit regula per essentiam, & prima veritas reuelans, vt est Deus, non habet potestatem definiendi, credenda per nouas, & immediatas reuelationes, vt Prophetæ, & Apostoli, sed per infallibilem dumtaxat interpretationem, vndè non dicitur prima, & suprema in omni genere, sed solùm suprema, & prima in proponendo, & in hoc habet assistentiam specialem Spiritus sancti, ne erret.

Secundò arguit Hundius, non datur securitas, & infallibilitas huius regulæ, nisi ex priuilegio asserto, seu potiùs sibi arrogato non errandi: sed priuilegij sui Papa Interpres esse non debet, quia sic assumeret officium Iudicis in causa propria, ergo non datur talis regula.

Respon-

Respondeo, hoc inerrabilitatis priuilegium fuisse Romano Pontifici à Christo concessum, quod sibi ipse non arrogauit, sed ex Scripturis clarissimè ostenditur, vt in probatione nostræ conclusionis adduximus, vndè non assumit personam Iudicis in causa propria, sed supposito priuilegio summi Principis Diuini, in Scripturis proclamato, Iudicis officium legitimè exercet in Sancta Ecclesia.

Sed oppones ex Scriptura, probatur priuilegium huius regulæ, & rursus ex attestatione huius regulæ probatur Scripturam esse canonicam, & authenticam, ergo committitur circulus vitiosus, cum idem per idem probetur.

Respondeo in primis, hoc argumentum in ipsos Hæreticos retorqueri posse, & cum maiori efficacia, quia reuera hunc circulum committunt, cùm Scripturam, eiusque sensum verum certè non agnoscat, nisi ex priuato spiritu, & tamen aliundè non probant spiritum priuatum, nisi ex Scriptura ab ipso spiritu priuato in hunc sensum explicata: Igitur respondeo non committi à nobis circulum vitiosum, quia non fit circuitus, seu transitus de vno in alium, secundùm eamdem rationem, & in eodem genere causæ, sed secundùm diuersam rationem, & diuersum genus causæ; credit enim fidelis mysterijs reuelatis propter diuinam reuelationem, tanquam propter causam formalem credendi, & summo Pontifici proponenti, non tanquam rationi formali, sed tanquam conditioni applicanti, & proponenti ea, quæ credenda sunt, ac discernendi credenda à non credendis, quæ ad genus causæ directiuæ, vel dispositiuæ reducitur: nec existimat Augustinus inconueniens, quod Papa, & Ecclesia ex vna parte, & Scriptura ex alia, ad inuicem sibi testimonia perhibeant sicut Christus, & Ioannes. Vide ipsum lib. 1. contra Crescon. cap. 3.

Sed contra hoc priuilegium insurgit Sibrandus, si enim admittatur in Papa, sequitur valere hanc consequentiam, qui docet ex Cathedra Petri non errat, ergo qui non docet ex Cathedra Petri errat; sed Doctores Ecclesiæ, & Sancti Patres non docuerunt ex Cathedra Petri, ergo errarunt.

Respondeo Sophistam istum non rectè in antecedenti nostram sententiam explicasse, nam nos dicimus: Papam non posse errare infallibiliter in rebus fidei, vndè sic debebat procedere argumentum, qui docet ex Cathedra Petri infallibiliter non errat, ex quo sequitur hæc consequentia; ergo, qui non docet ex Cathedra, fallibiliter non errat, seu potest errare, & hæc consequentia est verissima, quia quicumque priuatus Doctor potest errare, non tamen errat necessariò, vt inferebat Hæreticus, vndè quamuis Papa, quando ex Cathedra definit, infallibiliter, immunis est ab errore; Doctores verò Ecclesiæ, & Patres dixerunt quidem semper vera, sed possunt dicere falsa.

Arguitur tertiò ab aliquibus Hæreticis Lutheranis in lege naturali, & Moysaica nulla fuit regula viua, quæ fidei controuersias dirimeret, ergo nec illa admitti debet in lege Euangelica.

Respondeo negando antecedens, non tam in lege naturali, quàm in lege Moysaica fuit aliqualis regula viua, scilicet sententia iudicij maiorum, & Sacerdotum, tam circa diuinas traditiones scriptas, vt probatum est in nostra conclusione, vbi adduximus locum Deuter. ex cap. 17. & ex illo nostram conclusionem probauimus, impugnando, etiam euasiones Hæreticorum.

Sed oppones cum Apostata Spalatensi, iudicium, de quo loquitur Deuteronomium, non erat causarum Religionis, & fidei; sed ciuilium, & criminalium, vndè non ait Scriptura, & credes, quæ definierint, sed facies quodcumque dixerint, ergo iudicium illud non erat causarum fidei.

Respondeo, locum à nobis adductum ex Deuteronomio etiam in sententia Hæreticorum conducit, ad probandum, & statuendum esse vnum supremum Iudicem ità inter alios affirmat Witacherus de sacra Scriptura pagina 466. his verbis: [Verba Deuteronomij intelligẽda esse de auctoritate tantùm definiendi legitimas lites, & controuersias, siue Ecclesiasticas per Ministrum, siue politicas per Magistratum, vt esset semper in vtroque foro Iudex aliquis, à quo appellare non liceret, alioquin nullus esset litigandi finis. Illud idem habet Reinaldus Caput, & Dux Puritanorum in collat. pag. 251. vbi sic habet: Lex Deuteronomij cap. 17. lata ad tribunal quoddam supremi Iudicis statuendum, in quo causæ omnes difficiliores, tam Ecclesiasticæ, quàm ciuiles definirentur: & hoc sine spe appellandi ad aliud Tribunal. His addo Tremelium, & Franciscum Iunium protestantes,] & alios, & sine dubio certum est, quod in dicto Tribunali agebatur de causis Ecclesiasticis, & specialiter de dubijs circa Religionem, & legem; esto ibi etiam aliquæ causæ laicæ, & temporalium rerum tractabantur, quod ad summum probat summi Sacerdotis Imperium, esse, quoad vtrasque causas auctoritatem iudicandi, quod nos nunc non curamus, vnde in forma ad argumentum Spalatensis, nego antecedens, & illud, quod ait, quod ibi dicatur, facies, & non credas, est insulsa satis probatio, nam facere circa legem, & mandata, & cerimonias, de quibus expresè loquitur Deuteronomium, supponit fidem, quia Deus creditur, & cognoscitur, & præsupposita eius cognitione virtus Religionis dictat, & ideò dictum est: [Facies, non autem credes.]

Sed adhuc opponit, & quidem valdè insolenter, non minùs quàm ignoranter, quia deficiente ratione, & veritate, recurrit ad iniurias, & blasphemias maledictus ille apostata Spalatensis, & sic habet: [Si Ecclesia Romana esset constituta Iudex controuersiarum, Episcopi, & fideles totius Orbis ad illam pro instructione deberent habere confugium, vbi à Theologis, & Doctoribus possent iusta reportare consulta. Iam talibus non ornatur Romana Curia, sed ad summum legalibus cauillorum in re pecuniaria artificibus, emugendarum peritissimi, & Chrysum magis, quàm Christum amantibus, sacra Scriptura, vel Diuina Theologia ab vrbe illa exulat, aut intra Monasteriorum paucorum secta ipsa, seu potiùs ipsius larua delitescit, in Papæ, Cardinaliumque aulis diuersorium non habet, consistorium illam, neque de facie nouit, & nihilominus supremum, & infalli-

fallibilem fidei Magistrum Papam esse insulsissimè contendunt.] Sic ille, in hoc tam fallax in arguendo, quàm falsus in redarguendo. Falsus quidem in redarguendo, nam totus mundus scit, non solùm inter Regulares celeberrimos esse Theologos, qui tamen etiam in Congregationibus præuijs admittuntur ad sua vota dicenda, sed etiam inter Eminentissimos Cardinales Eminentissimi Theologi non desunt, qui te, & omnes tecum sentientes valeant confundere; non sunt tamen omnes Theologi, fateor, nam alij sunt optimi Canonistæ, alij, quos tu vocas Leguleios, optimi Iuristæ, cùm huius Sacri Cardinalium Collegij consilio, summus Pontifex vtatur, non solùm ad fidei dogmata dictanda, sed etiam ad leges tam canonicas, quàm ciuiles condendas, necessarium est, vt in illo Sacro Purpuratorum Areopago, non solùm summos Theologos, sed etiam summos Canonistas, & Iuristas debeant coaptare. Atqui tu, qui arguens de inscientia Romanam Curiam, non vis summum Pontificem esse supremam regulam fidei, dic mihi, stupidissime senex? quæ scientia, quæ Theologia in tuis vetulis, in tuis plebeis, in pueris, in ignorantibus datur? oh insaniam arguentis! vis vetulam ignorantem solo spiritu particulari totam esse regulam fidei, & negas esse regulam summum Pontificem Romanum, quia temerariè iudicas non esse Theologiam inter Cardinales! audi ergo quàm fallax arguens in tuo insulso sophismate, etiam salutantibus è foro Theologiam appares.

Respondeo ad argumentum, quamuis falsum, quamuis erroneum transeat tuum antecedens, ergo Papa non est regula fidei, nego suppositum consequentis; non enim Papa, vt tu falsissimè cogitas, ex consilio Cardinalium, vel ex quocumque peritissimorum Theologorum suffragio, immò nec ab Angelorum, etiam si Cherubim sint, Iudicio adquisiuit vnquam, vel adquirere potuit infallibilitatem supremæ regulæ nostræ fidei, sed ab illo solo, qui cum increata sit sapientia, non cum Græcis sapientiam quærentibus, sed potiùs stultam faciens sapientiam huius mundi, nam quia Dei sapientiam non cognouit mundus per sapientiam Deum, vt ait Apostolus ad Corinth. 1. [Infirma huius mundi elegit, vt confundat fortia, & ignorantes huius mundi, vt confundat Sapientes. Non Doctores, non Scribas, non Magistros legis elegit, sed simplicem, sed ignorantem; elegit Deus Petrum Piscatorem, vt summum faceret Ecclesiæ Doctorem, & supremam regulam, ac infallibilem fidei, tribuens ei, eiusque successoribus hanc infallibilitatem, cum dixit: [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos;] ex hoc dono ex hoc Auct. ex hac causa, stupidissimè Apostata, habet suam infallibilitatem hæc nostra suprema regula fidei, non à consilio, non à rationibus Theologicis, siue propriæ, siue aliorum etiam Angelorum scientiæ; vnde quamuis Pontifex in declarandis rebus fidei vtatur prudentissimè consilio, & Cardinalium, & Theologorum Ecclesiæ, quando tamen, vt suprema regula definit, non mouetur siue à iudicio, siue à consilio proprio, vel aliorum, sed ab assistentia Spiritus Sancti, vnde dicit cum Petro: [Visum est Spiritui Sancto,] & nobis; ergo etiam si summus Pontifex (vt multoties contingit) Theologiæ sit ignarus, altiora tamen Theologiæ mysteria, qualia sunt fidei, & declarare, & definire scitè, & infallibiliter poterit.

Tertiò arguitur ab Hæreticis Anglis, qui dicunt primam regulam Ecclesiæ Anglicanæ esse Regem, & conantur hoc probare, quia in lege naturæ, quo tempore ius tantùm naturale seruabatur, erant istæ duæ potestates, Regia, & Sacerdotalis simul iunctæ in eodem subiecto; sic enim Melchisedech, & primogeniti ex stirpe Noè erant simul Reges, & Sacerdotes, vt inter Sanctos Patres docent Hieronymus epist. 126. ad Euagrium, & Rupertus lib. 7. in Genes. cap. 6. sed gratia non destruit naturam, sed perficit, ergo potestas Sacerdotalis, & Regia iunctæ sunt in lege Euangelica, Regesque Christiani, non solùm temporalem, sed etiam spiritualem potestatem habent, hinc tanquam veri Dei Vicarij æstimati sunt à Sanctis Patribus, sic inter alios eos vocant [Tertullianus in lib. ad Scapulam, Eleutherius Papa in epistola ad Lucium Britanniæ Regem, & Augustinus in lib. quæst. veteris, & noui testamenti quæst. 91.

Respondeo, nec etiam in lege naturæ fuisse iunctas iure naturali Sacerdotalem, & Regiam potestatem, sed ex libera hominum institutione; nam cum Deus in lege naturæ non determinasset aliquid circa Sacerdotium vel eos, per quos vellet sibi sacrificia offerri, potestas Sacerdotalis nō erat, nisi merè humana, non includens aliquam spiritualem iurisdictionem, sicut in lege Moysi, & in lege gratiæ; in lege ergo Moysis, & gratiæ erant separatæ istæ duæ potestates, vt docet Vgo Victorinus de Sacramentis part. 2. dicuntur autem Vicarij Dei Reges, non quidem in spiritualibus, sed in temporalibus, præterquamquòd illæ auctoritates suspectæ sunt apud Gonet disputat. 4. de Summo Pontifice art. 1. §. 2. num. 2. & Sanderum lib. 5. de claue Dauid cap. 6.

Sed contra oppones, non solùm in lege naturæ, sed etiam in lege scripta, & gratiæ potestas Sacerdotalis iuncta erat cum potestate Regia; ergo istæ duæ potestates iunctæ sunt in eodem subiecto, ergo nulla solutio. Antecedens quoad legem scriptam probatur ex exemplis Moysis, Iosue, & Dauidis Regum veteris testamenti, qui in causis spiritualibus interdum se Iudices constituerunt: in lege autem gratiæ hoc etiam probatur, tùm primò exemplo Caroli Magni, qui initio Concilio Arelatensi totum Concilium omnia decreta approbanda ipso Imperatori detulit, per hæc verba: [Domine Imperator, hæc præsentanda decreuimus, poscentes eius clementiam, vt si quid hic minus sit, eius prudentia suppleatur: Si secus quàm se ratio habet eius iudicio emendetur. Si quid rationabiliter taxatum est, eius adiutorio, diuina opitulante clementia perficiatur,] Tùm secundò, nam aliqui Imperatores Christiani leges sanxerunt circa fidem, & res Ecclesiasticas, ergo possunt Reges in hoc se intromittere.

Respondeo negando antecedens, pro vtraque parte, & ad probationem primæ partis desumptam ex exemplo Moysis, Iosue, & Daui-

Dauidis. In primis Moysem fuisse vtique Ducem, & Sacerdotem, iuxta illud Psalm.68. Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius; cæterum Moyses, quia fuit initium legis scriptæ, & finis legis naturæ potuit in principio vtrãque potestatem habere, sicut in lege naturæ, vt dictum est, habebant, & illam postea retinere in lege scripta. Iosue verò numquam fuit Sacerdos, nec legitur de causis spiritualibus iudicasse. Dauidem verò ex speciali Dei priuilegio, & Spiritus Sancti instinctu, & tanquam Prophetam aliqua exercuisse ministeria Sacerdotum. Cæterum hæc ita extraordinaria contigisse, nec posse transire in exemplum, & regulam communem aliorum.

Ad secundam probationem secundę partis antecedentis respondeo, multoties Christianos Imperatores non propria auctoritate, sed à Pontifice communicata, & ab eis hortati conuocasse Concilia, & eodem modo, ac eadem auctoritate eorum definitiones approbasse, vel confirmasse: nullus tamen Christianus Imperator propria auctoritate hoc præsumpsit, immò sincero animo professi sunt hoc sibi non competere, vt de Basilio, Theodosio, & Magno Constantino, ac denique Valentiniano seniore referente Diuo Ambrosio epistol. 32. ad Valentinianum iuniorem dicebat: [Non est meum iudicare inter Episcopos:] vndè celeberrimum illud Ioannis Papæ dictum habetur cap. si Imperator 96. distinct. [si Imperator Catholicus est, filius est, non Præsul Ecclesiæ, quoad Religionem, competit, discere ei conuenit, non docere.] Quod si aliquis id præsumpserit, vt de Iustiniano affirmat Baronius ad annum Christi 528. & 549. abusus immo, & tyrannis fuit, ac proindè non potest transire in exemplum, nec fundamentum facere, quod hæc potestas fuerit seculari Principi concessa.

Attamen, ne memoria tanti Imperatoris ità remaneat obscurata, aliter dicendum est, quod illa historia, licèt à Cardinali Baronio relata, tamquam falsa sit habenda: ortum enim habuit à Procopio, qui postquam octo libros plenos laudum Iustiniani conscripsit, tamen nescio, qua occasione inimicus eius factus, nonum librum conscripsit, qui Anegdota dicitur, quasi non editus, in quo aliud, quàm vituperationes, & insectationes Iustiniani non continetur: ex quo iniquo Scriptore desumpsit suam historiam Euagrius, qui floruit paulò post Imperium Iustiniani, à quibus tamquam à fide dignis, & non suspectis Historicis Cardinalis Baronius illa, quæ contra hunc Imperatorem narrat, transcripsit; Eius famam mihi sufficientissimè satis tuentur, tùm Gregorius Magnus, qui de tanto Imperatore semper in suis operibus laudabilem memoriam facit: Tùm Cassiodorus, qui 10. lib. epist.9. & epist.22. summis laudibus illum prosequitur. Tùm denique Sanctus Agaton Papa, qui in Synodo 6. Romæ congregata actione 4. sic de hoc sapientissimo Monarcha habet: [Præ omnibus æmulator veræ, & Christianæ fidei piæ memoriæ Iustinianus Augustus, cuius fidei rectitudo, quantum de vera confessione Deo placuit, tantum Rempublicam Christianam exaltauit, & vtique ab omnibus gentibus eius Religiosa memoria, veneratione digna censetur.] Hæc Sanctus Agaton Papa in illo Concilio, quod testimonium meo videri ità certum, & irrefragabile est, vt non possit remanere locus dubitandi de recta fide, & iustitia prædicti Imperatoris. Ad id ergo, quod adducitur de conuocatione, & confirmatione Concilij, quod Sancta Synodus dicitur, respondeo cum nostro Magistro Natali Alexandro in sua eruditissima historia Ecclesiastica tom. 12. secul. 6. dissertatione 3. vtique verum esse Iustinianum Imperatorem quintam Synodum conuocasse, cæterum non solùm non contra voluntatem Vigilij Papæ, sed potiùs ex eius auctoritate sibi concessa per epistolam, vt probat prædictus Pater Alexander ex epistola ipsius Pontificis data ad Eutichium, & Episcopos sub ipso constitutos 8. idus Ianuarij Imperij Iustiniani anno 27. post Consulatum Basilij anno 12. quatuor antè prædictam Synodum mensibus, quæ eodem anno celebrata est 4. nonas Maij: vbi (ipso referente) sic habet: [Vestrum desiderium cognoscentes annuimus, vt de tribus capitulis, ex quibus quæstio nata est, facto regulari conuentu seruata æquitate medijs sacrosanctis Euangelijs collationem cum fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo, & conueniens his, quæ à Sanctis quatuor sunt definita Concilijs.] Ille. Hinc ex Synodo 6. æcumenica in sermone acclamatorio habetur, [sicut, & Vigilio post hæc. Iustiniano pijssimo consonuit, & quintum Concilium constitutum est, vt eorum opuscula, quę latenter reperta sunt plena abominatione anathematizarentur,] quæ mihi sufficiunt ad tanti Imperatoris seruandam famam, & ad ora Hæreticorum claudenda.

Denique arguitur contra primam partem conclusionis non requiritur infallibilis auctoritas in proponente proximè fidem; ergo neque in primo, & supremo proponente. Antecedens patet, quia proximè proponens fidem, vel est Doctor particularis, vel Prædicator, qui docet populo ea, quæ fidei sunt. Sed Doctor particularis, aut Prædicator non est infallibilis cum possit errare; ergo. Consequentia verò probatur Populus non accipit immediatè doctrinam fidei à Summo Pontifice, sed à Prædicatoribus, vel Doctoribus; ergo si daretur infallibilitas in Summo Pontifice deberet etiam dari in Prædicatoribus, seu Doctoribus immediatè proponentibus. Patet hæc consequentia, ideò requiritur infallibilis regula in primo proponente visibili, quia Deus per se ipsum non proponit immediatè, sed mediante illo visibili, proponente primo, sed Populus, nec etiam accipit immediatè à Pontifice fidem, sed mediantè Prędicatore, seu Doctore; ergo etiam requiritur hæc infallibilitas in ipso Prædicatore, seu Doctore vltimo proponente.

Relicta in hac parte responsione Patris Suarez in titulo de fide disputatione 5. sect. 1. in qua habet: Quod proximè proponens fidem, quando eam sufficienter proponit, habeat auctoritatem infallibilem, quasi actualiter, & per modum transeuntis. Primum autem proponens habet eam per modum habitus, & permanenter; mitto enim hanc solutionem, tùm quia nullum datur fundamentum in Sacra Scriptura, ex quo probari possit hoc priuilegium infallibilitatis competere alteri

alteri à summa regula, quæ est Pontifex; tùm etiam, nam experientia constat multoties errare Prædicatores in proponendo res fidei, ac proindè non debere teneri ad credendum, quod ille non possit fallere. Tùm denique semel concesso proponentem proximè, quæ est persona particularis, habere infallibilitatem in proponendo, etiamsi solùm in actu secundo, & per modum transeuntis, datur ansa Hæreticis posse idem sentire de spiritu priuato, quem ponunt in suis asseclis, qui tantùm in actu secundo, & per modum transeuntis eos moueat ad dicendam, vel cognoscendam infallibilem veritatem fidei.

Aliter respondeo cum nostro Lisboniensi, concesso antecedenti, negando consequentiam, ad cuius probationem dico, quod populus accipit immediatè à Papa doctrinam fidei, vt à proponente per modum Iudicis, & regulæ determinantis res fidei, ab alijs autem Prædicatoribus, vt à mouentibus, applicantibus, seu manifestantibus iudicium Papæ, vndè sicut qui promulgat sententiam datam à Principe, aut defert eius leges, vel præcepta ad alios, non indiget auctoritate, vel sanciendi leges, etiam per modum transeuntis, sed solùm applicandi, & manifestandi sententiam, & legem Principis, ita se habet Pontifex in determinando, & Prædicatores in proponendo, & ita debet intelligi nostra ratio, quando diximus cum Diuo Thoma, quod quia Deus per se ipsum non proponit, nec manifestando, nec determinando ideo indiget alia regula visibili.

Sed oppones, populus tenetur credere Prædicatori proponenti sufficienter, fidem ergo debet ei constare de infallibilitate proponentis, nam si potest errare, & falsam proponere fidem, non potest obligare fideles ad credendum, & consequenter numquam obligarentur ad credendum, nisi quando ipse Pontifex per seipsum proponeret.

Respondeo distinguendo antecedens, tenetur credere Prædicatori proponenti ratione personæ, nego antecedens, ratione rerum, quas proponit, concedo antecedens, & nego consequentiam, non enim debet ei constare de infallibilitate proponentis, sed de infallibilitate doctrinæ, vel quia proponitur, vt diffinita ab Ecclesia, aut quia proponuntur motiua sufficientia ad credendum ea, quæ proponuntur; non enim creditur Prædicatori propter infallibilitatem personæ, sed propter incompatibilitatem doctrinæ falsæ cum sufficienti propositione, nam sufficiens propositio, non solùm requirit miracula: hæc enim dabunt etiam Pseudo-christi, & Pseudoprophetæ, vt dicitur Lucæ 22. sed insuper requiritur, quod miracula vera sint, & quod doctrina prædicata consonet rationi, & scripturæ, & traditioni antiquorum, &c. quæ omnia competere non possunt falsa proponenti.

Deindè arguitur contra secundam partem conclusionis ab Hæreticis nostri temporis ex pluribus Sacræ Scripturæ locis. Ex Sacra Scriptura enim constat iudicium de rebus fidei ad cuiuscumque spiritum, non autem ad vnius Capitis auctoritatem pertinere; ergo. antecedens probatur primò ex 1. Ioannis 2. illis verbis: [Et non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium;] sed per vnctionem intelligitur virtus Spiritus sancti, vt explicat Augustinus tract. 3. in ep. Ioannis; ergo inuisibilis spiritus particularis cuiuscumque erit sufficiens infallibilis regula fidei. Secundò ex eodem Diuo Paulo 1. ad Corinth. vlt. habetur: [Vosmetipsos tentate si estis in fide, & ipsi vos probate;] ergo probatio fidei pertinet ad vniuscuiusque iudicium, non ad iudicium Papæ. Tertiò, testimonium spiritus datur ad iudicandum, quod sumus filij Dei, vt dicitur ad Romanos 8. [Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filij Dei sumus.] Et ad iudicanda ea, quæ nobis à Deo donantur, iuxtà illud 1. ad Corinth. 1. [Nos autem non accepimus spiritum huius mundi, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis;] ergo à fortiori testimonium reddet de fide, quam habemus, ergo non ad auctoritatem alicuius proponentis, sed ad internum spiritum est recurrendum. Quartò, & est argumentum Witt. apud Stapl. lib. 7. capit. 12. ideò per nos Ecclesiæ iudicium diuinum est, quia Deus per Ecclesiam loquitur, & eius iudicio acquiescunt, ergo etiam Scriptura iudicium Diuinum erit, quia per illam Deus loquitur, & scripturarum iudicio homines acquiescunt. Denique nam iuxtà Apostolum 1. ad Corinth. 2. [Spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur;] sed quilibet Christianus spiritu Christi est spiritualis, ergo ipse potest iudicare omnia, & consequenter etiam res fidei; hinc, vt ait Chrysostom. in caten. cap. 20. exponens ea verba: [Quis te constituit Iudicem super nos?] respondet huic interrogationi: [A se ipso, hoc est ab ipsa virtute creatus est Index quemadmodum Moyses. Hinc puerum 12. annorum Spiritus Dei Iudicem constituit, Presbyterorum nemine reclamante, & prouocante ad aliud Tribunal Daniel] cap. 13. [Et ratio suffragatur (ait Lutherus, cuius est hoc argumentum, in lib. nefando de captiuitate Babylonis) quia sicut quidam natura dicuntur serui, qui corporis robore valent, quidam ad imperandum, qui mente plus valent, sic quos zelus, & spiritus inflammat, licèt ad hoc delecti non sint à virtute, & spiritu informati ad imperandum, & iudicandum nati, aut destinati censeri debent.]

Ad hoc argumentum, quod est fundamentum Hæreticorum, ad recurrendum spiritui priuato, vt sit regula fidei, respondeo in controuersijs Religionis, & doctrinæ fidei triplex iudicium esse posse: vnum, quod est fidelibus commune, secundùm, quod dicit Augustinus cap. 4. [de Agone Christiano, qui fidem Catholicam benè didicit, & vera pietate munitus est, quamuis Hæreses nesciat, Hæreticis tamen respondet, nec magnum tunc est, (subdit idem Augustinus de Genesi ad literam lib. 10. capit. 14.) Non magnum tunc est discernere spiritum, cùm ad aliqua peruenerit, vel perduxerit, quæ sunt contra bonos mores, vel contra regulam fidei.] Secundum iudicium est discretiuum eorum, qui vt dicit Apostolus ad Hebræos 5. pro sua consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali, qui scilicet non tan-

tantùm credunt, sed credendorum reddunt rationem, tales sunt Theologi. Denique tertium iudicium fidei est determinatiuum ex auctoritate Christi instituentis Pastores ad consummationem Sanctorum, ne sint oues fluctuantes, & de hoc iudicio intelligendum est illud Apocal. 3. [Vidi sedes, & sedentes super eas, & iudicium datum est illis,] teste Augustino, qui commentans hunc locum, ait: [Non hoc putandum est de vltimo iudicio dici, præpositorum sedes, & ipsi præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur;] de quibus Apostolus act. 20. ait: [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.]

In vnoquoque autem horum trium iudiciorum est, quod, quo, & secundùm quod; vndè in iudicio primi generis vnusquisque fidelis est id, quod fides ex impulsu Dei, est quo, & secundùm quod est regula communis fidei, quam omnis fidelis tenet, & secundùm, quam assentitur, quæ de fide proponuntur, & dissentit omninò à contrarijs. In iudicio verò secundi generis id, quod sunt tantùm perfecti, & solidi cibi capaces, non quidem simplices fideles, sed Theologiæ Doctores: id quo nedum est fides, sed Theologia secundùm quod est regula fidei, nedum credita, sed intellecta. Tertij generis iudicium denique etiam habet, quod, quo, & secundùm, quod sunt ipsi Præpositi, & Pastores Ecclesiarum, id quo interius est Spiritus sancti assistentia, & illuminatio infallibilis; quo verò exterius est canon nedum sacrarum literarum, sed Ecclesiasticæ traditionis, secundùm quod est applicatio, & conditio discursuum, quales sunt, qui in Concilijs fiunt ad indagandam veritatem. Cum ergo hoc iudicium sit proprium Pastorum, & Iudicum Ecclesiarum, consequenter non particularis spiritus, sed Principes Ecclesiæ, ac & Pastores habendi sunt pro regula infallibili talis iudicij.

Hoc supposito respondeo distinguendo antecedens, iudicium commune transeat antecedens, iudicium determinatiuum, nego antecedens, & consequentiam ad primum locum pro probatione antecedentis, adductum dico solùm monstrare spiritus vnctionem, & doctrinam, quæ datur cuique fideli ad formandum iudicium fidei primo modo, non tamen excludere media à Deo instituta, scilicet prædicatio, & instructio per Ministros Ecclesiæ, cùm fides sit ex auditu, quapropter August. lib. 3. contra Faust. capit. 4. fatetur Euangelium se nullo modo indagare potuisse, nisi à Catholico addisceret, non quolibet, sed perito Diuinarum Scripturarum, nec tertium iudicium, quod dicitur determinatiuum, quod Christus tantùm concessit Pastoribus suæ Ecclesiæ: [cum enim, ait Augustinus contra Faustum lib. 21. cap. 2. aliquod dubium oritur circa fidem, si aliquis (ait ipse) simili instantia existat eumdem spiritum iactans, sicut Faustus (sicut Lutherus dico ego) se sapere prætendebat, & dicat illi id, quod pro te sonat, falsum est, id quod contra te, verum est, quid ages, quò te conuertes? quem testem reuelationis à te prætensæ citabis, quo argumento te ab Angelo seductionis non illudi probabis!] ergo præter spiritum priuatum iudicantem internè, quæ per vnctionem tu intelligis dabitur Iudex aliquis, ad quem recurras, qui sit infallibilis regula fidei. Diuus autem Thomas super hunc locum Ioannis cum Hugone Cardinali, & glossa ordinaria intelligunt illam particulam [Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos] comparatiuè, non absolutè, idest minùs indigetis exteriori doctrina; quia vnctio, seu interior illuminatio docet vos; non tamen est omninò independens ab illa, quia fides ex auditu, hinc, vt benè notauit Caietanus super locum illum Ioannis, quod ordo literæ, & contextus probant locum illum loqui de hominibus iam scientibus res fidei, qui non habent necesse doceri exterius, sed solùm interiori spiritu dirigi.

Ad secundum testimonium, in primis Chrysostomus homil. 29. in 2. epist. ad Corinth. intelligit locum illum Pauli de fide miraculorum, quæ est vna ex gratijs gratis datis; & dicitur, ait Caietanus ibidem: [Fides agendorum non credendorum.] Cæterum etiamsi intelligatur Paulus de fide data ad credendum, vt explicat Diuus Thomas 2. ad Corinth. vlt. lect. 2. sensus est clarus, quod scilicet homines debent examinare suam conscientiam, an scilicet rectè credant, & in vera fide perseuerant, non autem de examine, & iudicio circa fidem, eiusque dubia, quæ circa illam oriri possunt, loquitur hic Apostolus, hinc aduertit Diuus Thomas eodem modo loqui Apostolum de examine fidei, dicendo: [Vos tentate, si estis in fide,] Ac de examine operum dicendo: [Ipsi vos probate;] Quia loquitur Apostolus solùm de examine, quo discutitur conscientia, non de illo, quo fidei dubia resoluuntur.

Ad tertium desumptum ex primo ad Corinth. 2. respondeo, Paulum loqui de ipsis Apostolis, quibus dedit spiritum Deus ad habendam specialem notitiam certam de donis sibi à Deo collatis, vt interpretatur Caietanus in præsenti, & Diuus Thomas in expositione huius loci, probaturque ex contextu, nam ibi dicit: [Nos accepimus, &c.] Quæ ad ipsos Apostolos videtur dirigi. Sed etiam si vis intelligi Apostolum de spiritu communi omnibus fidelibus, dico quod sensus horum verborum est clarus, nam ex Spiritu Diuino, prout distinguitur à spiritu mundi, seu ordinis naturalis cognoscimus ea, quæ donata sunt nobis, an propria Dei sint; non enim potest dubitari, quod res supernaturales, & quæ supernaturaliter sunt donata à Deo, non cognoscuntur, nisi per supernaturalem cognitionem, non autem ex hoc inferri valet, quod ad habendam hanc cognitionem non requiratur exterior propositio, & exterior determinatio in his, quæ dubia sunt circa fidem, vel ea, quæ implicitè scriptura continetur.

Ad quartum concedo, quod Moyses, & Daniel iudiciariam illam potestatem adepti sint. Cæterum hæc potestas tunc non ordinaria, sed extraordinaria fuit; nos autem in præsenti loquimur de Iudice, & Principe ordinario à Deo constituto ad iudicandas res fidei, de quo Isaias dicebat cap. 60. [Et

dabo

dabo Principes tuos in pace, & Episcopum tuum in iustitia,] Vt vertunt septuaginta Interpretes. Ad rationem verò, quod aliqui natura nascantur serui, alij verò ad imperandum tantùm, demonstrat nasci quosdam propter necessitatem socialis vitæ, qui deberent alijs imperare ex eminentia scientiæ, iustitiæ, &c. Ex hoc tamen non tollitur, quod iuxtà leges Reipublicæ per electionem sint imperantes illi solùm, qui ad tale munus destinantur, & eliguntur, etiam si sint minùs periti, & iusti præscribendi, ergo sunt Hæretici nostri temporis, qui ad huiusmodi spiritum priuatum, tanquam supremam regulam, & Iudicem in dubijs fidei recurrunt, tamquam ad Iudicem incompetentem prouocantes, vnde rectè contra eos dicere cum Tertulliano potest Summus Pontifex libro de præscriptionibus cap. 37. [Qui estis? quando, & vndè venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique iure syluam meam ceditis? qua licẽtia pontes meos trãsuertitis? limites meos qua potestate commouetis? mea est possessio, quid hìc cæteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis: mea est possessio, olim possideo, prior possideo.] Ille. Meritò enim ex antiqua possessione, qua Summus Pontifex per tot secula pacificè ab omnibus agnitus est infallibilis regula fidei prẹscribũtur Hæretici. [Probati sumus à Deo, ait Apostolus 1. ad Thessal. 2. vt crederetur nobis Euangelium; & post pauca: Cùm accepissetis à nobis verbum, auditus Dei accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicut verè est verbum Dei. Verbum fidei, addit Augustinus, & verbum Apostolorum credere Deo, & credere Ecclesiæ, & decreta Ecclesiæ decreta Spiritus sancti.] Concludam cum Cypriano libro de vnitate Ecclesiæ. [Alienus est, profanus est, hostis est, habere iam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem.] Docet autem Ecclesiam non habere matrem, qui non tenet firmiter, & docet ea, quæ sub vno capite, & vnitate fidei docet Ecclesia.

DVBIVM II.

An Pontifex Romanus ita sit infallibilis regula Fidei, vt in definitione rerum fidei, & in confirmatione Conciliorum non possit errare.

§. I.

Prima pars dubij resoluitur.

SVppposito ex dictis, quod debeat dari vna regula infallibilis fidei visibilis in Ecclesia, & quod ista regula sit ipse Pontifex Romanus, in præsenti disputandum restat vtrùm Summus Pontifex habeat iudicium infallibile, & inerrabile in omnibus, quæ dicit, vel in quibus se extendit hoc priuilegium infallibilitatis, & inerrabilitatis in Romano Pontifice, & quia quinque sunt, vt rectè notat Lisboniensis, in quibus Papa non potest errare, iuxta sententiam Catholicorum; scilicet in definitione rerum fidei, & confirmatione Conciliorum, in approbatione, & emendatione librorum Canonicorum sacræ scripturæ, & traditionum Apostolicarum; in canonizatione Sanctorum, & cultu eorum, in legibus communibus regulatiuis, morum; ac denique in confirmandis Religionibus, quæ omnia, quia ab Hæreticis mordicùs negantur, & non ab omnibus Catholicis æquali modo acceptantur, ideò singula, per singula dubia sunt à nobis tractanda, & in hoc primo dubio inquirimus duo, an scilicet Romanus Pontifex sit inerrabilis, & infallibilis in definitione rerum fidei, & an possit errare in confirmatione Conciliorum.

Et quantùm ad primum suppono in hac parte primò, quod in præsenti non ponimus pro regula, & Iudice in rebus fidei sumpta tota Ecclesia entitatiuè accepta, vt dicit collectionem omnium Episcoporum, & subditorum, quia sic certum est errare non posse, cùm vniuersalis Ecclesia, vt dicimus in symbolo sit sancta, & Catholica, quod non esset, si à fide deficeret, non potest tamen esse regula iudicans, & sententians res fidei, quia cùm tota Ecclesia secundùm omnes suas partes congregari non possit, vt sententiam proferat, nec omnes partes, & membra Ecclesiæ auctoritatem iudicandi habeant; non enim omnes Pastores, aut Doctores, vt ait Apostol. 1. ad Corint. 12. consequenter non potest esse regula infallibilis, & visibilis fidei.

Secundò etiam suppono ex supradictis in Ecclesia, sicut in qualibet ordinata Republica, alios esse subditos, alios rectores, alios docentes, alios addiscentes; nam sicut in vna ordinata Republica impossibile est, quod omnes habeant auctoritatem iudicandi & gubernandi, quia sic cùm omnes imperarent; non haberent quibus imperarent, ac proindè corpus destrueretur Reipublicæ, & vt arguit Apostolus: [Si omnia membra essent oculus, vbi corpus?] Impossibile est ergo, quod Ecclesia sic sumpta, secundùm omnes suas partes habeat auctoritatem determinandi, & regulandi res fidei; sed solùm ratione alicuius, vel aliquarum partium, sicut etiam ex eo, quod tota Ecclesia sit sancta & immaculata, non sequitur, quod omnes eius partes sint sanctæ: & in corpore naturali, anima informat quidem omnes partes, sed non æqualiter, quia quasdam solùm sub vegetatiuo gradu, vt sunt capilli, & vngues &c. alias etiam secundùm gradum sensitiuum sic in Ecclesia quædam membra sunt, quæ habent potestatem iudicandi, & sunt Ecclesiæ Pastores, & Magistri, quædam verò sunt oues pascendæ, & instruendæ, & ideò, vt subtiliter notat Lisboniensis, esto tota Ecclesia, vt diximus, sit indefectibilis, & infallibilis; non tamen indefectibilitas, & infallibilitas æquè competere potest, sed sicut corpori conuenit videre, & dicitur videns, etiamsi non in toto corpore sit visus, ita esto Ecclesiæ conueniat indefectibilitas à fide, hoc tamen priuilegium regulandi res fidei non est in toto corpore Ecclesiæ.

Præsens ergo difficultas supponens principales partes Ecclesiæ, quæ sunt positæ ad illam regendam, vt sunt Episcopi, de quibus Paulus actorum 20. dicebat: [In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.] Quærit, quibus conueniat hæc infallibilis auctoritas, an solo Romano Pontifici Petri successori, itaut sit infallibilis in determinando res fidei, & confirmando Concilia. Non autem disputamus in præsenti, an Concilia etiam habeant hanc infallibilem potestatem, & an Concilium sit supra Papam, vel è contra; de his enim in sequenti disputatione agemus, sed solùm an Pontifex Romanus habeat hanc infallibilitatem iudicij circa res fidei determinandas, & Concilia confirmanda, itaut Romanus Pontifex non possit à Petri Cathedra aliquid falsum definire, & contra Catholicam fidem determinare, & credendum vniuersali Ecclesiæ proponere.

Hæretici nostri temporis semper contra Romanum Pontificem infesti totis visceribus contra hanc veritatem insultant.[Lutherus in proœmio assertionum, sic contra Romanum Pontificem blasphemat; Sepositis, ait, sacris literis, solis commentarijs hominum immersi sunt, non quod sacræ literæ, sed quod illi in sacris literis sentirent quærentes, donec vni homini Romano Pontifici, nonnisi indoctissimis sophistis circumuallato, soli tribuerent ius interpretandæ Scripturæ sacræ; etiam de sola potestatis, & sublimitatis maiestate citra omnem intelligentiam, & eruditionem præsumenti, fabulantes Ecclesiam, idest Papam non posse errare in fide.] Caluinus institutionis lib.4. cap.7. §.8. postquam multas fabellas contra Romanum Pontificem narrauit, sic concludit; [Hoc exemplum facit ne me oporteat, cum aduersarijs ampliùs de eo disputare, quod dicunt Sedem Romanam, eiusque Pontifices labi in fide non posse, quia Petro dictum sit: oraui pro te ne deficiat fides tua: certè ille tam sede lapsus genere (inuehitur contra Ioannem XXII.) à recta fide excidit, vt sit insigne posteris documentum; non omnes esse Petros, qui Petro in Episcopatum succedunt, quamquam istud, quoque magis, per se puerile est, quam vt responsione egeat, nam si volunt ad Petri successores trahere quicquid Petro dictum est, sequeretur omnes illos esse Sathanas, cùm istud quoque Petro dixerit Dominus; Vade retro Sathan, quia offendiculum es mihi, tam enim facilè nobis erit retorquere hoc posterius, quàm illis alterum obijcere.

His Hæreticorum coripheis subscribunt eorumdem errorum professores Kemnitius, Brentius, alijque Lutherani, ex Caluinistis etiam Petrus Martyr præfat. 1. ad Corinth. Rullus libro de supremo controuersiarum Iudice thesi 4. Witacherus controuersia 1. Gripus de controuersiarum religionis norma, & Iudice thesi 3. quibus adiungitur Apostata Spalatensis in consilio professionis suæ c. 4. sunt tamen omnes isti non inuentores, sed nouatores priscorum Hæreticorum, ex quibus alij peschismata, seu blasphemias, inter quos Tertullianus in Montani hæresim iam lapsus contra Romanum Pontificem inuehitur libro de pudicitia contra Psychicos, vbi quasi irridendo Romanum Pontificem Episcopum Episcoporum nominat, eiusque decreta non recipit. Donatistæ à Papæ auctoritate se subtrahentes Apostolicam Sedem, Cathedram pestilentiæ nominabant, hos prosecuti sunt Berengarius, Waldensis, Wicleph, & Dioscorus. Alij negarunt huius sanctæ Sedis singularem prærogatiuam illam, vel sibi arrogantes, vt sunt Græci affirmantes Episcopum Constantinopolitanum esse parem Romano Pontifici, vndè posteà docentes Romanum Episcopum ab hac potestate excidisse, eo quod contra prohibitionem secundi, & tertij Synodi generalis adhibuerit errando in Symbolo illam particulam: [Filioque procedit.] Alij secularibus Principibus tribuerunt, qualis fuit Anglicana hæresis, tribuens suo Regi primatum capitis Ecclesiæ Anglicanæ, quod etiam videtur annuisse Tertullianus in libro ad scapulam de Christianis, vbi Imperatorem solùm Deo secundum in omnibus affirmat, ac proindè non esse subditum Papæ. Denique alij, vt fuerunt Fraticelli, Wiclephistæ, & Hussitæ docuerunt cessasse in Romana Ecclesia auctoritatem Petri, & ad ipsos esse translatam.

Vnica Conclusio. Summus Pontifex Romanus, non vt persona particularis, sed vt Pontifex, & loquens ex Cathedra, est regula ita infallibilis, vt nullo modo habeat potentiam, & libertatem ad errandum in rebus fidei.

Explico hanc meam conclusionem, antequam illam probem, Pontifex Romanus potest dupliciter sumi, vel vt persona particularis est, vt est successor Petri, & supremum caput, & Iudex Ecclesiæ, primò modo est dubium posse Romanum Pontificem errare, etiam inter Catholicos, quia (vt infra videbimus probabilior, & communior sententia tenet, posse, vt persona particularis est, errare, non solùm errore inculpabili proueniente ex ignorantia, seu negligentia, sed etiam cum contumacia in rebus fidei, itaut sit Hæreticus.

Dicimus definientem ex Cathedra, ad quam definitionem, teste Arauxo, quem sequuntur Salmaticenses, debet Pontifex præuiam, & sufficientem diligentiam adhibere, examinando scilicet rigoroso examine Theologico veritatem propositionis, quam vult definire, vel necessitate medij, vel saltèm necessitate præcepti, de quo tamen infra. Itaque quando dicimus, non posse errare ex Cathedra, non ad quemcumq; errorem, sed solùm ad illum, qui fit à Pontifice definiente ex Cathedra de rebus fidei.

Dicimus denique non habere potentiam, aut libertatem tunc ad errandum, quia vt benè explicant Salmanticenses. Pontifex nullam habet potentiam, aut libertatem ad complexum simpliciter, & secundùm se impossibile, errare autem ex Cathedra est huiusmodi, quia error ex Cathedra importat compositionem, & complexum coalescens extremis essentialiter repugnantibus, quia cùm loquutio ex Cathedra, importat infallibilem assistentiam Spiritus sancti, & auxilia efficacia ne erret, error autem importat carentiam illius assistentiæ, & auxiliorum, fit hoc complexum, impossibile, quod scilicet Spiritus san-

andus simul assistat, & non assistat Pontifici determinanti ex Cathedra, & quod auxilia data sint simul efficacia, & non efficacia, ac proindè Pontificem errare ex Cathedra in rebus fidei, dicit complexum implicatorium; cum quo tamen stat, quod Pontifex loquens ex Cathedra, habet potentiam, & libertatem vt possit errare, sicut præscitus habet potentiam, vt possit saluari; licèt sit impossibile, & implicatorium, præscitum saluari.

Scio aliquos, quos suppresso nomine citat Magister noster Canus Canariensis Episcopus lib. 6. de locis Theologicis cap. 8. qui distinguunt Romanam Ecclesiam à Romano Pontifice, & aiunt hunc in fide posse errare, illam non posse; cæterum hæc distinctio nimis grossa est, non enim quantùm ad hoc, quod est iudicare, & discernere in rebus fidei est aliquod discrimen inter Apostolicam Sedem, & in Apostolica Sede insidentem, si enim ad Sedem Apostolicam accedimus pro declarandis dubijs fidei, non ad sedem materialem, nec ad singulos Ecclesiæ fideles, nec ad Ecclesiam ipsam Romanam in vnum congregatam recurrimus, sed iudicium quærimus, & expectamus à Romano Pontifice, nec Populo Romano, aut Ecclesiæ Romanæ, sed Petro, eiusque successori Romano Pontifici tradita est potestas à Christo Domino iudicandi de causis fidei, ligandi, atque soluendi, & Populum Christianum pascendi sua doctrina; nec Romano Populo, aut Clero, sed Petro, & eius successori Romano Pontifici dictum est: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & Ego rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] His suppositis.

Probatur prima nostra conclusio ex sæpè repetitis testimonijs Euangelij Matth. 16. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Et Lucæ 22. [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos;] vbi, & Petræ firmitatem, Petro, eiusque successoribus Christus promisit ad firmandam Ecclesiam, & fundandam fidem, non quidem personalem, sed ad confirmandos fratres.

Nec quadrat glossa aliquorum Parisiensium, quos in hac parte sequitur Spalatensis, Christum scilicet loquutum fuisse de fide non defectura Ecclesiæ fundatæ super Petrum, non verò promisisse non defecturam Petro, suisque successoribus in Ecclesia. Non inquam valet, tùm quia Christus cum dixisset; [Sathan expetiuit, vt cribsaret vos,] loquutus est de Ecclesia, quam repræsentabant Apostoli, ergo quando postea mutans modum loquendi, Petrum tantùm alloquitur dicens: [Ego rogaui pro te Petre, &c.] satis designat infallibilitatem in fidem, quam promisit, non Ecclesiæ seorsim à Capite sed Capiti, vt ex illo deriuetur ad Ecclesiam, tùm etiam, nam illa facta est repromissio, cui dicitur: [Confima fratres tuos;] scilicet fideles, sed hoc non potest adaptari Ecclesiæ, quæ cum sit Mater fidelium, non habet fratres, sed filios; ergo inepta est hæc explicatio. Mitto aliam explicationem, scilicet Christum Dominum rogasse, vel pro perseuerantia Petri in gratia, vsque ad vltimum finem, vel pro omnibus Apostolis, ne deficerent à fide in sua passione, vt responder Vvitacherus, quia sunt clarissimè contra textum, cum non de gratia, sed de fide loquatur, & non omnibus Apostolis, sed soli Petro promittitur. Rectè ergo Agatho Papa ad Constantinum Imperatorem scribens, quæ epistola lecta est in 6. Synodo generali actione 4. & 8. dicebat: [Ego rogaui pro te Petre, hìc Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper est agnitum.] Et Diuus Leo Papa sermone 2. de sua ordinat. pro nobis clariùs ait: [Spiritualis cura à Domino Petri suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit.

Dices cum Alphonso de Castro lib. 1. contra Hæreses capit. 8. Apostolicam Sedem continere non solùm Summum Pontificem, sed etiam simul Cardinalium Collegium, priuilegium tamen inerrabilitatis concessum esse Sedi Apostolicæ Romanæ, non Pontifici sedenti super Sedem Apostolicam, ac proindè Summus Pontifex per se solus potest errare.

Sed contra est, tùm quia priuilegium concessum Petro, vt Christi Vicario fuit concessum Petro soli absque consortio aliorum Apostolorum, ergo concessum successoribus Petri solis absque consortio Collegij Cardinalium. Antecedens probatur, tùm quia Matth. 16. auditis à Christo sententijs varijs, quas de ipso tenebant Iudæi subiunxit: [Vos autem, quem me esse dicitis,] cui Petrus ante omnes Apostolos respondens, ait: [Tu es Christus filius Dei viui, &c.] ex qua confessione meruit priuilegium illud, quod eum constituit Caput Ecclesiæ, & regulam inerrabilem dicens: [Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] vbi specialiter dicit Petro, [dico tibi;] ergo priuilegium conceditur seclusis alijs Apostolis. Tùm etiam nam Ioann. 21. volens Christus instituere Petrum suum Ecclesiæ vniuersalis Vicarium, & Pastorem, ad quem spectat oues Christi inerrabili fide pascere præmisit hæc verba: [Simon Ioannis diligis me plus his.] Vbi vt vides comparauit Petrum cum reliquis Apostolis, tamquam præ omnibus eis ad diligendum electum, quia præ omnibus illis erat electus ad oues suas pascendas inerrabilis fidei pabulo; ergo soli Petro secluso ab Apostolis, ac proindè soli eius successori Summo Pontifici secluso Cardinalium Collegio hoc priuilegium concessit.

Contra secundò, solus Summus Pontifex est Vicarius Christi, & Petri successor, secluso quocumque alio, etiam Cardinalium Collegio, sed Christi Vicario, & Petri successori, tamquam Ecclesiæ Capiti, & Pastori est concessum hoc inerrabilitatis priuilegium, ergo Pontifex secluso quocumque alio, etiam Cardinalium Collegio, est inerrabilis regula fidei.

Mitto plura testimonia Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum, & Conciliorum hanc

hanc nostram conclusionem confirmantes, quorum plures à nobis Deo dante adducendę sunt infrà tractantes illam celebrem quæstionem: Vtrùm Papa sit supra Concilium, vel Concilium supra Papam.

Deindè probatur nostra conclusio ratione; Christus Dominus fundans Ecclesiam suam, sine dubio illam prouidit de omni eo, quod necessarium erat ad stabilem, & firmam conseruationem eius, & fidei, atqui sine vna infallibili regula veritatis nequit subsistere vera, & vnica fides, ac proindè ipsa Ecclesia; ergo de hac infallibili regula, sine dubio prouidit, sed hæc non potuit esse, nisi in primo Pastore, & Capite ipsius Ecclesiæ, & suo Vicario Romano Pontifice; ergo ad consistentiam Catholicæ Religionis, & fidei requiritur hoc priuilegium inerrabilitatis in Summo Pontifice. Maior est certa, & minor probatur non solùm ex nostris principijs deductis ex Apostolo Paulo 1. ad Corint. 1. [Obsecro vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata,] sed schismata vitari nequeunt, nisi omnes fideles vnico Capiti agglutinati, vnico supremi Iudicis ore loquātur; ergo, &c. Tùm etiam illam probamus ex ipsorum Hæreticorum ore, sic enim Caluinus volens nolens lib. 4. institutionum, cap. 1. §. 2. de Ecclesia, sic habet: [Ideo Catholica dicitur, seù vniuersalis, quia non duas, vel tres inuenire liceat, quin discerpatur Christus, quod fieri non potest;] & infrà §. 3. [Ecclesiæ deferat, ait, quam meretur auctoritatem, denique se ità gerat, vt ouis ex grege;] Sed clariùs Melancton in centur. epist. Theol. epist. 74. fol. 244. sic habet: [Pontifex Romanus omnibus Episcopis præsidet, & hanc politiam Canonicam nemo puto sapiens improbat, aut improbare debet;] Ergo ad politiam Ecclesiæ suæ seruandam etiam ab Ecclesiæ hostibus profitetur, quod necessarium est ponere vnum Iudicem infallibilem veritatum fidei. Minor vera subsumpta, quod scilicet hic supremus Iudex sit Pontifex Romanus; probatur tùm ex ore ipsorum Hæreticorum: tùm ratione, & quidem scio Lutherum nondum totaliter cæcum in principio suorum errorum tom. 1. Wittembergh fol. 219. sua seque submittit Romano Pontifici tamquam supremo omnium controuersiarum Iudici: Fateor, ait, me omnia sub pedibus Sanctissimi Domini nostri Leonis X. subiecisse, vt reprobet & approbet sicut placuerit;] & in resolutione de indulgentijs habet, auctoritati Papali in omnibus, cum reuerentia, cedendum est, cæterum, quia detecta ouili pelle postea lupinam rabiem in eumdem Romanum Pontificem euomuit in sua confessione inconstans reliquendus est. Clariùs nostram minorem fatetur præcitatus Melancton, his verbis: [Monarchia enim Romani Pontificis in hunc finem meo quidem iudicio vtilis est, vt vnitas doctrinæ, seruetur.] Ac denique missis alijs claré hoc habet hostis noster declaratus Cartuurighis in 2. replica partis 1. fol. 582. vbi sic habet: [Archiepiscopus necessariò requiritur cum dissentiunt Episcopi, necessarium etiam erit Papam ponere, qui generale Concilium conuocet, cum diffident Archiepiscopi, &c. rursus quæro, quis eos conuocabit, quis eos officij sui admonebit, si hoc sine Papa fieri potest, &c.] ex quibus etiam ab eo nostram rationem sic formamus, si inter Patres etiam in Concilio congregatos controuersia oriatur de intellectu sacrarum literarum, vel de vno libro Scripturæ an sit Canonicus, vel alia quæstio circa mysteria fidei ad hanc litem componendam necessariò Iudicem ponere est, cuius iudicium, vt sit infallibilis fides, quam credimus, errare non possit, at qui Iudex inter Patres Concilij dissidentes nullus in Ecclesia, nisi Romanus Pontifex esse potest, qui & Concilia conuocat, & Concilijs præsidet; ergo datur in Romano Pontifice infallibile, & inerrabile iudicium in rebus fidei.

Confirmatur primò, nam videmus Ecclesiam Romanam, iuxta Christi vaticinium fixam, & immobilem, quamuis ex omni parte hostium machinarum genere impetitam, in fide, & auctoritate Petri permansisse; videmus, cæteras Apostolorum Ecclesias, vel ab Infidelibus occupatas, sine fidei vestigio remansisse, aut ab Hæreticis maculatas erroribus, aut schismate ab ouili Christi discerptas vnam hanc Romanam Sedem illæsam, nec Pagani, nec Hæretici subuertere valuerunt, & tamen pugnatum est, & vehementer non solùm à Paganis, & Hæreticis; sed etiam à Græcis, & ab alijs plerisque totius Orbis Episcopis, qui & Imperatorum arma, & maiorum Ecclesiarum numerum pro se habebant, numquam tamen efficere potuerunt, vt vnius Romani Pontificis potestatem abrogarent; immò & hi, qui à Romana Sede defecerunt Schismatici habiti sunt, & qui huius Sedis iudicia circa mysteria fidei detrectarunt, tamquam Hæretici in Ecclesia iudicati sunt; ergo non humano, sed Diuino decreto Ecclesiam Romanam cęteris esse prępositam, & Petrum esse petram, supra quam Christus suam fundauit Ecclesiam, & aduersùs quam portæ inferi præualere non possunt, est confitendum.

Confirmatur secundò cùm Concilia & prouincialia, & generalia à Romano Pontifice auctoritate firmata sunt, numquam errauerunt; cùm verò à Romano Pontifice defecerunt in Conciliabula diabolica versa sunt, & errauerunt, vt inter alia patet de Conciliabulo Basileæ, quod in plures errores à Romano Pontifice deficiendo incidit, ergo signum est vnum Romanum Pontificem esse, vnam solam, viuam, infallibilem, & inerrabilem regulam fidei; sed de hoc argumento infrà disputatione sequenti.

His adde tertiò, quod si Romanus Pontifex in definienda fidei quæstione posset errare, plures veritates fidei contra multas hæreses definitæ redderentur incertæ, pluresque enim sunt definitæ, contrariæque hæreses damnatæ, non à generali Concilio, sed à Romano Pontifice, tamquam suprema regula fidei.

Denique his adde, numquam admissum esse in Ecclesiastica appellatione in causis fidei à Pontifice Romano, sed statim, ac Pontifex ex Cathedra definiuit veritas illa pro Catholicæ fidei veritate ab omnibus Fidelibus est habita, & contrarium sentientes Hæreticos, atqui si regula infallibilis fidei

non

non Papa Romanus, sed Concilium generale, vel Ecclesia fuisset omni rationi, siue naturali, siue theologicæ aduersaretur non admittere appellationem à Pontifice ad Concilium, ergo signum est soli Romano Pontifici inerrabilitatis priuilegium in rebus fidei à Domino fuisse concessum.

Ex dictis infero hæreticum esse asserere Romanam Ecclesiam posse, vt cæteras degenerare, & Apostolicam Sedem à fide Christi deficere, ità Magister Cano loco supra citat. & probatur tùm quia distin. 22. cap. omnes, Nicolaus Papa definit, [quod, qui Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omniũ Ecclesiarum capite Christo traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur. Nàm (ait ipse) fidem violat, qui aduersùs illã agit, quæ est mater fidei.] Quæ Nicolai sententia in 8. Synodo actione 1. & 7. confirmata est, condemnando Photium, & Michaelem, qui nitebantur à Sede Romana hoc priuilegium tollere, vndè, quàm benè dicebat Cyprianus lib.4. epist.9. [Alienum esse, prophanum esse, hostem esse, qui vniuersalis Ecclesiæ non tenet vnitatem, hoc est lumen vnum; vndè multi radij, radicem vnam; vndè multi rami, fontem vnum; vndè multi riui, petram vnam, supra quam Ecclesia ædificata est, vnum Pontificem, qui omnes cæteros, sua, & vi, & auctoritate contineat, à quo si radium tollas extinguatur; si frangas ramum, intereat; si præscindas riuum arescat.] Et in alio loco: [Qui Cathedram (inquit) Petri, supra quam fundata est Ecclesia deserit, non confidat in Ecclesia se esse.] Et Ambrosius pro eodem penitùs habet: [Catholicum esse, & cum Romana Ecclesia conuenire;] ergo à fide alienos debemus existimare, qui Summum Pontificem in definiendis rebus fidei credit errare.

§. II.

Euelluntur Hæreticorum fundamenta, & explicatur si Pontifex potest errare, vt persona particularis.

OMnes Hæretici, sed præcipuè Nouatores nostri temporis Lutherani, & Caluinistæ sunt, & fuerunt hostes iurati Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & Summi Romani Pontificis, nec mirum, & quia cùm ipse sit supremus Iudex Ecclesiæ, quia timent eius iudicium labefactare quærunt auctoritatem, & ideò præcipuus eorum conatus semper fuit potestatem, infallibilitatemque iudicij, & supremi Capitis dignitatem radicitus si possent à Catholica, & Apostolica Romana Sedem euellere, & deturpare, sed frustra, quia portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, sic ei promittente, qui dixit: [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Iam supra eorum sophismata sunt detecta, quibus Summi Capitis dignitatem, & potestatem detrectabant, nunc remanet illa soluere, quibus Lutherana, & Caluiniana Hæresis se censet posse de Romani Pontificis infallibilitate, & inerrabilitate in iudicandis rebus fidei triumphare.

Arguunt enim primò, Papa potest peccare mortaliter, ergo potest ex Cathedra iudicans, & decernens res fidei errare, ac proindè eius iudicium non erit infallibile.

Respondetur, quod licèt Deus possit permittere, vt Papa peccet mortaliter; non autem potest permittere, vt erret iudicando res fidei, supposita Christi promissione facta Petro, & successoribus in dirimendis rebus fidei de perpetua infallibilitate, quando dixit: [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua;] fidelis enim est Deus, vt ait Apostolus.

Sed oppones, Papa non est minùs liber in peccando mortaliter, ac in errando, quando ex Cathedra loquitur, ergo etiam supposita promissione Diuina poterit errare. Antecedens probatur Pontifex etiam supposita illa promissione remanet liber in definiendo ex Cathedra, non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem, ergo remanet liber, non solùm ad definiendum, & non definiendum, sed etiàm ad definiendum verum, vel falsum, & consequenter ad errandum, & non errandum, ergo sicut potest peccare, ita potest errare.

Propter hoc argumentum aliqui ex nostris, inter quos Arauxo 2. 2. art. 10. qu. 1. dub.3. in responsione ad 3. Magister Ferre tractatu de fide quæst.12. §.2. num.12. affirmant, quod Pontifex non habet libertatem errandi per aliquod intrinsecè receptum, quando vult definire, quo eius intellectus ita determinatur ad verum, vt exuat facultatem proximam errandi, quia aiunt ipsi, Pontifici loquenti ex Cathedra, debet attribui ea indefectibilitatis perfectio, quæ maior est, & non repugnat; huiusmodi autem indefectibilitatis perfectio, quæ non solùm dicat infallibiliter dicere verum, verùm etiam non posse dicere falsum; non est impossibilis, cum videamus de facto attribui, & conuenire Scriptoribus Canonicis exarantibus sacros libros; Scriptor enim Canonicus ita scripsit vt talis vt non habuerit potentiam ad scribendum falsum, alioquin non daretur infallibilis auctoritas sacræ Scripturæ; qua ita est vera, vt cum sit verbum Dei non possit esse falsa, vndè hanc impossibilitatem exprimens Balaam Num.23. quando dixit: [Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo;] Vnde ad argumentum respondent negando antecedens, non enim remanet liber quoad specificationem, sed solùm quoad exercitium.

Scio hanc solutionem non approbasse Salmaticenses, tùm quia Pontifici loquenti ex Cathedra, ea auctoritas, & indefectibilitas conferri debet, quæ requiritur ad saluandam infallibilem fidem Ecclesiæ, sed ad hoc non requiritur illa impotentia quoad specificationem, ergo. Probant minorem, quia ad hoc, vt Pontifex non erret ex Cathedra, sufficiunt auxilia efficacia promissa, & collata Pontifici, ex Cathedra docenti, cum quibus est incompossibilis propositio, & definitio falsæ doctrinæ, sicut ad hoc, vt homo infallibiliter amet, sufficit auxilium ad amorem,

rem, & non requiritur carentia, potentiæ, ad odium, vel omissionem amoris. Tum etiam, nam ad saluandam securitatem, & infallibilitatem fidei Ecclesiæ in his, quæ Pontifex ex Cathedra docet, non requiritur nisi infallibilis promissio Domini, quod non errabit, & exhibitio auxiliorum efficacium ad non errandum de facto, sicut ad saluandam certitudinem Diuinæ reuelationis alicuius futuri contingentis non requiritur, nisi immutabilitas diuinæ voluntatis, ita decernentis, etiamsi ipsum futurum remaneat in statu contingentiæ.

Nihilominus tamen probabilius puto standum esse primæ solutioni, & ad argumenta in contrarium à Salmaticensibus facta, dico ad primum neg. ant. & ad paritatem adductam de auxilio efficaci ad amandum do disparitatem meo videri claram, quia auxilium datum ad amandum, datur solùm ad determinãdum ad actum amoris, quoad exercitium, & in actu secundo, & se tenet ex parte voluntatis; at verò deteminatio ad non errandum, non datur ad actum secundum, nec ex parte voluntatis, sed ad determinandum intellectum Pontificis ad non errandum, & ita sicut auxilium datum ad actum amoris determinat quoad exercitium, itaut voluntas non remanet indifferens ad non exercendum actum amoris, ita intellectus Pontificis per illud donum inerrabilitatis, quando vult definire ex Cathedra, se tenet ex parte intellectus, tollens ab eo indifferentiam ad errandum, ac proindè quoad specificationem, esto relinquat indifferentiam, quoad exercitium, quia potest Papa, etiam recepta illa certitudine; non definire, sed definitionem suspendere, sicut Propheta illustratus dono prophetiæ, potest suspendere exercitium prophetandi, vndè dicunt Theologi, quod spiritus prophetiæ, est subiectus Prophetæ, licèt vterque si vult exire in vnum est determinatus ad veritatem, itaut non possit errare. Addo ex dictis, quod infallibilitas diuinæ voluntatis non exequeretur, nisi contingens, vt contingens poneretur infallibiliter in esse, cæterũ vt intellectus Pontificis non possit errare secundùm promissionem Christi requiritur, vt dictum est, quod ponatur in eius intellectu lumen, tollens omnem indifferentiam quo, vt Pontifex, non est capax recipiendi lumen, nisi ad veritatem dicendam, stantè promissione Christi ad Ecclesiam.

Non placet autem mihi in hac parte solutio Magistri Ferre dicentis, quod differentia inter auxilium efficax ad amandum Deum, & auxilium debitum Pontifici ex suppositione, quod debet aliquid definire, de fide est, quia cùm Petro dictum sit: [Non deficiet fides tua,] tenetur dare ei auxilium efficax ad dicendum verum, quoties vult determinare de fide, & quia dum Deus tenetur dare ei auxilium ad dicendum verum, nequit ei permittere falsa, indè ex isto debito Pontifex dum definit, carentiam habet libertatis ad dicendum falsum.

Non inquam placet mihi hoc discrimen nam etiam ex suppositione, quod Deus vult Petrum efficaciter amare, determinatur, & tenetur dare auxilium ad amandum, & nequit ei permittere actum odij Dei, & tamen totum hoc facere potest absque eo, quod tollat à Petro indifferentiam specificationis, ergo nullum est discrimen assignatum à Magistro Ferre, nisi reducatur ad nostrum.

Secundò arguitur, si esset infallibile iudicium Pontificis, dum definit de fide omnes, qui pertinaciter huiusmodi decreto contradicerent, essent Hæretici, sed hoc est falsum, ergo. Probo minorem, tùm primò, nam vnus Pontifex oppositum definiuit eius, quod definierat Pontifex antecessor, ergo vel alter est Hæreticus, vel Pontifex non est infallibilis in definiendo. Antecedens patet, quia Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum, & refertur distinct.4. de consecr. cap. à quodam Iudæo, definit, quod si in nomine Christi aliquis baptizetur, rebaptizare non debeat,] cuius tamen oppositum determinauit Pelagius Papa in epist. ad Gaudentium Episcopum, & refertur in eadem distinctione cap. multi, & cap. si re vera; ergo aut Nicolaus non fuit infallibilis in definiendo, aut Pelagius errauit; immò fuit Hæreticus contradicendo. Tùm secundò, nam Sanctus Cyprianus pertinaciter restitit Stephano Pontifici definienti Hæreticos non esse rebaptizandos, & tamen non est dicendum Sanctum Cyprianum Martyrem fuisse Hæreticum, ergo non est Hæreticum contradicere definitioni Summi Pontificis.

Respondeo concessa maiori, negando minorem, ad primam probationem dico, cum communi Theologorum consensu: Nicolaum non dixisse definiendo, sed solùm casualiter inter respondendum quæstioni sibi propositæ ex propria opinione, quam ipse affirmat fuisse opinionem Sancti Ambrosij, nam cùm quæsitum esset à Nicolao vtrùm validum sit baptisma collatum à Iudæo, vel Pagano, respondit esse validum, dummodo sit datum, siuè in nomine trium Personarum, siuè in nomine solius Christi, ac proindè non se opposuit definitiuè Pelagio, & Zachariæ.

Sed contra hoc insurgit non spernendum argumentum Hæreticum est dicere esse validum baptisma datum in nomine Christi, & sinè expressione trium Diuinarum Personarum; ergo, si hoc dixit Nicolaus errauit.

Cardinalis Bellarminus negat illam propositionem esse hæreticam, quia non inuenitur aliqua certa definitio, de eo quod in forma baptismi debent explicari tres Diuinæ Personæ; Pelagius enim in illa epistola citata non definiuit, sed suam opinionem, vt Doctor particularis explicauit.

Nec obstat, ait Bellarminus, quod in Concilio Anglicano confirmato à Zaccharia Papa, qui Nicolaum præcessit, hoc fuit definitum, non inquam obstat non enim prædictum Concilium Anglicanum vnquam fuit in Ecclesia, tùm quia Beda in historia suæ gentis faciens mentionem aliorum Conciliorum Anglicanorum, non meminit talis Concilij; tùm etiam, nam ipse Beda actorum decimo sequitur, & approbat sententiam Ambrosij de baptismo collato nomine Christi, sed si oppositum in Concilio Anglicano esset definitum, Beda in id non teneret, sed admissa auctoritate Concilij aliter sentiret, ergo non fuit definitum in tali Concilio, quod baptisma, sine expli-

explicita inuocatione Trinitatis non sit ratum.

Nihilominùs tamen hæc solutio non potest nobis placere; quia, vt colligitur ex Diuo Thoma tertia parte quæst.66. art.6.in argumento. Sed contra verba Pelagij, sine dubio sunt Pontificis, vt definientis, quia respondet directè quæstioni sibi propositæ in rebus fidei, tamquam regulæ illarum, quod patet ex ipsis verbis: dicit enim sic, si hi, qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, si solummodò in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sinè cuiuscumque dubitationis ambiguo ad fidem Catholicam venientes eos in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Vbi vt vides, tamquam certè definiens dixit, sinè cuiuscumque dubitationis ambiguo.

Aliter ergo, cum ipso Diuo Thoma loco citato, respondeo: Nicolaum tantùm voluisse baptismum in nomine Christi collatum esse validum, quando adest dispensatio ipsius Christi, quod probat Sanctus Doctor, quia Pontifex dictum suum infert ex eo, quod legitur in actibus Apostolorum: [Apostolos baptizare in solo nomine Christi, quod certum est fecisse Apostolos, ex speciali Christi dispensatione; hoc ergo tantummodo voluit Nicolaus, quod nec hæresis est, nec contra definitionem Pelagij, qui loquitur de baptismo secundùm suam definitionem.

Ad secundam probationem antecedentis principalis argumenti respondeo, cum communi Theologorum: Stephanum non definisse Hæreticos non esse rebaptizandos, sed solùm iussisse eos non rebaptizari, ac proindè, vt ait August.lib.de baptismo cap.18. Ecclesias nutasse adhuc de illa quæstione, & sic potuisse Cyprianum, & alios salua charitate dissentire, donec non accessit generalis Concilij definitio.

Sed oppones Eusebium lib.7. histor.c.4. & Augustin.lib.de vnico baptismo cap.14. dixisse, quod Stephanus non solùm imperauit ne rebaptizarentur baptizati ab Hæreticis, sed insuper censuit excommunicandos, qui non obedirent; ergo verè definiuit illam sententiam.

Respondeo, quod cùm oppositum illius sententiæ defenderetur à magna parte Catholicorum, plusquam enim octuaginta Episcopi subscripserant opinioni Sancti Cypriani, vndè Stephanus prudenter esto posset, noluit definire solus, sed mandans pro tunc, vt baptizati ab Hæreticis, non rebaptizarentur distulit definitionem vsque ad generale Concilium, in quo partes audirentur, & eorum rationibus satisfieret. Præceptum tamen suum communiuit comminando excommunicationem contra oppositum facientes, vndè non fuit latæ sententiæ, sed tantùm comminatoria illa excommunicatio, quam contra oppositum facientes fulminauit, vndè non potest inferri, quod fuerit vera definitio.

Tertiò, arguunt contra nostram conclusionem Hæretici diuersas historias Pontificum, qui vel in veritate Catholica, vel in bonis regulis morum errauerunt, & primò arguit Caluinus historiam Ioannis XXII. sed audi Lector ex ore illius, cum quo solemni mendacio: [Atqui, sunt verba eius, si priuilegium, quod obtendunt, ratum esse velint, expungant è numero Pontificum oportet Ioannem XXII. qui palam asseruit animas esse mortales, vnàque cum corporibus interire vsque ad diem resurrectionis, atque vt videas totam Sedem cum præcipuis suis fulturis tum prorsus concidisse, nemo Cardinalium se tantę insaniæ opposuit. Sed Schola Parisiensis Regem Galliæ impulit, vt ad Palinodiam hominem cogeret. Rex eius communionem suis interdixit nisi mox resipisceret, idq; de more publicauit per præconem, hac necessitate adactus ille errorem abiurauit. Hoc exemplum facit ne me opporteat, cum aduersarijs amplius de eo disputare, quod dicunt Sedem Romanam, eiusque Pontifices labi in fide non posse, quia Petro dictum sit: Oraui pro te ne deficiat fides tua; certè ille tam fœdè lapsus genere, à recta fide excidit, vt sit insigne posteris documentum non omnes esse Petros, qui Petro in Pontificatu succedunt.] Adducit fabulator iste ad confirmandam suam fabellam [Gersonem in margine sui libri,] sic teste Gersone, qui tunc viuebat.

Cœterum nescio, vbi potuerit fabulator iste hoc solemne mendacium inuenire, numquam enim, vt ipse ait, Ioannes Pontifex asseruit animas esse mortales, sed tota quæstio in eo versabatur, an Sanctorum animæ, statim à corporibus solutæ, Dei faciem, seù essentiam ante diem iudicij clarè viderent, an ab hac visione vsque ad diem Iudicij retardarentur, hoc tantùm erat tunc dubium exagitatum inter Dominicanos, & aliquos Franciscanos, vt narrat Ciacconius in vita Ioannis XXII. ex antiquioribus Historicis; inclinauerat in partem Franciscanorum Ioannes, & sententiam illorum tenebat, qui negabant Animas Sanctorum statim à corpore solutas videre Deum adducentes, pro hac sententia opinionem plurium Doctorum antiquiorum, tam ex Græca, quàm ex Latina Ecclesia, nam pro illa adducebant Iustinum Martyrem, Irenæum, Origenem, Theodoretum, Ecumenium, Theophylatum, & Euthymium; & ex Latina: Tertullianum, Lactantium, Victorinum, Prudentium, & Bernardum, aliosque, quos enumerat Sixtus Senensis in sua bibliotheca annotat. 345. lib. 6. horum auctoritate motus Ioannes sententiam illam acerrimè prosecutus Fratribus Prædicatoribus, qui primi, & Franciscanos, & Ioannem Pontificem impugnauere acrem persecutionem indixit, immò vt aliqui volunt vniuersitati Parisiensi præcepit, vt omnes hanc sententiam compelleret tenere, præcipiens, vt nemo Theologiæ gradum consequeretur, nisi priùs in hanc sententiam iurasset, vt narrat Magister Ferre tractatu de fide, quæst. 12. §.2. num. 5. quibus fretus Inquisitor quidam fidei Franciscanus Auenione celeberrimum Doctorem Fratrem Thomam Anglum Ordinis nostri Prædicatorum in die Ioannis Euangelistæ Sacro, publicè concionantem, & illam opinionem sententijs, rationibus, & historijs exagitantem in carcerem coniecit veritatis animosè prædicatæ pœnas daturum, nisi Rex Philippus ea carceratione indignatus sua Epistola Ioannem Pontificem certum reddidisset de indignitate vindica-

tionis huiusmodi; quibus motus Pontifex suam opinionem ex sensu vniuersalis Ecclesiæ sapere voluit, & tam ipse Frater Thomas, quàm Durandus de Sancto Portiano suam opinionem constantissimè verbo, & scriptis pro Catholico dogmate egerunt, quapropter Ioannes Pontifex, qui parabat iam suam opinionem definire tantisper substitit, & à morte præuentus se, suamque opinionem relinquens totum submisit iudicio Ecclesiæ, & sui successoris, quam veritatem Gulielmus Ochamus grauissimus Pontificis aduersarius non potuit negare, referens Dial.1.par.2.c.9. & 10. Pontificem in extremo vitæ dixisse: [Numquam tamen meæ intentionis fuit dicere aliquid contra fidem, & si aliquid diximus, totum ex nunc reuocamus.] Et post mortem huius aliàs gloriosissimi Pontificis, à suo successore fuit definita de fide contraria sententia. Hæc est vera historia, fabulose Caluine, de hac opinione si animæ vident Deum antè diem iudicij à nobis collecta ex fidelissimis Historicis, non solùm ex amicis, sed etiam ex inimicis Ioannis, ex quibus conuinceris pluribus mendacijs, & falsitatibus, in primis falsum est, quod tu ais illam opinionem negasse immortalitatem Animæ, sed solùm Animas Sanctorum videre Deum facie ad faciem ante diem iudicij, quæ opinio, vt dixi, tunc non erat hæretica, cùm non fuerit antea ab Ecclesia proscripta, immò à pluribus Patribus sequuta.

Secundò falsum est cum ipsó conuenisse omnes Cardinales, & Theologos Curiæ, nam vt diximus, & Fratres Predicatores, & alij constanter se opposuerunt Pontifici; immò, vt ait Ciacconius loco citato: [opinio Pontificis, cùm velut falsa, & erronea à maiori Cardinalium, & Theologorum parte, & præcipuè à Fratribus Prædicatoribus damnaretur, iussit Pontifex omnibus Theologis, vt quid de ea censerent diligenter inquirerent. Ille.]

Tertiò falsum est Philippum Regem Galliæ à Parisiensi vniuersitate admonitum Pontificem à communione suorum interdixisse, sed vt diximus, indignatus Rex ex carceratione illius Doctissimi Magistri Dominicani dehortatoriam epistolam scripsit Summo Pontifici, ne se contra torrentem doctiorum virorum opponeret, ex quo Pontifex prohibuit persecutionem motam Dominicanis à Minoritis Auenione, vt diximus.

Quartum mendacium est ipsum Pontificem Ioannem XXII. errorem abiurasse, sed solùm in articulo mortis constitutus, quamuis aliàs cogitaret de sua opinione definienda se remisit determinationi Ecclesiæ, & sui successoris. Non canat, ergo triumphum Impostor iste de conuicta Romana Ecclesia falsitatis, tùm quia licèt falsa fuerit illa sententia à Pontifice defensa, non tamen erat hæretica, nec definitum contrarium. Tùm quia illam non tenuit, nisi vt Doctor particularis, non autem, vt Summus Pontifex; ac proindè etiam si hæretica esset nullum fuisset argumentum contra Catholicum dogma de indefectibilitate iudicij Romani Pontificis, quia non loquimur de Pontifiee Romano, vt persona particularis est, sed vt Pontifex ex Cathedra docens, & definiens.

Obijciunt tamen Centuriatores plura alia exempla, primum cent.4.cap.5.pag.227. ex Hieronymo in Chronico, dicente, Liberius tædio victus exilij in hæreticam prauitatem subscribens Romæ, quasi victor intrauit, ergo fuit hæreticus Secundò arguunt idem Felix, qui Liberio successit in Episcopatum, fuit Hæreticus Arianus, vt enim ait Hieronymus: [Felix Episcopus Arianus in locum Liberij substituitur;] quapropter Theodoretus lib.2.historiæ cap.17. affirmat, quod nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit.

Tertiò idem Centuriatores, cum Caluino, Victorem Papam fuisse Ebionitarum hæresi infectum apud Eusebium denotatum affirmant lib.5. historiarum cap. 28. docendo: Christum purum hominem fuisse;] ergo.

Quartò ex Tertulliano lib. aduersùs Praxeam, dicente: [Zephyrinum Papam fuisse in Montanistarum hæresim lapsum; denique opponunt Centuriatores cent.1.lib.2. cap.10. columna 627. Linum Papam violasse Euangelium eo, quod iusserit fœminas, nonnisi velato capite, lineisque operto Ecclesiam ingredi, quod ipsi errorem existimant, vndè Iunius Caluinista in derisum Sancti Pontificis, ait: [Lino fuit nomen, ideoque sui nominis monumentum in capitibus fœminarum esse voluit.]

Respondeo ad primum exemplum, quod duo obijciuntur Liberio, alterum, quod cum Hæreticis Arianis communicauit, vtrumque tamen esse valdè dubium, vt videre est in nostro Natali Alexandro historiæ Ecclesiasticæ seculi 4.part.3. dissert.31. aliqui enim Liberium sanctitate pollentem existimant, adducentes in testimonium plures Patres, specialiter Basilium epist.74. ad Episcopos Occidentis, Epiphanium hæresi 75. & Ambrosium lib.3. de Virginibus, vbi de eo sic habet: Tempus est, Soror Sancta, beatæ memoriæ Liberij præcepta reuoluere, vt quò vir sanctior eò sermo accedat gratior.] Et Ruffinus lib.10. cap.27. historiæ, ait: [Se adhuc multa diligentia adhibita non potuisse certò scire, an Liberius subscripserit.] Id quod certum est apud omnes, est, Liberium initio sui Pontificatus, vsque ad exilium, multa pro fide Catholica perpessum, nullis, vel minis, vel pollicitationibus potuisse vinci, vt damnationem Athanasij obsignaret. Cæterum post exactum in exilio biennium, exilij tædio tormentorum vi, ac mortis metu, coactus in damnationem Athanasij est inductus, numquam tamen hæresi subscripsit: [Non enim (vt probat eruditissimè præcitatus Pater de Alexandro) secundæ formulæ Sirmiensi subscripsit, quia hæc erat hæretica, & consubstantialitatem Patris cum filio negabat, sed tantùm primam formulam, quæ contra Photinum ædita fuerat. Et ad id, quod adducitur ex Hieronymo, scilicèt Liberium hæresi subscripsisse, & ex Hilario, qui libro fragmentorum: [Anathema, dixit, Liberio, eo quod ob eam subscriptionem in perfidiam Arianorum consensit.] Respondeo cum eodem Doctore, Sanctum Hieronymum tantùm voluisse Liberium subscripsisse damnationem Athanasij, cuius causa cum causa fidei coniuncta erat, & sic cum Arianis communicasse;

non

non autem, quod subscripserit formulæ fidei, quæ secundùm se, & verbis explicitè esset hæretica, vndè aliqui dicunt Liberium interpretatiuè subscripsisse hæresi, non expressè, quia etsi prima formula Sirmiensis ab Arianis ædita, Catholica habeatur; ab Hilario tamen illa est subdole, & impiam, si spectentur eorum, à quibus æditæ sunt personæ, consilia, & affectus. Similiter ad illum Sancti Hilarij respondet verisimile esse illa verba, quibus Liberij perfidia notatur irrepitia esse, nec à Sancto Hilario conscripta; cùm enim Liberius à suo lapsu surrexisset, & pristinæ deleuisset ignauiæ labem Nicænam fidem aduersùs Ariminense Conciliabulum, vt Sanctus Damasus in epist. ad Illyrici Episcopos, testatur strenuè propugnando, non est verisimile Sanctum Hilarium in libro illo fragmentorum, quem post Ariminense Conciliabulum conscripsit in Liberium anathema, velut in præuaricatorem, & apostatam dixisse.

Sed dato, & non concesso, Liberium in hæresim incidisse, hoc non vt Papa, & vt definiens ex Cathedra, sed vt particularis homo, & vt persona priuata fecit, quod, vt infra videbimus, non est contra nostram conclusionem, in qua non dicimus Papam, vt personam particularem, & priuatam non posse errare, sed solùm quatenus reduplicatiuè Papa est Magister Ecclesiæ, illam ex Cathedra docens dogmata fidei.

Ad secundum exemplum respondeo cum præcitato nostro Alexandro, Felicem illum, qui fuit ab Imperatore in locum Liberij Pontifex creatus, numquam fuisse legitimum Romanum Pontificem, quod ipse multis probat, sed mihi duo in hac parte hanc sententiam reddunt valdè probabilem, primum est tàm Optatum Mileuitanum, quàm Sanctum Augustinum seriem Romanorum Pontificum texentes, vt ex illorum successione perpetuam Catholicæ Ecclesiæ veritatem probent ex illorum numero Felicem expungunt, & post Iulium, Liberium, post Liberium verò immediate Damasum ponnut; itaque Felix non fuit vnquam verus Romanus Pontifex. Secundum est, nam si Felix fuit legitimus Pontifex, vel fuit, quando Liberius erat in exilio, vel quando iam subscripta sententia contra Athanasium, vt volunt contrarij in hæresim lapsus depositus fuit à Pontificatu. Primum nequit dici, quia superstite legitimo Pontifice, qualis tunc in omnium sententia erat Liberius, non potest alius esse legitimus Pontifex, quod autem non fuerit legitimus Papa, post lapsum Liberij probatur, nam Liberius data emendatione rediјt ad Pontificatum vsque ad suam mortem, vt communiter narrant Historici, ergo vel simul sederunt in Cathedra Petri duo legitimi Pontifices, quod est impossibile. Nec dicas, quod post mortem Liberij, aut illo exauthorato creatus fuit verus Pontifex. Sed hoc nec etiam esse potuit, quia sic Liberius non fuisset restitutus in Pontificatu, nisi exauthorato Felice, quod esse nequit non supposito in Felice crimine, quo promereri poterat illam exauthorationem, quod nullus vsque modò est commentus, ergo dicendum est Felicem numquam fuisse legitimum Pontificem.

Quod autem contra hoc adducitur, vel ex Sancto Hieronymo illum inter Pontifices numerante, vel ex Theodoreto vocante Felicem, Liberij successorem, dicendum est non esse contra nostram resolutionem, tùm quia ipsi non de legitima successione sunt loquuti, sed de impropria, & lata successione quatenùs dicitur de eo, qui post alterum ad dignitatē promouetur, siue iustè, siue iniustè. Tùm quia ab vtroque dicitur ab Hæreticis Ioannes Intrusus. Et multò minùs contra nos faciunt ea, quæ huic Felici attribuuntur siue in Martyrologio, siue in Sacramentario sancti Gregorij, in quo ponitur solemnis dies, & Officium sancti Felicis Papæ, & Martyris die 29. Iulij, siue ab Anastasio Bibliothecario in eius vita; nàm vel apocrypha sunt, vel ad sanctum Felicem I. Papam, & Martyrem pertinentia, & vbi dicitur, quod Imperio Constantij passus sit, cùm ipsum vixisse vsque ad Valentiniani Imperium, nec obijsse antè 22. Nouembris anno 368. narrant Faustinus, & Marcellinus certum est de obitu loquutos fuisse primi Felicis, vt refert noster Alexander. Cæterùm dato, & non concesso, Felicem hunc fuisse verum Pontificem, quod fuit non antè, quàm post lapsum Liberij, tunc tantùm abest fuisse Hæreticum, quin potiùs, vt narrant omnes, etiam ex Hæreticis Lutheranis, Centuriatores fortiter semper, cum Hæreticis est congressus, & ipsi Constantio se opposuit, & hæresim Arianam congregato Concilio octo, & quadraginta Episcoporum Presbyteros Vrsatium, & Valentem Arianos ab Ecclesia separauit, quia cum Constantio Augusto in fide sentirent, ac tandem pro fide mortuum affirmat Platina in sua vita.

Ad tertium de Victore respondeo, me nescire, quo pacto cum Centuriatoribus, Caluinus, hoc nobis obijciat, cùm ipsi sui immemores contrarium dicant centuria 2. col. 106. vbi habent de Victore cum Theodoro variè de Christi humanitate disputante Romæ primùm confutauit, & ab Ecclesia eiecit, nec Eusebius, quem pro se citant, pro illis est; nàm in illo loco potiùs ait falsò illā calumniam fuisse Victori attributam, & hoc probat, eo quod excommunicauit Theodotum, eo quod malè de Christo sentiret.

Ad aliud ex Tertulliano adducto de Zephyrino Papa dicimus Tertullianum, vtpotè Montani hæresi infectum in eumdem errorem quærit Zephyrinum etiam inuitum in suam sententiam trahere, estò verum sit potuisse Zephyrinum deceptum à Montano, cùm hic Catholicæ communionis se fingeret literas pacis ei dare, qui tamen postquam cognouit fraudem, & illum ab Ecclesia eiecit, & eius doctrinam anathematizauit.

Certum est autem Zephyrinum nec Montani propugnasse errorem, nec ipsi vllatenùs consensisse, tùm quia decretum edidit aduersùs hæresim Montani relatum à Tertulliano lib. de pudicitia cap. 1. illis verbis: [Pontifex Maximus, qui est Episcopus Episcoporum edicit: Ego, & Mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto;] & loquitur de Pontifice Zephyrino; ergo non fauit hæresi Montanistarum, tùm etiam, nàm referente Eusebio lib. 5. histor. Eccles. cap. 27.

ex auctore antiquo, & coetaneo Zephyrini: Zephyrinus Natalium in hæresim Theodoti Coriatij lapsum, & pœnitentiam agentem, acta exomologesi in Ecclesiam recepit, & veniam dedit, ergo non adhæsit errori Montanistarum negantium veniam ab Ecclesia indulgeri posse lapsis post Baptismum.

Ad locum ergo ex Tertulliano obiectum dico, quod in hac parte circa ea, quæ ad res Montani spectat non esse adhibendam fidem, quia cùm ipse Montanista fuerit, vt solitum erat Hæreticis errores suos Pontifici affingere errorem Montanistarum Zephyrino tribuebat, sicut & discipuli Artemonis, teste Eusebio lib. 5. histor. Ecclesiast. capit. 27. inpium suum errorem Victori Romano Pontifici tribuerunt.

Quod si vis aliquando Zephyrinum fauisse hæresi Montani, concedendo illi literas pacis, hoc non fuit error iuris, sed facti, quatenus deceptus fuerat à dolis illorum in occultanda hæresi, quia medullitus infecti erant, sed postea certior factus illorum errorum, & eorum vafritia detecta hæresim solemni decreto, vt visum est, damnauit, eiusque Auctores anathemate contriuit, & ab Ecclesia expulit.

Ridiculum denique est, quod contra Linum obijciunt violasse scilicet Euangelium, eo quod præcepit fœminas, nonisi velato capite Ecclesiam ingredi, ac si error esset firmare in Ecclesia Apostolorum præcepta, & maximè Petri, & Pauli, cuius 1. ad Corint. erat illud preceptum, vt scilicet fœminæ velato capite in Ecclesia starent propter Angelos, hoc est propter Sacerdotes, vt exponit Ambrosius.

Sed quis posset omnes errores, quos Romanis Pontificibus Hæretici nostri temporis infingunt enumerare, sic Anacleto obijciunt instituisse memorias Sanctorum, & monumenta eorum ornasse; Thelesphoro, præcepisse septem antè Pascha hebdomadas ieiunij Vrbanum instituisse confirmationem post baptismum, Pontianum blaphemasse, dicendo Sacerdotes proprio ore Corpus Domini conficere, & populis tradere, Cœlestinum fuisse Nestoriana hæresi infectum; clamat Laurentius Valla, Leonem Magnum errasse, eo quod epist. 79. ad Nicetam, dixerit, mulierem non peccasse, si nubat alteri viro, quando existimat primum maritum iam mortuum, Anastasium errasse, eo quod probauerit ordinationem, & baptismum collatum ab Acacio Donatista, & alios innumerabiles errores alijs Summis Pontificibus infingunt.

Hos ego mitto, tùm quia omnia ista obiecta ex falsa illorum doctrina colligunt esse errores, cum sint veritates Catholicæ; vt facilè Catholicè sentienti apparebit, tùm quia etiam si aliquis Pontifex contra fidem errasset, non esset error tamen ipsius Papæ, quatenùs Papa ex Cathedra docet; sed quatenùs persona particularis, & Doctor particularis affirmat.

Quartò ex dictis arguitur, potest Pontifex; vt persona priuata errare pertinaciter in fide, ergo etiam, vt Caput Ecclesiæ, docens ex Cathedra, errare potest in fide. Antecedens constat ex dictis in argumento antecedenti, vbi plures errores à Pontificibus dictos affirmauimus esse ab illis, vt à personis priuatis, & consequentia probatur. Tùm primò, quia hoc ipso, quod Pontifex, vt persona priuata, errare possit, nullus est, qui ei prohibeat errorem suum publicè prædicare, & docere, ergo & poterit errare, vt Pontifex. Tùm secundò, nam Pontifex errans in fide posset credere esse veram fidem id, quod errans credit, ergo poterit sic proponere credendum, iudicare esse de fide, quod re vera contrarium est fidei, & sic docens ex Cathedra errare. Tùm tertiò Pontifex non habet euidentiam diuinæ attestationis, vt habet Propheta, ergo nequit discernere, quando Deus illi loquitur, quando non; ergo si posset, vt persona particularis errare nesciens discernere vtrum illum errorem à Deo habeat, vel à se, poterit illum ex Cathedra Ecclesiæ proponere. Tùm denique, & explicatur magis totum argumentum, ideo nos indigemus regula visibili fidei proponente ea, quæ verè de fide sunt credenda, quia vnusquisque nostrum errare potest, & nescit euidenter discernere, quæ sunt de fide credenda, quæ non, vndè multoties contingeret errare in credendo, vt accidit Hæreticis, qui solo instinctu interiori ducuntur, ergo si Pontifex, vt persona priuata errare potest, cum nesciat discernere euidenter, quando Deus ei loquitur, errans poterit credere errorem suum sibi à Deo dictari, & illum Ecclesiæ, vt credendum proponere.

Propter hoc argumentum dubitant Doctores, an Pontifex, vt Doctor particularis pertinaciter errare possit in fide. Negant Albertus Pighius lib. 4. Eccles. hierar. ca. 8. Couarruuias lib. 4. variarum cap. 13. Bellarminus lib. 4. de Summo Pontifice capit. 6. Suarez tractatu de fide disput. 10. sect. 6. num. 11. præcipuè loquendo de errore circa res fidei, & cum contumacia, & assignant rationem, tùm ex verbis Christi supra relatis, Ego rogaui pro te ne deficiat fides tua, tùm quia hoc est magis pium, & decens dignitati Summi Pontificis.

Nihilominus tamen oppositam sententiam amplector, quam esse communem Theologorum, & Doctorum antè Pighium docet Bannez 2. 2. quæst. 1. art. 10. pag. mihi 190 illam docent Caietanus lib. de primatu Ecclesiæ Romanæ, Turrecremata lib. 2. suæ Summæ, Cano. lib. 6. de locis cap. vlt. Salmaticenses tract. 17. de fide disput. 4. dub. 1. num. 7. Campesisius pro actis 6. synodi c. 3. §. 3. Araugo. 2. 2. qu. 1. art. 10. dub. 3. n. 12 Magister Ferre tractatu de fide qu. 12. §. 3. & alij communiter, & probatur tùm ex capite si Papa 40. distin. vbi Symmachus Pontifex habet, [Culpas Pontificis redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur de fide deuius;] ergo est possibilis casus, in quo inueniatur Pontifex, vt persona particularis, deuius à fide, tùm etiam; nam datur in Ecclesia potestas deponendi Summum Pontificem à sua dignitate, sed nullus datur casus, nisi inueniatur deuius à fide, ergo potest dari talis casus.

Tùm tertiò nam dantur quamplures

Pon-

Pontifices, qui defecerunt, & errauerunt in fide, vt in aliquibus exemplis suprapositis apparet, & ad minùs nullus dubitat id, quod Eusebius narrat, & omnes antiqui Historici de Marcellino, qui tuus adoleuit idolis, & commendatus est in sinodo tercentorum Episcoporum, licèt postea pœnitentia ductus fidem publicè sit confessus, & martyr effectus, & plures alios Pontifices inuenimus damnatos à Concilijs, vt Hæreticos, vt specialiter de Honorio, quod in 6. synodo generali act. 4. habetur his verbis: [Anathematizamus Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrinam illustrauit, sed prophana proditione immaculatam fidem subuertere conatus est,] ex qua damnatione, vt optimè arguit Bannez. esto admittamus excusationes, & defensiones, & Honorij adductas à contrarijs affirmantes. vel quod ille locus Synodi fuerit vitiatus ab Hæreticis, vel quod Concilium errare potuerit iudicando secundum allegata, & probata, per falsos testes contra Honorium, affingentes illi epistolam vitiatam, in qua hæresis continebatur. Saltem remanet firmum supposuisse Patres Concilij posse Pontificem errare in fide, vt persona priuata, & tamquam Hæreticum condemnari.

Tùm denique: nam plures Pontifices contraria inter se senserunt, & tradiderunt, ergo alter ex illis tenuit falsum, vt Doctor particularis, consequentia tenet, quia duo contraria non possunt esse simul vera, & antecedens probatur, tùm ex illo, quod refertur in cap. quando de diuortijs, in quo Cœlestinus III. docuit, quod cùm alter coniugum labatur in hæresim dissoluitur matrimonium, & tamen in eodem capite Innocentius III. oppositum definiuit, tùm etiam ex illo Alexandri III. in capite licèt, de sponsa duorum, vbi definiens mulierem si contracto matrimonio cum vno antè consummationem contrahat cum alio, & consumet matrimonium cum illo, cogendam esse redire ad primum maritum, subiunxit, [Et si ab aliquibus prædecessoribus nostris contrarium sit iudicatum, ergo possunt Pontifices ad inuicem contrariari, & iudicare contraria.

Nec obstant fundamenta contrariæ sententię, non primum, nam in illo loco adducto duo Christus Petro promisit, alterum pertinens ad eius personam, nempe, quod eius fides non deficeret, alterum ad Pontificalem eius dignitatem, scilicet, quod non deficeret eius fides ad confirmandos fideles & quia hoc secundum erat necessarium ad regimen totius Ecclesiæ sibi, & successoribus suis in Pontificatu donauit, minimè verò primum.

Et si opponas, quod illud priuilegium non fuit collatum Petro, quatenus erat Apostolus, nam sic omnes Apostoli illud haberent, & consequenter Apostolus Thomas numquam in fide defecisset, ergo datum est illi quatenus erat Ecclesiæ Pastor, & sic transit ad Pontifices Petri successores. Respondeo, quod illud priuilegium personale non fuit alligatum Apostolico muneri nec Pontificali officio, sed concessum personæ Petri, tamquam speciale priuilegium personale.

Ad secundum fundamentum contrariæ sententiæ respondeo, potiùs ipsam esse parum, tutam, dignitati Pontificum inconuenientem; nam vt ait Bannez, quamuis opposita opinio præseferre videatur quandam pietatem, re tamen bene inspecta parum pia est, quin potiùs minuit Pontificiam dignitatem, nam nostra sententia proposita distinctione de Pontifice, vt est Doctor priuatus, & vt est prima regula, & vniuersalis Magister Ecclesiæ facili negotio diluit omnia Hæreticorum sophismata, & stabilit firmissimè infallibilitatem Romani Pontificis definientis ex Cathedra res fidei.

His suppositis ad argumentum factum respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam ad primam probationem nego antecedens, prohibet enim illum Deus nè errorem Ecclesiæ proponat, quia ipse, Deus promisit Ecclesiæ. quod non relinqueret illam in errore, & quod portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, ergo cùm ipsam reliquerit Pontifici gubernandam consequenter tenetur prohibere, nè Pontifex Ecclesiæ suæ errorem proponat credendum, quia ipsa teneretur credere Pontifici errorem proponenti.

Ad secundam probationem ex dictis respondeo, quod quia Deus promisit Ecclesiæ numquam esse defecturam, non permittet; quod ei Pontifex aliquod, vt credendum de fide proponat, nisi ea, quæ credibilia sunt, & sic licèt possit Pontifex credere, vt persona particularis, quod sua opinio erronea sit vera, & de fide, illam tamen numquam permittit Deus, vt possit, sicut ipse intelligit, proponere Ecclesiæ, vt inter alia exempla celebris est illa Ioannis XXII. qui paratus definire sententiam suam erroneam, quam existimabat veram morte subrepus est, & suo successori sententiam suam supposuit qui postea contrarium definiuit.

Ad tertiam concesso antecedenti, nego consequentiam, nam esto nesciat Pontifex euidenter discernere, quando ei loquitur Deus & quando non, tamen ità Deus dirigit illum infallibiliter, quando proponit res fidei, vt numquam sinat errare, iuxta illud Pauli: [Num quid experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus, & illud Christi ad Discipulos, [Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.]

Quod si opponas si Pontifex dum definit non potest errare, quia Deus per ipsum loquitur, sequeretur, quod cùm actu experitur se deffinire euidenter, quo cognosceret Deum esse, qui ei loquitur, ergo haberet euidentiam rei credibilis in attestante. Consequens est absurdum, ergo id, ex quo sequitur sequela, probatur definitio Summi Pontificis non potest non esse effectus diuinæ loquutionis, ergo Papa, quando euidenter cognoscit se deffinire, euidenter quoque cognoscit talem loquutionem esse à Deo, & consequenter habet euidentiam rei credibilis in attestante, falsitas verò sequelæ constat, nam in omnium Theologorum sententia, vel saltim insaniori non potest dari in eodem intellectu euidentia diuinæ attestationis cum fide rei attestatæ, ergo falsum est, quod Pontifex qui habet fidem rei attestatæ, possit habere simul

simul euidentiam diuinæ attestationis.

Respondeo negando sequelam ad probationem distinguo antecedens, ita quod talis propositio sit lumine naturali nota, nego antecedens, ità quod sit solùm nota, vel potiùs credita per fidem, concedo antecedens, & nego consequentiam, nam licèt sit certissimum definitionem Summi Pontificis esse à Deo dirigente sua interna inspiratione, hæc tamen certitudo non est certitudo euidentiæ, sed certitudo fidei, & ideo non potest euidenter cognoscere esse Deum, qui eum ad loquendum mouet, sed solùm hoc certissimè certitudine fidei scit.

Ad vltimam probationem concesso antecedenti nego consequentiam, nam est valdè magna disparitas inter membra, & caput; membra enim per caput gubernantur, & ideò Diuina Pronidentia tantùm Capiti, & non membris promisit infallibilem instinctum, quando proponit res fidei, vt Caput vniuersalis Ecclesiæ, & ideò membra indigent regula visibili, à qua gubernentur in credendo, caput verò non indiget tali visibili regula, sed sufficit infallibilis promissio, quod non possit errare, quando ex Cathedra proponit res fidei, Ecclesiæ, vt credendas.

Denique arguitur, qui est modo Summus Pontifex in Ecclesia non est certus Petri successor, ergo errare potest in definiendo res fidei. Antecedens probatur, tùm quia à tempore Vrbani VI. cœpit schisma in Ecclesia perdurans, per spatium annorum quadraginta, quo tempore defuncti sunt veri Cardinales Summi Pontificis Electores, & alij Pseudocardinales à Pseudopontificibus creati fuerunt, vel saltem à Pontificibus dubijs, & incertis, à quibus non potuit esse legitima electio Martini V. in Constantiensi Concilio electi, à quo deinceps continuata successione habuit Ecclesia Romana suos Pontifices vsq; ad hodiernum, ergo à tempore Vrbani VI. omnes Romani Episcopi sunt incerti successores Petri.

Tùm secundò, non est certum secundùm fidem, quod Innocentius XI. sit verus Summus Pontifex, ergo nec erit certum, quod hic, quem nos Papam arbitramur, non possit errare. Consequentia tenet à pari, esto sit de fide, quod Sacerdos ritè consecratus possit consecrare Sacramentum Eucharistiæ, tamen, quod iste homo sit Sacerdos, & hoc ab eo consecratum sit verum Sacramentum, non est certum secundùm fidem, ergo similiter quamuis sit certum secundùm fidem, quod qui est verus Pontifex non potest errare, quod autem hic homo v. g. Innocentius XI. non possit errare non erit certum secundùm fidem, si non est certum secundùm fidem, quod Innocentius XI. sit verus Summus Pontifex. Antecedens autem probatur, non est certum secundùm fidem, quod iste sit baptizatus, ergo similiter non erit certum secundùm fidem, quod sit verus Summus Pontifex.

Confirmatur hoc argumentum Summus Pontifex, nisi necessariam diligentiam adhibeat in examine veritatum, quas vult definire, errare potest, nam Spiritus sanctus non assistit Pontifici per immediatam reuelationem, sed assistit quærenti veritatem per disputationem, inquisitionem, & consilium, sed potest in his esse negligens, ergo potest errare.

Sinè dubio difficilimũ est hoc argumentum, & tangit diuersas difficultates, respondeo tamen negando antecedens, ad primam probationem, quæ est fundamentum, quo conuictus Wiclef opinatus est post Vrbanum VI. non esse admittendum aliquem, vt Summum Pontificem, sed viuendum Græcorum more sub proprijs legibus, quem errorem, quamuis iam damnatum in Concilio Constantiensi sess. 8. sequuti sunt Lutherani, nihilominus nullam esse rationabilem causam dubitandi. Patet tùm primò, quia secundùm fidem est in Ecclesia Catholica auctoritatem eligendi Summum Pontificem, esto Papa, tamquam Ecclesiæ Caput, præscribere possit quibus modis, & à quibus personis fieri debeat talis electio, & ideò statuit, quod fieret per solos Cardinales, cæterum si accideret casus (quod Deus auertat) quod Papa simul cum omnibus Cardinalibus peste, aut gladio perirent, cui dubium esse potest remanere in Ecclesia, in Episcopis scilicet, & Clero Romano potestas eligendi Summum Pontificem ita ergo contigit in electione Martini V. nam cum post quadraginta annos infaustissimi schismatis, per quod in tres partes Ecclesia Catholica diuisa tribus Pontificibus gubernabatur, videlicet Ioanne XXIII. Gregorio XII. & Benedicto XIII. industria Sigismundi Imperatoris congregatum fuit Concilium Constantiense, in quo interfuit Ioannes XXIII. & Procuratores Gregorij XII. Benedicto in sua pertinacia, & contumacia permanente spontè illi duo Pseudopontifices omne ius, & Pontificatum in manus Concilij cesserunt, quia omnes tenebantur cedere iuri suo propter Ecclesiæ vtilitatem, & tunc auctoritate, qua pollebat Concilium, elegerunt ex singulis nationibus, quæ Concilio interfuerant sex eminentes viros, qui pro illa vice in electione Summi Pontificis ferrent suffragia, à quibus vnanimi consensu electus est Martinus V. anno Domini 1417. in festo S. Martini, ergo canonica electio ab ipsa Ecclesia in Concilio congregata ritè facta; quamuis (vt ait Magister Bagnez) etiam sinè conuocatione Concilij poterat à solis Cardinalibus, quantumuis dubijs, immò & falsis eligi Summus Pontifex verus propter communem consensum Ecclesiæ, & errorem facti, vbi enim est communis error facti, vt dicitur in l. Barbarius, ff. de officio prætor. habet iurisdictionem Prælatus, & omnia eius gesta, & acta valent, tam in ciuilibus, quàm in spiritualibus, igitur fuit indubitatus Summus Pontifex Martinus, & consequenter omnes eius successores.

Maiorem difficultatem mouet secunda probatio, quærit enim de illa solemni difficultate verùm sit certum secundùm fidem, quod hodiernus Pontifex sit verus Papa, de qua latius infrà disputatione sequenti pro nunc, vt à sententijs abstrahamus, dupliciter, iuxtà duplicem oppositam sententiam respondemus, vel negando antecedens in sententia affirmantium esse de fide hunc Pontificem esse verum Papam, & ad probationem dico, quod iudicandus est impossibilis moraliter casus, quod aliquis ascendat ad culmen Pontificatus absque eo, quod sit baptizatus,

quia

quia ad Diuinam Prouidentiam spectat, vt non permittat hominem non baptizatum ascendere ad Summum Pontificatum, ad hoc autem, quod sit certum secundùm fidem, quod hic Pontifex sit verus Papa, sufficit quod sit ritè electus ex parte Ecclesiæ consentientis in eius electionem, vndè etiam si secundùm se ratà electio Pontificis dependeat à circumstantijs fallibilibus, & contingentibus, vt quod sit vir, & quod sit baptizatus, tamen istæ circumstantiæ in se fallibiles, & contingentes redduntur infallibiles, & certæ in ordine ad electionem, & acceptationem vniuersalis Ecclesiæ; supposito enim, quod ipsa acceptauit Innocentium XI. vt Summum Pontificem verum successorem Petri, & supposita promissione Christi, quod non faciet errare Ecclesiam suam, sequitur quod sit de fide Innocentium XI. esse verum Summum Pontificem, vt patet in hoc discursu, Ecclesia non errat in his, quæ ad fidem pertinent, & ad mores, sed Ecclesia acceptauit electionem Innocentij XI. in Pontificem ritè electum, & verum successorem Petri, ergo quod hic Innocentius sit verus Summus Pontifex ritè electus erit de fide, ex quo insuper colligitur Innocentium XI. esse virum, & baptizatum, & habere omnes alias conditiones essentiales ad hoc, vt sit verus Summus Pontifex, vndè in forma iuxtam hanc solutionem ad argumẽtum; nego antecedens, ad cuius probationem iterum nego antecedens; est enim de fide mediatè electum in Pontificem esse virum, & baptizatum.

Vel iuxtà aliam sententiam, quæ tenet non esse de fide hunc Papam esse verum Papam, respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam, & ad probationem iterum concesso antecedenti, nego consequentiam; etiam enim si Papa non esset verus, sed putatus verus, numquam tamen error ipsius in aliqua definitione redundabit in Ecclesiam, quia vel non definiet, vel non definiet falsum, sed verum, & hoc citra miraculum, sed ex sola suppositione, quod Christus Matthæi 16. dixerit: [Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.]

Ad confirmationem concessa pro nunc maiori, negando minorem, nam supposita promissione Christi facta Petro, necessariò sequitur, quòd Papa, & Concilium non possunt delinquere vnquam cum res fidei definire parant præuia diligentia, qui enim concessit infallibilitatem finis, concessit etiam infallibilitatem mediorum, & consequenter disputationes, & inquisitiones necessarias ad definitionem alicuius propositionis de fide.

§. II.

Secunda pars dubij resoluitur.

ALiud, quod in hoc dubio quærebamus erat, an Papa possit errare in confirmatione Conciliorum, & supponit hoc dubium id, quod infra probandum erit, scilicet, quod Concilijs nihil statuitur, definitur, aut sententiatur, nisi auctoritate Summi Pontificis, quod ibi probandum erit latissimè, pro nunc sufficiat id, quod ex actibus Apostolorum communiter circumfertur, ibi enim narratur celebratio primi Concilij in Ecclesia noui testamenti cap. 15. in quo cùm grauis quæstio mota esset inter Apostolos de cessatione legalium, Petrus tamquam Princeps (vt ait Glossa) primus locutus est, & in eius sententiam tota multitudo Apostolorum transiuit, vndè Hieronymus epist. 23. ad Augustinũ, ita ait: postquam breui sermone Euangelista totam cinxit historiam, ait loquente Petro tacuit omnis multitudo, & in sententiam eius Iacobus Apostolus, & omnes simul Presbyteri transierunt; hæc enim non debent esse molesta lectori, sed & mihi, & illi vtilia, vt probemus antè Apostolum Paulum, non ignorasse Petrum, immò Principem esse huius decreti; legem post Euangelium non esse seruandam.] Hæc Hieronymus.

Hinc omnia generalia Concilia non solùm confirmationem suppliciter petierunt à Romano Pontifice, sed insuper ex eius auctoritate sunt congregata; per se, vel per suos legatos illis præfuit, & vt ait Turrecremata in singulis Concilijs laudabiliter obseruatum est, quod Sancti Patres in Concilijs vniuersalibus constituti ante omnem determinationem quæstionis, quæ de fide orta foret semper Apostolicæ Sedis præstolabantur decretum, de quo inter alia exempla, quæ pro hoc præcitatus Cardinalis adducit, nobis sufficiat illud, quod affert ex prima actione Concilij Ephesini, vbi Sancta Synodus ità loquitur: [Congregatis nobis Nestorium à Sacerdotio remouimus depositionem eius canonicam facientes, atque laudantes Deo amantissimum, & Sanctissimum Episcopum maximæ Romæ Cœlestinum, qui antè nostram sententiam hæretica Nestorij dogmata, & antè nos protulit aduersùs eius sententiam propter Ecclesiarum cautelam, & traditam nobis fidem ab Apostolis.]

Id ergo, quod inquirimus est, an in confirmandis prædictis generalibus Concilijs, eorumque decretis ad fidem pertinentibus, possit Pontifex errare. Hæretici, qui & Pontifici, & Concilijs maximè aduersantur, affirmant, & Concilia, & Papam confirmantem Concilia errare posse, sic Arius negauit veritatem Concilij Niceni. Dioscorus dixit Chalcedonense, eiusque Confirmatorem errasse; Ioannes Hus asseruit errasse Papam, & Concilium Constantiense; sed omnium impijssimus Lutherus omnia Concilia, omnesq; Pontifices illa confirmantes etiam primum Concilium nascentis Ecclesiæ Hierosolymæ congregatum sub Diuo Petro dixit errasse, eo quod definierit opera esse necessaria ad salutem, & reclamante Paulo tulit legem de abstinentia à sanguine, & suffocato.

Nihilominus tamen contra omnes istos errores statuitur nostra Catholica conclusio Papa non potest errare in confirmandis decretis Conciliorum in materia de fide. Ità omnes Catholici. Et probatur primò tota infallibilitas Conciliorum habetur ex confirmatione Summi Pontificis, sed Concilia confirmata à Summo Pontifice non possunt errare in materia de fide, ergo Summus Pontifex in confirmandis Concilijs, quantùm ad decreta de fide tractantia, errare non potest. Maior probatur, Concilia generalia antè confirma-

firma-

firmationem Summi Pontificis non habent certam fidem, ergo tota eius infallibilitas habetur à confirmatione Summi Pontificis. Antecedens probatur, aliqua generalia Concilia, vel quia non congregata auctoritate Pontificis, vel quia non confirmata à Pontifice, errauerunt in rebus fidei, sic Ariminense Concilium errauit consentiens cum Ario, Teste Ruffino lib. 1. histor. Eccl. cap. 21. Sic Concilium Constantinopolitanum errauit, cum Leone Iconoclasta Imperatore tollendo Imagines Sanctorũ, vt tractatur in 6. Synodo generali action. 7. vbi damnatum est prædictum Concilium, in quo conuenerunt 300. Episcopi, sic denique relictis alijs Concilium Basileense congregatum ab Eugenio IV. deficiens ab obedientia Pontificis in multis errauit, ergo Concilium congregatum non habet fidei firmitatem antè Pontificis confirmationem.

Secundò probatur illa maior, & à priori. Concilium generale in tantùm non potest errare, in quantùm est congregatum in nomine Christi, sed non est congregatum in nomine Christi, nisi sit congregatum, & confirmatum à Papa, ergo à Papa habet Concilium, quod non potest errare. Maior est certa, nam tota infallibilitas Conciliorum fundatur in illo loco Matth. 18. [Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cœlis est; vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum ego.] Minor verò probatur dupliciter, contingit aliquos congregari in nomine Christi vno modo, quia congregantur, vt decet Christianos ad tractandas res fidei, & Religionis Christianæ animo bono, ac pio. Et qui ita congregantur, licèt habeant in medio Christum Dominum, non tamen ad hunc effectum, vt infallibiliter veritatem decernant, alio modo congregantur fideles in nomine Christi, quando auctoritate Papæ conueniunt ad tractandum de rebus ad fidem pertinentibus, & hoc pacto congregati in nomine Christi errare non possunt, ergo Concilium dicitur congregatum in nomine Christi, in quantùm auctoritate Papæ congregatur, & confirmatur.

Secundò probatur nostra conclusio, Concilium vniuersale in tantùm non potest errare, in quantùm repræsentat Ecclesiam vniuersalem, quæ errare non potest, quia portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, vt promisit Dominus, & est definitum de fide, vt communiter docent Theologi, sed non repræsentat Ecclesiam vniuersalem, nisi congregatum, & confirmatum à Summo Pontifice, ergo in tantùm habet infallibilem veritatem, in quantùm est à Pontifice congregatum, & confirmatum.

Sed contra hanc conclusionem arguitur primò, Concilium generale, etiam non confirmatum à Summo Pontifice, habet infallibilem veritatem in decretis fidei, ergo ex hoc capite non probatur Papam habere infallibilem veritatem in confirmandis Concilijs. Antecedens probatur, tùm primò, Concilium Constantiense antè electionẽ Pontificis Martini V. ac proindè antè eius confirmationem damnauit errores Hæreticorum, dixit: [Anathema illis, qui cum eis senserint,] immò, & combussit Hieronymum de Praga in illo Concilio hæreticum declaratum, & in suo errore pertinacem, ergo signum est, quod Concilium ex se, & antè Papæ confirmationem habet infallibilem veritatem in decernendis rebus fidei, alioquin temerarij, & arrogantes forent (vt volebat Lutherus) non solùm damnando errores, verùm etiam infligendo pœnam ita crudelem ei, qui illos errores pertinaciter tenebat.

Respondeo Concilium Constantiense in tantùm damnasse illos errores antè Papæ confirmationem, quia doctrina Wiclef, quam sequebatur Hieronymus de Praga, iam antè Concilium habebatur vt hæretica, & damnata ab Ecclesia Catholica, sicut Arius antè Nicenum Concilium iam damnatus præsumebatur, & Lutherus antè Tridentinum, & ideò potuit procedere contra illum hæreticum, infligendo ei capitalem pœnam, vndè Concilium Constantiense electo Martino V. ab eo petit confirmari omnia decreta in ipso firmata, sicut factum fuit per specialem bullam dicti Pontificis.

Secundò arguitur, Liberius Papa confirmauit Concilium Sirmiense, sed Concilium Sirmiense vocat perfidiam Arianorum Sanctus Hilarius, vndè, & Auxilius lib. 1. de ordinationibus Formosi, asserit cap. 25. [Quis nesciat, quod Liberius, proh dolor ! Arianæ hæresi subscripserit, & per eius transgressionem nefandissima scelera sunt commissa;] ergo potest errare Papa in confirmandis Concilijs.

Respondeo, quod vt supra diximus, ex nostro Natali Alexandro, Liberium non subscripsisse secundæ formulæ Concilij Sirmiensis, nec tertiæ, sed primæ, quæ contra Photinum ædita fuerat, vt enim probat eruditissimus iste Doctor ex tribus fidei formulis Sirmiensis, solùm prima in Sirmiensi synodo contra Photinum ædita est, cum enim in dicta synodo Basilius Anciranus, non solùm interfuerit, sed etiam penè præfuerit, & in ea maximam sui nominis celebritatem acquisiuit, nam datis à Constantio Iudicibus cum Photino congressus eum superauit, vt testes sunt Sanctus Epiphanius hęresi 73. Socrates lib. 2. cap. 25. Sozomenus lib. 4. cap. 5. sed secunda fidei formula Sirmiensis non potuit esse concepta in ea synodo, in qua Basilius Anciranus præsidebat, ergo ædita non fuit contra Photinum in Concilio Sirmiensi, quod approbauit Summus Pontifex Liberius, vndè hoc Concilium, cui subscripsit Liberius, vt habetur ex S. Hilario in fragmentis, subscripserunt etiam Sancti Narcisus, Theodorus, & Basilius, alijque, quos vsque ad 22. recenset præfatus Hilarius.

Ad probationem ergo illius antecedentis, dico, Sanctum Hilarium, vel primam Sirmiensem formulam damnat, tanquam hæreticam prauitatem, & perfidiam, non quia secundùm se, & verbis tantùm spectata hæretica foret, nam sensum habere poterat Catholicum, sed quia ipsius Authores erant Ariani, & eo consilio ædita erat, sicut & aliæ fidei formulæ ad symbolum Nicœnum delendum, doctrinamque consubstantialitatis cum filio euertendam.

Vel dicendum cum nostro Patre Alexandro

dro seculo 4. dissert. 31. tom. 9. verisimile esse verba illa, quibus Liberius notatur (hæc est perfidia Ariana) hoc ergo notaui, non Apostata Liberius; non fuisse à Sancto Hilario conscripta, sed irrepitia esse, quia liber ille fragmentorum, esto Genuinus S. Hilarij fœtus est, tamen mutilus, & plerisque in locis violatus, plura enim in illis leguntur, quæ vel Hilario sunt falsò adscripta, vel deprauata,& mutila sensum consequutiuum non faciunt, vt patet inter alia in illa epistola, quæ inter alias Liberio adscribitur, vbi narrat Pontifex se à sua, & Ecclesia Romana Athanasium separasse, & communionem Arianorum amplexũ esse,& tamen post illam epistolam,velutHilarij verba hæc leguntur, quid in his literis non sanctitatis? quid non ex metu Dei eueniens est.

Et eodem modo exponenda sunt testimonia siuè Auxilij, siuè Adonis, siuè S. Hieronymi, quando testantur Liberium hæresi subscripsisse, quod scilicèt subscripserit formulæ fidei, quæ secundùm se, & verbotenus non erat hæretica,sed quia subscripsit formulæ fidei ab Arianis æditæ, & quia Athanasium damnauerit, cuius causa cum causa fidei coniuncta erat.

Tertiò arguitur Vigilius Romanus Pontifex,eiusque successores noluerunt confirmare sanctam Synodum Constantinopolitanam, & tamen illa Synodus plures damnauit errores,ergo potest errare Pontifex in confirmandis Concilijs generalibus. Maior est certa, nam Vigilius ob defensionem trium capitulorum,quæ damnata fuerant in illaSynodo,in exilium missus est, vt scribit Anastasius Bibliothecarius, qui Vigilium in exilium à Iustiniano pulsum dicit, quod Synodi 5. decreta recipere noluisset, & similiter Pelagius I. Vigilij successor ob pertinacem trium capitulorum defensionem ab Imperatore Iustiniano missus est in exilium, ergo isti Pontifices noluerunt confirmare, nec recipere quintum Concilium Constantinopolitanum, quod tamen à tota Ecclesia,tamquam sancta, & æcumenica Synodus, tam in Concilio Lateranensi, quàm in Constantiensi recepta fuit.

Respondeo, quod Vigilius esto dictam Synodum, & trium capitulorum damnationem per aliquot menses noluisset recipere; cæterum posteà dictam Synodum recepit, & confirmauit, vt pluribus probat noster Natalis de Alexandro in historia Ecclesiastica seculo 6. dissertat. 3. & nobis sufficit epistola ipsa Vigilij ad Eutichium Archiepiscopum Constantinopolitanum, & ad omnem præcitatam sanctam Synodum, vbi inter alia sic habet: [Prædicta itaque tria impia capitula anathematizamus, & condemnamus, scilicèt impium Theodorum Mopsuestiæ, vnà cum impijs eius scriptis, & quæcumque impiè Theodorus scripsit, atque etiam epistola,quæ dicitur ab Iba scripta fuisse, qua superiùs dictæ profanæ blasphemiæ comprehenduntur, quin etiam quemcumque, qui crediderit aliquo vllo tempore ea capitula debere suscipi, aut defendi, vel conatus fuerit hanc præsentem condemnationem subuertere, simili anathemati subijcimus. Et post pauca: Quæ verò, ait, aut à me, aut ab alijs ad defensionem prędictorum trium capitulorum facta sunt, præsentis huius scripti nostri definitione euacuamus.] Quæ epistola data fuit VI. Idus Decembris Imperij Iustiniani anno 27. sex dumtaxat mensibus à Synodi celebratione elapsis, ex quo infertur insuper Vigilium non fuisse ob eam causam, quia nolebat confirmare Concilium in exilium pulsum à Iustiniano Augusto, ex quo inferri etiam potest confirmasse Concilium antequam Constantinopoli discederet. Pelagius verò eius successor, quamuis in minoribus ob pertinacem trium Capitulorum defensionem à Iustiniano Imperatore missus fuerat in exilium cum Vigilij Apocrisarium ageret, ea tamen damnasse, & sanctam Synodum recepisse, antequam in Papam eligeretur, testis est Victor Turonensis in sua Chronica,& ipsemet Pelagius in sua epistola ad Narsem, & ad Episcopos Tusciæ schismaticos clarè hoc testatur, & consequenter,esto errauit quando erat persona priuata non acceptando Concilium, non tamen quando erat Papa, quia tunc ipsum confirmauit.

DVBIVM III.

An Papa possit errare in approbatione, & emendatione Scripturæ Canonicæ, eiusque difficultatibus explanandis.

§. I.

Statuitur Catholica Veritas.

INfra Deo dante probandum erit dari veram, & infallibilem Scripturam, quæ sit diuinitùs inspirata, de qua Apostolus, ait: [Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est, ad docendum, ad arguendum, & ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.]

In hac Scriptura Sacra diuinitùs inspirata dixit Christus Dominus Lucæ 22. esse contenta omnia, quæ de ipso, ac de sua lege erant necessariò intelligenda: [Necesse est, ait, impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis,& psalmis de me;] & quia in scripturis erant abscondita, vt possent ea intelligere, & prædicare aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. Itaque secundùm se, primum fundamentum,& principium, ex quo inferri possunt ab Ecclesia ea, quæ credenda sunt, est Scriptura Sacra, nisi quod contra eos, qui Scripturis non credunt alijs medijs, & argumentis est procedendum.

Quia autem huiusmodi Scriptura pluribus in locis obscura est, & includit mysteria, immò, vt ait Apostolus Petrus epist. 2. cap. 3. loquens de epistola Pauli: [Sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant,sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.]

Similiter Scriptura Sacra est subiecta deprauationi,perditioni, & aliorũ Apocriphorum admissioni, nam plures libri citantur in veteri testamento, qui modò non extant, vt

est liber Iustorum, qui citatur Iosuè 10. & liber Nathan Prophetæ, & Gad videntis 1. paralipom. 29. & Apostolus ad Colossenses 4. citat suam epistolam ad Laodicenses, quæ tamen non reperitur. E contra verò plures libri Apocryphi pro Scripturis reuelatis palliabantur, qui damnati sunt à Gelasio Pontifice, vt habetur in cap. Sancta Romana dist. 15. vbi inter alios tanquam Apocrypha damnantur Euãgelia, quæ sub nomine Thadæi, Barnabæ, Bartolomæi, &c. Circumferuntur. Igitur danda erit in Ecclesia aliqua infallibilis authoritas, quæ discernat, quinam sint legitimi libri in Sacra Scriptura, qui Apocryphi, qui deprauati, qui sinceri, aliàs tota fides fluctuaret cùm incerti essent libri Sacræ Scripturæ, in quibus ea, quæ credenda sunt, quæque reuelata sunt, à Deo contineantur.

Duo ergo potest Pontifex de scripturis definire, scilicet, quinam sint veri libri, & sinceri sacræ Scripturæ, quinam deprauati, & Apocryphi. Secundum circa sensum, & intelligentiam eorum, quæ credenda sunt, & in sacris Scripturis continentur; hoc secundum pertinet ad ea, quæ dubio antecedenti diximus. Circa primum verò duo dubitare possumus, primum est circa approbationem ipsorum librorum iudicando, quinam sint legitimi, quinam minimè, Secundum circa correctionem, & emendationem ipsius Scripturæ ex parte translationum, & verborum, quibus sensus Scripturæ significantur.

Circa quod fuit hæresis wiclef relati à Thoma Vualdensi lib. 2. doctrinalis fidei capit. 19. affirmantis non pertinere ad Ecclesiam iudicium de Scripturis Sacris, ac proindè non posse definire, quinam libri sint Canonici. Ipsum sequuti sunt Lutherus, & Caluinus, eorumque sequaces, quorum argumenta infra soluemus.

Dicendum tamen est cum Ecclesia Catholica Pontificem Romanum Ecclesiæ Caput habere infallibilem auctoritatem ad discernendum ea, quæ pertinent ad sacram, & authenticam Scripturam. Ita omnes Catholici, & est veritas definita in Concil. Toletano 1. in art. 12. regulæ fidei, vbi dicitur: [Si quis dixerit, vel crediderit alias Scripturas, præterquam Ecclesia Catholica recepit, anathema sit;] ergo secundùm Concilium Toletanum ad Ecclesiam Catholicam pertinet acceptatio, & refutatio Scripturarum.

Item docuit Augustinus lib. contra Faustum 13. cap. 4. & lib. 2. de Doctrina Christiana c. 8. & in lib. contra Epistolam Manichæi cap. 5. vbi adest illa celebris sententia. [Euangelij non crederem, nisi me, Ecclesię moueret auctoritas.]

Probatur primò auctoritatibus Sacræ Scripturæ, ex quibus habetur legem à Sacerdotibus esse exquirendam, & ad ipsos pertinere declarationem, & doctrinam legis, sic Aggæi 2. vers. 12. dicitur: [Hæc dicit Dominus exercituum interroga Sacerdotes legem meam. Sic Malachiæ 2. labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Sic Paralipomenon 2. vers. 19. habetur: quod vbicumque fuerit quæstio de lege, de mandato, & de cęremonijs Leuitæ Sacerdotes ostendant Populo. Sic Ezechielis 15. Sacerdoti dicitur, fili hominis speculatorem te dedi domui Israel, audiens ergo ex ore meo annunciabis eis ex me.] Et mille alijs in locis habetur ex lege veteri ad Sacerdotem pertinere declarare ea, quæ in Scripturis sunt dubia, ergo in nouo testamento ad summum Pontificem Romanum spectat declarare, quinam sint libri authentici Sacræ Scripturæ, qui verò falsi.

Nec desunt ex nouo testamento testimonia, inter alia est locus ille Diui Pauli ad Galatas 2. vbi sic habet: [Deindè post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam cum Barnaba assumpto, & Tito, ascendi autem secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem;] vbi, vt vides, Apostolus doctrinam, & Euangelium, quod ipse prædicabat, quod vtique erat vera Scriptura, & verbum Dei per reuelationem habitum Hierosolymam veniens contulit cum Apostolis, sed specialiter cum Petro, quo intellexit per illa verba, qui videbantur aliquid esse, hoc est erant Prælati ad conferendum cum illis, timens, quod nisi à Petro eius confirmaretur Euangelium in vacuum curreret, aut cucurrisset, vbi Hieronymus epistola ad Augustinum, quæ inter epistolas Augustini circumfertur epistola 11. sic habet: [Ostendens se non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & qui cum eo erant fuisset sententia roboratum.]

Idem probat locus ille actuum Apostolorum, in quo narratur, quod Petrus cùm Marci Euangelium audisset, & probauit, & Ecclesiæ sua auctoritate legendum dedit, ergo est proprium auctoritatis summi Pontificis declarare, quænam sit Scriptura Canonica.

Deindè probatur ratione Diui Augustini contra Faustum Manichæum lib. 33. cap. 6. non alia ratione, nec magis veros Auctores exploramus, quàm ex communi consensu, & testimonio eorum, qui fuerunt antè nos, sic enim scimus hunc librum esse Platonis, illum Aristotelis, alium Ciceronis, non enim aliud argumentum ad hoc credendum habemus, nisi ex eorum, qui nos ætate præcesserunt continuis testimonijs, ergo hæc via, sicut tutissima est, ita & vnica ad cognoscendum cuiuscumque libri Auctorem, & consequenter etiam ad cognoscendum hunc librum esse Matthæi, illum Ioannis, &c. ergo non potest dari aptius medium, quod nos moueat ad credendum talem scripturam esse canonicam, & à Spiritu Sancto dictatam, nisi recurrendo ad iudicium Ecclesiæ, & eius Capitis summi Pontificis.

Probatur secundò, ad vnitatem Ecclesiæ requiritur vnitas doctrinæ, sed ad vnitatem doctrinæ necessarius est vnus supremus Iudex infallibiliter iudicans quænam sit vera, & canonica scriptura, ergo dandus est supremus Iudex visibilis in Ecclesia, qui non potest esse, nisi Papa caput visibile Ecclesiæ, qui infallibiliter iudicet qualis sit vera, & canonica scriptura. Maior præter quàm patet ex illo Apostoli: [Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma;] probatur ex art. 7. confessionis Augustanæ ex ore ipsorum Hæreticorum, vbi sic habetur: [Et ad veram vnitatem Eccle-

siæ satis est consentire de doctrina Euangelica, &c.] ergo ad vnitatem Ecclesiæ requiritur vnitas doctrinæ. Minor verò probatur, plures sunt libri in sacra Scriptura dubij, plures Apocryphi, plures deprauati, ergo ad hoc, vt infallibiliter quis sciat quales sint canonici, & legitimi, quales non, quales deprauati, quales minimè, necessarium est ponere vnum supremum infallibilem Iudicem, qui omnibus proponat veram, canonicam, vnicam scripturam diuinam.

Confirmatur, & explicatur hoc ampliùs, quando ipsi Hæretici nolunt aliquas scripturas admittere, vel alias de nouo confingunt, peto ad id mouentur ex aliquo fundamento, & motiuo rationabili, vel solùm pro libitu suo illas reijciunt, & aliquas admittunt, si hoc secundum dicant, iam ex ore proprio confitentur sine ratione, & fundamento reijcere, & admittere scripturas, & sic tanquam irrationabiles, & irrationales esse reijciendos, vel mouentur aliqua ratione, ergo iam ipsi iudicant, & decernunt de ipsis scripturis: tùm sic datur ergo iudicium humanum de scripturis diuinis ad discernendum quales veræ sint, quales falsæ, sed si hoc iudicium non ad vnum supremum Caput Ecclesiæ pertineret, non posset saluari vnitas doctrinæ in Ecclesia ergo. Patet hæc consequentia, nam possunt dari diuersa motiua conuincentia diuersos intellectus, itaut ex illis moueantur alij ad probandum, alia ad reprobandum vnum librum sacræ Scripturæ, v. gr. tertium librum Machabæorum, ergo nisi detur supremus Iudex dirimens istas lites, & decernens esse, vel non esse canonicum talem librum, & Scripturam canonicam, tot erunt scripturæ canonicæ in Ecclesia diuersæ, quot erunt ingenia, immò, & motiua approbantia, seu reprobantia libros scripturæ canonicæ, ac proindè ad saluandam vnitatem doctrinæ, in Ecclesia necessariò ponendus est vnus supremus Iudex, qui infallibiliter iudicet quinam sint libri canonici inter diuinas scripturas, quinam Apocryphi.

Confirmatur secundò, ad Ecclesiam, & eius Caput Romanum Pontificem spectat iudicare de reuelationibus priuatis, vtrùm sint à Deo, & admittendæ in Ecclesia, ergo etiam ad Ecclesiam, eiusque Caput summum Pontificem spectabit iudicare de reuelationibus vniuersalibus Ecclesiæ, quæ sunt in sacra Scriptura, quando difficultas aliqua insurgit, vtrùm illa scriptura sit legitima, & qualis sit eius sensus. Antecedens est certum, aliàs tot essent doctrinæ in Ecclesia, quot essent spiritus particulares tales doctrinas attestantes, & habetur in cap. cùm ex iniuncto de Hæreticis. Consequentia verò probatur magis necessarium est ad vnitatem fidei, & doctrinæ vnitas sacræ Scripturæ, & infallibilitas illius, quàm veritas reuelationum particularium, ergo sicut ad istas, ita ad illas declarandas necessarius est vnus supremus, & infallibilis Iudex.

Hinc denique conuicti Lutherani in comitijs Augustanis, teste Cano de locis Theologis lib. 2. cap. 8. confessi sunt habere Ecclesiasticam auctoritatem discernendi verba Dei à verbis hominum, quod & ipse Lutherus in lib. de capt. Babil. quando de ordinis Sacramento agit, confitetur, licèt non proindè sequi affirmet summum Pontificem Iudicem esse verbi Dei. Nec nos aliud volumus, sed tantùm definimus id, quod & inuiti concedunt Hæretici Ecclesiam auctoritatem habere discernendi verbum Dei à verbis hominum, & consequenter admittendi sacros libros, & repellendi eos, qui sacri non sunt.

Ad summum autem Pontificem in Ecclesia pertinere definitionem librorum canonicorum; patet tùm quia maiores Ecclesiæ causæ ad summum Pontificem sunt referendę, vt probat Innocentius c. maiores de baptismo; sed hæc de libris canonicis, causa maxima est, ergo ad summum Pontificem referenda, tùm etiam, quia cum contingat multoties esse dissidium, non solùm inter fideles, sed etiam inter Patres in Concilio congregatos non esset à Deo benè prouisum Ecclesiæ suæ, si in illa non reliquisset Iudicem, qui has contentiones, & lites valeret dirimere. Tùm denique, quia ita legimus factum à principio Militantis Ecclesiæ, nam & Euangelium, quod Paulus prædicabat in gentibus, vt superius cùm Sanctis Patribus probauimus non fuisset ab Ecclesia receptum, nisi Petri auctoritate fuisset firmatum: Similiter Marci Euangelium, teste Hieronymo in lib. de viris illustribus: [Petrus cum audisset, probauit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate dedit; ergo cum eamdem auctoritatem habeant Pontifices successores, quam habuit Petrus in his, quæ ad Ecclesiæ regimen spectant. Consequenter ad Romanum Pontificem spectat definire quinã sint libri Canonici in Ecclesia.

§. II.

Sophismata Hæreticorum contra hanc Catholicam Veritatem diluuntur.

Arguunt contra nostram Catholicam veritatem Lutherani, & Wiclephistæ primò testimonium hominum non accipit Christus, ergo Scriptura non potest approbari testimonio hominum, sicut est Papa. Antecedens probatur, tùm primò ex illo Domini Ioannis 5. [Ego non ab homine testimonium accipio; Sed summus Pontifex, aut etiam Ecclesia tota homines sunt, igitur Euangelium Christi, siue etiam cæteræ sacræ Scripturæ ab his testimonium accipere nequeunt. Tùm ex illo Ioannis 2. [Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est. Tùm ex illo Ioann. 7. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit. Ex illo Ioannis 5. Si testimonium hominum accipitis, testimoniũ Dei maius est, qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se. Ac denique illud Ioann. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, alienum autem non sequuntur.] Cui testimonio tantùm fidit Lutherus, vt ante pugnam triumphum canat, & tanquam victor insultat, dicens: [Apertè enim Euangelium testatur ipsas per se oũes habere idoneum discernendi Scripturas facultatem.

Respondeo negando antecedens, nam si Christus ab homine testimonium non accipit,

falsum erit illud Ioannis 1. [Fuit homo missus à Deo, vt testimonium periberet de lumine.] Et illud Ioannis 15. [Vos testimonium perhibetis de me, qui ab initio mecum estis.] Et Actorum 1. [Eritis mihi testes in Hierusalem.] Ad primam ergo probationem respondeo explicando illum locum Ioannis: [Ego non ab homine testimonium accipio;] hoc est: Ego non egeo testimonio hominis, sed affero testimonium Ioannis propter vos, vndè subiunxit: [Sed hæc dico, vt vos salui sitis;] & quod ipse non egeat testimonio hominis probat, subiungens: [Ego habeo testimonium maius Ioanne &c.] quasi diceret: Ego, qui diuinum testimonium habeo, non egeo testimonio hominis, licèt propter vos, & propter vestram vtilitatem oblatum non repudio.

Ad secundam probationem dico, Apostolum ibi fuisse loquutum cum doctis, nam ait: [Non scripsi vobis, quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam.] Viris autem sapientibus vnctio interior sufficit ad refutanda ea, quæ fidei aduersantur, ignorantibus autem, & plebeis opus est etiam externa doctrina, & hoc intelligendum est de doctrina fidei singulis hominibus necessaria secundùm statum suum. Maioribus quidem Doctoribus, & Magistris de omnibus his, quæ ad fidei permanentiam, & Ecclesiæ communem vtilitatem sunt necessariæ, alijs verò rudibus, & non ita peritis, ea, quæ explicitè de fide credenda sunt; si enim simplici mulierculæ proponatur, an credat accidentia in Sacramento Altaris sinè subiecto subsistere; etiamsi sancta sit, & vnctionem habeat, non est opus, vt ea de re ab vnctione doceatur, verùm si ab illa quæras, num Christus pro peccatis nostris sanguinem fuderit, id certò ab vnctione ei docebitur, cumque hæc quæstio de numero canonicorum librorum, nec etiam ad hunc statum pertineat, sed cum sit de illis principalibus dubijs, quæ ad supremum Iudicem Ecclesiæ sunt referendæ, non satis est vnctionem habere, & scire, an hic, vel ille liber sit canonicus; non enim, vt diximus, vnctio quemcumque simpliciter docet de omnibus, sed quemquam de his, qui sunt ea necessaria, & propria, vt enim ait Augustinus in proœmio lib. de doctrina Christiana: [Expectet rapi vsque ad tertium Cœlum, & ibi omnia Christianæ doctrinæ mysteria percipere; caueamus tales tentationes superbissimas, magisque cogitemus, & ipsum Apostolum Paulum, licèt diuinis, & voce, & spiritu instructum, ad hominem tamen missum esse, vt ab eo disceret quid se oporteret facere.]

Ad tertiam probationem ex dictis constat, etenim qui facit voluntatem Dei, vtique habet in se vnctionem spiritus, qua cognoscere potest ea, quæ sunt necessaria ad salutem, & ad discernendum ab errore contrario, qui ex Deo non est, ea verò, quæ non sunt Ecclesiæ communia, neque ad iudicium, & fidem singulorum spectant, qualia sunt ea, quæ versantur in illa controuersia de canonicorum librorum numero, & ideò non omnes, qui habent vnctionem, & voluntatem Dei faciunt, possunt proindè illa cognoscere.

Ad vltimam denique probationem, in qua tantùm exultat, & debacchatur Lutherus, respondeo, vocem, quam audiunt oues Christi, aliam non esse, quàm suæ Ecclesiæ, & Summi Pontificis hanc vocem reliquit ipse in Ecclesia sua, quando dixit: [Qui vos audit me audit, illæ ergo sunt oues meæ, quæ vocem meam audiunt, & illæ vocem meam audiunt, quæ vos, quos reliqui Vicarios meos in terra audiunt:] quam quia Lutherus cum suis sequacibus non audiunt, ideò oues Christi non sunt, & de illis dicit Dominus: [Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.]

Secundò arguitur, si Ecclesia de Diuinis Scripturis iudicium ferret, inferior in superioris legem auctoritatem vsurparet, sed hoc est valdè absurdum, vt enim testis est Augustinus, & refertur distinct. 4. cap. istis: [Non licet Iudici de legibus iudicare, sed secundùm ipsas,] ergo, &c.

Respondeo duplex esse iudicium, aliud, quod significat sententiam eius, qui re ipsa, quam iudicat Superior est; aliud verò est iudicium, quod sumitur pro discretione, quatenus Superior discernit verum à falso, dubium à certo, & hoc iudicium exercet Ecclesia, quando discernit libros certos ab incertis, & apocriphys, quam quidem facultatem discernendi, non sibi vsurpata auctoritate facit, sed facultate à Christo relicta, vt supra dicebamus.

Sed instabis propter quod vnumquodque tale, & illud magis, vt docuit Aristoteles 1. posteriorum cap. 2. si igitur Christus reliquit Ecclesiæ auctoritatem comprobandi Scripturam canonicam, maior esset auctoritas Ecclesiæ, quàm Scripturæ canonicæ; at hoc est falsum, quia sacræ literæ pollent auctoritate diuina, qua nulla est maior, ergo Summus Pontifex, & Ecclesia habuit auctoritatem à Christo comprobandi Sacram Scripturam.

Respondeo Scripturas Diuinas non sumere auctoritatem, & credibilitatem ab Ecclesia admittente talem librum Scripturæ, tamquam certum, & Canonicum, sed à Spiritu diuino dictante talem Scripturam, vndè auctoritas ipsius Scripturæ quantùm ad formalem rationem, sub qua assentiendi immediatè resoluitur in auctoritatem diuinam, & veritatem Dei reuelantis, quantùm verò ad proponentem resoluitur in Ecclesiam, quæ etiam ab ipso Deo auctoritatem habet proponendi fidelibus libros Canonicos Sacræ Scripturæ.

Quod si hìc opponas argumentum de circulo vitioso commisso in hac resolutione, credimus enim Scripturæ, quia Ecclesia proponit, & credimus Ecclesiæ proponenti, quia Scriptura reuelauit hanc illam habere auctoritatem.

Iam supra huic argumento satis est factum, & denuò dicimus, non esse circulum vitiosum, quando causæ ad inuicem se probant in diuerso genere causæ, vt inspicienti statim occurret in nostro casu contingere.

Quod si quæras, quænam sint motiua, quibus Ecclesia mouetur ad admittendum, vel reijciendum aliquem librum pro Canonico, maximè quando de illo est iam controuersia orta inter Doctores. Respondeo cum Diuo Augustino 11 contra Faustum capit. 2. vbi contra Manichæos, qui pro libitu suo

Scri-

Scripturas admittebant, vel reijciebant, regulam assignat dicens: [Quam libri à te Prelati originem, quam vetustatem, quam seriem successoris testem citabis, nam si hoc facere conaberis nihil valebis, & videbis in hac re, quod Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, qua ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum vsque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot Populorum consensu firmatur.] Quod confirmat 33. contra Faustum hoc exemplo: [Platonis, ait, Aristotelis, Ciceronis, aliorumque huiusmodi Auctorum libros, vndè nouerunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? vndè constat, quid cuius sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit ea insinuauit, atque edidit, & indè in alios, atque alios continuata notitia, latiùsque firmata ad posteros, & vsque nostra tempora peruenerunt,] ergo ex Augustino ex origine libri, ex vetustate, & traditione Episcoporum succedentium ab Apostolis, qui id contestantur iudicat; & discernit Ecclesia, quinam libri sint canonici, & admittendi, quinam apocriphi.

Sed adhuc obijcies, Ecclesia non potest in approbatione librorum vti traditione Apostolica, ergo nulla est dubij propositi solutio. Antecedens probatur, tùm primò ex ipsa variatione, & translationibus diuersis Scripturarum, quarum vna videtur longè diuersum, & oppositum sensum ab alia continere; ergo vndè nobis constabit translationem hanc vulgatam, quam nobis Ecclesia proponit sequendam, ita esse à Deo dictatam, vt pro certa sit habenda, & iuxtà textùm Hæbreum, in quo primum à Deo fuit dictata.

Tùm secundò, nam in canone 84. Apostolorum inter libros Canonicos ponuntur lib. 3. Maccabæor, & duæ epistolæ Clementis, quæ tamen nunc pro Canonicis, in Ecclesia non habentur. Sicut è contra plures nunc habentur pro Canonicis, qui in illo canone non ponuntur, vt sunt lib. Iudith. lib. Tobiæ, lib. Sapientiæ, & Apocalypsis, ergo in assignando numerum Canonicorum librorum non sequitur Ecclesia traditionem Apostolorum.

Respondeo ad hoc argumentum negando antecedens, ad probationem respondeo cum Diuo Augustino 11. contra Faustum, cap. 2. vbi sic habet: [Si de fide exemplarium quæstio verteretur sicut in nonnullis, quæ & paucæ sunt, & Sacrarum literarum studiosis notissimę sententiarum varietates, vel ex aliarum regionum codicibus, vndè ipsa doctrina commeauit nostra dubitatio adiudicaretur, vel sibi quoque codices variarent, plures paucioribus, aut vetustiores recentioribus præferrentur, & si adhuc esset incerta varietas pręcedens lingua, vndè illud interpretatum est consuleretur.] Hæc ille. Quando ergo est aliqua varietas in translationibus, quæ ordinariè non est in sensu literæ, seu sententiæ, sed in nominum interpretatione, aut modo significandi, dicit Augustinus, quod Ecclesia habet vndè iudicet veram translationem illam, scilicet, quæ vel à pluribus, vel ab antiquioribus traditur, vel saltem reducendo ad illam translationem, quæ ortum habuit ex naturali lingua Sancta, seù Hebraica, quod est etiam reducere hoc iudicium ad traditionem Apostolicam, quæ ab antiquioribus, & à pluribus habetur.

Ad secundam probationem antecedentis respondeo cum Lisboniensi, quod numquam ab Ecclesia pro legitimis fuerunt approbati isti Canones, nisi tantùm quinquaginta, in quibus sunt inclusæ 70. sententiæ, & licèt in 6. Synodo fuerunt approbati 85. canones ex illis, inter quos 84. in ordine est ille citatus in argumento, verùm quia isti canones, qui vocantur Trullani, tamquam à Græcis conficti semper fuerunt ab Ecclesia reprobati, nam cum in 5. & 6. Synodis generalibus nulli fuerunt canones editi, sed post aliquos annos sinè auctoritate Romani Pontificis, & sine presentia alicuius Legati Pontificij à Gręcis collecta est Synodus Constantinopoli ad palatium Trullanum ad supplendum canones 5. & 6. Synodi, & inter illos approbati sunt 85. canones Apostolorum, cum tamen iuxtà antiquorum Patrum sententiã liber ille 85. canonum inter apocriphos sit relatus, vt constat ex Gelasio Papa cap. Sancta Romana dist. 15 & à Leone IX. cap. Clementis dist. 16. habetur: [Apostolorum canones numerant Patres inter apocripha, exceptis capitulis 50.] Quod idem docuit sanctus Zephyrinus Papa epist. 1. Cardinalis Baronius ad annum Christi 692. Turrianus lib. 1. defensionis pro Canonibus Apostolorum cap. 20. Seuerinus Binius tom. 1. Concilior. annot. ad canon. Apostolorum, & Cardin. Bellarminus lib. de verbo Dei cap. 20

DVBIVM IV.

Vtrùm Papa possit errare in Canonizatione, & Beatificatione Sanctorum.

§. I.

Aliqua ad dubij decisionem necessaria præsupponuntur.

PLures adducuntur à diuersis Doctoribus definitiones, seu, vt meliùs dicam, descriptiones Canonizationis; alij enim cum Innocentio in cap. 1. de reliquijs, & veneratione Sanctorum, affirmant canonizare Sanctos nil aliud esse, quàm canonicè, & regulariter statuere, quod aliquis Sanctus honoretur pro Sancto, puta solemnè officium pro eo facere.

Sed hæc definitio est potiùs quid nominis, quam quid rei, non datur enim, nisi per ethymologiam nominis. Alij dixerunt cum Ostiensi, & Ioanne Andrea: Canonizare, est aliquem Sanctum per Papam Cathalogo Sanctorum adscribere, & publicè, solemniter, & regulariter declarare, & definire, & statuere, quod tamquam Sanctus ab omnibus honoretur, & fiat certa die solemne officum annuatim, quale pro alijs Sanctis in Ecclesia fit. Sic alij alias huiusmodi descriptiones Canonizationis posuerūt, nos illis pro breuitate relictis; sic cum nostro Castellano illam definimus: [Canonizatio est canonica, solemnis, & pu-

& publica definitio per Papam facta, quod aliquis Sanctus ab omnibus honoretur, & Cathalogo aliorum Sanctorum adscribatur, & fiat certa die annuatim officium solemne pro eo.] Ita præter citatos Felix Contelorius cap.1. & Carolus Felix de Matta par.1.cap.3. Ioannes Sennich in Saule ex Rege lib.1. c.68. vel breuiùs cum eodem Matta est definitiua declaratio sanctitatis in Ecclesia Militanti. In qua definitione ponitur substantia, seu essentia Canonizationis, & dicitur canonica, idest regularis; canon enim græcè, latinè regula vocatur, ad Canonizationem verò Sanctorum requiritur, vt procedatur secundùm canones, & regulas iuris, ac Sanctorum Patrum, vt dicitur in cap. Venerabili de testibus. Ponitur ly solemnis, & publica, quia conueniunt Pontifex, & Cardinales, Episcopi, & Clerus, & totus populus in Ecclesia deputata, vbi decretum de eius canonizatione publicè definit. Ponitur per Papam facta, quia solus Papa potest Sanctos Canonizare, & nemo alius inferior. Ly, quod aliquis Sanctus demonstrat, quod in Canonizatione non efficitur aliquis Sanctus, sed manifestatur, & declaratur, sicut dicimus in sententia lata super rei vindicatione, quæ non efficit aliquem Dominum, sed declarat, & manifestat, vt dicitur l. ex diuersa, ff. de rei vindic. §. 1. Tamquam Sanctus ab omnibus honoretur, quod ponitur, quia etiam si aliquis ab vno, vel alio, vt Sanctus honoretur, non ideò dicitur canonizatus, sed debet fieri honor auctoritate publica Summi Pontificis. Et cathalago Sanctorum adscribatur, dicitur autem cathalogus sermo, seu scriptura continens, & enumerans ordinatè nomina Sanctorum ab Ecclesia Romana approbatorum. Dicitur; & fiat certa die annuatim, quia ita mandatur à Summo Pontifice, vt fiat officium annuatim ad eius honorem, qui canonizatur, quia Summo Pontifici conuenit statuere, & diem, & honorem, quo vnum sanctum præ alijs vult in Ecclesia extollere. Fit autem officium pro eius honore, & nostra salute; nam Sancti nostris orationibus non indigent, iniuriam, enim facit Martyri, qui orat pro Martyre, sed nos potiùs eorum orationibus indigemus, quos vndique mala perturbant, vndè quando in aliqua collecta alicuius sancti reperiuntur illa verba: [Prosit, vel proficiat huic Sancto talis oblatio;] ad gloriam, & honorem debent intelligi, vel vt ad hoc prosit, quod magis, ac magis à fidelibus glorificetur talis sanctus in terris, vel iuxta probabilem sententiam cum Sanctorum gloria vsque ad iudicij diem augumentari possit, Ecclesia interim optare potest eorumdem Sanctorum gloriæ augumentum.

Habuit autem Canonizatio originem suam, si sumatur lato modo Canonizatio pro veneratione Sanctorum aliquam vmbram in Veteri Testamento, nàm Psalm.150.& Eccles. cap. 44. proponuntur laudandi viri gloriosi ob insignes virtutes, & miracula, quæ per illos, & in illis operatus est Deus, & ità narratur de Henoch, quod miraculosè translatus fuit, laudatur iustitia Noe, fides Abrahæ, præclaraque gesta Isaac, Iacob, Moyses, & aliorum.

In Nouo verò Testamento ab Apostolis præcipitur eadem Sanctorum veneratio, vt habetur ex secunda Synodo Nicæna, quæ fuit 7. generalis, vbi actione 3. propè finem, sic dicitur: [Apostolicas Ecclesiæ traditiones, per quas honorare, & adorare Sanctos, & salutare docemur, suscipimus, & amplectimur venerantes eos, vt famulos, & amicos, atque filios Dei.

Ex hoc in primitiua Ecclesia ortum est Summos Pontifices mirabili diligentia exquirere Martyrum gesta; sic Sanctus Clemens I. Diui Petri coadiutor, & post Cletum in Pontificatu successor septem Notarios in Vrbe creauit, qui Martyrum gesta conscriberent. Sic Sancti Anterus, & Fabianus regiones in Vrbe diuiserunt septem Diaconibus, & septem fecerunt Subdiaconos, qui Notarijs instarent, vt gesta Martyrum in integrum colligerent, teste Baronio in præfatione ad Martyrologium Romanum cap. 1. quorum exemplum sequuti sunt alij Episcopi in suis Ecclesijs, nàm quilibet ab initio probos viros constituit, vt Martyrum gesta diligenter conscriberent, eorumque commemorationes celebrari mandarunt, vt testatur idem Baronius loco supra citato, & ad annum Domini 302. num. 26. Addit Mattha, quod ab ijsdem Notarijs in Vrbe, & deputatis ab Episcopis in partibus, non solùm in Cathalogis describi mos erat nomina Martyrum cum martyrio, & miraculis, ac virtutibus eorumdem; sed etiam registrabantur insignium Virorum excellentes virtutes, miracula, & quæcumque alia, quæ veram sanctitatem præseferebant, licèt non occubuissent cum palma martyrij. In primitiua ergo Ecclesia, tempore persecutionum, Canonizatio Sanctorum consistebat in illa descriptione supra posita in Cathalogis, ad hoc, vt Martyrum, & Sanctorum commemorationes, & memoriæ celebrari possent.

Cessante deindè persecutione, & pace stabilita in Ecclesia, quamuis non iàm tot Martyrum sanguine, Ecclesiam, quam plantauerat, irrigabat Sponsus eius Iesus Christus, non tamen defuit eam decorare Viris humilitate, charitate, abstinentia, iustitia, alijsque virtutibus, præfulgentibus donis gratuitis, sapientiæ, scientiæ, prophetiæ, & gratia miraculorum illustribus, quibus magnalia sua manifestauit Deus, ratione cuius post illorum obitum ad eorum sepulchra concurrentes populi offerentes donaria, accendentes lumina, insuper & Altaria, & Ecclesias illis erigentes, eorum intercessionem experti sunt. Indè Episcopi hanc venerationem, & populorum concursum, ac cultum, miracula, & virtutes examinantes si comprobassent, referentes eorum nomina, vitas, & virtutes, ac miracula ab eis patrata in Cathalogo Sanctorum suæ Ecclesiæ commemorationis, eius dies indicebant, & habebat vim Canonizationis, quod si solùm cultum, & venerationem tolerassent, quodammodò Beatificationis vim obtinebat. Ex quibus particularibus Cathalogis Ecclesiarum compilatus deindè fuit Cathalogus vniuersalis, quod dictum fuit Martyrologium, eiusque primus auctor dicitur Eusebius Pamphili, teste Baronio in præfat. ad Martyrologium Romanum cap. 5.

Cæte-

Cæterùm cùm aliqui Episcopi nimis faciles fuissent ad redigendos aliquos in Sanctorum Cathalogum, & ad eorum corpora eleuanda, cœperunt huiusmodi Canonizationum causæ ad generalia Concilia deferri, vt habetur in Bulla Canonizationis Sancti Henrici Imperatoris facta ab Eugenio III. & in Bulla Canonizationis Sancti Eduardi Regis Angliæ facta ab Alexandro III. vt dicitur in capit. Audiuimus, de Reliquijs, & veneratione Sanctorum. Hinc de medio ablatæ sunt Canonizationes Sanctorum particulares, quæ ab Episcopis, vt diximus, fiebant, & introductæ sunt Canonizationes vniuersales, & generales, quæ in Concilijs generalibus tractabantur, non fuit tamen prohibitus cultus, & veneratio facta per concursum populorum vsque ad tempus Vrbani VIII. qui per nouissima decreta hoc etiam prohibuit.

A Romano ergo Pontifice, qui sibi hoc munus Canonizandi reseruauit, primus Canonizatus, vt legitur apud Surium die 2. Martij fuit Sanctus Suidbertus Episcopus Werde à Leone III. esto apud Bullarium nouum Laertij Cherubini prima Canonizatio, quæ legitur facta à Pontifice fuit Sancti Vdalrici facta à Ioanne XV. anno Dñi 993. licèt nec tunc fabricabantur processus super sanctitate vitæ, & miraculorum, sed tantùm informationes extraiudiciales. & sic procedebatur vsque ad tempus Innocentij III. qui in Canonizatione Sancti Homoboni Cremonensis fabricauit processum de sanctitate vitæ, & miraculis, examinando testes cum iuramento, vt patet in Bulla Canonizationis, quæ habetur in Bullario nouo tom.1. fol.35. Honorius verò III. in cap. venerabili, statuit, vt in causis Canonizationum procederetur per testes examinatos cum iuramento, quod ipse cœpit obseruare in Canonizatione Sancti Laurentij Episcopi; & ità seruatum est vsque ad Clementem IV. qui mandauit, vt deinceps procederetur in probatione sanctitatis vitæ, & miraculorum duplici inquisitione; & ità seruatum est inter alios à Ioanne XXII. in Canonizatione Sancti Thomæ Aquinatis. Creuit deindè paulatim diligentia, & inquisitio super sanctitate vitæ, & miraculis Canonizandi, sed sine determinata forma, siue inquirendi, siue ceremoniarum, quæ in actu Canonizationis fiebant vsque ad Pontificatum Leonis X. quia tunc prodijt Ceremoniale Romanum, in quo lib.1. tit. 6. describitur forma procedendi ad Canonizationem, & ipsius Canonizationis; ac tandem in Pontificatu Vrbani VIII. prodierunt nouissima Decreta in Sacra Congregatione Generalis Inquisitionis die 13. Martij 1625. quæ modò infallibiliter seruantur in Canonizatione, & Beatificatione Sanctorum.

Id quod ergo certum est in hac parte peruetustum fuisse morem in Ecclesia Dei, vt nullus, nec Martyr quidem absque alia præuia discussione, & approbatione inter Sanctos recenseretur, licèt non semper eadem fuerit inquisitio, nec semper eadem forma fuerit seruata, & quoad Martyres spectat, probatur ex egregio testimonio Optati Milenitani aduersùs Parmenianum, vbi affirmat nefas fuisse venerari reliquias Martyris alicuius non vindicati, hoc est nondùm probati, & recepti.

Suppono secundò in hac parte differentiam inter Canonizationem, & Beatificationem, dicimus enim Beatificatum illum, cuius veneratio, & Diuinum Officium permittitur à Summo Pontifice in aliquo speciali loco, vndè Decretum Beatificationis magis dicitur permissio, quàm decretum; in Canonizatione verò declarat solemniter, & definit talem Canonizatum esse Sanctum, & Cathalogo Sanctorum adscribi, & licèt aliquando ista pro eodem sumantur, differunt tamen plurimum, tùm quia Beatificatio est permissio, & Canonizatio est decretum definitiuum; tùm quia plura possunt competere Canonizato, quæ Beatificato non permittuntur; tùm denique, quia Canonizatio fit solemniter, Beatificatio verò est tantùm priuata, & secreta declaratio in Consistorio.

Duo ergo possumus in hac parte dubitare, primum est, an sit proprium solius Pontificis Canonizare, an possit etiam pertinere Episcopis.

Aliud est, vtrùm Pontifex in Canonizatione Sanctorum possit errare. Sit ergo.

§. II.

Prima pars dubij resoluitur.

Circa primam partem dubij, an scilicet solo Romano Pontifici conueniat Canonizare Sanctos, tamquam certum supponimus Superiores Religionum, siue earum Prælatos nullam habere iurisdictionem, vel auctoritatem aliquam in fabricando processus pro Canonizando aliquo Sancto, nec talis processus si factus fuerit super sanctitatem vitæ, & miraculis, nulla ei fides dabitur, & totum erit irritum, & inane.

An autem Episcopus hoc possit facere nullum reperio hanc sententiam asserentem; Episcopum hoc posse facere, nisi Franciscum Carrasci in recopilatione legum Regni Castellæ cap. 5. citatum à Felice Contelorio in sua praxi de Canonizatione Sanctorum cap.5. iste enim Doctor docuit posse Archiepiscopos à Curia Romana longè absentes, v. gr. Archiepiscopum Peruanum, examinare miracula hominis defuncti non Canonizati, nec Beatificati, & illa approbare, & publicare absque auctoritate Summi Pontificis, & deindè illa remittere Summo Pontifici cum sententijs illorum Doctorum ea de re definientibus.

Nihilominùs tamen dico nullum Episcopum, vel Archiepiscopum, quantumuis longè absentem ab Vrbe posse Sanctos Canonizare, vel eius miracula approbare, qui nondùm est Canonizatus, vel Beatificatus, sed solus Papa habet hanc potestatem, ità præter supra citatum Doctorem, omnes Theologi, & Canonistæ in cap.1. de Reliquijs, & veneratione Sanctorum; & probatur primò Canonizatio Sanctorum est causa pertinens ad vniuersalem Ecclesiam, sed nemo præest vniuersali Ecclesiæ, nisi Papa, qui est omnium Christianorum ordinarius Iudex, vt habe-

habetur in cap. cuncta 5. per mundum, & in cap. per principalem 9. quæst. 3. ergo solus Papa potest Canonizare. Maior probatur, quia Canonizatus constituitur, & proponitur, vt ab omnibus adorandus, ergo Canonizatio est causa pertinens ad vniuersalem Ecclesiam.

Secundò probatur, quia Canonizatio est vna de principalibus causis, quæ inter Christianos proponi possit, ergo ad Sedem Apostolicam est referenda. Consequentia tenet, & habetur in cap. maiores in princip. de Baptismo, cap. vt debitus in fin. de appellatione, capit. quamuis, de electione libro 6. Antecedens autem constat, nàm Canonizatio est causa dans venerationem, & attribuens sanctitatem hominibus, ergo est vna de causis difficilibus, quæ referendæ sunt ad Romanum Pontificem. Si enim ad quemlibet Episcopum pertineret, posset aliquis illorum propter simplicitatem populum decipere, & vt narratur in textu cap. 1. de Reliquijs, & veneratione Sanctorum, quidam diabolica fraude decepti, venerati sunt pro Sancto hominem in ebrietate occisum, prætterquamquod si hoc Episcopi possent in infinitum Sancti multiplicarentur, & vilesceret Canonizatio, & refrigesceret erga Sanctos deuotio.

Tertiò probatur, ad solum Pontificem referenda est quæstio fidei, sed in Canonizatione Sanctorum plura dantur, quæ fidem tangunt, ergo ad Summum Pontificem solùm Canonizationis causa est referenda. Maior est certa, quia ad Papam pertinet declarare dubia Scripturarum, quia includunt ea, quæ sunt fidei, & habetur in cap. quoties 24. qu. 1. Minor verò probatur, tùm quia in Canonizatione Sanctorum approbanda sunt eorum miracula, miracula verò fidei attribuuntur, ergo plura sunt in Canonizatione Sanctorum, &c. Tùm etiam, quia ad Summum Pontificem pertinet approbatio Reliquiarum, vt habetur in capit. 1. de Reliquijs, & veneratione Sanctorum; Sed in Canonizatione inter alia declaratur Reliquia adoranda Corpus Canonizati, ergo ad Summum Pontificem spectat Canonizatio Sanctorum.

Dices cum præcitato Francisco Carrasci quod vt dicitur in Concilio Tridentino sessión. 25. §. 2. de inuocatione sanctorum: [Nulla etiam admittenda esse noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo, qui simul, atque de ijs aliquid compertum habuerit in Concilium adhibitis Theologis, & alijs pijs viris ea faciet, quæ veritati, & pietati consentanea iudicauerit.] Ad Episcopum ergo pertinet approbatio miraculorum, & reliquiarum, ergo etiam iuxtà à nobis dicta canonizatio sanctorum.

Sed contra, nam Concilium Tridentinum non potuit Lateranensi esse contrarium, sed in Concilio Lateranensi, relato in cap. 2. de reliquijs, & veneratione sanctorum, decernitur, vt reliquias de nouo inuentas nemo publicè venerari præsumat sine auctoritate Apostolicæ Sedis, & loquitur de sanctis non canonizatis, aut beatificatis, vt communiter explicant Doctores; ergo Concilium Tridentinum loquitur tantùm de Sanctis canonizatis, aut beatificatis, igitur vt non sint contraria ista dua Concilia, ita reconciliantur communiter à Doctoribus, quod Concilium Tridentinum solùm loquitur de reliquijs, & miraculis sancti beatificati, aut canonizati, quorum examen concedit Episcopis, Lateranense verò de non canonizatis, aut beatificatis, de quibus, & nos loquimur in nostra probatione.

Denique probatur Concilium generale, non interueniente Romani Pontificis auctoritate, non potest Sanctos canonizare; ergo à fortiori, nec Episcopus alicuius diœcesis, sed solus Papa. Antecedens probatur, tum quia Concilium vniuersale, viuente Pontifice Romano, non se intromittit in causis maioribus soli Papæ in singularis priuilegij signum reseruatis, vt habetur in capite, quod translationem de officio legati, cap. præceptis 12. dist. & cap. dudum 3. quæst. 6. sed vt supra diximus, vna ex causis maioribus est canonizatio, ergo, &c.

Tum secundò, nam vacante Sede Apostolica, non potest Concilium vniuersale sanctos canonizare; vt enim noster Turrecremata probat in summa de Ecclesia lib. 3. c. 41. vacante Sede Apostolica Patres congregati ea tantùm exequi possunt, quæ necessariò occurrunt exequenda pro regimine Ecclesiæ, & quæ sine magno dispendio prorogati non possent vsque ad creationem noui Pontificis, non autem debet se intromittere extra casum maximæ necessitatis in causis Papæ reseruatis, & magis difficilibus, vt habetur in capitulo, vbi periculum §. idem quoque, & de electione in 6. & in Clementina ne Romani eodem titulo in principio, vndè communiter Doctores docent, Sede vacante nullum succedere Papæ in plenitudine potestatis, vndè vt ait Glossa in dicta Clementina Romana Sede vacante sponsum Pastorem Rectorem, & Caput Ecclesiæ esse Christum.

Dices Constantiense Conciliũ ann. 1416. commisit processum duorum Episcoporum, & vnius Monialis Ordinis Sancti Augustini tribus Cardinalibus, & Episcopo Lugdunensi, vt cum alijs quinque Prælatis ad quorum postea relationem idem Concilium tribus Episcopis in Regno Suetiæ commorantibus commisit inquisitionem specialem.

Non inquam obstat, nam esto Patres has diligentias commiserunt aliquibus Prælatis, numquam tamen ad aliquem actum canonizationis peruenerunt, sed postea quàm Martinus V. ad Summi Pontificatus apicem electus fuit, tunc ab eo Patres congregati supplicarunt, vt ad causas illarum canonizationum procederet, sicut ergo, vt benè notat Turrecremata in cap. 1. de consecr. dist. 3. num. 22. sicut vna fides debet esse vnus Religionis cultus, ne in ea sint schismata, & quem aliqui venerantur, vt sanctum, alij reprobum dicant, vt accidit in Sardinia circa sanctum Luciferum, ergo sicut ad solum Pontificem pertinet quæstio de fide orta determinare, ita ad ipsum spectat declarare quis debeat in Ecclesia tamquam sanctus venerari.

Sed

Sed contra hanc conclusionem arguitur primò, non solùm Papa: sed quilibet Episcopus potest dies festos in propria diœcesi præcipere, & ordinare, vt habetur ex cap. 1. de consecrat. distinct. 3. ergo etiam, & Sanctos canonizare. Patet hæc consequentia, nam vnum ex actibus ad canonizationem pertinentibus est diem festum sancto canonizato determinare, ergo.

Respondebis textum illum loqui de sanctis iam canonizatis, & ab Ecclesia Romana probatis, non enim omnium festa vbique coluntur, & feriantur, possunt itaque Episcopi in sua diœcesi declarare festum alicuius sancti iam canonizati feriandum esse, non autem Papa inferiores possunt indicere ferias in honorem non canonizatorum, ita communiter docent Theologi, & Canonistæ cum Innocentio in capitulo finali vers. solemniter de ferijs; notant autem aliqui Doctores cum Iasone in l. sciendum nu. 16. &. 17, ff. de verbor. obligat Gabriel. cons. 28. nu. 31. Alciat cons. 17. num. 89. lib. 4. Dec. cons. 409. num. 9. & Franc. in cap. vnico de reliquijs, & veneratione sanctorum in 6. num. 3. quod ex lapsu triginta annorum præsumitur confirmatio Pontificia, si alicuius sancti non canonizati festum longo tempore fuerit celebratum.

Sed oppones, canonizatio non spectat, nisi ad potestatem ordinis, at in potestate ordinis quilibet Episcopus est æqualis Papæ, ergo quilibet Episcopus in sua diœcesi potest sancto non canonizato ferias indicere, & festum determinare.

Respondeo, quod canonizare sanctum habet annexum hoc, quod est mandare, vt aliquis sanctus ab omni populo veneretur, & hoc non pertinet ad potestatem ordinis, sed iurisdictionis, & illius, qui toti præest Ecclesiæ, qui est solus Papa,

Sed adhuc obijcies, Episcopus habet iurisdictionem in sua diœcesi, & aliàs meliùs nouit de sanctitate, & vita illorum, qui sunt in eius diœcesi, ergo erit melior iudex in approbando eorum sanctitatem, in tribuendo eius cultum, & in præcipiendo eorum venerationem.

Respondeo, quod ad canonizationem Sanctorum, non solùm requiritur cognitio, & notitia sanctitatis, sed etiam auctoritas approbandi dictam sanctitatem toti Ecclesiæ; quæ est in solo Summo Pontifice.

Denique arguitur ex bulla Leonis X. edita in Concilio Lateranensi, quæ incipit: Supernæ, & habetur in Bullario num. 21. §. 7. tom. 1. vbi sic habet: [Ex nunc scilicet reuelationes Sedis Apostolicæ examini reseruatæ intelligantur; quod si sine mora, & periculo id fieri non valeret, aut vrgens necessitas aliud suaderet, tunc eodem ordine seruato, ordinario loci notificetur, vt ille adhibitis secum tribus, vel quatuor doctis viris eiusmodi negotio diligenter examinato, quando id expedire videbunt (super quo conscientias eorum oneramus) licentiam concedere possit;] Ergo Episcopi facto dicto diligenti examine possunt publicare reuelationes, & consequenter miracula, ergo quando Episcopi sunt in regionibus distantibus à Sede Apostolica, possunt in causa canonizationis procedere, quando periculum esset in mora in consulendo Pontificem, v. g. Episcopi Indiarum, &c. possunt illo inconsulto procedere in causis canonizationis ne testes pereant, & in obliuionem miracula, & reuelationes mittantur.

Respondeo bullam Leonis X. concedere facultatem Episcopis in casu necessitatis non ad effectum canonizandi, vel approbandi hominem, cui est reuelatio pro Sancto, sed solùm effectum, vt Concionator possit publicare reuelationem, quæ sunt valdè diuersæ, nam publicare reuelationem non inducit conceptum sanctitatis in eo, cui fit reuelatio; nam cùm reuelatio fit homini viuenti, non probat eius sanctitatem; potest enim dari reuelatio, vel ad declarandam sanctitatem alterius, vel ad aliquam virtutem comprobandam, & tamen sicut de prophetia dicitur, quod Caiphas cùm esset Pontifex anni illius prophetauit, potest dari ad comprobandum, alicuius officij auctoritatem, vndè nihil conducit ad canonizationem illius, cui facta est reuelatio.

Et dictis infero primò, Collegium Cardinalium, Sede vacante, sanctos canonizare non posse, quod patet tùm ex Clementina ne Romani de electione, vbi declaratur irritum quidquid Sede vacante Cardinales egerint, præter id; quod illis conceditur, Sede autem vacante cœtus Cardinalium non succedit in potestate, aut iurisdictione Pontificis, vt docent communiter Doctores, tam Canonistæ, quàm Theologi, vt patet in cap. vbi periculum de electione in 6. ergo Collegium Cardinalium Sede vacante non potest sanctos canonizare, cùm hoc sit munus proprium Summi Pontificis.

Tùm etiam ex bulla Pij IV. quæ est in ordine 63. vbi in §. 6. dicitur; [Sedis autem vacatione durante Collegium Cardinalium in ijs, quæ ad Pontificem maximum, dum viueret, pertinebant, nullam omninò potestatem, aut iurisdictionem habeat, neque gratiam, neque iustitiam faciendi, aut factam per Papam mortuum, executioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reseruare teneatur;] Ergo clarum est Collegium Cardinalium sanctos Sede vacante canonizare non posse.

Infero secundò Legatum de latere, auctoritate suæ legationis non potest Sanctos canonizare, quod probatur nam in capite 1. de reliquijs, & de veneratione Sanctorum. Canonizatio reseruatur Romanæ Ecclesiæ auctoritati, ea autem, quæ reseruantur Summo Pontifici, tamquam causæ maiores, non transeunt ex vi legationis in legatum de latere, vt habetur in cap. quod translationem, vbi Gloss. & plures alij Theologi cum Castellino, Panuino, & alijs, ergo non potest Legatus de latere ex suo legationis iure canonizare.

Sed quæres, potest ne Summus Pontifex committere Legato causam canonizationis Sanctorum, hoc est an Papa committere legato declarare, definire, & proponere toti Ecclesiæ, vt colendum aliquem tamquam Sanctum.

Respondeo non posse, & ratio est, quia ad canonizationem requiritur certitudo, &

infallibilitas, sed talis infallibilitas, & certitudo nequit à dignitate Papali, cui est annexa separari, nec alij committi; ergo. Secundò patet ex perpetua consuetudine Ecclesiæ, quæ licèt committat multa ad canonizationem præuia, vt est vitæ inquisitio, miraculorum probatio, testium examinatio, &c. numquam tamen commissa est alicui sententia declarans fuisse sanctum, vel debere cathalogo Sanctorum adscribi, ergo signum est, quod non potest talem potestatem committere. Tùm denique nam vt docet noster Bannez 2.2. qu.1. art.10. dub.4. non potest Papa delegare, aut committere legatis potestatem definiendi res fidei, ergo nec potest committere Legato canonizationem Sanctorum, immò non possunt Legati, & à fortiori, nec Nuntij Apostolici fabricare processus in causis beatificationis, & canonizationis, vt tenuerunt Auditores Rotæ [in relatione Sancti Ignatij de validitate processus in principio.]

Tertiò infero, Concilium Prouinciale, etiam si ei assistat, & præsit Nuntius Apostolicus, vel Legatus à latere, non posse Sanctos canonizare, & probatur, tùm quia Concilia Prouincialia non possunt aliquid in causis maioribus, plusquam possit Legatus, qui illi præest, sed vt diximus, Legatus non potest canonizare, ergo nec Concilium, tùm etiam nam Concilia Prouincialia nihil possunt definire de fide, vt docet Sanctus Augustinus lib. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 3. & cum illo Theologi quamplures, cum ergo in negotio canonizationis definiatur aliquid de fide, in quo (vt videbimus) Papa errare non potest, ergo non potest Sanctos canonizare.

§. II.

Resoluitur secunda pars dubij de infallibilitate canonizationis.

SVpposito illo, quod supra probauimus, Pontificem scilicet posse canonizare Sanctos, præsens dubium quærit, an ipsum iudicium, quod Ecclesia profert canonizando Sanctum, sit infallibile, & qua certitudine tenendum est Pontificem non posse errare in canonizatione Sanctorum. In hac quæstione, & contra Hæreticos, & contra aliquos Catholicos nobis est disputandum, nam in hac parte, prima sententia est Hæreticorum asserentium de facto Pontificem posse errare, & aliquando errasse in canonizatione Sanctorum, sicut quilibet alius homo errare potest in suo iudicio, ita tenet Vvicleph, vt refert Vvaldensis tom. 3. de Sacramentalibus cap. 122. cui annumerandi sunt nouatores Hæretici, qui in articulis Smaldacicis vocant Idolatriam, Sanctorum cultum, & inuocationem, ac proinde errasse Pontificem tribuendo eius cultum, & venerationem.

Secunda sententia est aliquorum Catholicorum asserentium, quod licèt Papa de facto non erret canonizando, v. g. eum, qui Sanctus non est, non tamen repugnat ipsum errare in canonizatione Sanctorum, ita tenet Glossa in cap. de reliquijs, & veneratione Sanctorum in 6. Felinus in cap. vniuersalis de testibus, Caietanus tract. de indulgentijs tom. 2. opusculorum cap. 8.

Tertia sententia tenet, quod Papa nequit errare secundùm præsentem iustitiam, benè autem secundùm Dei æternam sententiam, ex eo quod Papa procedit ad sententiam canonizationis, iuxtà allegata, & iuridicè probata, & sic secundùm præsentem iustitiam, non potest errare; verùm quia multa falsa in re, possunt iuridicè probari vera in iudicio hominum, poterit Pontifex errare secundùm sententiam Dei, sicut Propheta, qui dixit Regi Ezechiæ: Cras morieris, secundùm præsentem iustitiam, non errauit, licèt secundùm Dei sententiam, illi adhuc non manifestatam, quæ decreuerat prolongare vitam Regis, falsum dixerit, ita philosophatur Augustinus de Ancona de potestate Ecclesiæ, qu.14. art.3.

Ex opposito tertia sententia est illorum, qui dicunt, quod facta canonizatione, sit de fide, canonizatum esse in gloria, ac proindè esse de fide, quod Papa errare non potest in canonizatione Sanctorum, ita Valentia 2. 2. disput.1. quæst.1. par.7. §. 41. contra Cano, illam probabilem reputat Torres 2. 2. disp. 16. dub.3. & alij cum illis.

Quarta sententia affirmat esse ita certum, Papam errare non posse in canonizatione Sanctorum, vt oppositum sit temerarium, non tamen hæreticum, ita communiter Theologi cum Diuo Thoma quodlibeto 3. art. 16. illis verbis: [Canonizatio est medium inter iudicium Papæ de rebus fidei definiendo, & de particularibus factis, vt cum agitur de criminibus, & possessionibus, quia tamen (addit) honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriã credimus, piè credendum est, quod neque etiam in his Ecclesia errare possit.]

Conclusio. Est ita certum esse, Papam non posse errare in canonizatione Sanctorum, vt sit dignus censura, qui oppositum diceret, non quidem, vt sit hæreticus, sed tantùm temerarius, impius, scandalosus, & errori proximus.

Hæc conclusio defenditur à Doctoribus 4. sentent. & specialiter à Thomistis: illam defendunt Ioannes de Neapoli quodlib. 11. Cano lib.5. de locis cap.5. Bannez 2.2. qu.1. art.1. dub.7. Ioannes à S. Thoma 2. 2. qu. 1. disput. 9. art. 2. Magister Ferre tractatu de fide qu. 13. & ex Canonistis noster Cardinalis Turrecremata in tract. de Ecclesia quæst. 51. Sanctus Antoninus 3. par. tit. 11. cap.8. §. 2. Syluester in summa verb. Canonizatio, Couarruuias lib. 1. variar. cap. 1. num. 13. Pegna in 2. parte directorij cap.7. Felix Contelorius de canonizatione Sanctorum cap. 10. Matta de Sanctorum canonizatione par. 4. cap. 30. ac denique Cardinalis Bellarminus controuers. 7. de Ecclesia triumphante lib.1. cap. 9.

Probatur primò prima pars conclusionis discursu desumpto ex supra allegata auctoritate Diui Thomæ: Cultus, quem Ecclesia dat Sancto canonizato, est protestatio fidei, quam Ecclesia facit de eo, quod in Cœlo sit; sed hæc fides, quam tota Ecclesia habet, deficere non potest; ergo Pontifex, dum cul-

cultum canonizati imperat toti Ecclesiæ, errare non poterit. Maior est Diui Thomæ loco cit. & minor constat, quia Ecclesia est firmamentum, contra quod nec portæ inferi possunt præualere, ac proindè nec deficere potest, nec errare; & consequentia sequitur, quia si Pontifex præcipiens cultum canonizato errare posset, Ecclesia in re graui errare poterit.

Dices, Ecclesiam errare non posse, quando est innixa testimonio diuino, vel traditioni Apostolicæ, benè tamen quando innititur opinioni, ac testimonio humano, cùmque canonizatio Sanctorum, innitatur humano testimonio, & opinioni, non est inconueniens, quod errare possit in canonizatione Sanctorum.

Sed contra est, nam Ecclesia esto quasi præparatiuè vtatur humano testimonio, tamen quando vniuersaliter credit, & Pontifex proponit esse credendum, hoc illam credere, & hunc præcipere credendum ex speciali assistentia Spiritus sancti est; non enim potest permittere Deus Ecclesiam suam vniuersaliter in re tam graui, sic turpiter errare, quam regi à Spiritu sancto ipse promisit.

Secundò, nam de facto, secundùm oppositos Doctores, Spiritus sanctus assistit quotiescumque Ecclesia canonizat, & credit vniuersaliter canonizatum esse in Cœlo, quod non probatur, nisi per hoc, quod Deus Ecclesiæ promisit, quod portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, sed hoc euidenter infert assistentiam Spiritus sancti esse debitam Ecclesiæ titulo fidelitatis diuinæ, qua tenetur adimplere promissum; ergo ex assistentia speciali Spiritus sancti Papa infallibilis est, & non potest errare in canonizatione Sanctorum.

Et confirmatur hoc amplius ex Magistro Castellino in tractatu de certitudine gloriæ Sanctorum; in cæteris rebus, in quibus Pontifices, vel humano testimonio innixi, vel vt homines viatores errare potuerunt re ipsa aliquando deprehensi sunt errasse, sed in canonizatione Sanctorum nullus vnquam error est deprehensus; ergo signum est, ex speciali assistentia Spiritus sancti Ecclesiam procedere in canonizatione Sanctorum.

Secundò probatur hæc prima pars; si Pontifex in canonizatione Sanctorum errare posset, sequitur non esse vllo modo certum Hieronymum, Augustinum, Paulum, &c. esse Sanctos, sed hoc est falsum, & inconueniens, ergo scandalosum est dicere Pontificem potuisse errare in canonizatione Sanctorum, etsi, vt Innocentius dicit in cap. cum Martha de celebratione Missarum: Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, quantò erit magis iniurius, qui canonizatum pro Sancto, non vult vt Sanctum venerari.

Deindè probatur secunda pars, quod scilicet nec de potentia absoluta Papa possit errare, nam (vt ait Diuus Thomas quolib. 9. art. 16. ad primum) Pontifex, cuius est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicuius per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum, & præcipuè per instinctum Spiritus sancti, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei;] ex quibus sic formo rationem: Pontifex canonizans, non tantùm innititur dictis hominum, qui attestantur de vita, & miraculis in informatione de sanctitate canonizandi, sed præcipuè instinctu Spiritus Sancti; ergo non solùm secundùm præsentem iustitiam, sed etiam per Dei sententiam nequit Pontifex errare. Patet hæc consequentia, tùm quia Spiritus sanctus dirigens Pontificem, ne erret in canonizatione Sanctorum, non dirigit eum ne erret, iuxtà præsentem iustitiam; sed etiam dirigit ne erret, iuxtà Dei sententiam, quæ latet in profundo Dei, quod scrutatur Spiritus; tùm etiam, nam illa specialis assistentia Spiritus sancti non requiritur ne erret iuxtà præsentem iustitiam, ergo ne erret secundùm Dei sententiam. Antecedens constat, nam ad non errandum secundùm præsentem iustitiam sufficit scientia legum, & requisitorum ad aliquam sententiam ferendam, quam vnusquisque Iudex debet habere ad non errandum secundùm præsentem iustitiam, non verò requiritur specialis assistentia Spiritus sancti.

Deindè tertia pars, quod scilicet non sit immediatè de fide Sanctum canonizatum esse verè Sanctum; probatur tùm ex loco allegato Diui Thomæ quodlib. 9. vbi canonizatio ponitur ab eo medium inter hæc duo, scilicet inter determinationem de fide, & inter particularia facta, quæ iudicat, ergo sentit non esse de fide id, quod Pontifex determinat in canonizatione Sanctorum.

Et probatur etiam ratione, vt aliquid sit de fide immediatè requiritur, quod sit testificatum à Deo; cùm ratio formalis fidei sit veritas diuina in dicendo, sed quod canonizatus à Pontifice sit verè Sanctus, & in gloria non est attestatum à Deo, neque in verbo, neque in scripto, ergo non est immediatè de fide.

Dices per nos, quando Papa canonizat, hoc facit ex speciali instinctu Spiritus sancti, ergo ex speciali reuelatione interna, ac proindè erit immediatè de fide, contra quod est doctrina D. Thomæ 2. 2. qu. 1. art. 1. fides, de qua loquimur, non assentitur alicui, nisi ei, quod à Deo reuelatum est; ergo non sufficit instinctus Spiritus sancti, nam si sufficeret, Papa dum definit canonizando, conderet nouam fidem, & sic fides augeretur etiam quoad substantiam, quod est contra Sanctum Thomam loco citato quæst. 7. art. 7. ergo, &c.

Ex qua ratione sequitur non solùm istam propositionem: Sanctus N. canonizatus est in Cœlo, non est de fide, sed nec etiam iste Sanctus ritè canonizatus est in Cœlo, tùm quia non datur casus, quod Papa canonizet ex speciali instinctu Spiritus sancti, & quod non sit ritè canonizatus, vndè si vna non est de fide, nec etiam alia; tum etiam, quando Papa ritè canonizat, non definit canonizatum esse Sanctum, & in gloria; ergo nequit esse de fide, quod ritè canonizatus sit verè Sanctus. Antecedens constat ex dictis, nam non est de fide Sanctum N. canonizatum esse Sanctum, vt diximus, ergo quando canonizat non definit canonizatum esse in Cœlo.

Vltima denique pars, quod scilicèt temerarium, & scandalosum sit, immò sapiat errorem, & hæresim, negare canonizatum esse in Cœlo, probatur, & quod sit temerarium, scandalosum, & impium constat; quia

quod est contra consensum communem, & intelligentiam vniuersalem Ecclesiæ, quæ Sanctum canonizatum publicè veneratur, & pro Sancto habet, est etiam de genere malè sonantium, ac proindè scandalosum, & impium, quia contra venerationem, & cultum Sanctis debitum, ergo est temerarium, scandalosum, & impium negare canonizatum esse in Cœlo.

Quod autem sit proximum errori, & sapiens hæresim probatur, tùm quia tangit potestatem Ecclesiæ, quam habet canonizandi Sanctos secundùm fidem; hæc enim maximè labefactatur, & tangitur, ab eo, qui errare eam diceret in hac potestate; potestas enim errans, non est potestas. Tùm etiam, quia cùm plures Hæretici canonizationem Sanctorum irrideant, & abijciant, magnam suspicionem daret fauendi Hæreticis, qui diceret errare Ecclesiam in canonizatione Sanctorum, ergo sapit errorem, & hæresim hæc opinio.

§. II.

Soluuntur obiectiones contra hanc conclusionem,

ARguitur primò contra primam partem conclusionis auctoritate S. Gregorij ex dialogis cap. 42. vel vt alij citant Sancti Augustini sic dicentis: [Multa corpora Sanctorum venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in tormentis;] ergo multoties animæ illorum, quos Pontifex canonizat, non sunt sanctæ, sed damnatæ, ergo potest errare, & de facto multoties errat in canonizatione Sanctorum.

Dices loqui de aliquibus præpotentibus quorum corpora in seculo honorantur sepulchris marmoreis, & deauratis, & sepelliuntur cum solemnibus exequijs, quorum animæ multoties incendijs torquentur.

Sed contra est, non loquitur Augustinus, nisi de corporibus Sanctorum, ait enim: [Multa corpora Sanctorum; ergo non loquitur de corporibus virorum illustrium, Per quod remanet exclusa alia solutio dicentium: [Intelligi debere Augustinum, seù Gregorium de corporibus Martyrum Donatistarum;] Donatistæ enim, sicut & moderni Hæretici, eos, qui pertinaces in suis erroribus ab Ecclesia puniuntur, tanquam Martyres venerabantur, quorum tamen animæ sine dubio incendijs cremabantur, Præcluditur, inquam hæc euasio eodem argumento, quia si de illis loqueretur, non diceret corpora Sanctorum.

Respondeo in primis textum istum non inueniri, nec in operibus Augustini, nec in loco citato Diui Gregorij, sed dato, quod ab istis Sanctis poneretur, dicimus loquutos fuisse de honore speciali exhibito corporibus non canonizatorum, sed eorum, quos Ecclesia non adhuc canonizauit, verùm communis populorum plausus veneratur vt Sanctos, quos tamen esse in Cœlo non est ita infallibile, & certum, sicut Sanctos canonizatos, & circa illos habet locum error popularis, & dictum Augustini, quod corpus veneratur in terra, cuius anima cruciatur in inferno.

Sed oppones; etiam iudicium Ecclesiæ circa venerationem Sanctorum; potest esse fallibile, ergo potest Pontifex errare in canonizatione Sanctorum. Antecedens probatur tùm primò ex text. in cap. à nobis de sententia excommunicationis, vbi habetur, [quod iudicium Dei, veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur, iudicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit, & falli:] ergo iudicium in canonizatione Sanctorum non est infallibile. Tùm secundò Ecclesia, vt habetur in cap. venerabili de testibus in canonizatione Sanctorum, humano testimonio vtitur, quod est omninò fallibile, ergo non est infallibilis in canonizatione Sanctorum.

Respondeo negando antecedens, ad primam probationem respondeo cum communi Theologorum sententia, caput illud à nobis secundò de sententia excommunicationis loqui in his causis, in quibus Papa procedit, vt purus homo, & viator, non autem ex speciali instinctu Spiritus sancti, sicut diximus procedere in canonizatione Sanctorum, & ideò in hac non potest errare.

Ad secundam probationem respondeo, ex Diuo Thoma quodlib. 9. art. vlt. in canonizatione Sanctorum non inniti Pontificem solùm testimonijs hominum, sed diuinæ promissioni, qua Christus promisit Apostolis Ioann. 14. ibi: Spiritus adueniens docebit vos omnem veritatem; & ideò etsi non sit infallibilis in alijs iudicijs, est infallibile iudicium canonizationis.

Secundò arguitur contra eamdem partem conclusionis, quando Pontifex aliquem canonizat, non potest infallibiliter certificari, & scire, quod canonizandus habuerit veram charitatem, quando ex hac vita decessit; ergo nequit infallibiliter scire, quod fuerit Sanctus. Maior probatur, sine diuina reuelatione, nemo potest scire se, vel alium habere, vel habuisse charitatem, iuxtà illud Ecclesiastici; [Nemo scit vtrùm amore, vel odio dignus sit; ergo multò minus potest Pontifex certè scire sanctitatem canonizandi. Patet hæc consequentia, magis potest scire se esse in gratia ille, qui gratiam habet, quàm alius, iuxtà illud 1. ad Corinth. 2. [Quæ enim sunt hominis, nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est:] ergo si ipse nequit scire se habuisse gratiam, quomodo hoc potest scire Pontifex per testes, & probationes, de alio igitur potest errare,

Respondebis recurrendo, vel ad bona opera, quæ illum fecisse constat, vel ad miracula, quibus bona opera comprobantur, vel ad opera illa, quæ discernunt iustos ab iniustis, puta seruare præcepta, & peccatum non admittere, quibus omnibus cognitis certa scientia per probatos testes, potest Pontifex, non quidem à priori, sed à posteriori certificari de sanctitate canonizandi.

Sed contra instare possunt oppositores bona opera, & virtutes, quia possunt rectè & non rectè fieri, sunt, vel possunt esse iustis, & iniustis communia, similiter miracula non sunt euidentia signa sanctitatis, quapropter ipsemet miracula faciens, nisi habeat reuelationem specialem: non potest pro certo co-

gno-

gnoscere se esse in gratia, ac denique nec seruare præcepta, peccata non facere, non sunt ita euidentia signa, vt ipsemet; qui facit, possit certus esse de sua iustificatione, vndè Paulus dicebat; [Nihil mihi conscius sum, sed tamen in hoc iustificatus non sum,] quia etiam si se agnosceret immunem à peccatis, mandata seruare, & bona opera facere, non tamen habebat certam scientiam de sua iustificatione, ergo nec bona opera, nec miracula, nec immunitas à peccatis possunt certificare Pontificem de sanctitate canonizandi.

Respondeo vtique ex omnibus illis posse cognoscere Summum Pontificem sanctitatem canonizandi, iuxtà illud Christi Domini Matthæi 7. Ex fructibus eorum cognoscetis eos, cæterùm non posse habere certitudinem ita infallibilem, vt in canonizatione Sanctorum non posset errare, sed omnia ista simul cum assistentia speciali Spiritus Sancti, Ecclesiæ, eiusque Capiti à Christo promissa, possunt ei tribuere talem infallibilitatem in canonizando, vt non possit errare, vndè Diuus Thomas quodlib. 9. art. 16. ad primum, sic habet, dicendum, quod Pontifex, cuius est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicuius per inquisitionem vitæ & attestationem miraculorum, & præcipuè per instinctum Spiritus Sancti; qui scrutatur omnia, etiam profunda Dei.

Tertiò arguitur, potest errare Papa in beatificatione Sanctorum, ergo etiam potest errare in canonizatione. Antecedens patet, tùm quia beatificatio non est iudicium, & sententia Pontificis de sanctitate alicuius, & cultu ei exhibendo, sed est sola permissio talis cultus, vt supra dicebamus, ergo non habet infallibilitatem, tùm etiam, nam post beatificationem adhuc fiunt nouæ inquisitiones, & diligentiæ circa vitam, & miracula beatificati, vt procedatur ad eius canonizationem, ergo signum est in beatificatione non fieri à Pontifice iudicium ita infallibile vt non possit errare, consequentia verò probatur. Sancti non minùs habent pro irrefragabili argumento, quod aliquis sit Sanctus, quod Ecclesia eum canonizet, ac quod Ecclesia celebret de illo, sed ex vi beatificationis Ecclesia celebrat de tali Sancto, ergo est irrefragabile, & infallibile, & quod sit Sanctus. Antecedens constat, nam hac ratione colligunt Sancti Patres, [Idelphonsus lib. de Virginitate Mariæ, Bernardus epist. 174. & Sanctus Thomas 3, par. 27. ar. 1 in argum. sed contra,] esse certum, quod Beata Virgo fuerit Sancta antè suam natiuitatem, quia Ecclesia celebrat festum natiuitatis, ergo hoc ipso, quod Ecclesiæ auctoritate permittitur alicuius celebratio, certa redditur eius sanctitas, sicut per canonizationem.

Petit hoc argumentum, an Pontifex in beatificatione possit errare. Et suppono differentiam suprapositam inter canonizationem, & beatificationem in eo, quod beatificatio non est: sicut canonizatio, decretum vltimum determinans esse Sanctum illum cui conceditur talis cultus, sed solùm est permissio, seù concessio aliquibus, vel omnibus celebrandi officium, Missam, & cultum publicum exhibendi tali beato hoc supposito Torres 2. 2, disput. 14. dub. 6. idem ferè sentit de beatificatione, quod de canonizatione; affirmat enim probabiliter sentiendum esse de fide, Pontificem non posse errare, quia vterque actus pertinet ad materiam Religionis, in qua Pontifex errare non potest, sentit enim ipse consequenter, quod canonizatio; & beatificatio substantialiter non differunt, sed solùm in modo accidentali maioris vel minoris solemnitatis, & solùm certitudinem canonizati, & beatificati differre penes magis, & minus intra eamdem speciem.

Nihilominus tamen dicendum est, Pontificem in beatificatione non ferre iudicium de sanctitate alicuius, sed solùm permittere vt possit publicè coli, & venerari, vndè licet practicè errare non possit, ita quod esset temerarius, & scandalosus, qui talem celebrationem negaret, speculatiuè tamen circa veritatem sanctitatis talis personæ non excedere ex vi solius beatificationis latitudinem, certitudinis moralis, & maximè probabilitatis, ita quod oppositum non esset dignum censura. Et probo hoc primò ex Diuo Thoma 3, par. qu. 23. art. 2. ad 2. vbi Sanctus Doctor ex eo quod Ecclesia Romana suo tempore tolerabat celebritatem festi Conceptionis, ex eo solùm infert talem consuetudinem non esse totaliter reprobandam; sed beatificatio est concessio celebrationis de aliquo, Sancto cum tolerantia Sedis Apostolicæ, ergo ex vi præcisæ beatificationis non potest inferri, quod sit omninò certum personam beatificatam esse in gloria, itaut oppositum sit censurabile, quod confirmari potest ex eo, quod beatificatio aliquando fuit commissa & permissa fieri ab Episcopis in Ecclesia, vt inter alios constat de nostro Sancto Gundisaluo, qui per delegatos Iudices Apostolicos in Regno Portugalliæ indultum fuit die 10. Ianuarij Missam, & officium de dicto Sancto publicè, ac priuatim ad instar aliorum Sanctorum Confessorum celebrare, sed certum est Episcopos etiam, vt delegatos Apostolicos non posse definire aliquid de fide, nec infallibilem certitudinem habere, ergo de se beatificatio non petit aliam certitudinem quàm moralem de gloria beatificati.

Tandem meo videri, certam omninò reddidit hanc sententiam Alexander VII. [in sua innouatione constitutionum, & decretorum sententiæ asserentis: Animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione à peccato originali præseruatam fuisse] expedita die 8. Decembris 1661. Pontificatus sui anno 7. quæ incipit: Sollicitudo omnium Ecclesiarum, vbi decernit festum Conceptionis celebrari secundùm piam sententiam, quæ asserit Beatissimam Virginem in sui creatione; & in corpus infusione præseruatam fuisse à peccato originali, Et nihilominus In eodem breui, seù innouatione declarat innouando constitutionem Sixti IV. neminem posse asserere, quod contrariam opinionem tenentes, videlicet: Gloriosam Virginem Mariam cum, originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrat, declarando per hoc contrariam opinionem non esse à Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede aliquo modo damnatam, quin potiùs contrariam illam opinio-

opinionem hæresis: aut peccati mortalis, aut impietatis damnatæ, audentes præter pœnas: quibus eos subiecerunt Sixtus IV. & alij prædecessores Pontifices, ipse grauioribus alijs pœnis subiecit, &c. ergo constat clarissimè, Romanam Ecclesiam per hoc, quod cultum permittit, vel tribuit alicui, non maiorem certitudinem expetere, quàm probabilem, & eam, cuius contrarium opinantibus aliqua censura inferri non possit.

Ad argumentum ergo supra factum respondeo, admisso antecedenti, negando consequentiam, ad cuius probationem dico, quod celebratio Ecclesiæ de aliquo potest esse dupliciter, vno modo simul cum iudicio positiuo de tali sanctitate: vel assensu vniuersali totius Ecclesiæ de tali celebratione absolutè, & sinè vlla declaratione, & sic fit in canonizatione, & ex tali celebratione infertur optimè sanctitas alicuius, sicut Sanctus Thomas, Bernardus, & Idelphonsus ex celebratione absoluta totius Ecclesiæ de Natiuitate Virginis, inferunt eius sanctitatem. Alio modo potest esse celebratio de aliquo Sancto ex sola concessione, & permissione Ecclesiæ sinè vniuersali assensu totius Ecclesiæ, & iudicio de tali sanctitate, vel cum aliqua declaratione speciali ad oppositum, & sic non potest inferri omnimodè certitudo de sanctitate talis personæ, sed solùm vt supra citato loco art. 2. ad 3. ait Sanctus Thomas, quod talis consuetudo non sit reprobanda, & sic se habet beatificatio, in qua non habetur iudicium, sed permissio tantùm Ecclesiæ. nec semper est respectu vniuersalis Ecclesiæ, sed solùm respectu aliquarum personarum tantùm: vel esto Ecclesia vniuersalis celebret, si tamen hoc permittitur ab Ecclesia, cum speciali declaratione, quod non intendit damnare oppositam opinionem, sicut diximus fuisse concessum in celebratione festi Conceptionis in vltima bulla Alexandri VII. tunc ex tali celebratione cum illa declaratione concessa, non potest inferri cum omnimoda certitudine talis sanctitas.

Quod si opponas hæc permissio celebrandi de aliquo beatificato, supponit probationes virtutum in gradu heroico, & attestationes miraculorum eius, qui beatificatur; sed ex miraculis, & virtutibus probatis in gradu heroico, potest inferri de fide aliquem esse Sanctum ergo, &c.

Respondetur, concessa maiori, distinguo minorem ex miraculis iam probatis testimonio fallibili, & humano: concedo minorem, testimonio infallibili, & omninò certo, nego minorem, & consequentiam, nam in beatificatione miracula non probatur, nisi humana attestatione, quæ cum fallere possit & falli; non potest non esse fallibilis, si enim miracula, & virtutes certè, & infallibiliter probarentur sinè dubio, posset ex hoc probari secundùm fidem sanctitas beatificati, in canonizatione autem Sanctorum esto istæ præuiæ probationes, quamuis cum maiori diligentia probentur & discutiantur virtutes & miracula, æquo tamen modo humano, & fallibili discutiuntur, redditur tamen infallibilis canonizatio, quia Papa ex speciali instinctu, vt diximus, Spiritus Sancti, declarat, & decernit illum esse Sanctum.

Deindè arguitur contra secundam partem conclusionis probando ex opposito, canonizationem Sanctorum esse certam de fide quod probatur ex verbis bullæ canonizationis S. Francisci de Paula, vbi Leo X. definiuit Sanctum Franciscum esse Sanctum per hæc verba: [Bonæ memoriæ Franciscum de Paula eiusdem Ordinis Minimorum Institutorem decernimus, & definimus in Cœlesti Hierusalem inter Beatorum Choros iam receptos, æternæque gloriæ condonatum fuisse ac Sanctorum Confessorum cathalogo adscribendum fore, &c.] ergo Pontifex in Sanctorum canonizatione procedit definiendo.

Respondeo illa verba: Decernimus, & definimus non accipi pro definitione fidei, nec pro sententia vltima definitiua fidei, sed pro sententia vltima definitiua illius causæ; sic enim Pontifex procedens, vt Iudex, via iuridica procedit, iuxta allegata, & probata in causa beatificationis ad vltimam sententiam definitiuam illius, quæ licèt ex speciali assistentia Spiritus Sancti sit immunis ab errore, non tamen habet certitudinem fidei.

Sed contra obijcies primò iudicium, quod Ecclesia format de sanctitate canonizati, quem colit, est iudicium fidei infallibilis, ergo decretum ortum ex hoc iudicio, est decretum fidei infallibilis, ergo est decretum fidei diuinæ. Antecedens cum prima consequentia tenet, & secunda consequentia probatur; fides humana nequit reddi infallibilis, nam quod essentialiter infalibile est, non potest infallibilitatem participare, sicut illud, quod essentialiter est malum ex nulla circumstantia adueniente potest reddi bonum, v. g. furtum, & mendacium, quæ essentialiter mala sunt, ex nulla circumstantia possunt fieri bona, ergo si decretum canonizationis est infallibile, non potest esse decretum fidei humanæ, sed debet esse fidei diuinæ.

Secundò instatur contra illam solutionem, Pontifex, quando decernit ex speciali assistentia Spiritus Sancti; vt Ecclesiæ Pastor, & Doctor, ac proindè, vt docens ex Petri Cathedra definit de fide; sed quando Sanctos canonizat, format decretum illud ex speciali assistentia Spiritus Sancti; ergo quando canonizat, dictat ex speciali Spiritus Sancti assistentia, docens ex Petri cathedra, tamquam Pastor vniuersalis Ecclesiæ, ac proindè format decretum de fide. Maior probatur, assistentia Spiritus Sancti solùm est debita Pontifici, vt Pontifici, & vt ex Petri cathedra docenti; non enim est ei debita, vt personæ, & vt Doctori particulari; ergo quando ex speciali Spiritus Sancti assistentia dictat, tamquam Doctor Ecclesiæ vniuersalis, docens ex Petri cathedra.

Respondeo ad primam instantiam, negando secundam consequentiam, ad probationem, distinguo antecedens, fides humana, quæ purè humana est, hoc est, quæ tantùm innititur testimonio hominum, nequit reddi infallibilis concedo antecedens. Fides, quæ purè humana non est, sed præcipuè innititur speciali impulsui Spiritus Sancti, nego antecedens, & conseq. fides enim humana, quæ purè innititur dictis hominum, cùm fallibilis, essentialiter sit, nequit

quit reddi infallibilis, vt benè probat argumentum, at verò fides humana, quæ est innixa, non dictis hominum, quæ credit, sed Spiritus Sancti instinctui, quo regitur, ne iuxtà fallibilitatem humani dicti: [ipse quoque falli posset;] hæc purè humana non est, sed sapit diuinitatem, non tamen est perfectè diuina, quia, qui sic credit, non credit diuino testimonio, & huiusmodi fides est infallibilis.

Ad secundam, quæ poterat esse instantia contra datam solutionem, negando maiorem, non enim à Pontifice dictante ex Cathedra Petri tantùm procedunt definitiones fidei, sed etiam alias definitiones, & leges toti Ecclesiæ communes, respicientes bonum vniuersale Ecclesiæ, non enim Pontifex est solùm Doctor, sed etiam est Pastor, vndè assistentia Spiritus Sancti, non tantùm ei debetur, vt definiat, sed etiam vt gubernet Ecclesiam, quando ergo canonizat, non definit illum esse Sanctum, quem canonizat definitione, de fide, ad hoc enim, vt aliquid de fide immediatè definiatur, requiritur quod antea contineretur, vel in Sacra Scriptura, vel in Apostolica traditione, quod autem hæc persona, vel illa sit sancta, non continetur, nec in Sacra Scriptura, nec in traditione Apostolica, & ideò non potest definiri de fide.

Denique arguitur secundùm Diuum Thomam quodlib. 9. vt diximus, canonizatio, & cultus Sanctorum est quædam fidei protestatio, qua Ecclesia credit gloriam Sanctorū; ergo canonizatio, & cultus ab Ecclesia pro aliquo Sancto præceptus, facit de fide prædictum Sanctum esse in gloria.

Respondeo Diuum Thomam non dixisse cultum esse protestationem fidei, qua Ecclesia credit gloriam huius Sancti canonizati, & cui tribuitur cultus, sed qua credit dari gloriam Sanctorum in communi, dari enim Sanctos in Cœlo regnantes, est de fide, & habetur ex illo Apostoli ad Hebræos 11. [Sancti per fidem vicerunt Regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones;] vult ergo Diuus Thomas, quod Ecclesia, quando colit Sanctos canonizatos, profitetur fidem, quam ipsa habet de eo, quod Sancti sint, & in gloria regnant, non tamen potest ille esse actus fidei diuinæ, quo credit hunc Sanctum canonizatum esse in gloria, quia non est circa materiam fidei, cum nec in scripturis, nec in traditionibus Apostolicis inueniatur, vel ex eis inferri possit.

Sed oppones Ecclesia in ferendis legibus communibus omnibus fidelibus, est columna, & firmamentum veritatis, ergo quando proponit toti Ecclesiæ Sanctum canonizatum, vt colendum, hoc faciet, vt columna, & firmamentum veritatis, ergo vt habens certitudinem fidei circa sanctitatem canonizati.

Respondeo Ecclesiam esse columnam, & firmamentum, non solùm quando docet, vt Magistra decernens, quæ fide sunt credenda, sed etiam quando dirigit in rebus agendis, & in legibus ferendis, vt scilicèt in illis non erret, vt statim dicemus.

DVBIVM V.

Vtrùm Pontifex possit errare in approbandis Religionibus, vel legibus ferendis pro tota Ecclesia.

§. I.

Contra Hæreticos probatur statum Religionis esse statum perfectum.

IN prima parte dubij, ac scilicèt Pontifex errare possit in approbatione Religionū, disputandum nobis est cum Hæreticis, & cum Catholicis. Cum Hæreticis quidem nostri temporis, qui cùm ortum habuerint ab vno infami desertore status Religiosi, & diabolico apostata Martino Lauthero, vt sui antesignani infamiam tegant, & errores defendant, lupino dente lacerare conantur, & vel falsæ, vel vanæ superstitionis infamare, non solùm hunc, vel illum ordinem Religiosorum, sed statum etiam Religionis, vt sic quoad sua essentialia, & substantialia vota castitatis scilicet paupertatis, & obedientiæ. Primi ergo, dæmonis in hoc ministri fuerunt Vvaldenses, qui, vt affirmant Alphonsus de Castro, & Æneas Sylulus in tantam proruperunt insaniam, vt Mendicantium Religiones dicerent malorum dæmonum inuentionem, quem errorem sequutus Gulielmus de Sancto Amore scripsit librum [de periculis nouissimorum temporum; vbi inter alia probare conatus est: [Neminem posse saluari in Ordine Mendicantium,] quem librum damnauit, vt hæreticum Alexander Papa IV. Post hunc Ioannes Vvicles, non solùm Mendicantes, sed omnes Monachos atrociter insectatus docuit: [Neminem posse saluari si in quacumque Religione priuata existit, immò esse ineptum, & inhabilem ad obseruantiam mandatorum Dei, vndè & eos, qui Religiones instituerunt, scilicet Benedictum, Dominicum, Franciscum, &c. fuisse ex hoc damnatos: & Pontifices, qui Religiones confirmauerunt turpiter consequenter errasse. Quē errorem ab inferis, vbi sepultus iacebat, suscitauerunt his nostris temporibus, cum suis sequacibus Martinus Lauter, & Ioannes Caluinus docentes, non esse licita vota Religionis paupertatis scilicèt, castitatis, & obedientiæ, eo quod nō est licitū hominē obligari ad aliquid agendum vltra id, quod Dominus nobis præcepit, vel quod supra vires humanas est, sicut ipsi existimabant esse perpetuam continentiam, & castitatem; qua propter & ipsi, cùm vnus esset Monachus professus, scilicèt Lutherus, & alius Sacerdos Curatus, scilicèt Caluinus, vxores duxerunt liberam tribuentes, tam Monachis, quàm Monialibus, potestatem exeundi à Monasterijs, & matrimonia contrahendi; immò in locis, vbi hæc hæresis vigebat, coacti sunt Monachi, & Moniales relinquere propria Monasteria, & exu-

exulare, quia non permittebatur eis vitam cœlibem in illis ducere; & consequenter omnes isti hæretici affirmarunt, errasse Pontificem Romanum confirmando Religiones.

Cum Catholicis etiam nobis disputandum erit, nam aliqui cum Magistro Cano lib.5.de locis cap.5.docent ordines probare, vel refellere, quoniam hoc non à scientia solùm, sed etiam à prudentia dependet non ad ea pertinere, in quibus Summus Pontifex errare non potest.

Econtra verò communis Theologorũ, & Catholicorum consensus affirmat esse Religiones ab Ecclesia Catholica approbatas sanctas, & licèt diuersas, Regias tamen vias, & tutas ad apicem Christianæ perfectionis ducentes, ac proindè non solùm numquam errasse, sed nec etiam errare posse Pontificem confirmando diuersas Religiones, & instituta. Ita inter alios duo lumina Ecclesiæ Catholicæ, Magister, & discipulus, Albertus, & Thomas, quibus coniunctus fuit Sanctus Bonauentura, qui egregiè impugnatores Religionum Mendicantium cum eorum antesignano Gulielmo expugnauerunt, libris contra eos scriptis, Thomas quidem, & Albertus contra impugnantes Religiones, & Bonauentura opusc. de statu pauperum, quibus inhærentes.

Dico primò statum Religiosorum continentem tria vota essentialia, paupertatem scilicèt, castitatem, & obedientiam, non solùm esse sanctum, & bonum, sed etiam viam Regiam, & tutam, per quam faciliùs, & securiùs ad apicem perfectionis Christianæ peruenitur.

Hæc conclusio est omnium Catholicorum consensus, & antequam illam probemus aliqua debeo supponere. Primum est sic definiri Religionem, vt hìc à nobis accipitur, est status hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, continentiæ, & obedientiæ vota tendentium; Perfectio autem nil aliud est in præsenti, quàm fini suo vlti mo arctissimè coniungi. Cumque noster finis vltimus sit Deus, charitas autem vnio hominis cum Deo, iuxtà illud Ioann.4. [Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.] Et ad Coloss.3. [Charitas est vinculum perfectionis,] ac si diceret Apostolus: Quod charitas vnit hominem cum Deo in qua vnione eius perfectio consistit, consequenter charitas perfectionis vinculum est dicenda, quam explicationem, tam Græci Patres, Chrysostomus scilicèt, Theodoretus Æcumenius, & Theophylatus, quàm Latini, inter quos videndus est Hieronymus epistola ad Heluidiam, admittunt.

Secundò suppono ex Diuo Thoma opusculo de perfectione, quatuor esse gradus charitatis, totidemque perindè esse gradus perfectionis, primus est diligere Deum quantùm diligibilis est, hoc est infinito modo, & sic soli Deo conuenit, qui solus potest infinito modo se diligere, ac proindè in hoc gradu solus Deus est perfectus, & in ordine ad illum omnes, tàm Angeli, quàm Sancti sunt imperfecti, non quidem priuatiuè, sed negatiuè, quatenus nulli creaturæ potest illa infinita perfectio competere.

Secundus gradus est diligere Deum, non quantùm in se diligibilis est, sed quantùm creatura diligere potest, itaut semper actu, & sine intermissione de Deo cogitet, & in eum per affectum semper feratur. Et in hoc gradu sunt omnes Beati in Patria; comparatione quorum, omnes Iusti in hac vita sunt imperfecti testante Apostolo ad Philippenses 3. [Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim;] etiamsi de ipsis primitias spiritus habentibus dixerat: [Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus.]

Consequenter tertius gradus est diligere Deum, non quantùm est diligibilis in se, nec quantùm possunt absolutæ creaturæ diligere, sed quantùm potest creatura mortalis in hac vita remouendo scilicet omnia Diuini amoris impedimenta, & tam se Dei obsequio consecrando, & huiusmodi perfecti, esto imperfecti dicantur respectu Beatorum, respectu aliorum, etiam iustorum, perfecti dicuntur. Et de hac perfectione loquuntur Theologi, quando docent statum Episcoporum esse perfectum, statum verò Religiosorum esse tendentium ad hanc perfectionem acquirendam, ad eam enim perfectionem tendere tenentur Religiosi, quam iam debent habere adeptam Episcopi.

Ac denique quartus gradus perfectionis est ita Deum diligere, vt licèt illum non diligat, quantum diligibilis est, vel quantùm diligere potest creatura, siue in patria, siue in via; ita tamen diligit Deum, vt nil æquè, ac Deum diligat, vnde nihil contrarium diuinæ dilectioni admittit, & iste gradus est in præcepto omnibus; dicitur autem gradus perfectionis, iuxta illud 1. Ioann.2. [Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est;] est tamen imperfectus respectu aliorum graduum, vnde Dominus Matth. 19. ei, qui dicebat, omnia præcepta seruasse, quia adhùc perfectus per hoc non erat, subiungit: [si vis perfectus esse vade, vende omnia, quæ habes, & sequere me.

Tertio suppono ex Diuo Thoma opusc. contra impugnantes Religionem cap.1. Religio, (vt etiam anuere videtur Augustinus lib. de vera Religione) à religando dicta est, illud autem ligari dicitur, quod ita vni adstringitur; vt ei ad alia diuertendi libertas tollatur, sed religatio iteratam ligationem importans, ostendit ad illud aliquem alligari, cui primò coniunctus fuerat, & ab ea distare incepit, & quia omnis creatura priùs in Deo extitit, quàm in se ipsa, & à Deo processit, quodammodò ab eo distare incipiens secundùm essentiam per creationem, ideò rationalis creatura dicitur ad ipsum Deum religari, cui primò coniuncta fuerat etiam, antequam esset, vt sic, vnde exeunt flumina reuertantur; hæc autem ligatio prima habetur per fidem, secundùm illud ad Hebræos 11. [Accedentem ad Deum oportet credere;] vnde Religio primò, & principaliter latriam significat, qua Deo cultum exhibemus in veræ fidei protestationem, & sic Augustinus 10. de Ciuitate Dei docet, [quod Religio non quemlibet, sed Dei cultum significare videtur, & habetur hæc ligatio per fidem in baptismo, quo quilibet Christianus abrenuncians Sathanæ, & omnibus pompis eius, se Deo ligat.

Se-

Secunda ligatio est, quatenùs aliquis ad aliqua charitatis opera se obligat, siue sint vitæ actiuæ, siue contemplatiuæ, quibus specialiter Deo seruitur, abrenuncians secularibus, & hoc modo sumitur Religio in præsenti. Hæc Diuus Thomas. His suppositis.

Assertio nostra est de fide, definita tùm in Concilio Constantiensi sess. 8. vbi specialiter condemnatur error Vviclephi impugnantis Religionem; & in Concilio Tridentino sess. 25. cap. 1. de reformatione; & possunt in eius confirmationem adduci Conciliũ Chalcedonense act. 15. cap. 6. Ancyranum capit. 18. Carthaginense 4. cap. 11. & Toletanum 11. capit. 5. nam illam probant summa encomia, & laudes, quibus hunc statum ad sydera extollunt Sancti Patres, tùm moderni, tùm antiqui ex primitiua Ecclesia, videndi sunt Dionysius Areopagita lib. de Eccles. Hierarchia cap. 6. & in epist. ad Demophilum Monachum, Athanasius in vita Sancti Antonij, Hieronymus in epist. ad Heliodorum, & Rusticum, Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. Chrysostomus lib. 3. contra vituperantes Religionem, Tertullianus in lib. de velandis Virginibus, & in lib. de habitu Virginum, Theodoretus, Ruffinus, Eusebius, Bernardus, Diuus Thomas, Diuus Bonauentura, Albertus Magnus, & alij.

Dices cum Magdeburgensibus centur 1. lib. 1. cap. 10. [Librum illum de Ecclesiastica Hierarchia non esse Diui Dionysij Areopagitæ Pauli Apostoli discipuli, sed alterius Auctoris;] & sequuntur in hac parte Laurentium Vallam, & Erasmum in annotationibus ad cap. 17. Actorum; & idem docet Lutherus, Caluinus, alijque Hæretici, quos nouissimè sequitur Rodulphus Hospinianus, in suo diabolico opere de origine, & processu Monachatus lib. 3. cap. 1. fol. 52. vbi asserit: [Non fuisse Areopagitam Auctorem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, sed alium, qui non fuit antiquior Eusebio, qui vixit Constantini Magni tempore anno Domini 300. hic enim Scriptores, plerosque omnes diligenter prosequitur, & quos libros, ac epistolas singuli ediderint, nominatim indicat, horum verò non meminit, licèt mentionem faciat Dionysij, quod Atheniensis Episcopus fuerit: Similiter (ait ipse) non fuit antiquior Hieronymo, alioquin Hieronymus posuisset eum quoque inter Scriptores Ecclesiasticos, non enim potuisset ignorare Scriptorem, qui antè sua tempora vixisset; & eadem ratione notus etiam fuisset de nomine saltem Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, alijsque Patribus, tam Latinis quàm Græcis, qui antè quintum seculum floruerunt, quibus tam incognitus fuit, vt nullam prorsus eius, & Scriptorum illius mentionem faciant;] quod etiam (impugnando Bellarmini responsionem) inculcat, nam cum dixisset ille: [Patres non citare Dionysij opera, signum esse non floruisse Auctorem hunc eorum tempore, & longè ipsis antiquiorem esse;] quam solutionem, inculcando argumentum, negatiuum supra factum, sic illud extollit, [quàm firma autem sit hæc ratio, Lectori iudicandum relinquo; quis enim credibile putet libros ab Areopagita Pauli Apostoli discipulo scriptos de Cœlesti, & Ecclesiastica Hierarchia, de Diuinis Nominibus, deque alijs rebus mirificis, non futuros in summo apud omnes pretio.]

Indè probat alio argumento cronologico, libros ipsos non fuisse Dionysij: [Citantur enim, ait, in ijs Ignatij epistolæ, quas scriptas fuisse post Areopagitæ mortem, nemo demum dubitat; Ioannis Euangelium, eiusque Apocalypsim nominat, quorum editio Dionysij morte aliquot annis recentior fuit; epistolam misit ad Polycarpum, eumque filium salutat; cùm tamen eo tempore necesse est admodum adolescentem fuisse Polycarpum, nam Dionysium narrant historiæ occisum esse in Gallijs anno Domini 96. Polycarpum verò anno 166. quando ætatis suæ annum agebat 86. quando etiam suos Præceptores confitetur istam scientiam ab Apostolis accepisse nonnè satis se Apostolorum discipulum minimè fuisse prodit. Cumque Pontificum, Præsulum, Sacerdotum, Monachorum, Templorum, Chori, &c. mentionem faciat, satis indicat, ex qua officina prodierit illa historia, hæc enim nomina temporibus Apostolicis ignota fuerunt. Postremò ipsa dictio, formaque orationis noua, arguta, obscura, & affectata, istum Dionysium non esse Areopagitam, atque Apostolicum clamat,] hæc Hospinianus. Sunt, & alia argumenta, quibus alij conantur infringere istam auctoritatem Dionysij, puta quod in illo libro falsitas continetur turpissima, & tanto Auctore prorsus indigna, scilicet nomen amoris diuiniùs esse, quàm nomen dilectionis, quod quidem falsissimum est, quod vocat sæpiùs Auctor ille Timotheum filium suum, quod certè absurdum est Dionysium vocasse Episcopum, sibi ætate ferè æqualem, Christiana verò Religione, & sacro Principatu antiquiorem, filium, quod nomen solum digniores, & seniores alijs tribuunt. Denique, alijs omissis, Auctor libri de Cœlesti Hierarchia, ait cap. vltim. suos Præceptores de baptismate paruulis conferendo, ab antiqua traditione edoctos, ergo non est vir Apostolorum tempore viuens; quapropter cùm Hæretici Seueriani Dionysij Areopagitæ verba protulissent, Hipatius Ephesinus Episcopus qui Catholicæ veritatis partes agebat, aduersùs illos ea falsò Dionysio Areopagitæ imposuisse, clamauit.

Sed contra hanc Hæreticorum elusionē insurgo, eosque libros germanum fœtum Areopagitæ esse, non solùm ex vndecim seculorum possessione probo, nec Sanctorum Patrum diuisim tantùm auctoritate confirmo, qui libros illos Areopagitæ tribuerunt, cùm eam, quam sectamur sententiam tenuerint omnes Sedes Patriarchicæ, Alexandriæ Cyrus, Antiochiæ Macarius, Constantinopoli Sergius, & Hierosolymis Sofronius, & quod magis est Romæ vniuersalis Ecclesiæ Pontifex Sanctus Martinus, sed etiam à tota Ecclesia in 6. Synodo œcumenica congregata, vbi receptum est actione 8. testimonium ex lib. Sancti Dionysij de Diuinis nominibus, ac viginti Doctores sanctissimos, ac doctissimos, qui auctoritate horum librorum vsi sunt, affert noster Natalis ab Alexãdro, vndè sacra facultas Parisiensis censorio decreto dictum illud temerariũ Erasmi ex eius præfatione ad paraphrasim in epist. 1. S. Pauli ad Corinth. exceptum; in

quo Dionysium non fuisse Auctorem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, post diuturnam, ac maturam discussionem die 17. Decembris 1527. hac censura confixit: [Non verè eruditis, sed temerarijs, & nouitatum studiosis videtur, non esse Dionysium Areopagitam, qui libros Ecclesiasticæ Hierarchiæ conscripserit, ex quo postea Laurentius Valla, & Gulielmus Grocinus Anglus temerariam hanc sententiam hauserunt,] quo supposito, respondeo ad obiectiones adductas.

Ad primum ergo argumentum negatiuum respondeo (relictis alijs solutionibus) quod Doctoribus, qui quatuor primis seculis floruerunt, S. Dionysij Areopagitæ scripta non innotuerunt, & ratio est illa, quam Sanctus Maximus, vel alius, qui Auctor est prologi in opera Sancti Dionysij assignat his verbis: [Sciendum, aliquos profanorum Philosophorum, & maximè Proclum, sæpè vsum speculationibus Beati Dionysij, immò ipsis etiam nudis dictionibus, vndè ex hoc suspicari licet, antiquiores Athenis Philosophos huius opera sibi vendicantes, sicut in præsenti libro admonet, occultasse, vt ipsi diuinorum eius librorum Auctores, ac Patres viderentur, & Dei dispensatione nunc præsens opus demonstratum est.] Et ex hoc patet, cur Eusebius, Hieronymus, Augustinus, & alij Patres horum operum non meminerint, quia scilicet eorum tempore latebant.

Nec Bellarminus ex hoc argumēto sumpsit illos Doctores non citasse Dionysium, quia antiquior illis erat, sed solùm ad probandum quemcumque Dionysium, siue Areopagitam, siue alium fuisse Auctorem illorum librorum; antiquiorem fuisse his Sanctis Patribus, quod ipse ex eodem Valla probat, affirmante plurimos viros doctissimos sensisse, hęc opera non esse quidem Dionysij, sed tamen Auctoris ferè æquè antiqui, nimirum Apollinaris Hierapolitæ, qui floruit anno Domini 174. vndè concludit: [Hoc autem etsi non est verum, tamen nobis sufficit ad asserendam antiquitatem Monastices;] non est ergo irridenda solutio huius doctissimi Cardinalis.

Ad aliud argumentum cronologicum respondeo, vel quod libros suos Dionysius conscripserit post Diui Ignatij mortem, vel quod saltem opera sua recensuit, & vltimam imposuit manum post martyrium Ignatij, Dionysius enim sine dubio fuit Ignatio superstes, nam Sanctus Ignatius obijt Traiano, Dionysius verò Adriano imperante, vt testes sunt [Suidas, Martyrologium Romanum, Beda, Ado, Norchaerus in suis Martyrologijs ad diem 3. Octobris, ac denique Martyrologium vetutissimum à Rosuueido editum.] Vel dicendum testimonium illud ex sancti Ignatij epist. ad Romanos excerptum, non à Sancto Dionysio insertum, sed ab aliquo Sciolo assumptum fuisse, quod patet meo videri firmissima hac coniectura, relictis alijs, sumpserat ibi probandum Diuinus Dionysius ex vtroque testamento nomen amoris castum esse, ac Sanctum, ac proindè meritò Deo tribuendum, ergo recta ratio scribendi, & ordo sermonis postulabat, vt primò ex veteri, deindè ex nouo testamento testimonia proferret ad id probandum, deindè Præceptoris sui Hierothei, ac denique Ignatij, & aliorum, si essent, auctoritate, suam assertionem confirmare, & non inter duas Scripturæ sacræ auctoritates, humanum testimonium proponere; atqui Ignatij verba interiecta sunt inter noui, & veteris testamenti auctoritates, & si verba Ignatij expunxeris, textum illum ordinem à nobis positum ad vnguem seruari videbis; ergò illa Ignatij verba, prius annotata fuerunt ad marginem, deindè alicuius opera in textum Dionysij fuerunt intrusa.

Et ex his, ad id, quod de Polycarpo argumentum subiungit, respondetur: Polycarpum, vt ex Hieronymo habetur, fuisse Apostoli Ioannis discipulum, certum est, ac proiudè, quid mirum, potuisse Dionysium epistolam ad eum dirigere, qui fuit Pauli discipulus, etiamsi asseramus fuisse Polycarpo seniorem, & mortuum aliquo tempore antè ipsum, non tantò tamen, vt non potuisset Polycarpo epistolam mittere: mortuus est enim Dionysius annum agens supra centesimum; falsum est autem id, quod Hæreticus iste, non tàm Monachorum maledicus, quàm à Deo maledictus, affirmat, ait enim, Polycarpum, anno centesimo sexagesimo sexto post Christi natiuitatem obijsse ætatis suæ agens ann. 86. quod esse minimè potuit, nam si fuit Ioannis discipulus, quomodo potuit vsque ad annum Domini 166. peruenire; sicut turpiter æquiuocatur, in eo quod addit, Dionysium in suis libris citasse Clementem Alexandrinum, qui vixit circa annos Domini 215. hoc est annis 150. post Dionysij mortem. Non enim de Clemente Alexandrino, sed de Clemente Romano Diui Petri discipulo Dionysius loquitur.

Quod autem Dionysius dicat Præceptores suos istam sententiam ab Apostolis accepisse; non potest ex hoc inferre Hæreticus non fuisse Dionysium Apostolorum discipulum; nam ipse non solùm Paulum, vt suum Magistrum, immò & in fide Parentem, sed etiam, & Hierotheum, & alios Apostolorum discipulos, tanquam Magistros veneratur, & de his dicit: [Scientiam illam ab Apostolis accepisse, &c.]

Ad Vltimum autem, quod tam admirabili stupore afficit Hospinianum, quod scilicet in lib. de Eccles. Hierarchia, vbi Pontificum, Præsulum, Sacerdotum, & Monachorum mentionem facit, quæ nomina temporibus Apostolicis ignota fuerunt, mentitur Hęreticus in caput suum, & mittens pro nunc historiam Ifigeniæ, quæ licèt ab Hospiniano, tamquam apocripha negetur, ab Ecclesia Catholica, tamquam veridica historia in Lectionibus Officij Apostoli Matthæi admittitur, non poterit mihi negare Hospinianus temporibus Apostolorum extitisse Monachos, non quidem à societate penitus aliorum auulsos, sed tales, quales in suo libro describit Dionysius, qui scilicet pars populi essent, & illustrior tamen portio gregis Christi, qui inter laicos describerentur, & degerent, quamuis in supremo ordine perficiendorum, qui non tantùm subessent Episcopis, verùm etiam Sacerdotibus, vel priuatim in suis ædibus, vel simul in collegijs vitam ducerent singularem, à curis terrenis expeditam, vnique Deo mancipatam, quibus denique in sacra Sinaxi primus inter laicos locus & ordini Ecclesiastico proximus, assignatus esset,

esset, vt ex eius epistola ad Demophilum colligitur, denique si alij testes deficerent, nobis sufficerent, & Hieronymus, & Philo disertissimus Iudęorum, qui sub Marco Euangelista, Alexandriæ videns primam Ecclesiam fundatam, in qua in cōmuni Christiani viuebant, & hos ipse Therapeutas, seu cultores dicebat, & hi sunt nunc Monachi, vt narrat Eusebius lib. 2. Histor. Eccles. cap. 16. Vndè Sanctus Marcus Pater Monachorum in nouo testamento à Diuo Hieronymo, & alijs communiter nuncupatur.

Nec valet dicere cum Valerij sententia in notis ad historiam Ecclesiasticam Eusebij Therapeutas, quorum mores, ac viuendi normam describit Philo, non solùm non fuisse Monachos, sed nec Christianos, tùm quia ipse refert se euoluisse aliquos libros antiquos illius Sectæ, ac Religionis, quod de Christianis, ac Monachis à Marco institutis dici non poterat, cùm nulli tunc de Christiana Religione essent libri conscripti: tùm quia, & Hymnis; Deo cecinisse Therapeutas testetur, & bis quotidie, mane scilicet, & sub vesperam ipsos precari, cum tamen Christiani, nec Hymnos canebant, qui post quartum seculum in Ecclesia cani cœperunt, & non solùm mane, & vespere, sed alijs diei, horis tertia scilicet, sexta, & nona, preces fundebant; tùm quia librum illum Philo conscripsit, antequam Romam veniret suæ gentis legatus Caio Caligulæ Imperatori, quando sanctus Marcus nondum Alexandriam profectus erat, tùm denique, quia quod de viris dicit, etiam fœminis tribuit, simulque mansisse scribit, quod Christianis Monachis non est concessum.

Verùm satis friuolæ istæ rationes sunt, vt contra Hieronymum, & Eusebium, cum Valesio sentiamus. Ad primum ergo respondeo, libros, quos Philo scribit legisse, & in præfatorum Therapeutarum manibus continuò versari, Euangelium à Sancto Matthæo, & ab ipso Sancto Marco compositum, & aliquas Apostolorum epistolas fuisse. Ad secundum mentitur Valesius, Hymnos non fuisse in vsu apud primos Christianos, non quidem illos, quos modò canimus in officio diuino, sed prout significant laudes diuinas. Eius mendacium relictis alijs testimonijs clarè apparet ex Apost. ad Eph. 5. ibi; [Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, & canticis spiritualibus cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.] Mane autem, & vespere, non autem alias horas Philo adnotauit, tamquam præcipua tempora orationis. Ad aliud dico; gratis asseri librum scripsisse, antequam ad Caligulam proficisceretur, immò potiùs cōtrarium reperitur apud Eusebium lib. 2. hist. Eccl. cap. 17. & sanctum Hieronymum in catalog. script. Ecclesiast. vterque enim affirmat non solùm, Philonem librum de vita contemplatiua Caio non dedicasse, quin potiùs librum contra impium illum Imperatorem conscripsisse. Denique Religiosas fœminas non cum Therapeutis, sed seorsim in sacris Monasterijs habitasse, immò & Dominica die, in qua conueniebant in Ecclesiam mulieres, locum interpositis parietibus à solo tribus, quatuorque cubitis tantùm surgentibus à loco virorum fuisse sciunctum, Philo ipse loco citato testatur; non est ergo cur Terapeutas, de quibus Philo scripsit Christianos; & Monachos fuisse negamus; vnde sic intelligunt locum istum Hieronymus, Eusebius locis supracitatis, Sanctus Epiphanius hæres. 29. num. 5. Cassianus lib. 2. de cœnobiorum institutis cap. 5. Venerabilis Beda in prologo commentariorum in Euangelium Marci, alijque quamplures.

Deindè respondetur ad illud de stylo, qui diuersus est à stylo Apostolico, & Sanctorum Patrum primo, & secundo seculo post Christi natiuitatem scribentibus, dico Sanctos Patres antiquos stylum quidem simplicem habuisse, accomodatum tamen dignitati, ac maiestati rerum de quibus agunt, sicut & Apostolus in epistolis ad Romanos, & Hebręos non videtur similis alijs suis epistolis; ita Dionysius libros suos illo sublimi stylo composuit, pro sublimitate argumenti, de quo tractabat, & obscuritas, quæ in eis libris reperitur, vt ait S. Thom. in serm. sancti Dionysij: [Non ex imperitia fecit, sed ex industria, vt sacra, & diuina dogmata ab irrisione infidelium occultaret.

Ad aliud, quod obijciebant, vocasse scilicet Dionysium Timotheum filium suum, respondeo non esse nouum senioribus filiorum nomine iuniores appellare, Timotheus verò esto Episcopus, longè Dionysio iunior erat, vt patet ex illo Pauli in epist. ad Titum: [Nemo adolescentiam tuam contemnat, & ideo poterat ipsum filium appellare:] Confiteantur, ergo Hæretici opera Dionysij, cum consensu tot Patrum, & Doctorum per duodecim, & ampliùs secula recepta.

Deindè probatur nostra conclusio ratione, primò: Cuncta, quæ constituunt statum Religiosum, sunt valdè honesta, & perfecta, ergo prædictus status perfectus est, consequentia patet, non enim ex honestis, & perfectis actibus, potest status imperfectus constitui, & resultare. Antecedens autem probatur, status Religionis quoad suam essentiam consistit in eo, quod homo se tradat Deo ad obseruanda tria principalia consilia, paupertatis scilicet, castitatis, & obedientiæ, ad quæ per vota se obligat, & constituit ex se, & suis, perfectum Deo non solùm sacrificium sed holocaustum, sed cuncta hæc sunt valdè honesta, & perfecta, ergo cuncta, quæ statum Religionis constituunt, sunt valdè honesta, & perfecta.

Secundò probatur conclusio: perfectio hominis consistit in eo, quod Deo inhæreat, faciendo ipsius voluntatem, sed status Religiosus facit, quod homo perfectè Deo inhæreat, exequendo perfectè eius voluntatem, qui non solùm ea, quæ Deus præcipit, sed etiam, quæ consulit, & quasi desiderat, non solùm exequitur, sed etiam per vota se ad exequendum adstringit, sed status Religiosus per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, non solùm se adstringit ad obseruanda præcepta, sed etiam principaliora consilia, ergo.

Tertiò probatur, ille status est valdè perfectus in Ecclesia, qui aliquos Ecclesiæ filios ad perfectionem inducit, & dirigit, sed status Religiosus plures ex membris Ecclesiæ ad

perfectionem inducit, & dirigit, ergo est valdè perfectus. Minor probatur, nam status Religiosus plurimum prodest fidelibus talem statum amplectentibus, nam eos instruit, fouet, & dirigit in exercitio virtutum, vsque ad perfectum, pro quo habet status iste plurima media valdè ad hunc finem conducentia, alijs etiam fidelibus non Religiosis multum iuuat; tum quia Religiosi pro eis orant, tùm etiam, quia illos exemplo virtutum, & verbo prædicationis ad perfectionem excitant, & inducunt. Iuuant etiam filijs Ecclesiæ in potentia, quales sunt infideles, quia Religiosi eorum conuersioni specialiter incumbunt, & eorum prædicatione, ac zelo per orbem terrarum totum fides Catholica ingreditur, & triumphat.

Hinc status iste à Christo Domino institutus, in Ecclesia semper in pretio habitus, in Concilijs commendatus, à Sanctis Patribus laudatus, summum Ecclesiæ splendorem per suos professores, sanctitate, doctrina, miraculorum gloria, prædicatione, zelo perpetuò auctus; plures enim (exceptis Martyribus) status Religiosus dedit Ecclesiæ Sanctos, quàm quilibet alius status, immò vt cum Eminentiss. Bellarmino veriùs dicam: [Exceptis Sacris Martyribus, rari omninò in numerum Sanctorum relati leguntur, qui ex Monasterijs non prodierint.

§. II.

Soluitur primum argumentum Hæreticorum, & firmatur votum paupertatis non solùm esse de re virtuosa, sed etiam de perfecta.

IMpia tam Lutheri, quàm Caluini sententia circa vota Monastica tria docet, primum vota ad colendum Deum non posse fieri, nisi de rebus præceptis, ac proindè vnum solùm dari votum, quod fit in baptismate.

Secundùm, vota de rebus non Præceptis posse quidem fieri, sed non ad colendum Deum, aut satisfaciendum pro peccatis; sed solùm ad negotia huius vitæ feliciter peragenda, periculaque vitanda, vel ad summum ad fugienda peccata, puta (exemplum est Caluini) qui sæpè in vitium ebrietatis incurrit, rectè potest facere votum non bibendi vinum pro determinato tempore, v. g. per triduum, quoties in ebrietatem incidat, & hoc modo inuitus fatetur tandem, Apostolorum tempore viduas quasdam votum continentiæ emisisse; vt expeditiùs munere fungerentur Diaconissatum.

Tertiò dicunt, vota Monachorum esse impia, irrita, & omninò vitanda, vtpotè quæ fiunt cum opinione cultus, & tamen de rebus numquam præceptis, hæc habent Lutherus in libro contra vota Monachorum, Caluin. lib. 4. institut. cap. 13. Confessio Augustana art. 27. & confessio Witembergensis capitulo de votis Monasticis. Nos relictis duobus primis dictis alio loco disputandis, solùm tertium discutiemus, vtpotè nostræ conclusioni contrarium, & in hoc §. de paupertate agemus.

Arguunt ergo Hæretici primò contra nostram conclusionem: votum paupertatis est votum omninò imperfectum, ergo reddit statum Monasticum, quem constituit, imperfectum. Antecedens probatur primò à Desiderio Longobardo citato à Castro lib. 12. tit. Paupertas, qui tempore Alexandri Papæ IV. docebat esse illicitam, & noxiam paupertatem voluntariam, quem sequutus est Gulielmus de sancto amore in tractatu contra Monachos Mendicantes, vbi licèt dicat esse licitam paupertatem habitualem, qua quis animi promptitudine paratus est relinquere omnia pro Christo, non tamen actualem, per quam aliquis renunciat omnibus, quæ possidet, ad vacandum liberiùs Deo, & probabant sic. Non potest esse materia voti id, quod vt malum in sacris literis vituperatur, & reprehenditur, sed paupertas est huiusmodi; ergo non potest esse materia voti. Minor, in qua est difficultas, probatur, tùm ex illo Ecclesiast. 17: [Propter inopiam multi deliquerunt:] Ergo inopia reprehenditur, tamquam causa malorum in sacris literis; tùm ex illo Prouerb. 30. [Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi;] & assignat causam: [Ne, ait, satiatus illiciar ad negandum, aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei;] ergo, quod supra. Tùm denique, nàm, vt dicitur Threnorum 4. [Meliùs fuit occisis gladio, quàm interfectis fame;] sed si aliquis se exponeret gladio, voluntariè, peccaret, ergo magis peccat, qui se exponeret fami, sed hoc facere videntur vouentes paupertatem, omnia relinquendo, & nihil sibi reseruando, ergo & quod priùs.

Secundò probant principale antecedens Doctores Vvitembergenses cum suo Ioanne Brentio in confessione cap. de votis Monast. aut ille, qui vouet, est pauper conditione, aut diues, si est pauper, nil habet, quod voueat se relicturum, aut daturum, sed debet ferre patienter crucem sibi à Domino impositam, & si hanc patientiam vouet, idem facit, ac si aliquis infirmus voueret se ægrotaturum, quod est furor, non pietas, si autem est diues, aut vouet ponere omnia in communi, & sic nihil aliud agit, quàm prouidere sibi de certiori, & copiosiori victu, quod non est amare, sed fugere paupertatem, vel vouet dare omnia pauperibus propter maius meritum, & viuere deinceps ex eleemosynis, & si hoc faciat, peccat contra fidem, & charitatem, quia credit suis proprijs operibus mereri, cùm à solo Christo, qui est mediator Dei, & hominum, nobis omnia mereantur, & contra charitatem, quia sine necessitate médicatione molesti sumus proximo nostro, & iniustè alijs pauperibus eleemosynas auferimus, ergo à primo ad vltimum votum paupertatis iniustum est, & iniquum.

Denique sic arguunt alij Hæretici, quos adducit, & sequitur Hospinianus: [Si votum Paupertatis esset perfectum, quomodò contra proprias Regulas Dominicani, Franciscani, Iesuitæ, &c. mendicantes conantur probare non teneri Monachos ad laborem manuum, & li-

& licere Monachis viuere ex bonis patrimonialibus in communi, nonnè hoc pugnat cum prima institutione Ordinis Prædicatorum, nàm Dominicus ordinauit in Capitulo Bononiensi à se in perpetuùm omnes terras, ac possessiones abijcere,] teste Antonino tit. 23. cap. 4. §. 3. Pugnat etiam cum Francisci mandatis, qui cap. 4. Regulæ prohibuit ne vel pecunias per se, aut per interpositam personam accipiant; & cap. 6. ne Fratres aliquid sibi approprient, vel domum, vel locum, vel aliquam rem, sed tamquam Peregrini, vel aduenæ petant eleemosynas.

Nec valet recurrere ad dispensationem Pontificum, quam nos, & non recipimus, ait Hospinianus, & ipse Innocentius III. Pontifex Maximus cap. cùm ad Monasterium, negat, vel penès ipsum Romanum Episcopum potestatem esse dispensandi cum voto continentiæ, obedientiæ, & paupertatis, & mirum sanè est (concludit Hæreticus) cum in duobus substantialibus vti vocant votis dispensationem, & relaxationem Pontificis libentèr admittant, in tertio autem cœlibatu nimirum, seu continentia cur prorsùs respuant, cùm tamen verbum Dei cœlibatum omnibus liberum relinquat, & ad eum neminem adstringat.

Respondeo, quod votum Paupertatis omninò perfectum est, & ad perfectionem Euangelicam pertinet, non solùm de paupertate habituali, sed etiam actuali consistente in abiectione rerum temporalium, quod probari potest, tùm primò ex illo Matthæi 19. [Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus;] sed ille, qui vendit omnia, & dat pauperibus, non solùm habitualem, sed etiam actualem paupertatem eligit; ergo non solùm habitualis, sed etiam actualis paupertas ad Euangelicam perfectionem spectat. Secundò idem probo cum Diuo Thoma opusc. contra impugnantes Religionem cap. 6. perfectio Euangelica consistit in imitatione virtutum Christi, sed Christus Dominus non solùm habitualiter, & voluntariè fuit pauper, sed etiam actualiter; vndè Lucæ 9. dixit: [Vulpes foueas habent, &c.] vbi Gloss. [Ego sum, inquit, tantæ paupertatis, vt nec hospitium quidem habeam, nec meo vtar tecto.] Similiter paupertatem ità adamauit, vt Apostolos suos voluerit esse pauperes habitualiter, & actualiter, voluntatè, & in re; vndè Petrus dicebat: [Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te;] immò contestatus est neminem posse esse eius discipulum, hoc est in statu perfectionis, nisi qui renunciat omnibus, quæ possidet; vbi Gloss. [hoc distat, ait, inter renunciare omnibus, & relinquere omnia, quia ità licitè vtuntur omnibus, quæ possident, vt tamen mente tendant ad æterna, quod est renunciare, & hoc conuenit omnibus. Relinquere est tantùm perfectorum, qui omnia temporalia postponunt, & solis æternis inhiant;] ergo actualis paupertas, quæ est per votum Religionis, pertinet ad perfectionem Euangelicam.

Tùm etiam, nàm speciale, & excellens præmium non debetur, nisi excellenti merito, sed præmium excellens iudiciariæ potestatis debetur actuali paupertati, iuxtà illud Matthæi 19. [Vos, qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, sedebitis super sedes iudicantes;] ergo in actuali paupertate excellens meritum reperitur, ac proindè perfectio. Tùm denique, relictis pluribus alijs, status contemplationis est status summæ perfectionis; sed ad statum contemplationis maximè conducit paupertas actualis rerum temporalium; ergo paupertas ad statum perfectionis pertinet. Minor probatur ex illo Lucæ 8. vbi explicans Dominus parabolam seminis cadentis in via in lapide, &c. [Diuitias per spinas, ait, significari;] quæ verbum sua sollicitudine suffocant in cordibus auditorum; ergo è contra paupertas maximè conducit, ad hoc, vt verbum in cordibus auditorum receptum sine aliqua sollicitudine per contemplationem foueatur. Hinc Hieronymus in suis epistolis, Augustinus lib. de Ecclesiast. dogmatibus, Ambrosius lib. de officijs, Gregorius in prologo Monachorum, & in homilia 8. parte 2. super Ezech. Chrysostomus in lib. quod nemo læditur, nisi à seipso, Bernardus, alijque sancti Patres paupertatem Euangelicam, & Monasticam summis laudibus extulerunt.

Ad argumentum igitur nego antecedens, ad primam probationem concessa maiori, nego minorem: ad probationem ex sacris literis respondeo cum Diuo Thoma loco supra citato, quod sicut diuitiæ non sunt in culpa, sed diuitiarum abusus, ità mendicitas, seu paupertas non est in culpa, sed paupertatis abusus, in quantùm scilicet aliquis paupertatem inuitus, & impatienter substinet; vndè dicebat Chrysostomus super Matthæum: [Non pauperem esse malum est, sed non velle pauperem esse;] coacta ergo paupertas pericula habet annexa, in quantum dicit desiderium diuitiarum, de quo dicit Apostolus 1. ad Timoth. 6. [qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli;] de hac ergo inuoluntaria paupertate loquuntur adducta testimonia Scripturæ, vndè non faciunt contra votum Religiosum paupertatis, vbi non inuoluntaria, sed voluntaria vouetur paupertas, & ad vltimum testimonium, quantùm ad id, quod addit de periculo exponendi se fami, dico cum eodem Angelico ad 12. [quod ille; qui dimittit omnia propter Christum non se exponit fami, quæ ipsum interimat, quia numquam à Deo ità deseritur, quod fame moriatur, quia à Deo promittitur non derelinqui sperantes in se;] quod non est simile de eo, qui se exponit gladio, & tamen hoc etiam, quod assumit argumentum (ait Diuus Thomas) est falsum, quia posset homo se exponere periculo gladij propter Christum laudabiliter, etiamsi haberet aliud, quod faceret, sicut legitur de multis Martyribus, tempore persecutionis, qui vltrò se offerebant in medium, nomen Christi publicè confitentes.

Ad secundam probationem principalis antecedentis respondeo ad primum membrũ, rectè pauperes posse paupertatem vouere, & multum dat, qui omne, quod habet dat, & quod acquirere potest: [Nàm & hoc (vt ait Augustinus epist. 89. quæst. 4.) nec Apostoli fecerunt, qui priùs diuites non fuerunt;] neque

que est simile votum ægritudinis cum voto paupertatis, quia ægritudo non est consilium Christi, sicut paupertas, non enim dixit si vis perfectus esse, esto ægrotus, immò tenemur, si possumus ægritudinem vitare, ne videamur causa propriæ mortis; at est consilium Christi eligere paupertatem, Matthæi 19. [Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.]

Ad secundum membrum dico quocumque modo sumatur non esse contra perfectionem votum paupertatis, nàm si primo modo, dico, quod ponere omnia in communi est verè, & perfectè amare paupertatem, hanc enim, & non aliam elegerunt primi Christiani, quando vendentes omnia, quæ habebant, in commune ponentes pretium, vt Apostoli distribuerent vnicuique, sicut cuique opus erat, vt dicitur Act. 4. Si autem sumatur alio modo, nempè dare omnia sua pauperibus propter Christum, & viuere postea mendicando, maximam perfectionem paupertatis dicit; & iuxtà Christi consilium, Matthæi 19. [Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.] Ridiculum est autem dicere, hoc esse peccare contra fidem, qua credimus ex hoc meritum adipisci, cùm Christus dicat: [Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis;] nec pugnant merita nostra cum Christi meritis, immò potiùs nostra ex illis promanant, cùm sine Christi meritis nulla sint nostra merita. Nec etiam est contra charitatem mendicare, siquidem mendicantes neminem cogunt dare eleemosynã, immò potiùs occasionem præbent merendi sibi Regnum Cœlorum.

Ad tertiam probationem principalem antecedentis, benè dictum est non pugnare cum capitulis, & ordinationibus nostris habere modò patrimonium in communi, nàm refrigescente charitate multorum, experientia compertum est, carere tali patrimonio in communi, impedire exercitia nostræ professionis, prædicationis scilicèt, & studiorum, propter quod Romani Pontifices, & Concilium Tridentinum, ità nostras Regulas declarauerunt, & votum paupertatis explicauerunt, quod si Hospinianus dicit se Pontificem non cognoscere pro Magistro, & Capite Ecclesiæ, habeat ipse in suam perditionem, & pro capite Diabolum, & pro Magistris recognoscat Pseudo-prophetas, Lutherum, & Caluinum, quia nos gloriamur habere pro Capite inuisibili Christum, & pro visibili Capite, & Magistro Romanum Pontificem legitimum successorem Petri, & Christi Vicarium.

Negamus autem cum Innocentio III. penès ipsum Romanum Pontificem potestatem esse dispensandi in voto solemni, & sic admittenda bona in communi non dispensat in voto paupertatis; sed explicat nostram Regulam obligare hoc modo, vt bona sint in communi, & nullus habeat dominium ipsorum, sicut habent etiam Monachi non mendicantes, qui licèt habeant bona in communi, cùm sint essentialiter Religiosi, habent etiam votum paupertatis, consistens essentialiter in eo, quod non est habere dominium proprium alicuius rei, cui non obstat habere bona communia, quia illorum nemo in particulari dominium possidet, vndè non dispensat Papa Religiosis, sed declarat votum paupertatis, hoc autem non currit in votis continentiæ, & obedientiæ, quæ talem explicationem, vel consimilem non admittunt, vndè sicut circa votum castitatis, & obedientiæ, ità etiam circa votum paupertatis non admittimus in Romano Pontifice potestatem dispensandi.

§. III.

Soluitur secundum argumentum, & monstratur votum obedientiæ ad statum perfectum pertinere.

SEcundò arguitur contra nostram conclusionem ex Luthero in lib. de votis Monast. [Votum obedientiæ est illicitum Christianis;] ergo non potest constituere statum perfectum, ergo si votum obedientiæ constituit statum Religiosum; status Religiosus nullo modo potest esse perfectus. Antecedens probatur à Luthero primò: [Scriptura iubet omnibus hominibus obedire,] ad Philippenses 2. [Superiores inuicem arbitrantes,] & 1. Petri 2. [Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum; ergo vouere obedientiam vni solo, sicut faciunt Monachi suo Prælato, est contra scripturam, & consequenter illicitum Christianis, esset enim idem, ac vouere non velle secundùm sacram Scripturam omnibus obedire, sed vni soli.]

Secundò probatur idem antecedens ex eodem Luthero: [Abbas, seù Superior Monasterij absoluitur à voto obedientiæ, non enim habet, cui obediat, ergo signum est, quod votum obedientiæ non tenet, si enim teneret, non posset saltem sine dispensatione Pontificis absolui Superior ab obedientia.] Tertiò probat idem antecedens Petrus Martyr in commentario ad cap. 7. 1. ad Corinth. vetat Beatus Paulus ne Christiani seruos se faciant; illis verbis, [Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum, sed per votum obedientiæ fiunt Religiosi serui suorum Superiorum, ergo votum obedientiæ est illicitum secundùm Scripturas.] His friuolis argumentis putat se posse à iugo obedientiæ absoluere Apostata iste: at facili negotio concludetur.

Respondeo, votum obedientiæ esse summè perfectum, & rectè à Religiosis voueri, quod probo tùm primò, nam obediẽtia etiam in rebus, quæ à Deo non præcipiuntur, est ipsi gratissima, ergò est votum perfectum, & licitè à Religiosis emissum. Antecedens probatur, tùm primò: homines cupientes vitam communem agere, debent communi consensu eligere sibi aliquem in Præpositum, vt sic cum ordine, & recta ratione viuant, vt ipsa ratio naturalis suadet, non enim possunt habere vnitatem plura membra, nisi sub vno capite: nec plures milites, nisi sub vno Duce; nec plures ciues, nisi sub vno Principe; sed supposito, & constituto Præposito gratum est Deo, vt illi obediatur, iuxtà illud Lucæ 10. [Qui vos audit, me audit,] & ad Hebr. 13. [Obedite Præpositis vestris;] ergo obedientia, etiam in rebus à Deo non præceptis, maxi-

maximè est Deo grata. Tùm secundò nam Hieremiæ 35. [Laudantur, & remunerantur à Deo filij Ionadab, qui vt obedirent patri suo, non bibebant vinum, non serebant agros, nec habebant domos, sed habitabant semper in tentorijs;] ergo gratum est Deo vouere obedientiam, etiam in illis rebus, quæ ipse non præcepit: Dices cum Petro Martyre, filios Ionadab fuisse à Deo præmiatos, quia obtemperarunt præcepto, quo Deus iussit vt parenti obediatur, esto illa, in quibus parenti obediebant, à Deo præcepta non essent.

Sed contra, etiam si filij teneantur obedire parentibus, non tamen tenentur obedire semper, & quantum ad omnia, sic enim non esset verum, quod Paulus dicit ad Galatas 4. [Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit, &c.] nam etiam quando paruulus non esset, si ad totalem illam obedientiam teneretur, non differret à seruo, tenetur ergo ad obediendum Patri in omnibus ad quæ se extendit patria potestas, vt explicat sanctus Thomas 2.2. qu.104.art.5. illa verba ad Colossens. 3. [Filij obedite parentibus super omnia,] sed ad hoc, quod est bibere vinum, serere agros, &c. Non se extendebat patria potestas, ergo ad hoc non tenebantur ex diuino præcepto, vndè Rabanus in comment. huius loci Hieremiæ dicit: [Filios Ionadab plus fecisse, quàm lex diuina præciperet.]

Secundò probatur nostrum assertum consilium perfectionis est sequi Dominum perfectè abnegando seipsum, iuxtà illud Matthæi 16. [Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur Me;] licèt enim abnegare seipsum in præparatione animi, sit præceptum iuxtà id, quod addit Dominus: [Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam;] Consilium tamen est extrà necessitatis articulum abnegare seipsum; sed per votum obedientiæ, hoc consilium Domini exequimur, ergo votum obedientiæ statum perfectum inducit. Minor probatur, perfecta abnegatio sui ipsius non meliùs fit, quàm in omnibus rebus subijciendo iudicium, & propriam voluntatem alterius iudicio, & voluntati propter Deum, sed hoc fit per obedientiam, qua homo submittit omnia sua etiam iudicium, & voluntatem alteri propter Deum; ergo in perfecta obedientia perfecta abnegatio sui ipsius reperitur, quod quidem tunc perfectum est, quando ita per votum firmatur, vt non possit quis retrocedere ab obedientia, ergo votum Monasticum obedientiæ, perfectam abnegationem sui ipsius, ac proindè statum perfectionis inducit: [Quapropter verus, ac perfectus Monachus, (vt eleganter ait Ioannes Cassianus lib. 4. de institutis Monachorum capit. 35.) Similis crucifixo esse debet, sicut enim Cruci affixus non solùm non ambulat, nec facit, quod vult, sed non potest ambulare, aut operari, quod vult, nisi ab alio moueatur, sic perfectus Monachus, & obediens, non solùm non facit id, quod vult, sed nec etiam potest facere, nisi ab obedientia moueatur.]

His adde auctoritates Sanctorum Patrum, qui summis laudibus votum obedientiæ extulerunt in eo maximam perfectionem agnoscentes, sic Augustinus, Gregorius, Hieronymus, Basilius, Bernardus, Benedictus, alijque Sancti Ordinum Fundatores, & Patriarchæ, qui semper suarum regularum fundamentum, & basim posuerunt obedientiæ votum.

Nec valet si dicatur, obedientiam quidem laudasse, & suis præcepisse Sanctos antiquos Patres Monachorum, non autem votum obedientiæ. Non inquam hoc dicas, quia, vt alios mittam, Ioannes Cassianus antiquissimus Pater Monachorum lib.4. de institutis renunciantium cap. 13. voti, & professionis nominatim mentionem facit, & Sanctus Augustinus expressè hoc fatetur in Psalm.75. illis verbis, [Nemo positus in Monasterio frater, dicat recedo de Monasterio, neque enim soli, qui sunt in Monasterio peruenturi sunt ad Regnum Cœlorum, & illi, qui ibi non sunt, non pertinent ad Deum; Respondetur ei, sed tu vouisti, illi non vouerunt.] His ita suppositis.

Ad argumentum factum respondeo, negando antecedens, ad primam probationem dico, neque Apostolum Paulum, neque Petrum nobis præcepisse, vt omnibus obediamus, si enim hoc præciperent, rem impossibilem nobis iuberent, nam duobus contrarijs, contrarias res nobis præcipientibus, vel neutri, vel vni tantùm poterimus obedire. Quando ergo Apostolus Paulus affirmat, superiores inuicem arbitrantes, per ly Superiores non intelligit Principes, ac Præfectos, quibus teneamur obedire, sed meliores nobis, & sanctiores, commendans per hoc nobis virtutem humilitatis, quæ semper iudicat alios se meliores. Apostolus verò Petrus per ly [Omnem humanam creaturam,] intelligit omnem hominem habentem potestatem imperandi; sic enim se explicat statim infrà, dicens, siue Regi, tamquam præexcellenti, siue ducibus, tamquam à Deo missis.

Ad secundam probationem respondeo cum Angelico Præceptore 2. 2. qu.87. art.11. quod ille, qui eligitur in superiorem, habet quidem obligationem voti, licèt non habeat exercitium per accidens, quia deest materia talis voti, vnde si talis Superior ab officio deponatur, vel cesset, tenetur ex voto obedire, etiam si nouum votum non emittat, quod est signum non dispensari, per superioritatem, nec abrogari votum obedientiæ, sed solùm cessare exercitium talis voti.

Ad tertiam probationem respondeo, Apostolum non prohibere seruitutem, quæ hominibus exhibetur, sed ne hominibus propter homines, & non propter Deum exhibeatur, quod expressè exposuit ad Colofs. 3. illis verbis: [Serui obedite per omnia Dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Dominum, quodcumque facitis ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, &c.] vndè à Sanctis Patribus magnis laudibus extollitur facinus S. Paulini Episcopi, qui seipsum vendidit, vt filium viduæ redimeret, quod imitari cupiens meus Patriarcha Dominicus, viduæ flenti vnici filij seruitutem, seipsum obtulit vendendum, vt filium redimeret.

§. IV.

Tertium argumentum soluitur, & Votum Castitatis, & Continentiæ ad perfectionis statum pertinere defenditur.

CAluinus, & Lutherus inter fœdissima carnis vitia volutantes se, ex propria incontinentia aliorum virtutem metientes, affirmabant esse impossibile Virginitatem seruare, quare Caluinus institut. lib. 4. cap. 13. num. 17. sic habet: [Iam quæ votorum species? Virginitatem Deo perpetuam promittunt, quasi cum Deo ante pepigerint, vt se à coniugij necessitate liberaret. Non est, quod causentur se non nisi gratia Dei fretos votum hoc nuncupare. Nam cùm ipse non omnibus dari pronunciet, fiduciam specialis doni concipere, nostrum non est. Qui habent eo, vtantur: si quando se à carne sua inquietari sentiunt, confugiant ad eius opem, cuius sola virtute possunt resistere, si non proficiunt, ne remedium, quod ipsis offertur contemnant, certa enim Dei voce vocantur ad coniugium, quibus continendi facultas denegatur. Continentiam appello, non qua corpus solùm à scortatione purum seruatur, sed qua mens impollutam Castitatem seruat, neque enim externam tantùm lasciuiam, sed animi quoque vstionem caueri, Paulus præcipit.] His & alijs suadere conatur Caluinus, Continentiam, & Castitatem seruare esse impossibile. In eodem sensu loquitur Martinus Lauter, cùm ad tegendam suam impudicitiam, docuit impossibilitatem seruandi votum Continentiæ, quod probant ipsi hoc argumento. Promittere Deo impossibile, est malum, sed vouere Virginitatem, & Continentiam est impossibile seruare; ergo vouere Virginitatem, & Continentiam, est malum. Maior est certa, nam si in humanis contractibus ea tantùm promissa nos obligant, in quibus is, cum quo contrahimus possibile postulat, vt nos habeat obligatos; absurdum est ad ea præstanda nos adigi, quæ à nobis maximè Deus requirit, ergo, &c.

Minor verò probatur in sacris literis imperatur matrimonium ijs, qui stimulum carnis patiuntur, ergo temerarium est vouere perpetuam castitatem, quia nescit homo, quamdiu liber ad huiusmodi stimulis viuat, Antecedens patet tùm ex illo 1. ad Corinth. [qui non se continent nubant, melius est enim nubere, quàm vri, & post pauca, propter fornicationem (ait) vnusquisque suam vxorem habeat, & 1. ad Timotheum 5, volo iuuenes nubere, matrem familias esse filias procreare, &c.

Tùm secundo; [nam æstus carnis, & libidinis (ait Lutherus in Epithalamio) non sunt sicut aliæ tentationes, qui enim tolerat famem: aut sitim, aut alia id genus, non peccat, at æstus libidinis sinè peccato esse non potest, cùm omnis motus concupiscentiæ sit prohibitus, ergo ad fugiendum hoc libidinis æstus recurrendum est ad matrimonium, aliàs laqueum sibi ipsis inijciunt,] vt dicebat Paulus ad Corint. 7. ex quo infert Lutherus D. Hieronymum grauiter peccasse cum coniugium non inierit, quando, vt ipse in epist. 22. ad Eustochium narrat, grauissimis, & diuturnis ardoribus carnis vexatus erat fuisse, immò ipsum accusat hæresis Pelagianæ, quia videlicet ita se gessit, quasi proprijs viribus, sinè dono Dei potuisset vincere, tam arduas tentationes.

Tertiò probat idem antecedens Hospinianus de origine Monachatus lib. 3. errore 4 nam damnatur in Gangrensi synodo celebrata anno 324. Canon. 9. si quis virginitatem custodiat, aut in continentia degat, velut abhorrens nuptias, se cedat, ac solus agat, & canon. 10. eiusdem synodi anathemate feriuntur illi; qui virginitatem seruantes ob Dominum, superbiunt, ac se supra coniuges extollunt, [ergo (ait ipse) Monachi, qui ita superbiunt per votum continentiæ, & castitatis; anathematizari debent, & expelli ab Ecclesia.

Sinè dubio statum continentiæ, & castitatis statum esse perfectum, nec ab eisdem Hæreticis voluptuosæ libertatis sectatoribus negari potest, non enim ad imperfectionem sicut in alijs votis, recurrerunt, sed ad impossibilitatem seruandi tale votum, quomodo enim poterant imperfectum dicere, quod in sua Genitrice Christus elegit, & non Virgo, vt cumque, sed Virgo Anima, & Corpore per votum virginitatis Deo consecrata, qua ratione Angelo nunciantiVerbi Incarnationem respondit Lucæ 1. [Quomodo fiat istud, quoniam virum non cognosco, vndè Sancti Patres Gregorius Nissenus in oratione Natiuitatis Domini. Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 4. Anselmus lib. de excellentia Virginis cap. 4. Bernardus sermone 4. super missus est, Rupertus lib. 3. in cantica] inferunt, Beatam Virginem votum virginitatis primum Deo vouisse, & hoc ex illo loco colligunt, vt ait Bernardus in sermone, signum magnum in libertate spiritus legis Mosaicæ decreta transcendens illibatam Deo corporis simul, & spiritus sanctimoniam vouit,] probat enim hoc propositi inuiolabile fundamentum, quod tam constanter promittenti filium Angelo, respondit; [Quomodo fiat istud, quoniam virum non cognosco.] His accedit consensus omnium Theologorum cum Magistro in 4. distin. 30. ergo votum continentiæ ad statum perfectionis conducit.

Horrent mihi solutiones impij Caluini, qui in hac parte tres solutiones adhibuit, duas primas satis impias, tertiam insensatam, respondit enim primo [in commentario huius loci, his verbis; videtur Sancta Virgo non minùs maliguè restringereDei potentiam, quàm priùs Zaccharias, quod enim præter communem naturæ ordinem est, impossibile esse colligit, sic enim ratiocinatur: virum non cognosco, cur credam igitur futurum, quod nuncias, nec verò magnoperè laborandum est vt eam purgemus ab omni vitio.] Hæc infamissimus Hæreticus iste.

Secundò respondet accusando Patres, qui votum virginitatis ex his verbis colligere præsumunt. [quod autem, ait, ex hoc loco occasionem quidem sumpserunt, vt dicerent

Virginem habuisse votum perpetuæ virginitatis, quod alioquin supervacanea fuisset ista responsio, nimis infirmum est, immò absurdum, & ridiculum, existimabimus ne Virginem passam fuisse marito se collocari, vt eum luderet; fuisset profectò perfidia graui reprehensione, digna si Sanctum coniugij fœdus, non sinè Dei ludibrio spreuisset.

Tertiò denique respondet Caluinus. Soluendum, ait, esto obiectum, quod Virgo in futurum tempus respiciat, ideoque significet nullam fidei fore cohabitationem cum viro, hæc verò coniectura, & probabilis est, & simplex, quod rei magnitudo, vel potiùs Maiestas Virginem percusserit, vt sensus omnes admiratione ligatos haberet, ac constrictos, cum audit nasciturum esse Dei filium, aliquid non vulgare concipit, atque hæc ratio est, cur coitum virilem excludat. Hinc attonita exclamat, quomodo fiet istud. Ille.

Nulla tamen ex his solutionibus nostrã rationem infringit, non prima satis impia, nam ly quomodo fiet istud, Sancti Patres à nobis supra enumerati, & præsertim Ambrosius, Bernardus, & Beda, monent non fuisse dubitantis. sed quærentis addiscere, quomodo res illa futura erat, quæ cum ipsius voto videbatur pugnare, ergo non restringit, vt impiè vult Caluinus, sed potiùs quærit modum exequendæ potentiæ. Tùm secundò, Zaccharias ob incredulitatem fuit ab Angelo non solùm reprehensus, sed castigatus, amissa loquela, ergo si æquè; ac Zaccharias, Virgo gloriosissima; malignè, vt blasphemat Caluinus, potentiam Dei restrinxisset, quomodo gratia plena ab Angelo nunciaretur, quomodo loco pœnæ, Spiritus superueniens promitteretur, & virtus obumbrantis Altissimi? Blasphemat ergo Caluinus nec Dei potentiam malignè restrinxit Sacratissima Virgo.

Contra secundam solutionem obstat, tùm quia dato, & non admisso id, quod ab omni schola Theologorum, & Sanctis Patribus negatur, Beatam Virginem cum Iosepho matrimonium contraxisse animo eum consumandi, vt communiter Hæretici cum Caluino in cap. 1. Lucæ. Bucero, & Beza in cap. 1. Matthæi, ac Centuriatoribus cent. 1. cap. 10. affirmant, adhuc tamen non sequitur, quod illa verba protulerit, quando non habebat votum virginitatis, potuit enim votum emittere post dispensationem, & tamen ante salutationem, vt docet Diuus Thomas 3. par. qu. 18. art. 4. & sic primò sunt celebratæ nuptiæ, deindè antequam ad consummationem matrimonij peruenirent, Beata Virgo sic, Spiritu Sancto edocta, consentiente: immò simul cum eo vouente Iosepho, votum virginitatis emiserit, ac denique fuit ab Angelo salutata, & tunc scire cupiens, quomodo hoc mysterium foret exequendum, Beata Virgo non dubitando, sed quærendo, dixit: Quomodo fiet istud, ergo nulla est temeraria solutio Caluini.

Nec etiam verum est, sed falsissimum, intemeratam Virginem vnquam habuisse explicitum animum consummandi matrimonium, esto enim, vt communiter docent Theologi cum Diuo Thoma 3. par. qu. 29. art. 2. Inter Beatam Virginem, & Sanctissimum Patriarcham Ioseph, fuerit verum matrimonium, vt habetur ex sacris literis Matthæi 1. illis verbis: [Ioseph. fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniux autem vocatur (ait Augustinus lib. 1. de nuptijs, & concupiscientia cap. 11.) ex prima fide desponsationis, quam ipse vocat viuculum coniugale, & fidele coniugium,] non indè sequitur intemeratam Virginem in copulam coniugalem vnquam consensisse, hæc enim, vt declarauit Concil. Constantiense, non est de essentia matrimonij, vt volebat Vicleph, essentia enim matrimonij in illo vinculo consistit formaliter perpetuo, & indissolubili, ratione cuius vnus alteri fidem seruare tenetur, quod totum absque copula carnali haberi potest, & dici potest copula coniugalis, habuit ergo Beata Virgo votum virginitatis antè matrimonium, non absolutum, sed conditionatum, nisi Deus aliter ordinaret, quod explicat Sanctus Doctor hac aurea doctrina in 4. distin. 30. qu. 2. art. 1. in corpore, vbi habet: Respondeo dicendum, quod in Beata Virgine debuit apparere omne illud, quod perfectionis fuit. Virginitas autem, quamuis in se optima, tamen pro tempore illo, ei matrimonium præferebatur propter expectationem benedicti seminis per viam generationis venturi, & ideo Beata Virgo vouit virginitatem, tamquam optimum, & sibi acceptissimum, non tamen simpliciter, sed sub conditione honestissima hac scilicet: Nisi Deus aliter ordinaret, nec istam conditionem apposuit, vt dubitaret, an vellet Virgo permanere, sed an deberet, & & hoc est, quod Augustinus in litera dicit, [quod proposuit se perseueraturam Virginem nisi Deus aliter ordinaret,] de quo Diuus Thomas assignat pulcherrimam congruentiam ad primum, vbi ait; [Beata Virgo fuit confinium veteris, & nouæ legis, sicut Aurora diei, & noctis, & ideò votum eius sapuit nouam legem, in quantùm virginitatem vouit, & veterem in quantùm conditionem apposuit.] Non ergo lusit, vel illusit, vt blasphemat Caluinus, matrimonium Beatissima Virgo, seù virum suum sic contrahendo nam esto per matrimonium dederit potestatem viro suo in suum corpus: tamen poterat post votum in matrimonium verè consentire quia ex diuina reuelatione cognouerat nunquam Sanctum Ioseph id expetiturum, quod docet Sanctus Thomas loco cit. quæst. 2. ad 1. illis verbis: [Votum autem Beatæ Virginis non fuit solemne, sed simplex, non absolutum, sed sub conditione, vt in litera patet, & ideò potuit sinè peccato ex speciali Spiritus Sancti consilio, cuius dispositio conditionaliter in suo voto cadebat, in matrimonio consentire.

Nec tertia solutio aliquid valet? nam præterquamquod sola coniectura, vt ipse fatetur Caluinus, nititur, quæ non potest obstare auctoritati omnium Theologorum, & Sanctorum Patrum, falsum est, quod Virgo tunc conceperit se futuram Matrem Messiæ, de qua scriptum erat: Ecce concipiet, nec ipsa, quæ humillima erat, poterat hoc præsumere, ergo quando petit, quomodo fiet istud, de modo generationis inquirit; an

Cccc fine

finè virili copula, an media illa, vndè Angelus respondens ad id, quod Virgo quæsierat, nihil aliud dixit nisi illam finè viri opera, sola Spiritus Sancti virtute concepturam & parituram.

Quod si cum Petro Martyre in lib. de cœlibatu, & votis coneris soluere: dicens, prudens sanè Virginis interrogatio fuit, quia si conceptus, & partus, qui ei prædicebatur ordinaria, vsitataque ratione futurus esset dixit hoc obstare, quod viro nondum admisceretur, si verò extra ordinem, hoc est supra naturam, de modo cupit edoceri, contra arguitur, nam stultissima esset interrogatio si naturali, & ordinaria via conceptus erat futurus, hoc obstare, quod nondum viro admisceretur, non enim promittebatur conceptus præsens, aut præteritus, sed futurus, ait enim: Ecce concipies, & paries, sed ad futurum conceptum non requirebatur, vt virum cognosceret, aut cognouisset, sed vt cognoscere posset, ac in futurum voluisset, ergo ex interrogatione Virginis, rectissimè à Patribus, & Theologis votum perpetuæ continentiæ colligitur.

Secundò probatur ex illo Matthæi 19. vbi Dominus dicit esse Eunuchos, qui se castrauerunt propter Regnum Cœlorum, & addit, qui potest capere, capiat, vbi loquutum fuisse Dominum de voto castitatis, patet ex ipsa metaphora eunuchi, non enim est eunuchus ille, qui se continet, sed ille, qui non potest non continere, quod ad votum pertinet, non ad solum propositum continendi; tùm etiam, nam Dominus, dicit, qui se castrauerunt; ergo loquitur non de his, qui cœlibes viuunt finè voto; de istis enim diceret, qui se castrant, sed qui se castrauerunt, significat eos, qui vnica voluntaria actione amputarunt sibi omnem facultatem contrahendi nuptias, quod fit per votum, quæ explicatio desumitur ex Epiphanio hæres. 58. Valesior. illis verbis: [Quinam hi fuerint, qui se castrauerunt propter Regnum Cœlorum, quam generosi Apostoli, ac Monasticam vitam degentes, & deinceps Virgines. Et S. Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 3. Quisquis seipsum castrauerit (ait) propter Regnum Cœlorum, & in corde suo continentiam Deo vouerit. Et idem docent Hieronymus in commentarijs huius loci, & Augustinus lib. de Sancta virginitate cap. 30.]

Tertiò id asseritur ex illo 1. ad Timot. 5. [Adolescentiores viduas deuita: cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, vbi Apostoli per ly fidem irritam,] votum continentiæ non seruatum, tam Theologi, quàm veteres Patres intellexerunt, & Concilium Carthaginens. 4. canon. 104. ita exposuit: [Si quæ viduæ, quantumlibet in minoribus annis positæ, se deuouerunt Domino, & veste laicali abiecta sub testimonio Episcopi, & Ecclesiæ Religioso habitu apparuerint, postea verò ad nuptias seculares transierint, secundùm Apostolum, damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam Domino vouerunt, irritam facere ausæ sunt,] quæ interpretatio habetur ex Concil. Toletan. 4. cap. 55.

Dices cum Luthero in lib. de votis Monasticis, per primam fidem non posse intelligi votum, sed fidem Christianam, quam perdiderunt illæ viduæ, vt faciliùs nubere eis liceret, transeuntes ad Iudaismum, vel Paganismum, quod probat, tùm quia numquam in sacris literis reperitur votum appellatum sub nomine fidei; tùm etiam, nam de illis viduis Apostolus dicit abijsse retro post Sathanam, & eas luxuriatas esse aduersùs Christum, sed abire post Sathanam, & luxuriari post Christum, nil videtur significare aliud, quàm apostasiam à fide Christi, ergo de his loquutus est Apostolus.

Contra enim arguitur, nulla erat prohibitio, sicut modò nec est, vt viduæ non transirent ad secundas nuptias, immò hoc & Apostolus clarissimè, & apertissimè permisit 1. ad Corinth. 7. dicens: [Soluta est à lege viri, non peccabit si fuerit cum alio viro, &c.] ergo nullum est fundamentum dicendi, illas viduas, vt possent faciliùs nubere, transijsse apostatando ad Iudaismum, vel Paganismum.

Nec rationes adductæ à Luthero aliquid probant, nam esto ly fides non reperiatur in Scripturis significare explicitè ly votum, significat tamen fidelitatem promissionis, quod implicitè votum includit, quod patet ex illo ad Romanos 3. [Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit,] vbi ly fides sumitur pro pacto, vel infallibili promissione Dei.

Nec etiam valet secunda ratio, nam abire post Sathanam, sicut de luxuriari in Christo, non significat semper, nec solùm apostasiam, sed omne peccatum mortale, quod committebant illæ viduæ contra votum castitatis emissum, ergo non sumitur ibi fides pro fide Christiana, sed pro fidelitate promissionis, quæ in voto reperiri debet.

Videtur etiam nostram veritatem fuisse definitam in Concil. Anglicano canon. 18. in Chalcedonensi generali canon. 16. in Concil. Tolonensi 2. cap. 16. in Concil. Moguntinensi tempore Arnulphi Imperatoris cap. vltimo: in Coloniensi sub Carolo Crasso dec. 6. ac denique in Concilio Romano sub Syluestro 1. canon. 10.

Mitto auctoritates Pontificum, quia hostes, contra quos pugnamus, eas non recipiunt mitto testimonia Sanctorum Patrum, quæ paruipendunt, quando contra ipsos loquuntur, & hanc veritatem ratione tantùm confirmo.

Primò, id omne est recta materia voti, quod est gratius Deo, si fiat, quàm si non fiat, sed continentia est magis grata Deo, quàm coniugium, & finè dubio, quàm fornicatio; ergo potest Deo voueri continentia.

Secundò, continentia est magis grata Deo ex voto, quàm finè voto, sed ipsa continentia est grata Deo; ergo magis est grata cum voto. Maior patet, tùm quia ad id hortatur scriptura psalm. 75. vouete, & reddite, supra quem locum videndus est Augustinus. Tum secundò, illud opus est melius, ac Deo gratius, quod ex maiori virtute procedit, & maiore charitate fit, sed contineri finè voto est actus solius temperantiæ, contineri ex voto est actus simul temperantiæ, & Religionis, & fit

fit ex maiori charitate, quàm qui continent finè voto; ergo, & cætera.

Ad argumentum ergo respondeo, concessa maiori, negando minorem, quomodo enim impossibilis est continentia, quando (vt ait Ambrosius) agrum hunc Ecclesiæ fertilem cerno integritatis flore vernantem? quomodo impossibilis continentia, quæ facillimo ductu tot animas ad Cœlos leuauit, de quibus dicitur: [Hi sequuntur Agnum, quòcumque ierit, virgines enim sunt?] ergo, quod vitium tuum, infelix Caluine, voluntarijs, & nefandis actibus in habitum, & naturam conuersum, difficilè mobilem experiris, tuæ culpæ da, non impotentiæ virtutis: non nego pugnam esse, & acerrimam pugnam sentire aliam legem in membris repugnantem legi castæ mentis, at qui legitimè certauerit immarcescibili virginitatis aureola coronabitur, fragilis sum confiteor, & sensus experior rebelles, & tamen non cedo inimicis palmam, omnia possum, cum Apostolo, in eo, qui me confortat.

Ad primam ergo probationem minoris, nego antecedens, ad cuius probationem dico, Apostolum in illis locis, ab argumento adductis, non loqui de his, qui tentantur stimulis carnis, sed de his, qui incontinenter viuunt, & continuis flagitijs se polluunt, & hoc non est præceptum, vt credunt hæretici, sed vt consilium, demonstrando remedium ad euitandum illud malum, pro quo dantur etiam alia remedia, etsi difficiliora, securiora tamen, & meliora, vt sunt frequentare Sacramenta, fuggere occasiones, ad Deum orare, pœnitenter viuere, &c. nec etiam Apostolus in illo loco loquitur de his, qui voto castitatis iam se adstrinxerunt, sed solùm de hominibus liberis, & solutis.

Ad secundam probationem, quæ potest esse instantia nostræ solutionis, nego antecedens, falsum est enim id, quod affirmat Lutherus, omnem scilicet stimulum carnis, & æstum, siuè motum concupiscentiæ esse peccaminosum, quod probo argumento Augustini lib. 1. de ciuitate Dei cap. 25. illis verbis: [quod si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter voluntatis legem, quasi lege sua mouetur, quantò magis absque culpa est in corpore non consensientis si absque culpa est in corpore dormientis.] Ille. Sed Apostolus Paulus ad Romanos 7. loquens de istis motibus contrarijs legi mentis, ait, si quod nolo facio, iam non ego operor illud; ergo quando non adest consensus, motus illi concupiscentiæ, nec à nobis, vt hominibus, & liberis operantur, nec nobis imputantur, non ergo de his motibus loquitur Apostolus per ly vri; non enim per hos motus vritur flos castitatis, sed de illa vstione, quam probant carnis flagitijs dediti, & in cœno carnis voluntariè obuoluti, quam explicationem non voluntariè, vt Hæretici damus, sed sequimur datam à Sanctis Patribus Clemente Alexandrino lib. 3. stromatum, Hieronymo in apologia contra Iouinianum, Augustino lib. de Sancta Virginitate cap. 74. ac denique Sancto Thoma in commentario illius loci, vbi, vt solet, & ipsis vocibus, quibus Apostolus vtitur vstionis probat hanc explicationem: [vri enim ait, non calere significat, quod tentatis conuenit, sed calore labefactari, ac detrimentum pati, quod minimè conuenit ijs, qui simpliciter tentantur, sed ijs, qui tentationibus superantur.]

Ad tertium ex Hospiniano desumptum facili negotio respondetur, Canones illos non contra Virgines, & continentes, sed contra superbos Hæreticos docentes, matrimonium non esse à Deo, sed à diabolo, confecti sunt ab illa Synodo, vndè contra nos non faciunt, vt enim ait epistol. posita in principio dicti Concilij contra Eustachium congregati, eiusque sequaces nuptias accusantes, & docentes, quod nullus in coniugali positus gradu spem habeat apud Deum, & subdit: [inde factum est, vt mulieres multæ seductæ, relictis proprijs viris, & viri vxoribus destituti, vinculum coniugale dissoluerent, continentiam profitentes, quam cum retinere non possent, adulterium commiserunt;] de his ergo loquitur Concilium, non de Monachis, Hospiniane, qui semper, vt in nomine, ita in re, spinas, acus, & hostem contra innocentem Monachatum te ostentas.

Sed arguit quartò contra nostram assertionem Iouinianus, & cum illo Lutherus in sermone de matrimonio, & Erasmus in encomio matrimonij; cœlibatus ipsi naturæ humanæ repugnat, ergo malum est, & non potest esse materia voti. Antecedens probatur, primò natura ipsa sexuum diuersitatem, & vim generatiuam molita est in homine; ergo contra naturam ipsam est cęlibatus, qui frustraneam reddit hanc naturalem potentiam. Secundò probatur idem antecedens, propagatio speciei est prima inclinatio naturæ, sed continentia est contra propagationem speciei, nam si omnes continerent, natura ipsa, & mundus periret, ergo, &c.

Respondeo, negando antecedens, ad primam probationem dico, quod potentia generatiua, & sexuum diuersitas datur propter bonum speciei, & propagationem illius, quam non impedit continentia aliquorum indiuiduorum talis speciei, & sicut non dicuntur frustra nasci poma, & fructus cum suis seminibus, etiam si ex illis paucissima ferantur, quæ faciunt propagationem speciei, ità in præsenti cælibatus non potest frustraneam reddere potentiam generatiuam in homine, etiamsi in aliquibus indiuiduis actualem generationem impediat. Ad secundam probationem respondeo cum Diuo Hieronymo lib. contra Iouinianum illis verbis: [Si omnes virgines fuerint, quomodo stabit genus humanum? noli metuere, nè omnes virgines fiant; difficilis res est virginitas, & ideò rara, quia difficilis.] Non ergo continentia impedit, vel conseruationem speciei, vel orbis.

Quintò arguunt ex diuersis inconuenientibus, quæ ex cælibatu sequuntur; sequitur enim primò magna læsio Christianæ Reipublicæ, siquidem ex cælibatu tot Sacerdotũ, Monachorum, & Monialium sequitur minui numerum Christianorum, nec posse commodè resisti multitudini infidelium. Secundò, sequitur infirmitas, & mors multorum, qui voto continentiæ adstricti, non possunt curari ab infirmitatibus, quæ multoties à continentia nascuntur, nec possunt aliter, quàm ope-

opere coniugali curari. Tertiò sequitur (dicit Erasmus) esse imperfectos homines cælibes, cum in tota natura perfectius sit illud indiuiduum, quod generat sibi simile, quàm illud, quod non generat, ergo.

Respondeo ad singula inconuenientia, ad primum dico, non esse cælibatum, qui facit minorem numerum Christianorum; nam etiam inter Turcas, & Gentiles dantur plures cælibes, immo, & qui coguntur esse cælibes, & ideò Turcæ multiplicantur plusquam Christiani, quia apud ipsos, poligamia non est, sicut apud Christianos prohibita, sed possunt tot vxores habere, quot volunt, nec cælibatus est in causa, cur hodiè nequeamus resistere armis Turcarum, & infidelium, sed discordia inter Principes Christianos, quæ maxima ex parte, vel ortum, vel incrementum habuit à pertinacia Hæreticorum.

Ad secundum inconueniens respondeo, nullos morbos ex continentia, sed omnes, vel ferè omnes ex crapula, & incontinentia nasci, nec potest dari morbus, qui ita opere coniugali curetur, quod non possit alio medicamento curari, vt pij, & eruditi Medici in hac parte testantur, sed dato, quod non posset aliter morbus curari, quàm voti violatione, non deberet violari votum ad saluandam vitam.

Sed dices ieiunij lex, aut votum violari potest, si sanitati maximè noceat, immo & debet non seruari in hoc casu, ergo similiter casu, quo morbus non valeat curari, nisi per actum matrimonij, ad salutem corporalem consequendam, violandum est votum.

Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quia cibus ordinatur per se ad salutem, & conseruationem indiuidui, & consequenter illo non vti, cum necesse fuerit ad conseruationem indiuidui, vitium erit: at verò actus coniugij non ordinatur per se ad conseruationem indiuidui, sed solùm ad propagationem speciei, & ideò non est simile, & propterea habens votum castitatis, non tenetur ad actum coniugij, quod confirmari potest exemplo Sancti Casimiri filij Regis Poloniæ, & eius Regni Regis successoris electi, qui simili infirmitati oppressus maluit potiùs mori, quàm virginitatem amittere.

Ad tertium inconueniens respondeo esse argumentum hominis, qui nihil sapit, nisi sensibile, & corporale, de quo dicit Apostolus 1. ad Corint. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus, non enim est perfectum indiuiduum, quod generat, sed quod potest generare. Nec sequitur (vt ipse ait) quod Virgo sit arbor, sinè fructu, viris in terra marcescens, rosa sinè odore, nam Virgo, & si non habet fructum trigesimum, vt habet sanctum coniugium, habet centesimum, vt Sancti Patres colligunt ex cap. 13. Matthæi, vndè Sanctus Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 8. sic concludit: [Nulla ergo carnis fœcunditas sanctæ virginitati etiam carnis potest comparari, non est Virgo rosa sinè odore, sed Dei naribus semper fragrans, non vitis in terra marcescens, sed Christo desponsata pulchrè vlmo adhærens, eiusque spiritu grauida, semper florida, semper fructifera, vt prosequitur Sanctus Fulgentius epist. 3. ad Probam cap. 5.

Sed oppones cum Erasmo: ex nuptijs plures Virgines nascuntur, ergo etiam pro ipsa virginitate melius est nubere, & plures virgines procreare, quàm remanere infœcundam, & vnam solam virginem esse.

Respondet tamen Augustinus libro de sancta Virginitate cap. 10. [Nàm, ait, nè illo quidem debent, continentium meritis, se conferre coniugia, quod ex eis virgines procreantur. Hoc enim non coniugij bonum est, sed naturæ, quæ sic diuinitùs instituta est, vt quolibet humano vtriusque sexus concubitu, siuè ordinato, & honesto, siuè turpi, & illicito, nulla fœmina, nisi virgo nascatur. Ita fit, vt virgo nascatur etiam de stupro, sacra autem virgo, nec de coniugio.]

Denique arguunt Hæretici cum Petro Martyre sic: Nemo debet vouere, nisi id, quod certò scit se posse soluere, sed nemo potest certò scire, an poterit perpetuò continere; ergo nemo potest vouere continentiam, & hi, qui vouerunt, possunt, & debent votum suum, tanquam nullum rescindere. Maior est certa, stultum est enim promittere id, quod non est in nostra potestate dare, iuxtà illud Ecclesiast. 5. Displicet ei infidelis, & stulta promissio, sed continere perpetuò non est in nostra potestate, ergo, &c. Minor verò probatur primò, continentia est donum Dei, qui dat illud, cui vult, & quando vult, iuxtà illud Matth. 19. [Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est;] ergo non est in nostra potestate perpetuò continere. Secundò, probatur ex illo Sapient. 8. [Nemo potest esse continens, nisi Deus det;] ergo non est in nostra potestate continentia.

Respondeo negando minorem, si enim non esset in nostra potestate continentia, ergo nullum præmium mereretur, cum tamen, & in Euangelio, & in veteri testamento dicatur, præmio esse dignum, & maximo, qui continentiam seruat; sic Isaiæ cap. 56. Eunuchis illis, de quibus in Euangelio dicitur, qui se castrauerunt propter Regnum Cœlorum, promittitur nomen melius, quàm filijs, & filiabus; & Apocalypsis capit. 14. dicitur, quod virgines cantant canticum nouum, quod nemo alius cantare potest ergo non est, nisi in nostra potestate continere. Ad primam probationem respondeo, quod ly [capiunt] in illo loco, [non omnes capiunt,] non debet explicari, vt contendunt aduersarij, non omnes sunt capaces continentiæ ab vxore, sed idem est, ac dicere non enim omnes intelligunt practicè, hoc est non admittunt, nec approbant, quod dictum est, non expedit nubere. Ad secundam respondeo, quod non dicitur donum Dei, quasi ita sit donum, vt non possit haberi ab omnibus, qui eam à Deo petunt, vndè dicebat Augustin. lib. 6. confession. cap. 11. [Vtique dares mihi continentiam, si gemitu interno pulsarem aures tuas.

Respo-

§. V.

Resoluitur prima pars quæsiti, an possit scilicet Papa errare in approbatione Religionum.

VIso iam contra Hæreticos statum Religionis in communi esse statum perfectionis, ac proinde ex hoc capite non errare Pontificem in approbatione Religionum; modò restat videndum etiam contra aliquos Catholicos; vtrùm in approbatione huius, vel illius Religionis possit Pontifex errare. Magister Cano lib. 5. de locis cap. 5. pag. mihi 177. affirmat Ordines probare, vel refellere, quoniam non ex scientia id solùm, sed etiam ex prudentia pendet, non ad ea pertinere, in quibus Summus Pontifex errare nequit.

Hanc tamen sententiam Cani cæteri Theologi refellunt, affirmãtes temerarium esse, & scandalosum dicere errare Pontificem in approbatione alicuius Religionis. Sit ergo.

Conclusio, Papa non potest errare approbando aliquam Religionem, ita quod talem regulam approbet, & illam toti Ecclesię, vt imitandam, vel sequendam proponat, quæ moraliter bona non sit: hæc conclusio est communis inter Theologos, illam expressè docent, Ioannes à S. Thoma 2. 2. disput. 9. art. 3. num. 6. & Magister Ferre tractatu de fide qu. 15. §. 12.

Illam probo primò auctoritate D. Thomæ opusc. 19. cap. 4. Cùm nulli fas sit sinè status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare, cum ergo per Apostolicam Sedem Religiones aliquæ institutæ sint ad prædicta, manifestè se damnabilem reddit quicumque talem Religionem damnare conatur. Ille. Ex qua auctoritate Diui Thomæ infert Ioann. à S. Thoma ad minus errori proximam esse sententiam Cani, quia licèt per ly damnabilem non explicet Sanctus Thomas quid intelligat, videtur tamen loqui de doctrina damnabili, ac proinde esse ad minus errori proximam. Sed dices cum Magistro Cano: tempore Diui Thomæ adeo districtè, & grauatè noui Ordines admittebantur, vt ex tam graui iudicio probabile argumentum prudentis consilij sumeretur, nostro verò hoc seculo, tam multæ sunt Religiones à Pontificibus confirmatæ, vt qui eas omnes tueri voluerit, tamquam Ecclesiæ, vel vtiles, vel necessarias, hic imprudentiæ, ne dicam stultitiæ nomine iure optimo, summisque rationibus arguatur.] Ille.

Sed contra arguitur, nam ratio, quam adducit Diuus Thomas, probat de quacumque Religione à Sede Apostolica approbata, ergo non potest recurrere Canus ad numerositatem hodiernam Religionum. Antecedens probatur, ratio Diui Thomæ est, quia nulli fas est sinè status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare, sed siuè Religiones sint paucæ, siuè sint multæ, dummodo approbatæ sint per Sedem Apostolicam, qui eas damnat, vel tamquam periculosas, vel tamquam noxias Ecclesiæ temerare videtur constitutionem Apostolicæ Sedis, qua decreuit bonam esse, & vtilem Ecclesiæ Religionem, quam approbat, ergo redditur damnabilis, &c.

Probo autem meam conclusionem, ratione sic: Papa, quando proponit toti Ecclesiæ aliquam regulam Religionis, illam proponit, vt perfectionis viam, & toti Ecclesiæ illam, vt talem commendat, sed quod Pontifex sic proponit, non potest non esse moraliter bonum, ergo Religio approbata à Summo Pontifice est moraliter bona, ac proindè in eius approbatione errare non potest.

Respondetur, approbationem Religionis non fieri à Pontifice ex Cathedra, sed tantùm per modum permissionis, & indulgentiæ, sicut diximus de beatificatione Sanctorum, in qua Papa non decernit esse Sanctum, sicut fit in canonizatione, sed tantùm permittit eius cultum in Ecclesia, vnde, sicut dicitur à multis, quod Papa potest errare in tali beatificatione, ita errare poterit in approbatione Religionum.

Sed contra est, nam præterquamquod falsum est, Papam posse errare in tali beatificatione, si est solemnis, & simpliciter beatificatio: instatur tamen contra solutionem. Quando Pontifex approbat Religionem, non permittit, sed positiuè proponit, & commendat toti Ecclesiæ illã regulam, tamquam perfectionis viam, ergo nequit in hoc errare. Antecedens est certum, & consequentia probatur, nam Pontifex, sicut nequit, vt persona priuata toti Ecclesiæ legem ponere, ita nequit perfectionis viam toti Ecclesiæ proponere, ergo quando proponit, proponit vt Caput Ecclesiæ, ac proindè non potest errare.

Ex dictis sequitur etiam non esse licitum affirmare, multiplicatas esse nimis Religiones, ac inutiles, & superfluas, & incommodum afferre Ecclesiæ Dei, & ratio est, nam semper cùm egressus est nouus Ordo Religiosorum fuit approbatus ab Ecclesia Dei, ergo non solùm Religio, sed etiam numerus Religionum approbatarum. Non est licitum ergo asserere, quod nimietas Religionũ est inutilis. Antecedens probatur, qui addit nouam vnitatem ad numerum præcedentem, facit nouum numerum, sed Sedes Apostolica approbando Religionem nouam supra Religiones antiquas, facit nouum numerum Religionum, & consequenter approbat numerum Religionum, qui nunc est. Patet hæc consequentia, Pontifex hîc, & nunc scit certissimè numerum aliquarum Religionum antiquarum, & tamen approbat nouam, ergo quia vult approbare vltra antiquas, etiam modernas aliquas Religiones, ergo non possumus iudicare, & asserere numerum Religionum esse superfluum, & Ecclesiæ inutilem.

Contra hanc conclusionem, arguit Cano, Pontifices de facto in approbando Religiones errauerunt, ergo possunt errare. Antecedens probatur primò, nam in Concilio Lateranensi aduertebatur Religionũ nimiam multitudinem valdè Ecclesiæ Christi incommodare, sed Pontifices post dictum Concilium maximam Religionum multitudinem approbarunt, ergo incommodando Ecclesiæ, errarunt. Secundò, nam in Concilio Lugdunensi,

nensi, postquam Patres fatentur, quod importuna petentium inhiatio contra Synodi decretum aliquarum Religionum confirmationem extorserat, suo decreto, quosdam ordines etiam per Apostolicam Sedem approbatos, tanquam Ecclesiæ, vel noxios, vel inutiles abolendos esse decreuit; ergo Pontifices, qui tales Religiones confirmarunt sine dubio errarunt. Tertiò nam Cœlestinus Quintus suo priuilegio confirmauit statum, & vitam Fraticellorum, quod tamen confirmationis priuilegium Ioannes XXII. qui illos Hæreticos declarauit [in extrauaganti Sancta Rom. & in extrauaganti, quia quorumdam de verborum significatione,] infirmum esse dixit, & reuocauit. Quartò, Paulus III. Ordinem, quem in Italia quidam Frater Baptista Cremensis instituit, suis literis probasse dicitur, & tamen Ordo ille à Venetis ædicto publico expulsus, & Baptistæ doctrina, quam sequebantur viri illi, Romæ, tanquam Hæretica fuit damnata. Ac denique nostris temporibus Religio pauperum Matris Dei, & Scholarum Piarum priùs à Paulo V. & Clemente VIII. confirmata, ac deinde ab Vrbano VIII. abolita, & in Congregatione Secularium Clericorum redacta, iterum à Clemente IX. fuit in Religionem confirmata; ergo dicendum est, posse Pontificem errare in huiusmodi confirmationibus.

Respondeo negando antecedens, ad primam probationem dico, non benè referri à Magistro Cano Caput illud 13. Concil. Lateranensis; non enim ibi prohibetur Papæ in futurum nouas Religiones approbare, sed tantùm prohibentur illæ inuentiones nouarum Religionum independenter à Sede Apostolica, sic enim dicit. [Ne nimia Religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam Religionem inueniat, sed quicumque voluerit ad Religionem conuerti, vnam de approbatis assumat.

Ad secundam probationem, quæ adducitur ex Concil. Lugdunensi, dicimus similiter loqui de Religionibus non approbatis à Sede Apostolica, ait enim: [Cunctas affatim Religiones, & Ordines Mendicantes post dictum Concilium adinuentos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subijcimus, & quatenus processerant reuocamus.] Et licèt subdat Concilium inhibitionem Religionibus Mendicantium, quæ non habent redditus ad substentationem, ne de cætero ad habitum recipiant, vel nouas domos acquirant, hæc tamen inhibitio subijcitur Apostolicæ Sedi; itaut non possint, vel ad Ordinem recipere, vel nouam domum acquirere, sine eiusdem Sedis licentia speciali; vnde non est contra nostram conclusionem, in qua loquimur de Religionibus à Sede Apostolica approbatis.

Ad tertiam probationem dico, Sanctam Sedem habere potestatem, sicut confirmandi, & approbandi Ordines Regulares, ità & illos extinguendi, non quia regula, & institutum iam approbatum rectum non fuerit, sed quia à Professoribus non rectè obseruatur, vel quia institutum, quod pro illa differentia temporis, pro qua confirmatum fuerat, vtile erat Ecclesiæ; pro alia differentia temporis inutile redditur, & ita accidit in extinctione Fraticellorum à Bonifacio VIII. Templariorum à Clemente V. & Humiliatorum à B. Pio V. non quia regulæ approbatæ malæ erant, sed quia omnes professores illarum malè illis vtebantur, & ideò reddebantur non solùm inutiles, sed noxiæ Ecclesiæ, ex quo patet solutio ad quartam probationem.

Ad vltimam dico, illas mutationes, quæ acciderunt in Ordine Scholarum Piarum non fuisse mutationes, quantùm ad substantiam regulæ, itaut regula priùs confirmata, vt bona, fuerit postea tanquam mala suppressa, sed solùm fuit mutatio, quantùm ad priuilegia, indulta, & statum perfectæ Religionis, in quibus concedendis, vel abrogandis, sine dubio errari potest; cum pendeant ex humana prudentia, quæ fallibilis est. Sicque dum Ecclesia probat, & approbatam conseruat Religionem, non sine temeriritate illa condemnantur, vel nota inutilitatis inuritur,

§. vltimus.

Secunda pars dubij, an Papa possit errare in legibus ferendis, resoluitur.

IN legibus condendis duo possumus considerare, aliud pertinens ad substantiam legis, quatenus dicit moralitatem, quæ se tenet ex parte obiecti, aliud quantùm ad circumstantias, quæ se tenent, vel ex parte personæ, cui imperatur, vel ex parte pœnæ, quæ infligitur, &c. Quantùm ad circumstantias, certum est apud Doctores non esse inconueniens Pontificem posse errare, quia vt docet Diuus Thomas Quodlibeto 9. ar. vl. hæc communiter pendent ex testimonio hominum fallibili, nec repugnat in dispensando, quod pertinet ad applicationem legum Pontificem esse infidelem, & imprudentem, iuxta illud 1. ad Corinthios 4. [Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei; Hìc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis, quis inueniatur;] ergo non repugnat dispensatorem in dispensando esse infidelem, & clarè colligitur, cap. si quando de rescriptis, vbi ait Pontifex, [aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per literas tuas, quarè adimplere non possis rationabilem causam prætendes, quia patienter substinebimus, si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione suggestum,] vbi Papa de legibus à se datis supponit potuisse errare ex praua insinuatione rei, & quod subditis liceat supplicare Pontifici, vt illas non recipiant ob prætensam rationabilem causam.

Dubium ergo est, vtrùm Pontifex possit errare in ferendis legibus pro tota Ecclesia, quoad substantiam legis, & moralitatem obiecti, in qua parte est communis Theologorum sententia, quod Papa non possit errare in ferendis huiusmodi legibus in tali gradu certitudinis, vt Diuus Antonius 3. par. summæ tit. 12. asserat de fide esse tenendum. Canus verò, quem sequuntur Bannez, Bellarminus, Molina, Suarez, Ioannes à Sancto Thoma, Ferre, & alij communiter docent non esse

esse hæreticum oppositum asserere, sed sapere hæresim.

Scio Magistrum Torres disputat. 16. dub. 1. maximè Caietanum pungere, quasi oppositum docuerit tom. 1. opuscul. tract. 6. cap. 1. vbi agit de Monte Pietatis, eiusque contractu, an sit vsurarius, vbi existimat per accidens, & non simpliciter pertinere ad Papæ iudicium iudicare, si iste contractus sit vsurarius, vel nè, quia scilicet promissa est illi omnis veritas de necessarijs ad salutem, & non omnis veritas naturaliter est illi scibilis, & sic si illud necessarium certa ratione nescitur, aut si ab omnibus non capitur, pertinebit ad Ecclesiæ iudicium. Et hoc tantùm docuit Caietanus non enim potuit dicere, vt ei imponebat Torres, quod scilicet Leo X. in Concilio Lateranensi non definierit Montem Pietatis non esse vsurarium. Hoc enim Caietanus nec dixit, nec dicere potuit, cùm tractatum illum ediderit ante tempus Concilij Lateranensis, & Leonis X.

Conclusio: sapit hæresim manifestam asserere Pontificem posse errare in ferendis legibus pro Ecclesia vniuersali, quantùm ad substantiam ipsarum legum, hoc est quantùm ad id, quod lex proponit siue sequendum, siue vitandũ. Hæc conclusio est omnium Theologorum vno, vel altero excepto; Et ratio fundamentalis est ad Pontificem pertinet pascere oues Christi, cùm Christus Petro dixerit: [pasce oues meas,] sed oues Christi non solùm doctrina fidei, sed etiam regulis morum pascuntur, ergo sicut errare non potest in pascendis ouibus, quantùm ad fidem, ità nec quantùm ad regulas morum. Patet hæc consequentia tùm primò, nam sicut de fide est Ecclesiam esse fidelem, ità & esse Sanctam, ergo sicut non potest errare in regulis fidei, ita & in regulis morum, si enim admitterat aliquid inhonestum, & malum, tanquam rectum, & bonum Sancta non esset. Tùm secundò, non minùs est necessaria ad salutem rectitudo morum, quàm certitudo fidei, ergo sicut Pontifex ex sua suprema potestate non potest errare in tradenda certitudine fidei, ità neque in tradenda rectitudine morum. Tùm denique, nam vt dixit Dominus Matthæi 13. [super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia ergo, quæcumque dixerint, seruate, & facite;] Sed seruare, & facere pertinet ad mores, ergo si illa omnia seruanda sunt, necesse est, quod non sint perniciosa, & contra bonos mores.

Respondebis in rebus fidei iudicium definitiuum Pontificis esse infallibile, quando materia, supra quam cadit definitio præcontinetur, vel in sacra Scriptura, vel in traditionibus Apostolicis, quando verò in illis non præcontinetur, non est de fide Papam non posse errare, sed tantùm est ita certum, vt oppositum sit temerarium, impium, & scandolosum; ergo à pari possumus dicere in regulis morum, quod quando leges conduntur quarum materia desumitur à Scriptura, vel Apostolica traditione, tunc de fide erit, quod errare non potest; non verò, quando leges non sunt circa materiam, quæ vel in sacra Scriptura, vel in traditionibus continentur, non erit de fide, sed oppositum dicere erit temerarium, & scandalosum.

Sed contra, nàm non est summa disparitas inter definitiones fidei, & leges, siquidem reuelatum est circa doctrinam fidei, quod solùm in hac materia errare non possit, quia solùm dictum est Petro: [Rogaui pro te Petre, nè deficiat fides tua;] in materia autem ferendi leges pro tota Ecclesia, reuelatum est, quod in nulla materia errare potest, siue illa sint præcepta iure Diuino, siue non, vt patet ex illo Matthæi 23. [Omnia quæcumque dixerint vobis seruate, & facite;] ergo de fide erit, quod quæcumque, & in quacumque materia dictata sint ad mores spectantia, bona erunt, & sic erit de fide, quod Papa non possit errare in legibus condendis.

Potest etiam assignari alia ratio disparitatis, cur Papa solùm in his, quæ sunt in sacris literis, taliter sit infallibilis, vt dicere eum posse in his materijs errare, sit Hæreticum; non autem in illis, quæ in sacris literis non continentur, in legibus autem condendis in omni materia sit infallibilis, & hoc de fide, quia Pontifex non facit rem de fide, sed solùm declarat esse de fide, & quia in tantùm potest declarare esse de fide, in quantùm continetur in sacra Scriptura, vel traditionibus, ac proindè, prout stant sub ratione formali fidei, quæ est veritas in dicendo, seu reuelando, hinc est, tantùm esse de fide, Pontificem non posse errare in his, quæ determinat de fide, nisi circa ea, quæ in sacris literis; vel Apostolicis traditionibus continentur; at verò, quando leges condit, verè illas condit, ac proindè in nulla materia potest errare, quando condit leges.

Sed contra hanc nostram conclusionem arguitur primò ex Magistro Soto, & Caietano: ad infallibile iudicium Ecclesiæ, & Pontificis non pertinent, nisi ea, quæ vel ex sacra Scriptura, & traditionibus Apostolicis habentur, hoc est ex verbo Dei scripto, aut tradito, sed leges morales, quantùm ad bonitatem, & moralitatem earum non inferuntur ex sacra Scriptura, aut traditione Apostolica, sed ex ratione morali, & ex natura talium rerum, & feruntur à Pontifice, iuxtà occasiones, & tempora: ergo talis definitio circa tales leges non potest esse infallibilis, & de fide.

Respondeo argumentum hoc laborare in æquiuoco; nam aliud est dicere aliquam rem esse de fide, vel declarari de fide, & aliud dicere esse de fide non posse proponere, & determinare aliquid cum errore, primum est verum, quia solùm ea, quæ, vt diximus, contenta sunt in sacris paginis, vel traditionibus Apostolicis, possunt determinari de fide; non autem sequitur, quod quia est de fide non posse errare in condendis legibus, leges debeant esse deductæ ex sacris literis, vel traditionibus Apostolicis, quia tunc non facit de fide, sed legem condit, verum est autem, quod Pontifex condendo legem, vel solùm præcipit aliquid faciendum, vel fugiendum, vel declarando aliquid esse malum, vel bonũ. Primo modo dubitari potest, an Pontifex possit errare, nec nè, & tunc dicimus non posse errare quantùm ad substantiam legum, vt probauimus, sed quantùm ad circumstantias: & quando hoc modo procedit Pontifex, non facit de fide, nec declarat materiam, quam

quam præcipit in particulari esse de fide, sed id, quod dicimus in hac parte esse de fide, est, quod moralitas talis præcepti, seu regulæ non est mala, & hoc est de fide non immediatè, & formaliter, sed virtualiter, & in virtute illius vniuersalis, quidquid dicunt vobis ex Cathedra seruate, & facite, & quia sicut non potest deficere sanctitas Ecclesiæ, ità nec rectitudo moralis, quæ ex lege pendet. Si verò alio modo procedit Pontifex declarando in particulari aliquam moralitatem, putà quod talis contractus sit vsurarius, alius licitus, alius malus, & illicitus, &c. & tunc dico, quod Pontifex definit circa moralitatem talis actus, determinando, quod hoc peccatum, & non illud, & tunc dicimus, quod licèt hoc ex magna parte procedat ex principijs naturalibus iuris, non tamen, prout naturalia sunt præcisè, sed etiam, prout sunt tradita in Decalogo, & in Scripturis; nàm sacra Scriptura continet principia moralitatis, tùm in Decalogo, vbi multa moralia docentur, tùm in alijs locis, & sic possunt definiri à Summo Pontifice.

Secundò arguitur, Pontifices de facto ferendo aliquas leges errarunt, ergo nulla infallibilitas in ferendis legibus datur in Summo Pontifice. Antecedens constat diuersis exemplis. Tùm primò, nàm in capit. cùm esses, de testamentis, Alexander III. dicit: [Esse à lege Diuina alienum, & ab institutis sanctorum Patrum, & Ecclesiæ consuetudine, quod testamenta non valeant, nisi coram septem testibus;] & tamen in Ecclesia doctrina illa apud multas Nationes non seruatur, sed oppositum; ergo in hoc errauit Pontifex. Tùm secundò, nàm in cap. licèt, de sponsa duorum, idem Alexander III. determinat, [quod postquam mulier per legitimum consensum nupsit alicui, non potest alij nubere, & si nupserit, etiam carnali copula subsecuta, debet separari; quamuis aliter (subiunxit) à prædecessoribus nostris fuerit iudicatum.] Tunc sic: ergo alter ex his Pontificibus errauit, cùm sint contradictoriæ in eadem materia, & consequenter Pontifex in ferendis legibus poterit errare.

Respondeo in primis non esse factum argumentum contra nostram conclusionem, in omnibus enim illis casibus allatis nihil datur per modum legis contra bonos mores, nàm in textu in cap. cùm esses, de testament. tantùm docuit Pontifex, quod sit alienum à Diuina lege, quod requirantur septem testes de necessitate ad validitatem testamenti, & vult dicere est alienum à Diuina lege, non quia sit contra illam, sed quia non est ex illa, nec est illi conforme, licèt non contrarium: vel dico cum Canonistis voluisse Pontificem tantùm excludere illam legem in causis pijs, vel respectu illorum, qui temporaliter sunt subditi Ecclesiæ Romanæ. Nec obstat, quod ista solutio non saluat, quomodò Pontifex dicat esse alienum à lege Diuina, non inquam obstat, nàm possum dicere: Pontificem voluisse declarare, quare potest ipse hoc præcipere respectu subditorum temporalium, quia scilicet illa lex ortum non habuit à lege Diuina.

Ad secundam probationem sumptam ex text. in cap. licèt, de sponsa duorum, dico, quod quia Pontifex non explicat, quomodò prædecessores sui aliter iudicauerint, an scilicet, vt persona priuata, vel vt Caput Ecclesiæ, ideò possumus explicare, quod ipsi prædecessores hoc senserunt, vt personæ priuatæ; vel dicendum, quod prędecessores aliud senserunt, non quidem quantùm ad substantiam rei, quæ quærebatur, sed quantùm solùm ad accidentia, & proprietates, vndè dat nobis locum ità etiam eos explicandi.

Sed oppones, Stephanus VI. irritauit omnia acta sui prædecessoris Papæ Formosi, immò Ordinatos ab ipso, iterùm Ordinauit, hoc autem est sentire contra Sacramentum Ordinis, ergo Papa potest errare.

Respondeo, Stephanum non errasse contra Formosum, condendo aliquam legem, sed solùm errasse in facto, quia ex odio in Papam Formosum voluit iterùm Ordinare Ordinatos ab ipso, quia simoniacè Ordinauerat. Similiter errauit in facto, cassando, & irritando omnes actus dicti Formosi Papæ, non est autem inconueniens, quod in Pontifice detur error facti, quia cùm in hoc pendeat Pontifex à prudentia, & ab inquisitione humana, quæ sunt fallibiles, potest errare, vt diximus; & solùm in legibus ferendis pro tota Ecclesia non potest errare quoad substantiam, benè tamen quoad circumstantias, & applicationem legis. Et hæc de infallibilitate Summi Pontificis dicta sufficiant.

DISPVTATIO QVARTA.

De Electione Summi Pontificis.

SVppono in hac disputatione Summum Pontificem Romanum non propagari successione carnali, tùm quia in Christi Ecclesia Sacerdotes, & Prælati cœlibes viuere debent ex antiquissimo Ecclesiæ instituto, quod sacris Ordinibus annexum voluit votum castitatis, vt cum Diuo Thoma secunda secundæ quæst. 88. artic. 11. docent Theologi, quod quidem conuenientissimum esse ex eo, docuit Augustinus sermone 37. ad fratres, quia corporis, & animi integritatem habere debent, qui Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christum conficiunt, suscipiunt, & administrant; & noster Cardinalis Turrecremata capit. in nomine Domini distinct. 23. artic. 1. ad 2. quia ad Summum Pontificem pertinet sollicitum esse circa ea, quæ Domini sunt, qui autem cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, & diuisus est.

Tùm secundò, nam hæc est differentia inter Synagogam, & Ecclesiam, quod Synagoga per carnalem propagationem ex Iacob manabat, at Christi Ecclesiæ Fideles spiritualiter in Christo per Baptismum regenerantur, quia lex illa vetus carnalis erat, vndè & carnalia præcipiebat, at nostra lex Euangelica, vndè sanctus Paulus ad Hebræos 7. [Legem illam veterem, legem mandati carnalis vocabat.] Si autem per carnalem propagationem successio Romani Pontificatus statueretur, sicut in lege veteri Sacerdotes ex Aaron per carnalem propagationem succedebant, sicut Sacerdotium illud carnale erat, ità & nostrum Sacerdotium carnale foret, quod est absurdum.

Tùm denique, quia successione carnali accidit, quod digni sint, & apti sint, qui eruditionem, & doctrinam habeant, &c. sicut enim nascuntur apti, ità & regulariter nascuntur inepti, atque ignorantes, ergo si per successionem carnalem propagarentur inepti, & ignorantes, Pontificatum inuaderent, quod esset contra Diuinam prouidentiam. His suppositis.

Id, quod in præsenti disputatione inquirimus de electione Summi Pontificis, ad duo dubia difficiliora restringitur. Prima difficultas est, ad quos non possit pertinere electio Summi Pontificis. Secunda, ad quos pertineat electio Summi Pontificis, & à quo immediatè recipiat Pontificatum, ab Electoribus, vel à Deo, cui tertiam difficultatem debemus addere, an scilicèt de fide sit Innocentium XI. Pontificem esse Summum Pontificem Romanum, ac proindè totius vniuersalis Ecclesiæ Caput sit.

DVBIVM PRIMVM.

Ad quas Personas non pertineat per se Electio Summi Pontificis.

VAriæ difficultates in hoc dubio includuntur, quatenus ad diuersos Electores hanc potestatem posse conuenire dubitarunt DD. alij enim Concilio generali, alij Populo, alij Imperatori hoc ius dederunt, vndè.

Circa primum, dico primò non spectare ad Concilium generale electionem Summi Pontificis, ita præter ferè omnes Theologos Cardinalis Albanus de Cardinalibus qu. 35. Tuscus tom. 3. verbo electio Papæ conclus. 75. qu. 1. Azorius, & alij plures, & probatur primò, numquam Concilium generale, vel prouinciale vsum est hac potestate, immò esto in aliquo emergenti potuisset facere hanc electionem, vt patet in Concilio Constantiensi, vbi tres Antipapæ fuerunt depositi, & electus Martinus V. qui nec etiam fuit electus à Concilio, sed Concilium designauit Electores, qui debebant tunc eligere, & similiter in Concilio Lateranen. vltimo, cùm Iulius II. moreretur durante Concilio, Concilium non se intromisit ad electionem noui Papæ, sed remisit Cardinalibus eligendum, quarè autem Concilium generale cùm Ecclesiam repræsentet, & potestas eligendi Papam iure connaturalitatis ad ipsum videatur pertinere, supposito, quod Papa per electionem fiat, non possit eligere Papam, non est facile assignare: aliqui, eam assignant, quia ius eligendi Papam per se ex natura rei pertinet ad Clerum Romanum, in quo principalem locum tenent Cardinales, consequenter ad Cardinales pertinet electio Summi Pontificis, non ad Concilium.

Alij eam assignant, quia Concilium generale est valdè numerosum, & ideò difficiliter posset concordari in voto electionis, alij ex eo, quod Cardinales, non à Concilio, sed à Papa potestatem eligendi acceperunt, iuxtà illud, quod habetur cap. licèt, cùmque Con-

cilio, vt infrà videbimus, non sit supra Papam, non potest à Cardinalibus eligendi potestatem auferre, ideò non potest se in electione intromittere, hæc ratio quidem mihi sufficiens videtur, & confirmari potest ratione, qua vtitur noster Magister Ferre, quia scilicet cum electio Pontificis debeat secundùm ius canonicum, & regulas præscriptas ab ipso fieri; & ius Canonicum nihil decernat in fauorem Concilij, & omnem auctoritatem tribuat Cardinalibus, hinc est, quod Concilium generale non possit eligere Summum Pontificem.

Vtrùm autem possit assumere Concilium ius eligendi, & modo extraordinario sibi vendicare, puta si omnes Cardinales mortui essent, vel si Cardinales ab aliquo Tyranno omnes detinerentur in carcere, vel alio casu huiusmodi potest disputari.

Et ratio dubitandi est, quia tunc vis eligendi transfertur in Ecclesiam, quæ significatur per Concilium generale.

Dicendum tamen est in nullo casu posse Concilium sibi assumere ius eligendi, & ratio huius est, in Ecclesia debet dari aliqua regula, & Iudex visibilis, ad quem spectet iudicare de electione Summi Pontificis, vtrùm recta sit, & legitima; ergo cùm hæc regula, & Iudex sit ipsum Concilium, quod est potestas aliqua supra Electores, Concilium autem non est supra se ipsum; in Ecclesia enim oportet distinguere regulam animatam visibilem Electorum, & ipsos Electores, non potest Concilium assumere officium Electoris.

Ad rationem ergo dubitandi, dico, quod in Ecclesia, vt diximus, oportet distinguere Electores, & regulam animatam visibilem Electorum, cùmque Concilium sit hoc secundum, non potest assumere officium Electorum, nemo enim seipsum iudicat in foro externo, & contentioso.

Nec duplex ille casus supra positus oppositum vllo facto conuincit, non primum, nam quando omnes Cardinales mortui essent, vel magnum schisma in Ecclesia nasceretur, tunc sublatis de medio Cardinalibus ius eligendi suapte natura transfertur ad Canonicos Basilicæ Lateranensis, ad quos spectat eligere Episcopum Ecclesiæ Lateranensis.

Nec secundum, nam de facto accidit casus, quod Federicus Imperator per viginti vnum menses in carcere detrusos detinuit Cardinales, & vacauit Sedes per mortem Cœlestini Papæ, & tamen Concilium, quod tunc erat apertum, Papam non elegit, sed expectauit, vt Cardinales liberati venirent ad electionem; ergo non est dabilis casus, in quo Concilium eligat Pontificem; sic etiam accidit in Concilio Lateranensi vltimo, nam cùm Iulius II. moreretur durante Concilio, Concilium non se intromisit ad eligendum nouum Pontificem, sed hoc fecit Collegium Cardinalium.

Nec verum est, quod ait Suarez, quod à Concilio Constantiensi fuerit electus Martinus V. in Papam, sed Concilium solùm designauit Electores, qui nouum Pontificem eligerent, vt constat ex session. 41. vbi habetur decretum, quo Concilium de consensu expresso Cardinalium aliquas personas adiunxit, vt electio cum pace, & quiete fieret.

Maius dubium esse potest in hac parte, vtrùm electio Summi Pontificis de iure aliquando conuenerit Imperatoribus, seu Regibus, vel Populo seculari, horum enim omnium vna est ratio, scilicet, quia potestas eligendi Papam est potestas purè spiritualis, quæ laicis non potest conuenire. Variè senserunt Doctores in hac parte, aliqui ex Canonistis dixerunt potuisse aliquando Imperatori conuenire ius confirmandi, seu eligendi Summum Pontificem, quod probant ex varijs casibus, in quibus Imperatores, vel Reges se intromiserunt in electione Summi Pontificis, sic Valentinianus Imperator in electione Damasi, Honorius in electione Bonifacij, & in electione Symmachi Theodoricus se intromisit.

Tùm secundò, nam Iustinianus Imperator publico ædicto prohibuit, ne electus in Papam consecraretur ante assensum Imperatoris, quæ prohibitio ad eius successores transiuit, & durauit vsque ad tempus Constantini V. qui donauit Benedicto II. vt Clerus, & Populus Romanus liberè, & nullo expectato Imperatoris assensu Pontificem eligerent. Et præter hoc patiebatur aliud grauamen Ecclesia, quia præter assensum, quem expectare debebat ad consecrandum, quem in Papam elegisset, soluebat magnam quantitatem pecuniæ pro obtinenda licentia ordinandi Summum Pontificem, & fuit exonerata ab hoc grauamine tempore Agathonis Papæ, vt dicit in cap. Agatho dist. 63.

Quod si dicas in omnibus his casibus vsurpasse Principes, & Imperatores iniustè, & tyrannicè hoc ius, & ideò non facere argumentum ad probandum Principes seculares, vel Imperatores habuisse potestatem eligendi Summum Pontificem.

Contra hoc obijciunt, nam Imperatores ex concessione Pontificum habuerunt hanc potestatem in eius electione, nam sic Adrianus Papa I. concessit Carolo Magno ius eligendi Pontificem, & Leo VIII. hoc ipsum concessit Othoni I. vt refertur in cap. Adrianus dist. 63. quibus priuilegijs postea Ludouicus Caroli successor renunciauit, & ipse Otho similiter renunciauit, vt habetur in cap. ego Ludouicus, & cap. tibi Domino, ergo hoc ius eligendi non tyrannicè, sed iustè possidebant.

Dico tamen numquam iustè posse Principem secularem vsurpare potestatem eligendi Summum Pontificem.

Hæc conclusio est ferè omnium Theologorum, & probatur tùm quia, vt diximus, potestas eligendi Summum Pontificem, est potestas spiritualis, ergo non potest vllo modo competere laicis, tùm etiam, nam ab initio Ecclesiæ vsque ad nostra tempora numquam vsurpata est hæc potestas, vel fuit ad laicos transmissa, nisi in casibus ab argumento adductis, de quibus statim dicemus.

Ad argumentum ergo in principio positum respondeo, in omnibus illis casibus manifestam iniustitiam includi, ab initio enim bono fine se intromiserunt Imperatores ad sedandam scilicet, vel populi seditionem, vel exortum schisma, sic Valentinianus in electione Damasi, in electione Benedicti Honorius, & in electione Symmachi Theodoricus; isti enim solùm defenderunt Ecclesiam, segregan-

gando, & manifestando populis verum à schismatico Pontifice: ex hoc tamen sic bono fine incæpto, occasionem sumpserunt alij Tyrannicè vsurpandi Ecclesiasticam potestatem, sicut fuit illud edictum Iustiniani prohibentis consecrationem electi Pontificis antè Imperatoris assensum: esto enim nouellæ Iustiniani in his, quæ de Ecclesiastica disciplina habent, fuerint ab Ecclesia receptæ, & approbatæ, vt testatur Diuus Gregorius Magnus lib. 11 epistolarum epist. 54. cæterum si verum est publicum illud edictum, errauit Iustinianus, & tyrannicè se gessit. Dixi, si verum est, &c. quia plura ab Auctore infenso Iustiniano, quem supra citauimus, affiguntur Iustiniano, quæ re vera non sunt.

Ad instantiam factam ex eo, quod Pontifex confirmauit, seu dedit priuilegia Carolo Magno, & Leo VIII. hoc idem concessit Othoni I. Respondeo, quod priuilegia concessa Carolo, seu Othoni, non fuerunt eligendi executiuè, seu regulatiuè, sed tantùm ius approbandi, vel assentiendi electioni factæ, non quod electio non valeret, vt videre est in cap. cùm vna de electione facta.

Sed quæres, quid dicendum de Populo Romano, respondeo: Populum Romanum numquam elegisse, sed tantùm consensisse, & approbasse electionem factam à Clero, quod expresè docetur in capit. nosse 63. dist. illis verbis: [Sacerdotum est electio, & fidelis Populi consensus adhibendus est, quia docendus est Populus, non sequendus.]

Quod si contra hoc oppones: Constantinus V. vt vidimus, Ecclesiæ donauit, vt Clerus, & Populus Romanus liberè, & sine Imperatoris consensu eligere posset Romanum Pontificem, & Anacletus Papa in capit. finali dist. 79. dixit: [Licèt electionem eorumdem bonis &c.] ergo Populo Romano competit saltem ex priuilegio conuenire cum Clero ad electionem Summi Pontificis.

Respondeo, quod nec Constantinus, nec Anacletus volunt in suis diplomatibus concedere electionem, sed consensum Populo Romano in electione Pontificis.

DVBIVM II.

Vtrùm Pontifex possit eligere sibi successorem in Papatu.

Affirmatiuam sententiam in hac parte tenet Magister Victoria conclus. 2. quem sequuntur Martinus Ledesma Dominicanus, Vasquez, & alij affirmantes, quod Beatus Petrus Apostolus eligere, & designare potuit sibi successorem, qui defuncto Petro, sine alia electione esset Summus Pontifex; alij cum P. Suarez, & Francisco Amico dicunt de lege ordinaria, & regulariter non posse Papam sibi eligere successorem, benè verò in aliquo vrgentissimo casu, isque designatus validè electus foret.

Denique tertia sententia negat sibi posse Papam eligere successorem post mortem, ita Caietanus tom. 1. opusculorum tract. 3. Turrecremata Cardinalis in summa Ecclesiastica, Comitolus, Turrianus, Mancinus, Candidus, in speciali quæst. Acugna, Laudensis, Armacanus, Ferre, & alij plures, cum quibus.

Dico, Summum Pontificem non posse designare, vel eligere sibi successorem in Papatu, ita DD. 3. sent. & habetur in cap. 79. illis verbis; electionem Summorum Pontificùm sibi Dominus reseruauit, licèt electionem eorum bonis sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset; vbi per ly sibi reseruauit, vult dicere: Christus Dominus solus fuit, qui designauit in Vicarium suum, & visibile Caput Ecclesiæ Petrum Apostolum, electionem autem eorumdem bonis Sacerdotibus concessit.

Narrat etiam Baronius ex Anastasio ad annum Domini 531. quod cùm Bonifacius II. collecta Synodo elegisset sibi in successorem Vigilium Diaconum, & cum Chirographis Sacerdotum, & iureiurando antè Diui Petri confessionem Vigilium futurum Pontificem constituisset, posteà cognita, & considerata illegitimatione facti congregata noua Synodo, cassata fuit in ea præfata electio, & decretum electionis combustum, quia factum fuerat contra Canones, & contra reuerentiam debitam Sanctæ Sedi, ex quo facto sic probatur nostra conclusio.

Si solùm de iure positiuo, & non de iure diuino esset prohibitum Papæ eligere sibi successorem, etiam consentientibus Cardinalibus electio Vigilij iuramento firmata, & à Clero subscripta, fuisset valida, ergo non potuisset cassari. Antecedens probatur, illa electio non fuisset inualida ex defectu potestatis Papæ, quia Papa nullis legibus Canonicis ligatur; potest enim illas abrogare, & dispensare quando vult, eò magis, quod facta fuit consentiente Synodo, in quo erant Cardinales, ad quos spectat electio Pontificis; nec potest dici nulla, quia inuoluntaria, cùm Papa ex plena deliberatione, & in Synodo illam fecisset, ergo si electio illa cassata fuit, non quia inuoluntaria, nec ob alium defectum, sequitur solùm cassatam fuisse, quia non poterat Summus Pontifex eligere sibi successorem, quia hoc ex Christi institutione Pontifex non habet ius, & potestatem sibi eligendi successorem.

Confirmatur hoc ex alio casu, quem narrat Andreas Victorellus in additione ad Ciacconem in vita Pij IV. vbi refert, quod anno 1565. die 18. Nouembris Pius IV. loquens Cardinalibus in Concistorio, repræsentauit eis, suam iam confectam ætatem senio, & laboribus, & breuiter se moriturum, vndè scire vellet, vtrùm Papa potuisset sibi successorem eligere, & audiens sub Paulo IV. agitatam hanc quæstionem, an idem Pontifex adiutorem, cum futura successione posset asciscere, & quamuis aliqui cum Decio id affirmarent, tamen eam Pius cum alijs Cardinalibus tamquam falsam reijciendam existimauit, immò volebat eam declarare, & si opus esset statuere Pontificem, etiam Cardinalibus assentientibus non posse id facere, & quamuis Cardinalis Gambara dixerit non opus esse alio decreto, iam enim fuisse determinatum ab alio Pontifice, nihilominus promisit de nouo se talem declarationem facturum, & decretum, in quo statueret non potuisse Ponti-

tificem sibi successorem eligere, vel adiutorem cum futura successione, & quamuis de hoc Consistoriali decreto non constet authenticè Auctores tamen, qui id narrant, sunt viri magnæ auctoritatis, & fidei.

Deindè secundò, probo meam conclusionem ratione desumpta ex Diuo Thoma opuscul.19. contra impugnantes Dei cultum & religionem cap.4. vbi sic habet: licèt Christus Dominus sit Sponsus Ecclesiæ, de quo dicit Ioannes c.3. qui habet Sponsam Sponsus est, ipse enim de Ecclesia nomini suo filios generat, & post pauca: [Ministri quidem, in tantùm Sponsi dicuntur, in quantùm vicem veri Sponsi obtinent, & ideò Papa, qui obtinet vicem veri Sponsi in tota Ecclesia, vniuersalis Ecclesiæ Sponsus dicitur.] Ex quibus sic formo rationem pro nostra Conclusione: Pontifex, ex Diuo Thoma vidimus, est Sponsus Ecclesiæ, ergo non potest successorem sibi eligere. Antecedens est certum; & consequentia probatur, tum quia Sponsus non potest in matrimonio carnali Sponsæ suæ eligere successorem Sponsum. in casu, quo ipso mortuo Sponsa superuiuere debuisset; ergo nec in connubio spirituali Papa, qui est vniuersalis Ecclesiæ Sponsus, poterit successorem sibi eligere, qui post eius mortem ipsiusmet Ecclesiæ vniuersalis futurus sit Sponsus. Tùm etiam, nam secundùm omnia iura, Sponsa debet sibi eligere Sponsum, & non ab alio accipere electum, vt sic dicatur, voluntariè contrahere; ergo potestas eligendi Summum Pontificem, qui est Sponsus Ecclesiæ, non est in Pontifice, sed in Ecclesia sua Sponsa.

Quod si dicas, Petrum fuisse Sponsum Ecclesiæ; & tamen non fuisse electum ab Ecclesia, sed ei datum à Christo, ac proindè ratio adducta nuper à nobis nihil probat.

Contra est, nam Christus ideò potuit dare, & eligere Summum Pontificem, & Sponsum, quando, & quem voluit, quia est Fundator Ecclesiæ, & Institutor huius spiritualis coniugij, & sic, sicut ipse elegit Sponsam, potuit dare Sponsum, quem iudicauit ei conuenire; at Summus Pontifex; qui hodie regnat; non est Fundator Ecclesiæ, non ergo valet ex paritate arguere, quod potest Christus Ecclesiæ designare Sponsum, ergo potest Pontifex designare sibi successorem. Tùm secundò, nam Christus, quo Deus, est magis Dominus nostrarum voluntatum, quàm nos ipsi sumus, ergo potuit eligere Sponsum sine læsione voluntarij, & liberi matrimonij, sed Pontifex non est Dominus voluntatis Ecclesiæ, ergo ex eo, quod Christus Dominus potuit eligere Sponsum Ecclesiæ, non benè arguitur, posse Pontif. eligere sibi successorem.

Confirmatur, & corroboratur hæc ratio, Summus Pontifex, vt ait D. Bernardus lib. 2. de consider. & habetur in 6. tit. de electione cap. vbi periculum, est Vicarius Christi. Sed Vicarius Generalis alicuius Episcopi non potest successorem sibi eligere, vt docet Alexander III. cap. Clericos de officio Vicar. ergo Summus Pontifex adhuc viuens, non potest eligere sibi successorem, vndè docetur, cap. cit. de officio Vicarij, quod in nullo casu licet Vicario alium sibi Vicarium substituere.

Denique omissis alijs rationibus; probo meam conclusionem hac subtili ratione Caietani, actio per se factiua Papæ, debet per se supponere carentiam Papæ, sed electio Summi Pontificis est actio per se factiua Papæ, ergo debet per se supponere carentiam Papæ; sed Pontifex, dum viuit, non dicit carentiam Papæ, ergo non potest eligere Papam successorem sui. Maior probatur à Caietano, nullus potest esse Papa alio Pontifice viuente, sed actio per se factiua Papę constituit electũ Papam, ergo si nullus potest esse Papa alio Papa viuente, nullus potest eligi in Papam à Papa viuente.

Non placet aliquibus Doctoribus hæc ratio Caietani, nam dicunt, quod esto duo Pontifices simul esse nõ possint, possunt tamen esse vnus Pontifex, & alter electus hæres Papatus, sicut viuente Imperatore creatur Rex Romanorum, qui est hæres Imperij post mortem Imperatoris.

Cæterùm solidam rationem Caietani non infringit data solutio, & sic formatur de nouo argumentum, neque duo Pontifices sunt simul compatibiles, neque, quorum alter sit actu Pontifex, alter electus post eius mortem Pontifex, ergo actio factiua Papæ non potest conuenire ei, qui de facto est Papa. Consequentia hæc est bona, & antecedens quoad primam partem admittitur à contrarijs, quoad secundam verò probatur: electio Papæ, non est factiua alicuius dignitatis inferioris Papatu, cùm successio ei debeatur post mortem Papæ, ac proindè ex vi illius electionis ponitur in eo Papatus, non enim datur in Ecclesia, nec Deus in ea instituit dignitatem Papatu inferiorem, cui iure hæreditario, aut successorio Papatus debeatur, ergo implicat non solùm esse duos Papas simul, sed etiam esse vnum Papam, & alterum electum cum successione ad Papatum, sicuti datur in Imperio Imperator, & Rex Romanorum, in qua dignitate continetur successio ad Imperium.

§. II.

Diluuntur Argumenta contraria.

Contra nostram conclusionem arguitur primò, quod potest inferior, potest potiori iure Superior, sed inferior Papa potest eligere sibi successorem, ergo & Papa. Minor probatur, tùm quia Summus Pontifex Zaccharias Papa Episcopo Moguntino, vt sibi Coadiutorem eligeret, & successorem in Episcopatu concessit, ergo à fortiori, &c. tùm etiam, nam Summus Pontifex in lege veteri disposuit, vt ipsemet eligeret Iosue suum successorẽ in Sacerdotio, iuxtà illud Num.27. [Tolle Iosue filium Nun virum, in quo est spiritus Dei, & pone manum tuam super eum, vt sacerdotio potiatur;] Ergo à fortiori in lege noua poterit Summus Pontifex eligere sibi successorem.

Respondeo negando minorem, ad cuius primam probationem dico, quod Episcopo Moguntino nullam potestatem dedit quoad successionem, sed tantùm fuit ei concessum, vt aliquem Episcopum posset sibi assumere in

in Coadiutorem, iuxtà illud, vt habetur in gloss. in cap. petisti 7. quæst. 1. Ad secundam probationem respondeo negando consequentiã, nam licèt Moyses elegerit, adhuc viuens, Iosue Principem populi, non tamen eum constituit Summum Sacerdotem, de quo est sermo in hac quæstione, præterquamquod Moyses non elegit Iosue auctoritate propria, sed ex speciali indulto, & præcepto Domini, iuxta illud ex cap. cit. 27. [Dixitque Deus ad Moysen, tolle Iosue filium Nun virum, in quo est spiritus Dei, & pone manum tuam super eum, &c.

Secundò arguitur. De facto Summi Pontifices elegerunt sibi successores, ergo possunt. Consequentia tenet, quia ex actu ad potentiam valet arguere affirmatiuè. Antecedens verò probatur. Diuus Petrus de facto sibi elegit successorem sanctum Clementem, ergo Pontifex de facto elegit sibi aliquando successorem. Antecedens probatur, tùm ex auctoritate Ioannis III. qui in epist. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, sic habet: [Si autem Petrus Princeps Apostolorum, adiutores sibi adsciuit Linum, & Cletum, non tamen potestatem Pontificiam, aut ligandi, atque soluendi eis normam tradidit, sed successori suo sancto Clementi, qui Sedem Apostolicam post eum, & potestatem Pontificalem tradente sibi, Beato Petro tenere promeruit.] Tùm ex auctoritate ipsius sancti Clementis, qui in epist. ad Iacobum fratrem Domini, sic habet: [In ipsis autem diebus, quibus vitæ finem sibi imminere præsensit, in Conuentu Fratrum positus apprehensa manu mea repente consurgens in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba: Audite me fratres, & conserui mei: quoniam, vt edoctus sum ab eo, qui misit me Domino, & Magistro meo Iesu Christo, dies mortis meæ instat, Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado,] quod etiam affirmant Leo II. in capit. si Petrus 8. quæst. 1. Anacletus, & Fabianus, referente Carranza in Summa Concil. verbo Clemens Papa II. Petrus Lirinensis in epist. ad Archiepisc. Moguntinum; ergo Pontifex de facto elegit sibi successorem. Mitto decretum Bonifacij Papæ II. qui in Synodo congregata in Basilica sancti Petri elegit sibi Vigilium Diaconum successorem, quia de hac historia supra egimus in probatione nostræ Conclusionis.

Respondeo ad hoc argumentum dupliciter, vel admisso ipso facto Petri, negando consequentiam, non enim hoc fecit Petrus ex potestate ordinaria, quam ad sic faciendum habuerit, sed tantùm ex speciali Christi statuto, & priuilegio, vndè ipse in epist. cit. habet, [hoc enim fieri statutum est mihi,] vndè in hoc Petrus non venit imitandus à suis successoribus, quia non omnia, quæ Petrus fecit, possunt à suis successoribus imitari, ex eo enim, quod Petrus transtulit Sedem Apostolicam ab Antiochia Romam, non licet inferre id licere successoribus, non enim possunt Sedem ex vrbe Roma transferre, quia hoc factum fuit, non ex ordinaria potestate, sed ex speciali Dei iussu, vt habetur in cap. rogamus 2. qu. 1. dist. 24. Scio Vasquez 3. par. tom. 3. disputatione 244. non placuisse hanc solutionem, quia nullum datur fundamentum ad asserendum hoc priuilegium concessum Petro à Domino. Cæterum, vt iam vidimus, ex illis verbis dictis à Petro, sumitur validum fundamentum pro tali priuilegio asserendo, ait enim: [hoc enim fieri statutum est mihi, sed non ab alio, nisi à Domino;] ergo ex speciali priuilegio, & auctoritate hoc fecit Petrus.

Vel secundò, respondeo negando factum Petri, dico enim omnia illa fundari, & desumpta esse ex epistola illa Clementis ad Iacobum fratrem Domini, talem autem epistolam esse apocrypham, fictitiam creditur, tùm ex auctoritate DD. ita sentientium, vt sunt Cardinalis Turrecremata in Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 10. Cardin. Bellarminus in opusc. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cardin. Baronius ad annum Domini 69. Petrus Comestor in sua historia scholastica capit. 101. Posseuinus, & alij quamplures, & ex dictis etiam eius, colligitur eius falsitas, nam in illa Clemens monuit Iacobum fratrem Domini de nece Petri, & tamen Iacobus obijt sex annis antè Diuum Petrum, nam ille septimo, hic verò tertio decimo anno Neronis martyrio coronati fuerunt, ergo non poterat Clemens suum amicum Iacobum de nece Petri certiorem reddere, qui tot annis post eius mortem passus est, ergo apocrypha censeri debet illa epistola, sicut falsum est etiam, quod Clemens successerit Petro in Papatu, nam sicut habetur in canone Missæ post Petrum ponitur Linus, & post Linum Cletus, & tandem post Cletum Clemens, & idem ordo seruatur à Platina, qui posuit post Petrum Linum, & post Linum Cletum, & deindè Clementem, & hoc, vt narrat Platina, quia Clemens modestissimus omnium spontè sibi in tanto honore prætulit illos duos, quod etiam confirmat illam epistolam esse apocrypham, cum in illa dicatur, quod modestè tergiuersanti Clementi, & recusanti Pontificatum, Petrus responderit: In hoc non me rogaueris, quia sic fieri statutum est mihi.

Tertiò arguitur; potest Papa eligere coadiutorem alicuius Episcopi cum successione post mortem in Episcopatu, ergo potest Papa post suam mortem relinquere successorem. Antecedens constat, & est in praxi. Consequentia verò probatur, sicut Papa est Sponsus vniuersalis Ecclesiæ, ità Episcopus est Sponsus suæ Ecclesiæ particularis, sed licet Episcopo suæ diœcesi, & Ecclesiæ particulari denunciare Sponsum futurum, ipsumque determinatè designare, ergo licebit etiam Papæ toti Ecclesiæ futurum Sponsum designare.

Respondeo, distinguendo antecedens, potest Episcopus designare successorem auctoritate ordinaria Episcopatus, nego antecedens, potestate commissa, & delegata à Summo Pontifice, concedo antecedens, & nego consequẽtiam ad probationem relicto antecedenti distinguo consequens, poterit auctoritate extraordinaria sibi delegata à Christo, concedo consequentiam auctoritate ordinaria Pontificatus, nego consequentiam; etenim Pontifex enim habet potestatem ordinariam eligendi, & designandi Episcopos pro peculiaribus Ecclesijs, & ideò potest illam delegare, & ex delegatione Summi Pontificis possunt Episcopi designare sibi successorem, ad desi-

designandum verò futurum Papam non habet Pontifex Romanus ordinariam potestatem, vndè si habebit delegatam à Deo, & hanc sic publicam, vt constet Ecclesiæ de tali delegatione, vtique poterit eligere successorem, & Ecclesia tenebitur acceptare.

Sed oppones Ecclesia habet potestatem ordinariam eligendi Papam, ergo à fortiori, Papa habebit extraordinariam per delegationem eligendi Papam successorem. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam, nam Deus ità disposuit, vt Ecclesia haberet electionem ex potestate ordinaria, non autem hoc concessit Capiti scilicet Summo Pontifici eligendi successorem; hæc enim dependent ex institutione diuina, & ideò non potest fieri argumentum ex potestate Ecclesiæ ad potestatem Summi Pontificis, vel è contra.

Sed adhuc instabis, ad Papam attinet præbere regulam, & modum seruandum in electione Summi Pontificis, ergo non solùm ad Ecclesiam, sed etiam ad Papam illa potestas eligendi pertinet, ac proindè non ex delegatione, sed ex officio pertinet etiam eligere sibi successorem. Antecedens patet, & consequentia probatur, vnus ex modis eligendi est, quod per Pontificis designationem successor eligatur, ergo poterit propria auctoritate Pontifex illum modum designare, & successorem eligere, & non solùm ex delegatione speciali Dei.

Respondeo, negando conseq. ad probat. distinguo maiorem, vnus ex modis eligendi Summum Pontificem est, quod Pontifex sibi eligat successorem, vnus ex modis determinatis à Deo, nego maiorem: contra id, quod determinauit Deus, concedo maiorem,& sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam, licèt enim Pontifex possit electionem modificare, & formulare, non tamen potest mutare Electores, quia hos determinauit Deus, quia sic Pontifex esset supra Deum, cum supra id, quod Deus determinauit ipse dispensaret, & contrarium statueret: saluis autem Electoribus, potest circa alia determinare, si autem determinaret, quod Pontifex fieret per designationem prædecessoris, hoc esset auferre de medio Electores, qui à Deo habent potestatem eligendi Pontificem, quod vt diximus est de iure diuino.

Sed adhuc obijcies, potest Papa per suas constitutiones addere, vel mutare Electores, vel minuere; ergo habet potestatem, non solùm circa modum electionis, sed etiam circa Electores. Antecedens probatur: antè Nicolaum secundum electio Papæ non erat restricta ad solos Cardinales, ipse autem restrinxit, & determinauit hoc suo decreto: [Si quis pecunia, aut gratia humana, aut populari militariue tumultu, sine concordi, & canonica electione Cardinalium fuerit in throno Petri collocatus, is non Apostolicus, sed apostaticus, idest à ratione deficiens meritò vocetur, liceatque Cardinalibus, Clericis, & Laicis Deum colentibus illum, vt prædonem anathematizare, & quouis humano auxilio à Sede Apostolica propellere, &c.] ergo poterit Pontifex electionem ad solum Pontificem restringere, qui enim potest vocem actiuam ab aliquibus auferre, cur non potest ab omnibus, & sibi electionem hanc reseruare.

Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam, nam de iure diuino tantum est, quod Ecclesia Papam eligat, sed à quibus personis eligatur hoc de iure diuino non est determinatum, & ideò Papa potest determinare, & sic Nicolaus determinauit ad solos Cardinales pertinere electionem Pontificis, non autem ad seipsum.

Denique arguitur, potest Summus Pontifex alteri facultatem concedere, vt in ipsius locum possit successorem eligere, ergo potest ipse per se suum eligere successorem. Antecedens probatur, tùm primò, nam ex capit. Adrianus Papa distinct. 63. vbi sic dicitur: [Adrianus autem Papa cum vniuersa Synodo, tradiderunt Carolo Magno ius, & potestatem eligendi Summum Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem, dignitatem quoque patritiatus ei concesserunt.] Tùm etiam ex illo, quod habetur ex cap. si transitus Papæ in 2. Synodo Romana, vbi sic legitur:] Si transitus Papæ inopinatus euenerit, & de sui electione successoris ante decernere non possit (vt supra placuit) siquidem in vnum totius conuentus Ecclesiastici Ordinis electio consecretur electus Episcopus, &c.] ergo antè mortem, & transitum Papæ potest ipse disponere de suo successore.

Respondeo negando antecedens, ad primam probationem, nego veritatem illius historiæ,quia Baronius ad annum 774. ostendit esse confictam, & sine solido fundamento. Ad secundam probationem nego consequentiam, ad probationem dico, quod Symmachus Papa in cap. si transitus non dixit,quod Papa non potest eligere sibi successorem, sed solùm, quod potest decernere de successore, quod iuxta Glossam loco nuper adducto, aliud est de sui successoris electione cum fratribus deliberare, quod fieri potest, & aliud est ex testamento, quasi dignitatis suæ hæredem constituere, quod à nobis impugnatur.

DVBIVM III.

Quinàm sint veri Electores Summi Pontificis, & quas conditiones habere debeant.

Viso iàm quinàm sint, qui non possunt Summum Pontificem eligere, remanet in præsenti declarandum, qui sunt illi, qui iuridicè, & secundùm præsentem iustitiam solùm possunt eligere Summum Pontificem, & quas conditiones habere debeant.

Quantum ad primam partem. Dico, de iure Ecclesiastico, solis Cardinalibus pertinet per se electio Summi Pontificis, esto ab ipso exordio Ecclesiæ, ad Clerum Romanum pertinuisset, & hanc potestatem electiuam esse quidem de iure Diuino, non tamen de facto esse affixam, seu applicatam ex ipso iure Diuino ad certas personas, aut dignitates, sed posse id ab Ecclesia, & à Pontifice mutari.

Prima pars huius assertionis probatur, tùm ex antiquissima praxi Ecclesiæ, quæ habet

bet semper Clero Romano spectasse electionem Summi Pontificis, etsi aliquando alij adiuncti fuerint Electores ex speciali ordine Pontificis, non tamen exclusi fuerunt Romani Clerici; ergo signum est, quod ad ipsos pertinet suapte natura Pontificis electio. Tùm etiam, quia in Concilio Constantiensi, dùm Concilium ex certa causa voluit in electione Summi Pontificis adiungere aliquos Electores, petierunt Patres consensum à Cardinalibus; ergo signum est, quod ad Collegium Cardinalium ritè, & per se spectet electio Summi Pontificis, cùmque Cardinales sint Clerici Romani, ad illos spectabit. In præsenti statu Ecclesiæ ad solos Cardinales pertinet electio Summi Pontificis, ex constitutione Nicolai II.

Et ratio, quæ potuit mouere Nicolaum II. vt ad solos Cardinales restringeret electionem Summi Pontificis, fuit, quia Cardinales sunt principaliores personæ Cleri Romani, cùmque ad Clerum Romanum spectasset, & iste iàm creuisset, vt confusio vitaretur restrinxit ad principaliora eius membra, & ità sentiunt omnes Theologi, & habetur in cap. in nomine distinct. 23. à Nicolao II. & cap. licèt, de electione à Gregor. X. cap. vbi periculum eodem tit. in 6. & constat etiam ex epistola sancti Cypriani Episcopi, & Martyr.

Et licèt in Concilio Lateranen. vt diximus, à Nicolao II. restrictus fuerit numerus Eligentium Pontificem ad solos Cardinales, nihilominùs tamen modus iste erat antiquus, quem Nicolaus instructus à suis prædecessoribus, & sanctis Patribus tantùm sua auctoritate confirmauit, ab antiquo enim Cardinales quicumque habebant ius eligendi Summum Pontificem, quia tunc computabantur etiam inter Clericos Romanos, inter quos etiam computabantur non solùm Presbyteri, & Diaconi, sed etiam Subdiaconi, & Acolyti, vt patet ex illo decreto in electione sancti Gregorij VII. vbi omnes Cardinales vocantur: [Nos, inquit, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ Cardinales Clerici, Acolyti, seu Diaconi, Subdiaconi, Presbyteri, &c.]

Itaque ad Alexandrum III. vsque, electio Pontificis à Cardinalibus facta est in Ecclesia Clero, & Populo præsente: posteà secluso Populo, & Clero, in Conclaui à solis Cardinalibus eligitur, & posteà ab vno Cardinalium publicatur Populo, & statim defertur ad Ecclesiam, vbi in præsentia totius Populi à Cardinalibus adoratur, itaque, sicut anteà, ità & modò concurrit Populus, & Clerus in electione Summi Pontificis, non quidem eligendo, sed Electioni consentiendo, quod & modò, sicut & anteà præstaut.

Secunda verò pars probatur. Electio Pontificis fit per auctoritatem relictam à Christo Domino suæ Ecclesiæ; ergo hæc potestas est de iure Diuino.

Tertia denique pars, probatur, seu explicatur. De facto Summi Pontifices mutarunt in hac electione Electores, sed si persona, cui tributa est potestas eligendi esset determinata de iure Diuino, non posset ab ea auferri, & alijs concedi; ergo non est de iure Diuino vnio huius potestatis electiuæ Pontificis subiecto particulari determinato. Maior probatur, nàm, vt vidimus supra, Nicol. II. restrinxit electionē ad solos Cardinales Episcopos, alij verò etiam ad alios Cardinales Diaconos, & Presbyteros; ergo de facto Electores mutati sunt.

Ex dictis infero cum nostro Magistro Passerino, quatuor esse conditiones, vt aliquis sit legitimus Elector Summi Pontificis, prima est, quod Cardinalis habeat expeditum, & liberum vsum rationis, vt sic humano modo, & liberè eligat, quem iudicauerit esse eligendum: vndè Cardinalis fatuus, tempore fatuitatis, & stultitiæ validè non eligeret; vsus enim rationis expeditus, & liber est, de iure naturæ, necessarius omni Canonico Electori ergo etiam, & Cardinalibus eligentibus Summum Pontificem.

Secunda conditio est vt saltem sit promotus ad Sacrum Ordinem Diaconatus; sic enim statutum est à Pio IV. in sua constitutione illis verbis. [Statuimus etiam, & declaramus, quod si fortè aliquis Cardinalis saltem in Diaconatus Ordine constitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat;] & idem specialiter statuerunt Sixtus V. & Gregorius XV. scio Bonacinam de electione Pontificis quæst. 1. par. 1. num. 6. docere: Cardinalis non Diaconi votum non esse irritum, si admitteretur ad electionem, quia constitutio Pij IV. non irritat tale votum Cæterum hæc doctrina Bonacinæ non placet, ad hoc enim, quod sit irritum votum sufficit esse, vel suspensam, vel ablatam potestatem eligendi ab Electore, cùmque constitutio Pij IV. hanc potestatem suffragandi auferat à Cardinalibus non Diaconis, irritum erit eorum votum, verum est autem, quod Cardinales non Diaconi dispensantur per speciale breue à Pontifice illos creante, ad hoc vt possint suffragium in electione Pontificis dare.

Tertia conditio est, quod sit præsens intra conclaue, qui enim sunt extra conclaue, nullum ius habent ad eligendum, nisi conclaue intrent, & hoc ex speciali decreto Gregorij X. in Concilio Lugdunensi, & habetur capitulo vbi periculum de electione in 6. quod confirmauit Gregorius XV. & Vrbanus VIII.

Quarta denique conditio est, quod Cardinalis non sit simoniacus, nam id habetur in constitut. Iulij II. quæ incipit: [Cùm tam diuino, §. Cardinales, vbi ipso iure; absque alia declaratione priuatur Cardinalatu, ac proinde voce electiua Pontificis. Verum est autem, quod ad omnem occasionem, diuisionis, & schismatis tollendam, Pius IV. & postea Gregorius XV. declararunt nullam pœnam inabilitatis ad electionem habere locum in Cardinalibus, quantùm ad effectum priuandi illos electione ipso facto, & antè sententiam declaratoriam, vndè si aliquis Cardinalis esset simoniacus in conscientia, & non declaratus, talis iste non esset priuatus Cardinalatu, nec esset priuatus electione, donec toleraretur, & non declararetur simoniacus. Ita Suarez, & Passerinus contra Bonacinam quæst. 1. par. 1. num. 2.

Hinc infero Cardinalem mente sanum, ac præsentem intra conclaue, & Diaconum nihil

nihil esse, quod possit impedire, vnde Cardinalis creatus, de nouo, & qui nondum acceperit pileum rubeum; vel cui non fuerit apertum, & clausum os, non inde priuari voce electiua Pontificis, quod statuit Beatus Pius V. in decreto, vt refert, & confirmat Gregorius XV. in decreto à se emanato.

Sed quæres primò, an Cardinales possint admittere extraneum ad electionem Summi Pontificis.

Respondeo hoc quidem facere posse Cardinales; introductus talis extraneus non vitiaret electionem: sed merè inutiliter hoc fieret, quia electio Papæ pertinet ad Cardinales tantùm; ergo ille solus est censendus electus, qui à duabus partibus Cardinalium suffragium habuit, & cùm Cardinales non habeant potestatem creandi alios Cardinales; consequenter, nec possunt admittere alios ad electionem, esse enim Cardinalem est de substantia electionis, & ideò hoc deficiente, deesset etiam modo à nobis supra explicato, electio.

Quæres secundò, vtrùm Cardinalis in conclaui iam existens, possit renunciare voci suæ.

Respondeo negatiuè, & ratio est, quia Cardinales omnes non possunt renunciare electioni Papæ, cum hoc sit ius publicum Ecclesiæ, cui Cardinales renunciare non possunt.

Verum est autem, quod si aliquis Cardinalis renunciare vellet, valida tamen esset electio cæterorum, vt patet ex iure speciali constitutionis Gregorij XV. quæ incipit æterni Patris, vbi præcipit, quod quilibet Cardinalis intra Conclaue existens, & non impeditus actuali infirmitate, sub pœna excommunicationis debeat conuenire mane, & vespere ad tractatum, quod est conuenire ad electionem.

§. III.

Contra hucusque dicta aliqua obiectiones soluuntur.

Contra primam partem conclusionis arguitur ad probandum electionem Summi Pontificis, non ad Cardinales tantùm, sed ad totam Eccclesiam, vel ad Concilium Ecclesiam repræsentans pertinere, nam facultas eligendi Pontificem primò, & immediatè à Christo data est Ecclesiæ. ergo in Ecclesia: seu in Concilio repræsentante Ecclesiam hæc potestas residet. Antecedens constat, quia Christus pro Ecclesiæ bono Papatum instituit, beneficium enim summum collatum fuit Ecclesiæ in eo, quod habeat semper in terris visibilem Pastorem, qui fideles, veluti oues pascat, & diligat ergo Ecclesiæ immediatè à Christo data est hæc potestas, ac proindè, & Concilio totam Ecclesiam repræsentanti. Confirmatur hoc ex cap. sacrosancta distinct. 22. vbi habetur, quod Apostoli sibi elegerunt Petrum, in caput, & Pontificem, & hanc formam eligendi suis successoribus tradiderunt, sed successores Apostolorum sunt Episcopi; ergo ad Episcopos pertinet electio Summi Pontificis.

Respondeo ad hoc argumentum ex doctrina Caietani, distinguendo antecedens data fuit Ecclesiæ, vt contradistinctæ à capite, seu prout Ecclesia est corpus sine capite. Nego antecedens, contulit immediatè potestatem eligendi Papam Ecclesiæ, prout est corpus suo capiti iunctum; Concedo antecedens, & nego consequentiam, nam licèt Christus concessit Ecclesiæ hanc potestatem, vt corpori suo, Capite iuncto, & tamen sic concessit, vt hæc potestas sit principaliter in Papa, vt in regulante, in alijs verò tanquam eligentibus, quia Sapientia increata optimo hoc modo prouidit Ecclesiæ suæ, vt determinando hanc electionem. iuxtà temporum proprietatem, & occasionum exigentiam, & temporum varietatem, subderetur directioni, & ordinationi Pontificum, vndè per illos competit, in hac electione repræsentari totam Ecclesiam, qui ad hoc destinati sunt à Pontifice.

Ad confirmationem nego antecedens, falsum est enim, quod Apostoli congregati elegerint Petrum in Caput, & Pastorem Ecclesiæ, neque hoc asseritur in Capite illo Sacrosancta, sed solùm ratam habuerunt, & gratam electionem Christi, quam fecit eligendo Petrum in Caput Ecclesiæ, quæ Apostolorum voluntas non antecessit, sed subsecuta est electionem Christi, vt constat ex Euangelio, non enim Christus requisito consensu Apostolorum dixit Petro, Pasce oues meas constituens sic illum Pontificem, & Pastorem Ecclesiæ.

Sed oppones ius eligendi debet competere illis, quibus competit ius deponendi Papam, magis est enim Papam deponere, quàm ipsum eligere, sed Papam deponere in casu, quo esset manifestè Hæreticus solùm concilio potest competere, vndè Cardinales, qui possunt Papam eligere, non possunt illum deponere, sed Concilium generale potest deponere Papam manifestè hæreticum; ergo & ipsum eligere.

Respondeo negando maiorem, non enim est vera illa propositio; quod qui potest deponere, potest eligere, nisi vbi quis sola sua voluntate, & arbitrio potest dare, & non dare quotiescumque, & quomodocumque voluerit, & potest dare, & auferre quotiescumque, & quomodocumque voluerit, non autem est vniuersaliter vera; Generalis enim nostræ Religionis v. g. potest ex causa deponere Prouincialem alicuius Prouinciæ, non tamen potest eligere in Prouincialem; sed ad Electores Prouinciæ spectat illum eligere, nisi in casu, in quo electio esset deuoluta ad Generalem, & ratio est, nam ille qui solùm est Iudex, licèt ex causa possit pro culpa deponere, non potest tamen suum Pastorem eligere, quia ei solùm commissum est iudicium deponendi pro culpa, non verò electio & ideò licet Concilium possit deponere Papam manifestè hæreticum, non quia est supra Papam, vt infra videbimus, sed quia Concilium habet potestatem ministerialem deponendi Papam in causa hæresis, nam rationabile est, vt Papa non deponatur nisi ex iudicio vniuersalis Ecclesiæ, cuius est Caput

non

non tamen habet potestatem eligendi quæ, vt visum est à Deo tributa est Ecclesiæ cum potestate concessa Summo Pontifici determinandi Electores, & hic non Concilium: sed Collegium Cardinalium determinauit.

Sed adhuc obijcies Concilium generale est supra Collegium Cardinalium, vndè est Iudex, ad quem pertinet iudicare in dubio quis sit verus Papa, an Cardinales fuerint legitimi Electores. & an electio fuerit ritè, & Canonicè facta, sed si potestas eligendi, Pontificem esset in Collegio Cardinalium, & non in Concilio, Collegium esset supra Concilium, ergo. Maior est clara; minor verò probatur, illud est maius, cuius potentia ad maiora se extendit, sed non Concilium, sed Collegium Cardinalium potest eligere Summum Pontificem, qui est Caput totius Ecclesiæ, ergo magis potest Collegium Cardinalium, quàm Concilium.

Respondeo negando maiorem, vel distinguendo maiorem, Concilium est supra Collegium Cardinalium, quantum ad hoc, quod est eligere Summum Pontificem, nego maiorem, non enim Concilium est supra Collegium Cardinalium, quantum ad hoc quod est eligere Papam, vnde non potest auferre hanc potestatem ab illis, quam non habuerunt immediatè, nisi à Papa, & mediatè à Deo vt supra visum est. Nec etiam valet, quod omne id, quod potest inferius, possit superius formaliter, nam Angelus est superior homine, & tamen non potest formaliter quidquid potest inferior: scilicet homo, non enim potest elicere actus animales formaliter in casu ergo posito in argumento, licèt Concilium fuerit supra Collegium Cardinalium, quia tamen à Deo non est destinatum Concilium vniuersalis Ecclesiæ ad electionem Summi Pontificis, non potest eligere, licèt possit de electione iudicare.

Secundò arguitur potestas electiua Papatus, debet esse æqualis, vel superior potestati ipsius Papatus, atqui potestas Cardinalium etiam simul sumptorum non est superior, nec æquat, sed est inferior potestate Papatus, ergo Cardinales non possunt eligere Papam.

Dices ex vi electionis, non fieri Papam sed tantùm designari personam, cui Christus ex vi pacti, quod fecit cum Petro de dando Papatum his, qui ei succederent in Episcopatu Romano, facta legitima electione, tribuit dignitatem Papatus ad electionem ergo collatiuam Papatus requiritur superior; vel æqua potestas, non autem ad electionem designatiuam tantùm personæ, qualis est illa, quam faciunt Cardinales in electione Papæ.

Sed contra oppones primò, quotiescumque potestas collatiua alicuius dignitatis, vel beneficij distincta est à potestate electiua aut designatiua personæ, necesse est, quod potens conferre dignitatem priùs acceptet personam electam, & designatam, vt dignam & deindè illi conferat talem dignitatem, & dum nobis non constat de prædicta acceptatione conferentis, non constat de prædicta collatione dignitatis, sed facta electione à Cardinalibus, nobis non constat, quod Christus acceptauerit personam electam. vt dignam Papatus, ergo numquam nobis constabit de collatione Papatus.

Secundò ex hoc, quod Electores Papæ non habeant tantam potestatem, quantùm habet Papa, non sequitur eos non conferre Papatum, licèt non vt causas principales, tamen saltem, vt causæ ministeriales. ergo nulla solutio. Antecedens probatur, causa ministerialis non indiget æquali potestate cum suo effectu; vt patet in ministris Ecclesiæ, qui verè faciunt Sacramenta, ministerialiter tamen; & Christus principaliter, ergo similiter Electores Papæ non tantùm habeat eligere, & designare, sed etiam conferre Papatum.

Respondeo ad primam, negando antecedens, hoc enim ipso. quod Ecclesia pacificè acceptat electum, vt Papam, constat nobis Deum approbasse talem electionem, & Papatum contulisse personæ à Cardinalibus electæ, nam in eo, quod Petrum designauit in Vicarium suum, & in eodem officio succedere voluit, quotquot fuerint electi ab Ecclesia ad Episcopatum Romanum, hoc ipso pepigit approbare vt dignos quoscumque Ecclesia ritè elegerit, & hoc, quod ritè eligat nobis constat per pacificam acceptationem Ecclesiæ.

Quod si opponas, quod Papa cum sit visibile Caput Ecclesiæ, & visibiliter exerceat actiones Papatus, necesse est, quod etiam visibiliter ei potestas conferatur, at si ex vi electionis non confertur Papatus, sed tantùm à Christo aliqua actione inuisibili, Papatus visibiliter non conferretur ergo, &c.

Respondeo negando maiorem, sufficit enim, quod licèt collatio sit inuisibilis, nobis tamen innotescat, per visibilem acceptationem Ecclesiæ, sicut contritio, quæ est pars principalis Sacramenti pœnitentiæ, & tamen per se non est sensibilis, sed sufficit, quod per confessionem externam sensibilis fiat, ita in præsenti, dicendum est sufficere acceptationem Ecclesiæ, ad hoc vt visibiliter appareat Papatum à Deo inuisibiliter esse collatum.

Ad secundam oppositionem respondeo, quod cùm Papatus formaliter consistat in Vicariatu Christi, non est conueniens, quod ab Electoribus etiam ministerialiter fiat, sed sufficit si illis concedatur designare personam, cui Christus seipso immediatè conferat Papatum, & ratio huius est; quia illa actio, quæ est collatio Papatus huic, qui de nouo eligitur, non est actio distincta, vel noua ab illa, qua constituit Petrum suum Vicarium in Ecclesia, & in illo omnes eius successores nam dummodo ritè sit electus; confertur illi Papatus ex vi illius actionis, qua fuit constitutus Petrus, cùmque illa actio, qua Petrus fuit constitutus non fuerit ab hominibus, nec ministerialiter, sed immediatè ab ipso Christo, ergo etiam collatio Papatus immediatè erit à Christo. Et ex hoc apparet discrimen inter collationem Papatus, & Sacramenta, nam Sacramenta à Christo sic fuerunt instituta, vt hominum ministerio fierent, iuxtà illud: [hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis, & illud, baptizantes eos in nomine Patris, &c. At verò in collatione Papatus hoc non habetur, immò explicatur quod Christus ei immediatè papatum contulit

sit ex illis verbis: [tibi dabo Claues Regni Cælorum, Pasce oues meas, cumque hæc non soli Petro, sed omnibus eius successoribus dicta sint, consequenter eis immediatè Papatus à Christo confertur.

Nec opponas, Papam non posse sibi eligere successorem, cum Caietano probauimus, quia actio electiua Papæ, est actio factiua Papæ: sed iuxta datam solutionem non est, nisi actio designatiua personæ; cui à Christo immediatè confertur papatus, ergo &c.

Respondeo actionem electiuam Papæ esse factiuam Papæ non collatiuè, sed designatiuè: idest designare personam, cui Christus confert Papatum.

Sed adhuc objicies, si electio Papæ non facit Papam, sed tantùm designat personam cui Christus confert Papatum, non erit inconueniens, quod Papa eligat sibi successorem, sequela probatur, quia ex hoc non sequeretur dari actu simul duos Papas, siquidem vnus esset verus Papa, & alius non esset Papa, sed per electionem designatus, vt post mortem illius Papæ succedat designatus in Papatu.

Respondeo, quod esto elector non faciat Papam effectiuè, facit tamen designatiuè, nam hoc ipso, quod illum eligat, & ipse acceptat, papatus ei confertur. vndè si Papa viuens eligeret sibi successorem, daretur illud inconueniens, quod duo Papæ forent, vnus ritè electus: alter quia per acceptationem, & per electionem confertur ei Papatus, & sic essent duo Papæ.

DVBIVM IV.

Vtrùm facta legitima electione Pontificis, sit de fide hunc v.g. Innocentium XI. esse Papam.

LOquimur in hac quæstione, quæ valdè celebris facta est nostris temporibus, de hoc Papa canonicè, & ritè electo, & inquirimus, an sit de fide, quod talis sit Papa, vel non. Duo enim in hac parte supponimus, primum est posse dari electionem Pontificis, quæ sit illegitima, dubia, & vitiosa, etiamsi à legitimis electoribus fiat, esto modò valdè difficile sit electionem factam à Cardinalibus viciari, etenim vt habetur in Clementina ne Romani, §. cæterum de electione, nullus Cardinalium prætextu excommunicationis, vel cuiuscumque alterius censuræ, potest ab electione Summi Pontificis repelli, ac proindè difficile est, quod vitietur electio Pontificis facta à Cardinalibus, quibus hæc electio ab Ecclesia commissa est: potest tamen aliquando reddi vitiosa, etsi non ex parte tamen ipsius electionis, vel personæ electæ, vt si fiat per metum cadentem in constantem virum, electio eo ipso redditur nulla. Similiter si non seruetur forma statuta, in cap. vbi periculum de electione in 6. quod scilicèt à duabus partibus Cardinalium sit electus, quod non sit simoniacus, quod non sit hæreticus manifestus, similiter si non esset vir, &c.

Secundò suppono aliquod posse esse de fide, per se primò immediatè, & formaliter, vel per se secundò mediatè, & virtualiter, illud dicitur immediatè, & per se primò de fide, quod lumine Dei, & per assensum fidei immediatè attingitur, tamquam reuelatum, illud verò dicitur per se secundò mediatè, & virtualiter, quod ex propositione de fide per illationem attingitur, & differunt inter se sicut principia, & conclusiones.

Obseruandum etiam est cum Salmanticensibus: hæc duo longè distare, hæc propositio est de fide, & de fide est hanc propositionem esse de fide, ad primum enim sufficit, quod aliqua propositio sit de fide; ad secundum verò requiritur inter alia, quod Ecclesiæ definitio liquidò innotescat, nec sub aliquo dubio relinquatur, vtrùm talis propositio fuerit definita, quando enim oppositum accidit, tunc, esto in se propositio sit de fide, & doctiores hanc definitionem Ecclesiæ penetrantes, ei assensum fidei præbeant, tamen de fide non est eam esse de fide, vnde non esset hæreticus explicitè, & formaliter, qui assensum fidei ei non præberet. Ex quo oritur inter Doctores difficultas circa certitudinem alicuius veritatis, & circa qualitatem censuræ, quam mererentur eam impugnantes, v.g. hæc propositio: efficacia gratiæ est ab intrinseco, & non ab effectu, fortè iam est definita ab Ecclesia contra Pelagianos, & Massilienses, quia tamen non constat euidenter esse definitam, non est de fide, quod prædicta propositio sit de fide, & qui illam negauerit non est formaliter hæreticus. Itaque difficultas huius dubij non est circa qualitatem certitudinis nec de hac quasi reflexione, an scilicet sit de fide, hanc propositionem, Innocentius XI. nunc regnans est verus Papa, esse de fide (licèt incidenter aliquid de ipsa tractabimus) sed tota controuersia erit, an de fide immediatè sit Innocentium XI. nunc regnantem esse legitimum, & supremum Ecclesiæ Pontificem. His suppositis.

In hac difficultate aliqui moderni Theologi existimarunt nullo modo, nec per se primò, nec per se secundò pertinere ad fidem hunc hominem in particulari esse Petri successorem, & verum Papam, sed tantùm habere quamdam certitudinem moralem, & naturalem euidentiam, seù experientiam, qua tales homines gubernare, & in sede Petri Ecclesiam regere debeat, vnde qui negaret hunc hominem esse Papam, non esset hæreticus formaliter, sed tantùm schismaticus, ità explicat hanc sententiam cum Salmãticensibus, Magist. Nugno tom. 1. qu. 20. art. 3. dub. 1. pro illa citat Turrecrem. lib. 4. sum. par. 2. cap. 9. Caietanum 2. 2. quæ. 1. art. 3. ad 4. Bannez. loc. citat. art. 10. dub. 2. ad 2. Canum lib. 6. de locis cap. vlt. Castro lib. 1. cap. 8. hos omnes citat Suarez, falsò tamen, vt infra videbimus: certum est illam defendere Castrum, cæteros verò ad secundam sententiam statim ponendam reducimus. Itaque secunda sententia affirmat hanc propositionẽ: Innocentium XI. esse Summum Pontificem, solùm esse mediatè de fide, ex eo, quod infertur ex vna de fide, & altera naturali scilicèt, quod hic homo est ritè

ritè electus, non est nota per fidem diuinam, sed solùm per quandam moralem certitudinem naturalem, quæ nititur veracitati eligentium, ita Magister Cano lib.5.de locis cap. vlt.& eâdem sententiam videntur tenere Doctores illi, qui affirmant, negantes Innocentium XI. esse Summum Pontificem, reos non esse hæresis, ità Bannez 2.2. quæst.1. art.10. dub.2. Azorius tom.2. lib.4. cap.5. & in hac controuersia.

Tertia sententia denique simpliciter docet hanc propositionem: Innocentius XI. est verus Pontifex pertinere ad fidem, & immediatè assensum eius elici ab habitu fidei: hanc sententiam tenent Turrecremata, Nugno, Suarez, Azorius, Gonet, Ioannes à Sancto Thoma, Magister Ferre, & alij Recentiores communiter. Sit ergo.

Conclusio, hæc propositio Innocentius XI. est Pontifex Romanus, est immediatè de fide diuina, non solùm quoad se, sed etiam quoad nos. Hanc conclusionem tenent DD.3.sent.

Illam probo primò. Ad eumdem habitum pertinent propositio vniuersalis, & particularis contenta sub tali vniuersali, sed hæc propositio Innocentius XI. est Summus Ecclesiæ Pontifex, est propositio contenta sub hac vniuersali toti Ecclesiæ reuelata, Episcopus Romanus est Summus Pontifex; ergo huiusmodi propositio ad eundem habitum fidei pertinet, ac pertinet vniuersalis; maior est certa discurrendo per singulas, v.g. ista vniuersalis; omnes homines in Adam peccauerunt, quia est de fide immediatè reuelata à Deo, ideo istæ Simon Petrus, Ioannes, & sic de alijs, in Adam peccauerunt sunt etiam de fide immediatè, sicut sua vniuersalis, impossibile est enim, quod vniuersalis sit vera, & de fide, & quod particularis sit falsa, & non de fide, quia in vero non potest contineri falsum, quia verum cùm sit bonum, & perfectum, debet esse bonum ex integra causa, & ideo non potest in vero contineri falsum, esto in falso possit contineri verum. Minor autem, in qua potest esse difficultas probatur, namque hæc vniuersalis, omnis homo ritè electus ab Ecclesia in successorem Petri, & Summus Ecclesiæ Pontifex, est propositio à Deo reuelata toti suæ Ecclesiæ, sed in illa vniuersali continetur ista particularis Innocent. XI. est Pontifex Romanus ergo ista continetur in vniuersali reuelata, & consequenter de fide. Minor huius syllogismi probatur sub illa vniuersali particulares contentæ sunt istæ, hic, & ille ritè electus in successorem Petri, est Summus Ecclesiæ Pontifex, sed in hac quæstione loquimur de Innocentio XI. supposita legitima eius electione, ergo est particularis sub illa vniuersali contenta; cùm etiam probatur illa principalis minor. Ideo hæc propositio Salomon peccauit in Adam, est de fide vera, & immediatè de fide, quia continetur in illa vniuersali immediatè reuelata, omnes in Adam peccauerunt, quæ sic explicatur, omnes filij Adæ in eo peccauerunt; Salomon est filius Adæ; ergo peccauit in eo; non enim potest falsificari hæc particularis, nisi falsa reddatur eius vniuersalis, ergo à simili ista particularis erit immediatè de fide Innocentius XI. est verus, & vniuersalis Ecclesiæ Pontifex, quia continetur sub illa vniuersali immediatè reuelata, omnis ritè electus ab Ecclesia in successorem Petri, est Pontifex totius Ecclesiæ.

Dices cum Arauxo, quod ad hoc, vt illa particularis Innocentius est verus vniuersalis Ecclesiæ Pontifex sit de Fide, necesse erat, quod vtraque præmissa illius discursus esset de fide, sed in illo discursu, vna præmissa est de fide, & altera naturalis, ergo non infert illam de fide.

Sed contra, nam ille discursus, quo vtimur ad declarandam propositionem illam esse de fide, non est discursus strictè, & rigorosè illatiuus, sed potiùs discursus applicatiuus, seu explicatiuus, sed doctrina illata ab Arauxo, licèt sit vera in discursu rigoroso illatiuè, non solo discursu applicatiuo, & explicatiuo, ergo nulla est solutio, & ex his patet solutio ad alium motiuum adductum ab Arauxo, nempè, quod consequentia semper sequitur debiliorem partem, vndè cùm vna ex illis premissis sit de fide, altera naturalis; ergo Conclusio sequetur partem naturalem, quæ est debilior pars.

Manet inquam ex dictis soluta hæc instantia, nam cùm hoc teneat, solùm in discursu illatiuo, non autem in discursu explicatiuo, seu applicatiuo; ergo cùm ille à nobis factus ad probandam illam propositionem, Innocentius XI. est verus, & vniuersalis Ecclesiæ Pontifex, esse immediatè de fide non sit discursus verè, & propriè illatiuus, non sequitur conclusio in illo debiliorem partem, probatur antecedens, ideo in discursu illatiuo, conclusio sequitur debiliorem partem, quia cum in illo vtraque præmissa constituat causam adæquatam consequentis quoad cognosci, & repugnet effectum excedere suam causam adæquatam, fit inde quod conclusio, quæ est effectus, debiliorem partem sequatur, at hoc non currit in discursu purè applicatiuo, & explicatiuo, in quo propositio vniuersalis non comparatur, vt causa ad propositionem particularem, cùm nil aliud sit quo ad implicitum, quàm omnes ipsæ particulares, propositio naturalis, quæ subsumitur, est pura explicatio propositionis vniuersalis ad determinatum, & particulare subiectum; ergo licèt illud axioma tenet in discursu illatiuo, non tenet in discursu purè explicatiuo.

Secundò, & efficaciùs probatur nostra conclusio, impossibile est, quod Ecclesia erret in acceptanda quacumque regula fidei, siue definitionem Concilij, siue librum aliquem Canonicum, siue traditionem aliquam, & quod acceptando illam tamquam regulam fidei, non sit de fide, quod illa sit vera, & legitima regula; ergo etiam impossibile est, quod Ecclesia vniuersalis erret in acceptando Summum Pontificem in particulari, cùm acceptet illum, tamquam regulam supremam, & animatam in proponendis rebus fidei. Antecedens patet, quia si non est certum ad credendum secundùm fidem, quod iste liber in particulari sit Canonicus, aut quod ista definitio sit legitima definitio, nec etiam possumus esse certi de rebus definitis, vel de traditis in libro Canonico. Consequentia verò probatur primò: Ecclesia vniuersaliter

acceptat Summum Pontificem esse Caput eius. vniendo se illi tamquam legitimo Capiti Supremo visibili, & subijciendo se illi, & hoc non in communi, sed in particulari: & determinatè, cùm visibile Caput non sit, nisi determinatum in particulari: ergo oportet quod Ecclesia huic in particulari se subijciat, & vniat, tamquam Capiti, quam subiectionem, & vnionem tota Ecclesia facit, pacificè acceptando electionem, & electum, ergo si Ecclesia errare non potest in acceptando regulam fidei, de fide erit hunc electum esse Summum Pontificem.

Secundò probatur illa consequentia, quando Pontifex electus in exercitio definit aliquid, tamquam de fide tenendum; nullus Catholicorum est, qui assentiens rebus definitis assensu fidei in actu exercito, non credat etiam eodem assensu ipsum, qui proponit definiendo, habere hanc supremam potestatem regulandi fidem, ac proindè in actu exercito credit illum esse Papam; ergo de fide est talem hominem, scilicet Innocentium XI. esse verum Papam.

Tertiò probatur illa consequentia, eo ipso, quod Ecclesia acceptet pacificè hunc Electum, vt Pontificem, verè obligantur omnes ad acceptandum, quæcumque ab ipso definita fuerint, & quod illæ definitiones fidei sint ritè factæ; ergo etiam, quod homo ille, qui ea definit, habeat omnia requisita ad hoc, vt eius acta sint valida, & Ecclesia non fallatur; ergo etiam est de fide, quod Innoc. XI. sit regula infallibilis fidei, & consequenter sit Papa.

Dices definitiones Conciliorum, vel Pontificis non sunt de fide, prout ab isto in particulari procedunt, sed quia ab Ecclesia acceptantur, vndè sufficit de isto Pontifice in particulari habere certitudinem moralem, quod sit verus Pontifex.

Sed contra insto primò. Nàm Ecclesia non habet maiorem auctoritatem ad faciendum res de fide per suam acceptationem, quàm Concilium, vel Pontifex per suam definitionem; ergo nulla solutio. Antecedens probatur, tota Ecclesia est congregata, & vnita in Concilio generali; ergo si habet auctoritatem Ecclesia faciendi rem de fide per acceptationem Concilij, etiam habebit definiendo, & declarando res fidei, & idem argumentum facimus de Pontifice, prout est Caput Ecclesiæ.

Secundò: definitio, quæ non habet esse de fide in quantùm sit ab Innocentio XI. iuxtà datam solutionem, sit de fide per Ecclesiæ acceptationem; ergo similiter est dicendum, quod esto non sit de fide, quod Innocentius XI. electus Papa sit Papa, erit tamen de fide post Ecclesiæ acceptationem, qua recognouit Innocentium XI. vt verum Papam.

Tertiò: Christus non dixit Ecclesiæ, sed Petro, & successoribus eius, [non deficiet fides tua;] ergo definitiones Summi Pontificis non in quantùm acceptantur ab Ecclesia, sed in quantùm fiunt à Summo Pontifice, habent infallibilitatem suam. Denique ea, quæ Concilia definiunt, de fide non sunt, etiamsi ab Ecclesia sint acceptata, donec à Pontifice confirmentur; ergo definitiones Pontificum non ab Ecclesiæ acceptatione, sed quia procedunt ab hoc, vel illo Pontifice de fide sunt.

Respondebis secundò ex doctrina Magistri Arauxo, quod infallibilitas definitionis non innititur infallibilitati definientis, tamquam rationi formali, sed tantùm tanquam conditioni, & organo, per quod Deus loquitur, non requiritur autem tanta infallibilitas in instrumento, quanta requiritur in ratione formali, cui effectus assimilatur, vndè videmus, quod assensus conclusionis scientificæ præstantior est dispositione syllogistica in modo, & figura, à qua tamen, tamquam à conditione dependet, sufficit ergo ad infallibilitatem definitionis, quod sit infallibilitas moralis, & non requiritur esse immediatè de fide, sicut ipsa definitio immediatè est fide.

Sed contra insto primò: esto infallibilitas definitionis reducatur, tamquam ad rationem formalem, ad primam veritatem reuelantem, & ad Pontificem definientem, tamquam ad conditionem, sine qua non, nihilominus sunt ità connexæ ratio ista formalis cum illa conditione, sine qua non, in ordine ad dandam infallibilitatem definitioni, quod secundùm prædictum Magistrum Arauxo, si non constat mihi infallibiliter infallibilitate metaphysica, non poterit mihi esse infallibile infallibilitate metaphysica, quod talis definitio sit de fide; ergo à pari non poterit mihi esse infallibilis, & de fide definitio Pontificia, nisi mihi sit de fide immediatè, quod hic definiens sit Summus Pontifex.

Secundò: nam ego assentior hic, & nunc immediatè per fidem huic propositioni definitæ à Pontifice, quia mihi Deus illam reuelat per successorem Petri; ergo do assensum fidei huic propositioni: mihi Deus loquitur per Petri successorem, at hunc assensum fidei præbere non possum, nisi per fidem credam Innocentium XI. esse Petri successorem; ergo non possum præbere assensum fidei propositioni definitæ, nisi per fidem credam Innocentium XI. esse Petri successorem. Minor probatur: illa propositio, Deus mihi loquitur per Petri successorem, duas propositiones continet, scilicet veritas prima loquitur, & loquitur per successorem Petri; ergo vt adæquatè propositioni illi assentiar immediatè per fidem, necessè est, quod vtrique propositioni assentiar immediatè per fidem.

Explicatur hoc ampliùs tota ratio assentiendi immediatè per fidem definitioni Pontificiæ, nititur in eo, quod Deus hic, & nunc loquatur per verum Pontificem, sed non possumus hoc immediatè credere, nisi immediatè credamus Innocentium XI. per quem Deus nobis loquitur esse verum Summum Pontificem, ergo non possumus immediatè credere per fidem definitioni Pontificis, nisi immediatè credamus hunc hominem esse Summum Pontificem.

Argu-

§. II.

Argumenta soluuntur.

COntra nostram conclusionem, & specialiter contra propositam rationem, sic arguitur primò. Si propter aliquam rationem, esset de fide, quod Innocentius XI. sit Papa, maximè, quia est prima regula, visibilis Fidei, sed hæc ratio nihil conuincit; ergo. Minor probatur primò non est minùs necessaria in Ecclesia certitudo Sacramentorum, specialiter Baptismi, & Euchatistiæ, quàm sit necessaria certitudo primæ regulæ, & Capitis in particulari, at ad certitudinem Sacramentorum sufficit, quod sit de fide eorum veritas in communi, & in particulari solùm certitudine morali nobis constet veritas huius, aut illius Sacramenti, non enim est de fide hanc hostiam continere Corpus Christi; ergo similiter non requiritur, quod sit de fide immediatè Innocentium XI. esse Summum Pontificem.

Secundò, primam regulam esse huic homini applicatam, non est materia definibilis per fidem; ergo, &c. Antecedens probatur, quod hoc definiatur de fide, quatuor modis potest accidere, vel ex vi electionis pacificè factæ, vel ex acceptatione Ecclesiæ, vel quia est reuelata, vel quia exercuit aliquem actum pertinentem ad Pontificatum, sed nullo ex his modis potest esse de fide ista propositio Innocentius XI. est Summus Pontifex, & successor Petri; ergo nullo modo est de fide immediatè. Minor probatur, & quoad primam partem, quod scilicet non possit esse de fide ex vi electionis pacificæ, probatur, nàm quod ista electio fuit pacificè facta non constat per aliquam reuelationem, aut definitionem; ergo nec ex vi talis electionis potest reddi de fide illa propositio. Antecedens probatur, & quod non constet per reuelationem, supponimus: quod autem nec per definitionem probatur, tùm quia nullibi inuenitur, promissa Collegio Cardinalium infallibilis ratio regulandi res fidei: ergo non possunt definire aliquid de fide, tùm etiam, nàm esto haberet, non haberet maiorem, quàm Concilium generale, sed hoc nisi confirmetur per Papam, non habet infallibilem certitudinem, & auctoritatem; ergo similiter illa declaratio pacificæ electionis non habet infallibilem auctoritatem, ac proindè nequit definire Electum esse regulam infallibilem fidei.

Quod autem ex acceptatione Ecclesiæ vniuersalis non reddatur de fide illa propositio, conuincitur, quia acceptatio Ecclesiæ, vt sic nō facit aliquid esse de fide, acceptat enim ieiunium quadragesimale, & vigiliarum, acceptat omnes ceremonias ad Diuinum cultum ordinatas, & tamen ea omnia non facit esse de fide; vndè si aliquis negaret obligare tale ieiunium, aut diceret non esse necessarias illas ceremonias, hæreticus non esset, sed solùm facit esse de fide, quando acceptat aliquid tamquam materiam de fide, sed electio vniuersali Ecclesiæ non proponitur, vt credenda, sed vt obedienda: ergo per talem acceptationem non potest esse de fide.

Quod verò ex aliquo exercitio, spectante ad Pontificatum, non possit reddi de fide, probatur: antequàm Pontifex electus quemcumque actum ad suum officium spectantem exerceat, Ecclesia ex vi solùm electionis tenetur acceptare Summum Pontificem iam electum, tamquam legitimum Caput Ecclesiæ, ergo si adest hæc obligatio acceptandi illum in Papam erit sufficiens obligatio credendi hunc esse verum Papam.

Quod denique nec etiam possit reddi de fide illa propositio ex illa vniuersali propositione, omnis ritè electus est Summus Pontifex, & Petri successor patet, quia nulla est differentia inter assensum huius propositionis, Innocentius XI. est verus Pontifex, & ista, hæc hostia est adoranda, cùm vtrobique currat par ratio, sed prima per suam vniuersalem non redditur de fide, ergo nec secunda.

Denique probatur illa minor: non est de fide ista propositio Innocentius XI. est baptizatus, ergo nec ista Innocentius XI. est verus Papa.

Respondeo cum Ioanne à sancto Thoma negando minorem, ad primam probationem, concedendo maiorem, si cætera sint paria, & illam negando si sint disparia, nàm certum est non esse minùs necessariam certitudinem Sacramentorum, quàm certitudinem Capitis Ecclesiæ, sunt autem necessitates diuersi generis, nam prima requiritur in ordine ad consequendam propriam salutem; altera verò in ordine ad regulandum, & dirigendū ea, quæ sunt fidei tamquam infallibilis, & prima regula in ordine Ecclesiæ, hæc autem sunt valdè diuersa, quia Sacramentum, secundùm quod in particulari procedit ab aliquo Ministro, non se habet, vt regula fidei, nec ex eorum veritate pendet essentialiter veritas Ecclesiæ, sed se habent, vt medicina peccatorum, & instrumentum gratiæ, vnde Sacramentum non in particulari, sed in specie solùm subest definitioni Ecclesiæ, in Pontifice verò non solùm fides versatur circa eius potestatem in communi, sed etiam in particulari circa eius acceptationem in particulari, quia acceptatur, vt Caput visibile Ecclesiæ, vndè debet in particulari esse de fide.

Oppones, non minùs est de fide Ecclesiam esse Sanctam quoad Sacramenta, quàm esse vnam, sed non obstante Sanctitate Ecclesiæ quoad Sacramenta, non est de fide hanc hostiam in particulari esse consecratam; ergo non obstante vnitate Ecclesiæ, non erit de fide hunc hominem numero esse Papam.

Respondeo, quod licèt ex fide habeatur, quod Ecclesia sit Sancta, & quod sit vna, diuersimodè tamen probari potest, quod sit Sancta, & quod sit vna, nam circa potestatem Apostolicam, ratione cuius est Caput totius Ecclesiæ, non solùm credit esse hanc potestatem in Ecclesia, sed etiam in exercitio debet determinare hìc, & nunc esse talem regulam fidei, & quod illi vniatur Ecclesia tamquam visibili Capiti: circa Sacramenta verò solùm credit esse Sacramenta, quia hæc in communi faciunt Ecclesiam Sanctam.

Quod si dicas vnitas Ecclesiæ non pendet simpliciter ab vnitate Capitis, ergo vnitas Ecclesiæ potest esse de fide, etiamsi non

sit de fide hunc hominem esse Papam. Antecedens probatur, quando est schisma, vel Sedes vacans, datur vna Ecclesia, & tamen Caput non est certum, vel non est vnum, ergo non pendet vnitas Ecclesiæ ab vnitate Capitis.

Respondeo negando antecedens, ad probationem dico, quod veritas, & vnitas Ecclesiæ non pendet ab vnitate Capitis, nec veritas, & vnitas vnius ab alia, & doctrina est manifesta, si loquamur de vnitate sumpta actu; sic enim certum est multoties accidere posse dari vnam Ecclesiam Catholicam absq; eo, quod actu habeat vnum Caput, vt patet in exemplo posito in argumento de tempore schismatis, vel Sede vacante, sed vnitas Ecclesiæ hìc, & nunc dependet ab vnitate talis Capitis, quod Ecclesia tenet.

Ad secundam probationem illius minoris, nego antecedens, & ad probationem dico esse varias opiniones Theologorum, quonam illorum modorum, qui in argumento referuntur, habeatur de fide hunc hominem esse Pontificem, probabilius tamen nobis videtur cum communi Thomistarum sententia, quod facta acceptatione Ecclesiæ circa talem electionem, & electum, eo ipso est de fide, quod Innocentius XI. ver.gr.sit Pontifex, esto hoc innotescat magis, & clariùs manifestetur, ac explicetur, quando Pontifex aliquem actum definitionis exercet.

Nec valet dici, quod Ecclesia non acceptat electionem, & electum, vt materiam fidei, sed vt materiam obedientiæ. Non, inquam, valet, nam quando Ecclesia acceptat electionem, & electum, acceptat illum, vt regulam fidei infallibilem; ergo acceptat illam propositionem, tamquam de fide tenendam: probatur consequentia. non potest acceptari electus, vt regula infallibilis fidei, nisi acceptatio electionis, & electi ad fidem pertineat, vt supra probauimus.

Nec addas, quod non omnes in Ecclesia acceptant hoc, tamquam de fide. Respondeo, quod non omnes acceptant illam propositionem, tamquam materiam de fide, quasi speculatiuè, & quasi in actu signato; at verò in exercitio ipsum cum tota Ecclesia sic acceptant, existimantes sufficere ad munera Pontificis, quod habeatur, vt Papa morali tantùm quadam, aut naturali certitudine, & nihilominus isti virtualiter in exercitio ipsum cum tota Ecclesia acceptant in regulam supremam fidei Innocentium XI.

Sed quæres, quo tempore incipit ista acceptatio Ecclesiæ, quæ sufficiens sit ad reddendam illam propositionem de fide, an scilicet quando promulgatur electio à Cardinalibus illis fidelibus, qui præsentes sunt in loco electionis, an verò quando diuulgatur per totam Ecclesiam vbicumque diffusam.

Respondeo, quod vt supra cum Lisbonienſi tetigimus, concors Cardinalium electio est quasi declaratio, & definitio facta ab Episcopis in Concilio legitimè congregato, & Ecclesiæ acceptatio est quasi confirmatio talis declarationis, saltem quoad nos, & talis acceptatio tunc intelligitur fieri, saltem negatiuè, quando non contradicit Ecclesia vbicumque scit talem electionem, & acceptatur positiuè, quando à Prælatis Ecclesiæ, siue qui ibi sunt, siue paulatim ab alijs Prælatis in alijs mundi partibus existentibus admittitur, credendo, & acceptando ipsum, vt verum Papam. Ad vltimam probationem illius minoris, concesso antecedenti, negando consequentiam, nam veritas, quæ definitur, & acceptatur ab Ecclesia immediatè, non est, quod hic homo sit baptizatus, sed quod sit verè Papa, & regula fidei, & de hoc facta est sufficiens inquisitio, saltem virtualiter, dum constat Ecclesiæ esse electum, & canonicè factum, & ita proponitur toti Ecclesiæ, quod autem Pontifex sit baptizatus, non definitur immediatè, nec de fide tenetur, sed per consequentiam infertur, ad quod non est necessarium, quod fiat circa illum talis inquisitio.

Secundò arguitur, non constat de fide Electores istos in particulari habere validam intentionem, & esse legitimos, & veros Electores, nec seruasse formam legitimam eligendi, sine quibus conditionibus electio est nulla, ergo neque est de fide electum esse Summum Pontificem. Consequentia tenet, quia sine illis conditionibus electio est inualida, & consequenter non datur verè electus.

Respondebis, recurrendum esse ad acceptationem Ecclesiæ, quæ supplet, & saluat quoscumque defectus, tam ex parte electionis, quàm ex parte eligentium.

Non ita dicas, nam sic insurgo, acceptatio Ecclesiæ circa aliquam propositionem non reddit illam de fide, nisi acceptet illam, tamquam de fide, at non potest acceptare de fide, nisi Ecclesiæ à proponente proponatur tamquam de fide, quod non accidit in nostro casu, ergo nullo modo est de fide. Minor probatur, nam electio proponitur Ecclesiæ ab ipsis Electoribus, sed electores non habent auctoritatem proponendi res de fide, cùm hæc auctoritas infallibilis solùm Petro, eiusque successoribus sit reseruata, ergo non proponitur ista electio, tamquam de fide, ac proindè ex vi talis propositionis, & acceptationis non redditur illa propositio de fide.

Ad hoc argumentum respondeo, vt diximus in data solutione, Ecclesiam acceptare tamquam de fide electionem, & electum, quatenus acceptat illum, vt regulam infallibilem fidei, & Caput supremum Ecclesiæ, cui vnitur, & ex cuius vnione pendet vnitas Ecclesiæ, & ad improbationem respondeo negando minorem, ad cuius probationem respondeo illam electionem proponi à Cardinalibus, non in persona propria, sed in persona, & virtute Ecclesiæ, à qua est eis commissa potestas eligendi, & declarandi electum, vndè ipsi in illo actu sunt ipsamet Ecclesia repræsentatiuè, sicut Episcopi congregati in Concilio legitimè à Papa conuocato repræsentant Ecclesiam; ita Congregatio Cardinalium repræsentat Ecclesiam in illa præsentatione, & ideò antè omnem definitionem alicuius Pontificis ex sola Ecclesiæ acceptatione illa propositio redditur de fide.

Nec valet instare illam tam vulgarem, quàm falsam fabulam Papæ Ioannæ, quæ cùm fœmina esset, fuit electa in Summum Pontificem, & ab Ecclesia, vt talis, acceptata.

Non

Non inquam valet, quia falsissima est illa fabula, vt præter Baronium, & Bellarminum, aliosque DD. agentes de Romano Pontifice, Florimundus Raymundus librum edidit pro hoc solo argumento probando, scilicet illam esse fabulam, & omninò commentum, vel ab Hæreticis inuentum, vel ab ignorante Catholico.

Et si replicabis, quod aliqui sine nota erroris hanc fabulam crediderunt, sed si sine nota erroris hoc credere potuissent, non saluaretur, quod Ecclesia in acceptando sit infallibilis, & faciat illam propositionem de fide, ergo est, quia acceptatio Ecclesiæ potest errare.

Respondeo hoc posse dupliciter accidere, vel ita quod isti, qui hanc historiam admittunt, putant id solùm pertinere ad historiæ narrationem, non ad errorem fidei, & sic excusantur ignorantia. Vel aduertunt se dicere, quod Ecclesia pacificè acceptauit, vt Pontificem personam verè Pontificatu incapacem, qualis est mulier, & tales sinè dubio excusari non possunt ab errore, quia implicitè, ex consequenti assererent Ecclesiam errare posse in acceptatione primæ regulæ fidei, cùm teste Lisboniensi, non solùm per piam credulitatem, sed etiam per Theologicam consequentiam inferri, Deum numquam permissurum, quod eligatur, & acceptetur ab Ecclesia electus, ille, qui re vera non habet conditiones ad id requisitas, & necessarias, quia hoc pertinet specialiter ad eius prouidentiam.

Oppones, sicut Ecclesia vniuersalis acceptat Innocentium XI. in Summum Pontificem, ita acceptat hunc hominem canonizatum, v. gr. Sanctum Dominicum in numerum Sanctorum in gloria existere, sed ex hac acceptatione non sequitur esse immediatè de fide, quod hic homo canonizatus sit Sanctus, & existat in gloria; ergo nec ex illa infertur, quod sit immediatè de fide.

Respondeo negando maiorem, quia Ecclesia non acceptat eodem modo canonizationem alicuius Sancti, ac acceptat electionem Summi Pontificis, nam Ecclesia habet iudicium diuersum circa res fidei, & circa alia, vt enim docet Diuus Thomas quod lib. 2. art. 16. vbi distinguit iudicium Ecclesiæ circa res fidei, quod est infallibile, & circa alia particularia facta, in quibus ait falli potest, quod Canonizatio Sanctorum medium est inter hæc duo; quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloria credimus, piè credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit.

Tertiò arguitur, si propter aliquam rationem hæc propositio esset de fide Innocentius XI. est Summus Pontifex, maximè quia hæc propositio continet primam regulam fidei, sed hæc ratio est nulla, ergo. Minor probatur, qui negaret Papam esse regulam visibilem Ecclesiæ, signando Innocentium XI. non esset hæreticus formaliter, sed solùm schismaticus, ergo ista propositio Papa Innocentius XI. non est regula fidei, non est hæretica, ac proindè opposita non est de fide immediatè, prima consequentia patet, nam qui nollet recognoscere istum hominem electum, & ei negaret obedientiam, esset schismaticus, non hæreticus, quia scinderet vnitatem Ecclesiæ, non dogmatizaret aliquem errorem; ergo, &c.

Respondeo ad hoc argumentum, negando minorem, ad probationem dico, quod, qui negaret hunc hominem esse Papam, postquam fuit pacificè, & canonicè receptus, non solùm esset schismaticus, sed etiam hæreticus, quia non solùm scinderet vnitatem Ecclesiæ, sed etiam dogmatizaret, quod non sit habendus pro Pontifice, & regula fidei, qui est error in fide, præterquamquod, vt docet sanctus Thomas 2. 2. quæst. 39. artic. 1. ad 3. nullum datur schisma, quod non sibi aliquam hæresim confingat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur, ac proindè, quamuis ab hæresi distinguatur, sæpè cum hæresi coniungitur, vt contingeret in præsenti casu, in quo non solùm esset schismaticus, sed etiam hæreticus.

Sed instabis, Ecclesia non credit de fide Innocentium XI. esse Papam; ergo, qui hoc negaret, nec negaret aliquid, quod Ecclesia credit esse de fide. Antecedens probatur, non est definitiuum adhùc esse de fide, quod Papa pro tempore regnans sit verus Papa, immò plures, & grauissimi Doctores probabiliter tenent oppositum; ergo Ecclesia non credit de fide Innocentium XI. esse Papam.

Respondeo negando antecedens, ad probationem nego iterùm antecedens; etenim in Concilio Constantiensi contra errores Wicleph, Martinus V. in interrogationibus, quæ suspectis de fide fiebant faciēdæ ad indagandum eorum legitimam fidem: prout hanc: Item vtrùm credat, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit (eius nomine expresso) sit successor Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia sancta Dei; ergo Innocentius XI. quem Ecclesia acceptauit, vt ritè electum, & vt verum Papam, debet sub pœna peccati mortalis acceptare, nec potest sine nota erroris non acceptare verum Papam, si non sit hæreticus, qui dicit hoc non esse de fide verum.

Ex dictis infero, Innocentium XI. v. g. electum. & communiter acceptatum ab Ecclesia debere credi esse verum Papam, non expectata aliqua eius definitione de fide; tùm quia ideò credimus eius definitionem esse legitimam, quia credimus promanare à legitimo Papa; ergo, antequam definiat, debemus credere, quod sit verus Papa, tùm etiam, quia per communem acceptationem totius Ecclesiæ est æquiualens definitio: ergo antequam procedat ad aliquam nouam definitionem, creditur verus Papa, & successore Petri. Et hæc de hoc dubio dicta sufficiant.

DISPV-

DISPVTATIO QVINTA.

De comparatione Papæ ad Concilium.

Diuersas ethimologias huius nominis Concilium, assignant Doctores, tres, inter cæteras, præstantiores assignat Isidorus lib. Ethi. & habetur cap. canones distinct. 15. primò dicitur, Concilium, quasi Considium, mutata lit. L, in D, quia in Concilio consident maiores; secundùm morem tractantium maturè res graues Reipublicæ, vndè dicitur 1. Mach. 14. [Quod Seniores in plateis sedebant, & de bonis terræ tractabant.] Secundò dicitur, Concilium à communi intentione, eo quod in vnum dirigant omnem mentis intuitum, & desumitur denominatio à Con, & Cilium, quia omnes conueniunt in Concilio, & omnes ad vnum mentis intuitum, scilicet ad vtilitatem publicam dirigunt, quapropter dicitur etiam Synodus, seu Conuentus Synodus à Syn, quod significat simul, & odos, quod significat viam, quia omnes ad eumdem finem tendunt. Et Conuentus à conueniendo, seu coeundo in vnum. Tertiò dicitur Concilium à consulendo, & sic est idem ac consilium, ad hoc enim Sapientes ad Concilia vocantur, vt super agendis consulant.

Ex hac triplici nominis interpretatione vna definitio à nostro Cardinali Turrecrem. formatur, Concilij, vt sic, prout abstrahit à Concilio Ecclesiastico, & Seculari, seu Laicali: ab vniuersali, seu generali, & prouinciali, siue particulari], sic Concilium est Congregatio, seu conuentus hominum prudentium, publica auctoritate conuocatum ad tractandum communi intentione de rebus necessarijs, & commodis Reipublicæ. In qua definitione quatuor causæ ipsius Concilij assignantur, scilicet materialis, ex qua Concilium consurgit, & componitur per ly congregatis hominum prudentum. Effectiua cùm dicitur auctoritate publica conuocatum. Formalis per ly communi intentione, quia sic, vt forma dat esse rei, & nomen, & tandem causa finalis cùm dicitur ad tractandum de rebus necessarijs, & vtilibus Reipublicæ.

Restringendo autem Concilium ad Concilium Ecclesiasticum, originem habuit in Veteri Testamento, vt colligitur ex illo Numerorum 16. [Viri proceres Synagogæ, qui tempore Concilij per nomina vocabantur.] Et in Nouo Testamento statim in nascenti Ecclesia cœperunt ab Apostolis Concilia congregari, & primum fuit illicò post Domini Ascensionem super electionem Matthię; tunc enim Princeps Apostolorum Petrus, vt Pontificatus sui fungeretur officio, Apostolos, ac Discipulos in vnum congregauit, vt eligerent vnum ex his, qui cum illis erant congregati, omni tempore, quo Christus fuit inter eos, ad supplendum locum Iudæ, qui post proditionem suspēsus crepuerat medius, ne sacratus Apostolorum numerus diminutus maneret.

Et quatuor Synodos ab Apostolis celebratas ponit Glossa ordinaria super actus Apostolorum; prima scilicet est habita pro electione alterius Apostoli loco Iudæ. Secunda super electionem septem Diaconorum. Tertia de circumcisione manufacta non imponenda Discipulis, qui ex Iudæis, vel Gentilibus credebant. Et quarta de non prohibendis, illo primo tempore, Iudæis legalibus cæremonijs, quando hoc necessitas exigebat.

Tres autem species Conciliorum in Ecclesia apud Doctores inueniuntur, scilicet vniuersale, seu generale, sed non quidem ex parte conuocandorum, sed ex auctoritate conuocantis, quæ tanta est, vt legem ponere, & præcipere possit toti vniuersitati Fidelium, & hoc modo dicitur Concilium generale, seu vniuersale illud, quod à Papa totius Ecclesiæ Principe, & Directore conuocatur, & per se, aut per Legatos suos in eo assistitur, & hoc modo plura fuerunt conuocata Concilia ab initio Ecclesiæ vsque modò. Aliud dicitur Concilium prouinciale, & hoc etiam est duplex, vel collectum auctoritate Legati à latere Papæ, & dicitur prouinciæ decretæ, seu delegatæ. Aliud autem dicitur Concilium prouinciale limitatæ Prouinciæ, quod congregatur auctoritate Metropolitani, Primatis, seu Patriarchæ, conuocatis Episcopis sibi subiectis. Ac denique alia species Conciliorum dicitur Episcopale, & celebratur ab Episcopo in Diœcesi sua, cùm Abbatibus, & Clericis sibi subiectis.

Concilium autem generale, siue vniuersale ratione vniuersalitatis, acceptæ ex parte conuocantis, sic communiter definitur, est congregatio maiorum Prælatorum Ecclesiæ auctoritate Romani Pontificis conuocata, ad aliquid pro bono vniuersali communi intentione solemniter tractando in Religione Christiana, ipso Papa, aut aliquo loco ipsius in Concilio præsidente.

Decem & octo Concilia generalia appro-

probata huc vsque numerantur: Primum fuit Nicænum celebratum ab anno Domini 327. vsque ad annum 330. sub sancto Siluestro I. Papa, & Constantino Imperatore, conuenientibus Episcopis 318. inter quos quatuor Patriarchæ, scilicet Alexander Patriarcha Alexandrinus, Eustachius Antiochenus, Macarius Hierosolymitanus,& Metaphrastes Constantinopolitanus, vbi de Diuinitate Christi aduersùs Arianos definitum est.

II. Est Constanrinopolitanum aduersùs Macedonium, negantem Spiritus Sancti Diuinitatem, & conuenerunt in illo vltrà quatuor Patriarchas, 150. Episcopi, & fuit celebratum anno Domini 381. iuxtà Honuphriũ, iuxtã alios verò 383. vel 84.

III. Est Concilium Ephesinum primum sub Theodosio Imperatore, & Cœlestino I. Summo Pontifice, conuenientibus Episcopis 200. & tribus Patriarchis, anno Domini 434.

IV. Fuit Chalcedonense contra hæresim Eutychetis, qui vnam tantùm in Christo naturam agnoscebat, contra quem definierunt sub Leone I. Pontifice, & Marciano Augusto 630. Episcopi, ex quibus quatuor Patriarchæ.

V. Fuit coactum apud Constantinopolim contra errores Origenis, eiusque Sectatores sub Vigilio Summo Pontifice, & Iustiniano seniore Imperatore, conuenientibus Episcopis 165.

VI. Synodus, seu Concilium Constantinopolitanum celebratum sub anno Domini 681. vel iuxtà alios 85. & conuenerunt Episcopi 289. præsidentibus Legatis Agathonis Pontificis, & fuit damnata hæresis, quæ vnam tantùm voluntatem in Christo ponebat.

VII. Concilium fuit Nicænum congregatum anno Domini, secundùm Paulum Diaconum 781. secundùm Cedrenum 786. & secundùm Honuphrium 789. assistentibus Episcopis 350. & præsidente per suos Legatos Adriano Pontifice contra Iconoclastas, negantes cultum Imaginum Christi, & Sanctorum.

VIII. Fuit quartum Constantinopolitanum sub Adriano II. Summo Pontifice, & Basilio Augusto anno Domini 780. contra Photium Patriarcham Constantinopolitanum, assidentibus Episcopis 383.

IX. Fuit Concilium Lateranense primum Episcoporum 900. anno Domini 1123. sub Calisto II. Pontifice, & Henrico V. Imperatore pro recuperanda Terra Sancta contra Saracenos.

X. Est Lateranense secundum assistentibus Episcopis 1000. sub Innocentio II. & Lothario Imperatore anno 1139. contra Antipapas, & pro reformarione Cleri.

XI. Est Lateranense tertium sub Alexandro III. & Federico I. à 300. Episcopis coactum anno 1180. pro reformatione Ecclesiæ, & contra Waldenses.

XII. Est Lateranense quartum sub Innocentio III. & Federico II. contra varias hæreses exortas, & pro Terra Sancta recuperanda anno 1215. conuenientibus Patribus 1283. ex quibus erant Episcopi 473.

XIII. Est Lugdunense primum ann. 1245. sub Innocentio IV. & Federico II. contra eumdem Imperatorem Federicum,

XIV. Est Lugdunense secundum, quod fuit Patrum ferè mille, ex quibus Episcopi 500. sub Gregorio X. & Rodulpho Imperatore anno Domini 1274. contra errores Græcorum.

XV. Est Viennense: consedentibus Episcopis 300. sub Clemente V. & Henrico VII. anno 1311. contra varias hæreses Ecclesiam denastantes.

XVI. Est Florentinum, anno Domini 1439. sub Eugenio IV. & Alberto Imperatore contra errores Græcorum.

XVII. Est Lateranense quintum sub Iulio II. & Leone X. 114. Patrum contra schismata ab ann. Domini 1512. vsque ad an. 1517. Imperante Maximiliano.

XVIII. Est Tridentinum inchoatum anno Domini 1545. sub Paulo III. & Carolo V. prosecutum sub Iulio III. & finitũ sub Pio IV. & Ferdinando, contra hæreses Lutheranorum, in quo adfuerunt, & subscripserunt in vltima sessione sex Cardinales, ex quibus quatuor Legati, Patriarchæ tres, Archiepiscopi 32. Episcopi 228. Abbates quinque, Generales Ordinum septem,& plurimi Procuratores Episcoporum.

Omnia ista Concilia fuerunt approbata, & confirmata à Summis Pontificibus, & à Catholicis, tamquam œcumenica recepta, esto à Græcis recipiantur tantùm prima septem, vt constat ex Concilio Florentino sess. 5. & 6. à Lutheranis tantùm prima sex, vt patet ex Centuriatore centur. 8. cap. 9. ab Eutychianis tantùm prima tria, à Nestorianis solùm prima duo, ac denique Trinitarij; qui sunt in Vngheria, & Polonia, nullum recipiunt.

Præter ista 18. Concilia approbata, alia fuere partim reprobata, & sex à Bellarmino numerantur, primum est Sardicense, constans ex 376. Episcopis sub Iulio I. & Constantio anno Domini 351. in quo Episcopi Occidentales ferè 300. fidem Catholicam confirmarunt, reliqui in Arianam hæresim subscripserunt.

Secundum est Syrmiense celebratum anno Domini 356. sub Liberio Summo Pontifice, & Constantio Imperatore, in quo esto damnatus fuerit Arius, duæ inter se contrariæ formulæ fidei sunt æditæ, vna Catholica, altera hæretica plena blasphemijs.

Tertium est Concilium quinsextum, ita dictum, quia non fuit, nec quintum, nec sextum, sed Canones addidit quintæ, & sextæ Synodo, qui dicuntur canones Trullani, eo quod in Palatio Imperiali Constantinopolitano, quod dicitur Trullum conuenienres Episcopi, centum, & duo, Canones ediderunt, qui non fuerunt confirmati à Pontifice, sed partim reprobati, sicut apertè Sergius Papa, qui tunc sedebat Synodum istam reprobauit, vt inter alios habet Beda libro de sex ætatibus. Esto aliqui ex illis postea, vel à Pontificibus, vel alijs legitimis Concilijs approbati fuere, vt fuit inter alios Canon. 82.

Quartum est Concilium Francfordiense sub Adriano I. Pontifice, & Carolo Magno Rege Francorum, anno Domini 794. quod

Concilium partim fuit approbatum à Pontifice, quantùm ad eam partem, in qua definit Christum non esse filium Dei adoptiuum, & partim reprobatum, quantùm ad illam partem, in qua (errore) damnatur septima Synodus.

Quintum est Concilium Constantiense Patrum ferè mille, sub Ioanne XXII. inchoatum, & finitum sub Martino V. quod quantum ad vltimam sessionem fuit approbatum à prædicto Martino V. licèt reprobatum, quantùm ad primas sessiones, in quibus inter alia definierunt, Concilium esse supra Papam.

Sextum est Concilium Basiliense, quod fuit schismaticum, in eo enim creatus est Antipapa Felix V. & durauit ab anno 1431. vsque ad annum 1449. in quo tam Antipapa, quàm Concilium cessit Nicolao V. vero Pontifici, qui teste Bellarmino pacis, & vnitatis gratia approbauit, quasdam dispositiones factas circa beneficia Ecclesiastica, cætera verò in eo Concilio acta, reprobata fuere in Concilio Lateranensi vltimo session. 2.

Cætera verò Concilia, vt sunt octo numerata à Bellarmino, scilicet Antiochenum anno 345. quod fuit tertium Antiochiæ celebratum, Mediolanense anno 344. Ariminense anno 363. Ephesinum secundum anno 449. in quo, & S. Flauianus Episcopus occisus est, & Legati Romani Pontificis Leonis fugati, & confirmata hæresis Eutychiana; Constantinopolitanum sub Leone Isauro contra Sacras Imagines anno Domini 730. & Constanrinopolitanum sub Constantino Copronymo anno 755. etiam contra Sacras Imagines, Concilium Pisanum anno 1511. congregatum à Rsge Galliæ, & Imperatore contra Iulium II. ac denique Concilium Witembergense, quod Lutherani Witembergæ congregarunt 300. Pastorum, Præside Luthero anno 1536. fuerunt omnia reprobata, & tamquam Conciliabula, & Conuenticula Sathanæ ab Ecclesia Catholica reprobata.

Fuisse autem necessaria huiusmodi Concilia in Ecclesia, ex diuersis causis colligitur prima est hæresis noua, numquam antea iudicata, quapropter statim, ac Constantini Magni pietate Ecclesia primò libertatem acquisiuit, ad diuersas hæreses tempore persecutionis exortas; extirpandas, Concilium congregauit generale, quod Nicenum primum dicitur: alia causa est schisma, ad quod tollendum nullum inuenrum est potentius remedium, quàm Concilium celebrare, sic tempore Cornelij, Damasi, Symmachi, Innocentij II. Alexandri III. ac denique ad tollendum pestiferum, ac longum schisma trium Pontificum, congregatum fuit Concilium Constantiense. Tertia causa fuit resistentia communi hosti Ecclesiæ, vt contra Turcas, ad & Terram Sanctam recuperandam diuersa congregata Concilia fuere. Quarta denique est suspicio hæresis in Romano Pontifice; sic Concilium Sinuessanum in causa sancti Marcellini, ac Romanum in causis Damasi, Systi III. Symmachi, & Leonis III. & IV. congregata fuerunt, nullus tamen vnquam fuit à Concilio damnatus, nàm sanctus Marcellinus in Idololatriam lapsus, sibi coram Concilio pœnitentiam iniunxit, cæteri se purgauerunt; vndè ortum habuit illud commune proloquium, Prima sedes à nemine iudicatur. Vtile etiam est Concilium ad reformandos mores Ecclesiæ, vndè ferè omnia generalia Concilia, Canones circa reformationem morum ediderunt.

Hæc cùm certa sint, quatuor tantùm dubia in hac disputatione examinabimus; primum erit, vtrùm Concilium ex se, & antè Papæ confirmationem habeat infallibilem auctoritatem in definiendo res fidei. Secundum erit, ad quem spectat congregare Concilium generale. Tertium, an ad Concilium pertineat deponere Pontificem suspectum, & conuictum hæresis, vel de verò Pontifice in casu schismatis iudicare; ac denique quartum erit, vtrùm Concilium sit supra Papam, vel è contra. Sit ergo.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm Concilium ex se, & antè Papæ confirmationem habeat infallibilem auctoritatem in definiendo res fidei.

§. I.

Aliqui errores Hæreticorum circa auctoritatem Concilij eliminantur.

NOn defuerunt Hæretici, specialiter huius temporis, qui voluerunt nullum esse Concilium, quod errare non possit, ita Lutherus art. 28. & 29. in libro de Concilijs, Brentius in confessione Witembergensi, & Caluinus lib. 4. institutionum cap. 9. §. 8. qui num. 2. affirmabat, [quod si millies Episcoporum nominent aduersarij Concilia, parum promouebunt, nec antè efficient, vt credamus, quod contendunt regi à Spiritu sancto, quàm fidem fecerint congregari in Christi nomine, siquidem tam possunt impij, improbique Episcopi aduersùs Christum conspirare, quàm boni, & probi eius nomine coire.] Ille. Contra omnes istos statuitur prima nostra conclusio.

Est de fide Concilia generalia à Summo Pontifice congregata, & confirmata, non posse errare in rebus fidei.

Hæc conclusio probatur auctoritate Sacræ Scripturæ, primus locus est locus ille ex Ioanne 16. [Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem,] Quam promissionem non solùm Apostolis, sed etiam successoribus eorum factam fuisse, docuit idem Dominus cap. 14. quando testatur illis verbis: [Et ecce ego vobiscum sum vsque ad consumationem seculi:] hoc est cum eis, & cum successoribus perpetuò vsque ad consumationem seculi.

Secundus locus est ille Matthæi 18. [Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum;] Ac denique tertius locus est ex actibus Apostolorum 15. vbi primum Concilium confidenter dixit;

dixit; [Visum est Spiritui sancto, & nobis;] si ergo primum Concilium, ex quo acceperunt cætera formam, affirmat decreta sua esse decreta Spiritus sancti, hoc idem, & cætera, fidenter dicere possunt, quia sicut Spiritus sanctus primo Concilio adfuit, quia id erat necesse pro Ecclesiæ conseruatione, ita & in alijs temporibus, exortis nouis erroribus, necessaria est, & erit assistentia Spiritus sancti.

Respondebis cum Caluino secundùm locum à nobis adductum, in quo illustrior extat promissio, posse competere non solùm Concilio vniuersali, sed etiam particulari cuiuis cœtui, non tamen in eo hærere quæstionis nodum, sed quod addita est conditio, ita demum fore Christum in medio Concilij, si in suo nomine congregetur, & post multa concludit: [Hunc nodum mihi soluant aduersarij, si velint fidem meam hominum placitis, citra Dei verbum mancipare.]

Sed contra est, nam argumentum ex hoc testimonio adductum, non sumitur simpliciter ex his verbis, sed ex illis, vt continuatis cum superioribus, & addita argumentatione à minori ad maius; nam cum dixisset Dominus: [De homine incorrigibili, dic Ecclesiæ & si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus, & publicanus,] & ad incutiendum filialem timorem ipsius Ecclesiæ, subiunxit: [Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo;] & deindè illud testimonium à nobis adductum: [Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio illorum sum ego, adiunxit; loquitur ergo de congregatis in nomine eius, quatenus Ecclesiam, seù Concilium constituunt.

Nec inficiamur, si omnes habeant Christum præsentem, & adiuuantem, siuè sint multi, siuè sint pauci, siuè priuati, siuè Episcopi illi, qui congregantur in nomine Christi, sed vt explicant illum locum Concilium Chalcedonense post finem 3. actionis in epist. ad Leonem 6. Synodus act. 17. & Concilium Toletanum 3. non procul ab initio. Quod in Congregatione priuatorum, & paucorum adest Christus, vt eos adiuuet in rebus paruis, & priuatis, in Congregatione autem Episcoporum, & Ecclesiæ Patrum, vt eos illuminet, & adiuuet in rebus magnis, & publicis; ergo rectè à nobis adducitur locus ille ad confirmationem nostræ assertionis, vndè id etiam affirmarunt [Innocentius Papa ad Gratianum; Cœlestinus in epistola ad Ephesinum Concilium primum, & Cyrillus in expositione symboli Nicœni.

Possunt etiam adduci illa testimonia Sacræ Scripturæ, in quibus promisit Ecclesiæ suæ eam firmare, Matth. 16. Cum ipsa esse vsque ad consummationem seculi, Matthæi vlt. & Ecclesiam Dei esse columnam, & firmamentum veritatis, 1. ad Timoth. 3. in quibus omnibus promittitur Ecclesiæ, quæ per Concilium repræsentatur, assistentia Dei, veritatis cognitio, & infallibilitas definiendi.

Secundò probatur prima assertio auctoritate Sanctorum Patrum, nam Athanasius in epist. ad Epithetum, Augustinus in epist. 162. Leo Pontifex in epistolis 50. 61. & 62. Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ, docent Concilia, non posse, nisi errando, mutari, quia sunt vltimum iudicium Ecclesiæ, quapropter Martianus Imperator Christianus in lege nemo, C. de Summa Trinitate, & fide Catholica legem statuit, vt ea, quæ semel definita sunt in Concilio generali, amplius non mutentur, nec retractentur, quod & sancitum est in Concilio Ephesino circa finem, & in Concilio Chalcedonensi act. 5. canon. vlt. Similiter Sancti Patres Gregorius Nazianzenus, Leo epist. 77. ad Anatholium, Basilius epist. 78. Augustinus lib. 1. de baptismo cap. 18. Gregorius epist. 24. lib. 1. affirmant esse suspectos hæresis illos, qui resistunt, & negant ea, quæ definita sunt in Concilio generali, ac docent. Concilia ista generalia esse in Spiritu sancto congregata; ergo sentiunt habere infallibilem veritatem in suis decretis.

Tertiò probatur ratione, vniuersalis Ecclesia errare non potest, quando à Spiritu sancto gubernatur, qui est Spiritus veritatis, illum enim promisit Ecclesiæ Dominus Ioa. 17. quando dixit: [Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem;] sed ea, quæ in Concilijs generalibus definita sunt, dicuntur vniuersaliter totius Ecclesiæ consensu definita, & conclusa; ergo ea, quæ in prædictis Concilijs circa fidem sunt definita, habent infallibilem veritatem. Patet hæc consequentia, ratione, qua vtitur Beatus Gregorius in cap. sicut distinct. 14. illis verbis: [Cunctas verò, quas præfata veneranda Cõcilia personas respuunt, respuo, quæ venerantur, amplector, quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se non illa destruit, quisquis præsumpserit absoluere, quos ligant, aut ligare, quos absoluunt.]

Confirmatur hæc ratio, illud Concilium errare non potest in fide, quo errante erraret vniuersalis Ecclesia, sed errante Concilio generali, plenaria vniuersalis Ecclesia erraret, ergo. Minor probatur, quia in tali Concilio vniuersalis Ecclesia, & repræsentatur, & virtute continetur; ergo illo errante erraret vniuersalis Ecclesia.

Denique probatur assertio, si Concilia generalia errare possent, nulla esset in Ecclesia via ad hæreses extirpandas, controuersias componendas, schismata eradicanda, & veritatem definiendam; ad hæc enim nullùm habitum est in Ecclesia efficacius medium, quàm Concilium generale legitimum, & approbatum; si enim infallibile non esset huiusmodi generalis Concilij iudicium, omnes damnatæ hæreses in dubium reuocari possent; nam Ariani errasse Nicœnum, Macedoniani Constantinopolitanum, Nestoriani Ephesinum, Lutherani Tridentinum meritò dicere possent. Similiter nulla esset infallibilitas, & certitudo canonica sacræ Scripturæ, etenim plures ipsius libri tardiùs dubij habiti sunt, donec à Concilio sint infallibiliter firmati, sic epistolæ ad Hebræos, 2. Petri 3. & 2. Ioannis, epistolæ Iacobi, & Iudæ, ac Apocalypsis infallibiliter sunt scriptura canonica, quia ita fuit in Concilio definitum. Denique si Concilia errare possent, symbolum fidei, quod in Missa cantatur, dubium nobis esse posset, cùm factum sit in Concilio Constantinopolitano, quæ omnia sunt inconuenientia non admittenda, qua ratione vtitur octaua synodus ad

probandum Concilia non posse errare in rebus fidei.

Contra istam conclusionem arguit Gulielmus Ocham in suo dialogo; [Sola Ecclesia vniuersalis militans errare non potest, sed Concilium generale esto sit pars vniuersalis Ecclesiæ, non tamen est Ecclesia vniuersalis, ergo temerarium est dicere, quod Concilium generale errare non possit.] Maior est certa, quia solùm de Ecclesia militanti vniuersali reperitur in Sacris scripturis, quod non possit errare. Minor verò probatur, esto Concilium legitimè congregatum sit Ecclesia vniuersalis; quis tamen nouit an vllum fuerit vnquam Concilium generale legitimè congregatum: ergo non possumus habere certitudinem de infallibili veritate definitionum, & Canonum. Minor probatur, non dicitur Concilium legitimum, nisi sit omnium Episcoporum fidelium, sed nemo potest scire, an Episcopi in Concilio congregati sint Catholici, habeantque veram fidem, & sint verè Sacerdotes, & Episcopi ordinati, ergo non possumus infallibiliter scire Concilia, vsque modò congregata fuisse legitima. Tùm etiam, nam ad Concilium legitimum plura requiruntur, puta conuenisse Episcopos ex multis Prouincijs propositam quæstionem diligenter examinasse, decretis subscripsisse spontè sua, non aliqua externa vi coactos, & huiusmodi, sed quod hæc conuenisseut Concilijs, vsque modò celebratis non possumus habere infallibilem certitudinem ergo. Minor probatur, de his aliam certitudinem habere non possumus, quàm fide historica, at historica fides (diuinis libris exceptis) valdè dubia est, & periculosa, cum non rarò mentiatur, ergo non possumus de his habere firmam, & infallibilem certitudinem.

Ad hoc argumentum respondeo in primis cum nostro Turrecremata, falsam esse maiorem, quod scilicet de sola vniuersali Ecclesia in scripturis authenticis habeatur, quod errare non possit in fide; non enim tantùm de vniuersali, sed etiam de Romana, siuè Apostolica Sede reperitur in scripturis authenticis, quod errare non possit, Lucæ enim 22. dictum est Petro, eiusque successoribus: [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua;] vndè hoc etiam habetur in cap. in sede, & in cap. hæc est fides 29. qu.1.

Data tamen maiori, nego minorem, vel distinguo, non est vniuersalis Ecclesia materialiter, transeat maior, non est tota vniuersalis Ecclesia auctoritatiuè, nego minorem, & consequentiam, sicut enim in aliqua communitate, vel vniuersitate Ciuitatis non congregantur omnes ciues, sed tantùm electi, seù præscripti, qui tamen ea, quæ promittunt, seù iurant nomine Ciuitatis, rata habentur, & obligant omnes ciues ad executionem, & iuramentum, quia omnes auctoritatiuè continentur in illis, & id, quod ipsi faciunt, dicitur factum ab Vniuersitate, & tota Ciuitate; ita Patres congregati in Concilio, dicuntur vniuersalis Ecclesia, quia auctoritatiuè continent totam Ecclesiam, vndè in cap. confidimus 25. qu.1. ca, quæ definita sunt in plenaria Synodo, dicuntur vniuersalis Ecclesiæ assensu approbata.

Ad primam autem probationem huius minoris, quatenus datæ solutioni obstare potest, respondeo non esse necessarium scire Episcopos, qui ad Concilium conueniunt habere veram fidem, & veram ordinationem, sed satis est, quod non constet contrarium, quia vt supra diximus de Summo Pontifice, non esse necessarium scire fuisse masculum, baptizatum, & ordinatum, sed satis est si habeatur vt talis à tota Ecclesia, quia in hoc non permittit Deus posse decipi, sicut ipse promisit, ita & de Concilio Oecumenico dicimus Deum non permissurum, vt in Concilio [ab Ecclesia, tanquam legitimo habito conueniant Episcopi, vel non Catholici, vel non legitimè ordinati.

Ad secundam probationem respondeo, cum Bellarmino, quod legitimum esse Concilium, potest euidens esse illis, qui sunt præsentes, cum videant conuenisse in vnum Episcopos, qui tanquam veri Episcopi ab Ecclesia habentur, qui ex varijs Prouincijs vocati ab eo, qui habet auctoritatem conuenerunt, omnesque conditiones habuisse, quæ ad Episcopos in Concilio generali congregatos necessariæ sunt. Posteris verò, & absentibus notum esse hoc ex humana fide, & hoc posse cognoscere ex humana fide, sed certissima, quæ aliquo modo naturali euidentiæ comparari potest, est ita clarum, vt qui contrarium diceret, tamquam stolidus, vel insanus ab omnibus haberetur, sicut enim insanus haberetur, & stultus, qui non crederet Romam, vel Constantinopolim esse in mundo, quia ipse istas Ciuitates non vidit, quia apud omnes Historicos, & Gosmographos est notissimum, & attestatum esse in mundo prædictas Ciuitates, ita insanum esset negare Concilia generalia antiqua fuisse vera Concilia, quia alicui de visu non constat talia fuisse, etiamsi omnes Doctores, & Historici, etiam illius temporis ita affirment.

Secundò arguitur ab Hermando Hamelmando lib. 3. cap. 15. & 16. Prolegomenorum, & ex libro protestantium, qui inscribitur, causa cur electores, ex eo, quod de facto plura Concilia errarunt, & quia quod veritate non possunt multiloquio, & deceptione, ac fraude exorquere quærunt, plures errores enumerant ex Concilijs reprobatis, alios ex veris quidem Concilijs, qui re vera errores non sunt ab ipsis verò, quia contra eorum hæreses versantur, errores reputantur, ac denique alij, qui ex veris Concilijs aliquam falsitatem in omnium sententia præseferunt, adducunt. De primis nobis non est danda ratio, sicut nec de illo, quod adducit Caluinus centum quinquaginta Prophetarum, qui omnes errarunt, vt habetur 3. Regum 22. vbi ipso Deo protestante se misisse spiritum mendacem in ore ipsorum, omnes errarunt, nam de istis non loquimur in nostra conclusione, sicut nec de illo, quod idem Caluinus adducit facto à Iudæis, Præsidente summo Pontifice Caipha contra Christum, nam (relictis alijs solutionibus, quæ meo videri difficultatem non soluunt) nec de ipso loquimur, sed de illo, qui in lege noua, non à Synagoga, sed ab Ecclesia Catholica congregatur, cui tantùm Dominus promisit esse firmamentum, & columnam veritatis, & in medio eorum ipsum, qui sũma veritas est, futurũ.

Nec

Nec loquimur de illis, quæ errores putant sectarij, cùm tamen sint dogmata veritatis; de istis enim in suo quoque loco, confutando eorum falsitates, dicemus, & sic dicunt errasse Concilium Chalcedonense, in quo sancitur non posse violare continentiæ votum sanctimoniales. Et Carthaginense quintum, quando statuit Altaria sine reliquijs Martyrum erigi non deberi. Debemus ergo solos illos examinare, qui re vera speciem aliquam erroris habere videntur, & à Concilijs legitimis definiuntur, & inter multa, quæ adducunt, aliqua difficiliora tantùm, & ex quorum solutione alia faciliter dilui possunt, adducemus.

In primis arguit erroris Lutherus Concilium Apostolorum, de quo dicitur act. 15. nam Iacobus in illo mutauit Petri sententiam, qui iam statuerat legalia non esse à Gentibus obseruanda, quam legem bonam, & veram fuisse tuetur Paulus in tota Epistola ad Galatas, ergo dicendum est, Concilium generale posse errare, vel saltem (ait Lutherus in lib. de Concilijs part. 1.) [nihil prodesse, quia non potest defendi ista lex, nisi defendatur Concilium non obligare.]

Secundò, arguit Lutherus loco citato contra Concilium Nicænum, vbi definitur de rebaptizandis Paulianistis, damnatur militia, quæ tamen ex approbatione Ioannis Baptistæ Luc. 3. est licita Christianis, ac denique sibi ipsi contradicere, cum in vno Canone, ait non esse idoneos ad Sacerdotium eos, qui se castrauerunt, in altero, prohibet ne sacerdotes habeant vxores, vnde blasphemando concludit pag. 92. [an verò nihil aliud est negotij Spiritui Sancto in Concilijs, quàm vt impossibilibus, periculosis, non necessarijs legibus, suos Ministros obstringat, & oneret?] Quibus addit Hermanus Hamelmandus esse approbatam sententiam Paphnutij, qui existimabat non debere prohiberi Ecclesiasticos à consuetudine cum proprijs vxoribus, vt patet ex Socrate lib. 1. cap. 7. contra id, quod definitur in Concilio Arelatensi 2. canon. 2. vbi definitur non licere Sacerdotibus vti suis vxoribus.

Tertiò, idem Hermanus Hamelmandus adducit errores duos ex duobus Concilijs generalibus; primus est, quod primatus Ecclesiasticus tribuitur Romano Pontifici, qui pugnat cum Concilio Nicæno, in cuius 7. canone tribuitur primatus Episcopo Hierosolymitano. Alter est, quod post Romanum Pontificem debeat esse immediatè Episcopus Constantinopolitanus, qui pugnat cum eodem Concilio Nicæno canon. 6. vbi tribuitur secundus locus Alexandrino, & tertius Antiocheno Episcopo.

Quartò, proferunt duo Concilia se se ad inuicem contradicentia, Concilium scilicet Romanum sub Stephano VII. quod Præsidente ipso Papa irritauit omnia acta Formosi Papæ prædecessoris sui; & Concilium Rauennense Præsidente Ioanne IX. quod irritauit acta Concilij prædicti sub Stephano, & approbauit acta Formosi.

Denique relictis alijs penè ridiculis, adducunt Concilia Constantiense, & Basiliense inter se pugnantia, cùm primum excommunicauit omnes communicantes sub vtraque specie, secundùm concessit Bohemis sub vtraque specie communicari.

Respondeo ad hoc argumentum negando antecedens, ad primam probationem dico, nomine suffocati, & sanguinis intelligere plures Sanctos Patres homicidium, seu sanguinis effusionem, ita Irenæus in cap. 12. Cyprianus lib. 3 ad Quirinum, Chrysostomus, & Oecumenius, in illum locum, tamen quia alij cum Tertulliano in Apologetico capit. 9. per ly suffocatum, & sanguinem intelligunt, non vesci sanguine, nec animalibus suffocatis; ideò dico tantùm imperasse Apostolos, vt non vescerentur immolatis simulachrorum sanguine, & suffocato, non vt præciperent legis veteris obseruantiã, sed ex propreis præcepto mandarunt, vt faciliùs acquiescerent Iudæi cum Gentilibus, & ex coalesceret vna Ecclesia, itaque non errauit Concilium, neque Iacobus contra Petri sententiam dixit, sed antequam definiretur ista res, putauit pro illis circumstantijs temporum addendum esse hoc præceptum positiuum, & temporale, quod postea ex communi sententia definita ista controuersia, tale præceptum ablatum est, de quo videndus est Hieronymus in epistola ad Augustinum, quæ inter eius epistolas 11. est.

Ad secundam probationem dico, quod vanè oblatrat Lutherus contra Concilium Nicænum, quod semper tantæ auctoritatis fuit apud Ecclesiam, vt mirum sit ipsum ita temerarium fuisse, vt contra hoc Concilium scriberet. Et quantùm ad id, quod ait de rebaptizandis Paulianis, manifestè æquiuocatus est, & ignorantem se prodidit; Paulianistæ enim, de quibus loquitur Concilium, cum crederent Christum purum hominem, & Trinitatẽ negarent, non baptizabant in nomine Trinitatis, ac proindè, nec verè baptizabant, vnde non fuit hoc præcipere, quod Concilium Carthaginense sub Cypriano præcepit, & ab omnibus Catholicis reprobatur: quod autem ad militiam spectat Nicæna Synodus militiam non prohibet, nisi in quantum erat tunc temporis signum Idolatriæ; cum enim tunc cingulum militiæ esset magni honoris, & commodi, antiqui Imperatores Ethnici auferre solebant cingulum militiæ Christianis, qui fidem negare nolebant, vt narrat Eusebius lib. 8. historiar. cap. 4. vbi narrat Diocletianum Christianis militiam negasse, nisi Idolis immolarent; & Licinium Imperatorem Christianos de palatio, & de omni militia expulisse, vndè Christiani milites cingulum abijciebant, eligentes potiùs sinè honore, quàm sine fide viuere, ideò prohibitum fuit à Concilio, istis, qui iterum militiæ cingulum ambirent, ne hoc facto, vel fidem proderent, vel se disponerent negare, ne militiam prosequantur. Ad id autem, quod addit Hermandus, respondeo, quod Concilium Gangrense nullo modo opponitur Nicęno, sed tantùm hæreticis Manichæis, & contra Eustatium Sebastenum, quia hæretici isti horrebant nuptias, tamquam à diabolo factas, vndè etiam Presbyteros, qui vxores habuerant, etiamsi iam eas non haberent, vel saltem non vterentur, ferre non possent, vndè, & Canonem his verbis posuit: [Quicumque discernit à Presbytero, qui vxorem habuit, quod

quod non oportet, eo ministrante, de oblatione percipere, anathema sit.]

Ad tertiā probationem respondeo, primum non solùm non esse errorem; sed Catholicam veritatem, nec vllo modo pugnare cum Canone 7. Concilij Nicæni, vbi non tribuitur primatus in omnem vniuersalem Ecclesiam Episcopo Hierosolymitano, sed potiùs apertè subijcitur Sedes Hierosolymitana, non solùm Romanæ Sedi, sed etiam Alexandrinæ, & Antiochænæ, immo, & Cæsariensi, quæ erat metropolis Palestinæ; sed solum tribuitur Hierosolymitano aliquis honor accidentalis, de quibus videri potest Sanctus Hieronymus in epistol. ad Pammachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani. Nec secundus error dici potest talis, quia decretum illud sicut factum fuerat ab vno Concilio, itá ab alio simili mutari poterat, cum non esset dogma fidei, sed solùm lex aliqua cæremonialis, & tamen, quia sine causa iusta facta fuerat talis mutatio à Concilio Constantinopolitano, & à Chalcedonensi; ideo Summi Pontifices Romani Damasus, & Leo illam probare noluerunt, vnde Leo epist. 55. ad Pulcheriam loquens de tali decreto, sic habet: [Consensiones Episcoporum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes in irritum mittimus, & per auctoritatem Beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.

Ad quartam probationem adductam ex historia Papæ Stephani contra Formosum: Dico non esse ad propositum; quia ibi non tractabatur de rebus fidei, sed de quæstione de facto; vt enim narrat noster Cardinalis Turrecremata, quæstio erat in eo quod Papa Formosus cùm esset Cardinalis, & fuisset degradatus vsque ad habitum laicalem, ac iurasset nec ad Episcopatum, nec Romam reuersurum, Stephanus VI. Papa credens non potuisse talem reassumi ad Papatum, ac per consequens non fuisse verum Papam, condemnauit eum, & per consequens irritauit omnes eius ordinationes, & sententias. Successor autem eius Ioannes IX. credens præfatum Formosum illis non obstantibus verum fuisse Papam, ordinationes illius, & gesta confirmauit, & contra ipsum acta in Concilio Rauennensi, reprobauit; quæ omnia pertinebant ad quæstionem de facto, in qua Ecclesia errare potest, vt docuimus suprà cum Diuo Thoma quodlib. 8. & 4. sent. dist. 41.

Ad vltimam ex his dico, illa Concilia inter se non pugnare quantum ad declarationem veritatis fidei, sed solùm esse diuersa decreta circa mores, & vsus Sacramentorum quæ licèt opposita sint, tàmen pro diuersitate temporum, vtraque optima esse potuerunt Conceditur enim ex Priuilegio Bohemis à Concilio Basiliensi ad tollenda schismata, quod alij ex vrgentissimis causis interdictum fuerat sub Anathemate: Sed hoc nil pertinet ad fidem.

Denique arguitur. Concilium generale nil aliud est, quàm Congregatio plurium Episcoporum legitimè conuenientium in vnum sed hæc Congregatio non habet infallibilem veritatem in definiendo res fidei; ergo neque Concilium. Maior est certa, & minor probatur. Tùm primò, quia illi Ecclesiæ promissum est à Christo, quod in fide errare non possit, cui promissum est esse vsque in finem seculi duraturam, iuxtà illud Matth. vltimo: [Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.] Sed illa Congregatio, seù Concilium non est vsque ad finem seculi duratura, sed potest humana voluntate dissolui sicut de facto dissoluitur: ergo ei promissum non est errare non posse in fide. Tùm secundò, nam illæ personæ, quæ in diuersis locis existentes, errare possunt in fide, etiamsi in vnum locum conueniant, possunt circa fidem errare, (non enim locus homines in fide cōfirmat, vel eos sanctificat, sicut nec immunes ab errore in rebus fidei reddit) sed Episcopi conuenientes in Concilio generali separati, & diuisi possunt errare in fide; ergo etiam si in vno loco coniungantur, errare possunt in fide.

Respondeo negando minorem (sensu à nobis in conclusione explicato) Ad primam probationem dico: Quod vt notat noster Turrecremata in 2. lib. cap. 109. quod ly non errare, aut deficere, aliter attribuitur Ecclesiæ vniuersali, & aliter quando attribuitur Apostolicæ Sedi, ac plenario Concilio: nam de vniuersali Ecclesia dicitur, quod fides nunquam deficiet de Ecclesia, quia semper in aliquibus, multis, aut paucis, fides permanebit vsque ad finem, & seculi consummationem, vt ostendemus, Deo dante, agendo de Ecclesia eiusque notis. Sedi verò Apostolicæ, aut plenario Concilio attribuitur solùm quoad iudicium: dicimus enim, quod Omnipotens Deus his, quibus in Ecclesia sua fidei magisterium commisit, in his, quæ fidei sunt non permittet errare, vndè benè stat, quod Concilium vniuersale dissolui possit humana voluntate, & tamen cum fuerit congregatum, in definiendo res fidei errare non possit.

Ad secundam probationem respondetur, non valere consequentiam: Nam aliqua sunt Priuilegia communitatis, quæ non conueniunt singulis personis de communitate, sicut quilibet de Ecclesia potest errare in fide, non tamen ipsa Ecclesia, quæ non est nisi ipsorum collectio, vt dicitur in cap. Ecclesia de consec. dist. 1. Conuenientes autem ad locum Concilij esto sigillatim sumpti errare possint, non tamen omnes simul iuncti in eorum iudicio, quæ ad fidem pertinent, sic Deo ordinante, & iubente, vt ostensum est in probatione nostræ conclusionis.

§. II.

Vtrùm hanc infallibilem auctoritatem, huc vsque à nobis statutam, habeant Concilia, ex se, & antè Papæ confirmationem.

Firmata iam infallibilitate in definiendo res fidei in Concilijs generalibus legitimè congregatis; videndum est ex quo capite hæc infallibilis certitudo conueniat Concilijs, an scilicèt ex authoritate Pontificis congregantis, & confirmantis eorum decreta. Pro quo.

Sup-

cupponendum est. Quod Concilium sumi potest dupliciter, vno modo prout significat corpus Ecclesiæ, vt contradistinctum à Papa; vel vt significat corpus Ecclesiæ, & Caput eius Papam: Si sumatur primo modo; docet Corduba lib.4.de potestate Papæ qu.4 §.opinio 3. & cum illo aliqui alij, quod quantum ad certitudinem, & infallibilitatem in rebus fidei definiendis, habeat Concilium, vt contradistiactum à Papa æqualem iurisdictionem, & certitudinem cum illo, & consequenter independenter ab illo; & sic ex se habere hanc certitudinē; vndè asserit Auctor iste, quod si legitimè congregatum Concilium decretum definitiuum de rebus fidei faciat, cui definitioni Papa dissentiat, standum foret definitioni Concilij, & non Papæ.

Alij, quos sub nomine nouorum Magistrorum citat noster Turrecremata, qui suo tempore dogmatizabant, Concilium vniuersalem potestatem immediatè habere à Christo, & tam plenam, vt ei omnis fidelis cuiuscumque potestatis Christianæ, aut præeminentiæ, etiam Papalis, obedire teneatur; Et hoc non solùm quoad mores, & leges directiuas, sed etiam quoad veritates Catholicæ fidei.

Catholica tamen Conclusio est; Concilia omnia, totam auctoritatem habuisse, & habere pendentem, & emanatam à Romano Pontifice.

Hanc conclusionem docent communiter Theologi cum Angelico Præceptore in opusc. contra impugnantes Religionem, illis verbis; [Sancti Patres in Concilio congregati, nihil statuere potuissent, nisi auctoritate Summi Pontificis interueniente, sinè qua etiam Concilium congregari non potest. Ille.

Probatur primò ex supra dictis disputatione prima, vbi probauimus Romanum Pontificem esse Caput vniuersalis Ecclesiæ; ergo est Caput vniuersalis Concilij, quod vniuersalem Ecclesiam repræsentat; ergo omnia Concilia habent infallibilitatem definiendi dependentem, & deriuatam ab infallibilitate supremi Romani Pontificis. Antecedens est certum, & prima consequentia sequitur. Secunda verò probatur, seu explicatur: Loca Scripturę, in quibus vnitas Capitis habetur sunt præcipuè tria, scilicèt Matt.16. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni Cælorum. Luc.22. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et Ioan.vlt. Pasce oues meas:] Sed in omnibus illis sicut habetur vnitas Capitis, ità, & auctoritas suprema circa res fidei definiendas; ergo sicut ab illo capite omnis potestas iurisdictionis descendit in Ecclesiam vniuersalem, ita ex eodem Capite procedit omnis infallibilitas in definiendo res fidei. Sic enim datæ fuerunt Principi Apostolorum duæ claues alteram iurisdictionis, alteram scientiæ, vt communiter Sancti Patres, & Theologi exponunt.

Confirmatur hoc primò. Solo Romano Pontifici in persona Petri commissa est cura totius Ecclesiæ, & firmitas, ac certitudo in definiendo res fidei; ergo quæcumque alia potestas, & infallibilitas, quæ reperitur siue in Concilio vniuersali, siue in aliquo Pastore, & Episcopo particulari, deriuatur, & dependet à certitudine, & infallibilitate ipsius Capitis. Antecedens est certum: Soli Petro, eiusque successoribus dictum est: [Pasce oues meas, confirma fratres tuos, &c.] Ergo soli illi, & non alteri Congregationi, aut Ecclesiæ vniuersali, vel alteri personæ particulari, data est hæc infallibilitas; & consequenter ab illa omnis alia deriuatur.

Secundò probatur nostra Conclusio. Terrena, & Ecclesiastica Hierarchia iuxtà Dionysium in lib. de Ecclesiast. Hierarch. est exemplata à Cęlesti; sed in Angelica, & Cœlesti Hierarchia, secundùm eundem Dionysium de Ecclesiast. Hierarchiæ cap. 5. illis verbis: [Lex diuinitatis Sacratissima est per prima media in diuinissima relucere lucem;] nulla potestas datur ad actus hierarchicos perficiendos desuper à Deo personæ, aut toti Hierarchiæ, quod non tribuatur, vel descendat mediante Hierarcha illius Hierarchiæ: ergo à pari, nulla potestas confertur à Christo Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & consequenter Concilio ipsam repræsentanti, quæ non tribuatur mediante Romano Pontifice, qui est Hierarcha, & primus in Ecclesiastica Hierarchia; & consequenter quidquid auctoritatis habet vniuersale Concilium, habet mediante Romano Pontifice.

Confirmatur hæc ratio. Concilia vniuersalia habent originem ex institutione humana, & non à Christo immediatè; ergo non à Christo immediatè habent potestatem iurisdictionis super omnes fideles; & consequenter nec infallibilitatem iudicij, sed mediante Summo Pontifice illa conuocante, & communicante hanc infallibilitatem. Antecedens patet, tum ex cap. Canones 15. dist. & ex cap. generalia, quoque Concilia dist. 17. Tum quia nullibi in Sacra Scriptura legitur factam à Christo hanc institutionem Conciliorum, sed solùm habemus aliqua Concilia facta ab Apostolis; ergo.

Tertiò probatur nostra Conclusio. Si Concilium vniuersale recipit immediatè potestatem à Christo, vel recipit quando nondum est congregatum, vel quando est congregatum: primum dici non potest, quia Concilium quando non est congregatum non existit; ergo non est capax recipiendi potestatem. Si secundum, nequit assignari hora, aut punctum, in quo congregatum Concilium accipiat hanc potestatem; ergo nullo modo accipit potestetem immediatè à Christo.

Dices primò. Recipere potestatem in illo puncto, in quo terminatur tempus assignatum conuentionis.

Sed contra est. Nam si in illa hora acciperet potestatem, sequeretur, quod nullis alijs aduenientibus duo, vel tres, etiam ignorantes, & nullius authoritatis; ex conuocatis ad Concilium, acciperent hanc potestatem; & sic totius Orbis dispositio, immo & fides, & status vniuersalis Ecclesiæ penderet ex duobus, vel tribus ignorantibus concurrentibus ad Concilium.

Respondebis: quod data sit hæc potestas Concilio, quæ data est Ecclesiæ vniuersali; quæ quidem potestas, erat quidem in habitu in

in Ecclesia dispersa, efficitur autem in actu quando Synodaliter congregatur.

Sed instatur. Nam falsum est vniuersali Ecclesiæ datam fuisse aliquam potestatem iurisdictionis, & infallibilitatem in definiendo, vt supra probauimus, siuè sumatur in vniuersitate omnium suorum membrorum, siuè etiã pro vniuersitate Clericorum; ergo non potuit reduci ad actum per Synodi congregationem.

Dices tertiò. Potestatem datam fuisse Ecclesiæ, quando Episcopis, in Apostolis designatis indistinctè, & vniuersaliter data est potestas à Christo ad regendum Populum Christianum.

Contra instatur. Nam, vt suprà etiam probauimus, nulla talis potestas, aut plenitudo potestatis data est collectiuè omnibus Apostolis simul, sed Petro, qui Princeps est Apostolorum; & Pastor totius Gregis Dominici, plenè talis potestas concessa est, vt ibi ex Beatis Cyrillo, & Hieronymo, & ex vnitate Ecclesiæ, & perfectione Monarchici Principatus probauimus; ergo nulla fuit data vniuersalis Ecclesiæ à Christo immediatè potestas.

Et confirmatur hoc. Vel Concilium accepit à Christo hanc potestatem eandem cum illa, quam dedit Petro, aut aliam, eandem non possunt dicere aduersarij, qui nolunt Papam posse definire sinè Concilio, nec esse æqualem, sed sub Concilio: Si aliam, aut maiorem, aut minorem, aut æqualem: non æqualem, (quia sic præterquam, quod non sequeretur contraria sententia, quia par in parẽ non habet Imperium) & inferretur maximum inconueniens; quod scilicet essent duo capita in Ecclesia, cum essent duæ supremæ potestates, vna ab altera non dependens, quod nullatenus potest admitti; destrueretur enim, & vnitas Ecclesiæ, & perfectio Principatus: vndè dicebat Cypria. in epist. ad quinque Presbyteros; [Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna, super Petrum, Domini voce fundata: aliud Altare construi, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum Altare, & vnum Sacerdotium, non potest; quisquis alibi collegerit, spargit, adulterium est, impium est, sacrilegum est.] Ille.

Quod autem non recipiat maiorem. Probatur, quia vt supra diximus, Papa, vt supremum Caput Ecclesiæ habet in illa potestatem supremam; ergo si Concilium haberet maiorem, coacto Concilio, Papa non haberet supremam potestatem, sed Concilium, ac proindè defineret esse Caput Ecclesiæ. Si autem habet minorem, non est cur non ponatur dependens etiam à suprema potestate Pontificis. Et non facit pro aduersarijs, qui volunt Concilium esse supra Papam in definiendo etiam res fidei; ergo nullo modo datur potestas illa infallibilis in definiendo res fidei, Concilio immediatè à Christo.

Hinc addit noster Turrecrem. summa de Eccles. lib. 3. cap. 28. [auctoritas vniuersalis Concilij dependet immediatè ab auctoritate Apostolicæ Sedis, non solùm quoad conuocationem, aut congregationem, sed etiam quantum ad robur; & firmitatem omnium actuum, & actatorum in Concilio]. Et habetur dist. 17. & cap. confidimus 15. quæst. 1. vbi Pelagius Papa ait: [Quod Apostolica Sedes vnam quamque Synodum sua auctoritate confirmat.] Et in 3. Synodo Romæ celebrata tempore Simmachi, vt habetur in cap. bene quidem dist. 96. vbi dicitur; [Quod Apostolica Sedes statutis Synodalibus consueuit tribuere firmitatem.] Ac denique ext. de Elect. cap. significasti, dicitur: [Quod omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, & facta sunt, & robur acceperunt.]

§. III.

Argumenta contra huc vsque dicta soluuntur.

Arguunt aduersarij contra nostram Conclusionem, Apostoli, & Discipuli, per quos repræsentantur Episcopi, & Ecclesia, habuerunt immediatè à Christo Domino potestatem clauium, non solùm iurisdictionis, sed etiam scientiæ; ergo & Concilium, eorum Collegium repræsentans. Antecedens probatur, tùm ex illo Matth. 18. vbi dicitur à Christo Domino: [Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum ego;] ergo videtur, quod à Christo immediatè accipiat potestatem, & non à Papa. Tùm secundò, nam in eodem loco Christus dixit Apostolis: [Quæcumque ligaueritis in terra, erunt ligata, & in Cœlo.] Vbi videtur immediatè dedisse potestatem iurisdictionis; ergo & Episcopis, qui succedunt loco discipulorum. Tùm tertio ex illo Ioannem 20. [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis.] Ergo discipuli immediatè à Christo acceperunt potestatem definiendi in Concilijs, & non mediantè Papa.

Respondeo negando antecedens, ad primam probationem dico: In primis, non esse ad propositum; nam in illo loco Christus loquitur ad literam de congregatione quorumcumque fidelium, siuè Laicorum, siuè Clericorum, nec loquitur de congregatione locali, sed de conuenientia, & vnanimi consensu in aliqua vna re, vt patebit Euangelium legenti, non verò loquitur de Concilijs vniuersalibus; licet aptari posset, & Concilijs vniuersalibus, & Prouincialibus, & capitulis etiam Religiosorum in nomine Domini congregatis. Hæc autem assistentia talibus congregationibus promissa est per inspirationem ad ea, quæ bona sunt, & per gratiam adiuuantem ad prosecutionem; non autem talis assistentia arguit potestatem clauium, siuè scientiæ, siuè iurisdictionis, aut regiminis. Ex hoc enim posset inferri, quod omnes congregati in nomine Christi haberent potestatem iurisdictionis, quod est perniciosus error Waldensium, qui omnes Sanctos homines præsumebant habere claues Ecclesiæ. Concilia verò, quæ à Christi Vicario præsumunt non habere potestatem, non sunt Oecumenica, sed Conciliabula, & Conuenticula Sathanæ; non enim possunt dici Christi nomine congregata, quæ contra Christi Vicarium aliquid moliuntur.

Ad secundam probationem, tripliciter respondet noster Turrecremata. Primo, quod per illa verba tantùm tribuitur Apostolis potestas

testas iurisdictionis, non autem argui potest, quod sit data vniuersali Ecclesiæ, vel Apostolis in Concilio, seù Collegio congregatis; quia tunc Apostoli non erant vniuersalis Ecclesia tota, nec re, quia plures alij, tam viri, quàm mulieres erant fideles; nec repræsentatione, quia tunc Apostoli non erant Prælati aliorum fidelium, immò nec Sacerdotes; nam in Cœna vltima, vt communiter volunt Theologi, facti sunt Sacerdotes.

Respondet secundò. Quod Apostolis per illa verba non est data potestas, vt simul sumptis, & collegialiter congregatis, sed vt singularibus, & seorsim sumptis. Quod patet ex Glossa Origenis supra illum locum, vbi dicit: [Ideò Christum dixisse Apostolis in Cœlo, & non in Cœlis, sicut dixerat Petro, quia non erant tantæ perfectionis, sicut Petrus.] Sed si collegialiter omnibus Apostolis locutus fuisset, cum in Collegio etiam Petrus claudatur, non potuisset hoc discrimen saluari; ergo loquitur de singulis Apostolis, non de omnibus simul, & collegialiter sumptis.

Respondet tertiò, & est solutio, quæ mihi videtur verior, & sustinenda. Quod dato, quod illa potestas esset tributa Apostolis per illa verba, vt Collegio; non tamen hoc fuit sinè Apostolo Petro; immò tradita fuit in ordine ad Petrum, sicut ad illum, mediante quo erat in alios deriuanda: quapropter docuit S. Thom. 4. contr. gent. cap. 76. & in 4. sent. dist. 19. [Quod ideò priùs Beato Petro Christus dedit potestatem dicendo: Tibi dabo claues; & deindè Apostolis: Quæcumque ligaueritis, &c. Ad ostendendum, quod per Petrum ad alios Apostolos potestas clauium esset deriuata, ad conseruandam sic vnitatem Ecclesiæ.] Vndè potius hæc auctoritas adducta à contrarijs, nostræ, quàm illorum fauet sententiæ. Ex quibus patet responsio, ad tertium.

Secundò arguitur ex diuersis Concilijs, qui independenter à Papa definierunt. Sic ex veteri testamento adducunt ex lib. Esdræ vlt. vbi legitur, congregatum Concilium vniuersale in Hierusalem, vt prouideretur super Congregationem filiorum Israel, qui duxerant vxores alienigenas, & dicitur: [quod missa est vox (citatio videlicet) in Iudæa, & Hierusalem omnibus filijs transmigrationis, vt congregarentur in Hierusalem, & omnes, qui non venirent tribus diebus, iuxtà Concilium Principum, & Seniorum, auferretur ab eo substantia eius, & ipse, &c.] Et duo considerant aduersarij in hoc Concilio in fauorem propriæ sententiæ. Primum est, quod licèt Esdras non foret Summus Sacerdos, attamen nomine totius Concilij tulit sententiam in prædicta causa; ergo, ipsi inferunt, determinatio, & definitio in Concilio vniuersali, non est solius Papæ.

Secundum est, quod punitio spiritualis, & tẽporalis inferenda contumacibus; & contemnentibus, fuit reseruata auctoritati Concilij, & non solius Papæ; ergo, inferunt ex his, posse Concilium non errare independenter à Summo Pontifice.

Adducunt autem ex nouo Testamento Concilium factum ab Apostolis act. 15. vbi quando profertur sententia definitiua, sic habetur: [Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere, &c.] vbi manifestè videtur, quod Apostoli, & Seniores simul omnia fecerunt, & non solus Petrus. Secundò videtur, quod nomine totius Congregationis synodalis est conscripta sententia, & non nomine solius Petri; ergo, &c.

Sic etiam ex gestis 8. Synodi Constantinopolitanæ habetur, quod deuentum est ad definitionem in maximis dogmatibus fidei, non expectata à Papa confirmatione; ac proindè independẽter ab illo habet Conciliũ auctoritatem, & infallibilitatem definiendi.

Respondeo in vtroque casu saluari dependentiam Concilij à Summo Pontifice.

Ad primum, negamus in primis illam Congregationem fuisse Concilium, sicut in præsenti de Concilio loquimur, vt manifestum de se patet. Deindè falsum est, quod Esdras propria auctoritate, & nomine talis Congregationis dederit sententiam in causa separationis vxorum alienigenarum, sed auctoritate, & potestate Regis Artaxersis, cuius erat Vicarius constitutus pro reductione captiui populi in Hierusalem, vt patet in cap. 2. eiusdem libri, in quo adducitur exemplar epistolæ, in qua dat ei auctoritatem, & potestatem super omnes transgressores legis Dei. Sicut & falsum est etiam, quod punitio non conuenientium ad illam Congregationem fuerit ipsi Congregationi reseruata, sed fuit Esdræ, qui ex Regis commissione talem potestatem habebat, exercendam tamen iuxtà consilium Principum, & seniorum: vndè facta obiectio non est ad propositum.

Ad secundum, quod adducunt ex act. Apostol. cap. 15. dico, quod id, quod seruatum fuit in illo Apostolorum Concilio, potiùs probat nostram conclusionem, quàm impugnat; nam in illo Concilio Apostolico fuit id quod nostra conclusio intendit probare; sicut enim ibi fuit Concilium ex Apostolis, & Discipulis, qui erant sicut Episcopi, & Cardinales, & dirigebat tale Concilium Petrus Caput Ecclesiæ, & Apostolorum, sic in nostris Concilijs Patres congregantur, & Episcopi sub Summo Pontifice Romano dirigente, & confirmante tale Concilium. Vndè non est contra nos hoc argumentum, sed pro nobis.

Ad vltimum dico, quod licèt in Concilio, vbi Papa personaliter non præsidet, sententiæ, & canones nomine Concilij proferantur, vt patet in cap. quidam 16. qu. 1. tamen omnia, quæ ibi gesta sunt auctoritate Pontificis fuerunt confirmata. De hoc vide Glossam super verbo, Nec Canonibus. Quod autem in tali Concilio Pontifex subscripserit canones, habetur in lib. Concilior. his verbis: [Paschasius Episcopus Ciuitatis Lucanæ Vicarius Domini mei Beatissimi, atque Apostolicæ vniuersalis Ecclesiæ Papæ Leonis Vrbis Romæ, Synodo præsidens statim consensi, & scripsi.]

Oppones. In tali subscriptione Pontifex Romanus, siuè per se, si sit præsens, siuè per suos Legatos, quando est absens, æqualis est cum subscriptionibus aliorum Prælatorum, omnes enim eamdem formam subscribendi in gestis Conciliorum vniuersalium obseruarunt: ergo æqualem auctoritatem, & potestatem habent omnes, & singuli Patres congregati in Concilio, ac habet ipse Papa. Con-

sequentia tenet, & antecedens probant: in quolibet Concilio vniuersali eodem modo Legati Pontificis, ac cæteri Episcopi sic se subscribunt: [Ego N. N. talis Ecclesiæ Episcopus annuens, statuens, vel definiens subscripsi.] Vndè in Concilio, cui Gregorius iunior tempore Leonis, & Constantini præsedit, tam Gregorius sic se subscripsit: [Gregorius Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Vrbis Romæ Episcopus huic statuto à nobis promulgato subscripsi.] Quàm Agnellus Episcopus Florentinus sic: [Agnellus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Florentinæ huic constituto à nobis promulgato subscripsi.]

Respondeo, quod licèt falsum sit, quod regulariter sit pariformis subscriptio Papæ, & Legatorum eius, cum cæteris Ecclesiæ Catholicæ Episcopis, vt patet inter cætera in Concilio Florentino sub Eugenio IV. Nam ibi solus Papa Eugenius subscripsit sub hac forma; [Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus sic definiens subscripsi.] Alij verò Prælati, tàm Latini, quàm Græci solùm sic: [Ego talis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.] Et in Concilio Chalcedonēsi reperitur etiàm diuersitas subscriptionis Præsidentis, seù Legati Domini Papæ,& cæterorum Prælatorum Nam ille sic subscripsit: [Paschasius Episcopus Ciuitatis Lucanæ Vicarius Domini mei Beatissimi, atque Apostolicæ, & vniuersalis Ecclesiæ Papæ Leonis Vrbis Romæ, Synodo Præsidens, statui, consensi, & subscripsi.] Cæteri verò Prælati tantùm sic: Ego N. N. subscripsi. Sed dato, & non admisso, verum esse antecedens; neganda tamen est consequentia: non enim sequitur, quod si Papa, & Episcopi eodem modo subscribunt, quod eandem auctoritatem in definiendo habeant, sicut non sequitur, quod ex eo, quod causæ secundæ simul cum causa prima concursu simultaneo eodem modo concurrant, immò in sententia aliquorum eodem concursu concurrant, quod eamdem potestatem,& virtutem habeant; quia & si causæ secundæ concurrant, hoc quod est concurrere habent à causa prima.Ità similiter non valet, Episcopi congregati in Concilio simul cum Papa definiunt,& eodem modo subscribunt; ergo eandem auctoritatem in definiendo habent; quia hanc auctoritatem non habent, nisi dependenter à Papa congregante illos in Concilio, & confirmante eorum dicta.

Sed adhuc instabis. In definiendo magis dependet Papa à Concilio, quàm Concilium à Papa; ergo vel æqualem, vel maiorem potestatem habent Patres in Concilio, quàm Papa. Probatur antecedens omnium ordinatorum ad finem regula, & mensura,est ipse finis; sed vniuersalis Ecclesia repræsentata per vniuersale Concilium est finis potestatis Papalis ergo & illius mensura, & regula, non verò è conuerso;ergo magis Papa à Concilio,quàm Concilium à Papa dependet in definiendo. Consequentia videtur bona; maior est Aristotelis, & minor probatur. Nam Papa est propter Ecclesiam, non Ecclesia propter Papam; quapropter Apost. 2. ad Corinth. 10. ait: [Potestatem dedit nobis Deus in ædificationem, & non in destructionem.]

Respondeo negando antecedens,ad probationem distinguo maiorem, est finis cui, nego maiorem: finis cuius gratia, concedo, & distinguo minorem est finis cui, concedo; est finis cuius gratia, nego minorem, & consequentiam. Dupliciter enim aliquod dicitur finis, alter cuius gratia, ad quem consequendum tendit; alter cui, hoc est, cui intenditur finis cuius gratia; v. g. finis politicæ est Pax, & tranquillitas ordinis, nam ad ipsam vniuersum regimen respicere, & tendere videtur; ipsa verò communitas, seù Populus dicitur finis cui Regiminis, seù potestatis publicæ, sicut ad cuius vtilitatem ordinatum est opus Regentis, & Præsidentis; ità ergo non est finis potestatis Papalis ipsa Ecclesia vniuersalis, sicut id, ad quod est finaliter ordinata, sed sicut id, ad cuius vtilitatem potestas ipsa ordinata est: quando ergo dicitur, quod finis sit regula, metrum, & mensura omnium ordinatorum ad finem, intelligitur de fine cuius gratia, non de fine cui; & de hoc loquitur Apostolus in loco adducto, quando ait: Quod potestas est data ad ædificationem Ecclesiæ. Vndè Ecclesia non dicitur finis cuius gratia, sed finis cui, potestatis Papalis. Et quidem quod non possit Ecclesia etiam congregata in Concilio, nisi sit Concilium vniuersale, & plenarium, in quo scilicet non solùm Episcopi, & Prælati,sed etiam auctoritas, & consensus interueniat Apostolicæ Sedis,esse regula, & lex fidei, patet, quia plura Concilia, cui talis auctoritas defecit, visa sunt exorbitare à fide, vt de Ariminensi, & Ephesino 2. Sed sola Apostolica Sedes ex se dici potest hæc regula infallibilis fidei, quia solo Beato Petro dictum est à Domino: Luc. 22. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Quapropter ipsa sola dicitur columna, & magister fidei.

D V B I V M II.

Ad quem spectet congregare Concilium.

§. I.

Relatis sententijs Catholica veritas statuitur.

Viso iam à Summo Pontifice deriuari omnem auctoritatem, & infallibilitatem Conciliorum in definiendo res fidei; consequenter restat videre, an sicut confirmatio, ita & Congregatio Conciliorum ad solum Romanum Pontificem pertineat, sicut in omnium sententia Synodus Diœcesana ab Episcopo, Prouincialis à Metropolitano solo conuocari potest, & debet.

Omnes ferè hæretici nostri temporis coniurarunt in hoc, quod non ad Summum Romanum Pontificem, sed ad Imperatorem pertineat congregare, & conuocare Concilium. Ita eorum Principes Lutherus lib. de Conc. pag. 58. & Caluinus lib. 4. Institutionis cap. 7. §. 8. pag. mihi 400. vbi sic habet: [Vniuersale autem Concilium indicere solus Imperator poterat.] Immò & Pomeranus

lib. 3.

lib. 3. de iurisdict. par. 1. cap. 4. solemni mendacio dixit; [In totis quingentis annis synodos vniuersales, quæ multæ habitæ sunt; nemo congregauit præter vnum Cæsarem.] His subscribunt Brentius in prologom. Centuriat. cent. 4. cap. 7. Molinæus in consilio de non recipiendo Concilio Tridentino §. 4. Mornæus in suo mysterio iniquitatis oppos. 4. pag. 23. Nec desunt etiam antiqui hæretici, quos suppresso nomine citat nosterCard. Turrecremata summa de Ecclesia lib. 3. cap. 7.

Catholica Veritas.

Non ad Imperatorem, sed ad Pontificem re vera pertinet congregare Concilium generale per se, & directè.

Ita omnes Catholici, & est veritas deducta ex Sacra Scriptura, pluribus in locis, & specialiter 1. Mach. 14. vbi inter alia priuilegia, quæ Simoni Summo Sacerdoti totius populi, & Sacerdotum consensu sunt attributa, vnum est, vt Conuentus sinè ipso non fieret in regione, ergo cùm Sacerdos veteris legis sit figura Sacerdotis noui testamenti, & consequenter cùm Sacerdos Summus noui testamenti excellentioris sit dignitatis dicendum est simile priuilegium diuina institutione ei fuisse concessum.

Confirmatur, nam in primis Concilijs Ecclesiæ, Apostoli, & eorum Princeps Petrus conuocauerunt Concilia, & non Imperatores, vt patet in 1. synodo actor, cap. 1. Petrus exurgens in medio Fratrum proposuit electionem noui Apostoli. Et cap. 6. conuocata secunda synodo, non ab Imperatore, sed à Petro, fuit ab ipso propositum, non æquum esse Apostolos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis; & fuit determinatum eligendos esse septem Diaconos viros probos, qui ministrarent sacris mensis. Ergo dicendum est ad Pontificem, non ad Imperatorem spectare conuocare generale Concilium.

Probatur secundò, Concilium generale non potest legitimè congregari, nisi in nomine Christi, sed in nomine Christi solùm congregatur à Summo Pontifice, ergo, &c. Maior admittitur à contrarijs, & specialiter docetur à Caluino lib. 4. institut. cap. 9. §. 1. & 2. Minor verò probatur, idem est congregari in nomine Christi, ac congregari auctoritate Christi; sed solus Pontifex habet à Christo auctoritatem congregandi Concilium, ergo solùm illud Concilium congregatur legitimè, quod à Pontifice congregatur. Minor probatur, solus Pontifex, & non Imperator habet potestatem Ecclesiasticam, & spiritualem in toto Orbe Christiano sed potestas conuocandi Concilium generale in nomine Christi, ac proindè data à Christo est potestas Ecclesiastica, & spiritualis super Ecclesiam vniuersalem, ergo solo Pontifici competit conuocare concilium generale in nomine Christi. Secundò probatur eadem minor ex principijs ipsorum hæreticorum Protestantium, inherentium Caluino lib. instit. cap. 7. §. 8. vbi sic habet; [Quantum ad synodos conuocandas, hoc erat Metropolitæ, eiusque officium, vt Prouincialem synodum statis temporibus cogeret,] quem sequuntur Centuriat. cent. 4. cap. 7. col. 534 vbi docent Concilia diœcesana ab Episcopo, prouincialia ab Archiepiscopo, Nationalia à Patriarcha conuocari debere, ergo etiam debent concedere Concilia generalia non posse, nisi à solo Romano Pontifice congregari. Consequentia probatur, ideò Diœcesanus Episcopus in sua diœcesi, & non Magistratus, vel Rex potest congregare Concilium diœcesanum, quia ipse Episcopus in diœcesi cui præest, habet potestatem spiritualem, & Ecclesiasticam, & idem dicendum de Archiepiscopo respectu prouincialis, & Patriarcha respectu nationalis Concilij, sed solus Papa habet Ecclesiasticam & spiritualem potestatem in tota Ecclesia, ergo solus Papa poterit congregare Concilium generale. Qua ratione, licèt ex aduerso sensu, vsus est Cartuurighto in 2. replica par. 2. pag. 582. ad probandum contra aliquos Protestantes, non posse Concilium prouinciale conuocari ab Archiepiscopo, sicut non potest à Papa.

Tertiò probatur conclusio ex illo antiquissimo canone, quod Apostolicum esse, scribit B. Marcellus Papa in epist. ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ, quo statuitur, præter sententiam Romani Pontificis non posse Concilia celebrari. Quem canonem renouauit Concilium Nicænum primum, vt testatur Synodus Alexandrina in epist. ad Felicem, ergo ad solum Summum Pontificem, pertinet Concilium generale congregare.

Respondet Caluinus loco allegato. Ex hoc canone sequi tantùm debere vocari ad synodum generalē, etiam Romanum Pontificem, tanquam vnum ex quatuor præcipuis Patriarchis.

Sed contra est, nam si hoc verum esset sicut de Romano Pontifice, ita, & de Episcopo Alexandrino, Antiocheno, & Constantinopolitano posset fieri idem canon, cùm etiam isti sint præcipui Patriarchæ, immò & Romano Pontifici æquales, secundùm Caluinum, quod quàm sit falsum, patet ex Concilio Chalcedonensi, vbi actione prima, Dioscorus Alexandrinus iubetur non sedere inter Episcopos, eo quod synodum facere ausus fuisset sinè auctoritate Apostolicæ Sedis: quod nunquam licuit (verba sunt Concilij) numquam factum est.

Mitto Glossam Magdeburgensium cen. 4. cap. 7. asserentium verba Socratis non significare, sinè auctoritate Romani Pontificis non debere celebrari Concilia, sed non debere dedicari Ecclesias.

Mitto inquam hanc Glossam, tùm quia in textu, verba non sonant dedicationem Ecclesiæ, sed conuocationem Concilij, vt illa legenti apparebit, vndè sic vertunt Socratem, & Sozomenum, Cassiodorus in historia tripartita lib. 4. cap. 9. Nicephorus, & alij. Tùm etiam, nam canon ille, numquam vel auditus, vel in vsu fuit in Ecclesia, si intelligatur de dedicatione Ecclesiæ, quis enim vnquam dixit prohibitum fuisse Ecclesias dedicare præter sententiam Romani Pontificis.

Quartò probatur ratione desumpta ex Beato Hieronymo ad Euagrium Presbyterum, & habetur in cap. legimus dist. 93. vbi dicit: [In schismatis remedium factum est à Diuina Sapientia, vt vnus electus sit, qui cæ-

teris præponitur, ne vnusquisque ad se trahens, Ecclesia Christi rumperetur in frusta.] Ex quibus sic formatur ratio pro nostra conclusione, si non solo Romano Pontifici in Ecclesia, sed alijs reseruatum esset conuocare Concilium generale, facillimè schisma posset oriri; ergo pro seruanda Ecclesiæ vnitate, ita diuinitus est ordinatum, vt vni, qui totius Ecclesiæ caput,& Rector est conuocandi Concilia, fuerit auctoritas singulariter reseruata.

Posset denique probari varijs historijs,& auctoritatibus Sanctorum, qui nostram sententiam apertè asserunt; sed mihi sufficiat id, quod accidit Romæ in Concilio Romano quarto, sub Symmacho. Nam in eo cùm Rex Theodoricus diceret se Synodum conuocasse: responderunt Episcopi omnes, non à Rege, sed à Papa debuisse conuocari, etiamsi Papa accusaretur: cùmque Rex se excusaret dicens; se ex voluntate, & consensu Pontificis Synodum conuocasse, non ex hoc Episcopi acquieuerunt, donec Rex literas Pontificias proferret, & ipse Pontifex præsens ita fuisse affirmaret.

§. II.

Obiectiones soluuntur.

OMnes moderni hæretici, Tridentinum nō admittentes, nostræ conclusioni aduersantur. Illam improbant Caluinus, & Magdeburgenses, asserentes solum Imperatorem hanc habuisse potestatem; quod probant ex diuersis Concilijs, non à Pontificibus, sed ab Imperatoribus congregatis. Sic Nicænum primum, teste Ruffino lib. 10. histor. cap. 1. à Constantino Magno fuit indictum; Constantinopolitanum primum, affirmante Theodoreto lib. 5. histor. cap. 9. à Theodosio Seniore; Ephesinum primum, scribente Euagrio lib. 1. cap. 2. à Theodosio iuniore; Chalcedonense, vt testatur sanctus Leo epist. 43. à Marciano Imperatore; ac denique, relictis alijs, Sardicense, vt ait Theodoretus lib. 2. cap. 4. à Constantino fuit conuocatum. Hinc ait Nilus: [Sancti antiqui Pontifices ab Imperatoribus impetrarunt conuocare Concilia;] sic sanctus Leo I. ep. 42. ad Theodosium, supplicat Augusto, vt iubeat intra Italiam conuocare Concilium. Sic Liberius apud Theodoretum lib. 2. cap. 16. affirmat, Imperatoris esse conuocare Concilia: & D. Hieron. lib. 2. apolog. contra Ruffinum, improbando nescio quam Synodum conuocatam, ait: [Dic quis Imperator hanc Synodum iusserit conuocari.] Ac denique non parum probat, non Pontificiæ, sed Imperatoriæ esse potestatis conuocare Concilia, tercentis primis annis ab Imperatoribus conuocata fuisse Concilia, nec sine eorum assistentia celebrata.

Respondeo posse hæc argumenta, vtpotè ab historijs, & traditionibus desumpta, contemni, sicut aduersarij nostri negant veras esse historias, & traditiones à nobis etiam ex classicis fide dignissimis, auctoribus adductas; cæterum ne malum pro malo reddamus, & veritates historiarum, antiquitatemque veneremur, aliter respondendum censeo. Dico ergo, nullum fuisse celebratum Concilium à solo Imperatore, & sine consensu, auctoritate, & commissione Romani Pontificis indictum. Ad primum ergo negamus Nicænum primum à solo Constantino, sed à Syluestro, & Constantino simul fuisse congregatum, vt habetur in 6. Synodo actione 18. & scribit Damasus in Pontificali, vndè Ruffinus loc. cit. [Constantinum nonnisi ex sententia Sacerdotum Concilium indixisse.] Quam autem falsum sit id, quod Pighius lib. 6. cap. 1. de Eccles. Hierarch. dixit, Concilia generalia inuenta esse à Constantino Magno patet; etenim, vt supra diximus, etiam tempore Apostolorum celebrata fuisse, & à Syluestro accepisse potestatem, & consilium congregandi Concilium generale: vndè non propriam in hoc, sed Sacerdotum sequutus est sententiam. Quod si.

Opponas ex hoc sequi, quod non Pontifici solo, sed totius Sacerdotum Collegij potestas sit congregandi Concilium.

Quod confirmari potest ex Concilio primo Apostolico, de quo in act. Apost. sic dicitur: [Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt, non est æquum, &c.] vbi, vt vides, primum Concilium in Ecclesia habitum,& quod fuit norma, aliorum, non à solo Petro Principe Apostolorum, sed à toto Collegio Apostolico fuit congregatum; ergo non ad solum Pontificem; sed vel ad omnes Sacerdotes, vel saltem ad Collegium Cardinalium simul cum Papa pertinebit auctoritas congregandi Concilium.

Respondeo non sequi ex illo loco potestatem conuocandi Concilia esse non in Papa, sed in Sacerdotibus, vel solùm vti Papam aliquando in conuocando Concilium Sacerdotum, hoc est Cardinalium consilio: vndè ex proposito, non dixit Ruffinus, esse potestatem Sacerdotum, sed quod consilium Sacerdotum sequutus est.

Ad confirmationem respondeo, sinè dubio Apostolos maxima reuerentia Beatum Petrum; tamquam caput,& Principem eorum tractasse, quod Scriptura illa sæpè commemorat, & Cyrill. in lib. Ephes. dicit: [Petrum esse loco Domini in eius Ecclesia, eidem dantes locum in omni capitulo, & congregatione, in omni electione, & confirmatione.] Quando ergo dictum fuit in act. Apost. [quod duodecim conuocarunt multitudinem, &c.] intelligendum venit, non auctoritatiuè, sed consultiuè, sicut modò Pontifex facit, quando aliquod negotium determinat, vel etiam Concilia conuocat, dicens: [De fratrum nostrorum consilio.] Vndè sequitur, quod sicut tunc auctoritatiuè tantùm à Petro, & tantum consultiuè ab Apostolis, ita nunc à solo Papa auctoritatiuè, & consultiuè à Cardinalibus poterunt conuocari Concilia.

Et ex his patet responsio ad alias instantias in argumento adductas. Dico enim, quod Imperatores illi non congregauerunt vniuersalia Concilia, nisi habito consensu, & auctoritate Romanorum Pontificum. Quæ solutio habetur ex Arch. in cap. mandasti 2. quæst. 5. vbi super illum text. [Valentinianus Augustus nostra auctoritate Synodum congregari iussit:] super illa verba, nostra auctoritate, sic habet: [vbicumque inuenies Impe-

Imperatorem Concilium congregasse, intellige secundùm istud.] Fuerunt ergo Imperatores, potiùs quàm propria auctoritate congregatores Conciliorum, executores voluntatis, & auctoritatis Romanorum Pontificum in huiusmodi Conciliorum congregatione; Ratio autem cur tunc per Imperatores, & Principes, nunc autem per se ipsum hoc facit: est. Quia tunc Ecclesia non erat ita potens, vt valeret compellere nolentes venire, & securum accessum dare venientibus de longinquo; vndè quod per se facere non valebat, exequebatur per Imperatores, & Principes; postea verò sic disponente Domino, potentiam habuit, vt per se ipsam faceret, quod tunc faciebat per Principes.

Et ex hac ratione soluuntur etiam instantiæ factæ ab Illyrico. Nam ait ipse, sanctus Leo in epist. 24. & 25. ad Theodos. disertis verbis petit ab Imperatore generale Conciliũ congregari; Ergo potiùs Pontifex dependet ab Imperatore in congregando Concilia, quàm è contra.

Secundò arguit id, quod in cap. Adrianus dist. 63. dicitur: [Carolus Rex Francorum, ait, Constituit Synodum cum Adriano Papa.] Ergo non Adrianus, sed Carolus fuit principalior congregator talis Concilij.

Respondeo enim ad primum, sanctum Leonem licèt humilitate sua demonstret se rogare Imperatorem, è contra potius Imperatori communicat suam auctoritatem, imponens ei, vt ipse potestate Pontificia compellat venire ad Concilium, & Concilium congreget.

Ad secundum respondeo: Quod Carolus non concurrit auctoritate propria, sed auctoritate Adriani ad constitutionem Synodi. Vndè Archidiaconus super hunc locum in verbum, constituit, habet: [constituit de auctoritate Papæ; vndè melius dixisset è conuerso, scilicet Adrianus constituit cum Carolo.]

Quod si aliquando inueniatur, vel Imperatores, vel Reges conuocasse Episcopos; non tamen talis Episcoporum conuentus Cõcilia vniuersalia appellari possent, nisi Romani Pontificis fulti essent auctoritate. Hinc Episcopi, qui conuenerunt Romæ ex præcepto Regis Theodorici tempore Symmachi Papæ, videntes congregationem illam ad præceptum Regis factam, non fuisse Oecumenicam, nisi auctoritate Romani Pontificis fulciretur: dixerunt: [Oportere ipsum Symmachum Papam Synodum conuocare;] quę conuocatio aliud non erat, nisi Romani Pontificis auctoritatis communicatio; iam enim Prælati erant ibi corporaliter congregati, & tantùm deerat auctoritas congregantis: vt ergo hæc congregatio in Concilium vniuersale verteretur, Pontificis auctoritas congregandi Concilium necessaria erat: Igitur conuocatio Concilij vniuersalis, vt Concilij est, non potest nisi à Papa, vel de eius facultate fieri.

Sed adhuc oppones cum Rosello, & Mornæo oppos. 34. Gregorius Papa epist. 12. lib. 4. præcepit Episcopo Diensi, vt Concilium congregaret in Prouincia Cameracensi, habito tamen prius consensu Regis Francorum, qui si recusaret, vt de facto recusauit, in Lingonensi Ecclesia Patres conuocaret. Ergo non Rex à Papa, sed è contra Papa à Rege potestatem congregandi Concilium emendicat.

Respondeo ex hoc argumento nullo modo inferri, quod Papa non habeat auctoritatem congregandi Concilium, sed potiùs supposita hac facultate, ex illo argumento infertur, quod ex conuenientia, & iustitia, conuocans ad Concilium in aliquo loco, qui non sit suæ iurisdictionis, debeat petere licentiam à Principe illius loci.

Arguitur secundò à Pomer. de iurisdict. lib. 1. cap. 14. Synodus dicitur Oecumenica; ergo conuocari debet à Domino Oecumenico: Sed solus Imperator dicitur Oecumenicus, idest Dominus totius mundi; vndè scilicet Luc. capit. 2. in descriptione totius Orbis, Oecumenicum Augustum Imperatorem vocat; ergo solus Imperator habet hanc potestatem.

Miror hoc argumentum hominem doctum potuisse conuincere: siquidem potiùs est contra ipsum arguentem, quàm in fauorem. Si enim loquamur de potestate temporali, & terrena, sicut Summus Pontifex non est Oecumenicus, scilicet Dominus totius Orbis; ità nec Imperator Romanus: non enim se extendit illius dominium, nisi super terras Imperij. Si autem loquamur de potestate spirituali, & Ecclesiastica, sicut de facto nunc debet loqui; sic sine dubio Ecclesia Romana, & eius Pontifex, vt dixit sanctus Leo Papa, latiùs præsidet Religione diuina, quàm olim Imperatores Romani dominatione terrena: & secundùm hanc potestatem, ex omni Orbis parte, gente, & loco poterit Episcopos congregare, & conuocare Concilia, quæ Oecumenica dicuntur, non quia ex omni loco, & gente ad ea Episcopi, & Theologi veniant; sed quia vniuersos vocat, & conuenire poterunt, si volunt: & sic etiam si ex omni Orbis parte non veniant, adhuc in Concilijs totum Orbem conuenisse censetur. Vndè Patres in octaua Synodo contra Photinum congregati, eidem exprobrantes dixerunt: [Loquere Photi, totus mundus hìc est.]

Sed oppones cum Spalatensi: vel Pontifex Romanus conuocat Concilia, vt Pontifex, vel vt Princeps temporalis; si vt Pontifex, sicut olim Pontifices subdebantur Imperatori in conuocatione Concilij, ita & modò debent subdi in tali conuocatione. Si vt Princeps temporalis; ergo iam habetur intentum: tùm quia cum non habeat ità extensum dominium, non poterit Episcopos totius mundi conuocare, sed solùm illos, qui sunt in sua ditione. Tùm quia, si vt Princeps temporalis hanc potestatem habet, cur non quilibet alius Princeps temporalis poterit conuocare Concilia? [Etenim, ait ille, reuera nunc cùm Regna sint diuisa, Concilium generale propriè cogi non potest, nisi simul omnibus Christianis Principibus illud indicentibus.] Ille lib. 6. cap. 1. num. 11.

Respondetur, quod Pontifex conuocat Concilium, vt Caput, & Pastor Ecclesiæ vniuersalis, & Pater spiritualis omnium fidelium, inter quos tamquam primos connumerat Inuictissimum Imperatorem Romanum, & Serenissimos Reges Catholicos, & sic cùm

solus

solus Pontifex sit Pastor vniuersalis, solus poterit ex vniuerso Orbe Catholico Episcopos conuocare, & Imperatoris, ac Regum opem, & ministerium implorare; & isti tamquam filij tenentur ei, sicut Patri in spiritualibus obedire; itaut si renuerent, posset eos per censurarum seueritatem coercere. Falsum est autem id, quod pro prima parte sui dilemmatis affert Spalatensis, scilicet Romanos Pontifices subiectos fuisse Imperatoribus in conuocatione Conciliorum; itaut ad hoc faciendum, licentia Imperatoris indigerent; quod ipse probat lege 1. ff. de Collegijs illicit. & scilicet conuenticula, C. de Episc. & presb. quibus prohibebatur Episcoporum Collegiū, seu congregatio. Falsum est enim Pontifices de iure subiectos esse Imperatoribus in conuocatione Conciliorum, & lex illa adducta ad probandam hanc subiectionem Imperatori non fuit iusta, sed tyrannica, toleranda tamen illis infelicissimis temporibus, in quibus persecutio, nè dum ad Concilia, & conuenticula Christianorum, sed nec etiam ad diuina peragenda, Christianos sinebat ad Templum, & Ecclesiam conuenire.

Excessit autem malitia Spalatensis Apostatæ malitiam Caluini sui antesignani; nam cùm ipse desperare videtur Conciliorum Congregationem affirmans Concilia generalia cogi non posse, Caluinus lib. 4. institut. cap. 9. §. 13. docuit non solùm esse possibile, sed de facto conueniens, & melius remedium, ad dogmata discutienda Synodos congregare: ait enim: [Nos libenter concedimus si qua de dogmate incidat disputatio, nullum esse melius, nec certius remedium, quàm si Episcoporum Synodus conueniat, vbi controuersum dogma discutiatur.] Ille.

Denique arguunt aliqui Catholici, seu potiùs quædam dubia mouent circa nostram conclusionem. Datur casus, in quo sit necessarium Concilium in Ecclesia Dei, & tamen Papa non potest illud congregare; ergo deberet congregari ab aliquo alio; & consequenter non in solo Papa, sed in alijs datur potestas congregandi Concilium. Antecedens probatur tùm primò: Si Papa nollet Concilium congregare, quando necessarium est Ecclesiæ. Tùm secundò, in casu, quo Papa esset captiuus apud infideles. Tertiò, si esset insanus effectus. Quartò, si esset mortuus, vel renunciasset. Denique si esset hæreticus, vel schismaticus; ergo in talibus casibus alius, quàm Papa posset Concilium congregare.

Respondeo negando antecedens ad primum casum respondet noster Turrecremata cap. 8. ad 3. Quod valdè difficile est ad credendum verum Romanum Pontificem nolle Concilium congregare, quando ipsum cognoscit necessarium ad Ecclesiæ vniuersalis statum. Dato tamen quod talis casus immineret Ecclesiæ vniuersali, tunc Papa requisitus per Dominos Cardinales, & per alios Catholicos Prælatos, & Principes, si nollet congregare vniuersale Concilium, nec dare auctoritatem congregandi; talis habendus esset suspectus de hæresi, & per consequens dubius in Papatu; & tunc procedendum esset, sicut ad vltimum casum infra dicemus. Vt enim apertè habetur ex cap. error 83. dist. [Error, cui non resistitur, approbatur, & veritas cùm minimè defensatur, opprimitur; negligere quippè cum possit perturbare percussus, nihil aliud est, quàm fouere, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desistit obuiare.

Casus tamen, vt dixi cum Turrecremata est ex vtraque parte impossibilis; ex parte quidem necessitatis Concilij: non enim est possibile, quod talia pericula possint in Ecclesia contingere, quibus nisi per vniuersale Concilium prouideri non possit: quia sic cùm propter bellorum dissidia impediri posset talis conuocatio. Secundùm Isidorum, & habetur in capite Canones distinct. 15. antè tempora Constantini, possibile esset fidem, & Ecclesiæ statum periclitari contrà Christi promittentis fidem: [Ego autem vobiscum sum sum vsque ad consummationem seculi.] Nullus ergo casus potest contingere in Ecclesia, cui à sancta Sede per se, & sine Concilio prouideri non possit. Vndè sanctus Thom. quest. de potest. 10. art. 4. docet, quod [ad explanationem fidei faciendam, non est necessarium, quod Papa generale Concilium congreget, cum quandoque id prohibeant bellorum dissidia.] Nec ex parte ipsius Papæ, nam credi non potest Romanum Pontificem certificatum de tali periculo nolle Concilium congregare; Et Deus, etiam si talis esset malus Pontifex, vt Ecclesiam suam conseruaret, sine dubio, vel eius mentem mutaret, vel eum de medio tolleret.

Ad secundum, tertium, & quartum casum dico, in nullo sine Pontificis auctoritate posse conuocari, verum, & perfectum Concilium, de quo nos hìc loquimur: quia vt probatum remanet, hæc auctoritas in solo Capite, Petri successore, cui imperatum est, vt confirmat fratres suos, & à Domino ei impetratum, vt non deficeret eius fides reperitur. Posset tamen tunc congregari Concilium imperfectum, quod sufficiet ad prouidendum Ecclesiæ de suo Capite in casu mortis, vel dementiæ, quando est dementia insanabilis, & perpetua. Nec est multum, quod tunc pro securitate conuocandum esset Concilium, vel à Clero Romano, vel ab Imperatore ad prouidendum necessitatibus Ecclesiæ, quia cùm talis casus respiciat bonum totius Reipublicæ Christianæ, deficientibus ordinarijs, ad ipsam Rempublicam, spectare videtur prouisio.

Ad duos vltimos casus de Papa hæretico, vel schismatico, tangit illam quæstionem: An ad Concilium generale pertineat deponere Papam suspectum, & conuictum hæresis; vel de vero Pontifice in casu schismatis iudicare. Vndè sit.

DV-

DVBIVM III.

An ad Concilium generale pertineat deponere Papam suspectum, & conuictum hæresis: vel de vero Pontifice in casu schismatis iudicare.

§. I.

Aliqua supponuntur.

CAsum esse metaphysicum, & physicè impossibilem, sentiunt communiter nostri Doctores, specialiter Albertus Pighius lib.4. Ecclesiast. Hierarch. cap.8. Card.Bellarm. lib.2. de Rom.Pontif. & Episc. Fiumi in sua Schola verit.par.2. lib.2.instinct. vnica lect.3. num.122. Nam cum sit impossibile mentiri Deum, qui Luc.22. dixit: [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.] Non poterunt Petrus, eiusque successores pro tempore, deficere à fide.

Cæterum dato casu tamquam possibili; potest enim Pontifex deficere à fide saltem per actum extrinsecum, vt contingit Marcellino Papæ: quærimus. A quo Iudice tunc deberet iudicari Pontifex, an à Concilio, an à Collegio Cardinalium, &c.

Suppono in hac parte, in iudicio perfecto duas reperiri potestates, prima est discutiendi causam, discernendi, ac iudicandi, quid agendum sit: secunda est cogendi eum, qui condemnatus est ad obtemperandum sententiæ contra se latæ: & quia vtraque reperitur in Iudice propriè dicto, ideò Princeps, & Prætor à Principe constitutus, quia vtramque habent, veri Iudices dici possunt. Hi autem, qui vtramque potestatem non habent, sed solùm primam, non iudices, sed potius arbitrì dici debent. Hoc supposito.

Aliqui in hac parte dixerunt: in casu hæresis, Papam desinere esse Papam propter defectum subiecti; subiectum enim papatus, est homo fidelis: vndè sicut in casu, quo moritur Papa, deficiente vita corporali per mortem desinit esse Papa, quia desinit esse homo, qui est subiectum papatus; ità Papa hæreticus, quia desinit esse fidelis, desinit fundamentum papatus; & sic eo ipso, quod sit hæreticus factus, Papa desinit esse Papa. Ità aliqui citati à Caiet.opusc. de auctor. Pontif. capit. 17. Quos sequitur probabiliter noster Turrecremata lib.4.cap.18.

Alij ab eodem Cardinali citati affirmant, quod Papa hæreticus non est ipso facto depositus, sed deponendus; ac proindè manens Papa habet supra se Iudicem, & superiorem in terris; & hunc esse Concilium vniuersale.

Alij dicunt Papam factum hæreticum, non esse ipso facto depositum à papatu, nec esse subiectum Ecclesiæ, vel Concilio, sed habere in terris potestatem, non quidem superiorem se, sed ministerialem ad sui depositionem. Ità Caiet. loco cit. cap.20.

Vt à certioribus autem in hac parte procedamus: certum mihi videtur, & indisputabile, Papam occultè, & mentaliter in hæresim lapsum, non esse de iure Diuino Papatu priuatum. Ità Caiet. loco cit. Et ostenditur sic, Papa occultè, & mentaliter hæreticus nec iure Diuino, nec iure humano est ipso facto priuatus sua potestate; ergo nullo modo. Antecedens probatur: Episcopus actu interno, & occultè hæreticus, est verè, & perfectè hæreticus, & tamen nullo iure nec humano, nec Diuino est priuatus ipso facto suæ iurisdictionis potestate; ergo nec Papa occultè, & mentaliter hæreticus est ipso facto priuatus Papatu: hec consequentia probatur, aliàs Pontifex esset deterioris conditionis, quàm simplex Episcopus. Maior patet, nàm hæresis est peccatum mortale oppositũ fidei; sed fides perfectè habetur in solo actu interiori, licèt habeat pro effectu confessionẽ exteriorem, iuxtà illud ad Rom.10. [Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.] Ergo similiter actus interior ac discredens artic.fidei, constituit perfectè, & verè hæreticũ. Minor autem probatur Episcopus hæreticus solo actu interiori nullo hominis iudicio subditus est: nam solius Dei est iudicare de purè interioribus, iuxtà illud 1. Reg. 16. [Homo videt, quæ foris sunt, Deus autem intuetur cor.] Ex quo fit, quod talis hæreticus internus nec excommunicari potest, nec incidit in casum reseruatum; quia de eo Ecclesia iudicare non potest; ergo à fortiori non est priuatus iurisdictionis potestate, quæ est ab hominis commissione. Patet hæc consequentia; quia plus exigitur ad incurrendam priuationem ipso facto, quàm ad incurrendam excommunicationem ipso facto, ad primam requiritur declaratio, apud omnes Iuristas, non autem ad secundam saltem secundùm aliquos.

Quod si dicas, non esse parem rationem de Papa, & alijs Episcopis in hac parte; quia potestas iurisdictionis in alijs Episcopis est ab homine, & ideò non sunt ipso facto priuati per crimen hæresis occultum, cùm homo videat, quæ foris sunt, & de illis iudicet: at verò Papa habet potestatem iurisdictionis immediatè à solo Deo, qui de occultis iudicat, & intuetur cor; & ideò per crimen hæresis occultum est ipso facto priuatus hac potestate.

Nam contra est, quia aliud est opus Dei, & opus hominis: in Papatu enim sine dubio potestas iurisdictionis immediatè est à solo Deo, iuxtà illud Matth. 16. [Tibi dabo claues Regni Cœlorum. Et quodcumque ligaueris, &c.] Sed quod Papatus ipse, seu hæc potestas pontificia sit in hoc homine, non est nisi ab homine; nam ab homine eligitur hic homo, vt in eo sit papatus; & quia cum deponitur Papa non aufertur potestas iurisdictionis à papatu, quod esset auferre opus Dei, sed auferretur potestas iurisdictionis ab hoc homine, in quo non fuit posita à Deo immediatè, sed mediante iudicio humano; ideò eadem ratio currit quantum ad hoc de Papa, & alijs Episcopis. Vnde cum in vtrisque sit immediatè à Deo mediante iudicio humano, proinde non aufertur à Deo immediatè, sed mediante humano iudicio; ergo non potest auferri per hæresim occultam ipso facto ab-

Ec-

Ecclesia, sed solùm per hæresim manifestam.

Quòd si scrupulum in hac parte habeas, eo quod supra diximus potestatem papalem esse immediatè à Deo, potestatem verò episcopalem esse quidem à Deo, sed mediante Pontifice; electus enim in Papam accipit claues à Christo eadem traditione sibi donatas, qua eas constituit Petro, Episcopi verò accipiunt potestatem à Deo mediante summo Pontifice illos eligente; ergo falsum est, quod dicimus nunc, quod Papa accipit potestatem iurisdictionis ab homine ipsum eligente.

Non inquam torqueat te hoc scrupulum. Nam non dicimus Papam accipere potestatem iurisdictionis ab homine, hanc enim, vt diximus habet immediatè à Deo: sed quod dicimus est, quod Papatus ipse habens hanc potestatem annexam datur, vel ponitur in hoc homine non immediatè à Deo, sed mediante homine eligente; ab homine enim eligitur hic homo, vt in eo sit papatus, qui tamen electus Papa, eo ipso non ab homine, sed à Deo potestatem, & iurisdictionem immediatè habet; ita vt nemo possit à Papa manente Papa, vel auferre, vel minuere, vel suspendere iurisdictionis potestatem: at verò Episcopus, quia non solùm accipit Episcopatum immediatè à Papa, sed etiam potestatem, & iurisdictionem, (quam licèt habeat ab ipso Deo, data ab illo fuit dependenter, & mediante summo Pontifice) quapropter Episcopus retento Episcopatu potest suspendi, quo ad potestatem iurisdictionis, vel illa limitari à summo Pontifice, & saltim quantum ad partem auferri.

Et si rursùm opponas, quod hæretici etiam occulti sunt excommunicati; ergo Ecclesia iudicat etiam de internis; ac proinde, etiam si hæresis, in quam incidit Papa sit occulta, & mentalis, erit subiectus iudicio Ecclesiæ, quæ poterit ipso facto ipsum priuare papatu.

Respondeo cum Caietano distinguo antecedens, hæreticus occultus, si ly occultus, sumatur pro solo actu interiori, nego antecedens si ly occultus, intelligatur id, quod caret probatione, & testibus, concedo antecedens, & nego consequentiam: hæretici enim solo actu interiori tales, non sunt subditi foro ecclesiastico, secùs verò si sint occulti quidem, sed per aliquem actum exteriorem sibi ipsis solùm, hæresim mente conceptam manifestarent; vnde si quis incidit in hæresim interiùs, & solus secum submissa voce loquendo verbo exteriori proferret illam hæresim, est excommunicatus, quamuis sit omninò occultus; quia actus exterioris locutionis per se subiacet humano iudicio, quamuis careat testibus; vt enim Aristoteles dixit: Actus interiores puri sunt in genere occultorum per se; quia ex propria natura habent, quod sint iudicio humano ignoti; actus autem exteriores sunt de genere occultorum per accidens, quia ex propria natura subsunt cognitioni humanæ, & possunt sensibus percipi, & ex hoc, quod fiunt sine teste, sunt occulti.

Et si adhuc opponas in Clement. de hæret. cap. multorum excommunicantur inquisitores, qui odio, vel amore moti, procedunt; vbi de interiori amore, vel odio Ecclesia iudicat, qui sunt actus purè interiores; ergo non solùm de occulto per accidens; sed etiam de occulto per se Ecclesia potest iudicare.

Respondeo in Clement. illa, Ecclesia iudicat de actibus amoris, & odij, distinguo antecedens, secundùm se, & in sua puritate manentibus, nego antecedens, vt sunt causæ commissionis, aut omissionis exterioris, concedo antecedens, & nego consequentiam. Cùm enim illa commissio, & omissio sint actus exteriores, iam exteriùs manifestantes amorem, & odium, Ecclesia illos iudicans, non iudicat occultum per se, & actum purè interiorem, sed manifestatum per actus exteriores, qua sunt occulti, per accidens.

Secundò suppono tamquam certum, quod Papa propter crimen hæresis potest deponi à Concilio generali, vt habetur ex cap. si Papa dist. 40. & est communis omnium Doctorum consensus.

Tertiò suppono (quod & infrà probabo) quod Papa est supra Concilium; ac proinde non habet superiorem in terris: vnde difficile est explicare quomodo potest à Concilio vniuersali iudicari, qui est supra Concilium vniuersale; Iudex enim in quantum Iudex, est superior eo, qui iudicatur, secundùm D.Th. 2.2. quæst. 67. vbi probat, quod Iudex non potest nisi subditum iudicare. Vnde Apost. ad Rom 14. dicebat: [Tu qui es, qui iudicas alienum seruum.] Quomodo ergo à Concilio vniuersali iudicandus est, & deponendus Papa hæreticus, si Papa non subditur Concilio, sed est supra ipsum: vel ergo non deponendus Papa hæreticus, vel est sub Concilio ponendus.

§. II.

Nostra assertio ponitur, & roboratur.

Conclusio, Papa hæreticus perseuerans ostinatus in hæresi, habet in terris potestatem, non quidem superiorem se, sed ministerialem ad sui depositionem.

Ita Emin. noster Caiet. opusc. de auctor. Papæ, & Concilij cap. 20. Quem sequuntur quamplures Thomistæ, & specialiter noster Episcopus Poligudensis 2. par. schol. verit. tract. 6. lib. 2. instruct. vnic. lect. 3. num. 132. Pro qua conclusione explicanda, tria notat Caietanus. Primò, quod in Papa tria reperiuntur, scilicet Papatus, persona quæ est Papa puta Petrus, & coniunctio Papatus cum Petro, ex qua resultat Petrus Papa.

Secundò notat: quod hæc tria sunt à diuersis causis; quia Papatus est immediatè à Deo, Petrus à Patre suo, & coniunctio papatus cum Petro, post Petrum primum Papam à Christo institutum immediatè, non est à Deo, sed ab homine; hoc enim vt clarè constat fit per electionem hominum; non quidem exercentium hoc ministerium tamquam applicantium actiuum passiuo, vel virtutem passionis Christi subiecto, sicut baptizans, aut Sacramentum ministrans, sed sola voluntas humana eligentium, & electi, ac proinde hæc coniunctio est effectus voluntatis humanæ. Ex quo sequitur, quod licèt Papa à solo Deo dependeat in esse, & fieri; Petrus tamen Papa ab homine etiam dependet in fieri. Tunc enim

enim fit Petrus Papa, quando electus acceptat ipsum papatum.

Tertiò notat: naturale esse vnamquamque rem per easdem causas fieri, & contrario modo dissolui, vt dicitur, in cap. omnis de reg. iur. in 6. Vnde Petrus Papa, qui ex consensu suo proprio, & electorum, causatus est, ex consensu etiam suo, & electorum ad contrarium dissolui potest. His suppositis. Dico Papam in fieri, & in corrumpi pendere à potestate humana, non superiori, neque æquali potestati Papæ, sed minori, & ministeriali.

Prima pars probatur, nec ad faciendum Petrum de non Papa Papam, nec ad faciendum de Petro Papa non Papam, requiritur alia facultas, quàm voluntas humana, electi; scilicet, & electorum; ergo in fieri, & in corrumpi pendet à potestate humana.

Quod autem hæc potestas sit minor potestate Papæ, patet. Nam mortuo Papa, & nullo alio supposito, illa potestas esto sit in Ecclesia, non se extendit tamen ad ea, ad quæ se extendebat Summi Pontificis auctoritas; ergo non est æqualis. Antecedens probatur, in primis si esset hæc potestas æqualis potestati Papæ in Ecclesia, essent in ea duæ supremæ potestates, & sic non fuisset institutum à Deo regimen Ecclesiæ Monarchicum, non potuissent Summi Pontifices huic potestati modum imponere, & legem proferre, per quos, & quomodo debet electio Pontificis celebrari cum interminatione irritationis actus, si secùs factum fuerit. Quæ ratio non solùm ostendit potestatem virtutis Concilij, esse æqualem, sed etiam esse inferiorem potestati Papæ, quia solius superioris virtutis est disponere de actu inferioris auctoritatiuè.

Deinde probatur, seu explicatur nostra assertio cum præcitato Caietano. Aliud est enim posse supra coniunctionem Petri, & papatus; & aliud est posse supra Papam. Ad primum sufficit potestas creata, quæ inuenitur in terris; ad secundam autem non reperitur potestas, nisi in Domino Iesu Christo; ergo licèt Concilium, & Ecclesia non sit supra Papam, potest tamen in casu hæresis deponere Papam. Consequentia tenet: nam talis depositio non attingit per se Papam, sed coniunctionem papatus cum Petro. Et antecedens constat: cùm Papatus sit opus Dei immediatè; coniunctio verò papatus cum Petro sit opus hominum, eligentium scilicet, & electi.

Neque dicas. Implicat potestas super coniunctionem formæ cum materia, quæ non sit super formam: ergo si non potest homo attingere papatum, neque etiam potest attingere coniunctionem. Antecedens patet: nam coniunctio formæ cum materia sequitur formam, cum sit determinatio illius; ergo implicat attingere coniunctionem, & non attingere formam.

Nam contra est, quia iuxtà bonam philosophiam, coniunctio formæ, & materiæ vtrinque attingi potest, vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ: quando est ex parte formæ, vel ex parte vtriusque; tunc potens super coniunctionem, potens esse debet supra formam, vt patet in qualibet generatione materiali; sed potens super coniunctionem illam ex parte materiæ tantùm; non oportet, quod possit super formam, vt patet in generatione hominis; generans enim hominem non attingit, nec potest supra formam, quæ deforis venit, sed solùm supra coniunctionem illam, & vnionem corporis, & animæ; sed sic accidit in præsenti, quia solus Iesus Christus habet potestatem ex parte papatus: super coniunctionem tamen papatus cum Petro, ex parte Petri solùm attingitur, & potest Ecclesia, seù Concilium: ergo cùm depositio non attingat papatum, sed coniunctionem papatus cum Petro, benè potest depositio fieri à Concilio. Depositio enim quocumque modo fiat, non est corruptio papatus, nec Petri, sed coniunctionis papatus cum Petro: vndè non requirit potestatem superiorem ad Papa, sed ad coniunctionem papatus cum Petro.

Quod autem hæc potestas sit minor, & ministerialis probatur, seù explicatur. Tribus enim modis potest destrui coniunctio papatus cum Petro: vel à Deo, vel à se ipso, vel ab Ecclesia. A Deo per electionem à papatu, & fit per potestatem superiorem, non solùm ratione coniunctionis, sed ratione papatus. In secunda per renunciationem spontaneam à se ipso factam, sicut fecit S. Petrus Cœlestinus. Tertio modo per depositionem inuitam propter incorrigibilem hæresim, quod fit ab Ecclesia. Cùmque Ecclesia (vt certum est, & supra probauimus) non sit supra Papam, nec habeat potestatem superiorem in illum, sed solùm potest concurrere ministerialiter, si debet (vt visum est) deponere Papam in hæresim incorrigibilem; iudicatur ergo, & deponitur à potestate inferiori ipsi Papæ, ac proindè non potest hoc facere, nisi ministerialiter, tamquam Ministra ipsius Dei.

§. III.

Obiectiones contrariorum soluuntur.

Sed contra nostram conclusionem arguunt Doctores contrarij. Primò, si Ecclesia posset coniunctionem papatus cum Petro destruere, maximè quia ad ipsam pertinet coniunctionem istam causare: at non liquet hæc duo posse esse vnius, & eiusdem potestatis: ergo nulla est illa ratio. Maior est certa, cùm sit ratio nostræ conclusionis. Minor verò probatur primò, quando vna causa totalis ex partialibus constans exigitur ad aliquem effectum adæquatè, neutra illarum partialium sinè altera sufficit ad producendum effectum, vt constat in matrimonio, quod non producitur, nisi à consensu vtriusque coniugis, quia vterque consensus adæquat causam, & non vnus ex illis, sed ad coniunctionem papatus cum Petro, requiritur tanquam adæquata causa, non solùm consensus Electorum, sed etiam electi; nunquam enim Petrus erit Papa, nisi consentiat in electionem; ergo causa depositionis non posset esse consensus solius Ecclesiæ deponentis, sed etiam depositi.

Dices, quod cùm destructio sit de genere mali, & constructio de genere boni; malum

Hhhhh autem

autem sit ex quocumque defectu, & bonum ex integra causa; hinc sequitur, quod ad coniunctionem Papatus cum Petro, requiratur vterque consensus Electorum scilicet & electi: at verò ad destructionem talis coniunctionis non requiritur vterque consensus; sed sufficit alter illorum; vndè videmus, quod solus consensus Petri Papæ, potest se facere, non Papam per renunciationem.

Sed contra: quia requiritur vterque consensus, non potest Petrus Papa se solo facere se non Papam: ergo non potest solus consensus Ecclesiæ facere Petrum Papam non Papã. Antecedens constat. Quantumcumq; Petrus ipse renunciet, semper est Papa, donec acceptetur renunciatio ab Ecclesia, sicut quantumcumque eligatur, numquam Petrus est Papa, quousque ipse electioni consentiat; ergo non solùm coniunctionis, sed etiam destructionis talis coniunctionis causa non potest esse consensus solius Ecclesiæ, vel solius Petri, sed vtriusque.

Ad hoc argumentum respondeo, quod in hac coniunctione causanda, non concurrunt consensus electi, & electorum, tanquam duæ partiales causæ efficientes, sicut consensus viri, & mulieris concurrunt vt partiales causæ ad causandum vinculum matrimonij; sed solùm consensus electorum se habet, vt causa faciens illam coniunctionem; consensus verò electi tantùm se habet, vt dispositio, reddens subiectum capax talis coniunctionis. Sicut esto requiratur ad hoc, vt subiectum reddatur capax, quod sit Christianus, non sequitur, quod esse Christianum concurrat, vt causa Papatus: acceptatio ergo non est causa faciens in ipso prælationem, sed reddens solùm subiectum capax prælationis. Vndè.

Ad vltimam probationem respondeo negando antecedens: Ideò enim Papa sua renunciatione absque acceptatione non potest à se abdicare Papatum, quia eius acceptatio non est causa Papatus, & coniunctionis; requiritur tamen acceptatio (vt diximus) ex parte subiecti, vt reddat subiectum capax talis coniunctionis; & licèt (vt ait Caiet. loco cit. cap. 21.) ab initio voluntariè se obligauerit ad regimen ipsius Eccclesiæ; non tamen potest renunciare huic obligationi, & vinculo, absque voluntate eius, cui tenetur; sicut etiam si aliquis ex pacto se voluntariè obligauit soluere centum, non potest postea renunciare huic vinculo absque voluntate eius, cui tenetur; quia nemo renunciare potest iuri alterius, quod ex pacto acquisiuit: & ideò sinè acceptione Ecclesiæ non sufficit renunciatio. Potest tamen fieri destructio coniunctionis ab Ecclesia, inuito Papa hæretico, opposita ex causa; quia non remanet iam obligata Ecclesia obedire Papæ infideli.

Secundò arguitur. Ecclesia, & Concilium non habet superioritatem in Papam; ergo ab ea iudicari non potest Papa hæreticus. Antecedens supponitur ex infrà dicendis. Et consequentia probatur, si Papa hæreticus posset iudicari à Concilio posset citari, & compelli: sed Concilium non potest citare, & compellere Papam etiam hæreticum, cùm potestas illa minor Papatu, non possit habere in Papam vim coactiuam: ergo implicat, quod sit potestas minor, & possit iudicare Papam hæreticum.

Est fortissimum hoc argumentum, & in quo tota vis sententiæ contrariæ explicatur. Ad illud tamen respondeo concesso antecedenti negando consequentiam. Ad probationem distinguo minorem, non habet vim coactiuam in Papatũ, & in Petrum Papã, concedo minorem: super coniunctionẽ papatus, & Petri; & subdistinguo, simpliciter, concedo minorem, in casu hæresis nego minorem, & consequentiam. Est enim illa potestas Ecclesiæ, & Concilij relata ad Papam ministerialis; relata verò ad coniunctionem Petri, & Papatus in fieri, vel dissolui, authoritatiua, supposito subiecto disposito. Vndè sententia diffinitiua Concilij, ex hac authoritate procedens super coniunctionem Petri hæretici cum Papatu illam authoritatiuè dissoluit, sicut electio Ecclesiæ authoritatiuè super coniunctionem, non supra Papam coniungit Petrum fidelem, & voluntarium cum Papatu. De quo adduximus supra exemplum in physicis de homine generante, & de contrario corrumpente, non potente tamen super animam hominis, sed super coniunctionem animæ, & corporis ex parte ipsius corporis.

Sed oppones. Esto sententia depositiua fiat authoritatiuè modo explicato; præcedentia tamen sententiam, scilicet citare, compellere, examinare, &c. non possunt fieri à non habente superioritatem, & vim coactiuam supra citatum, & reum; ergo cùm iudicium præcedens nequeat fieri non habente authoritatem superioris; nec etiam iudicium consequens per sententiam.

Respondeo negando antecedens, quia eadem et authoritas se extendit ad omnia præambula: nec enim oportet esse coactio Petri Papæ; sed sufficit quod si intimatio, & reprehensio: quia hoc iudicium non fit ex confessione sua extorta vi præceptorum, aut tormentorum, sed ex euidenti facto, vel verbo hæresis incorrigibiliter expectato, quod fit sinè coactione. Scio doctos viros) (quorum sententiam Caietanus non refutat, nullum existimare inconueniens hanc minorem potestatem indirectè posse cogere Petrum ad pręambula necessaria ad sententiam: cũ Petrus Papa hæreticus, incorrigibilis iam sit in via corruptionis, & in casu hæresis: & Deus, qui nunquam deficit in necessarijs dedit Ecclesiæ suæ potestatem ad aliqua præambula coactiua, si ex necessitate iudicij sunt necessaria.

Tertiò arguitur si daretur hæc potestas in Ecclesia ministerialiter depositiua Petri à Papatu; vel esset in Concilio, vel in Cardinalibus. neutrum dici potest; ergo non datur. Maior est certa: nullum enim aliud tribunal potest confingi ad deponendum Papam. Minor verò probatur quoad primam partem. In illis debet esse potestas deponendi, in quibus est potestas eligendi sed potestas eligendi non est in Concilio, sed in solis Cardinalibus; ad quos etiam spectat renunciationem Papæ acceptare, (vt accidit in facto Sancti Petri Cœlestini) ergo non est in Concilio. Secunda etiam pars minoris constat. Tùm ex

omnium

omnium Doctorum consensu; qui admittentes hanc potestatem, in solo Concilio generali collocant. Tùm etiam, quia in tota Ecclesia vniuersali est potestas ex se super coniunctionem Papatus cum Petro; in Cardinalibus verò potestas ista eligendi non est potestas ordinaria, sed delegata, limitata tamen, ad tempus, quo Papatus vacat: ergo non est talis potestas in Cardinalibus.

Respondeo, quod potestas ista depositiua est quidem in Concilio, non in Cardinalibus: quia (vt benè dicit argumentum) potestas data Cardinalibus; est delegata à Papa pro tali tempore, scilicet vacante Papatu; in Concilio verò, vel in Ecclesia vniuersali est ista potestas, super coniunctionem, ordinaria secluso iure positiuo, & ideo esto possit iure statuto à Pontifice, sicut eligi à Cardinalibus, & deponi; tamen quia hoc ius non fuit vsque modò à Pontifice eis commissum, sicut est determinatè commissa electio; ideò non est in eis potestas deponendi in casu hæresis, sed in Concilio.

Ex dictis colligo primò, quod supposita hac potestate non sequitur, quod Ecclesia possit aliquid supra Papam absolutè, nec etiã in casu hæresis propriè loquendo, quia in tali casu (vt diximus) non est potestas supra Papam, seù Papatum, sed solùm super coniunctionem Papatus cum persona.

Secundò colligo. Etiam in casu hæresis manifestæ, & contumaciæ in ipsa, post duas monitiones Papam deponendum esse, Quod patet ex ipso Paulo Apost. docente ad Tit. 3. [hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita, sciens quia subuersus est. Hoc est] exponit Interlinearis [perditus est, incorrigibilis est. Cumque Papa, non vt Papa, sed vt homo hæreticus est; tanquam homo tractandus, debet primò, & secundò corrigi: deindè citari, & deponi.

Tertiò colligo cum Em. Caiet. ibid. cap. 26. ob nullum aliud crimen, quàm infidelitatis & hæresis, posse Papam ab Ecclesia deponi. Et ratio conuincens est, nam esto in Ecclesia sit potestas ista ministerialis supra coniunctionem, & dissolutionem Papatus cum persona; requiruntur tamen aliquæ dispositiones in persona omninò necessariæ, & aliæ ad benè esse. Necessariæ sunt esse voluntarium, & esse Catholicum, & fidelem (supponitur enim, quod sit homo, vir) numquam enim aliquis quantumcumque electus est Papa, nisi sit membrum Christi per fidem Catholicã, & in electionem consentiat, est Papa. Et aliæ conditiones requiruntur ad bene esse, puta quod sit virtutibus ornatus prudens, &c. ergo dispositiones ad dissolutionem talis coniunctionis papatus cum persona non sunt, nisi vel ablatio voluntatis, & accidit in renunciatione; vel defectus fidei Catholicæ, & accidit in infidelitate, & hæresi: tunc dissolutio fit per depositionem. Sed nullum aliud crimen destruit dispositiones ad bene esse: ergo ob nullum crimen præter crimen hæresis, potest deponi Papa.

Vtrum autem in aliquo euentu possit Papa deponi sinè culpa, siuè sua, siuè Concilij.

Assignant aliqui ex parte affirmatiua plures casus. Primò si Papa diù detentus à Saracenis, per fideles testes probatur mortuus; & Concilium determinat noui Papæ electionem declarando, quod pro bono Ecclesiæ, etiam si alius Papa viueret, quia tamen detinetur, sinè spe libertatis, quatenus opus est, ipsum deponit, & constituit verum Papam nouiter electum:

Secundus casus est, si omnes Cardinales post canonicam electionem Petri morerentur, antequam possent publicare electionem: tunc Ecclesia non tenetur credere, & ipsum acceptare; ac proinde potest alium eligere, & priùs electum deponer, cùm duo simul esse non possint.

Tertius casus est, si Papa ritè electus publicè iuramento, & voto se ipsum ad cessionem Papatus obligasset, sed differret adimpletionem talis iuramenti, vel voti, in scandalum, & malum totius Ecclesiæ, vt accidit in depositione Benedicti in Conc. Constantiensi.

Cæterum in omnibus his casibus non datur vera depositio Papæ; quod patet examinando singulos: & quidem in primo casu de Papa captiuo, sinè vlla spe redeundi, non consonat gestis primitiuæ Ecclesiæ, quando multoties accidebat. Nunquam enim legitur nouum Papam elegisse Ecclesiam primitiuam, nisi post mortem Papæ prædecessoris: immò Petro seruato in carcere, oratio fiebat ab Ecclesia, non depositio tractabatur.

Nec secundus casus hoc probat, nam constito per testes legitimè de morte Papæ, licèt non ita fuerit; potest Ecclesia eligere alium, eo modo, quo, constito per testes, quod maritus mortuus sit, potest vxor eius nubere alteri, filiosque cum eo generare; & tamen redeunte primo marito, qui re vera non erat mortuus, debet vxor ad illum redire, quia ille solus est verè maritus: Ita redeunte Papa, mortuo existimato, qui re vera non erat mortuus, redderetur Ecclesia sponsa primo sponso, & electus ex humano errore cessaret.

In tertio casu de morte Cardinalium: dico, quod etiamsi secundùm se electus sit Papa; quia tamen Ecclesia videt solùm, quod foris est, & in foro exteriori Ecclesiæ talis electio non constat; habetur tamquam non electus; & sic non deponitur ab Ecclesia, cum enim Papa sit Caput visibile, numquam vt Papa habebitur, nisi eius electio visibiliter constet in foro exteriori. Vndè vt optimè ait Caietanus: [Paria apud Ecclesiam sunt non esse, & non apparere.]

Denique in vltimo casu dilatæ cessionis post votum. Respondet Caietan. quod licèt ipse teneatur ex voto, & iuramento cedere: non potest tamen Ecclesia ad hoc inuitum cogere; quia non habet potestatem coactiuam super Papam fidelem; & hoc argumentum non valet: tenetur; ergo potest ad illud per Ecclesiam cogi. Ad plura enim tenetur Papa, puta ad omnia præcepta diuina, & naturalia; & tamen non potest cogi ab Ecclesia ad illa seruanda: & si per hoc scandalum præberet; Dominus ideo dixit: [Super Cathedram Moysis sederunt Principes, & Sacerdotes, omnia ergo quæ dixerint vobis seruate, & facite, secundùm opera verò eorum nolite facere.]

Quod si contra hoc depositionem Be-

nedicti XIII. opponas? Respondeo non ideò deposuisse Concilium à Papatu Benedictum; quia promiserat cum iuramento renunciare; sed quia cùm dubium, & valdè incertum esset quisnam ex tribus tunc Pontificatum obstentantibus esset verus Papa, ad tollendam omnem dubietatem, & tam pestiferum schisma, quo tot annis Ecclesiæ nauis inter tempestates paulominùs submersa iacebat, declarauit nullum ex illis esse certum Pontificem; cùmque alij duo competitores Concilio cessissent renunciando, Benedictus in sua pertinacia manens fuit à Pontificatu exclusus, non quidem depositus, sed declaratus non Pontifex. Semper ergo firmum manet, in nullo casu, præter vnum hæresis, posse Pontificem à Concilio deponi.

DVBIVM VLTIMVM.

Vtrùm Papa sit supra Concilium, vel è contra.

§. I.

Relatis sententijs, vera statuitur.

NOn solùm contra hæreticos, sed etiam cum Catholicis disputandum est in hoc dubio. Contra hæreticos quidem: nam Protestantes, qui semper Papæ summam authoritatem, & primatum adimunt, vt illam deprimerent, Conciliorum potestati, & authoritati subiecerunt: affirmantes Concilium esse supra Pontificem, ipsumque posse deponere, & de facto ritè deposuisse Concilium Basiliense Eugenium IV. Constantiense Benedictum XIII. Pisanum Iulium II. &c. Ita Caluinus scribens ad Franciscum Regem Galliæ; Mornæus in suo mysterio iniquitatis progress.61. fol.508. Gentilettus Caluinista lib.3. de Principatu, ac Regno tranquillè administrando ass. 7. Spalatensis lib. 7. de Republic. humana cap. 3.

Ex Catholicis autem non defuerunt plures Doctores affirmantes Concilium, prout dicit Ecclesiam collectiuè sumptam prout includit omnia membra sua, incluso etiam ipso Capite, & vt eius authoritate congregatum, esse supra Papam, ita & taliter, quod in illa collectione membrorum incluso Capite, sit superioritas supra quodcumque membrum diuisiuè sumptum, etiam si membrum sit Caput Ecclesiæ. Ità tenet Gerson, affirmans Ecclesiam sic collectiuè sumptam sex modis habere potestatem supra Papam. Primò extensiuè; nam comparatur, vt totum ad eius tantùm partem, esto principaliorem. Secundò in copiositate; quia amplectitur virtualiter omne politicum regimen, Papale scilicet, Imperiale, Regale, Aristocraticum, & Democraticum. Tertiò in infallibili directione. Quartò in causarum fidei vltima definitiua sententia. Quintò in reformatione morum, non solùm in membris, sed etiam in Capite. Sextò denique in potestate coactiua; quia potest etiam ipsi Papæ legem imponere circà vsum suæ potestatis, & ipsum suspendere ab executione illius, immò cum culpa, vel sinè culpa, quando expedierit, deponere, & de ipso iudicare.

Alij Doctores etiam Catholici affirmant: quod si sit sermo de corpore Ecclesiæ vt condistincto à Papa, itaut Ecclesia repræsentata per Concilium sit ex vna parte, & Papa ex alia; sic Concilium esse supra Papam. Sic quamplures Iurisperiti, quos sequuntur ex Theologis Ocham in Dial. Almainus de potestate Papæ, qui docet hanc sententiam esse communem inter Doctores Parisienses, quos videtur sequi Abulensis super Matt. in prologo quæst.10. & Driedo de dogmat. Eccles. act. lib.4. cap.4. ac denique Corduba affirmat distinguendum esse de superioritate, quoad certitudinem, & infallibilitatem in definiendo, vel tradendo regulas credibilium in fide, & moribus, & sic docet æqualem esse authoritatem Papæ, & Concilij: Si verò loquamur de potestate iurisdictionis, sic affirmat Papam esse simpliciter super Concilium.

Communior tamen sententia est illa, quam sequenti conclusione explicabimus.

Conclusio: Ecclesia in Concilio Oecumenico congregata siuè includat, siuè non, caput, & membra, non habet aliquam potestatem supra Papam; nec habet maiorem infallibilitatem in suis definitionibus, quàm habet Papa, quando definit de cathedra: vndè si Papa definiret contra Concilij definitionem, standum esset definitioni Papæ; ac proindè dicendum est, Concilium nullo modo esse supra Papam.

Prima pars, quæ ponitur contra Gersonem, probatur tum ex dictis supra; tùm quia est communis sensus Sacrorum Doctorum, sic enim expressè tenet Angelicus D.Thom. 2.2. quæst. 1. art. 10. & in 4. quodlib. art. 13. opusc. contra impugnantes Religionem cap. 3. contra errores Græcorum cap. 66. & sequentibus, S.Antoninus 2. p. tit. 3. cap. 11. S. Bonauentura, B. Albertus Magnus, alijque SS. DD. quibus astipulantur ex nostris omnes Theologi, & cæteri, ex exteris, supra citatis, paucisque alijs exceptis.

Tùm etiam ratione. Primò: Ecclesia, & Papa à Christo significantur per vnum Pastorem, & vnum ouile, iuxtà illud Io. 10. [& fiet vnum ouile, & vnus Pastor. Et illud quod dixit Petro, quando ei commisit vniuersalem Ecclesiam gubernandam. [Pasce oues meas.] Sed in ouili etiam, vt coalescit ex ouibus, & Pastore, non est potestas supra Pastorem, immò non est alia potestas, nisi ea, quæ est in Pastore; ergo similiter in Ecclesia collecta ex capite, & membris, non est alia potestas suprema, nisi ea, quæ est in capite. Hinc est ritus Romanæ Ecclesiæ, quod Papa se subscribat in bullis. [Ego N. Catholicæ Ecclesiæ Episcopus; vt explicet scilicet potestatem supremam, quam habet supra totam Ecclesiam collectiuè sumptam.

Secundò, probatur hæc eadem pars. Hæc suprema potestas, quam in Concilio ponunt, prout collectiuè sumitur à Gersone, vel est eadem cum potestate Papæ, vel diuersa: Si eadem; ergo non est supra Papam; sic enim par in parem non habet imperium;

con-

consequenter minùs idem in idem habere poterit. Si autem est diuersa; ergo vel superior, vel inferior, vel æqualis: Si inferior, vel æqualis, non erit supra Papam: Si autem superior; ergo potestas, quæ est in Papa non est suprema, siquidem supra illam alia assignatur: consequens est falsissimum; ergo: minor probatur, tùm primò, si potestas, quæ est in Papa non est suprema, sequitur, quod Vicariatus Christi non est in Papa, sed solùm in Ecclesia collectiuè sumpta: consequens est hæreticum damnatum à Martino V. in Concilio Constantiensi inter errores Vvicleff, qui inter alios errores dogmatizabat, Ecclesiam Romanam esse Synagogam Sathanæ, & Papam non esse proximum Vicarium Christi, & Apostolorum; quod fuit etiam definitum in Concilio Florentino sub Eugenio IV. illis verbis: [Definimus ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, &c.] Sequela verò probatur. In illo est Vicariatus Christi, in quo est suprema potestas visibilis, illi enim fuit dictum à Christo: [Pasce oues meas; & quodcumque ligaueris super terram, erit &c.] Per quæ suprema Ecclesiæ potestas significatur; ergo si hæc suprema potestas non est in Papa, Papa Vicarius Christi non est.

Tum secundò, Ecclesia à Papa, non Papa ab Ecclesia accipit potestatem; ergo suprema potestas non est in Ecclesia, sed in Papa. Consequentia tenet, illud enim est supremum in vnoquoque genere, quod à nemine accipit, & omnes accipiunt ab illo in tali genere. Antecedens verò probatur: omnis potestas, quæ habetur in Ecclesia tam ordinis, quàm iurisdictionis, esto sit ex Diuino instituto, nonnisi vt participata à Papa, & mediante ipso in membris Ecclesiæ reperitur; vt enim supra probauimus ab eo fiunt Episcopi, Prebyteri ab his, & omnes ordines, & dignitates, siue Cardinalium, siue Primatum à Papa creantur, & ipse à nemine alio, nisi à Deo Papatum accipit; vt enim etiam supra diximus, Cardinales per electionem suam non conferunt Papatum, sed tantùm designant personam, cui Christus Papatum conferat; ergo non Papa ab Ecclesia, sed è contra Ecclesia à Papa accipit potestatem.

Nec valet solutio: quod non sit vera illa maior: quod scilicet in illo sit maior potestas, à quo accipitur, non cui datur potestas, sicut Regnum datur à populo Principi, & tamen non sequitur, quod maior dignitas, & potestas sit in populo, quàm in Principe: stabit ergo benè, quod Ecclesia accipiat potestatem à Deo, mediante Papa, & tamen in ea sit maior potestas, quàm in Papa.

Non inquam valet, nàm potestas, quam Ecclesia accipit mediante Papa, non est ipsa potestas Papalis, itaut eadem auctoritas Papatus primò communicetur Papæ à Deo, & mediante Papa communicetur Ecclesiæ; sed itaut Deus plenitudinem potestatis, ordinis, & iurisdictionis ità reposuit in vno suo Vicario successore Petri, vt de eius plenitudine omnes gradus Ecclesiæ, siue diffusiuè, siue collectiuè sumant suas potestates, & iurisdictiones recipiant, non vt adæquatè Papatum, eiusque iurisdictionem participent, sed solùm inadæquatè quoad functiones peculiares, quæ iuxtà quantitatem dignitatis talis, vel talis gradus, vnicuique gradui adaptatæ sunt. Ex quo fit, quod non currit paritas de Rege, & populo; quia Rex potestatem, quam habet, ità habet translatam à populo, quando ab ipso fit Rex, vt non remaneat in illo: populus enim, quando Regem facit, potestatem omnem, quam habet à se abdicat, & eam in Regem transfert, vndè remanet Rege inferior.

Denique probatur hæc prima pars. Papa est proximus, & immediatus Vicarius Christi; ergo nullam habet in terris potestatem potiorem se. Antecedens constat ex dictis, & consequentia probatur; proximo, & immediato nihil est propinquius, & immediatius, sed Papa est immediatus Vicarius Christi; ergo non datur aliqua alia potestas medians inter Christum, & Papam, sed si Concilium haberet potestatem supra Papam, mediaret inter Christum, & Papam; ergo.

Confirmatur hoc, Papa est Episcopus Pastor, & Caput Ecclesiæ; sed hoc nomen Ecclesia, cùm sit nomen collectiuum, significat collectionem Fidelium, vt dicitur de consecrat. dist. 1. cap. Ecclesia; ergo Papa oportet, quod primò sit Caput ipsius Ecclesiæ, hoc est ipsius collectionis Fidelium, & secundariò, singularum personarum, & membrorum eius.

Quo pacto autem possit dici Papa Episcopus, & Caput Ecclesiæ Catholicæ, & vniuersalis, cùm Ecclesia Catholica includat ipsum Papam?

Respondeo cum Caietano dupliciter. Primò, quod illud dictum est distributio accommoda, sicut quando dicitur, Cælum continet omnia corpora, non quod contineat se ipsum, sed quod contineat omnia possibilia contineri: ità quando dicitur, Papa est Caput Ecclesiæ Catholicæ, non dicitur, quod sit Caput sui ipsius, sed quod sit Caput totius corporis Ecclesiæ, & omnium membrorum, qui sunt sub Capite. Vel secundò dicitur, quod Papa dicitur Caput, & Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, quia in hoc mystico corpore Ecclesiæ, ipse Capitis, & Episcopi locum tenet.

Deindè probatur secunda pars contra Nouatores Hæreticos, specialiter contra Centuriatores cent. 4. cap. 7. fol. 545. docentes non solùm Concilium generale habere infallibilitatem in suis definitionibus independenter à papa, & tantam quantam ipse habet; sed etiam addentes blasphemijs blasphemias, affirmant, Conciliorum decreta habere vim, & robur absque confirmatione Summi Pontificis, si ab Imperatore laico confirmentur. Ità prurientes auribus Imperatori, Imperatoris gratiam acquirere putabant.

Sed contra istos probatur. Tùm primò, nàm ipsamet Concilia semper petunt sua decreta confirmari à Pontifice, non ab Imperatore: sic Patres Concilij Nicæni à Siluestro Papa, vt patet in epistola ad ipsum illis verbis: [Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno precamur vestro oris consortio confirmetur.] Quod & ipse præstitit in Concilio Romano, quando ait: [Quidquid in Nicæa

Nicæa Bythiniæ constitutum est, & robur sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ à sanctis Sacerdotibus 318. nostro ore confirmamus.] Et in Concilio Constantinop. primo ex vetusto codice Vatlcani in gestis sancti Damasi dicitur: [Sententiam de damnatione Macedonij, & Eunomij Damasus confirmari præcepit in sancta secunda Synodo, quæ præcepto, & auctoritate eius apud Constantinopolim celebrata est.] Tùm etiam, nàm ipsi Imperatores petierunt à Pontifice confirmationem decretorum Concilij, dicentes: [Reuerentia tua literas mittere dignetur, per quas in omnibus Ecclesijs, & Episcopis notum sit vniuersa, quæ in sancta Synodo gesta sunt à tua Beatitudine confirmata. Ergo firmitas decretorum Conciliorum à Papæ auctoritate, non ab Imperatorum confirmatione dependet.

Tum tertiò, nàm, vt docet D. Thomas secunda secundæ qu. 1. art. 10. ad Concilium etiam legitimè congregatum non spectat finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, sed hoc tantùm pertinet ad Papam: ergo in definitione eorum, quæ fidei sunt, non habet tantam infallibilitatem Concilium, quantam habet Papa. Antecedens probatur, ea, quæ determinat Concilium, non habentur, vt definita de fide, nisi confirmentur à Papa; ergo finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, non pertinet ad Concilium, sed ad Papam.

Confirmatur, & explicatur hoc ampliùs: ea, quæ determinantur à Papa, vt sint de fide non dependent ab auctoritate Concilij; ea verò, quæ Concilium determinat de fide antè confirmationem Papæ, non sunt censenda de fide; ergo non sunt æqualis auctoritatis Concilium, & Papa in definiendo de fide. Auctoritas enim dependens semper minor est auctoritate independenti: si ergo Concilij auctoritas, vt dictum est, est dependens à Papa, & auctoritas Papæ est independens à quocumque alio maior erit auctoritas Papæ in definiendo res fidei, quam auctoritas Concilij œcumenici.

Ex quo probatur illa alia pars, quod scilicet si Papa, & Concilium in definiendo aliquam rem, opponerentur, standum esset definitioni Papæ, & non Concilij. Tùm, quia in determinatione de fide soli Petro dictum est: [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.] Et ipsi solùm est dictum: [Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Ergo si sit dissidium inter Concilium, & Papam, standum erit definitioni Papæ, & non Concilij. Tùm etiam: nàm quæstio fidei exorta ab illo determinari debet, qui præest toti Ecclesiæ, vt sic à tota Ecclesia eius sententia firmiter teneatur; & ideò docent Doctores ad solum Pontificem pertinere nouam editionem symboli, & illa cuncta, quæ ad totam Ecclesiam pertinent.

Tertia denique pars est ità nunc certa, vt de ea dubitari nō possit post sacrum Concilium Lateranense, affirmat noster Magister Ferre, quia in sess. 11. Leo X. sacro approbante Concilio, ità determinauit: [Cùm etiā solùm Romanum Pontificem pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum ius, & potestatem habere, nedùm ex sacræ Scripturæ testimonijs, dictis sanctorum Patrum, & aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifestè constat.]

Probatur ratione, primò: omne, quod tribuit alteri potestatem, & auctoritatem, est superius illo, cui tribuit; sed Papa auctoritatem iurisdictionis, & esse, ac quasi formam vniuersali Concilio tribuit, ergo Papa est supra Concilium. Maior est certa: nàm omnis causa est potior suo effectu; sed id, quod tribuit est causa illius, cui tribuit, in eo, quod tribuit; ergo. Minor verò suadetur: primò, absque Romani Pontificis licentia Concilium celebrari non potest, sed potiùs foret Conciliabulum, seu Conuenticulum; ergo illud conuocando tribuit esse, & quasi formam vniuersali Concilio. Secundò probatur illa minor, Papa tribuit robur, & confirmat statuta, & canones, ac decreta Conciliorum vniuersalium, vt supra ostendimus; ergo Papa tribuit esse, & robur Concilio. Tertiò, Sedes Apostolica absoluit aliquando, quod Concilium ligat, & damnat; sed non potest absolui ab alio ligatus, nisi dans potestatem ligandi ei, qui ligauit; ergo Papa dat potestatem Concilio, & consequenter est supra illud. Quæ ratio habetur in cap. cuncta per mundum 9. qu. 3.

Nec valet dicere cum aliquibus aduersarijs, quod auctoritas Apostolicæ Sedis potest quidem absoluere, quos Concilia prouincialia, siue patriarchalia damnauerunt.

Nam contra est, quia Concilium Ephesinum secundùm fuit Concilium vniuersale, & non prouinciale, seu patriarchale, & tamen, vt scribit Pelagius Papa, vniuersis Episcopis per Dardaniam constitutis S. Flauianum Episcopum in tali Concilio damnatum Apostolica Sedes sua auctoritate, vt innocentem absoluit; ergo non solùm habet auctoritatem supra Concilia prouincialia, sed etiam supra vniuersalia.

Tertiò probatur hæc pars, Papa præest auctoritate, & prælatione toti Ecclesiæ Dei tamquam eius caput, & princeps, vt supra latè probatum remanet; ergo est etiam superior Concilio vniuersali, vniuersalem Ecclesiam repræsentanti. Antecedens præterquam supra probatum remanet, suadetur. Tùm primò, nam vt docet Sanctus Thomas in 4. dist. 29. Ideò Papa non vtitur baculo, sicut alij Episcopi, in signum, quod non habet potestatem coarctatam, quam curuatio baculi designat: secus alij prælati, ex quibus congregatur Concilium, quia tantùm sunt vocati in partem sollicitudinis, vt in cap. decreto, quæst. 2. ait Gregorius II. ergo habent potestatem limitam, & sub Papa. Tùm secundò, nam omnis Pastor est superior, & caput, ac primus, & potestatem habet super gregem suum, sed Papa est Pastor ouium Christi, non solùm diuisiuè, sed etiam collectiuè, & & adunatæ in vno ouili; ergo Papa est Pastor, & capùt totius Ecclesiæ, etiam prout est in Concilio congregata. Tertiò, Christus est superior, & caput vniuersalis Concilij potestate auctoritatis, vt de se patet; ergo etiam Papa, qui est Vicarius generalis eius gerens

vices

vices ipsius in Sancta Ecclesia ; ergo Papa est supra Concilium vniuersale,tamquam Pastor & Caput. Hinc B. Cyrillus in lib. thesaurorum affirmat, quod Apostoli in Euangelio, & epistolis affirmarunt Petrum esse loco Domini, & eius Ecclesiæ, eidem dant es locum in omni capitulo, & in omni electi one.

§. II.

Dissoluuntur contrariorum sophismata.

Contra primam partem conclusionis arguunt aliqui Doctores. Primò, nonminùs gaudet assistentia Spiritussancti Concilium Oecumenicum, quàm Papa, quando de Cathedra dictat :.si tam Concilium, quàm Papa faciat, quod in se est, hoc est, adhibeat præambulas, & dispositorias diligentias, sed magis credendum est Patres in Concilio congregatos regulariter, & notabiliter adhibere prædictas diligentias, quàm Papa; quia sicut dixit Christus Matth.18. [Vbi fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum.] Ergo, &c.

Dices negandam esse minorem : non enim credendum est, quod regulariter, & vt in plurimum Concilium vniuersale non adhibeat diligentias requisitas; ad hoc vt Deus ipsum illuminet; vndè Pontifices regulariter approbant omnia, quæ Concilium definiuit. Cæterum si detur casus, quod Papa nollet acquiescere definitioni Concilij, sed aliquod oppositum definiret, tunc standum esset decreto Summi Pontificis, quia in tali casu Concilium errauit, & non fuit in eo assistentia Spiritus sancti. Et ratio huius est: nam assistentia ista, & immediatus influxus Spiritus sancti, non est debitus immediatè corpori Ecclesiæ, sed Papæ, & tantùm illi est debitus medio influxu supremi capitis, vel antecedenter docentis corpus, vel rati habentis; scilicet ex suppositione, quod Pontifex decretum illud acceptet, & pro rato habeat.

Sed contra obijcies, Concilium legitimè congregatum habet in definiendo res fidei sibi immediatè debitam assistentiam Spiritus sancti; ergo semel ædito decreto à Concilio tenentur omnes illud acceptare, tamquam de fide ; non solùm scilicèt fideles, sed etiam ipse Papa, ergo, &c. Antecedens probatur ex illo Matth.17. [Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.] Quam auctoritatem ad propositum hoc probandum adducunt Gregor. in registr. lib.2. cap. 51. & August. lib. 4. contra duas epistolas Pelagij cap.12.

Respondeo distinguendo antecedens, debetur ei assistentia Spiritussancti immediatè in definiendo res fidei, quando facit, quod in se est, vt rectè definiat, concedo antecedens, quando non facit; nego antecedens, & consequentiam. Quando enim Concilium facit, quod in se est, sinè dubio debetur ei Spiritus sancti assistentia ; sed non constat fecisse, quod in se est antè Papa approbationem, vndè ante illam non tenetur fideles credere, & multò minùs Papa diuino iure assentirr his, quæ definiuit Concilium.

Sed adhuc instabis. Quando Papa ex cathedra, definit, debemus credere, quod fecit, quod in se est, vt rectè definiat ; ergo quando Concilium legitimè congregatum definit, tenemur iure diuino credere fecisse, vt in se erat, vt rectè definiret ante Papæ solemnem confirmationem, & sufficiet Papæ auctoritas,qua fuit congregatum Concilium, & in qua saltem implicitè Concilium ab ipso accepit auctoritatem definiendi.

Respondeo concesso antecedenti, nego consequentiam, & assignando duplicem disparitatem. Prima est : quia Papa est prima regula visibilis Ecclesiæ, & vltimum in quod resoluitur decisio dubiorum fidei, quia ei expressè à Christo promissa est indefectibilitas non solùm in se, sed etiam ad confirmandos cæteros in fide, quando ei dixit: [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Vndè statim ac definit, debemus credere fecisse, quod in se est, vt ei in tali definitione assistat Spiritus sanctus. At verò Concilium etiam legitimè congregatum in decidendo res fidei non habet vltimum resolutionem, sed illam expectat à Papa, & sic ante confirmationem Papæ, non tenemur credere fecisse, quod in se est, vt rectè definiat, & consequenter, nec tali definitioni assentiri.

Secunda ratio discriminis est, quæ assignatur à nostro Ferre, in eo, quod definitio Papæ de cathedra est definitio totius Ecclesiæ, definitio autem Concilij etiam Oecumenici non est definitio totius Ecclesiæ ante confirmationem Papæ, sed definitio corporis Ecclesiæ, vt distinguitur à capite : cùmque tota Ecclesia nequeat errare, iuxta illud : [Portæ inferi nō præualebunt aduersùs eam:] Quando ex cathedra definit Papa, tenemur credere fecisse, quod in se est, vt non erret. Concilium autem, quod est corpus Ecclesiæ, sine capite potest errare;sicut & potest deficere ab obedientia Summi Pontificis ; & ideò non tenemur credere fecisse, quod in se est, vt non erret antè confirmationem Summi Pontificis.

Et si contra hanc Magistri Ferre disparitatem obijcies. Acceptatio, quæ concorditer Ecclesia Pontificem de nouo electum acceptat, in probabiliori sententia, quam nos secuti sumus, reddit de fide illum hominem, quem Cardinales elegerunt esse Summum Pontificem ; & tamen ista acceptatio non fit nisi à corpore Ecclesiæ, vt distincto à capite ; non enim ipsum caput potest acceptare se ipsum in Papam ; ergo corpus Ecclesiæ ; vt distinctum à capite potest facere res de fide.

Respondeo cum ipso Magistro Ferre, negando minorem. Acceptatio enim Ecclesiæ, qua facit esse de fide electum esse Papam includit etiam ipsum Papam. Non enim esset de fide hunc hominem esse Papam, immò non esset Papa,nisi electus acceptaret seipsum in Papam ; acceptando enim seipsum in Papam, credit se esse verum Papam, & sic ad definiendum procedit.

Quod si adhuc opponas. Si non acceptat

tat non est Papa, etiamsi Ecclesia acceptauit; ergo quando acceptat non acceptat vt Papa; ergo non concurrit, vt Caput Ecclesiæ ad acceptationem; ergo sola corporis acceptatio facit de fide.

Respondeo conc. antecedenti, dist. cons. non acceptat vt Papa, prout acceptatio sumitur directè, & est consensus in electionem causans matrimonium hoc spirituale ipsius Papæ cum Ecclesia; transf. conf. non acceptat vt Papa, prout ly acceptatio sumitur reflexè, quatenus credit per talem acceptationem fieri verum Papam, nego consequentiam, & omnes alias ex hac consequentia illatas. Quando enim reflexè acceptat, iam est Caput Ecclesiæ, & consequenter concurrit ad talem acceptationem corpus Ecclesiæ simul cum Capite.

Arguitur secundò ex Hermando, & Gersone ex illo Matth. cap. 18. vbi à Christo dicitur Petro, & eius successoribus, quod facta correctione fraterna, & ipsa non audita deferat ad Ecclesiam illis verbis: [Quod si te non audierit, dic Ecclesiæ.] Ergo sentit Ecclesiam esse Tribunal superius Petro, ad quod potest ex Petro appellari: sed Concilium repræsentat Ecclesiam; ergo est supra Papam.

Respondeo, quod ex communi Doctorum sensu, vt habetur ex 2. qu. 1. cap. si peccauerit, & 7. qu. 1. cap. scire, Nomine Ecclesiæ intelligitur Prælatus in iudicio præsidens, non verò Concilium generale; quis enim vnquam excogitare potuit, quod ad corrigendum vnum peccatorem conuocandum esset Concilium generale? Vndè sic eam explicant Diuus Thomas in 4. dist. 19. qu. 2. artic. 3. quæstiunc. 2. ad 4. & beatus Albertus Magnus in eodem loco.

Sed oppones cum eodem Hermando. Petro dictum est: [Dic Ecclesiæ;] ergo Petrus debet denunciare peccatores ad Ecclesiam, tamquam Tribunali distincto à suo, suoque superiori.

Respondeo, quod Petrus, & consequenter eius successores possunt etiam hoc præceptum implere, denunciando peccatores Ecclesiæ, & tamen non esse sub, sed supra Concilium. Nàm, vt ait Diuus Thomas in 4. distin. 19. qu. 2. quæstiunc. 2. ad 4. Papa potest considerari dupliciter, vel vt persona priuata, vel vt persona publica, vel vt est in iudicio Præsidens, vel extrà iudicium: ipse ergo, vt persona priuata potest dicere Ecclesiæ, quam ipse, vt Caput repræsentat; & tunc est idem, ac dicere: Tu, vt persona priuata, dic tibi ipsi, vt personæ publicæ exeundo in actum iudicij puniendo, vel corrigendo delatum peccatorem impœnitentem.

Sed adhùc obijcies. Papa est membrum Ecclesiæ; ergo etiam subiacet correctioni ipsius, itaut ipse, sicut alia membra si Ecclesiam non audierit, debet amputari, ne corpus inficiat.

Respondebis negando antecedens, vt enim ait Diuus Thomas in 3. distinct. 13. quæst. 2. artic. 1. Nomine membri venit ea pars corporis, quæ ab alia recipit influxum: nomine verò Capitis significatur fons, & principium talis influxus; & ideò Papa, qui est Caput Ecclesiæ, non potest dici eius membrum, Vndè sicut Christus, vt homo, respectu Diuinitatis, etiam vocatur membrum ab Apostolo, 1. Corinth. 12. [Vos estis corpus, & membrum de membro;] & tamen ipse vt Deus, vel etiam vt homo, influens in Fideles gratiam, & charismata spiritualia appellatur Caput; ita Petrus, eiusque successor Pontifex Romanus, quatenus accipit à Christo influxum, vel quoad dona, vel quoad gratias, vel quoad supernaturalem potestatem dicitur membrum; est autem Caput, quatenus in corpus Ecclesiæ per eum omnis potestas diffunditur, vt ex S. Leone Papa epist. 87. constat.

Sed contra argui potest ex Gersone. Esto Papa sit Caput, est tamen pars corporis; sed potentia agendi principaliùs est in toto, quam in partibus, quæ sunt veluti instrumenta totius: vndè principaliùs dicitur homo videre, quàm oculus; ergo potestas spiritualis principaliùs conuenit Ecclesiæ, quam Papæ.

Respondeo, quod Papa vt Papa non est pars quantitatiua, vt ita dicam Ecclesiæ, sed potiùs quoddam totum fontale, in quo Deus reposuit plenitudinem, & originem totius authoritatis, & potestatis spiritualis. Vndè Turrecremata lib. 4. de Ecclesia cap. 73. ait, quod Papa in ratione potestatis, non solùm est principalior pars Ecclesiæ, sed etiam est tota Ecclesia virtualiter. Nec valet exemplum adductum: quia homo principaliùs dicitur videre quàm oculus; hoc enim accidit, quia actiones sunt suppositorum, vt quod esto sint potentiæ vt qua; & ideò visio principaliùs denominat hominem videntem, quam occultum. Quod non currit in casu nostro, vt patet.

Sed adhuc obijcies cum Ioanne Patriarcha Antioch. sequitur ex hac nostra doctrina, non dari in Ecclesia remedium, in casu quo haberet malum Pontificem; quia etiam si scandalosè, & tyrannicè viueret, nec à corpore Ecclesiæ, nec ab alia terrena potestate posset corrigi, vel deponi.

Respondeo cum D. Thoma in 4. dist. 19. quæst. 2. quæstiunc. 2. ad 2. & lib. 1. de regim. Princip. cap. 6. & cum illo Bellar. lib. 2. de Concil. cap. 19. Quod esto in eo casu Ecclesia remaneret sinè remedio humano efficaci, sed non sinè efficacissimo remedio diuino; quod quidem remedium esset infallibile ex Diuina promissione, qua Christus spopondit Ecclesiæ suæ assistere, & defendere, itaut portæ inferi non præualeant aduersùs eam. Vndè tunc ad Deum esset recurrendum pro remedio, qui sinè dubio vel talem Pontificem emendaret, vel de medio subtraheret, vt vtar phrasi D. Thomæ. [Numquam enim (ait Leo Papa epist. ad Clerum, & plebem Constantinopolitanam) existimandum est, quod Sanctæ Ecclesiæ suæ desit, aut defectura sit Diuina protectio. Et tamen posset licitè in eo casu, vt docet Turrecremata loc. cit. cap. 100. resistere Pontifici Ecclesiam destruenti; possent enim seruata debita reuerentia Pontificem admonere, & modestè corripere Domini Cardinales; non tamen licet ei vi, & armis resistere, quidquid dicat Bellarminus; sed potiùs se defendere ab eius inuasione; [Licitum est enim (ait Caietanus

in

in apolog. de potest. Papæ cap. 1.) auferre gladium de manu furiosi, quod ad defensionem solum pertinet.

Arguitur tertiò contra tertiam partem conclusionis. Concilium habet à Christo immediatam authoritatem supra cunctos Catholicos, quacumque authoritate, etiam Papali fulgentes; ergo Concilium est supra Papam. Probatur antecedens. Tùm primò ex Concilio Constantiensi sess. 5. sub Ioanne XXIII. vbi sic habet: [Hæc S.Synodus declarat, quod ipsa in Spiritu Sancto legitimè congregata Concilium generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans potestatem immediatè à Christo habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & Ecclesiæ reformationem in capite,& membris]. Tùm secundò, ait apostata Spalatensis, Vigilius Papa, quia noluit se subscribere quintæ generali synodo, fuit pro schismatico habitus, & ab Imperatore in exilium missus, & ipso inuito tria capitula à Synodo fuerunt damnata; ergo Concilium habet authoritatem supra cunctos Catholicos, etiam supra Papam. Tùm tertiò, arguit idem Archiapostata. Cum in Concilio Chalcedonensi fuisset definitum contra Eutychetem,& Nestorium,& aliqui pauci, inter quos Romani Pontificis Legati hæsitarent, omnes clamare cœperunt ad Iudices; [Iubete subscribi definitionem, contra fidem fraus non fiat, qui non subscribit definitioni hæreticus est. Et infrà: Omnes Reuerendissimi Episcopi præter Romanos, & aliquos Orientales clamauerunt: definitio omnibus placet, hæc fides Patrum, qui præter ista sapit, anathema sit.] Ita in actis illius Concilij. Ergo, ait Marcus Antonius, Concilium non solùm cognoscit plenissimam definitionem renitentibus Romanæ Sedis Legatis, sed etiam constringit illos, & consequenter Papam sub pœna anathematis ad subscribendum decretum, & sentiendum cum illis.

Denique relictis alijs minoris valoris. Gelasius Papa fatebatur, nullam sedem magis, quàm primam teneri exequi constitutum vniuscuiusque synodi, quod vniuersalis Ecclesiæ probaret assensus; ergo sentit, & fatetur, etiam ipse Papa decreta Concilij ligare omnes Catholicos, etiam Papali dignitate fulgentem.

Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem respondeo cum Iacobatio lib. 10. art. 7. in resp. ad 2. quem sequitur Magister Ferre tract. de Fide quæst. 14. §. 6. num. 16. Illam definitionem Concilij non esse generalem,pro omnibus Concilijs in quacumque materia decerneretur, sed solùm pro illa synodo Constantiensi, & in illa materia determinata, scilicet de causa schismatis. Vndè non dat illud decretum authoritatem Concilio generali supra verum, & indubitatum Papam, sed tantùm super Papam dubium,& incertum, qualis fuit tempore dicti schismatis, ad confutandum dictum Pontificum schismaticorum, qui depositi in Concilio Pisano dicebant: Non potuisse illos Concilium deponere, quia Concilium non habet authoritatem super Papam. Tempore enim illius schismatis nullus erat Papa certus, & indubitatus; & ideò habuit potestatem Concilium supra illos. Et quod ita debeat intelligi illud decretum; ex ipsiusmet verbis constans erit; habet enim: [Quod quicumque cuiuscumque conditionis, status, dignitatis etiam Papalis, qui in mandatis, statutis, seù ordinationibus, aut præceptis huius Sanctæ Synodi, & cuiuscumque alterius Concilij generalis legitimè congregati, super præmissis, vel ad ea pertinentibus factis, vel faciendis, &c. Vbi, vt vides, non est sermo de omni Concilio generali absolutè, sed de Concilio generali facto, vel faciendo ad extinguendum schisma. Hinc Conc. Basili. quod ex tali decreto Constantiensi malè intellecto volebat potestatem habere supra Eugenium Papam verum, & indubitatum, præualere non potuit, sed illud dissoluit Eugenius, & Conciliabulum declarauit. Præterquamquod scio Dominum Caietanum asseruisse Concilium Constantiense errasse in illo decreto, seù potiùs decretum illud non fuisse emanatum à toto Concilio, sed tantùm ab illa parte, quæ erat sub obedientia Ioannis XXIII. Vndè tale decretum non fuit confirmatum à Martino V. qui tantùm confirmauit decreta facta à toto, & pleno Concilio; vt patet ex verbis approbationis, quæ habentur in vltima sessione, vbi fatetur se approbare ea, quæ à Concilio Constantiensi conciliariter determinauit, ipsaque sic conciliariter facta se approbare, & non aliter facta; ergo sentit fuisse aliter in Concilio facta, non conciliariter, quæ non approbauit.

Ad secundam probationem respondeo, quod tantum abest, quod in generali illa synodo detractum fuerit authoritati Pontificiæ, vt potiùs maximè eluxerit in ea authoritas Romani Pontificis supra Concilium,nam Patres illius Concilij enixè supplicantes Vigilium Pontificem illum inuitarunt ad discussionem illorum trium capitulorum, quæ citat argumentum, cum hac clausula demonstrante subiectionem Concilij respectu Papæ. [Nos enim, ait Synodus, petimus tractari, & conferri super hæc puncta, præsidente nobis vestra Beatitudine. Vbi, vt vides, potiùs probatur oppositum illius, quod intendit argumentum. Quod autem Vigilius Pontifex fuerit ab Imperatore in exilium actus; nil roboris adducit argumento; non enim est nouum Summos Pontifices, & Sanctos à pessimis Imperatoribus diuerso pœnarum genere affligi.

Ad tertiam respondeo, Spalatensem mentiri, dum asserit Legatos Apostolicos definitioni illi Chalcedonensis Concilij non assentiri. Etenim, vt habetur act. 5. coordinatio illius definitionis commissa fuit Legatis, ac Vicarijs Apostolicæ Sedis. Et act. 6. Paschasinus primus Legatus sic primò subscripsit: [Paschasinus Episcopus vice Domini mei Reuerendissimi, atque Apostolici viri vniuersalis Ecclesiæ Papæ vrbis Romæ Leonis synodo præsideus, statui, consensi, & subscripsi.] Deindè subscripserunt Lucentius, & Bonifacius alij duo Legati; ergo non renitentibus, sed consentientibus Legatis emanatum fuit illud Chalcedonense decretum.

tum. Apparet etiam ex his verbis: Præsidentia, ac authoritas Pontificij Legati supra Concilium. Quod etiam illi Patres in synodica epistola humiliter expresserunt, dicentes: [Rogamus Vestram Sanctitatem dignetur honorare nostrum iudicium decreto vestro; & sicut in bonis rebus nos ipsos ostendimus vniformes nostro Capiti, ita & vestra præeminentia, &c. principatus respiciat pro suis filijs, quod est honorabile, & conueniens.] Hæc Concilium illud veridico ore confitendo asseruit superioritatem Papæ supra Concilium.

Ad quartam dico, Gelasium loqui de decretis pertinentibus ad fidem, æditis à synodo legitimè in Spiritu Sancto conuocata, & approbata à Romano Pontifice; ex quo non potest inferri Concilium esse supra Papam, vel posse illum constringere, & obligare ad recipienda decreta Concilij, sed ad recipienda decreta iam confirmata à Sede Apostolica, per quam authoritatis pondus habent à Spiritu Sancto, cuius magisterio Concilia definiunt, iuxtà illud act. 15. [Visum est Spiritui Sancto, & nobis.]

Arguitur quartò, Concilium generale potest derogare statutis Papæ, non verò Papa statutis Concilij generalis; ergo non Papa supra Concilium, sed Concilium est supra Papam. Antecedens probatur, & quantùm ad primam partem habetur in Glossa in cap. legimus dist. 93. vbi habetur, quod statuta Concilij generalis præiudicant statutis Papæ; si contradicunt; ergo. Immò consuetudo generalis Ecclesiæ abrogat statutum Pontificale. Secunda etiam pars antecedentis probatur. Tùm ex cap. contra habetur dist. 25. quæst. 1. ibi: [Contra statuta Patrum condendere aliquid, vel mutare, nec huius quidem Sedis potest authoritas.] Et cap. prima salus dicitur: [Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à Patrum statutis nullatenus deuiare.] Tùm secundò, nam S. Gregorius Papa confitens se tenere quatuor Concilia generalia, quasi Euangelium, assignat huius causam, dicens: [Quia dum vniuersali sunt instituta consensu, se, & non illa destruit, qui præsumit absoluere, quos illa ligant, aut ligare, quos illa absoluunt. Ergo sentit Sanctus iste Papa, Concilia ligare, & absoluere etiam Papam. Tùm denique, nam in octaua synodo generali condemnantes Photinum, & anathematizantes, asserunt Patres hoc facere [per datam nobis potestatem in Spiritu Sancto à primo, & magno Pontifice nostro Deo, & Liberatore, & Saluatore Domino nostro Iesu Christo.] Ergo affirmant habere immediatè authoritatem à Deo ad definiendum, ac proindè non possunt eius decreta solui à Summo Pontifice.

Respondeo negando antecedens, ad primam probationem primæ partis dico, quod vtique statuta Concilij confirmata, & stabilita à Papa, derogant statutis solius Papæ; hoc autem non est Concilium derogare authoritati Papæ, ac proindè habere potestatem supra ipsum, sed solùm sequitur Papam non posse ius nouum facere contrarium antiquo, quod Papa, & Concilium statuit. Ex quo patet responsio ad illam Glossam. Præterquamquod Glossa illud non dicit assertiuè, sed argumentatiuè contra se ipsam.

Ad secundam partem antecedentis, respondeo ad primam probationem desumptam ex cap. contra quæst. 1. &c. cum Diuo Thoma in opusc. contra impugnantes Religiones. Quod Papa nequit aliquid mutare in his, quæ sunt iuris Diuini, vel naturalis, non verò in his, quæ iuris positiui sunt. Et iuxtà hanc doctrinam explicanda veniunt verba adducta in prima probatione secundæ partis antecedentis. Ad secundam probationem desumptam ex Diuo Gregorio, dico, potiùs esse pro nobis, quàm contra nos. In illo enim solùm explicatur solutio nuper à nobis data ad primam probationem. Ideò enim affirmat Gregorius, se venerari quatuor generalia Concilia, & non præsumere absoluere, quos illa ligant, &c. quia dum sunt vniuersalia, se, & non illa destrueret; hoc est, quia Concilium Oecumenicum confirmatum à Papa, est ita vniuersale, quod corpus cum capite repræsentat, & includit, si Papa eius statuta destrueret, non tantùm contra potestatem Concilij, quantùm contra potestatem Papæ illud confirmantis ageret; vndè se ipsum non illa destrueret.

Ad tertiam desumptam ex octaua synodo, dico, quod vt supra probauimus, Concilium non habet auctoritatem, nisi à Papa vndè ex hoc, quod in primitiua Ecclesia definitiones Conciliorum nomine Concilij, & non nomine Papæ fierent, non erat, quia Concilium habebat auctoritatem supra Papam, sed ad explicandum qualis erat auctoritas, quæ per Papam in Concilium deriuabatur. Cæterum quia modò Protestantes & alij hæretici, sinistrè hoc intelligendo, inferre poterant suos errores, iam hoc emendatum est, & in Concilio sic fiunt definitiones vt Papa dicat: [Sacro approbante Concilio definimus, præcipimus, &c.

Sed oppones, Papa tantùm ministerialiter, & Ecclesia principaliter habet ius in clauibus, ergo Pontifex est Minister Ecclesiæ non Caput, ac proindè Concilium repræsentans Ecclesiam, est supra Papam. Antecedens probatur, non minùs habet ius Ecclesia in clauibus, quàm in bonis temporalibus sed dominium temporalium, est principaliter in Ecclesia, & tantùm ministerialiter in Pontifice, ergo similiter dominium clauium principaliter erit in Ecclesia, & ministerialiter tantùm in Papa.

Respondeo negando antecedens, ad probationem concesso antecedenti, neg. consequentiam, assignando discrimen inter claues, & bona temporalia, nam claues datæ sunt immediatè Petro, & eius successoribus, & mediante Petro datæ sunt Ecclesiæ, vndè nequit principalius dominium clauium habere Ecclesia, quàm Papa, Bona autem temporalia à Principibus secularibus data sunt principaliùs Ecclesiæ, & Papæ tamquam talium bonorum dispensatori, & sic dominium temporalium principaliùs debetur Ecclesiæ, quàm Papæ.

Quartò arguitur, Concilium potest deponere Papam, non solùm in casu hæresis ministerialiter, sed etiam in casu dubij iudicando non esse verum Papam, nec ritè electum, sed nullus potest iudicare, nisi qui habet

bet potestatem iurisdictionis supra illum, quem iudicat, ergo Concilium est supra Papam. Maior probatur in casu Vrbani VI. qui electus à Cardinalibus rogatis à Populo Romano, vt non Gallum, sed Italum eligerent & adoratus ab illis, post aliquot menses non valentes ferre eius seueritatem, omnes, vno excepto, fugerunt Anagniam (vt narrat historia Concilij Constantiensis, quæ habetur antè dictum Concilium) & ibi dixerunt: Vrbanum non esse verum Papam, quia non liberè, sed coactè electum metu Populi Romani, & elegerunt alium Cardinalem Gallum qui appellatus est Clemens VII. & cum Collegio Cardinalium, qui ipsum elegerant denuò Auenionem Sedem transtulit, ex quo incæpit crudelissimum schisma, quod postea per Concilium Constantiense fuit ablatum deponendo Benedictum XIII. Gregor. XII. & Ioannem XXIII. ex quibus Gregorius, & Ioannes voluntariè se Papatu abdicarunt, Benedictus verò in suo schismate permanens à Concilio depositus, in sua rebellione ab omnibus derelictus, & excommunicatus, mortuus est.

Respondeo conc. mai. neg. min. ad probationem dico, quod quando Papa est dubius, potest Concilium iudicare de tali electione, non quidem iudicando Papam, sed iudicando illum non esse verum Papam quod non est exercere iurisdictionem supra Papatum, sed supra coniunctionem Papatus cum persona, vt supra diximus.

Quod si instas. Dari potest casus; in quo Papa electus sit verus Papa, & tamen Concilium iudicet non esse verum Papam, ergo Concilium habet potestatem iudicandi ipsum Papam, vt Papam.

Respondeo admittendo pro nunc casum qui potest accidere si contingat Cardinales facta electione Papæ omnes statim mori, ita, vt non sit, qui Ecclesiam possit certificare de facta electione. Tunc enim si necesse fuerit ad tollendum periculum schismatis, Papam electum deponere, potest Concilium congregari, & de tali electione iudicare, & Papam deponere. Sed tunc non facit hoc iudicando ipsum Papam, vt Papa est non esse Papam, sed iudicando non esse conueniens habere pro Papa illum, de quo certitudo non habetur, quod sit Papa.

§. III.

Vltimum argumentum soluitur, & discutitur: an liceat à Papa ad Concilium appellare.

DEnique arguitur: licet appellare à Papa ad vniuersale Concilium, sed appellatio non fit, nisi à Iudice inferiori ad superiorem, vt habetur ex cap. omnes 2. quæst. 6. & ff. à quibus appellari non licet lib. 1. ergo Concilium est supra Papam. Maior probatur, ab illo iudicio appellare non licet, ad quod vltimatè Deus remisit iudicium omnium causarum, sed hoc Deus remisit non Papæ, sed Ecclesiæ, dicens Petro Matth. 16. post alias correctiones, & iudicia vltimo dic Ecclesia, & consequenter Concilium illam repræsentans, facit vltimum iudicium, ad quod à iudicio Petri appellari potest.

Petit hoc argumentum, vt explicemus, vtrùm possit appellari à Papa ad Concilium, vel è contra. Pro quo suppono tamquam certissimum id, quod dicit argumentum in minori, appellationem scilicet fieri ab inferiori ad superiorem Iudicem, & non è conuerso, vt clarissimè constat ex locis allegatis in argumento. Quo supposito.

Dico nullo modo posse appellari à Romano Pontifice ad Concilium vniuersale, tamquam ad superiorem Iudicem.

Habetur nostra conclusio in capit. ipsi idest 9. quæst. 3. vbi Gelasius Papa ait; [Ipsi sunt canones qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius Sanctæ Sedis examen voluerunt deferre, ab ipsa nusquam prorsus appellari debere sanxerunt.] Et probatur primò sic. A Iudice supremo, & in quo est suprema potestas in Ecclesia, & totius Ecclesiæ principatus; non licet appellare ad inferiorem, sed in Romano Pontifice est suprema potestas in Ecclesia, etiam supra totam Ecclesiam in Concilio congregatam; vt fuit definitum per Papam Martinum V. in Concilio Constantiensi, & habetur in cap. patet 9. qu. 3. Nicolaus Papa ait. Sedis Apostolicæ, cuius auctoritate maius non est iudicium. Et in cap. Nolite errare dist. 11. affirmatur, quod in ea Dominus totius Ecclesiæ posuit Principatum, Ergo non potest appellari à Papa ad Concilium.

Secundò sic probatur nostra assertio. Non licèt appellare à capite ad membra, à matre ad filios; sed Papa est Caput omnium Fidelium, & ipsius Concilij vniuersalis, & Romana Ecclesia, siuè Apostolica Sedes est Mater omnium Ecclesiarum, vt dicit cap. omnes 2. qu. 6. vbi habetur: quod omnes Episcopi quibuscumque aduersitatibus pulsati, liberè ad Apostolicam Sedem appellent, & ad eam, quasi ad Matrem fugiant: ergo nequit appellari à Summo Pontifice ad Concilium vniuersale.

Tertiò probatur; ab eo Iudice, cuius proprium est de tota Ecclesia iudicare; & de quo non est datum alicui iudicare, non est licitum appellare, sed Papa est huiusmodi; ergo ab eo non est licitum appellare. Maior est certa ex terminis, quia appellatio semper fit ad Iudicem superiorem, à quo potest iudicari, & recognosci iudicium inferioris. Minor verò probatur ex cap. cuncta 9. qu. 3. vbi Gelasius Papa ait; [Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quod Ecclesia Romana de omnibus fas habet iudicandi, nec cuiquam de eius liceat iudicare iudicio;] ergo.

Confirmatur primò: non est licitum appellare ab illo Iudice ad Iudicem, qui potestatem iudicandi habet ab eo, à quo apellatur: sed omnis potestas iurisdictionis etiam Concilij generalis deriuatur à Papa; ergo non licet appellare à Papa ad alium Iudicem Ecclesiasticum.

Confirmatur secundò, idem est Tribunal Christi, & Tribunal Papæ, sicut idem est Tribunal Episcopi; & Tribunal Vicarij; sed Tribunal Christi est ita supremum, vt non liceat appellare ab illo ad aliud superius, quod non

datur; ergo neque licet appellare à Papa ad Concilium.

Denique probatur, licet appellare, & de facto appellatum fuit à Concilio generali ad Papam; ergo non licet appellare à Papa ad Concilium generale. Consequentia tenet, quia per hoc, quod appellatur à Concilio ad Papam, declaratur, Papam esse supra Concilium; ergo non licet appellare à Papa ad Concilium. Antecedens autem probatur, tùm primò, Leo Papa ad Theodosium Imperatorem scribens, & rogans, vt Chalcedonensis Synodus in correctionem Ephesinæ constitueretur ita ait: [Tota mentis acie aspice B. Petri gloriam, & communes cum ipso omnium Sanctorum coronas, cunctorumq; Martyrum palmas quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio Deitatis, & veræ humanitatis in Christo cui Sacramento, &c.] Et infra; [Vtquia & nostri fideliter reclamauerunt, & eius libellū, appellationis Flauianus Episcopus dedit, &c.]

Tùm secundò ex gestis Chalcedonensis Synodi, in qua Legati Papæ leguntur contradixisse, & ad Beatum Leonem Papam appellasse, ergo licet appellare à Concilio ad Papam. Vndè sanctus Thomas in quæst. de pœnitentia qu. 10. art. faciens de hac appellatione memoriam, sic ait: [Romanus etiam Pontifex ex sua auctoritate potest, cuius sola auctoritate Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur, quæ omnia patent in gestis Chalcedonensis Synodi.] Ille.

Ad argumentum ergò factum in principio, respondeo negando antecedens, vt enim probatum est, non licet appellare à Papa ad Concilium quia; vt benè probat argumentum, non appellatur, nisi ab inferiori ad superiorem Iudicem. Vndè ad probationem dico, quod sicut supra explicatum remanet ly dic Ecclesiæ, non intelligitur pro Concilio, sed pro Superioribus Ecclesiarum particularium, vel pro Summo Capite Ecclesiæ vniuersalis Romano Pontifice, & ideò non probatur per illum locum appellatio à Papa ad Concilium.

Quod si opponas, non est licitum appellare à Concilio ad Papam, ergo erit licitum appellare à Papa ad Concilium, consequentia tenet, quia ista sunt duo Tribunalia subordinata per modùm superioris, & inferioris, sed à Tribunali inferiori licet appellare ad Tribunal superius, ergo si non licet à Concilio ad Papam, licebit à Papa ad Concilium. Antecedens verò varijs medijs probare nituntur contrarij. Primò ex diuersis Concilijs, in quibus determinatur non posse appellari à Synodo, sic enim habetur in Concilio Constantinop. secundo, & in Concilio quodam Toletano, vbi constitutum est ab electa Synodo non posse appellari, citant etiam Concilium Africanum Carthaginense cui interfuisse dicitur B. Augustinus, in quo Patres Concilij scribunt Cœlestino Papæ, non debere appellationes à Concilio suscipere, affirmantes ita statutum fuisse in Concilio Nicæno.

Secundò probatur ratione, ab illo potest appellari, cuius iudicium potest errare, sed iudicium Concilij errare non potest, vt supra probatum remanet, ergo ab illo appellari non potest.

Denique probatur idem antecedens; à lege, seù constituto Dei appellari non licet, sed canones sunt spiritu Dei æditi, vt habetur in cap. violatores 25. qu. 1. ergo à canonibus, & consequenter à Concilio vniuersali, in quo canones instituuntur appellari non licet.

Respondeo negando antecedens, non enim licitum est appellare à Papa ad Concilium, sed è contra à Concilio ad Papam, si loquamur de Concilio, vt contradistincto à Papa antè confirmationem illius, nam post confirmationem firmatum est auctoritate Papæ, & sic esset appellare à Papa ad Papam quod est impossibile.

Ad primam ergo probationem respondeo, quod quando dicitur in Synodo Chalcedonensi, & Toletano, non posse ab electa Synodo appellari, loquuntur Patres de Concilio post confirmationem Summi Pontificis, non antè illam, ideò enim dicitur electa Synodus, quæ auctoritate Romani Pontificis fulcitur, & roboratur. Et de hoc, vt diximus non dubitamus, quia esset appellare à Papa ad Papam. Sic etiam dicendum est de Concilio Africano Carthaginensi, dicimus enim nullo modo aduersùs nostram assertationem militare. Tùm quia Concilium illud non fuit generale, sed prouinciale, vndè multa videtur dicere, quæ non sunt vera, sicut id, quod dicit de Concilio Nicæno. Nec tamen dicit, vt asserit noster Eminentissimus Turrecremata, quod Papa non possit suscipere appellationem à Concilio, sed quod non debeat faciliter, & indifferenter suscipere. Et hoc valdè rationabile est, maximè quando appellatio fit ad fugiendam correctionem, sicut in illo casu fecerat Episcopus ille sceleratissimus, non solùm conuictus, sed etiam confessus de criminibus, de quibus erat accusatus.

Ad secundam probationem respondeo, Concilium errare non potest antè confirmationem Papæ, nego minorem, post confirmationem concedo minorem, & nego consequentiam. Nam Concilium antè Papæ confirmationem errare potest, & multoties errauit, & ideò ab illo ad Papam appellari concessum est quia suprema, & infallibilis regula veritatis Catholicæ est Papa.

Et ex hoc soluitur alia probatio antecedentis, dist. min. sed canones Spiritu Dei sunt æditi adueniente auctoritate Romani Pontificis, & ab eis non licet appellare, conc. min. aliter neg. min. & consequentiam. Nam si canones habent robur, hoc habent ab auctoritate Summi Pontificis; & consequenter non licet ab eis ad illum appellare.

Ex dictis infero primò, Summum Pontificem legibus, & statutis vniuersalium Conciliorum non ligari. Ita Eminentissimus noster Turrecremata, & probatur tùm ex dictis, quia si non potest appellari à Romano Pontifice ad Concilium ratione superioritatis, nec poterit ligari eius legibus. Tùm secundò (& est ratio desumpta ex Gloss. Ostien. 9. qu. 3.) tota auctoritas, & iurisdictio, quam habet Concilium, habet à Papa, vt supra latè probauimus, sed nemo potest ligare se ipsum, ergo nec potest Papa ligari à legibus Concilij.

Hoc

Hoc tamen intellige, vt infra latiùs dicemus, quantùm ad vim coactiuam, non verò quantùm ad vim directiuam, sicut à pari docet Diuus Thomas de Principe seculari in 2. 2. qu. 96. art. 6. vbi quærit; An Principe secularis ligetur suis legibus. Respondet, Quantum ad vim coactiuam Princeps est solutus legibus, Cuius rationem assignat. Quia nullus cogit se ipsum, lex autem non habet enim coactiuam, nisi à Principis potestate.

Infero secundò, non posse Concilium generale facere legem Romani Pontificis decretum irritantem, quod probatur contra ordinem naturalem rationis est, quod leges latas à superiori inferior irritare, annullare possit, sed Concilium est inferius Papa, ergo non potest Concilium facere legem Romani Pontificis irritantem decretum.

Denique infero, quod è contra Romanus Pontifex habet auctoritatem annullandi, & abrogandi aliqua decreta Conciliorum, etiam antiquorum. Et ratio sumitur ex opposito capite, quia in manu Superioris sunt leges, & decreta inferiorum, ergo ad ipsum pertinet abrogare aliqua decreta Concilij. Vndè de facto plura decreta, & canones sunt Romani Pontificis auctoritate iam abrogata Et hæc dicta sufficiant pro præsenti Tractatu de Visibili Capite Ecclesiæ, & supremo Legislatore Romano Pontifice. Ad gloriam Omnipotentis Dei, Beatissimæ Virginis Mariæ, ac Sanctorum Dominici, Doctoris Angelici Thomæ, & Augustini, omniaque submitto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio, & examini, tamquam eius obedientissimus filius.

APPENDIX

Ad Dubium Tertium Disputationis Secundæ, De Potestate non solùm spirituali, sed etiam temporali Romani Pontificis in toto Orbe Catholico

POstquam Typis mandaueram disputationem De potestate summi Pontificis, & specialiter de eius potestate, saltem indirecta, super Reges ac Principes seculares, quoad temporalem eorum dominationem; in manus meas opus venit eruditissimi nostri Natalis Alexandri, & prętèr meam expectationem inspexi in pluribus suæ Historiæ Ecclesiasticæ locis, punctum istum largissimè tractatum, sed contra communem sensum, nedum Dominicanæ Familiæ, quæ non minùs veritatis, quàm Pontificiæ dignitatis obsequentissima; pro ea, & calamo, & sanguine semper felicissimè decertauit, & vicit; sed etiam Theologorum, immò, & Historiatorum sensum, ac sententiam; & nimio mœrore confectus planxi tantum Virum, aliàs eruditissimum, à tam clara veritate defecisse; & ad castra exterorum, vel prurientium Principum aures, potiùs aulicorum adulatorum, quàm Theologorum propria transfugisse. Miratus sum Dominicanum Virum, Magistrum, Studiorum Regentem, & sine dubio doctissimum, ita vel Regiæ dignitatis passione, & amore, vel propriæ opinionis tenacitate, rationibus parum conuincentibus conuictum fuisse? Et tamen cùm tacitus rem considerarem orans Dominum, vt ipsum illuminaret, nisi habens præ manibus, & sub prælo hanc materiam, vel tamquam mutus Canis reprehensione me dignum constituerem, vel conuictus suis rationibus videret, effugium in silentio quæsiuisse. Atqui ergo ne tu poteris contra Sapientissimum hunc Magistrum præualere? Inermis elocutione, eruditione nudus, doctrina pauper, ingenio miserrimus? Minimè verò. At veritate armatus, zelo suffultus, sanctorum Patrum, & præsertim Angelici mei Magistri patrocinio confisus, officium Dominicani, scilicet veridici, & inflexibilis Ecclesiæ Catholicæ, & eius capitis, defensoris, implebo. Omnia possum in eo, qui me confortat. Sit igitur?

§. I.

Statuitur Potestas Pontificia supra Reges, & Principes, quoad eorum potestatem temporalem.

NE eadem bis repetam. Suppono, quæ in dubio supra posito diximus, vel de præeminentia spiritualis potestatis supra potestatem terrenam, vel de ipsa potestate Pontificis supra potestatem Laicalem, non quidem directa, sed indirecta, in ordine ad finem spiritualem. Mitto etiam rationes illas, quibus meam conclusionem, quam posui contra aliquos Doctores Sorbonicos, inter quos connumerari voluit noster Natalis Alexander, probaui, quas ibi adduxi, & solùm hìc ponam illas, quas Natalis impugnat.

Sit prima illa, quam adducit ex Gregorio 7. desumpta ex illo Matth. 26. vbi Christus dat potestatem Petro ligandi, atque soluendi; à qua potestate Reges non sunt exempti, cum sint de ouibus, quas Filius Dei Beato Petro commisit.

Cui sic respondet Natalis: [Hæc autem ratio nullius ponderis est ad ostendendam Ecclesiæ potestatem in temporalia Regum, qui ipsius Ecclesiæ non sunt feudatarij, & ad probandum, quod Romano Pontifici conueniat auctoritas absoluendi subditos à Sacramento fidelitatis: de solis namque peccati, & censuris intelligenda est Christi sententia ligandi, & soluendi potestatem sancto Petro, & in ipso omnibus Pontificibus tribuentis.] Quam expositionem nititur vsque ad nauseã probare, & confirmare diuersis auctoritatibus sanctorum Patrum, & Doctorum ita locum illum exponentium: ac tamdem excusat Gregorium, affirmans vsum esse illo testimonio solùm ad probandum potestatem excommunicandi Reges in Pontifice.

Sed contra est. Tùm primò: nam esto plures Doctores communiter explicent de potestate absoluendi à peccatis, vel ferendi censuras, & absoluendi ab illis: nihilominus non desunt Doctores, qui illam auctoritatem glossent de potestate concessa Petro, & successoribus eius super Ecclesiam. Sic explicat eruditis-

ditissimè, & fundatissimè, vt solet; tuus, & meus Angelicus Præceptor opuscul. de Reg. princ. lib. 3. cap. 10. per totum, vbi habet: [Primùm autem (loquimur de dominio Pontificis) cæteris antefertur multiplici via, sed præcipua sumitur ex institutione Diuina videlicet Christi. Cum enim eidem secundùm suam humanitatem omnis sit collata potestas, vt patet in Matth. 16. cap. dictam potestatem suo communicauit Vicario, cum dixit: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & in Cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in Cœlis.] Et post multa sic habet: [Sed dominij plenitudo ostenditur, cùm vltimo dicitur: Quodcumque ligaueris super terram, &c.] Et subiungit: [Quod si dicatur ad solam referri spiritualem potestatem, hoc esse non potest, quia corporale, & temporale ex spirituali, & perpetuò dependet.] Et post pauca concludit: [Ita, & temporalis iurisdictio Principum per spiritualem Petri, & successorum eius.] Contraria est ergo doctrina nostri Magistri tuæ explicationi, ô Alexander; vndè mutare debes sententiam, si vis esse discipulus Diui Thomæ. Idem videtur sentire Ambrosius in hom. 35. in Matth. vbi explicans illa verba inter alia, habet: [Promittit se daturum, quæ sunt propria Dei solius, scilicet peccata soluere, & Ecclesiam immutabilem facere, inter tot mutationum, & persecutionum procellas.] Vbi, vt vides, auctoritas concessa Beato Petro per illa verba, non solùm est soluendi peccata, sed etiam tuendi Ecclesiam à tentationibus, & persecutionibus Tyrannorum, & Regum. Sic etiam videtur explicare sanctus Thomas in cap. 16. Matth. Et portæ inferi, &c. Hieron. 1. [Bellabunt aduersùm te, & non præualebunt, &c. Et quæ sunt portæ inferi? Hæretici, quia sicut per portam intratur in domum, ita per ipsos intratur in infernum; item Tyranni, dæmones, peccata.] Et concludit hoc caput: Papa, qui est in loco sancti Petri, habet plenariam potestatem, alij verò ab ipso.] Ergo sentit sanctus Thomas, in illo loco non solùm habuisse à Christo potestatem absoluendi à peccatis, sed etiam alias potestates, & definiendi contra Hæreticos, & resistendi principibus, & Regibus Tyrannis. Ac denique Leo Papa in serm. 3. sui anniuersarij: [Manet, inquit, Petri priuilegium, vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium, nec nimia vel seueritas, vel remissio, vbi nil erit ligatum, nil solutum, nisi quod Beatus Petrus, aut soluerit, aut ligauerit.] Tùm secundò: nam per istum Auctorem datur à Christo Domino Pontifici potestas excommunicandi Reges, & Imperatorem, ergo datur potestas in Pontifice supra temporale dominium Regum, & Imperatorum. Consequentia probatur: quando Papa excommunicat Regem, aut Imperatorem, suspendit eos saltim ab vsu propriæ iurisdictionis, & potestatis; sed ille potest suspendere, qui potest priuare, & degradare tali iurisdictione, & dignitate; ergo Papa potest priuare Reges Regno, & auctoritate.

Confirmatur hoc ex decreto Vrbani II. qui floruit anno 1088. & habetur in 2. par. decr. causa 15. quæst. 6. cap. [Alius Iuratus Milites, Hugoni Comiti, ne ipsi quamdiù excommunicatus est seruiant, prohibeto. Qui si Sacramenta prætenderint, moneantur Deo magis seruire, quàm hominibus; fidelitatem enim, quam Christiano principi iurarunt, Deo, eiusque Sanctis aduersanti, & eorum præcepta calcanti, nulla cohibentur auctoritate persoluere.] Ergo, qui habet auctoritatem excommunicandi, habet auctoritatem absoluendi subditos à iuramento fidelitatis; ac proindè exauctorandi principes, & Reges. Vndè Summus Pontifex Gregorius VII. rectè ex illa auctoritate excommunicandi, infert dominium exauctorandi, quia ipse iam docuetat præsidens in Romana Synodo hanc doctrinam, dicens: [Nos Sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, qui excommunicatis fidelitate, aut Sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate à Sacramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant.] Quod habetur cap. Nos Sanctorum, vbi sup.

Ad aliam auctoritatem respondet, quam adducit Gregorius ex Apost. 1. ad Corinth. 6. vbi habet: [Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quantò magis secularia?] Et subiungit Natalis: [Non esse ad propositum hanc auctoritatem, quia propriam Sacerdotum potestatem Paulus in illo loco non innuit, sed communem fidelium omnium in iudicandis fratrum litibus, quæ de secularibus rebus mouentur facultatem; si ad ipsos causarum huiusmodi arbitrium deferatur. Sanè si quotquot Angelos Apostatas iudicaturi sunt; de Regibus iudicium ferre possint, non modò Pontifex, sed priuatus quisque de fidelium grege, poterit de Regijs capitibus decernere. Quo quid absurdius?]

Verùm esto testimonium illud Apostoli possit ad sensum Patris Natalis accommodari; itaut intelligantur de omnibus fidelibus, sicut explicat Diuus Thomas super illum locum lect. 1. tamen, vt idem Doctor Angelicus docet, magis literalis est expositio, quam ipse tradit in principio illius Lectionis: vbi distinguens tres modos, quibus fideles iudicant Angelos, scilicet [Primò secundùm comparationem, secundùm quam non solùm boni iudicabunt malos, & Sancti mundanos; sed etiam secundùm quàm boni iudicabuntur à melioribus, & mali iudicabunt peiores,] secundùm illud Matt. 12. [Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. Secundò iudicabunt, approbando sententiam Iudicis, scilicet Christi. & hoc erit proprium Iustorũ, secundùm illud Ps. [Lætabitur Iustus cùm viderit vindictã.] Vnde Sap. 3. dicitur: [Iudicabunt Sancti nationes. Tertio modo per sententiæ prolationem: Et hoc erit Apostolorum, & similium.] Vnde & Matth. 19. dicitur: [Vos qui secuti estis me, sedebitis super Sedes iudicantes, &c.] Hæc Sanctus Thomas. De hoc ergo iudicio loquitur Gregorius VII. quod est proprium Apostolorum, & eorum successorum, scilicet Papæ, & Episcoporum, non de alijs iudicijs, quæ sunt communia omnibus Christianis, vel sanctis Christianis. De quo loquens Augustinus lib. de oper. Monach. adductus à Glossa or-

sa ordinaria super istum locum sic habet: Sapientes igitur, qui in locis consistebant Fideles, & Sancti, non qui hac, atque illac per Euangelium discurrebant, talium negotiorum examinatores esse voluit, à quibus excusare nos non possumus, etsi velimus. Christum enim testem inuoco, quoniam mallem per singulos dies certis horis aliquid manibus operari, & ceteras horas habere liberas ad legendum, & orandum, vel ad operandum aliquid de diuinis literis, quàm tumultuosissimas perplexitates causarum pati de negotijs secularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis. Et Gregorius ab eadem Glossa allatus super illum locum Apostoli, sic habet: [Cauendum est tamen, vt hi, qui donis spiritualibus emicant, nequaquam proximorum infirmantium negotia funditùs deserant, sed vel alijs, quibus dignum est, tractanda committant, vel per se gerant.] Sentiunt ergo Sancti Doctores, Apostolum de Prælatis in illo loco fuisse locutum.

Sed quod proponit secundo loco noster Natalis ex Gregorio VII. in illa epistola, est auctoritas S. Gregorij in epistola ad Senatorem, ita scribentis: Si quis verò Regum, Sacerdotum, Iudicum, atque secularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit; potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se diuino iudicio existere, de perpetrata iniquitate, cognoscat, &c. Ex quo ita à fortiori colligit Gregorius VII. Quod si Beatus Gregorius Doctor vtique mitissimus, Reges, qui statuta sua super vnum Xenodochium violarent, non modò deponi, sed etiam excommunicari, atque in çterno examine damnari decreuit; Quis nos Henricum, non solùm Apostolicorum iudiciorum contemptorem, verùm etiam ipsius Matris Ecclesiæ, quantum in ipso est, conculcatorem deposuisse, & excommunicasse reprehendat, nisi fortè similis eius? Ita non minùs Sanctus, atque doctus Pontifex rectè infert.

At Natalis respondet hanc rationem infirmam esse. [Nam præterquamquod non esse genuinam Sancti Gregorij, sed clausulam illam, siquis verò Regum, additiciam esse, vt viri plerique doctissimi contendunt; quia Sanctus Gregorius eam in similibus priuilegijs non vsurpauit. Illa tamen admissa, inde colligi non posse Sanctum Gregorium Sedi Apostolicæ tribuisse auctoritatem deponendi Reges, & absoluendi subditos à Sacramento fidelitatis. Nam illam verba sunt imprecantis, non imperantis, determinantis, seu iudicantis, sicut illa; in æterno examine districtæ vltioni subiaceat. Quod latissimè conatur probare pluribus exemplis, vel imprecationum diuersorum Conciliorum, vel Regum, Principum, etiam mulierum, qui similibus imprecationibus vsi sunt: Inter quæ duo exempla largè refert. Primum est Agnetis Comitissæ Pictauiensis, quæ in quodam diplomate, in gratiam Angeliacensis, Monasterij dato, anno 1032. sic habet. Siquis in posterum Rex; aut Princeps, aut Dux, Comes, & Vicecomes, aut quælibet persona ecclesiastica, vel secularis huius nostræ constitutionis decretum rescindere voluerit, hæreditatis & honoris nostri dignitate perpetuò careat. Quæ tamen, ait ipse, nullam habebat potestatem supra Reges, Principes, &c. Aliud est ex diplomate Ramiri Aragonum Regis dato Cenobio Sancti Ioanni Baptistæ iuxtà decretum Synodi Aragonensis, anno 1062. vbi sic habet. Quicumque futurorum Regum successorum nostrorum, transgredientes, & deuiantes ab hoc Regali simul, & Pontificali decreto, tentauerint dissoluere hanc scripturam, in præsenti sæculo Omnipotens Deus, qui est iustus Iudex, & Regum Rex, dissoluat, & diuidat regalem honorem, & potentiam Regni eorum, &c.] Quod prosequitur latissimè.

At hæc euasio mihi videtur non solùm infirma, sed mortua; & quod Epistola illa sit Diui Gregorij, ipsemet Natalis seculo 6. c.5. ar.16. affirmat: ex eo, quod manuscripta omnium codicum (verba sunt ipsius Natalis) hanc epistolam habentium, summus consensus, ipsam legitimam probat. Quod autem hæc verba non ponat Diuus Gregorius in alijs consimilibus decretis, nihil probat. Nam est argumentum negatiuum, circa rem non necessariam, sed voluntariam, circa scilicet impositionem pœnæ, ad quam imponendam pro obseruantia alicuius legis, liber est legislator.

Contra euasionem verò, quam ponit ad verba Gregorij, quod scilicet intelligantur tamquam verba imprecantis, non imperantis, decernentis, seu iudicantis, sic insurgo. Imprecatio nequit fieri circa malum dependens, & causabile ab imprecante, nisi sumatur pro denunciatione, vt explicat Diuus Thomas aliquas imprecationes Prophetarum contra populum Israel ad Roman. 11. lect. 1. Sed mala, quæ determinat Gregorius contra suæ constitutionis transgressores, vel sunt in sua potestate, vel subsequuntur de natura sua ipsam inobedientiam delinquentis; ergo non possunt esse verba imprecantis, sed imperantis, decernentis, & iudicantis circa pœnas, quas infligendas disponit, vel denunciantis circa ea, quæ asserit de Dei iudicio, & districta vltione æterni examinis. Minor probatur: pœnæ, quas infligendas disposuit sunt, Carentia potestatis, honorisque, & dignitatis, quas habent, & excommunicatio; sed istas potest ipse infligere, sicut de facto minatur, & aliæ scilicet reatus diuini Iudicij, & districta vltio æterni examinis, subsequuntur peccatum inobedientiæ Apostolici decreti; ergo mala, quæ decernit sunt in eius potestate.

Dices. Hoc negare Natalem Alexandrum, esse scilicet in potestate Pontificis deponere Reges, & ideò ad saluanda verba Gregorij, benè recurrisse ad explicandum illa verba esse imprecantis.

Sed contra arguitur. Gregorius eodem modo est locutus in illo loco de Regibus; Sacerdotibus, Iudicibus, atque Secularibus, vt patet ex illis verbis: [Siquis verò Regum, Sacerdotum, Iudicum, atque secularium personarum.] Sed sine dubio habebat potestatem deponendi Sacerdotes à suo honore, dignitate, & potestate; ergo sentit Gregorius; eamdem potestatem habuisse supra Reges.

Secundò instatur, Nam vt ait Diuus Gregorius epist. 2. lib. 7. se noluisse, licèt de facto posset, Longobardorum Reges, ac Duces, acerbè vexantes Ecclesiam, perdere; ergo

ergo sentit, quod habebat potestatem supra Reges.

Respondebis cum prædicto Natali. Illa verba: [Siquis Regum, Sacerdotum, &c. respectiuè intelligi posse, vt Sacerdotibus quidem sub pœna exauthorationis prohibeat, ne quid contra Priuilegium Auctodunense moliantur; Regibus verò, iudicibus, alijsque secularibus personis, sub pœna excommunicationis, quæ sanè expositio (dicit ipse) apposita, & satis commoda est.]

Sed contra. Nam præterquamquod videtur voluntaria, est contra textum Gregorij. Nam tunc posset intelligi in sensu accommodo, & respectiuè, quando pœnæ explicatæ forent per disiunctiuam, & non per coniunctiuam; vnde sicut, quia per coniunctiuam sunt explicatæ, ambæ, & exauthorationis, & excommunicationis Sacerdotibus sunt impositæ, ita ambæ Regibus, & Iudicibus secularibus impositæ dici debent: Adde id, quod supra arguebamus. Si potest Papa Reges, & Iudices excommunicare, poterit & illos exauthorare, & suspendere.

§. II.

Proponitur solutio argumenti ab Historicis, & impugnatur.

TErtium momentum (verba sunt Natalis) quo nititur Gregor. VII. est exauthoratio Childerici III. Regis Francorum ex Merouingia stirpe postremi. Zacharias, inquit, Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quàm eo quod tantæ potestati non erat vtilis, à Regno deposuit, & Pipinum Caroli Magni Patrem, in eius locum substituit, omnesque Francigenas à iuramento fidelitatis absoluit. At depositionem Childerici à Zaccharia (ait Natalis), & absolutionem Francorum à iuramento, quo fidem suam ipsi adstrinxerant, fabulosam esse, luculentis argumentis demonstraui diss. 2. in Hist. Eccles. sect. 8.

Cęterum veram esse hanc historiam præter communem historiarum Ecclesiasticarum consensum, illam tamquam veram referentium, asseritur specialiter à Card. Baron. sequentibus verbis: [Zacharias Romanus Pontifex, Francorum Regnum, quod sub Regibus Merouingis ineptis, & nouissimè sub Childerico stupido, cùm periclitaretur Apostolica auctoritate in Pipinũ Caroli Martelli filium, post obtentas aduersùs diuersos hostes sæpè victorias transtulit, eũque Regem creat ipso Childerico anno sequenti detruso in Monasterium.] Immo (vt ipsemet Natalis adducit, in supra cit. ab ipso diss. 2.) duo auctores ætate Caroli Magni, & Ludouici Pij conspicui, Annalista scilicet Loiselianus, & Eginhardus hanc historiam etiam testantur, licèt inter se non conueniant; nam primus scilicet Loiselianus: [Zacharias, inquit, Papa per auctoritatem Apostolicam instituit Pipinum Regem fieri. Eginhardus verò in vita Caroli Magni: Childericum, asserit, iussu Stephani Romani Pontificis depositum, ac detonsum, at per vim in Monasterium trusum, Pipinum autem per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto Palatij Regem constitutum.] Et primi sententiam sequuntur, etiam ipso Natale teste, Annales Loiseliani, Fuldenses, Bertiniani, & Metenses, necnon Ado, Regino, Marianus Scotus, Lambertus Scafnaburgensis, Sigebertus, Continuator Almaini, Blondus, & Paulus Æmilius. His addo Iglescas in vitis Summorum Pontificum, Pinedam in Monarchia Ecclesiastica, Platinam; omnes istos in vita Zachariæ Papæ. Sed quod magis est addo communem Magistrum, & Angelicum nostrum Doctorem, in opusc. de Reg. Princ. lib. 3. cap. 10. illis verbis. [Primò enim inuenimus de Zacharia hanc potestatem exercuisse super Regem Francorum, quia ipsum à Regno deposuit, & omnes Barones à iuramento fidelitatis absoluit.]

Nec tibi doleat Natalis hæc historia, quod primatum suæ potestatis exercuerit Romanus Pontifex in Reges Gallos: nam vt idem Angelicus Doctor docet, subesse Gallorum dominium Sacerdotibus, quasi diuinitùs etiam à Gentilibus erat transfusum. Sic enim habet Opusc. supra cit. lib. 1. cap. 14. in fine. [Quia verò etiam futurum erat, vt in Gallia Christiani Sacerdotij plurimum vigeret Religio, diuinitùs est permissum, vt etiam apud Gallos, Gentiles Sacerdotes, quos Druidas nominabant, totius Galliæ res diffinerentur, vt refert Iul. Cęs. in lib. quem de bello Gallico scripsit.] Hæc noster Doctor.

Denique probo veritatem huius historiæ ex cap. alius item 15. quæst. 6. Gelasius Papa scribens ad Anastasium Imperatorem hac historia vtitur ad probandum posse Romanum Pontificem deponere Reges, transferre Regna, & commutare Dominia.

Sed nititur suum intentum probare Pater Natalis, quod priùs teste Bellar. Magdeburgenses Centuriatores centuria 8. cap. 10. in vita Zachariæ probare tentauerant: hoc argumento. Si Zacharias hoc iudicium in causa Childerici Regis fecisset, maximam iniustitiam, & contra suam æquitatem, & Sanctimoniam intentasset: at hoc non est dicendum de tam Sancto Pontifice; ergo historia illa vera non est. Sequela probatur Childericus iure hæreditario Rex erat, & à nouem annis in Solio collocatus, nihil peccauerat, quo posset è Regni possessione deturbari. Nam si aliqua fuisset accusatio, maximè esset inertiæ, & incapacitatis ad Regnum administrandum; sed hoc non est verisimile; ergo probatur minor. Tum quia Childericus quindecim dumtaxat erat annorum cùm accusatus est apud Zachariam, secundùm Annalistam Loiselianum, qui partium huius legationis meminit, vel secundum Fuldenses, colligitur Childericum fuisse octedecim tantùm annorum: Nam decimo anno ætatis suæ regnare cœpit post mortem Theodorici quarti Patris sui, anno scilicet 743. & fuit exauthoratus, iuxtà præfatum Authorem anno 752. Qua verò specie æquitatis accusari potest ignauiæ Princeps tam teneræ ætatis? quæ vix Regni gerendis negocijs per se sufficit, florent hodie multa Regna, multique Principatus, in quibus tum Reges, tum Principes liberam dominandi potestatem ante annum ætatis suæ decimum octauum non su-

scipiunt; an ideò socordes, & Solio indigni! Vetat igitur Zachariæ iustitia, & Sanctitas, vt Childericum III. deposuerit, quia nihil clarum in se præter Regis vocabulum præferebat. Tertiò probat illud esse commentum; quia nititur putidæ fabulæ de Meroueadarum Regum ignauia, & socordia, quam Auctores omnes, qui hanc historiam confingunt, commemorant, rationem fuisse Regni ad Pipinum sic transferendi: Quam esse fabulam ipse probat latissimè, discurrendo per singula gloriosa gesta Regum Merouingorum.

Nullius tamen roboris (venia tanti viri) sunt argumenta ista, quæ adducit ad negandam historiam tàm grauibus testimonijs confirmatam. Non enim valet primum ex illa coniectura desumptum: quod Rex depositus talis ętatis erat, vt eius regnandi imperitia ignauia iudicari non posset. Non inquam, valet. Nam aliud est dicere, quod Rex in tenera ætate non potest Regnum gubernare sine consilio aliorum, vel ab alijs dependendo, sicut videmus apud nostrum Hispanum Monarcham à suo gloriosissimo Patre Philippo IV. in sua Minoritate sub consilio suæ Sapientissimæ Matris, aliorumque Dynastarum prudentum, & inuictum Ludouicum XIV. sub sapientissimæ Matris Austriacæ directione, & Cardinalis Mazzarini Consilio, suam minoritatem transegisse. Aliud verò dicere, quod isti, etiam si iuuenes, prudentissimi Reges, non demonstrauerint, etiam in minoritate prudentiam, solertiam, & virtutem, quasi in matutina luce meridiem. At Childericus tuus, bone Pater, etsi iuuenis (non tamen tam paruæ etatis, vt iam annum circiter duodeuigesimum non attigisset, vt tumet affirmas his verbis [Ex his conficitur Childericum vix annum decimũ egisse cùm Regium nomen consequutus est, & annum circiter duodeuigesimum ętatis attigisse cum est exauthoratus] non tam Regnum non gubernauerat, quàm ignauiam, & stuporem in moribus demonstrauerat itaut supra nomen, stupidi, acquisiuerit. Quis autem negare poterit in in iuuene viginti annorum circiter, non posse morum ignauiam, & stuporem agnosci! Hæc in causa fuit, vt deponeretur à Regno non malum exercitium regnandi, quod numquam assumpsit. Et hæc quàm iusta causa sit depositionis quis dubitabit? dicente Spiritu Sancto. [Væ Regno, cuius Rex puer est: Ignauia scilicet, & stupiditate; & eò magis, quò temporibus illis, vt ait Pineda in Monarc. Eccles. lib. 18. cap. 6. §. 3. Mauritani ex Hispania transeuntes Pireneos in Galliam grassati erant, & à Pipino extrà Galliam eiecti fuerant; vndè videntes Primates Regni necessitatem Regis, periculumque eius, si à Childerico iuuene stupido, & insensato gubernaretur, Burchardum Episcopum Visiburgensem Legatum Regni ad Zachariam Pontificem miserunt, qui Regni periculum ipsi ostenderet, necessitatemque habendi Regem fortem, magnanimum, & prudentem, qui suo valore Regnum tutaretur, quas virtutes non in Childerico stupido, & insensato, sed in Pipino fortissimo, & inuictissimo Duce reperiebantur; prudentissimè ergo, & iustissimè S. Pontifex Zacharias in tanto discrimine Galliarum, quæ tunc erant propugnaculum Christianitatis, & Ecclesiæ Romanæ, Gallos à iuramento absoluit, Childericum Regno priuauit, Primatibusque Regni, libertatem fecit, eligendi Pipinum in nouum Regem. Et confirmat veritatem huius historiæ Pineda loc. cit. ex insensibilitate Childerici sine vlla resistentia deponentis Imperium.

Ad secundam probationem siue fabula sit, siuè historia Meroueadarum Regum ignauia, & socordia, parùm interest ad probandum Childerici historiam non esse veram; non enim necesse est, quod socordia filij à Patris socordia procedat, nec quod valor, aut prudentia Patri in filio cum semine transfundatur: nobis satis est, plures, & quasi omnes historicos ab illo tempore ad nostrum, depositionem Childerici à Zacharia ob ignauiam, & socordiam vnanimi consensu tradi, quidquid modò sit de suorum Progenitorum ignauia, siuè valore, & prudentia.

Secundò opponit Natalis; Zachariam verisimile non esse, à suorum decessorum doctrina, & Sedis Apostolicæ traditionibus, defecisse; At ab ea defecisset, si Childericum tertium exauthorasset, Regnumque ad Pipinum transtulisset; quia pugnasset cum doctrina Gregorij II. à maioribus accepta epistola 1. & 2. ad Leonem Isauricum vbi docet quod quemadmodum Pontifex non habet potestatem dignitates Regias deferendi; sic nec Imperator electiones in Clero peragendi. ergo, &c.

Sed hoc argumentum, quod à priori videtur, petit Principium: negat enim id, quod per historiam probare intendimus, vt possit negare historiam, Nec authoritas Gregorij obest: loquitur enim non de potestate indirecta, sed directa, vt supra (nè idem replicemus) explicanimus.

Tertiò arguit Stephanus III. Pipinum à periurio in Childericum admisso, absoluit; ergo argumento est, Childericum III. à Zacharia exauthoratum non fuisse, nec Regnum Francorum Apostolica authoritate ad Pipinum translatum. Antecedens probatur, tum authoritate Theophanis ad annos 8. Leonis Augusti, tum testimonio Anastasij in Hist. Eccles. ad anno 2. Constantini Augusti; soluente scilicet (eius sunt verba) Pipinum à periurio in Regem commisso, eodem Stephano; quibus concordat Otho Frisingensis ad ann. Christi. 753. ergo.

Non dubito apparens esse hoc argumentum; cæterum re benè inspecta, luce clarius illud nullius roboris esse apparet. Et in primis possemus dicere istos Authores ex illa sententia fuisse, quæ affirmat Pipinum non à Zacharia, sed à Stephano fuisse inauguratum Regem, ac proinde à Iuramento absolutum: verùm nè in hac apparenti contradictione, fundare possit suam sententiam Natalis; possumus etiam, & ista placita facili negocio conciliare, dicendo. Francos misisse Archiepiscopum legatum ad Zachariam Pontificem, qui cognita inertia, & stupiditate Childerici ipsum Regno priuauit, subditos à Sacramento fidelitatis absoluit, & Pipinum in Regem vel creauit, vel potestatè dedit Principibus Regni ipsum creandi, & postea

stea statim defuncto Zacharia, Stephanus in Apostolica Sede eleuatus, atque à Longobardis vexatus, in Franciam aduersùs eos auxilium postulaturus veniens, Pipinum iam antea authoritate Zachariæ in Regem euectum, oleo vnxit, & Regem more Gallico consecrauit, & in ista functione potuit iterum à iuramento absoluere. Mos est enim Romani Pontificis vsque ad nostra tempora perseuerans, illum, cui aliquam gratiam impartiri vult, à censuris, & alijs impedimentis absoluere, nè ipsum impediant à talis gratiæ receptione, quapropter Anastasius Bibliothecarius narrat Stephanum scripsisse epistolam, antequam in Franciam veniret, sub hoc titulo: Domino Excellentissimo Filio Pipino Regi, Stephanus Papa, &c. Et licèt plures Annales rerum Gallicarum, affirment vnctum fuisse Pipinum in Regem à Bonifacio Archiepiscopo, & Martyre; attamen ipse Natalis nostræ sententiæ subscribit, dum scripsit: [At nec vnctus est Pipinus, cùm Rex appellari cœpit, nec à Bonifacio Archiepiscopo vnctus est, à quo si vnctus esset in vi illius vnctionis meminissent Willibaldus, & Othonus in vita Sancti Bonifacij: sed vnctus est à Stephano III. cùm iam annum secundum Regni numeraret, vt Anastasius in vita Steph. III. Hilduinus in Areopagiticis, Cronicon San. Benignianum, & Besuense ad annum Christi 752. memorant. Ille.

At aliud argumentum habeo pro firmitate meæ solutionis. Cùm enim Pipinus, vt omnes narrant historiæ, religiosissimus foret Princeps, & ità Deo carus, vt multa per eum Dominus miracula faceret; quomodò poterat in Regem suum perduellis, sibi Regnum vsurpare sinè legitima authoritate ipsum à iuramento absoluente, Regem legitimum, sed ineptum, à Regia dignitate deponente, & Pipino eam tradente?

Et ex his euanescit sextum argumentum P. Natalis, quod scilicet Pipinus, vt habet in Annalibus Loisellianis, & Illianis, secundùm morem Francorum electus in Regem, & eleuatus à Francis in Regno Suessionis Ciuitate. At quia, ait Natalis, mos Francorum non erat vt Reges à Summo Pontifice postularent, & acciperent, sed vt in Regni Comitijs Clypeo impositos, eleuarent, acclamarentque, teste Gregorio Turonensi lib. 2. hist. cap. 40. ergo &c.

Euanescit inquam hoc argumentum. Nam esto Gallici Reges à Principibus electi, non à Pontifice Regnum acciperent; in casu tamen nostro, in quo; & iuramenti fractio, & legitimi Regis depositio intercedere debuerat, necessaria erat Romani Pontificis authoritas, qui ipsos à Sacramento fidelitatis absolueret, ac de causa depositionis Childerici, ac electionis noui Regis Pipini iudicaret.

Prosequitur deindè vsque ad stomachum Pater Natalis præter suum elegantissimum morem referendo quasi per singulas obiectiones, quamplura testimonia à Cardinali Bellarmino relata, quæ ipse, quasi semper idem repetendo, falsitatis, & implicationis vult conuincere: Nos vt tædium nostris lectoribus excusemus, nomina tantùm Authorum hanc historiam referentium dabimus, vim solutionum Natalis referemus, & impugnabimus.

Hanc historiam referunt in primis Eginardus in vita Caroli Magni; fuit autem Auctor iste, vt idem Natalis fatetur, ætate Caroli Magni, & Ludouici Pij conspicuus, cui concordat Annalista Loisellianus eadem ætate Auctor; & licèt non conueniant, vel potiùs non conuenire videantur, cùm Eginardus asserat Childericum iussu Stephani Romani Pontificis III. scilicet depositum, & Pipinum Regem constitutum, Loisellianus verò Zachariæ Papæ hoc tribuat, & sequuntur primum Theophanes, Anastasius, Continuator Historiæ Romanæ sub nomine Pauli Diaconi, Hermannus contractus; secundum verò sequuntur Annales Loiselliani, Fuldenses, Bertiniani, & Metenses. His addo Adonem, Reginonem, Matianum Scotum, Lambertum Scafnaburgensem, Sigebertum, Continuatorem Aimoini, Blondum, & Paulum Æmilium. Ex quibus tertiam sententiam adducit Natalis concordans vtramque, quam sequuntur Otho Frisingensis, Abbas Vspergensis, & Eginardus in vita Sancti Burcardi, affirmantes Pipinum authoritate Zachariç factum Regem Childericum verò iussu Stephani depositum, & in Monasterio detonsum; quam tamen conciliationem improbat Natalis, & bene: Tùm quia omnes illi Historici eodem decreto vtrũque confectum existimarunt; tum etiam, quia in eodem Francorum Conuentu, depositus est Childericus, eiusque loco Pipinus est subrogatus.

Secundum nos suprà has duas apparenter contrarias sententias conciliauimus, dicendo: Pipinum factum Regem à Zacharia, depositumque Childericum; vnctum verò à Stephano III. & consecratum in Regem anno 2. sui Regni, & forsan tunc Childericum, in Monasterio detrusum, eiusdem Pontificis iussu.

Possem ego plures alios Authores referre, cæterùm quia nostro tempori viciniores, apud Natalem fidem non habent, libenter omitto.

Non parum torquetur eruditissimi huius Magistri ingenium, tanto pondere auctoritatum suppressum. Respondet omnes alios ab vno Eginardo fabulam hanc (vt ipse vocat) desumpsisse, ipsumque eam fabricasse in gratiam Regum Carlouingorum, & vt ipsis adularetur. Non possum hìc non dicere: [Medice cura te ipsum.] Venia tamen tanti Doctoris, nititur hoc probare (meo videri) debilibus fundamentis, & futilibus coniecturis. Probat primò, quia Eginardus fatetur nihil dicere de Caroli Magni natiuitate, infantia, & pueritia, quia nihil inuenit, quia nec scriptis vnquam aliquid declaratum est, nec quisquam suo tempore superesse inueniebatur, qui horum se diceret habere notitiam. Multò minus ergo (infert Natalis) sciuit Eginardus res antè Caroli Magni natiuitatem gestas; ac proindè quod de Pipino scripsit, proprium est eius commentum. Secundò ex contradictione suprà posita, cum alijs Auctoribus, & specialiter, quia Stephanus à quo ipse dicit factum Regem Pipinum, non nisi mense Aprilis est ad Pontificatum assumptus, Pipinus verò eodem anno Kalendis Martij fuerat Rex

à Francis eleuatus; ac proindè auctoritate Stephani non potuit in Regem eleuari. Tertiò, nam ipse hanc historiam fundat suprà fabulam de Regum Merouingorum ineptia, & Socordia, quam ipse Natalis iam confutauerat: & hìc solum nititur conuincere eum falsitatis, quia dicit, quod Regibus illis nil aliud relinquebatur, quàm Regium nomen, & crine profuso, ac barba submissa solio residere, & speciem dominantis effingere; cuius falsitatem euincere conatur Natalis ex eo, quod promissa barba, nec Clodoueo III. nec Dagoberto III. nec Theodorico IV. potest conuenire; quia primus ætatis decimonono, secundus annorum viginti, tertius vigesimotertio ætatis anno obierunt, Childericus verò anno ætatis duodenigesimo exauthoratus est. Hinc recitat beneficia, munera, Donationes ab ipsis Regibus factas, vt probaret non esse Sacerdotes: & quia eas in diuersis locis datas asserunt, non esse verum, ipsos in vna parua Villula domum habuisse.

Miror tamen talem ac tantum Virum, vel conuictum esse, vel talem se demonstrasse his argumentis, ad negandam fidem historiæ, & historiatoris ita recepti.

Ad primum ergo argumentum dico: Eginardus ità cautus, & fidelis scriptor fuit, vt de Caroli Magni natiuitate, infantia, pueritia nihil scripserit, quia cùm manum calamo admouit, nemo tunc in viuis supererat, qui notitiam illorum temporum haberet, neque scriptis aliquid declaratum inuenit; ergo quod scripsit, & testatur de depositione Childerici, & electione Pipini in Regem, non commentum adulationis fuit, sed historia veridica, & certa, vel à testibus, vel ab authenticis scripturis decerpta.

Nec video connexionem, & illationem huius consequentiæ: Eginhardus non habuit notitiam Natiuitatis, Infantiæ, & Pueritiæ Caroli Magni; ergo nec potuit habere notitiam historiæ translationis Regni à Childerico ad Pipinum: vna enim notitia nec ab alia oritur, nec ab alia dependet; & benè poterant scriptores tacere aliquas infantiles operationes, & circumstantias, quæ non sunt magni momenti, nec ad posteros transferendæ, & tamen scribere, & latè explicare historiam tanti momenti, quanti erat translatio Francorum Regni ab vna progenie, & linea ad aliam, ad quam notitiam habendam, quando alij, vel scriptores, vel testes tacerent, liber comitiorum Regni sinè dubio sufficeret.

Ad secundam, nè idem repetam, iam dixi quomodo, meo videri, conciliari possunt illa diuersa placita, ex quo non obstat contrà nos argumentum illud Cronologicum, quod scilicèt Stephanus III. non antè mensem Aprilem anni 752. est ad Pontificatum assumptus, Pipinus verò præcedentibus Kalendis Martij Rex fuerat eleuatus in Francorum Conuentu, quia (vt diximus) vtique Pipinus fuit à Zacharia in Regem electus, & à Stephano posteà solemniter coronatus, & vnctus, & Eginhardus, qui non annales contexuit, sed vitam Caroli Magni, rem non ità circumstantiatam, scribere debuerat, sed in cōpendio historiam narrans, Stephano tribuit institutionem Pipini in Regem, quia ipse eius inaugurationem perfecit, Regem coronando, & vngendo, cæremonia propria Regum Galliæ, ex historia miraculosæ ampullæ vnctionis è Cœlo delatæ, ad primum Regem Christianum Galliæ vngendum.

Nec tertium argumentum aliquid facit: siquidem sinè Socordia ista hæreditaria fuerit (vt probat Eginhardus, nec improbat sufficienter Natalis) sinè non; parum refert ad nostrum intentum, & nobis sufficit Childericum III. stupidum fuisse, vt testantur omnes Scriptores pro nostra historia tuenda. Quod autem ipse non sufficienter improbet hanc hæreditariam stupiditatem, quamuis munitus obseruationibus Patris Cointe, patet: Tùm quia omnes illæ donationes, & munera, quas ipse Eginhardus commemorat, non erant principaliter à Regibus factæ, sed veluti ab eis publicatæ semel in anno; omnia tamen, quæ vel domi, vel foris agenda, ac disponenda erant, Præfectus Aulæ procurabat, sicut Legatos vndecumque venientes audiebat, eisque abeuntibus responsa, quæ erat edoctus, vel etiam iussus, Rex, ex sua velut potestate, reddebat. Quod autem Reges à Natale enumerati, Barbam submissam habere non poterant, morte, ante Barbam, præuenti, non facit, quod alij non haberent, nec in sola Barba fundat historiam Eginhardus; sed hoc dicit ad describendam effeminatam Merouingorum Regum naturam. Certè subtilis valdè hæc oppositio est, si à Barbæ pilis dependet.

Mitto alias oppositiones, seù potiùs scrupulos, quos Pater iste in alijs Scriptoribus huius historiæ inuenit, qui cùm accidentia tantùm illius tangant, substantiam eius non attingunt. Ex hac tantum disce alias. Theophanes, Anastasius, & Cedrenus affirmant Conuentum Francorum celebrari solitum kalendis Maij, cum tamen antè Pipinum agerentur kalendis Martij, vndè locus in quo fiebat, Campus Martis appellabatur, decepti ex eo, quod à Pipino inceptus est haberi kalendis Maij, vndè deinceps dictus est Campus Maij.

Sed quid hoc contrà nostram historiam. Nisi multiplicare oppositiones, sinè oppositione.

Denique post alias concludit. Robertum Gaguinum lib. 3. hist. Francorum, Carolum Sigonium lib. 2. hist. de Regno Italiæ, & Historicos omnes recentiores prætereo, qui in fide Eginhardi, & veterum Annalistarum, & Cronologorum indiscussam fabulam literis mandarunt. Numerus enim Scriptorum nullius est ponderis ad auctoritatem faciendam, cùm certissimis documentis falsi conuincuntur, & fons indigitatur, ex quo figmenta hauserunt. Et post aliquot exempla, quæ ipse adducit, & voluntariè iam explosa supponit; concludit cum testimonio Tertulliani lib. de velandis Virginibus cap. 2. Veritatis ea conditio est, vt ipsi nemo præscribere possit, non spatia temporum, non patrocinia personarum, non priuilegia regionum.

Sinè dubio si duo probarentur, quæ Natalis falsò supponit, falsaretur veritas huius historiæ. Primum est, quod Eginhardus non historiam veridicam, sed fabellam, adulationis causa erga Carolomanos contexuerit. Secundum, quod omnes alij, qui mentionem fa-

faciunt talis historiæ, ab vno Eginhardo illam desumpserint. Vtrumque tamen ipse supponit, non probat, licèt enim primùm ipse probare conetur tribus rationibus; quas iam supra vidimus, quàm futiles, & ruinosæ sint: contrarium sic ego probo. Eginhardus, per te, Natalis, suo Regi, cuius vitam contexebat, placere voluit, & ipsi adulari; ergo non fuit fabula; quam contexuit, sed historia. Probo hanc consequentiam: Dic mihi: Tu his dissertationibus vis placere Regi tuo, vel non? Certè infelicem hunc laborem assumpsisti, ad probandum non posse Pontificem supra tuum Regem aliquod iudicare, nec esse supra Regem quoad temporalia, nec posse etiam indirectè iudicare de illis, & in aliquo casu tangente salutem spiritualem, Regem exauthorare, & subditos à iuramento absoluere. Totum hoc niteris probare sinè dubio, nonnisi ad complacendum tuo Regi. Quomodo ergo Eginhardus oppositum asserens ex illa historia, fabellam contexuit, vt Regi placeret? An fortè non est eadem Regia potestas, quam habebant Reges Francorum tunc, ac habent nunc? Ergo si decretum illud Zachariæ per te, lædit Maiestatem tui Regis, vndè affirmas hac doctrina nil Principum iniuriosius Maiestati dici posse. Quomodò ad adulandum Regi Carolo fabellam illam contexuit Eginhardus? Certè vnum saltem negare mihi non poteris: quod scilicèt tempore Eginhardi illa doctrina de potestate Papæ suprà Reges, erat ità recepta, & certa, atque iusta, quod non poterat credi iniuriosa contrà Reges, & si tù modò iniuriosam existimas est; quia cum tuo Gallicano Conuentu, velles probare non esse iustam. Et hìc ad propositum venit auctoritas Tertulliani, quam adduxisti: Eam esse veritatis conditionem, vt ipsi nemo præscribere possit, non spatia temporum, non patrocinia personarum, non Priuilegia Regionum.

] Secundùm: quod scilicèt omnes ab Eginhardo talem historiam sumpserint, tu asseris sed non probas Natalis. Numquid Amanuensis fuisti omnium istorum historiatorum, vt posses scire illam ab Eginhardo potiùs, quàm à monumentis Regni, & à publicis scripturis desumpsisse, & maximè antiquos Annales Francorum, quales fuerunt Lauresamenses, Pithoeani, siuè Fuldenses, Loiselliani, Filiani, Bertiniani, & Metenses; quorum tu Auctoritates adducis? An oblitus es, Natalis, tuæ doctrinæ; qua vindicas, & satis eruditè, ac doctè, Officium Sacramenti, nostro Angelico Præceptori? Vbi post adductas auctoritates multorum historiatorum, asserentium hoc Diuinum Officium à nostro Angelico compositum, & præscriptum, quàm bellè cum Tertulliano concludis: [Quod enim apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum.]

At hìc præterire non possum, quod in fine tuæ dissertationis affirmas contrà Centuriatores, & Bellarminum; contrà primos enim habes, Zachariæ igitur imprudenter imponunt Centuriatores Magdeburgenses, in odium Romanæ Sedis ità scribentes: [Diuinam quandam potestatem sibi arrogans Zacharias, ponendi, & deponendi Reges, proteruè assumpsit, & à fidelitatis iuramento subditos eorum primus absoluit, &c.] Contrà secundum verò sic prosequeris. Sed nec Bellarminus Cardinalis æquum se præstitit erga Zachariam, cum eum iustè, & legitimè deposuisse Childericum Regem asseruit; quod si præstitisset, iustitiæ, & Sanctitatis, laudem non retulisset.

Parce mihi, Frater, passio in hoc te decepit, & itant subscriberes centuriatoribus in eo, quo tumet iniuriosos contrà Romanam Sedem existimas. Solùm in eo ab illis te discriminans, quod ipsi, videntes vanum esse negare historiam ab omnibus quasi per manus receptam traditione, & consensu admissam, illam supponentes, iniuriosi in Sanctam Sedem, in hoc; iniustam, & Tyrannicam potestatem vsurpantem, impiè censent. Tu plus quidem in Sanctam Sedem (vt censeo; non potest enim Dominicanus non esse obsequentissimus huic Sanctæ Sedi) sed plusquam debes Regiam dignitatem amans, & existimans iudicando immediatè illam Deo subiectam omnimodè, ac proindè quoad temporalia, nec etiam indirectè aliam potestatem creatam supra se agnoscere; ne Pontificem Summum iniustum, & Tyrannum fatearis, historiam ab omnibus receptam, & proclamatam, negas.

At ita ne tibi videtur vera, & certa tua sententia, de independentia Regiæ potestatis à potestate primæ Sedis, vt per sit euidens consequentia: iniustum, & tyrannicum fuisse iudicium primæ Sedis, si contra Regem, aut Imperatorem sententiam ferat depositionis eius à Regno, & absolutionis subditorum à iuramento? Sic enim videris arguere contra Bellarminum, qui Zachariam iustè, & legitimè deposuisse Childericum Regem asseruit. Affirmans, quod si præstitisset, iustitiæ, & Sanctitatis laudem non retulisset. Ergo alij Pontifices, & quidem Sanctitate conspicui, qui hoc fecerunt, iustitiæ, & Sanctitatis laudem non attigerunt?

Ergo Leo III. qui Carolum tuum Magnum Imperatorem Occidentis creauit, & Imperium in Orientale, & Occidentale diuisit; iniustus fuit, & tyrannica hæc diuisio? Ac proindè Carolus tuus magnus, sanctus & sanctitatis cultum à tuis habens Tyrannus fuit, & inuasor Imperij?

Ergo Pipinus tuus, filius huius Caroli, ab eodem Leone III. vt supra cum Stapletone & Igliescas, dixi, vel ab Adriano I. vt cum Baronio alij volunt, Rex Italiæ creatus, & coronatus, deposito Astulpho Longobardo Regnante, inuasor fuit, & Tyrannus?

Ergo iniustus fuit S. Gregorius III. (vel vt alij volunt II.) qui Leonem Isaurum hæresiarcham, Imperio priuauit, subditos à iuramento fidelitatis absoluit, & Italiæ populos ab eius obedientia discedere fecit; fuit Tyrannus, fuit iniustus?

Ergo Alexander III. vt volunt aliqui cum Stapletone, vel veriùs Clemens VI. vt communiter concordant historici qui Ludouicum ab alijs III. ab alijs IV. Bauarum dictum, excommunicauit, hæreticum, schismaticumque damnauit, Imperiali honore priuanit; subditos à fidelitatis iuramento absoluit, ac Imperij Electoribus de alio Imperatore

re designando præcepit: Tyrannus, iniustus dicetur?

Ergo Otto IV. Imperator Occidentis, non quidem à Ioanne XXII. vt sequens præfarum Stapletonem supra scripsi, sed ab Innocentio III. vt communiter Ecclesiastici historiatores tradunt, ab Imperio fuit tyrannicè, & iniustè depositus, & subditi iniustè, ac inualidè à iuramento soluti, contra ipsum rebellarunt?

Ergo Federicus II. tamquam Ecclesiæ impius hostis, priùs à Gregorio IX. excommunicatus: & ab Imperio depositus, inde in Concilio Lugdunensi ab Innocentio IV. declaratus, omni Imperiali dignitate priuatus, iniustè hæc, & tyrannicè passus est?

Ergo Stephanus VI. qui Carolum Crassum ab Imperio deposuit, ex vi constitutionis Adriani III. sui prædecessoris (testibus Emmanuele Thesauro in suo Regno Italiæ, & Abbate Valeriano Castiglione in annotationibus ad eamdem historiam) fuit iniustus, & tyrannus? Eo magis; quod nonnisi ob fatuitatem, & stoliditatem Caroli, ipsum priuauit.

Ergo iniustè approbauit Bonifacius VIII. electionem Alberti in Regem Romanorum, ac Imperatorem, & depositionem Adolphi, quem ipse Albertus in bellum occiderat, & Bonifacius IX. depositionem Wenceslai, & electionem Roberti Bauariæ Ducis in Imperatorem.

Ergo Innocentius IV. iniustè Sancij III. Regem Portugalliæ, vel à Regno, vel, vt alij volunt, ab administratione Regni deposuit?

Ergo denique (relictis alijs) iniustus fuit, & Sanctitaris nota indignus, noster Sanctissimus Pontifex Beatus Pius V. qui Reginam Angliæ Elisabetham, vt hæreticam, & schismaticam, Regno Angliæ priuauit, & subditos à fidelitatis iuramento absoluit?

Potiùs ego cum Sanctissimo Pontifice Gregorio VII. dicam: [Nefando ore garriunt, qui dicunt: auctoritatem Sanctæ, & Apostolicæ Sedis non potuisse Regem Henricum excommunicare, nec quemquam à Sacramento fidelitatis eius absoluere.

At dices, Alexander, sententiam Gregorij contra Henricum non solùm fuisse à maiori parte Christianitatis reprobatam, tamquam iniustam, sed etiam tamquam à non habente potestatem, editam, vt nullam habitam; vnde & post declarationem, Henricum, vt verum Imperatorem agnouerunt. Citat pro hoc plures illius temporis Historiatores, qui vel Henricum post exauctorationem Imperatorem vocant, vel narrant ipsum vsum sua dignitate, & iure Imperij, vt fuit in Bulla aurea, qua Desiderium Cassinensem Abbatem confirmat, & ab ipso fidelitatis obsequium recipit: Ottoni Bambergensi inuestituram Episcopatus tribuit; & alia huiusmodi.

Confirmat hoc auctoritate S. Anselmi, qui scribens ad Walerandum Neumbergensem Episcopum his vtitur verbis [Scienter breuiter loquor, si certus essem prudentiam vestram non fauere successori Iulij Cæsaris, & Neronis, & Iuliani Apostatæ, Henrico contra successorem, & Vicarium Petri Apostoli, Paschalem Secundum, libentissime, &c.] Ergo infers, sanctus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, tam agnoscebat Henricum successorem Iulij Cæsaris, & Neronis, ac Iuliani Apostatæ in Imperio, quàm Paschalem II. successorem Petri in pontificatu.

Sed contra: nam etsi aliqui Historiatores secuti partes schismatici, & depositi Imperatoris, hoc docuerint: plures alij sanctæ Sedis, & iustitiæ secuti æquitatem, contrarium senserunt, vt tu ipse refers. At quomodo (charissime Frater) pro nulla est habita Gregorij sententia exauctorationis Henrici; si vera sunt, quæ tumet refers ex Anonymo Apologiæ pro Henrico, seu de eius vitæ historiæ Auctore? Henricus ipse tanti fecit sententiam Gregorij, vt anno 1077. Gregorio colla submiserit, vt ad eius sententiam, vel retineret Regnum, si obiecta purgasset; vel æquo animo amitteret, si probatis criminibus, Regio deinceps honore indignus iudicaretur. Interim verò, nulla Regiæ dignitatis insignia sibi adhiberet; nihil circa rerum publicarum administrationem, iuxtà consuetudinem, suo iure ageret. Licèt postea, vt subdis, à Lamberto Schafnaburgense dissuasus, hæc non impleuerit.

Nec obstant tua argumenta. Non primum, quia quid mirum, quod multi Imperatorem ipsum vocent, si in illo periculoso schismate, plures ipsum sequebantur, & suum Antipapam. Nec secundum, quia tyrannicè, & iniustè vsurpabat ea, quæ tunc faciebat. Quapropter Otho Bambergensis Episcopus, conscientia ductus (vt legere est apud Canisium to. 2. à te citato, in actis Paschalis Pontificis) inuestituram ab Henrico acceptam abiurans, in manibus Paschalis II. datis ad ipsum literis, anno quarto Episcopatum ab ipso recipere petijt; quia ei videbatur tuta conscientia non posse retinere Episcopatum, datum ab Imperatore deposito, & schismatico.

Nec denique tertium: nàm nescio quomodo pro te adducis, quod contra te militat? Clara enim sunt verba sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, qui sicut Paschalem agnoscebat successorem Petri in pontificatu; ità Henricum in tyrannide detenti imperij, contra præceptum Ecclesiæ, successorem agnoscebat trium potiùs tyrannorum, quàm Imperatorum. Iulij Cæsaris quidem, qui imperium tyrannicè inuasit: Neronis verò, qui tyrannicè vsus est dignitate; & Iuliani, qui sua apostasia imperium amittens, tyrannicè ipsum retinuit.

§. III.

Quid in hac parte senserit Diuus Thomas, explicatur.

Esse de mente Angelici Doctoris suprapositam potestatem in Summo Pontifice, degradandi Reges, & absoluendi subditos à iuramento, est meo videri, irà certum; vt nescio quomodo notam Infidelis discipuli euadere possis, Amice Natalis? Hoc Tumet re-

refers; probat Cardinalis Perronius in oratione ad tertium Regni Ordinem à te citata ex 2. 2. qu.10. art.10. vbi disserens de dominio Infidelium supra Fideles, sic habet: [Potest tamen iustè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, tale ius dominij, vel prælationis tolli; quia Infideles, meritò suæ infidelitatis, merentur potestatem amittere supra Fideles, qui transferuntur in filios Dei. Sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque autem non facit.] Ex quo infert prædictus Cardinalis: ad Ecclesiam pertinere, & consequenter ad Summum Pontificem eius Caput, tollere, ius dominij ab Infidelibus supra Fideles; ergo à fortiori, quando iusta causa vel tyrannidis, vel Religionis adest, tollere ius dominij Fidelis super Fidelem.

Dices primò: intelligendum esse sanctum Thomam de Principibus infidelibus, & apostatis, quorum ditiones fiduciariæ sunt Ecclesiæ, vel Principibus Catholicis: istos enim vel potest dominio priuare ipsa Ecclesia, vel ipsos Catholicos Principes, qui fiduciarij sunt, spiritualibus pœnis cogere ad eos exauctorandos, si potestate sua contra Religionem, vel Christianorum persecutionem, abutantur. Non autem loquitur de supremis Monarchis, contra quos sanctus Thomas nullum ius tribuit Ecclesiæ, ipsos exauctorandi, & Regno priuandi. Quod probas, quia ius Diuinum, Ecclesiastica lege destrui non potest. Sanctus Thomas verò censet iuris Diuini esse supremis Principibus subesse, ac parere subditos in omnibus, quæ Diuinæ legi non aduersantur. Sic enim habet super epistolas Pauli 1. ad Corinth. 6. lect. 1. sed videtur esse contra id, quod dicitur 1. Petri 1. [Subditi estote omni humanæ creaturæ, &c. Pertinet enim ad auctoritatem Principis iudicare de subditis: est ergo contra ius Diuinum prohibere, quod eius iudicio non stetur si sit Infidelis. Sed dicendum, quod Apostolus non prohibet, quin Fideles sub Principibus Infidelibus constituti, eorum iudicio compareant, si vocentur.] Hoc enim esset contra subiectionem, quæ debetur Principibus:] ergo sentit esse à iure Diuino, &c.

Sed hæc solutio, tua venia, mihi videtur nullo modo posse aptari verbis Diui Thomæ. Nàm sanctus Doctor loquitur absolutè, eiusque ratio nullo modo ex subiectione feudatarij, seu fiduciarij procedit; sed ex eo, quod Ecclesia, eiusque Vicarius, cùm sit Iudex supremus supra omnes Reges, & Monarchas, potest iudicare, & iustè per sententiam auferre ius dominij, & prælationis ab aliquo Rege, vel Monarcha, meritò suæ infidelitatis; ergo de quocumque Rege, & Monarcha loquitur, non de fiduciarijs, & feudatarijs. Antecedens patet ex illis verbis Diui Thomæ; potest tamen iustè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis; sed Ecclesia Dei auctoritatem habet, non solùm supra feudatarios, & fiduciarios, sed etiàm supra omnes Reges, & Monarchas supremos: omnes enim sunt oues Christi, & inter oues continentur, de quibus dixit Petro, & eius successoribus: [Pasce oues meas;] ergo de omnibus debet intelligi.

Confirmatur: potestas Pontificis supra censuarios, & feudatarios non est sibi data à Deo, sed ab hominibus; pietas ergo aliquorum Imperatorum, aut Principum, aliquas ditiones vel absolutè dederunt patrimonio Diui Petri, vel illas ei censuarias, & subiugales fecerunt; sed potestas, qua secundùm Diuum Thomam, potest tollere dominium, & prælationem, non est potestas habita ab hominibus, sed à Deo, vt vidimus ex eius verbis; ergo non de illa, quam habet supra omnes censuarios, &c. sed de ea, quam habet supra omnes Fideles, loquitur sanctus Thomas.

Ex quo ruit tuum fundamentum ex eodem sancto Doctore desumptum: quod scilicet ius dominandi in supremis Principibus sit ius Diuinum, quod non potest iure positiuo, aut Ecclesiastico auferri; nàm esto ius Diuinum (de quo satis dubito) non hoc tollitur ius positiuo, & Ecclesiastico, sed Diuino, etiam ponente in Petro, eiusque successoribus apicem vtriusque potestatis, vt infrà ex sancto Thoma videbimus; sicut ergo de iure Diuino est, vt subditi obediant in omnibus, quæ Diuinæ legi non aduersantur, suis Principibus; ità de iure Diuino est, vt supremum Capue Ecclesiæ iudicet de omnibus Principibus, & Regibus etiam supremis, si Diuinæ legi aduersantur, priuando eos Regno, & subditos à iuramento absoluendo.

Dices: Diuum Thomam in illo articulo citato, non loqui de Principibus, sed de alijs Dominis, quorum seruos docet eximi posse à seruitute, vt primùm baptizati sunt, si ita statueret Ecclesia, sicut statuit de seruis Iudæorum, ait enim ex contextu illius articuli: [In illis infidelibus, qui etiam temporali subiectioni subijciuntur Ecclesiæ, & membris eius, hoc ius Ecclesiæ statuit; vt seruus Iudæorum cùm fuerit factus Christianus, statim à seruitute liberetur, nullo pretio dato si fuerit vernaculus, hoc est in seruitute natus. Et similiter si infidelis existens, emptus fuerit ad seruitium, &c. Nec in hoc iniuriam facit Ecclesia; quia cùm ipsi Iudæi sint serui Ecclesiæ, potest disponere de rebus eorum, &c. In illis verò infidelibus, qui temporaliter Ecclesiæ, vel eius membris non subiacent, prædictum ius Ecclesia non statuit, licèt possit statuere de iure.] Ergo non est locutus Diuus Thomas de potestate exauctorandi Reges, & absoluendi subditos à iuramento fidelitatis.

Secundò, cum ait Diuus Thomas: prædictum ius Ecclesia non statuit, licèt possit statuere de iure; non affirmat disertè Ecclesiam id posse, cum id facere non possit, quod grauissimi scandali præbet occasionem: neque esse in causa, vt nomen Domini, & doctrina blasphemetur, quod ex huiusmodi statuto consequens fore Doctor Angelicus affirmat; sed ex hypothesi, & figura quadam, concessionis argumentum format, videlicet: Dato, & non concesso, quod ius illud instituere posset Ecclesia, (quod tamen non potest) id non facit ad vitandum scandalum, & ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur, quod iure Diuino tenetur cauere.

Non inquam hæc valent. Non primum, nam Diuus Thomas in illo articulo loquitur

de

de dominio, & prælatione in communi, vt patet in titulo articuli, vbi inquirit: [Verùm infideles possint habere prælationem, siue dominium supra fideles.] Et in argumento [Sed contra,] loquitur de prælatione, quæ secum affert ius iudicandi; habet enim: [Ad eum qui præest, pertinet habere iudicium supra eos, quibus præest; sed iufideles non possunt iudicare de fidelibus; ergo, &c,] Sed prælatio, quæ secum affert iurisdictionem iudicandi, non est prælatio Domini respectu serui, sed principis respectu subditi; ergo de hac locutus est Diuus Thomas; licèt ex hac occasione tractet etiam de dominio, vt ita dicam, non politico, sed æconomico Domini respectu serui.

Nec secundum, nam illa propositio non est tamquam gratis concessa, & ex hypothesi, sed est absoluta, & assertiua, & tantùm dat causam cur aliquando non facit, esto possit facere, ad vitandum scilicet scandalum; ergo nulla est, & extorta explicatio hæc à re data, & non fundata. Antecedens probatur: Diu. Thomas comparauit prædictum ius Ecclesiæ, iuri, quod Dominus habebat se, & suos à tributo excusandi; sed hoc ius non erat ex hypothesi, sed absolutè, in Domino; ergo illud ius non affert Diuus Thomas ex hypothesi, sed absolutè tribuit. Probatur maior, post verba allata subiungit sanctus Thomas: [Sicut etiam Dominus, Matth. 17. ostendit, quod poterat se à tributo excusare, quia liberi sunt filij, sed tamen mandauit tributum solui, ad scandalum vitandum;] ergo comparauit illud ius, quod tribuit Ecclesiæ, iuri quod habebat Dominus excusandi se à tributis.

Secundò impugnatur hoc secundum fundamentum: potest dari casus, in quo tale scandalum vel non sequatur, vel sit minus malum, quàm illud, quod inferret Rex in Regno, si non deponeretur, & non absoluerentur populi à iuramento, puta si Rex esset hæreticus, vel schismaticus, & vellet hæresim, vel schisma introduci in suo Regno; ergo tunc posset sine scandalo exercere illud ius, ac proindè non ex hypothesi, sed absolutè ponitur à Diuo Thoma in Ecclesia.

Secundò, probatur nostra conclusio authoritate D. Thomæ adducta ex eodem Cardinali Perronio ex 2. 2. quæst. 12. artic. 2. vbi ait: [Quàm citò aliquis denunciatur excommunicatus propter apostasiam à Fide, ipso facto eius subditi sunt absoluti à dominio eius, & iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur; ergo S. Thomas clarissimè nostram sententiam fatetur.

Respondet Natalis: Loqui D. Thomam de fiduciarijs Ecclesiæ Principibus, in quos non solùm spiritualem, sed temporalem potestatem habet; ac proindè non solùm illos excommunicare potest, si à Christiana, & Catholica Religione deficiant, sed etiam illorum subditos ab eorum dominio, & iuramento fidelitatis, quo illis tenebantur, absoluere. Deindè addis: Duplex esse dominium, simplex vnum, mixtum alterum: simplex est quod ad res merè temporales spectat, puta quod habeat potestatem ferendi leges ad quietem Reipublicæ, imponendi tributa, & vectigalia, conscribendi exercitus, coercendi subditos, puniendi maleficos, &c. Quo iure, Principum supremorum neminem, quamuis excommunicatum, quamuis à Christiana Religione, & Catholica, Apostatam, quamuis Ethnicum, quamuis Tyrannum, & Christiani Persecutorem Nominis, priuare Ecclesia potest, nec ipsi hanc potestatem tribuit sanctus Thomas. Aliud dominium dicitur mixtum, quo Principes Christiani, & Catholici, rebus etiam Ecclesiasticis, protectionis titulo moderantur, & exterioris in Ecclesia politiæ curam gerunt, leges ferunt Episcopis, Clericis, & Monachis, Concilia Nationalia conuocant. Oecumenicis per Legatos intersunt, ad Ecclesiastica beneficia nominant, quædam etiam conferunt aliquibus in Regnis, &c. In his ergo, quæ politiam exteriorem Ecclesiæ, mixtique dominij iura spectant, non in rebus merè ciuilibus, potest Ecclesia supremos Principes priuare: alioquin non solus Pontifex Romanus, sed quilibet Ruris Curatus, suæ Villæ Dominum Feudis suis, ac Terris priuare posset si Paschalem Communionem prætermittat, immò si tribus Dominicis continuis, absque legitima excusatione à Missa Parochiali absit. Quibus in casibus eum, vt Parochianos cæteros, excommunicatum denunciat. Quo quid absurdius, & ineptius excogitari potest?

Sed nec minus friuolæ sunt hæ euasiones, & explicationes mentis Angelicæ. Et quidem prima est omninò voluntaria, & contra textum Diui Thomæ. Nam sanctus Thomas loquitur absolutè, & non de fiduciarijs. Sic enim postquam distinxit infideles, qui numquam fidem receperunt, ab illis, qui post receptam fidem defecerunt, docet, contra primos non posse Ecclesiam procedere, benè verò contra secundos, de quibus dicit: [Sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire.] Et pœnam assignat in loco à nobis allegato. At qui punire sententialiter peccata, non habet Papa, & Ecclesia ex potestate temporali, quam habet in fiduciarios, sed ex illa, quam dedit Christus Petro, & eius successoribus, quando dixit: [Quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in Cœlis.] Quam potestatem non solùm habet supra feudatarios, & fiduciarios, sed supra omnes oues Christi, inter quas sine dubio connumerantur Imperatores, & Reges supremi; ergo de omnibus loquitur D. Thomas, non de fiduciarijs tantùm.

Et ex his ruit alia solutio: nam pœna, quam assignat Diuus Thomas propter apostasiam à fide, est absolutio subditorum à dominio, & à iuramento fidelitatis, quod vnicum est, & indiuisibile; ergo non solùm ab illis iuribus, quæ solùm priuilegialia sunt, & ab Ecclesia concessa (si quæ dantur: nam plura, quæ supponis, inter ea non concedimus: sicut est illud condendi leges in Episcopos, & Clericos, & congregandi Concilia Nationalia) sed etiam ab omni dominio sicut & ab indiuisibili iuramento fidelitatis, subditi, ob apostasiam Regis, absoluuntur.

Ridiculum est autem, & indignum tanto viro, argumentum quod subdis: quod scilicet sequeretur, quemlibet Ruris Curatum posse Dominum Rure, vel Oppido priuare, si in

si in Pascha Sacram Communionem non fecerit, cùm pro hoc peccato possit ipsum excommunicare.

Ridiculum, inquam, est, cùm nostra, & Angelici Præceptoris assertio non sit per quamlibet excommunicationem auferri Regnum, sed per illam, quæ denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, quod iudicium cum non spectet ad Curatos, sed ad Episcopum, vel ad Papam, non potest Curatus priuare in illis casibus vtilem Dominum suo dominio. Cur autem solùm propter apostasiam à Fide, & non propter alia peccata, excommunicati Principes amittant ius regnandi? Poteras videre in Diuo Thoma loco cit. ad 3. vbi sic habet: [Dicendum, quod apostasia à Fide, totaliter separat hominem à Deo, vt dictum est, quod non contingit in quibuscumque alijs peccatis.]

Futilis etiam est explicatio, quam tribuis auctoritati, quam adducis ex loco citato ad primum, quæ erat: Ecclesiam non prohibuisse Militibus Christianis, ne Iuliano apostatæ deseruirent, nec ipsos à iuramento fidelitatis absoluit. Cui respondet sanctus Doctor: [Quod illo tempore Ecclesia, in sui nouitate nondum habebat potestatem terrenos Principes compescendi, & ideò tolerauit fideles Iuliano apostatæ obedire in his; quæ nondum erant contra Fidem, vt maius periculum fidei vitaretur.]

Recurris enim ad potestatem compescendi Principes sententiam excommunicationis contra ipsos vbique promulgando, & omnibus inhibendo Christianis, ne cum Imperatore apostata communicarent, quia persecutionem in Christianos atrociorem incitasset impius Princeps, si diris eum palam, ac solemniter deuouisset Ecclesia. Et post pauca addis, quod nisi sic intelligatur sanctus Thomas, non vides quis verborum illius sensus esse posset. Quam enim potestatem tunc Ecclesiæ defuisse significaret, ad Principes apostatas compescendos? An spiritualem? At eamdem habuit adolescens Ecclesia, quàm adulta. An temporalem? quod minor esset Christianorum numerus, quàm vt Principes armis coercere posset? sed nec talem potestatem Ecclesiæ vsquam tribuit de iure sanctus Thomas, & illam habebat de facto tempore Iuliani apostatæ. Plures enim in exercitibus Imperij conscripti erant Christiani milites, quàm Ethnici. Quod probas ex Theodoreto, & alijs, quorum scripta sanctus Thomas legerat, eiusque auctoritatem, & doctrinam commendauerat. Ex quo verisimile tibi efficitur, sanctum Thomam non existimasse potestatem de facto Ecclesiæ defuisse, ad coercendum Iulianum apostatam ipsum exuendo Imperio, & conuertendo in ipsum exercitus, sed defuisse de iure.

At & mihi, & omnibus, vt puto, legentibus sanctum Thomam, clarissimè constat dedisse Summo Pontifici in illo loco potestatem de iure, & tantùm illi defuisse asseruit potestatem de facto. Quod clarè constabit tùm ex titulo articuli, & eius conclusione, vbi vt vidimus, & affirmat, & probat, Ecclesiam posse exauthorare Principes apostatas à fide, & subditos à subiectione, & iuramento fidelitatis absoluere. Ex quo fit, quod cùm primum argumentum processisset ad probandum contra hanc conclusionem, ex eo quod permisisset Ecclesia, Iulianum apostatam imperare exercitibus Christianorum, & illos apostatæ Imperatori obedire: recurrit ad hoc, quod non posset apostatam diris palam, ac solemniter deuouere; nam esset hoc extrà chorum canere, cùm dubium non procederet circa excommunicationem Principum, sed circa exauthorationem: & quidem si per te defuit tunc Pontifici, & Ecclesiæ potestas de facto excommunicandi propter potentiam maximam Principum, & nullam, aut paruam Pontificum, licèt illam haberent de iure: quomodò tu miraris defuisse potestatem Pontifici illos exauthorandi, & ab Imperio proijciendi?

At exercitus, dicis, Iuliani, erant pleni Christianorum.

Quid indè, si erant exercitus Iuliani? Aliqui fortes fuere: at plures ceciderunt. Totum Regnum Anglicum Catholicum, Christianum, Angelicum, vna Henrici apostasia potuit contra Ecclesiam armare, & ab illa etiam gloriosa, etiam inuicta; etiam armis, & subditis cincta, non potuit coerceri; & tu vis Imperium Iuliani coerceri potuisse ab Ecclesia tunc paupercula, inermi, & ab Imperatore conculcata, solùm quia erant in exercitu Iuliani aliqui Christiani? Locutus est ergo, Natalis, Diuus Thomas noster de potestate Ecclesiæ de facto, quæ tunc ipsi deerat, sic disponente Domino ob rationes, quas infra ex Diuo Thoma adducturi sumus in solutione tuorum argumentorum: non autem de potestate de iure, quam ibi, & semper tribuit Angelicus Summo Pontifici,

Fac quod vis, Natalis, tuo acri ingenio volue, & reuolue, extende sicut pellem Cœlum Angelici Præceptoris, numquam, nec apicem ab hac sacra, & veridica, ac communiter ab Ecclesia recepta doctrina ipsum detorquebis. Hoc enim statuit in sententiarijs tribuens ei vtriusque potestatis apicem tam spiritualis scilicet, quàm secularis in 2. sent. dist. 44. quæst. 2. artic. 4. in resp. ad 4. Nec solùm respectu fiduciariorum Ecclesię, sed etiam Principum supremorum, quale est tuum Regnum Galliæ, quod adeò extollis. In opusc. de Regimine Principum lib. 3. capit. 10. vbi probat dominium Papæ supra, non solùm spiritualem, sed temporalem iurisdictionem Principum esse, pluribus, & efficacissimis argumentis, quorum aliqua non tacta alibi hic referam.

Accipe primum, quod tu negasti, de Zacharia hanc potestatem exercente super Regem Francorum. De Adriano, Carolum Magnum Imperatorem constituente. De Leone, Othonem primum Imperatorem creante. De Innocentio III. Othoni quarto Imperium auferente. Ac de Honorio eius successore, Federicum II. exauthorante. Et addit (nota auream doctrinam) [Quamuis in omnibus istis, Summi Pontifices non extenderunt manum, nisi ratione delicti, quia ad hoc ordinatur eorum potestas, & cuislibet Domini, vt prosint gregi, vndè & meritò Pastores vocantur, quibus vigilantia incumbit ad subditorum vtilitatem; aliàs non sunt legitimè Domini, sed Tyranni, vt probat Philoso-

losophus, & dictum est supra. Hinc Dominus, vtitur in Ioanne quadam importuna interrogatione: ter quærens à suo successore Beato Petro: Petre, inquit, amas me? pasce oues meas.] Ioann.21. [Quasi in hoc consistat tota Pastoralis cura, profectus videlicet gregis. Hoc ergo supposito, quod pro vtilitate gregis agatur, sic Christus intendit: Omne supergreditur dominium, vt ex dictis apparet.]

Deindè secundò ostendit cap. 17. ex subiectione Imperatorum Romano Pontifici, de quibus ait: [Istud autem notabile ab indè (loquitur de Regno Iouiniani Imperatoris) vsque ad tempora Caroli Magni, de Imperatoribus reperitur, omnes quasi obedientes, & reuerentes fuisse Romanæ Ecclesiæ, tamquam ipsa Principatum teneret, sine respectu spiritualis dominij, sicut sancta Synodus Nicæna definit, siue temporalis. Vndè Gelasius Papa Anastasio Imperatori scripsit; Imperatorem à iudicio Papæ dependere, & non è contrario.] Et prosequitur sanctus Doctor per totum illud caput, & sequens probare hoc ex diuersis historijs, & quatuor Concilijs.

Tertia habetur capit. 19. vbi sic probat plenitudinem vtriusque potestatis in Summo Pontifice. [Pro bono statu vniuersalis Ecclesiæ, habere competit plenitudinem potestatis, cui competit dicta prouisio ex triplici genere, primò quidem diuino; quia sic videtur voluisse Christus ex verbis suprà introductis Matth. 21. Secundò ex iure naturali; quia supposito, ipsum primum locum tenere in Principatu, debet dici caput, à quo est omnis motus, & sensus in corpore mystico, per quod habemus, quod omnis influentia Regiminis ab ipso dependet.] Deindè latè ex tertio genere probat, quia gubernatio politica hoc habet; vt Princeps, qui est in Regno, sicut anima in corpore, & Deus in mundo, operatur sicut Deus, qui gubernando, & dirigendo mundum, permittit corruptionem particularis entis, pro conseruatione totius: Ità Rex, vel Princeps, pro conseruatione Regiminis super subditos, imponendo tallias, destruendo Ciuitates, & Castra pro conseruatione totius Regni. Ergo multò magis hoc conueniet summo, & supremo Principi, idest Papæ pro bono regimine totius Communitatis. Et addit sanctus Doctor: Quod [In duobus casibus ampliatur eius potestas, (scilicet Papæ) vel ratione delicti, vel ad bonum totius fidei, quod eleganter nobis ostendit Propheta Hieremias, cui in persona Vicarij Christi dicitur: Ecce constitui te super Gentes, & Regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, ac dissipes.] Ille.

Scio te negare opusculum de regimine Principum fuisse Diui Thomæ, saltem quoad duos libros posteriores in historia sæculi 13. & 14. par. 2. diss. 6. & gratis hoc negas cum nulla ratione subsistenti, vel Doctorum auctoritate fulciaris, immò ex Nicolai Triuetti à te laudati Auctoris, & S.Thomæ Coæui auctoritate conuinceris falsitate, cum non dimidiatum opus de Regno, vel de regimine Principum ad Regem Cypri conscriptum, sed totum, & integrum inter opera Diui Thomę commemorat.

Sed dices, non possunt Angelico Theologorum Principi attribui errores, improprietates vocum, & falsitates historiarum, quæ in huiusmodi opusculi duobus posterioribus libris leguntur; ergo non sunt S. Th. Probas antecedens primo ex illo iam inueterato, & soluto argumento de Rodulpho, Adulpho, & Alberto, quibus meminit lib.3.cap.20. qui tamen post mortem Diui Thomæ regnarunt. Secundò, nam cap.10. eiusdem libri, dicit: Petrum fuisse successorem Christi Domini, quæ locutio digna Theologo non est, nam benè sciebat Diuus Thomas Christum esse Sacerdotem in æternum secundùm ordinem Melchisedech non potuisse habere successorem, sed solùm Vicarium eius in terris. Tertiò, quia tribuit Pontifici, quæ soli Christo conueniunt, plenitudinem scilicet gratiarum, vndè ipse solus conferre potest plenariam indulgentiam. & abeo deriuari omnis quæcumque potestas (quæ est petra scandali) quæ te mouet ad negandum duos libros prædicti opusculi. Denique adducis plures errores historiarum, quas refert ibi D. Thomas concludens, sufficiunt, quæ obseruaui, vt innotescat tertium saltem. & quartum librum non esse S. Thomę, & frustrà Ioannem Paulum Naserium recentiotem Thomistam in opusculo de scriptis S. Thomæ laborasse in vindicando hos libros Angelico Doctori. Fecessant igitur qui istius auctoritate operis probare nituntur S. Thomam in errore illo fuisse, quod Romanus Pontifex potestatem aliquam habeat in temporalia Regum.

Sed non est cur propter hæc argumenta opusculum hoc aureum S. Thomę negemus, quod si tantùm tribuis (& iustè quidem) auctoritati Nicolai Triuetti, vtpotè Auctori S. Thomæ Coæuo, vt propter eius auctoritatem affirmes, nullum remanere dubij locum & contra Launoium proclames. Et post hæc dubitabit adhuc Launoius, & in tanta luce caligabit, Si ita est more Pyrrhoniorum, & Academicorum dubitet an sit ipse, & viuat. Cur negare poteris duos vltimos libros Regiminis Principum fuisse D. Thomæ, si opusculum hoc integrum inter vera; & legitima Diui Thomæ opera à te laudato; & approbato Auctore Triuetto reponitur.

Quod mihi euidentiùs confirmat id, quod post fidelem operum D. Thomæ indicem Triuettus adducit, ea scilicet opuscula falsò Angelico adscripta, & ita distinctè & accuratè, vt non solùm integra opuscula, sed etiam aliquorum partes, & capita, quæ à D. Thoma scripta non sunt, enumeret. Alia quidem (te illum referente ait) inueniuntur sibi attributa: quæ tamen ipse non scripsit, sed post eum legentem, & prædicantem, ab alijs sunt collecta; vtpotè lectura super epist. ad Corinth. ab 11. Capitulo vsque ad finem, & expositio super primum de anima: quas Fr. Reginaldus eius socius recollegit, iterum lectura super Ioannem, & super tertium nocturnum Psalterij, Collationes Dominicales & festiuæ, item collationes de decem præceptis (quas collegit Fr. Petrus de Adria, item lectura super Matthæum, completa, quam partim idem Frater, partim sæcularis quidam recollegit; eius studio delectatus, ergo si Doctor iste non excepit ab opusculo de Regimine

mine Principum aliquam partem, cur nos poterimus duos hos integros libros ab hoc opere adimere.

Nec valent: ò Natalis, argumenta, quæ pro tua sententia adducis. Nam ad primum quod adducis de commemorato Rodulphi, Adulphi, & Alberti Imperio, qui multis post D. Thomæ obitum annis claruerunt, iam ad hoc latè supra responsum est disput. supracitata, vbi cum Magistro Vincentio de Grossis vidimus, quod opusculum illud fuit conscriptum 270. annis postquam per Gregorium Quintum; genere Teuthonicum, prouisa est electio per septem Principes Alemaniæ fienda, ac proindè cum prædicta prouisio fuerit anno 1002. vel vt alij volunt anno 1003. constat fuisse conscriptum prædictum opusculum anno 1272. vel 1273. ac proindè non potuisse referre illa exempla Adulphi, &c. ergo dicendum est; verba illa ex margine, in quo fuerunt ab aliquo alio apposita, irrepsisse ex impressorum ignauia in textu.

Ad secundùm variè respondent Auctores; aliqui volunt Angelicum Præceptorem. & in illo loco, quia non agebat personam Theologi, sed Politici, esto vt argumentum habet, non seruet proprietatem verborum in rigore Theologico, seruat tamen omnimodam proprietatem loquendi in rigore politico, nam iuxtà politiam ad hoc, vt aliquis vocetur successor, non requiritur, vt in locum eius, cuius officium exercet, succedat, sed sufficit, vt sit institutus in locum eius, ita Sebastianus Mauius in suo libro primo de historia Liuiana; vbi habet cap. 43. [Appellatur Petrus Christi successor, non quidem iure hæreditario, nec electione optimatum, nec acclamatione populi, vt in cæteris Principibus contingit, sed iure institutionis fuit enim à Christo sui gregis Vicarius substitutus. Et post pauca subdit. Atque hic modus, & ratio dicendi, nihil repugnat, vel veritati, vel D. Thomæ institutis, non veritati, quia verè S. Petrus Christo successit, postquè eum Sedem tenuit, propterea meritò successor, licet ex institutione dici, & appellari potest, non D. Thomæ institutis quia quamuis in libris contra errores Græcorum officia Christi & Petri exactè, & subtiliter examinans, dixit. Petrum Christi esse Vicarium, & cæteros Pontifices Petri esse successores, tamen nunquam inficiatus est hanc esse propriam, & germanam huius vocabuli, & nominis vim vt eum potissimùm designet, qui post alterum in possessione succedit.

Magister autem de Grossis. in præfata expositione opusculi, affirmat magis explicando solutiones Sebastiani, non solùm esse propriam, sed proprijssimam acceptionem huius vocis, successor, à Christo institutus de quo D. Thomas tractat in hoc opusculo, vbi agit de regimine Principum, pro quo notat, quod hoc nomen Vicarius Christi, non est Petri adæquatum, nisi apponatur successor in auctoritate regiminis, nam hoc nomen Vicarius extendi potest ad omnes alios Apostolos, de quibus in præfatione Apostolorum dicitur, quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse Pastores: Vicarij inquam operis quidem gubernationis, & executionis, non regiminis, & auctoritatis; vt cum Diuo Thoma notat Caietanus opusc. de auctoritate Papæ, capitulo 3. vndè ad explicandam in Petro auctoritatem regiminis; contradistinctam ab auctoritate operis gubernationis, & executionis, non solùm illum Vicarium in hoc loco, sed successorem appellat.

Clarior tamen, & magis adæquata solutio est illa, quam tribuit Sapientissimus Paulus Nazarius opusculo de scriptis S. Thomæ quam citas, sed non adducis, nec impugnas Natalis. Duplex esse regimen Petro à Christo Domino attributum respectu Ecclesiæ, vnum sensibile, consistens in hoc, quod sit Caput visibile Ecclesiæ, condendo leges, explicando scripturas & iura, & alios actus iurisdictionis in corpus Ecclesiæ exercendo; quomodo enim Christus vsus est in hoc mundo prædicando mysteria fidei, legem veterem consummando, exponendo: & legem nouam condendo, &c. & hoc modo propriè dici potest Pontifex, Christi successor, sic enim Christus non mansit in æternum visibile Caput Ecclesiæ. Alio modo regimen est intelligibile, attenta scilicet ratione Sacerdotij æterni Christi, & ita Summus Pontifex non est successor, sed Christi Vicarius, cumque Diuus Thomas in præsenti, non de Christi Sacerdotio, sed de sensibili, & politico regimine Ecclesiæ tractet, optimè, & proprijssimè ipsum non solùm Christi Vicarium, sed successorem appellat.

Ad historias verò, quas tu dicis esse falsas; respondeo, & quantùm ad primam Constantini, constat cessisse Summo Pontifici Imperium, relinquendo illi Romam, & fundando nouam Romam, in qua Sedem suam Imperialem transtulit, & hoc debitum fuisse Summo Pontifici, probat Diuus Thomas infra cap. 16. eiusdem libri ex triplici iure, iure scilicet naturæ, iure diuino positiuo & iure ciuili, conseruando bonum vniuersale totius Ecclesiæ.

Carolus Magnus verò, licèt non fuisset coronatus ab Adriano, sed à Leone III. suo successore, tamen ab ipso Adriano fuit sine dubio ad Regnum Italiæ, & Imperium vocatus, vndè potuit verè Diuus Thomas dicere quod fuerit ab Adriano Imperator constitutus. Quantùm verò ad Othonem primum, etsi à Leone Papa non fuerit Imperator creatus, habuit tamen à Leone VIII. facultatem eligendi Reges Italiæ, seu Romanorum; qui postea ad Romanum Imperium erant promouendi, vt narrat Baronius ad annum 996. num. 50. & de hoc forsitan locutus est D. Thomas, cùm ad intentum suum vtrumque erat conuincens argumentum, Federicum verò Secundum similiter, & si non ab Honorio vltimo depositum fuisse, tamen ab eo sub certis conditionibus coronatum, & postea inobedientem repertum: multoties reprehensum & priuatione Imperij comminatum fuisse, quod ad intentum sufficit, vel potest ad omnes illas historias dici, quod etsi Leo Carolo Magno, Othoni Ioannes XII. coronam Imperialem imposuerint. & Innocentius Federicum deposuit formaliter, & completè, tamen tribuitur à Diuo Thoma Adriano translatio Imperij à Græcis in Germanos in per-

sona Caroli Magni dispositiuè, & promotiuè, quatenùs vt narrant historiæ,] Adrianus congregato Concilio Romæ 153. Episcoporum, illis proposuit magna merita Caroli Magni auxilia, & seruitia, quæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præstiterat, ac proindè dignum fuisse, vt ab ea speciali honore decoraretur, vndè totum Concilium in sententia fuit, vt Carolus patritius Romanus declararetur. Ita narrat Alphonsus Ciacconus in vita Adriani Papæ I. Hoc autem fuit disponere, & promouere Carolum ad Imperium nam, vt ait idem Alphonsus, Patritiatus ordo, ac dignitas Romano in Imperio Magni ac splendidissimi tituli fuit, per dictum enim titulum designabantur futuri Imperatores in proxima dispositione quod idem habet Otho Frisigensis nobilissimus historicus in historia ab vrbe condita lib. 5. cap. 31. & similiter Otho, etsi à Leone non fuit coronatus, sed à Ioanne XII. promotiuè tamen, & dispositiuè fuit coronatus Imperator à Leone VII. nempè corona ferrea, & argentea per interpositos Episcopos more solito, non aurea & vltima Scio fuisse Othonem solemniter inauguratum Aquisgrani anno 937. sub dicto Leone VII. manu Archiepiscopi Moguntini: teste Cardinali Baronio tom. 10. ad annum 937. ex quo poterat solui argumentum Natalis, tamen hac solutione non vtor quia dicta inauguratio non fuit imperialis, sed regalis, teste eodem Cardinali, ex Viti-chindo illius temporis Scriptore lib. 2. Quod autem asseris de quarta synodo, &c. credo erratum fuisse textum ex ignauia Scriptorum & Impressorum. Nam illud quod præ manibus habeo opusculo, sic habet. Sed præcipuè Iustinianus post cursum quartæ Synodi centum viginti annorum præsidente Iulio Papa &c. vbi vt vides, nec sensum rectum facit Historiam verò, quam dicis narrare cap. 20. de modo quidem scilicet quo coronatur Imperator aureo diademate à Papa, quam cum pede sibi porrigit in signum suæ subiectionis, non potest dici falsa, cũ potiùs potuit saltem tempore D. Thomæ esse vera, & sic fieri talis cæremonia, sed tu vbi reperisti historiã illam, quam è contrario adducis de Leone Tertio Romano Pontifice, qui Carolum Magnum, more antiquorum Principum, adorauit, citans Anastasium Bibliothecarium, & Reginaldum, qui, vt puto, non adorauit, dixerunt, sed inaugurauit; nam, vt narrat Cardinalis Baronius, Leo III. more antiquorum Imperatorum fecit eum ab vniuerso populo Romano acclamari, illis verbis: [Carolo pijssimo Augusto, à Deo coronato, magno, pacifico Imperatori, vita, & victoria.] Non est ergo cur nec vnguem quidem, huius eruditissimi opusculi D. Thomæ adimamus. Vndè & Cardinalis Bellarminus, qui primus hoc opusculum Diuo Thomæ negauit, veritate tamen conuictus, sibimet ipsi contrarius tom. 1. tract. de translatione Imperij lib. 3. cap. 1. 2. & 3. contra Ioannem Auentinum, & Honuphrium Panninum, vtitur testimonio hujus opusculi de regimine Principum lib. 3. cap. 19. ad probandum, quod institutio septem Electorum Alemaniæ, fuit à Gregorio V. his verbis: [Sed accedit secundus testis S. Thomas Aquinas, qui non modo antè obitum Federici Secundi vixit, sed etiam obijt antè Lugdunense Concilium, in quo vult Honuphrius septem Electores Imperij à Gregorio X. institutos, &c.

Non est ergo, Natalis, cur propter tuas instantias, opusculum ab omnibus discipulis D. Thomæ receptum, & defensum, solùm quia contra tuam opinionem clarè loquitur, denegemus.

Quomodò ergo poteris ad tuam sententiam Angelicum nostrum Doctorem trahere violenter; si totis viribus sui Ingenij, sicut, & Fratres eius germani, contra iniquum Federicum, armis, sanguine, & propria vita, defensaruut semper nostram. Non qualem tu illam vocas opiniunculam Gregorij VII. ipsius vt priuati Doctoris erroneam, periculosam, falsam, & meritò à Sacra facultate Parisiensi damnatam, & inuidiam, labemque in Doctorem Angelicum causantem: Sed veram, Catholicam, ab omnibus Christifidelibus amplectendam, & defensandam, sicut cum nostro Angelico Præceptore, tota nostra schola inconcussè semper defendit, indignumque semper existimauit mea Prædicatorum, hoc est veritatis Religio, ad pruriendum Regum Auribus, veritatem deserere. Redi ergo ad cor (ò Natalis), si vis Thomista dici, ac venerari; Magister trahit non trahitur, Tu si discipulus es, sequi debes doctrinam, non pedissequam illam facere tuæ curiali opinioni. Aut muta ergo nomen, aut muta sententiam. Sed videamus quibus rationibus mouearis.

§. Vltimus.

Soluuntur argumenta Natalis.

NOn correspondet, Natalis mi eruditissimè, titulo tui articuli doctrina, quam adducis in principio illius: nam cum in titulo affirmes, potestatem exanthorandi Reges contra Patrum doctrinam, & contra verbum Dei esse; nescio cur adducis Ottonem Frisingensem, Sigebertum Monachum Gemblacensem, Trithemium, & Honuphrium Panninum, & Gottifredum Viterbiensem, quos pro primo fundamento tuæ conclusionis attulisti. Nam isti Historici sunt, non Patres, & quidem illi primi duo, Otto Frisigensis scilicet, & Sigibertus, cum Henricianis partibus sint penitùs addicti, audiendi non sunt; eo magis, quod id, quod ponunt, potiùs supponant, quàm probent; alij verò tres, nihil ad tuum propositum dicunt. Nam etsi omnes isti conueniant in eo, quod primus fuerit Gregorius VII. inter Pontifices, qui Imperatores exauthoraret, (quod quàm verum fuerit, iam supra visum remanet) nullus tamen illorum dixit, quod ad hoc faciendum ius non haberet, aut iniustè hoc fecerit, vt Tu affirmas. Immò Trithemius, qui sinè dubio inter omnes Historicos, à Te adductos, maiorem habet authoritatem, in verbis à Te relatis expresè habet: [Henricum istum hominem peruersum, & iusto iudicio ab Ecclesia eiectum, omnibus re vera suo tempore constabat manifestum,] Quid dicis, Natalis? est

est ne falsa, est ne noua, est ne erronea nostra sententia; cùm Trithemius, quem Tu adducis, affirmauerit, omnibus illius temporis manifestè constare iusto iudicio Henricum ab Ecclesia eiectum?

At dices: affirmat Trithemius Scholasticos certare, & adhuc sub Iudice litem esse: [Vtrùm Papa Imperatorem possit deponere.]

Quis hoc negat? Tu, Tui, Tua Sorbonica Facultas adhuc in dubium hoc vertunt: siuè verè, siuè falsè hoc asserant ex hucusque dictis patebit. At Trithemius cùm quęstionem hanc ad suum institutum non pertinuisse affirmet, indiscussam relinquit. Cur ergo pro tua sententia eum adducis?

Sed non minùs ruinosum est secundum fundamentum tuæ sententiæ, quod ex varijs Pontificum gestis, vel dictis adducis. Hanc (inquis) sibi exauthorandi Reges potestatem, non tribuit Nicolaus I. quod probas ex epistola eius ad Michaelem Græcorum Imperatorem: in qua tamen nil aliud Pontifex affirmat, nisi quod [Nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum vsurpauit. Quod actibus proprijs, & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit Christus, & quod militans Deo minimè se implicare debeat negotijs secularibus, sicut vicissim non ille rebus Diuinis præsideat, qui negotiis secularibus est implicatus.

Hæc omnia, & nos vtique concedimus, & affirmamus, nec est hoc in quæstione, Natalis, immò ex istis verbis nostra sententia deducitur. Nam cùm proprium sit Papæ officium, Pastoris Deo militantis, & conseruantis gregem, superioritatem agnoscit Nicolaus in Papa supra Imperatorem, vndè ait: [Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigere: & Pontifices pro temporalibus, Imperialibus legibus vti.] Consequenter quando vel Imperator, vel eius gesta sunt contra spiritualia, & destructiua illorum, potest de eis Papa iudicare. Quod est dicere: Pontificem indirectè habere potestatem supra Imperatorem.

Hanc sibi potestatem (prosequeris) non tribuit Gregorius II. Sanctissimus Pontifex? Certè, sed ipse dat rationem in verbis, quæ Tu adducis, si intentus tuæ opinioni totus, illis non attendisti; audias: [Persequeris nos, ait, ac tyrannicè vexas, militari, carnalique manu: Nos inermes, ac nudi, qui terrenos, & carnales exercitus non habemus, inuocamus Principem exercitus omnis creaturæ, sedentem in Cœlis, Christum.] Non ergo negat sibi Gregorius ius, sed vires, conseruandi sibi iura.

Idem etiam dicimus de S. Martino I. qui à Constante Imperatore vexatus, & in exilium actus, ita ad Theodorum scribit: [Quod autem pręparati non fuerimus ad repugnandum; meliùs iudicaui decies mori, quàm vniuscuiusque sanguinem in terram fundi.] Loquitur de sanguine Martyrum, qui sinè dubio funderetur ab iniquo Principe, si suo exilio furorem Imperatoris non mitigasset; fecit ergo Martinus, quod boni Pastoris est, animam suam scilicet dando pro ouibus suis, non iuri suo cedendo, quod defendere tunc non poterat.

Quod autem de Pelagio primo, & de Sancto Gregorio Magno adducis, non subiectionis argumentum sunt, sed humilitatis. Erat Mauritius Imperator Catholicus, licèt leges aliquas iniquas contra Ecclesiasticam libertatem fecisset: prohibens scilicet, ne Milites fierent Monachi, vel Clerici. Gregorius ipsum reprehendit, tamen ea reuerentia, & humilitate, quæ debebatur Imperatori, quæ exigebatur à sanctitate, qua pollebat. Sed quid hoc contra potestatem exauthorandi Reges? Num quia eum vocat Serenissimum Dominum? Potestatem habentem super omnes homines, & alia huiusmodi? Quid mirum! etiam nunc vocat se Summus Pontifex: Seruum Seruorum Dei. Ergo non potest præcipere, vel exauthorare Ministros Ecclesiæ, qui sunt Serui Dei?

Prosequeris Natalis: hanc sibi potestatem non attribuisse Agapetum erga Theodatum Regem Gothorum tyrannicè ipsum vexantem. Ioannem I. à Theodorico Rege Gothorum martyrio confectum. Poteras & alios complures Martyres Pontifices in hoc argumento adducere, sicut de facto adducis Summos Pontifices tribus prioribus Ecclesiæ seculis sub Ethnicorum Imperatorum persecutionibus gementes, & ipsis obedientiam, quantùm ad id, quod non erat contra legem Dei, præstantes. Adducis Damasum scilicet contra Valentem Arianum Imperatorem, similiter Liberium contra Iulianum Apostatam, & Constantium Arianum Imperatorem hanc potestatem non exercuisse. Istis, & alijs huiusmodi possunt adduci, & adducis vsque ad saturitatem. Sed quid pro tua conclusione faciant, non video. Omnes enim isti hanc potestatem sibi non attribuerunt, quia non valuerunt. [Omnia mihi licent (dicebat Apostolus) sed non omnia expediunt.] Sed non omnia (addo ego) possum. Totam quantam potestatem habent Pontifices isti, habebant & illi. Totum ius, eandem dignitatem. Sed tunc in primis seculis paupерculam voluit Ecclesiam suam Sponsam tunc natam Christus, pannis inuolutam, in præsepio positam, inter cauernas latitantem, persecutorem Herodem fugientem, Tyrannis subiectam, subditam, quasi non dixi, dissipatam; Pontifices, non in throno, sed inter pauperes mendicantes victum suum, inueniebantur. Hoc sub rore viuens creuit, persecutione adoleuit; nunc in throno regnat. Vis scire quarè? Audias à communi Præceptore lib. 3. de regimine Principum cap. 15. & seq. sic dicente: [Quamuis temporaliter esset Dominus Orbis (loquitur de Christo) directè tamen ad spiritualem vitam suum ordinauit Principatum, iuxtà illud Ioan. Ego veni, vt vitam habeant, & abbundantiùs habeant. Hinc etiam verificatur suum verbum: Regnum meum non est de hoc mundo. Propter hoc igitur humiliter vixit, vt suos fideles exemplo sui traheret ad operandum secundùm virtutem, cuius via aptior est humilitas, ac mundi contemptus, vt Stoici, & Cynici posuerunt, &c. per quam quis efficitur dignus ad Regnum æternum, ad quod consequendum sui dominij fuit principalis intentio.] Et post multa concludit caput: [In humilitate ergo, & paupertate suum funda-

uit dominium, & in aduersitatibus, & laboribus, & ærumnis.] Ex quo cap. sequenti ita infert. [Et hinc est, quod Rex noster Christus, Princeps seculi permisit dominari, & eo viuente, & eo moriente ad tempus, quousque videlicet suum Regnum esset perfectum, & ordinatum in suis fidelibus operationibus virtuosis, & eorum sanguinem laureatum.] Et post pauca: [Quod & factum fuit, subiungit, intermedio tempore à passione Domini, vsque ad tempora B. Syluestri, & Constantini, quo quidem seculi spatio, infinita populi multitudo per mortem Christo Domino suo dedicata est; & coniuncta, ac suum Ducem, & Principem est sequuta. Primò quidem, primi Duces Apostoli, & alij Christi Discipuli omnes Christi Vicarij, & Petri successores, quod fuit tempus 350. annorum, in quorum sanguine, & corporibus, ac ipsorum vitæ meritis fundata est Ecclesia, tamquam lapidibus viuis, & pretiosis, ac ineffabili fundamento, contra quod nec venti, nec pluuiæ, nec quæcumque procellæ diuersarum passionum, vel quarumcumque perturbationum sæuiant, ipsum possunt obruere. Opportuno igitur tempore, vt manifestaretur mundo, Regnum Christi compositum, virtus Principis nostri Iesu Christi Principem mundi sollicitauit, Constantinum videlicèt percutiens eum lepra, ac ipsum curans supra humanam virtutem, qua probata in dominio cessit Vicario Christi, Beato videlicet Syluestro, cui de iure debebatur ex causis, & rationibus superiùs assignatis; In qua quidem cessione, spirituali Christi regno, adiunctum est temporale, spirituali manente in suo vigore: quia per illud, per se quasi debet à Christifidelibus; istud verò secundariò, tamquam administrans primò.] Hæc Angelicus noster.

Sed iam incipis, Natalis, probare tuam conclusionem Patribus, vt promisisti. Primum, quem adducis, est Tertullianus, cuius diuersa testimonia conglomeras: sed in illis nil contra nostram sententiam inuenio, nisi quod asserat, Imperatorem habere à Deo dignitatem, non recognoscere maiorem, nisi Deum, soli Deo esse secundum, ab ipso accepisse Imperium, in Dei solius potestate esse, & hinc omnibus maiorem esse, dum solo vero Deo minor est. Ex quibus videris inferre: Imperatorem non habere alium Superiorem, quàm Deum; ac proindè nullum hominem, præter Deum, habere potestatem ipsum exauctorandi.

At in primis videndum est, qua occasione hæc dicat Tertullianus. Hæc enim dixit in Apologetico contra Gentiles, qui affirmabant: Christianos dogmatizare non esse subditos Imperatori, nec teneri ei dare obedientiam, nec ipsum recognoscere, vt supremum Dominum. Hanc imposturam vult Tertullianus à Christianis abijcere; vndè omnia illa de Imperatore sentire Christicolas probat; nihil autem hìc tractat de subiectione Imperatoris ad Papam directè quoad spiritualia, & indirectè quoad temporalia. Nec aliquid contra illam dixit; immò potiùs mediatè, & indirectè pro illa stat. Cùm enim dicat: [Secundùm Apostoli præceptum: subditos Magistratibus, & Principibus, & Potestatibus; addit: Sed intra limites disciplinæ, quousque ab idolatria separamur.] Manifestè videtur affirmare, quod licèt Imperator supremam habeat, & nemini subiectam potestatem; habet tamen illam restrictam intra limites disciplinæ, quos cum transgreditur, fine dubio illam amittit; cùmque cancelli disciplinæ clauibus Petri sint clausi, ad ipsum pertinet iudicare amisisse Imperatorem potestatem, quia extra limites disciplinæ diuagatur, & errat.

Sed quis dixit vmquam Natalis, quod Imperator Papam non cognoscat, vt suum Pastorem, & Superiorem, directè quidem in spiritualibus, indirectè verò in temporalibus; quatenus à limitibus disciplinæ faciunt deuiare? Hoc, & non amplius, probant loca Tertulliani.

Aliam auctoritatem adducis ex S. Ireneo lib. 5. aduersùs hæreses cap. 24. quam legens, & relegens, nec per vmbram inueni aliquod contra nos, nisi ex vltimis verbis, vbi asserit: [Cuius enim iussu homines nascuntur, huius iussu, & Reges constituuntur.] Velles arguere: sed homines solo Dei nutu nascuntur; ergo Reges solo Dei nutu constituuntur. Quod argumentum totum quantum est, & sicut iacet concedimus. Si enim ad vniuersalem causam recurris; quid fit in terra, quod Dei nutu non fiat? Hoc, & Spiritus sanctus dixit: [Per me Reges regnant, &c.] Nos hoc non negamus. Sed dic, Natalis, valet apud Te hæc consequentia: Dei nutu homines nascuntur; ergo solo Dei nutu gubernantur, & si errant, corriguntur? si mentem non amisisti, certè hanc consequentiam non concedes, quia ideò Deus Reges constituit in terra, [Vt per legum positiones (vt idem Sanctus à Te adductus fatetur) repercutiant multiplicem Gentilium iniustitiam, & secundùm hoc Ministri Dei sunt.] Si ergo homines Dei nutu natos, vult ab homine gubernari Deus: cur Reges à Deo constitutos, non dicemus gubernari ab eius Vicario vices eius gerente, & Archimonarcha Hierarchici Ordinis totius Christianitatis, intra quem Reges constituuntur? Certè Natalis hanc Monarchiam Christianam saluare non poteris, nisi sub vnico Capite omnia eius membra ordinatè colloces. Caput esse Pontificem Tu probasti; ergo cæteri Reges sunt membra, etiam tuus Christianissimus, quamuis nobilia magis, & principalia; ergo sicut omnia membra, etiam principalia, à Capite reguntur in omni suo motu; ita & omnes Reges à Papa dependent, & Papæ subijciuntur.

Quod autem ex Iustino Martyre adducis: Confiteor Me pluries illam Apologiam ad Antoninum Pium legisse, & nec vllum verbum contra nostram sententiam reperisse. Ibi enim nil aliud dicit, nisi Cæsari deberi à Christianis obedientiam, honorem, venerationem, tributa, & vectigalia, & omnes bonos Christianos semper orare debere, vt Deus Imperatori tribuat salutem, & mentem rectam. Vndè nescio ad quid eam adducas? nisi ad implenda folia.

Idem affers ex Theophilo Antiocheno libro ad Autolycum. Fortasse existimas Natalis, quod nos negamus, Regibus honorem, & obedientiam, dando Pontifici potestatem

supra

supra Reges indirectè, vt explicaui, quoad temporalia? sed falleris certè, & multùm falleris. Ego enim, quamuis minimus meæ Religionis, sententiam istam toto conatu defendo; & tamen meo Catholicissimo Regi Carolo II. (quem Deus per secula ad Christianitatis tutelam, & fidei nostræ præsidium incolumen semper conseruet) non solùm veneror, sed fidelissimum, & addictissimum Vassallum me profiteor; & per hanc sententiam scio ipsi non displicere: nam vt filius obedientissimus Ecclesiæ, scit, & docet, quod [Honor Regis iudicium diligit:] & non timet à Summo Pontifice exauthorari, quia semper Hæreses persecutus est,& profligauit à suis Regnis, in quibus semper puritas Catholicæ fidei enituit,nec tyrannicè sua Regna gubernat. Non desudes ergo ad adducendas Sanctorum auctoritates, in quibus Regibus honorem, & obedientiam statuunt. Nam Nos hoc non negamus. Vndè mitto testimonia, quæ adducis, vel ex Athenagora in apologia pro Christianis, ad Imperatores Antoninum, & Commodum;vel ex Optato Mileuitano lib. 3. aduersùs Parmenianum; vel ex Chrysostomo in epist. ad Roman. cap. 13. hom. 23. vel ex Augustino lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 21. vel ex Fulgentio lib. 1. ad Trasimundum Regem cap. 11. Nil enim addunt præter ea, quæ supra diximus, & declarauimus.

Adducis sanctum Gregorium Turonensem in Concilio Parisiensi anno 577. his verbis Childericum compellantem: [Si quis de nobis, ò Rex, iustitiæ tramitem transcendere voluerit, à Te corrigi potest; si verò Tu excesseris, quis Te corripiet? loquimur Tibi:sed si volueris, audis; si autem nolueris, quis Te condemnabit? nisi is,qui se pronunciauit esse iustitiam.]

Sed neque locus iste contra nos pugnat, quia hìc non fit comparatio inter Papam, & Regem, sed inter Regem,& Episcopos inferiores, qui non habent potestatem supremam condemnandi, sed tantùm arguendi, & reprehendendi Reges. Non autem condemnandi, nisi ab eo, qui se pronunciauit esse iustitiam, qui tamen ascendens in Cœlum Vicarium suum, & suæ iustitiæ Ministrum, Romanum Pontificem reliquit in terris.

Adducis Hincmari Archiepiscopi Rhemensis epistolam 41. ad Hadrianum II. Pontificem, in qua multa præmittens de necessitate communicandi cum Rege ab ipso excommunicato: se excusat, quia subditus debet esse Regi: quia præcipitur seruire etiam Dominis discolis, orare pro Regibus,& alia huiusmodi, quæ certè nihil faciunt contra Nos. Consulit etiam Gregorium VII. ad vitandum scandalum, ortum inter Ecclesiam, & Rempublicam, quod facilè, ac sinè dispendio Religionis, vel detrimento Ecclesiasticarum rerum postea non possit sedari,& subiungit: [Quia sicut Abraham dixit ad Dominum: absit hoc à te Domine: non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram.] Indè se excusans addit: [Et hanc meæ subiectionis humillimam suggestionē ea benignitate suscipite, qua primus Apostolorum minoris sui Apostoli redargutionem pro simulatione suscepit, &c.] Quæ omnia, Natalis, non vt tu dicis,sententiam Gregorij VII. euertunt,remque nouam, & antea prorsus inauditam fuisse demonstrant; sed potiùs sententiam nostram firmant; cum ius hoc iudicandi Reges, in Pontificia dignitate supponat, cùm illi appropriet verba Abrahæ ad Dominum dicta, [Absit hoc à Te Domine, non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram.] Si enim omnem terram iudicat Papa, terrenam Regiam Maiestatem poterit iudicare: sed tantùm ad vitandum scandala, bella, & mala, quæ Reipublicæ Christianæ ex hoc euenire poterant, rogat, vt vlteriùs contra Regem non procedat.

At maiorem videtur præseferre difficultatem argumentum, quod adducis, ex Ambrosio in Apologia pro Dauide, illis verbis: [Nullis Dauid legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum. Nec enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti Imperij Maiestate;] cui concinunt Hieronymus à Te citatus epist. 22. dicens: [Ad Dominum pœnitens Dauid loquitur: Tibi soli peccaui. Rex enim erat, alium non timebat.] Arnobius iunior, Cassiodorus, Euthymius, & Glossa in psalm. 50. affirmantes: [Rex sub nullo alio, nisi sub Deo solo agens, ipsum solum super potestatem suam metuens,Deo soli peccauit.] Ergo non est sub alia, quàm sub Dei potestate.

Facili tamen negotio respondetur, Sanctos istos Patres locutos esse de Rege in lege veteri, in qua Sacerdotes Regibus subdebantur: non autem de Rege tempore Euangelij,& nouæ legis,in qua Reges debent Sacerdotibus esse subiecti. Ratio autem huius differentiæ assignatur ab Angelico Præceptore opusc. de Regimin. Princ. lib. 1. capit. 14. his verbis: [Quia in veteri lege promittebatur bona terrena, non à dæmonibus, sed à Deo vero,Religioso Populo exhibenda; ideò & in lege veteri Sacerdotes Regibus leguntur fuisse subiecti; sed in noua lege est Sacerdotium altius, propter quod homines traducuntur ad bona cœlestia; vndè in lege Christi Reges debent Sacerdotibus esse subiecti.] Consequenter nil faciunt contra Nos.

Denique opponis diuersas auctoritates Sacræ Scripturæ, quibus gloriaris nostram sententiam funditùs aboleri. [Regnum meum non est de hoc mundo,ait Christus,& Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo,] Similiter Apostolus ad Rom.13. [Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt: itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.] Et Apostolorum Princeps ep. 1. cap. 11. [Subiecti, inquit, estote omni humanæ creaturæ propter Deum siue Regi, quasi præexcellenti, siue Ducibus, tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, &c. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate.] Ergo contra nostram sententiam faciunt hæc testimonia.

Non tamen possunt contra nostram veritatem esse testimonia Scripturæ, cùm veritas non sit contra veritatem. Quando ergo dixit Christus:[Regnum meum non est de hoc mundo.] Est, vt explicat sanctus Thomas opusculo citato lib. 3. cap. 14. quod licèt Principatus Christi incępit statim in ipsa sui natiuitate

nitate

uitate temporali, cuius argumenta sunt: in eodem die Angelorum ministratio, & denunciatio: item Magorum adoratio, qui venientes Hierosolymam dicebant: vbi est, qui natus est Rex Iudæorum, in quibus actibus satis est notus Principatus eius.] Assumpsit tamen Dominus noster, quamuis Dominus mundi, statum paupertatis, & humilitatis; [Ad insinuandum (ait Diuus Thomas loc. cit. cap. seq.) differentiam inter suum, & aliorũ principum dominium: quamuis enim temporaliter esset Dominus Orbis; directè tamen ad spiritualem vitam suum ordinauit principatum, iuxtà illud Ioann. Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. Hinc enim verificantur eius verba superiùs allata: Regnum meum non est de hoc mundo.] Hæc S. Doctor.

Nec alia de tributo reddendo Cæsari. Nam hoc nos vltrò concedimus, & Tributum, & Vectigal, & Honorem, & Timorem Regibus debitum esse; & reddi debere. Cæterum, vt ait Apostolus, hoc fieri debet secundùm Dei ordinationem; quia, [quæ à Deo sunt, ordinata sunt.] Et vt supra diximus, hunc poscebat ordinem Christiana Monarchia, quæ suprà omnes aliàs eleuatur, & crescit, vt supremum eius caput, & Archimonarcha vtramque haberet subordinatam potestatem: itaut temporalis spirituali subordinaretur: & deseruiret, ad hoc vt vnum corpus politicum, non sub duplici independenti capite, sed sub vno capite constitueretur.

Sed nescio quomodo potes hostem fingere Gregorium VII. in quem ferias, affirmans ipsi, alijsque Pontificibus, & Auctoribus visum esse Imperij statum, & Imperatoriæ conditionem dignitatis esse mutatam, ex quo Imperium ad Germanos translatum est, & confirmatio electionis, eiusque examen: ac institutio Electorum, ad Romanum Pontificem est deuoluta: nec antè inaugurari Imperatores, quàm obedientiam, conseruationem iurium, & priuilegiorum, ac fidelitatem Romanæ Ecclesiæ, & eius capiti iurassent, capiant suæ dignitatis possessionem. Abhinc enim magis obnoxios factos fuisse, Apostolicæ Sedi, & Romano Pontifici fuisse opinatos. Et ex hinc affirmans fuisse iura quædam mixta, quæ eximia illa dignitate Protectoris, & Defensoris Ecclesiæ innituntur, & quæ Imperatoribus Paganis, Hæreticis, & Schismaticis legitimè excommunicatis: non conueniat; quibus adeò iuribus ipsos exui posse Gregorius VII. alijque Pontifices nonnulli sanxere. Quam sententiam tu dicis tolerabiliorem, & Sacræ Scripturæ, ac sanctis Patribus non repugnantem.

Sed certè, nec in Gregorio VII. nec in alijs Pontificibus, & Theologis, qui eos sequuntur, hanc doctrinam, quam ponis, inuenisti. Tua est, Natalis doctrina hæc, & distinctio: non Theologorum, neque Pontificum, quos tu citasti: nec Gregorius solùm illa dignitate priuauit Henricum: sed etiam terrena Imperatoria dignitate, & Regali potestate. Sed certè ex his, quæ asseris, manifestè mihi videtur nostram sententiam probari posse. Tu concedis iam, nec potes negare, Summum Pontificem sua plenitudine potestatis, Imperium ex Oriente in Germanos transtulisse, & primò in tuum Carolum Magnum dignissimè collocasse; non solùm quidem quoad dignitatem Defensoris Ecclesiæ, & Protectoris, & quoad iura mixta, quæ huic dignitati innituntur: sed etiam quoad temporalem dominationem Imperij, dando eius imperandi in toto Orbe Catholico Occidentali, & regnandi in ditionibus, quæ suut de patrimonio Imperij: totam enim hanc potestatem, non ab alio, quàm à Pontifice accepit Carolus tuus Magnus, & plures eius successores vsque ad Carolum Crassum ab alio Summo Pontifice ob ineptitudinem exauctoratum. Deindè ad alios translata hac dignitate ab ipso Summò Pontifice; fuerunt Electores constituti, & electionis forma, ac institutio præscripta. Sed hoc facere non potuisset; nisi eius suprema potestas supra Reges, & Imperatores, quoad temporalia, non extenditur; ergo concessa, vt concedi debet, Imperij statum, & electionem auctoritate Pontificum iam mutatam, in ipso concedi debet potestas inaugurandi, & exauctorandi Reges.

At tu iam canis triumphum ante victoriam, & næuum fuisse (vsurpans dictum Augustini de rebaptizantium errore in Sancto Cypriano contra opinionem nostram in S. Gregorio VII.) in candore sanctæ animæ, quem charitatis vbera contegebant, affirmans posse de illo dici, quod de sancto Leone IX. se se bellis contra Normandos immiscente scripsit Beatus Petrus Damianus, qui post multa sic concludit: [Inter Regnum, & Sacerdotium propria cuiusque distinguuntur officia, vt & Rex armis vtatur seculi, & Sacerdos accingatur gladio spiritus, quod est verbum Dei.] Quibus omnibus in tuæ sententiæ confirmationem addis auctoritatem S. Francisci Salesij Geneuensium Antistitis epist. 48. lib. 7. quam ex Gallico in Latinum transtulisti: [Reges, ac Supremi principes supremam in temporalibus dominationem habeant; in qua nec Romanus Pontifex, nec Ecclesia aliquid penitus sibi tribuunt, nec ipsos propterea sibi obnoxios esse volunt: adeòut Pontifex sit supremus Pastor, & Pater vniuersalis, Rex verò supremus Princeps, & Dominus temporalis; vnius auctoritas alteri non aduersatur, immò mutuam sibi ferunt opem, &c.] Sed clariùs epist. 70. vbi habet: [Nec mihi quidem placuere scripta quædam sancti, ac præstantissimi præsulis, in quibus potestatem indirectam Romani Pontificis in principes asseruit.

Et denique omnia hæc concludis per te infallibili, ac firma declaratione sacræ facultatis Theologicæ Parisiensis anno Domini 1663. edita, quam tribus articulis diuisisti. Primus est, quod Summus Pontifex nullam in temporalibus Regis Christianissimi auctoritatem habeat, nec etiam indirectam. Secundus est, quod Rex Christianissimus nullum omninò agnoscit, nec habet in temporalibus Dominum præter Deum. Tertius est, quod subditi fidem, & obedientiam Regi Christianissimo ita debent, vt ab his nullo prætextu dispensari possint, quam doctrinam affirmas non solùm tuam, sed Ecclesiæ, verbo

Dei

Dei, & sanctorum Patrum doctrinæ consonam, occasione data sacram facultatem semper propugnasse; & contra quosuis contrarios errores vindicasse, quod probas duplici censura data ab eadem facultate, primam anno 1676. die prima Aprilis contra Antonium Sanctarellum in suo libro tract. de hæresi capit. 30. & 31. affirmantem Summum Pontificem posse principes, & Reges deponere,& suis Regnis priuare ob crimen hæresis, quam doctrinam, tamquam nouam, falsam erroneam, verbo Dei contrariam, Pontificiæ dignitati odia conciliantem, schismati occasionem præbentem, supremæ Regum auctoritati à Deo solo dependenti derogantem; Principum infidelium, & hæreticorum conuersionem impedientem, pacis publicæ perturbatiuam, Regnorum, Statuum, Rerumquepublicarum euersiuam, subditos ab obedientia, & subiectione auocantem, & ad factiones, rebelliones, seditiones, & principum parricidia excitantem. Secundam ex censura lata contra nostrum Sacræ Theologiæ Baccalaureum in Studio Parisiensi Fr. Franciscum Malagola prædicatorem Italum, ponentem inter suas Theses: Summo Pontifici competere apicem vtriusque potestatis, quem dicis à suis Fratribus Prædicatoribus prædamnatum, & ad aulam simul, ac facultatem delatum, ab illa, vt infracti iuramenti reum, contumeliosum in Regiam Maiestatem, facultatis, & decretorum ab illa sancitorum contemptorem, ab ordine Theologico penitus proscripsisse, & Baccalaureorum suorum albo expunxisse, & tu contra tuum Fratrem, & doctrinam toties, velis, nolis Ordinis tui, timēs forsitan à tua vniuersitate exauctorari, affirmas te harum censurarum doctrinæ non atramento solùm, sed si opus esset, toto profuso sanguine, subscripturum.

Quis hæc, non dico in Religioso Dominicano, sed in Catholico, viro sufferre poterit, ò Natalis, sic Regiæ Maiestatis splendore offuscatus, non erubescis transferre verba Diui Augustini, modestè errorem S. Cypriani de rebaptizandis à tota Ecclesia damnati redarguentis, it sententiam tam Catholicam, tam à Theologis receptam, & approbatam à Summis Pontificibus, & quidem Sanctissimis pluries in praxim redactam, & penè ab omnibus, præterquam à tua Parisiensi facultate secutam. Nec minùs incongruam esse, fatendum est reprehensionem factam à Beato Petro Damiano S. Leoni IX. se se bellis contra Normannos immiscenti nostro Gregorio, non alijs armis, quàm Ecclesiasticis censuris, & suprema potestate, qua pollet exauctorandi Imperatores, & Reges contra Henricum pugnanti.

At omnia hæc tibi condono; Natalis, non possum tamen infamiam, quam impingere conatus es in S. Franciscum Salesium, condonare, ipsum pro tua sententia citas epist. 48. lib. 7. vbi affirmas suam sententiam de Pontificia potestate his verbis expressisse: [Reges, & Supremi Principes, &c.] Quæ latè supra retulimus; vbi nihil contra nostram sententiam affirmat, sed tantùm explicat concordiam, quæ inter dominium Regum, & Papæ esse deberet, & licèt asserat (vt verum est) Pontificem, & Ecclesiam nullo modo expetere à Regibus, & Principibus Supremis aliquam recognitionem temporalem, puta alicuius census, vel tributi, supra tamen iam explicauerat: [Papam tamquam Pastorem, & Patrem omnium Christianorum, & Supremum Vicarium Iesu Christi in terris habere supremam, & ordinariam auctoritatem spiritualem supra omnes, etiam Imperatores, Reges, & Principes, & alios, quin in hac qualitate, & isti debent ei exhibere, non solùm amorem, honorem, reuerentiam, & respectum, sed etiam ei præbere auxilium, & assistentiam contra omnes, qui vellent eum offendere, vel Ecclesiam in hac spirituali auctoritate, ac in eius administratione. Et sicut de iure naturali, Diuino, & humano, potest quisque vti suis viribus, & suorum confœderatorum pro sua iusta defensione contra iniquum, & iniustum aggressorem, sic Ecclesia, & Papa quod; idem est, potest vti suis viribus; & Ecclesiæ, & Principum Christianorum suorum filiorum spiritualium pro iusta conseruatione, & defensione iurium Ecclesiæ contra omnes illos, qui vellent ea, vel violare; vel destruere, eò magis, quod Christiani, & principes vniti sunt Papæ, & Ecclesiæ, non simplici qualibet vniòne, sed vnione quoad obligationem potentissima; & quoad dignitatem excellentissima inter omnes, &c.] Ergo potiùs pro nobis, quàm pro te facit S. Franciscus Sales, dum potestatem temporalem Regum, quasi tamquam eius ministram, potestati supremæ Pontificis subdit, & alligat.

Sed qua fronte, Natalis, audis adducere aliam mutilatam auctoritatem huius sancti Præsulis, his verbis: [Nec mihi quidam placuere scripta quædam sancti,& præstantissimi Præsulis, in quibus potestatem indirectam in Principes asseruit.] Certè, qui in hoc te legerit, dicet: fuisse sanctum in tuam sententiam cauillosis Gallorum argumentis deductum; sed absit à tanto Præsule hæc mala suspicio, non placent illi scripti cuiusdam sancti, & excellentissimi Prælati, non vt falsò supponis, quia sit in contraria sententia, sed quare, audi ex eius ore, sic enim habet nostro Italico sermone illa epistola: [Non sono nè anco stati di mio gusto alcuni scritti di vn santo, ed eccellentissimo Prelato, ne' quali hà trattato l'autorità indiretta del Papa sopra i Prencipi, non che io habbi giudicato se ciò è, ò se non è, ma perche in questa età, nella quale habbiamo tanti nemici di fuora, io credo, che non sia bene il muouere niente dentro il corpo della Chiesa.] Hoc est; nec mihi quidem placuere scripta quędam sancti,& excellentissimi Prælati, in quibus ipse tetigit auctoritatem indirectam Papæ supra Principes, non quod ego iudicaui hoc esse verum, vel non, sed quid in hac ætate, in qua tot habemus inimicos exteros, credo non esse bonum mouere aliquid intrà corpus Ecclesiæ. O vtinam, Natalis, hoc præceptum à tam sancto Prælato didicisses, non vtique tam lubricè ad disputandam hanc materiam cucurrisses, & tuos sine dubio industriosos, & eruditos labores (demptis tamen aliquibus Nouatorum sententijs, quarum, nescio, cùm sis Thomista, cur sis tam amicus) in obsequium, & vtilitatem Ecclesiæ reseruasses.

At

At tu parum de hoc curans, in obsequium tuæ Parisiensis facultatis, plura eius decreta in vltimam confirmationem tuæ sententiæ adducis, & veneraris; Et ego Parisiensem Academiam venerot, non tamen plusquam alias celeberrimas, & toto Orbe conspicuas, & famosas Academias, Salmantinam in Hispania, Louaniensem in Belgigo, Paduanam, & Bononiensem in Italia; omnes istas, tamquam sacras Theologicas facultates veneror, non tamen tamquam veritatis regulas infallibiles, tamquam supremos Censores propositionum, tamquam infallibiles Constructores Canonum, omnes enim, præter vnum Summum Pontificem, & sub eo Ecclesiam in vniuersali Concilio congregatam, possunt errare, & aliquando errarunt, & vt videas facultatem Parisiensem in ferendo censuram contra Sanctarellum, & nostrum Fr. Franciscum Malagola errasse, examinemus istam censuram.

Dicit nostram sententiam esse nouam; nouam vocant sententiam, quam sine dubio fateri debent tam antiquam, vt ad minus, etsi non tempore Childerici III. qui septimo seculo Ecclesiæ vixit, certè negare non poterunt, tempore Gregorij VII. qui claruit vndecimo seculo, non solùm erat in Ecclesia, sed fuit ab eodem Pontifice in praxim redacta. Falsam gratis asserunt, vt ex dictis patet. Erronea: erroneum dicitur illud, ex quo euidenter sequitur error in fide, dent mihi ergo hunc errorem in fide ex nostra sententia secutum? Verbo Dei contrariam, si non est aliud testimonium Scripturæ, sicut censeo, præter ea, quæ accuratè adduxisti, certè nullum, nec per vmbram, contra nostram sententiam in Scriptura inuenietur, vt supra meo videri manifestè demonstraui, immò in ea, quam adduxisti: [Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo,] iuxtà glossam Tertulliani lib. de idololatria cap. 15. oppositum inferri potest, sic enim ait: [Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo; idest imaginem Cæsaris, Cæsari quæ in homine est. Vt Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum, alioquin, quod erit Dei, si omnia Cæsaris.] Ex qua glossa inferri potest in Regno temporali Regum, vectigalia, tributum, & alia huiusmodi, quæ per pecuniam soluuntur, Regi tantùm deberi, obedientia autem, quæ propria hominis est, magis deberi Deo, ac proindè eius Vicario, quàm Regi, Pontificiæ dignitati odium conciliaus.

Non est nouum, ò Natalis, odium conciliari inter iniquos, & rectos. Rectus enim esse non potest, qui iniquum, & iniquitatem non odit: [Iniquos odio habui (dicebat Propheta) & legem tuam dilexi.] Vndè Gregorius VII. in exilio moriens ob exauctoratum Regem Henricum, in hæc vltima verba vitam suam terminasse dicitur: [Dilexi iustitiam, & odiui iniquitatem, propterea in exilio morior.] Si de hoc odio locuta est tuæ facultas Parisiensis censura, in hoc censura non est, si autem loquatur de odio bonorum, hoc falsissimè asserit, quis enim bonus, qui rectus, quis iustus odio habebit Pastorem, & Patrē, ab ouili lupos sub pelle canis, oues mactantes, fugantem tyrannidem; populis euellentem, hæreticos Reges in perditionem subditos, vi, & metu trahentes, tamquam Regia auctoritate indignos exauctorantes, illos iniustè oppressos à Sacramento fidelitatis absolutos liberantes; hæc non odium, Natalis, sed amorem, & reuerentiam conciliant erga Pastorem, ponentem pro ouibus animā suam, Patrem defendentem filios suos, supremum Iudicem rectè iudicantem.

Schismati occasionem præbentem duplex datur occasio, vt scis, Natalis, sicut duplex scandalum datur, data scilicet, & accepta, actiuum, & passiuum; primum vitari debet, secundum multotiès est necessarium; necesse est enim, vt veniant scandala, væ autem homini illi, per quem scandalum datur: lex, iuxtà Apostolum, est occasio peccati, vbi enim non est lex, peccatum non est; ergo lex non est bona? absit; vtens supremum Caput sua potestate secundùm rectam iustitiam, exauctorando Regem iniquum, & tyrannum, hæreticum, vel schismaticum, ad vitanda grauia damna, incommoda, & perditionem Reipublicæ, non est, nisi bonum, & iustum, etiamsi rebellis, contumax, & iniustus Princeps, ex hoc occasionem sumat diuisionis, & schismatis.

Supremæ Regum auctoritati à Deo solo dependenti derogantem, immò potiùs conseruantem: iàm supra tecum probaui Regnum Christi vnicam constituere Hierarchicam Monarchiam, & politicum corpus, in quo omnes Catholici sunt membra, licèt alij digniora membra, alij minùs nobilia; Caput autem huius politici corporis esse inuisibile quidem Christum, visibile Summum Pontificem, & sicut ex capite omnes sensus, & membra corporis influxum habent, & reguntur, ità membra corporis politici à supremo Capite regi debent; inter hæc membra autem principaliora sunt Reges, qui à supremò Capite Ecclesiæ, non solùm in spiritualibus, sed etiam in ipso regnandi munere influxum habent, & dependent, iuxtà illud: [Per me Reges regnant.] Cùm res ergo ità se habeat, fitque totus iste discursus Angelici Præceptoris opusculo de regimine Principum loco supra cit. dic mihi, Natalis, quæ est destructiua Regum auctoritatis, mea sententia, quæ in suo ordine Reges constituit sub supremo Capite visibili, & inuisibili Ecclesiæ, an vestra, quæ destruendo hanc connexionē, & ordinem, vel corpus, & consequenter membra dissoluit, vel monstruosum, cùm duplici supremo Capite reddit.

Principum Hæreticorum, & Infidelium conuersionem impedientem, Natalis, si tu es Thomista, scis benè conuersionem Infidelium non pendere, nisi ab auxilio intrinseco, & efficaci, quod si ad hoc non vis recurrere, sed cum contrarijs sentis, dic mihi, quid est maius, sub supremo Capite Ecclesiæ esse, qui nonnisi in determinatis casibus, & post multas paternas correctiones, & post multa efficacissima media, ad reducendum ipsum in viam iustitiæ, & tramitem veritatis Principem rebellem, infidelem, tyrannum, & iniquum exauctorare tantùm potest, an esse sub auctoritate Parlamenti, non solùm ex nobilibus, sed etiam ex plebeis constructi, à quibus non solùm potest Rex exauctorari, sed ad mor-

mortem damnari? Cur ergo, si ad causas secundas recurramus, nostra sententia primum asserens, impediet conuersionem Regum, & Principum infidelium, & hæreticorum, qui in infidelitate manentes sub tali tyrannicè subiectione gemunt, & tacent?

Pacis publicæ perturbatiuam. Si de illa pace censura loquitur, de qua Christus dicebat Apostolis: [Pacem meam do vobis, non sicut Mundus dat ego do vobis,] quæ legitima, & publica pax verè dicitur consistens in eo, quod seruetur ordo iustitiæ, reddatur vnicuique, quod suum est, Deo scilicet honor, & cultus, inter superiores, & inferiores sequetur recta coordinatio iustitiæ, & charitatis, non solùm nostra sententia eam non perturbat, sed potiùs conseruat, & fouet, auferendo impedimenta vel Diuini cultus, vèl iustitiæ, posita à Rege iniquo tyranno, vel infideli, illum exauctorando: quod si de alia pace loquatur, de qua dicitur pax pax, & non erat pax, nostram sententiam talis pacis perturbatiuam esse fatemur, non solùm, & euersiua; sequi enim debemus Christi Domini nostram de hac pace dicentis: [Non veni pacem mittere, sed gladium.]

Regnorum, Statuum, rerumque publicarum euersiuam, si euersiua Statuum, & Regnorum dici deberet vna ex oppositis sententijs, certè illa dicenda est, quæ maiorem licentiam dat tyrannis, vt ruptis omnibus iustitiæ, & æquitatis legibus, omnia mala, quæ vult in Rempublicam moliatur, sine timore pœnæ, sine remedio iudicij, at hoc non nostra, quæ Reges istos tyrannos, vel infideles Pontificiæ potestati subdit, & Christi Vicarij iudicio, sed vestra sententia, qua supremam dat potestatem in Ducibus à nullo visibili Iudice iudicandam, faciendi quidquid vult, mali, & tyrannidis omnes eis laxat habenas, non ergo nostra, sed vestra sententia est Regnorum, rerumque publicarum euersiua.

Subditos ab obedientia, & subiectione auocantes, & ad factiones, rebelliones, seditiones, & Principum parricidia excitantem. Hæc vltima pars tuæ tam solemnis censuræ, non solùm falsa, sed ridicula mihi visa est; nàm vel loqueris antè prolatam sententiam Summi Pontificis, vel post illam, si antè non est nostra sententia, sed ex iniquitate, & iniustitia Regis omnia illa mala oriuntur, quibus nostra sententia remedium præbet, non incrementum. Si post, ridiculum est adducere pro inconuenienti id, quod in ipsa sententia statuitur, & ex Pontificis mandato præcipitur, subditos enim absoluendi à iuramento fidelitatis, præcipit, vt ampliùs illi non obediant, nec subijciantur, quia, vt ait Diuus Thomas secunda secundæ artic. 10. Iusti per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, tale ius dominij, & prælationis tolli, quia infideles meritò suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super Fideles, non autem causat alia illa mala nostra sententia, nisi ipse exauctoratus contumax, & rebellis nolit acquiescere iusto iudicio Summi Pontificis, & sic non ex eius sententia, quæ iusta, & recta est, sed ex istius rebellione, & contumacia mala illa oriuntur.

Vide ergo pro qua sententia, & censura subscribenda, totum tuum profundere sanguinem, si opus esset, promittis; ego quidem Natalis, inter Catholicos natus, inter Religiosos Dominicanos enutritus, in Salmantina Academia eruditus, sanguinem meum tanti facio, vt ne vnam guttam profundere, nisi pro Catholica Fide velim.

Confiteor te fratrem meum charissimum in Domino, & visum est mihi debere non solùm charitatis præcepto obstricto, quo erga omnes proximos teneor. Sed strictiori, quo alumnos omnes mei amatissimi Ordinis, quorum minimus sum, veneror, & amplector, corrigere, & in Domino rogare, vt mutando sententiam, verus Thomista, verusque Dominicanus habearis.

FINIS.

REGESTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sſſſ Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee Fffff Ggggg Hhhhh Iiiii Kkkkk Lllll

Omnes ſunt Duerniones, præter Llll quod eſt Ternio.
Principium eſt Duernio.

ROMÆ, M.DC.XCVII.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

Superiorum permiſſu.